C'est une compilation indigeste dont nous avons fait peu d'usage. A l'époque où Sigebert cesse d'être son guide, il suit la Chronique de Mortemer (a) imprimée ci-devant Tome XII, page 781 et suiv. à laquelle il entremêle des longs extraits de la vie de Saint-Bernard et des miracles arrivés dans les maisons de son ordre. Tous ces monumens étant connus d'ailleurs, ne doivent pas être cités d'après Hélinand. Il fait cependant quelques bonnes réflexions qu'on trouvera dans la Chronique d'Albéric, où nous les avons conservées. Hélinand étoit Flamand d'origine, et nous apprend lui-même qu'en 1127 son pere Heriman et son oncle Ellebaud, quoique nés de parens nobles et encore en bas âge, furent enveloppés dans la proscription qui suivit le meurtre de Charles le Bon, et forcés de se retirer en France, après avoir perdu leurs héritages.

Vincentius Bellovacensis.

6°. *Speculum historiale Vincentii Bellovacensis a Strozziano, cujus mentionem jam fecimus, Chronico vix differt. Scrinia quoque compilavit Vincentius Helinandi, cujus exemplum secutus speculum suum in libros* 32 *distribuit, quos in plura capita singulos dissecuit. Professione Dominicanus, regnante Ludovico IX vivebat, obiitque an.* 1264. *Quantulam opus ejus afferre possit utilitatem ex dictis intelligere est. Campaniensium ac Blesensium Comitum genealogiam, p.* 709 *descriptam, ab eo mutuati sumus, neque quidquam ampliùs.*

6°. Il y a peu de différence entre le Miroir historial de Vincent de Beauvais et la Chronique de Strozzi, dont nous avons parlé plus haut. Vincent a mis aussi à contribution la Chronique d'Hélinand, à l'exemple duquel il a divisé son miroir en trente-deux livres et chaque livre en un grand nombre de chapitres. Il étoit Dominicain de profession, vivoit sous le regne de Saint-Louis, et mourut en 1264. On voit par ce que nous venons de dire qu'il y a peu à profiter dans son livre : la seule chose que nous avons empruntée de lui, c'est la généalogie des Comtes de Champagne et de Blois, qui a trouvé sa place à la page 709.

Gesta Trevirensium Episc.

7°. *E Gestis Trevirensium Præsulum ea tantùm mutuati sumus quæ*

7°. Nous n'avons pris des Gestes des Archevêques de Treves que ce

(a) Post Sigebertum, seu ab anno 1113, *nullum Chronographum reperi,* inquit Helinandus, *nullumque historicum de temporibus sequentibus continuè scribentem. In quibusdam verò Chronicis Sigeberti, post finem historiæ ejus, inveni annos chronicè annotatos et quasdam notulas brevissimas unius tantum lineæ capaces super quosdam annos appositas, non continuè, sicut fecit Sigebertus qui nullum annum vacuum reliquit in quo non aliquid annotaverit, sed interruptè, quibusdam annis absque annotatione historiæ vacuis relictis, sicut Hieronymus et Prosper in suis Chronicis faciunt. Tales ergo notulas breves et interruptas, sicut dixi, reperi ab hoc loco usque ad annum Philippi Regis Francorum, qui modò regnat Ludovici Regis filius et Ludovici nondum Regis pater, vicesimum sextum. Quæ ergo ab hoc loco positurus sum, a cunctis auctoribus diligentissimè undecumque collegi.*

Digitized by Google

qui regarde la contestation qui s'éleva au Concile de Reims de l'année 1148, en présence du Pape Eugene III, entre l'Archevêque Adalberon et Samson Archevêque de Reims, au sujet de la primatie sur les provinces Belgiques. Ce n'est pas que ces Gestes ne soient d'une grande autorité, ayant été écrits par des auteurs contemporains, tels qu'Eberhard, Richard, Diethelm, Adalbert, Theodoric, Golcher et autres qui dirigerent successivement les écoles de S. Mathias; mais nous avons craint d'être entraînés au-delà de notre objet, si nous en faisions un extrait plus étendu qui n'auroit pu intéresser qu'indirectement la France, à cause des relations qu'avoient les Trois-Evêchés avec leur Métropole.

8°. Outre les principales Chroniques d'Angleterre que nous avons imprimées à la tête de ce volume, il en est d'autres plus abrégées dont on trouvera ici des citations. De ce nombre sont les Annales de Margan, de Mailros, de Waverlei, publiées par Thomas Gale et Jean Fell; celles de Winchester, de Ménéve et de Sainte-Croix d'Edimbourg, imprimées par Henri Warthon dans l'*Anglia sacra*. Ce ne sont que de courtes notes sur les événemens publics ou particuliers à chacune de ces Eglises. Les plus étendues sont celles des Annales de Waverlei, mais nous avons reconnu qu'elles ont été prises sur la Chronique Anglo-Saxone. On y trouve néanmoins dans les tems postérieurs à celle-ci des faits importans qui ne se rencontrent point ailleurs; tel est celui qui concerne la réconciliation de Henri II Roi d'Angleterre avec Eléonore en 1179. La plupart des Historiens disent qu'elle ne sortit de prison qu'à la mort du Roi son mari; cependant on voit ici qu'elle recouvre sa liberté, et l'on n'est plus surpris de trouver dans Geofroi de Vigeois que vers le même tems elle fit un accommodement avec son mari. Ces Annales font mention de ce différend à l'année 1148 *in Concilio Remensi, coram Eugenio III Papa, inter Archiepiscopos Adalberonem Trevirensem et Samsonem Remensem de jure Primatûs in Belgicas provincias agitatam : quibus plura non addimus, quamvis haud levis ea sint ponderis, utpotè ab æquævis digesta scriptoribus, Eberhardo, Richardo, Diethelmo, Adalberto, Theodorico, Golchero, aliisque Trevirensium S. Mathiæ scholarum moderatoribus. Sed vicit extra propositum divagandi metus, ne longiori excerpto Francicas nimis obliquè res attingeremus, ea subjiciendo quæ Trium-Episcopatuum cum Metropoli affinitatem spectant.*

Brevia aliquot Angliæ Chronica.

8°. *Præter Anglica quæ ducunt agmen in hoc volumine Chronica, sunt alia breviora quorum identidem testimonia laudavimus, cujusmodi sunt Annales de* Margan, *de* Mailros *et Waverleienses a Thoma* Gale *et Joanne* Fell *vulgati, necnon Wintonienses, Menevenses, Edimburgenses S. Crucis ab Henrico* Warthon *in Anglia sacra publici juris facti. Concisis illi constant notis ad publicos seu privatos singularum quibus inscribuntur Ecclesiarum eventus accommodatis. Prolixiores verò ex illis Waverleienses e Chronico Anglo-Saxonico usurpatos esse deprehèndimus. Quædam tamen ætate huic posteriore facta in iis narrantur quæ alibi non occurrunt : qualis est Henrici II Angliæ Regis an.* 1179 *cum Alienora reconciliata gratia, quam nonnisi post obitum sponsi e carcere liberatam fuisse plerique opinantur. Quæ si vera sit narratio, mirabitur jam nemo Richardum filium, Aquitaniæ Ducem, cum eadem Alienora, ut refert Gaufridus Vosiensis, sub idem tempus composuisse.* Tunc, *ait ille,* genus inimicitiarum Ri-

Digitized by Google

chardi et Alienoris in speciem amicitiæ vertitur.

Balduinus Ninoviensis.

9°. *Balduini, Præmonstratensis Canonici Ninoviensis, Chronicon a Christo nato exordium ducens anno* 1293 *terminatur. Sigebertum, Anselmum Gemblacensem, eorumque Continuatores ad annum usque* 1163 *scriptorem hunc duces operis habuisse perspicuum est. Quæ spectant conditum Ninoviense Monasterium, perbreviaque alia nonnulla fragmenta huic accepta referimus.*

9°. La Chronique de Baudouin Chanoine Prémontré de Ninove commence à la naissance de J. C. et finit en 1293. Il est aisé de s'appercevoir qu'il a suivi Sigebert, Anselme de Gemblours et leurs Continuateurs jusqu'en 1163. Nous n'en avons extrait que ce qui regarde la fondation de l'Abbaye de Ninove, et quelques autres petits fragmens.

Guillelmus Nangius.

10°. *Quamvis ab Adamo ad annum Christi* 1302 *procurrat Guillelmi Nangii Chronicon, postremam tantùm hujus partem ab anno* 1113, *ubi Sigeberti Chronicon desinit, prælo subjicere satis esse duxit Acherius. Plura etiam recidere licuisset, cùm post Sigebertum Guillelmus Anselmum Gemblacensem unà cum pseudo-Roberto de Monte describat ad an. usque* 1154, *ac subinde Chronicon S. Mariani. His tamen interponit Chronicorum S. Dionysii, aliorumque, ex quibus ista compacta est factorum silva, scriptorum fragmenta. Postrema tantùm, quæ Francicam historiam propiùs attinent, in collectionem admittenda esse censuimus.*

10°. Quoique la Chronique de Guillaume de Nangis commence à Adam et finisse en 1302, l'Editeur Dom d'Achery ne l'a imprimée que depuis 1113, où finit Sigebert. Il en auroit pu retrancher encore davantage; car il copie après Sigebert, Anselme de Gemblours avec le faux Robert du Mont jusqu'en 1154, et pour la suite la Chronique de S. Marien; mais il y mêle des morceaux des Chroniques de Saint-Denis ou des Auteurs dont on a formé cette compilation. C'est à ces derniers que nous avons borné nos extraits, parce qu'ils nous ont paru intéresser de plus près l'histoire de France.

Atque hæc dicta sunto de monumentis historicis quibus constat tertius decimus Tomus noster. His quidem absolvitur Annalium, Gestorum et Chronicorum ad tria Philippi I, Ludovici VI et Ludovici VII, quæ simul percurrenda suscepisse nos in præfatione Tomi duodecimi monuimus, regna spectantium collectio. Supersunt tamen alia multa, dissimilis quidem generis, at eòdem conducentia, quæ veneranda nobis transmisit antiquitas; cujusmodi sunt vitæ Sanctorum, epistolæ summorum Pontificum necnon aliorum doctrinâ seu pietate seu gradu insignium, Acta Conciliorum ac demùm

Tels sont les éclaircissemens que nous avions à proposer sur les monumens historiques qui composent ce XIII^e^ volume. Ici se termine la classe des Annales, Gestes et Chroniques, concernant les trois regnes de Philippe I, Louis VI et Louis VII, que nous avons entrepris de recueillir ensemble, pour les raisons que nous avons exposées dans la préface du Tome XII^e^. Il nous reste encore à donner des monumens d'un autre genre, restes précieux de la vénérable antiquité, dont l'objet est cependant le même : ce sont les Vies des Saints, les Lettres des Papes et d'autres personnages distingués par leur science, leur piété et leur rang; le Actes des Conciles, et enfin les Diplomes de nos Rois, tous

Digitized by Google

monumens importans que nous recueillerons dans le volume suivant, pour achever d'illustrer la période de l'histoire de France que nous parcourons. C'est alors que nous disserterons dans la préface sur les changemens survenus à notre droit public et à nos mœurs pendant le XII^e^ siecle, sur les progrès des lettres et des arts, sur les inventions nouvelles, et enfin sur la discipline ecclésiastique. Viendra ensuite la table chronologique des trois regnes qui nous occupent, et contiendra l'abrégé des trois volumes.

Regum Franciæ diplomata, quorum in sequenti Tomo syllogen proferemus, ad illustrandam eamdem historiæ Francicæ periodum utilissima. Tum verò de mutationibus in publicum gentis nostræ jus ac mores sæculo XII *inductis, de progressu litterarum et artium ac novis inventis, deque ecclesiastica disciplina in præfatione disseremus. Subsequetur hanc chronologica trium, de quibus sermo hactenùs, regnorum tabula, quâ totidem voluminum summa repræsentabitur.*

Digitized by Google

SYLLABUS MONUMENTORUM

Quæ hoc Volumine XIII continentur.

Ex Willelmi Malmesburiensis de Gestis Regum Anglorum libris V, *pag.* 1.
Ex ejusdem Historiæ novellæ libris duobus, *pag.* 20.
Ex Henrici Huntindoniensis Archidiaconi historiarum libris octo, *pag.* 30.
Ex Chronico Anglo-Saxonico, *pag.* 47.
Ex Florentii Wigorniensis Monachi Chronicorum Chronico, *pag.* 67.
Ex Simeonis Dunelmensis Monachi historia de Gestis Regum Anglorum, *pag.* 79.
Ex eadem historia a Johanne Hagustaldensi Priore ad an. 1154 continuata, *pag.* 83.
Ex Guillelmi Neubrigensis de rebus Anglicis libris V, *pag.* 92.
Ex Gervasii Dorobernensis Monachi Chronico de rebus Angliæ sui temporis, *pag.* 120.
Ex Benedicti Petroburgensis Abbatis vita et gestis Henrici II Angliæ Regis, *pag.* 142.
Ex Radulfi de Diceto Imaginibus historiarum, *pag.* 183.
Ex Rogeri de Hoveden Annalium parte posteriori, *pag.* 205.
Ex Silvestri Giraldi Cambrensis Hiberniæ topographia, *p.* 209.
Ex Radulfi Coggeshale Abbatis Chronico Anglicano, *p.* 217.
Extrait de la Chronique ou Histoire manuscrite de Normandie, p. 220.
Ex Sigeberti Gemblacensis Monachi Chronographia ad an. 1112, *p.* 256.
Ex Anselmi Gemblacensis Abbatis Chronico seu Appendice ad Sigebertum, *p.* 266.
Ex Auctario Gemblacensi ab an. 1136 ad an. 1149, *p.* 271.
Ex Auctario Affligemensi ab an. 1149 ad an. 1163, *p.* 274.
Ex Auctario Aquicinctino ab an. 1163 ad an. 1200, *p.* 278.
Ex Roberti Abbatis de Monte Appendice ad Sigebertum, *p.* 283.
Ex alterius Roberti Appendice ad Sigebertum, *p.* 326.
Ex brevi ad Sigebertum Appendice ad an. 1162, *p.* 334.
Ex Gualteri Tervanensis Archidiaconi vita B. Caroli Boni Flandriæ Comitis, *ibid.*
Ex alia ejusdem B. Caroli vita, auctore Galberto Brugensi Notario, *p.* 347.
Ex Herimanni Tornacensis Abbatis historia restauratæ S. Martini Ecclesiæ, *p.* 392.
Ex Genealogia Comitum Flandriæ, *p.* 411.
Genealogia Comitum Flandriæ et quorumdam aliorum Magnatum, *p.* 415.
Brevis Flandriæ Comitum Genealogia, *p.* 417.
Ex Andreæ Marcianensis Prioris Chronico de Regibus Francorum, *p.* 419.
Ex Lamberti Ardensis Presbyteri Historia Ghisnensium Comitum, *p.* 423.
Ex Walteri de Clusa Historia Ardensium dominorum, *p.* 442.
Ex Chronico Elnonensi S. Amandi, *p.* 453.
Ex brevi Chronico Clarimarisci, ad calcem Chronici Hugonis Victorini, *p.* 455.
Ex Chronico Sithiensi S. Bertini, auctore Johanne Iperio ejusdem loci Abbate, *ibid.*
Extrait de la Chronique de Cambrai, abrégée et continuée par un Anonyme, p. 475.
Ex Lamberti Waterlosii Chronico Cameracensi Autbertino, *p.* 497.
Brevis Anonymi Appendix ad Balderici Chronicon Camerac. et Atrebat. *p.* 533.
Ex Balderici Chronico abbreviato et continuato per Anonymum Atrebat. *ibid.*
Ex Balderici Chronico abbreviato et continuato per Anonymum Camerac. *p.* 534.
Ex Gisleberti Montensis Præpositi Hannoniæ Chronico, *p.* 542.
Ex Chronico Lobiensi, *p.* 580.
Ex Genealogia Caroli Magni, quâ Namurcensium Comitum et Boloniensium origo declaratur, *p.* 585.
Ex Historia Andaginensis Monasterii, auctore Anonymo ejusdem loci, vulgatiùs S. Huberti Monacho, *p.* 586.
Ex Gestis Abbatum Trudonensium, auctore Rodulpho ejusdem loci Abbate, *p.* 591.
Ex Chronico S. Jacobi Leodiensis, auctore Lamberto Parvo ejusdem loci Monacho, *p.* 600.
Ex brevi Chronico Leodiensi, *p.* 603.
Ex brevi Chronico Leodiensi altero, *p.* 604.
Ex Gestis Pontificum Leodiensium, auctore Ægidio Aureæ-vallis Religioso, *p.* 605.
Ex Hugonis Flaviniacensis Abbatis Chronico Virdunensi, *p.* 617.
Ex Historia Episcoporum Virdunensium, auctore Laurentio de Leodio, *p.* 628.
Ex Chronico S. Vitoni Virdunensis, *p.* 640.
Ex Chronico Episcoporum Metensium, *p.* 642.
Ex Chronico S. Vincentii Metensis, *p.* 644.
Ex Genealogia B. Arnulphi Metensis Episcopi, *p.* 646.
Ex Ottonis Frisingensis Episcopi de Gestis Friderici I Imp. libris duobus, *p.* 649.
Ex Radevici Frisingensis Canonici Appendice ad Ottonem Frisingensem, *p.* 663.
Ex Actis Pontificatûs Alexandri Papæ III, *p.* 665.
Ex Chronico Willelmi Godelli, Monachi S. Martialis Lemovicensis, *p.* 671.
Ex Chronico Anonymi, Canonici, ut videtur, Laudunensis, *p.* 677.
Ex Chronico Alberici Trium-fontium Monachi, *p.* 683.
Ex Chronico Saxonico seu Annalista Saxone, *p.* 714.
Ex Chronica Regia S. Pantaleonis propè Coloniam, *p.* 721.
Ex variis Chronicis, Gestis et instrumentis, etc., *p.* 723.

RERUM

Digitized by Google

De Sève inv. *C. N. Malapeau Sculp.*

Nuptiæ Regis Ludovici VII et Alienoræ. Anno MCXXXVII.

RERUM GALLICARUM

ET

FRANCICARUM

SCRIPTORES.

EX WILLIELMI MALMESBURIENSIS

DE GESTIS REGUM ANGLORUM LIBRIS V (*a*).

Apud Henric. Savile, *inter rerum Anglic. Script. Francof.* 1601. *fol.*

EX LIBRO QUARTO.

A WILLIELMUS igitur filius Willielmi, natus est Normanniæ pluribus annis antequam pater Angliam adiret. Ingenti curâ parentum altus, cùm et illi naturaliter inesset ingentia parturiens animus, ad culmen supremæ dignitatis evasit. Incomparabilis procul dubio nostro tempore Princeps, si non eum magnitudo patris obrueret, nec ejus juventutem fata præcipitassent, ne per ætatem maturiorem aboleret errores, licentiâ potestatis et impetu juvenili contractos. Emensâ pueritiâ, in militari exercitio adolescentiam egit, equitare, jaculari, certare cum primævis obsequio, cum æquævis officio; jacturam virtutis putare, si fortè in militari tumultu alter eo prior arma corriperet; et nisi primus ex adverso provocaret vel provocantem dejiceret : genitori in omnibus obse- *Pag.* 120.
B quelam gerens, ejus se oculis in bello ostentans, ejus lateri in pace obambulans; spe sensim scaturiente, jam successioni inhians, maximè post abdicationem (*b*) fratris majoris, cùm et tyrocinium minoris nihil * suspiceret. Ita a patre ultimâ valetudine decumbente in successorem adoptatus, antequam ille extremùm efflasset, ad occupandum regnum contendit : moxque volentibus animis provincialium exceptus, et claves thesaurorum nactus est, quibus fretus totam Angliam animo

Pag. 119.

Al. non nihil.

(*a*) Excerpta e libris secundo et tertio ad obitum usque Guillelmi Conquestoris, videtis T. XI. p. 173. In hoc quarto de Guillelmo II agitur, in quinto de Henrico I ad an. 1126 : quibus Historia novella subjicietur.

(*b*) Quod hìc audis *abdicationem*, noli voluntariam intelligere cessionem : constat enim ex ipso Malmesburiensi Robertum non voluntate suâ, sed propter improbitatem, et quas intulit patri molestias, regno caruisse.

Digitized by Google

subjecit suo. Accessit et favori ejus maximum rerum momentum Archiepiscopus A
Lanfrancus, eò quòd eum nùtrierat et militem fecerat : quo auctore et annitente,
die Sanctorum Cosmæ et Damiani coronatus, reliquo hyemis quietè et favo-
rabiliter vixit.

An. 1088. Quâ exactâ, mox in initio veris primus illi conflictus contra Odonem pa-
truum, Episcopum Bajocensem fuit. Namque cùm ille, ut dixi, solutus a vin-
culis, Robertum nepotem in Comitatu Normanniæ confirmasset, Angliam
venit, recepitque a Rege Comitatum Cantiæ. Sed cùm omnia non suo arbitratu,
ut olim, in regno disponi videret (nam Willielmo Dunelmensi Episcopo com-
mendata erat rerum publicarum administratio) livore ictus et ipse a Rege des-
civit, et multos eodem susurro infecit : Roberto regnum competere, qui sit et
remissioris animi, et juveniles stultitias multis jam laboribus decoxerit; hunc
delicatè nutritum, animi ferociâ, quam vultus ipse demonstret, prætumidum, B
omnia contra fas et jus ausurum; brevi futurum, ut honores jamdudùm plurimis
sudoribus partos amittant : nihil actum morte patris, si quos ille vinxerit, iste
trucidet. Hæc ipse, hæc Rogerius de Monte-gomerico, hæc Galfridus Cons-
tantiensis Episcopus cum nepote Roberto * Comite Humbrensium et cum re-
* de Mol-braio. liquis primò clam fremebant, post etiam palàm per veredarios missis epistolis fre-
quentabant. Quin etiam Willielmus Dunelmensis Episcopus, quem Rex a
secretis habuerat, in eorum perfidiam concesserat : quod graviter tulisse Regem
ferunt, quia cum amissæ caritatis dispendio remotarum provinciarum frustrabatur
* *Rochester.* compendio. Itaque Odo prædam omnem Rovecestriam * comportabat, regios
fiscos in Cantia devastans, maximè terras Archiepiscopi : immortale in eum
odium anhelans, quòd ejus consilio a fratre se in vincula conjectum asserebat;
sed nec fides verborum vacillabat. Nam cùm olim Willielmus senior apud Lan- C
francum quereretur se a fratre deseri : « Tu, inquit, prende eum et vinci ».
« Ecquid, respondit ille, quia Clericus est »? Tunc Archiepiscopus lepidâ hi-
laritate.... « Non, dixit, Episcopum Bajocensem capies, sed Comitem Cantiæ
» custodies ». Gaufridus Episcopus cum nepote Bathoniam et Bercheleiam,
partem pagi Wultensis depopulans, manubias apud *Bristow* collocabat. Roge-
rius de Monte-gomerico exercitum suum a Scrobesbiria cum Wallensibus mittens,
coloniam Wigorniensem prædabatur : jamque Wigorniam infestus advenerat,
cùm regii milites qui prætendebant, freti benedictione Wlstani Episcopi, cui
custodia castelli commissa erat, pauci multos effugarunt, pluribusque sauciis
et cæsis, quosdam abduxerunt. Præterea Rogerius *Bigod* apud *Norwich*, et Hugo
de *Grentemeisnil* apud *Legecestre*, suis quisque partibus rapinas urgebant. Ita
totis defectionis viribus in eum, cui nec prudentia nec fortuna deerat, frustra D
sæviebatur. Namque ille videns Normannos penè omnes in una rabie conspi-
ratos, Anglos probos et fortes viros, qui adhuc residui erant, invitatoriis
scriptis arcessit : quibus super injuriis suis querimoniam faciens, bonas leges et
tributorum levamen liberasque venationes pollicens, fidelitati suæ obligavit.
Nec minori astutiâ Rogerium de Monte-gomerico secum dissimulatâ perfidiâ
equitantem circumvenit. Seorsùm enim ducto magnam ingessit invidiam,
dicens se libenter imperio cessurum, si illi et aliis videatur, quos pater tutores
reliquerat; non se intelligere quid ita effrænes sint : si velint pecunias, accipiant
pro libito; si augmentum patrimoniorum, eodem modo prorsùs quæ velint
habeant; tantùm videant ne judicium genitoris periclitetur. Quòd si de se puta-
verint aspernandum, de se ipsis caveant exemplum : idem enim se Regem, qui
illos Duces fecerit. His verbis Comes et pollicitationibus incensus, qui primus E
factionis post Odonem signifer fuit, primus defecit. Continuò ergo in deser-
tores [Rex] profectus castella patrui sui [Odonis] *Tunebrige* et *Pevensel*,
effregit; ipso in posteriori intercepto, captum ad quod libuit jusjurandum im-
pulit, ut Angliâ decederet et Rovecestriam traderet. Ad quod implendum eum
cum fidelibus suis præmisit, lento pede præeuntes subsecutus. Erat tunc apud
Rovecestriam omnis penè juventutis ex Anglia et Normannia nobilitas, tres
filii Rogerii Comitis et Eustachius Bononiæ junior, multique alii quos infra
curam nostram existimo. Regii cum Episcopo pauci et inermes (quis enim eo
præsente insidias timeret?) circa muros desiliunt, clamantes oppidanis ut
portas aperiant, hoc Episcopum præsentem velle, hoc Regem absentem jubere.
At illi de muro conspicati, quòd vultus Episcopi cum verbis oratorum non

Digitized by Google

A conveniret, raptim apertis portis ruunt, equis involant, omnesque cum Episcopo vinctos abducunt. Rumor facti ad Regem citò perlabitur. Severior ille malis, iramque intra conscientiam resorbens, Anglos suos appellat, jubet ut compatriotas advocent ad obsidionem venire, nisi si qui velint sub nomine *Nidering*, quod nequam sonat, remanere. Angli, qui nihil miseriùs putarent quàm hujusce vocabuli dedecore aduri, catervatim ad Regem confluunt, et invincibilem exercitum faciunt. Nec diutiùs potuere pati oppidani quin se traderent, experti quàmlibet nobilem, quàmlibet consertam manum adversùs Regem Angliæ nihil posse proficere. Odo secundò captus perpetuò Angliam abjuravit. Dunelmensis Episcopus ultrò mare transivit, quem Rex verecundiâ præteritæ amicitiæ indemnem passus est effugere. Cæteri omnes in fidem recepti. Inter has obsidionis moras homines Regis mare custodientes, quosdam quos B Comes Normanniæ in auxilium perfidorum miserat, partim cæde, partim naufragio oppressere. Reliqui fugam intendentes et suspendere carbasa conati, moxque vento cessante destituti, ludibrio nostris, sibi exitio fuere; nam ne vivi caperentur, e transtris se in mare præcipitarunt. *Pag.* 121.

Postero anno, ut dolor semper retractatione acescit, magno scrutinio Rex agere cœpit, quomodò injurias suas ultum iret, et vicariam fratri referret contumeliam. Itaque castrum sancti Walerici et portum vicinum, et oppidum quod Albamarla * vocatur, solertiâ suâ acquisivit, pecuniâ custodes corrumpens. Nec fuit animus Comiti ut resisteret, sed domino suo Regi Franciæ per nuncios violentiam fratris exposuit, suppetias orans. Et ille quidem iners et quotidianam crapulam ructans, ad bellum singultiens ingluvie veniebat : sed occurrerunt magna pollicenti nummi Regis Angliæ, quibus infractus cingulum solvit et C convivium repetiit. Ita bello intestino diu laboravit Normannia, modò illis, modò istis vincentibus. Proceres utriusque furorem incitabant, homines levissimi, in neutra parte fidem habentes : pauci, quibus sanius consilium, consulentes suis commodis, quòd utrobique possessiones haberent, mediatores pacis fuere, ut Comiti Rex Cinomannes adquireret; Comes Regi castella quæ habebat et Fiscanum Cœnobium concederet. Juratum est hoc pactum et ab utrorumque hominibus sacramento firmatum. An. 1089. * *Aumale.*

Nec multò post Rex mare transiit, ut fidem promissorum expleret. Ergo uterque Dux ingentes moliebantur conatus, ut Cinomannes invaderent; sed obstitit jam paratis jamque profecturis Henrici fratris minoris animositas, qui frenderet propter fratrum avaritiam, quòd uterque possessiones paternas dividerent, et se omnium penè expertem non erubescerent. Itaque in Montem S. D Michaëlis armatus incedit, et crebris excursibus obsidentem militiam germanorum contristavit. In ea obsidione præclarum specimen morum in Rege et Comite apparuit; in altero mansuetudinis, in altero magnanimitatis. Utriusque exempli notas pro legentium notitia affigam. An. 1091.

Egressus Rex tabernaculo, vidensque eminùs hostes superbè inequitantes, solus in multos irruit, alacritate virtutis impatiens, simulque confidens nullum sibi ausurum obsistere. Moxque occiso sub femoribus deturbatus equo, quem eo die quindecim marcis argenti emerat, etiam diu per pedem tractus est; sed fides loricæ obstitit ne læderetur. Jamque miles qui dejecerat, manum ad capulum aptabat, ut feriret; cùm ille periculo extremo territus exclamaret : « Tolle, nebulo, Rex Angliæ sum ego ». Tremuit notâ voce jacentis vulgus militum, statimque reverenter de terra levato alterum equum adducunt. Ille, E non expectato ascensorio, sonipedem insiliens, omnesque circumstantes vivido perstringens oculo : « Quis, inquit, me dejecit » ? Mussitantibus cunctis, miles audacis facti conscius non defuit patrocinio suo, dicens : « Ego, qui te non » putabam esse Regem, sed militem ». Tum verò Rex placidus vultuque serenus : « Per vultum, ait, de Luca (*a*) (sic enim jurabat) meus amodò eris; » et meo albo insertus, laudabilis militiæ præmia reportabis »....

Jam verò ut de mansuetudine Comitis dicam : cùm obsidio eò usque processisset ut aqua deesset obsessis, misit Henricus nuncios Comiti, qui eum de siti sua conveniant : impium esse ut eum aquâ arceant, quæ esset communis mortalibus; aliter, si velit, virtutem experiatur, nec pugnet violentiâ elementorum, sed

(*a*) Per vultum de Luca intelligitur imago Crucifixi, quæ Lucæ in Thuscia in Ecclesia S. Crucis conspicitur, quam a Nicodemo Christi discipulo effictam fuisse dictitant.

Digitized by Google

virtute militum. Tum ille genuinâ mentis mollitie flexus, suos quà prætendebant A
laxiùs habere se jussit, ne frater siticulosus potu careret. Quod cùm relatum Regi
esset, ut semper calori pronus erat, Comiti dixit : « Benè scis actitare guerram,
» qui hostibus præbes aquæ copiam ! et quomodò eos domabimus, si eis in pastu
» et in potu indulserimus »? At ille renidens, illud come et meritò famosum
Pag. 122. verbum emisit : « Papæ ! dimitterem fratrem nostrum mori siti? et quem alium
» habebimus, si eum amiserimus »? Ita Rex deridens mansueti hominis inge-
nium, resolvit prælium : infectâque re quam intenderat, quòd eum Scottorum
et Wallensium tumultus vocabant, in regnum cum ambobus fratribus se re-
cepit.....

Statim primò contra Wallenses, post in Scottos expeditionem movens, nihil
magnificentiâ suâ dignum exhibuit, militibus multis desideratis, jumentis in-
terceptis..... At tunc satagente Roberto Comite, qui familiarem jamdudùm B
apud Scottum locaverat gratiam, inter Malcolmum et Willielmum concordia
inita....

Excellebat in eo magnanimitas, quam ipse processu temporis nimiâ severitate
offuscavit, ita in ejus pectus furtim vitia pro virtutibus serpebant, ut discernere
nequiret;... et erat ita liberalis quòd prodigus, ita magnanimus quòd superbus,
Pag. 123. ita severus quòd sævus.... Excitabat ergo totum Occidentem fama largitatis
ejus, Orientem usque pertendens. Veniebant ad eum milites ex omni quæ citra
montes est provincia, quos ipse profusissimis expensis munerabat. Itaque cùm
defecisset quod daret, inops et exhaustus ad rapinas convertit animum. Accessit
avidæ menti fomes cupiditatum Ranulfus Clericus, exinfimo genere hominum
* *Al.* calli- linguâ et assiduitate* provectus ad summum. Is, si quandò edictum regium pro-
ditate. cessisset, ut nominatum tributum Anglia penderet, duplum adjiciebat, expilator C
divitum, exterminator pauperum, confiscator alienarum hæreditatum.... Hoc
auctore, sacri Ecclesiarum honores, mortuis Pastoribus, vænum locati. Auditâ
namque morte cujuslibet Episcopi vel Abbatis, statim Clericus Regis admitte-
batur, qui omnia inventa scripto exciperet, omnesque in posterum redditus fisco
regio inferret. Interea quærebatur quis idoneus in loco defuncti substitueretur,
non pro morum, sed pro nummorum experimento : dabaturque tandem honor,
ut ita dicam, nudus, magno tamen emptus. Hæc eò indigniora videbantur, quòd
tempore patris post decessum Episcopi vel Abbatis, omnes redditus integrè cus-
todiebantur substituendo Pastori resignandi, eligebanturque personæ religionis
merito laudabiles. At verò pauculis annis intercedentibus omnia immutata.
Nullus dives nisi nummularius, nullus Clericus nisi causidicus, nullus Presbyter
nisi, ut verbo parùm latino utar, firmarius. Cujuscumque conditionis homun- D
culus, cujuscumque criminis reus, statim ut de lucro Regis appellasset, audie-
batur, ab ipsis latronis faucibus resolvebatur laqueus, si regale commodum
promisisset. Solutâ militari disciplinâ, curiales rusticorum substantias depasce-
bantur : insumebant fortunas a buccis miserorum cibos abstrahentes. Tunc fluxus
crinium, tunc luxus vestium, tunc usus calceorum cum arcuatis aculeis inven-
tus : mollitie corpòris certare cum fœminis, gressum frangere, gestu soluto et
latere nudo incedere, adolescentium specimen erat. Enerves, emolliti, quod
nati fuerant, invitè manebant, expugnatores alienæ pudicitiæ, prodigi suæ (*a*).
Sequebantur curiam effœminatorum manus et ganearum greges, ut non temerè
a quodam sapiente dictum sit : felicem fore Angliam si Henricus regnaret (*b*).....

Pag. 124. Posteriori tempore, id est anno regni ejus fermè nono, cùm Robertus Comes
An. 1096. Normanniæ Jerosolymam eundi monitione Papæ Urbani (ut posteriùs dicetur) E
impetum cepisset, Normanniam fratri suo pro pecunia decem mille marcarum
invadatus est. Itaque importabilis pensionis edictum per totam Angliam cucur-
rit.... Non pauperem tenuitas, non opulentum copia tuebatur. Venationes quas
Rex primò indulserat, adeò prohibuit, ut capitale esset supplicium prendidisse
cervum. Quapropter multâ severitate, quam nulla condiebat dulcedo, factum
est ut sæpè contra ejus salutem a ducibus conjuraretur : quorum unus Robertus
de *Molbreie* Comes Humbronensium, ortâ inter eum et Regem non modicâ
controversiâ verborum, provinciam juris sui abiit, ingentia contra dominum

(*a*) Eadem fermè vitia Francis, ac præsertim Normanniæ sub Roberto Duce exprobrat Ordericus Vitalis.

(*b*) In quibusdam exemplaribus legitur : *Curia Regis Angliæ non est majestatis diversorium, sed exoletorum prostibulum.*

Digitized by Google

A suum molimina conaturus ; sed subsequente illo captus, et æternis vinculis irretitus est. Alter Willielmus de *Hou* * proditionis apud Regem accusatus, dela- * d'Eu.
toremque ad duellum provocans, dum se segniter expurgat, cæcatus et extesticulatus est. Plures illa delatio involvit innocentes et probos viros : ex his fuit Willelmus de Alderia, speciosæ personæ homo et compater Regis.....

Verumtamen sunt quædam de Rege præclaræ magnanimitatis exempla, quæ posteris non invidebo. Venationi in quadam sylva intentum nuncius detinuit ex transmarinis partibus, obsessam esse civitatem Cinomannis, quam nuper, fratre profecto, suæ potestati adjecerat. Statim ergo , ut expeditus erat, retorsit equum, iter ad mare convertens. Admonentibus ducibus exercitum advocan- An. 1099.
dum, paratos componendos : « Videbo, inquit, quis me sequetur. Putatis me » non habiturum homines? Si cognovi juventutem meam, etiam naufragio ad
B » me venisse volet ». Hoc igitur modo penè solus ad mare pervenit. Erat tum nubilus aer, et ventus contrarius flatûs violentiâ terga maris vertebat. Illum statim transfretare volentem nautæ exorant, ut pacem pelagi et ventorum clementiam operiatur : « Atqui, inquit Rex, nunquam audivi Regem naufragio » interiisse. Quin potiùs solvite retinacula navium : videbitis elementa jam cons- » pirata in meum obsequium ». Ponto transito, obsessores auditâ ejus famâ dissiliunt. Auctor turbarum quidam Helias capitur. Cui ante se adducto Rex ludibundus : « Habeo te, magister », inquit. At ille, cujus alta nobilitas nesciret etiam in tanto periculo sapere humilia loqui : « Fortuitò, inquit, me » cepisti : si possem evadere, novi quid facerem ». Tunc Willielmus præ furore ferè extra se positus et obuncans Heliam : « Tu, inquit, nebulo, tu quid fa- » ceres? discede, abi, fuge. Concedo tibi ut facias quidquid poteris, et per
C » vultum de Luca, nihil, si me viceris, pro hac venia tecum paciscar ». Nec inferius factum verbo fuit ; sed continuò dimisit evadere, miratus potiùs quàm insectatus fugientem (*a*)....

Si quis verò desiderat scire corporis ejus qualitatem, noverit eum fuisse corpore quadrato, colore rufo, crine subflavo, fronte fenestratâ, oculo vario quibusdam intermicantibus guttis distincto ; præcipuo robore, quamquam non magnæ staturæ, et ventre paulò projectiore. Eloquentiæ nullius, sed titubantia linguæ notabilis, maximè cùm ira succresceret....

Multa de illius nece et prævisa et prædicta homines ferunt.... Ferunt eâ die lar- *Pag.* 126.
giter epulatum, crebrioribus quàm consueverat poculis frontem serenasse. Mox igitur post cibum in saltum contendit paucis comitatus, quorum familiarissimus erat Walterus, cognomento *Tirel*, qui de Francia liberalitate Regis adductus
D venerat. Is, cæteris per moram venationis quò quemque casus tulerat dispersis, solus cum eo remanserat. Jamque Phœbo in Oceanum proclivi, Rex cervo ante se transeunti, extento nervo et emissâ sagittâ, non adeò sævum vulnus inflixit ; diutinè adhuc fugientem vivacitate oculorum prosecutus, oppositâ contra violentiam solarium radiorum manu. Tunc Walterus pulchrum facinus animo parturiens, ut Rege aliàs interim intento, ipse alterum cervum, qui fortè propter transibat, prosterneret ; inscius et impotens *, Regium pectus (Deus bone !) * *f.* imprulethali arundine trajecit. Saucius ille nullum verbum emisit ; sed ligno sagittæ dens.
quantùm extra corpus extabat effracto, moxque super vulnus cadens mortem acceleravit. Accurrit Walterus ; sed quia nec sensum nec vocem hausit, perniciter cornipedem insiliens, beneficio calcarium probè evasit (*b*).... Obiit [Rex] An. 1100.
anno Dominicæ Incarnationis MC. regni XIII, Nonas Augusti IV, major quadrage-
E nario, ingentia præsumens, et ingentia, si pensa Parcarum evolvere et violentiam fortunæ abrumpere et eluctari potuisset, facturus. Tanta vis erat animi, ut quodvis sibi regnum promittere auderet. Denique ante proximam diem mortis interrogatus, ubi festum suum in Natali teneret ; respondit Pictavis, quòd Comes Pictavensis Jerosolymam ire gestiens, ei terram suam pro pecunia inva-

(*a*) Helias Cenomannensis Comes, captus a Roberto Bellismensi an. 1098 et Regis in manus traditus, non nisi Cenomannensis urbis deditione mercatus est, Orderico teste, libertatem.

(*b*) Veterum plerisque traditur transfossum fuisse Regem sagittâ, quam in ferarum vivario, quod Nova-foresta dicebatur, jactu infelici vibrarat Gualterus Tyrellus Gallus : idque receptissimum. At Sugerius, qui huic Regi coævus et Tyrello familiaritate, ut videtur, conjunctus erat, de morte illius verba faciens ; *imponebatur*, inquit, *a quibusdam cuidam nobili Gualtero Tyrello quòd eum sagittâ perfoderat : quem, cùm nec timeret nec speraret, jurejurando sæpiùs audivimus quasi sacrosanctum asserere, quòd eâ die nec in eam partem sylvæ, in qua Rex venabatur, venerit, nec eum in sylva omninò viderit*, prout legimus in vita Ludovici Grossi Regis Galliarum. *Nota Seldeni.*

Digitized by Google

daturus dicebatur. Ita paternis possessionibus non contentus, majorisque gloriæ A
spe captatus, indebitis incubabat honoribus....

Pag. 130 Nunc iter Jerosolymitanum expediam scripto, aliorum visa et sensa meis
An. 1095. verbis allegans.... Anno ab Incarnatione MXCV. Papa Urbanus secundus, qui præsidebat Apostolico culmini, evasis Alpibus venit in Gallias. Adventûs causa ferebatur perspicua, quòd violentiâ Guiberti Româ extrusus, citramontanas ad sui reverentiam sollicitaret Ecclesias. Illud repositius propositum non ita vulgabatur, quòd Boamundi consilio penè totam Europam in Asiaticam expeditionem moveret, ut in tanto tumultu omnium provinciarum facilè obæratis auxiliaribus, et Urbanus Romam, et Boamundus Illyricum et Macedoniam pervaderent. Nam eas terras et quidquid prætereà a Dyrrachio usque ad Thessalonicam protenditur, Guiscardus pater super Alexium acquisierat; idcircò illas Boamundus suo juri competere clamitabat: inops hæreditatis Apuliæ, quam B
genitor Rogerio minori filio delegaverat. Verumtamen quæcumque transeundi fuerit occasio, magno et illustri adventus ejus fuit Christianis emolumento. Coactum ergo est apud Clarummontem Concilium, quæ clarissima est urbs Arvernorum. Numerus Episcoporum et Abbatum CCCX. ubi aliquot diebus primò de catholica fide et inter se dissidentium pace tractatus prolixè habitus. Nam præter flagitia, quibus singuli licenter incubabant, ad hoc calamitatis omnes Cisalpini devenerant, ut nullis vel minimis causis exstantibus, quisquis alium caperet, nec nisi magno redemptum abire sineret. Præterea Simonicus anguis ita lubricum caput erexerat, ita venenato fotu mortiferi germinis ova vaporaverat, ut totus orbis lethali sibilo infectus, ecclesiasticos honores corrumperet. Tunc enim, non dicam Episcopi ad Ecclesias, sed nec quilibet ad quoscumque ordines nisi per pecunias aspirabat. Tunc legitimis uxoribus exclusis, multi C
contrahebant divortium, alienum expugnantes matrimonium. Quare, quia in his et in illis erat confusa criminum sylva, ad pœnam quorumdam potentiorum designata sunt nomina.... In eo Concilio excommunicavit dominus Papa Phi-
Pag. 131. lippum Regem Francorum, et omnes qui eum vel Regem vel dominum suum vocaverint, et ei obedierint, et ei locuti fuerint, nisi quod pertinet ad eum corrigendum. Similiter et illam maledictam conjugem ejus, et omnes qui eam Reginam vel dominam nominaverint, quousque ad emendationem venerint, ita ut alter ab altero discedat (*a*). Similiter Guibertum Ravennatem qui se Papam appellat; et Henricum Imperatorem Alemannorum, qui eum manu tenet.

Pag. 132. Posteris diebus processit sermo ad populum sanè luculentus et efficax, qualem decet Sacerdotis esse, de Christianorum expeditione in Turcos... Hinc igitur populus auditorum accensus, judicium animi clamore attestatur, favens sermo- D
cinationi, favens peregrinationi: statimque in Concilio Proceres nonnulli Papæ genibus affusi, se suaque Dei militiæ consecrarunt. E quibus fuit Aimarus insignis potentiæ, Podiensis Episcopus, qui postea exercitum illum auxit prudentiâ, rexit eloquentiâ. Igitur Novembri mense, in quo Concilium actum fuerat, a singulis in sua discessum. Continuòque fama boni totum dilapsa per orbem, dulci
Pag. 133. Christianorum animos infecit aurâ, quâ circumquaque aspirante, nulla fuit tam remota gens, tam abdita, quæ non sui partem mitteret. Nam non solùm mediterraneas provincias hic amor movit; sed et omnes qui in penitissimis insulis, vel in nationibus barbaris Christi nomen audierant.... Destituebantur agri cultoribus, ædes habitatoribus, totis porrò migrabatur urbibus. Nullus necessitudinum amor, affectus patriæ vilis, solus Deus præ oculis: quidquid in hor- E
reis, quidquid in tricliniis repositum responsurum erat vel avari votis agricolæ vel thesaurorum incubatoris, deseritur: in solum Hierosolymitanum iter esuritur. Gaudium erat euntibus, mœror remanentibus. Quid dico remanentibus? Videres maritum cum matrona, cum omni postremò familia euntem: videres carpentis impositos totos in iter transferre penates. Angustus erat limes transeuntibus, arctus trames itinerantibus: sic ruebant agmina serie longâ trahentia. Opinionem hominum vincebat numerus, quamvis æstimarentur sexagies centum

(*a*) Philippum Regem cum pellice Bertrada ab Urbano in Concilio Claromontano percussum anathemate fuisse extra dubium est; vetitum verò ab eodem ne quis ei obtemperaret, dominumque ac Regem appellaret, Gallorum nemo quem sciamus, ante Albericum Trium-Fontium Monachum ac sæculi XIII scriptorem asseruit: quod quidem ipsius historiæ fide revincitur, cùm ex Gallis qui Philippum a consortio fidelium legitimè segregatum existimabant, nullum legamus hac de causa obedientiam ejus abjecisse.

Digitized by Google

A millia itinerantium. Nunquam procul dubio tot gentes in unam coiere sententiam : nunquam tanta barbaries imperio uni et penè nulli cervicositatem substravit suam. Præcipuum enim erat videre miraculum, cùm tam infinita multitudo sensim per terras Christianorum et non prædabunda procederet, et non esset qui coerceret. Fervebat in omnibus alterutra dilectio, ut si penès aliquem quid repertum esset, quod suum non esse cognosceret, per multos dies passim agnoscendum proponeret; suspendebaturque interim inventoris aviditas, dum fortè illius qui perdiderat corrigeretur necessitas (*a*).

Jamque advenerat desiderantibus mensis Martius *, quandò senectâ brumali depositâ, mundus vernali vestitus juventâ, in plagam Orientis ituros invitabat : nec illi moras nexuere, tantus ardor animos invaserat. Godefridus Dux Lotharingorum per Pannoniam iter instituit, nulli unquam militi virtute secundus, B de antiqua Caroli Magni linea originem trahens, et cui verè plurimus inerat Carolus, tam sanguine quàm mente. Sequebantur eum Frisones, Lotharingi, Saxones, et quidquid gentium inter Rhenum et Garumnam fluvios jacet. Per Dalmatiam iter adorti Raimundus Comes de S. Ægidio et Aimarus Podii Episcopus, par insigne virtutis; viri armis in hostes, pietate in Deum splendidi (*b*). Sub signis eorum militabant Gothi et Guascones, et quicumque populus in Pirenæum et Alpes diffunditur. Prævenerat eos compendio Boamundus, loco Apulus, gente Normannus. Namque is apud Brundusium navibus conscensis, Dyrrachioque appulsus, inde itinere pedestri Constantinopolim per notos sibi tramites contendit. Ductu ejus agebat prælium Italia et quæcumque contermina provincia a Tirrheno mari in Adriaticum protenditur. Hi omnes apud Constantinopolim pariter convenientes, non nihil mutuæ lætitiæ habuere; ibique C Hugonem Magnum Philippi Regis Francorum fratrem invenere, quòd is inconsultè et cum raro milite terras Imperatoris ingressus et ab hominibus ejus captus, in libera custodia habebatur. At verò Alexius hujus civitatis Imperator, horum Procerum adventu territus, volens, sed quasi precibus coactus, captionis gratiam fecit : homo tergiversatione famosus, et nihil unquam magnum nisi dolo machinatus. Ipse Guiscardum (ut superiùs dixi) veneno, uxoremque ejus corruperat auro : fidem conjugalem falsò per internuntios pactus (*c*). Ipse

* An. 1096.

(*a*) Longè diversam Crucesignatorum illorum effigiem cæteri adumbrant Historici, quippè quos prædonibus quibusvis ferociores, nullius disciplinæ tenaces, sacra juxtà ac prophana diripientes exhibent.

(*b*) « Raimundus, *inquit Malmesburiensis p.* 152, » fuit filius Willielmi (*Corr.* Pontii) antiquissimi » Tolosæ Comitis, qui vir acer et efficax, patriam antecessorum suorum socordiâ obscuram titulis suis reddidit illustrem. Uxor ejus » Almodis multis vicissim desponsata, multam » ex omnibus sobolem tulit, insano muliercula » pruritu et irreverenti, ut cùm ei longo usu » vir displicuisset, aliàs migraret, novos impletura penates. Denique primùm Arelatensi * Comiti nupta, mox illius pertæsa, huic Willielmo » [Pontio] se conjunxit : cui cùm duos peperisset filios, Barcinonensem ad connubium illexit Comitem. Porrò Willielmus [Pontius] » mortis confinis foribus, Tolosanum Comitatum dedit filio æquivoco, sed moribus absono, » quòd esset crassioris ingenii; nihil [tamen] » Tolosani contra eum novarunt, familiæ illius » dominatui assueti. Raimundus verò vivacioris » spiritûs Caturcensem accepit, et immane quantùm auxit, Arelatensi et Narbonensi, et Provinciali et Lemovicensi adjunctis. Tolosam » quoque a germano emit, pluribus annis ante » magni motûs viam profecto Jerosolymam. Sed » hæc multi temporis intercessu, et ætate impensâ labori. Itaque pugnis semper assiduus » legitimam uxorem non desideravit, multinubo » concubinatu voluptatem exercens. Denique ex » una pellicum filium nothum Bertrannum cognomine et hæreditate dignatus est, quòd in » aliquantis patrissaret : cui uxorem conjunxit » Mathildis Marcissæ neptem ex Longobardia » natam [imò Elutam seu Helenam Odonis I » Burgundiæ Ducis filiam] ut illius affinitate » illius provinciæ partes tutaretur. Ipse quoque » extremis ferè annis uxorem ascivit filiam Re» gis Tarraconensis, splendidam dotem pactus, » æternam scilicet provinciarum conterminarum » pacem. Nec multò post nivem capitis respiciens, Jerosolymitanum iter vovit, ut lassi et » effœti corporis vires jam vel serò Deo deservirent, auctore præcipuè Caturcensi Episcopo, » cujus præcipuâ operâ ipse impugnatus semper » fuerat, etiam in quodam duello altero lumine » privatus : cujus insigne calamitatis præ se ferens, non solùm non occultabat, sed etiam » ultrò gloriabatur, specimen nobilis militiæ ostentans. Tunc autem mutuâ fœderati amicitiâ, » ut senectutem suam divinis consumerent cultibus, Urbano jam in prædicationem prono » stimulos addidere, ut transitis Alpibus, potissimùm apud Clarum-montem Concilium co» geret, quòd esset ea civitas et illorum patriæ » propinqua, et ex tota Gallia venientibus opportuna. Verumtamen in ipso ad Concilium itinere » Pontifex [Caturcensis] obitu defecit. Successit » curæ illius Pontifex Podii, cujus hortatibus ani» matus et umbone protectus, Raimundus primus » omnium laïcorum crucem accepit, adjiciens voto » ut nunquam in patriam rediret, sed potiùs du» raturo in Turcos labore ruinam præteritarum » iniquitatum extenuaret ». Falsò libidinis notam Raimundo inurit Malmesburiensis. Neque enim cum aliqua eum muliere extra matrimonium consuevisse alibi legimus. Tres verò habuit in conjugio uxores : quarum prima, cujus nomen incompertum, postquam ei Bertrannum peperisset, ab ipso Gregorii VII Papæ auctoritate quidem separata fuit, eò quòd ejus esset consobrina; nec tamen idcircò pro concubina habita fuit, neque filius ejus pro notho. Alteram duxit uxorem Raimundus Mathildem Rogerii Siciliæ Comitis filiam. Tertiam verò Elviram, Alfonsi Legionis et Castellæ Regis notham.

* *Corr.* Hugoni de Leziniaco.

(*c*) Robertum Guiscardum fraudibus uxoris atque instinctu Alexii Imperatoris veneno subla-

Digitized by Google

denique Willielmum Comitem Pictavensem (*a*) in insidias Turcorum inductum, A
An. 1101. et LX. millibus armatorum privatum, penè solum effugere permisit * : indignatus super ejus responso, quo Græco negaverat hominium. Ipsum postremò Boamundum posteriori tempore contra se venientem, ut injurias peregrinorum ulcisceretur, bis terque insidiis impetivit. Sed cùm parùm promoveret, Guidone fratre et toto penè spoliavit exercitu, notis artibus toxica vel fluminibus vel vestibus infundens....

Pag. 134. Jam verò mense Septembri * Robertus Normannorum Comes, frater Wil-
* An. 1096. lielmi Regis, cujus titulum hic liber gestat, iter illud adoriri gestiens, habuit socios Robertum Flandrensem, Stephanum Blesensem sororis maritum : omnes amplæ prosapiæ Comites et quibus virtus citra genus non erat. Parebant eis Angli et Normanni et Occidentales Franci, et Flandriæ et omnium populorum cunei, qui ab Oceano Britannico usque ad Alpes mediterraneo tractu jacent.... B

Pag. 153. Robertus, filius Willielmi Anglorum Regis primi, natus in Normannia, spectatæ jam virtutis habebatur adolescens, quandò pater Angliam venit, fortitudinis probatæ, quamquam exilis corporis et pinguis aqualiculi. Inter bellicas patris alas excrevit primævo tyrocinio, parenti in omnibus morem gerens : verumtamen juventæ viridem indutus calorem, Normanniam se a patre adhuc vivente, fatuorum sodalium instinctu, impetrare posse speravit. Quod cùm ille negasset, terrisonæ vocis roncho juvenem abigens ; iratus abscessit Robertus,
* An. 1079. multisque assultibus patriam infestavit *, primò quidem excutiente genitore cachinnos, et subindè dicente : « Per resurrectionem Dei, probus erit Robelinus » Curta-ocrea ». (Hoc enim erat ejus cognomen, quòd esset exiguus, cæterùm nihil habens quod succenseres, quia nec illepidæ formæ, nec infaceti eloquii, nec virtutis imbecillæ, nec enervis erat consilii.) Posteriùs verò Rex adeò efferâ C succensus est irâ, ut eum et benedictione ultimâ et hæreditate fraudaret Anglicâ, Comitatu tantùm Normanniæ, ægrè licèt et improbè, retento. Post
* An. 1096. novem annos * Jerosolymitanæ viæ laboribus periculum suæ fortitudinis fecit, et in multis quidem mirabilis apparuit, ut nunquam a Christiano vel Pagano potuerit ex equite pedes fieri ; tum verò maximè in bello Antiocheno, cujus ipse victoriam pulchrâ experientiâ nobilitavit.... Ita Robertus Jerosolymam veniens indelebili maculâ nobilitatem suam respersit, quòd regnum consensu omnium sibi, utpote Regis filio (*b*), delatum recusaret, non reverentiæ, ut fertur, contuitu, sed laborum inextricabilium metu. Verumtamen patriam reverso, in qua licenter se delicatis voluptatibus inserviturum putaverat, affuit pro hac culpa, ut credo, Deus misericorditer ubique sæviens, et omnes ejus dulcedines amarissimis offensionibus offuscans, sicut consequenti scripto palàm fiet. D

Uxorem filiam Willielmi de Conversana, quam rediens in Apuliam duxerat, cujus elegantissimæ speciei prodigium vix ullius disertitudinis explicabit co-
* An. 1103. natus, post paucos annos * morbo amisit, deceptam, ut dicunt, obstetricis consilio, quæ pro affluentis lactis copia puerperæ mammas strictâ præceperat illigari fasciâ (*c*). Sed accessit tantorum malorum grande solatium filius ex conjuge susceptus, qui Willielmus dictus vaticinio nominis aviti spem egregiæ indolis aleret in posterum. Pecuniam infinitam, quam socer ejus dotis nomine annumerarat, ut ejus commercio Normanniam exueret vadimonio, mimorum et nebulonum sinibus ita ingessit, ut pauculis diebus nec nummus superesset.

Pag. 154. Præcipitavit quoque ejus infamiam inconsultus adventus in Angliam, ut regnum Henrico fratri eriperet : sed desertorum qui eum invitaverant destitutus auxilio, germani paci facilè acquievit, utriusque partis ducum arbitrio trium millium E
* An. 1101. marcarum annuum donum ab Anglia verbo tenùs habiturus *. Nam promiserat ista Rex non daturus, sed fratris facilitatem non nesciens, blandam credulitatem luserat, dum interim calor bellicus defervesceret. Porrò ille quasi cum fortuna

tum, itidem affirmant Ordericus Vitalis, Albericus, aliique chronographi, Galli et Angli. Verùm illi silentio revincuntur Guillelmi Apuli et Romualdi Salernitani, quorum potior hac in re auctoritas. Hi quippe nihil nisi vulgare in Guiscardi morte animadvertunt.

(*a*) « Willelmus Comes Pictavensis, Jerosoly-
» mam perrexit multa secum ducens agmina, ut
» æstimarentur LX millia militum et multò plura
» peditum. Ivit cum eo Stephanus Comes Burgun-
» diæ, et Hugo Lizinianensis frater Raimundi Comi-
» tis, et Hugo Magnus et Stephanus Blesensis,
» antiquæ discessionis improperium novâ et exco-
» gitatâ virtute sarcire cupientes ». Sic idem Willielmus Malmesburiensis pag. 149. Ordericus Vitalis *trecenta armatorum millia* Pictaviensi Comiti adhæsisse tradit.

(*b*) Eamdem ob causam Hugo Magnus, Philippi Francorum Regis frater, in Regem assumi debuisset : verùm is Antiochiâ inglorius abscesserat.

(*c*) Sibyllam, Roberti Normanniæ Ducis conjugem, veneno sublatam tradit Ordericus Vitalis.

certaret,

Digitized by Google

A certaret, utrùm plus illa daret, an ipse dispergeret, solâ voluntate Reginæ tacitè postulantis compertâ, tantam massam argenti benignus in perpetuum ignovit, acclives fœminei fastus preces pro magno exosculatus; erat enim ejus in baptismo filiola.

Offensarum igitur immemor erat, culparum quatenùs non debet remissor, omnibus pro voto respondens adeuntibus, ne tristes dimitteret, etiam quæ dare non posset compromittens. Quâ morum dulcedine, quâ laudari et subjectorum amorem mercari debuerat, adeò in contemptum sui Normannos exacuit, ut nullius eum momenti æstimarent. Tunc enim potentum quisque sibi adversari, tunc manubiæ prædarum per totam regionem agi; tunc vulgus exspoliari. Quas incommoditates Comiti provinciales deferentes nullum referebant auxilium, dum ille primò commotus, mox vel munusculo, vel temporis intercessu, irâ
B languescente, leniebatur. Idcircò extremis malis admoniti opem Regis Henrici censuere implorandam, ut laboranti patriæ succurreret. Ille Cæsarianæ sententiæ assistens *, *si violandum est jus, gratiâ civium violandum est, aliis rebus pietatem colas*, non semel in Normanniam vires trajecit, ut laboranti justitiæ manum daret, tantùmque postremò valuit, ut totam terram præter Rotomagum et Falesiam et Cadomum subjugaret : jamque Robertus ad hoc venerat, ut in vicis illis penè se altero vagaretur, precarium victum a burgensibus nundinaturus. Quare offensi Cadomenses non diu in fide mansere; sed Rege per nuntios admonito, portis ferratis et repagulis objectis, urbem clausere. Quo Robertus cognito, effugere gestiens vix permissus est, armigero tamen cum cubiculi pannis retento. Inde raptim Rotomagum veniens, dominum suum Regem Francorum et cognatum Comitem Flandrensem de suffragio convenit; sed
C nullo impetrato, ad bellum publicum venit, ultimam fortunam experturus. Quâ illum infelici pede persequente, captus * et ad diem mortis in libera tentus [est] custodia, laudabili fratris pietate, quòd nihil præter solitudinem passus sit mali; si solitudo dici potest, ubi et custodum diligentia et jocorum præterea et obsoniorum non deerat frequentia. Tenebatur ergo sociorum omnium vitæ superstes, nec unquam usque ad obitum relaxatus (*a*). Patriâ linguâ facundus, ut sit jocundior nullus; in aliis consiliosus, ut nihil excellentius; militiæ peritus, ut si quis unquam : pro mollitie tamen animi nunquam regendæ Reipublicæ idoneus judicatus....

* *f.* assentiens.

* An. 1106.

EX LIBRO QUINTO.

Henricus junior, filius Willielmi Magni, natus est in Anglia, anno tertio post- *Pag.* 135.
D quam pater eam adierat * : infans jam cum omnium votis conspirantibus educatus * An. 1069.
egregiè, quòd solus omnium filiorum Willielmi natus esset regiè, et ei regnum videretur competere.... Vicesimo ergo primo regni paterni anno *, ætatis XIX. * An. 1087.
in Pentecoste apud Westmonasterium sumpsit arma a patre : cum quo tunc Normanniam navigans, non multò post præsens funeri ejus astitit; cæteris fratribus, quò quemque spes tulerat, dilapsis, ut superior sermo non occuluit. Quapropter paternâ benedictione et maternâ hæreditate simul et multiplicibus thesauris nixus, supercilium germanorum parùm faciebat : utrique vel assistens vel adversans pro merito; inclinatior porrò Roberto pro mansuetudine, ejus lenitatem suo rigore satagebat acuere. Contra ille noxiâ facilitate delatoribus credulus, fratrem immeritum injuriis vexabat, quas vel breviter taxare non erit incongruum.

E Eo tempore, quo frementibus adversùs Willielmum II Angliæ Proceribus, An. 1088.
Robertus in Normannia ventum expectabat ad navigandum, Henricus in Britanniam ejus jussu abscesserat. Tum ille, occasione occupatâ, omnem illam pecuniarum vim testamento patris adolescentulo legatam, quæ erat trium millium marcarum, in stipendiarios suos absumpsit. Id Henricus reversus, licèt forsitan ægrè tulisset, taciturnâ præteriit industriâ. Enimverò, nuntiatâ pacis compositione in Anglia, depositâ militiâ, ferias armis dedere : Comes in sua, junior in ea, quæ frater suus dederat vel promiserat, discessit. Namque et in acceptum promissa referebat, custodiens turrim Rotomagi in ejus fidelitatem; sed delatione pessimorum cessit in adversum fidelitas, et nullâ suâ culpâ in ipso

(*a*) In quibusdam exemplaribus: *et utrùm aliquandò sit, exiturus vero vacillante in dubio.* Nempè dum hæc scriberet Willielmus, in vivis adhuc agebat Robertus.

Digitized by Google

eodem loco Henricus liberè custoditus est, ne servatorum diligentiam effugio A
luderet. Post medium annum laxatus, fratri Willielmo invitanti serviturum se
obtulit; at ille nihilò modestiùs ephebum remunerans, plus anno inanibus
sponsionibus egentem distulit. Quapropter Roberto emendationem facti per
nuntios promittente, Normanniam venit, amborum fratrum expertus insidias.
Nam et Rex pro repulsa iratus, ut retineretur frustra mandarat; et Comes accu-
satorum lenociniis mutatus, voluntatem verterat, ut blanditiis attrectatum non
ita facilè mitteret. Verùm ille Dei providentiâ et sagaci suâ diligentiâ cuncta
evadens pericula, occupatione Abrincarum et quorumdam castellorum, coegit
fratrem libenter paci manum dedere : nec multò post Willielmo veniente in
Normanniam, uti se de fratre Roberto ulcisceretur, Comiti obsequelam suam
exhibuit Rotomagi. Proventus denique regios eò interdiu venientes, qui
dolo civium totam jampridem occupaverant urbem, probè expulit : admonito B
per nuntios Comite, ut ille a fronte propelleret quos ipse a tergo urgeret. Undè
* An. 1090. factum est * ut Conanum quemdam proditionis apud Comitem insimulatum,
quem ille vinculis irretire volebat, arbitratus nihil calamitosius posse inferri
misero quàm ut exosum spiritum in ergastulo traheret : hunc ergo Conanum
Henricus suæ curæ servatum iri postulavit. Quo concesso, in superiora Roto-
magensis turris eum duxit, jussoque ut latè circumposita diligenter ex arcis
edito specularetur, sua per ironiam omnia futura pronuntians, inopinum ex
propugnaculo deturbans, in subjectam Sequanam præcipitavit : comitibus qui
secum aderant pariter impellentibus, protestatus nullam vitæ moram deberi
traditori; quoquomodò alieni hominis posse tolerari injurias; illius verò, qui
juratus fecerit hominium, nullo modo posse differri supplicium, si fuerit pro-
batus perfidiæ. Parùm hic labor apud Robertum valuit, virum animi mobilis, C
qui statim ad ingratitudinem flexus, benè emeritum urbe cedere coegit. Illud
* An. 1091. fuit tempus *, quo, ut supra lectum est, apud Montem S. Michaelis ambobus
fratribus Henricus pro sui salute simul et gloria restitit. Ita cùm utrique ger-
mano fuerit fidelis et efficax; illi nullis adolescentem possessionibus dignati,
ad majorem prudentiam, ævi processu, penuriâ victualium informabant.

Pag. 156. Occiso verò Rege Willielmo, ut supra dictum est, post justa funeri regio
An. 1100. persoluta, in Regem electus est : aliquantis tamen antè controversiis inter
Proceres agitatis atque sopitis, annitente maximè Comite Warwicensi Henrico,
viro integro et sancto, cujus familiari jamdudùm usus fuerat contubernio. Itaque
edicto statim per Angliam misso, injustitias a fratre et Ranulpho institutas pro-
hibuit, pensionum et vinculorum gratiam fecit; effœminatos curiâ propellens,
lucernarum usum noctibus in curia restituit, qui fuerat tempore fratris inter- D
* *Al.* soli- missus; aliquarum moderationem legum revocavit in solitum *, sacramento
dum. suo et omnium Procerum, ne luderentur, corroborans. Lætus ergo dies visus
est revirescere populis, cùm post tot anxietatum nubila serenarum promissio-
num infulgebant lumina. Et ne quid profectò gaudio accumulato abesset, Ra-
nulpho nequitiarum fæce tenebris ergastularibus incluso, propter Anselmum per-
* *Al.* statim. nicibus nunciis directum [est]. Quapropter certatim * plausu plebeio concrepante,
in Regem coronatur Londoniæ, Nonis Augusti, quarto post obitum fratris die.
Hæc eò studiosiùs celebrabantur, ne mentes Procerum electionis quassarentur
pœnitudine; quòd ferebatur rumor Rodbertum Normanniæ Comitem ex
Apulia adventantem jamjamque affore. Nec multò post, suadentibus amicis ac
maximè Pontificibus, ut, remotâ voluptate pellicum, legitimum amplecteretur
* An. 1100. connubium, die S. Martini * accepit Mathildam, filiam Malcolmi Regis Scot-
* *f.* amor. torum, cujus amori * jampridem animum impulerat, parvipendens dotales divi- E
tias, dummodò diu cupitis potiretur amplexibus. Erat enim illa licèt genere
sublimis, utpotè Regis Edwardi ex fratre Edmundo abneptis, modicæ tamen
domina supellectilis, utroque tunc parente pupilla....

Robertus interea Normanniam veniens Comitatum suum obsistente nullo
recepit. Quo audito, omnes penè hujus terræ Optimates fidei Regi juratæ
transfugæ fuere, quidam nullis extantibus causis, quidam levibus occasiunculis
emendicatis, quòd nollet iis terras quas vellent, ultrò pro libito eorum impar-
tiri. Soli Robertus filius Haymonis, et Ricardus de *Recuers*, et Rogerius
Bigod, et Robertus Comes de Mellento cum fratre Henrico, justas partes
fovebant. Cæterùm omnes vel clam pro Roberto, ut Rex fieret, mittere; vel

Digitized by Google

A palam contumeliis dominum inurere, Godricum eum et comparem Godithani appellantes. Audiebat hæc ille, et formidabiles cachinnos iram differens ejiciebat, stultitias fatuorum insaniâ objectas artificioso silentio dissolvens, blandus odii dissimulator, sed pro tempore immodicus retributor. Accessit temporum turbini versutia Ranulfi. Namque ille, sollicitato per nuncios Dapifero suo, funem sibi afferri impetravit... quo ille muro terris demissus, (si læsit brachia, si excoriavit manus, parùm curat populus), inde Normanniam evadens, Comiti jam anhelanti et in fervorem prælii prono addidit calcaria, ut incunctanter veniret.

Secundo ergo Henrici anno, mense Augusto, applicans apud *Potthesmouth*, copias suas in omnem regionem exposuit, effudit, objecit. Nec vero Rex segnitiei deditus fuit, sed innumeram e regione manum contraxit, dignita- B tem suam, si necesse foret, asserturus. Nam licèt Principibus deficientibus, partes ejus solidæ manebant, quas Anselmi Archiepiscopi cum Coepiscopis suis, simul et omnium Anglorum tutabatur favor. Quapropter ipse provincialium fidei gratus et saluti providus, plerumque cuneos circuiens, docebat quomodò militum ferociam cludentes, elypeos objectarent et ictus remitterent : quo effecit ut ultroneis votis pugnam deposcerent, in nullo Normannos metuentes. Sed satagentibus sanioris consilii hominibus, qui dicerent pietatis jus violandum, si fraterna necessitudo prælio concurreret, paci animos accommodavere : reputantes quod si alter occumberet, alter infirmior remaneret, cùm nullus fratrum præter ipsos superesset. Sed et trium millium marcarum promissio levem Comitis fallebat credulitatem, ut procinctu soluto, de tanta pecunia menti blandiretur suæ, quam ille posteriori statim anno voluntati Reginæ C libens, quod illa peteret, condonavit. An. 1101.

Posteriori anno rebellavit Robertus de Belesmo, major filiorum Rogerii de Monte-gomerico, obfirmans contra Regem castella Brigas et Arundellum : comportatum eò frumentum ex omni regione *Scrobesberie*, et quidquid necessarium bellum efflagitat, devectum. Nec minùs castellum Scrobesberiense rebellionì consensit, Wallensibus pro motu fortunæ ad malum pronis. Rex itaque animo rigens, omniaque adversa virtute premens, militiâ coactâ, Brigas ob- An. 1102.

sedit, unde jam in Arundellum transierat Robertus, alimentorum copiâ et militum ferociâ satis abundèque munitum locum præsumens. Sed paulos post dies oppidani, et formidine conscientiæ et fortitudine regiæ militiæ flexi, se dedidere. Quo audito, ab incepto tumore Arundellum destitit, regali se addi- *Pag.* 157. cens clientelæ, egregiâ sanè conditione, ut dominus suus integrâ membrorum D salute Normanniam permitteretur abire. Porrò Scrobesberienses per Radulphum, tunc Abbatem Sagii, postea Cantuariæ Archiepiscopum, Regi misere castelli claves, deditionis præsentis indices, futuræ devotionis obsides. Ita dissensionis incendium, quod putabatur fore magnum, paucissimis diebus in cineres consenuit, et desertorum, semper novis rebus inhiantium, aviditatem coercuit Robertus cum fratribus, Ernulpho qui paternum cognomen sortitus fuerat, et Rogero Pictavensi, quod ex ea regione uxorem acceperat sic dicto, Angliam perpetuo abjuravit, sed vigorem sacramenti temperavit adjectio, nisi Regi placito quandoque satisfecisset obsequio.

Tunc fax bellorum immissa Normanniæ, perfidorum admixtione quasi rogalibus alimentis animata convaluit, circumquaque posita corripiens. Est enim Normannia opportuna et patiens malorum nutricula, quamvis non multo tractu regionum diffusa. Itaque diu seditiones intestinas probe tolerat, et pace redditâ E in fœcundiorem statum maturè resurgit, turbatores suos illius provinciæ diffisos, cum libuerit, in Franciam liberis anfractibus emittens. Contrà Anglia nec diu infestos patitur, sed semel intra sinum suum receptos vel dedit *, vel extinguit, nec populatibus attrita redivivum citò caput attollit. Quocirca Normanniam Belesmitanus veniens, et tunc et deinceps habuit malignitatis suæ complices, et (ne parùm videretur) illices. In his erat Willielmus Comes Moretolii, filius Roberti Regis patrui. Is semper a puero Henrici gloriæ invidus, tum maximè in adventu Normanni pravum animum extulit. Non enim contentus duobus Comitatibus, Moretolii in Normannia et Cornugalliæ in Anglia, Comitatum Cantiæ quem Odo patruus habuerat, a Rege exigebat, infestus et improbus adeò, ut infamiâ * arrogantiâ se devotaret non induturum cla- * sic *f.* cædit. * *f.* insanâ.

Digitized by Google

mydem, nisi a patrùo (ut dictitabat) sibi refusam consequeretur hæreditatem. A
Sed tunc quidem suspensi calliditate responsi frustratus est Rex prudentissimus
hominem. Discussis verò turbinibus, serenâque pace redditâ, non solùm quæ
petebat non annuit, verùm etiam indebitè retenta repetere cœpit : modestè
tamen et judiciali placito, ut nihil quod faceret videretur resultare juri et
calcitrare ab æquo. Tunc verò Willielmus sententiâ judicii expunctus, indi-
* An. 1104. gnabundus et fremens Normanniam abiit *. Ibi præter assultus quos regiis cas-
tellis irritus fecerat, in Richardum quoque Comitem Cestrensem, Hugonis
filium, debacchatus, nonnulla partibus ejus appendicia invasit, carpsit, abrasit.
Erat ille tunc pro ætate parvulus, et Regis fidei tutelæque commendatus.

Hi ergo duo factionum capita, rebellionum incentiva, cum aliis quos no-
minare pudet, patriam populationibus latè contristabant, consumebanturque
frequentes, sed cassæ apud Comitem querelæ provincialium, de violentia B
clamantium. Movebatur his ille; sed rebus suis timens, ne exacerbati ejus in-
terpolarent otium, dissimulabat. At verò Rex Henricus pro fratris infamia,
quam cumulabat patriæ miseria, dolorem transeuntem ferre nequibat : crudele
et a boni Principis officio longè esse permensus, quòd impii homines pauperum
fortunis ingluviem suam urgebant (*a*). Itaque fratrem ad se accitum in Angliam
semel blandè verbis, post verò in Normanniam veniens non semel durè bellis
admonuit, ut Comitem, non Monachum ageret. Nam et incentori Willielmo
omnia quæ habebat in Anglia abstulit, castella ad solum complanavit. Sed cùm
ad pacem nihil promoveret, diu deliberatione consilii Regia sublimitas curis
pectus exercuit; utrùm fraternæ necessitudinis oblitus, patriam discrimini eri-
peret; an indiscretam pietate fluctuare permitteret. Et profectò commune com-
modum et pietas, privatæ necessitudinis intuitu, terga dedisset; nisi, ut aiunt, C
Paschalis Apostolicus dubitantem ad opus epistolis impelleret (*b*) : asseverans
facundiâ quâ vigebat, non fore civile bellum, sed præclaræ patriæ prædicandum
emolumentum. Itaque Normanniam veniens, brevi totam cepit, vel potiùs
recepit; omnibus ad ejus dominium confluentibus, ut fessæ provinciæ, vi-
gore quo pollebat, consuleret. Non tamen sine sanguine tantam victoriam
consummans, multos ex carissimis amisit; inter quos Rogerium de *Glocestre*,
probatum militem, in obsidione Falesii arcubalistæ jactu in capite percussum :
præterea Robertum filium Haimonis, qui conto ictus tempora, hebetatusque
ingenio, non pauco tempore quasi captus mente supervixit. Meritò mulctatum
ferunt, quòd ejus liberandi causâ Rex Henricus Bajocas civitatem cum prin-
cipali Ecclesia ignibus absumpserit. Sed utrique, ut speramus, purgabile fuit;
nam et detrimenta Ecclesiæ Rex mirificè resarcivit, et Robertus Monasterium D
Theochesberiæ suo favore, non facile memoratu quantùm exaltavit, ubi et
ædificiorum decor et Monachorum caritas adventantium rapit oculos et allicit
f. ingruenti animos. Horum dispendium ut fortuna sarciret, summam manum ingruente *
bello imposuit, venientemque contra se cum non contemnenda manu fratrem,
Pag. 158. et Willielmum Comitem Moretolii et Robertum Belesmi, ditioni ejus facili
* *Tinchebrai.* operâ contradidit. Hoc bellum actum est apud *Tenersebrei* * castellum Comitis
* An. 1106. Moritoliensis, Sabbato in S. Michaelis vigiliâ *. Idem dies ante XL circiter
annos fuerat, cùm Willielmus I Hastingas appulit; provido forsitan Dei judicio,
ut eo die subderetur Angliæ Normannia, quo ad eam subjugandam olim
venerat Normannorum copia. Captus est ibi Comes Moretolii, qui eò ve-
nerat studiosam sui operam oppidanis pollicitus, simul et injurias suas ultum
iri sperans : sed, ut dixi, pressus, squaloris carcerei totâ vitâ accolatum acce- E
pit, vivacitate mentis et alacritate juventutis non nihil laudandus, sed pro

(*a*) Pietatis obtentu Henricum propriis commodis multò magis prospexisse, testis est Malmesburiensis idem libro I de Gestis Pontificum Anglorum, apud eumdem *Savile*, p. 227 : *Accessit*, inquit, *serenitati temporum felicitas Regis, a quo tunc temporis in Normannia Robertus frater suus captus et in vincula conjectus est, multique alii, quos vel jam pro importunitate oderat, vel pro rebellione timebat. Videbaturque debitum talionem rependere fratri, quòd illum quieto regno sollicitaverat; simulque mentiebatur illum minùs habilem ad gubernandam Rempublicam pro lenitate ingenii, quod videret Normanniam suam, gerialem amborum patriam, ab improbissimis grassatoribus vastari, nec nosset tueri.*

(*b*) Nullum in epistolis Paschalis, quæ supersunt, ad Henricum Angliæ Regem, similis adhortationis vestigium occurrit. Imò Pontifex idem ad Anselmum Cantuariensem Archiepiscopum scribens, hortatur ipsum ut Regem cum fratre conciliet. *Significamus*, inquit, *dilectioni tuæ, Normannorum Comitem questum apud nos esse adversùs Anglorum Regem, quia et fracto sacramento, quod ei pro eodem regno acquirendo fecerat, regnum invaserit. Et nosti quia eidem Comiti debemus auxilium, pro laboribus quos in Asianæ Ecclesiæ liberatione laboravit.* Anselmi Op. nov. edit. p. 382. col. 2.

Digitized by Google

A perfidia finem asperum emeritus. Et tunc quidem Belesmensis in ipso exordio mortem cavit effugio; sed dum postmodùm clandestinis factionibus Regem irritasset, et ipse captus * cæterorum involutus est periculo, ad mortem perpetuo inclusus ergastulo (*a*) : vir pro incompositis moribus intolerabilis et in aliorum delicta inexorabilis. Præterea sævitiâ notabilis cum in aliis, tum in hoc quòd puerulum in baptismo filiolum, quem in obsidatum acceperat, pro modico delicto patris excæcaverit, lumina miselli unguibus nefandis abrumpens : simulationis et argutiarum plenus, frontis sereno et sermonum affabilitate credulos decipiens, gnaros autem malitiæ exterritans, ut nullum esset majus futuræ calamitatis indicium, quàm prætensæ affabilitatis eloquium. * An. 1112.

Ita Rex clarus successibus, ovans in regnum regressus est, compositâ pace in Normannia, qualem nulla ætas meminit, qualem nec ipse pater magno
B illo rerum et verborum fastu unquam efficere potuit. In cæteris quoque genitoris æmulus, rapinas curialium, furta, stupra edicto compescuit, deprehensis oculos cum testiculis evelli præcipiens. Contra trapezitas, quos vulgò monetarios vocant, præcipuam sui diligentiam exhibuit, nullum falsarium quin pugnum perderet impunè abire permittens, qui fuisset intellectus falsitatis suæ commercio fatuos irrisisse....

Wallenses Rex Henricus semper in rebellionem surgentes crebris expeditionibus in deditionem premebat; consilioque salubri nixus, ut eorum tumorem extenuaret, Flandrenses omnes Angliæ accolas eò traduxit. Plures enim, qui tempore patris pro matris paterna cognatione confluxerant, occultabat Anglia, adeò ut ipsi regno pro multitudine onerosi viderentur. Quapropter omnes cum substantiis et necessitudinibus apud *Ros*, provinciam Walliarum, velut in sen-
C tinam congessit, ut et regnum defæcaret, et hostium brutam temeritatem retunderet....

Britones transmarinos, quos adolescens vicinos castellis suis Danfronto et Monti Sancti Michaelis habuerat, pecuniis ad obsequium transducebat. Est enim illud genus hominum egens in patria, aliàsque externo ære laboriosæ vitæ mercatur stipendia. Si dederis, nec civilia sine respectu juris et cognationis detrectans prælia; sed pro quantitate nummorum ad quascumque voles partes obnoxium. Hujus consuetudinis ille non inscius, si quando opus habuisset stipendiariis militibus, multa perdebat in Britones, fidem perfidæ na- *Pag.* 159
tionis nummis suis mutuatus.

Robertum Comitem Flandriæ primis regni sui temporibus offendit, hâc causâ : Baldwinus senior, hujus Roberti avus, Willielmum in Angliam ve-
D nientem, arguto quo pollebat consilio et militum additamento vivaciter juverat. His ille illustres crebrò retributiones refuderat : omnibus, ut ferunt, annis trecentas argenti marcas pro fide et affinitate socero annumerans. Ea munificentia in filio Baldwino non imminuta, hæsit in Roberti Frisonis malitia, quam superior non præteriit sermo. Porrò iste Robertus, Frisonis filius, omissum munus a Willielmo II non difficulter impetraverat; quòd et is cognationem prætenderit, et ille invictum animum in spargenda pecunia haberet. Verùm Henricus majori pondere rem ventilans, ut nec indebitè adamaret pecunias, nec nisi debitè dilapidaret habitas, Roberto ab Jerosolyma reverso, et quasi pro imperio trecentas argenti marcas exigenti in hanc respondit sententiam : non solitos Reges Angliæ Flandritis vectigal pendere, nec se velle libertatem majorum maculâ suæ timiditatis fucare. Quapropter si suo committat
E arbitrio, libenter se, quod opportunitas siverit, ut cognato et amico dare; si verò in exactione permanendum putaverit, omninò negare : hâc ille ratione dejectus, animum * multo tempore in Regem tumuit; sed parùm aut nihil simultatibus adjutus, mansuetudini mentem accommodavit (*b*) : expertus Regem posse flecti precariò, non fastu tyrannico. Jam verò Baldwino filio ejus varietas temporum causas irarum in Regem dedit. Siquidem Willielmum filium Roberti Normanni volens hæreditati intrudere, alienis se spontè negotiis immiscuit, * sic.

(*a*) Cùm Robertus Bellismensis anno 1112, Franciæ Regis nomine legatus Angliæ Regem in Normannia de pace convenisset, protinùs is ipsum, spreto jure gentium, comprehendi jussit, captivumque in Warhamense Angliæ castrum ablegavit.

(*b*) Ex duabus cartis a Rymero T. I. p. 1. editis, atque a nobis olim aptiori loco recudendis, constat Henricum non solùm trecentas, immò quadringentas Roberto Flandrensi pactum fuisse marcas annuatim solvendas, eâ lege ut cum mille sibi militibus stipendia faceret.

Digitized by Google

crebròque castella Regis in Normannia inopinatis fatigabat assultibus; magnum incommodum, si fata sivissent, terræ minatus. Sed apud Archas majori manu militum quàm timebat exceptus; mortem maturavit, crebris ictibus, galeâ
An. 1118. quassatâ, cerebrum violatus. Causam ferunt morbi augmentati, quod eâ die allium cum auca præsumpserit, nec nocte Venere abstinuerit (*a*). Hic intueantur posteri eximium regalis pietatis exemplum, quòd medicum peritissimum decumbenti miserit : illacrymatus, si credimus, morbo perire, quem pro admiratione fortitudinis salvari maluisset. Successor ejus Carolus nullâ molestiâ vires Regis inquietavit; primò fœdere suspenso, mox etiam confirmato, amicitiam ejus amplexus.

Philippus Rex Francorum Regi nostro nec utilis, nec infestus fuit; propterèa quòd esset ventri magis quàm negotiis deditus, nec præterea castellis ejus collimitaneus. Pauca enim quæ tunc habebat in Normannia, magis Britanniæ quàm Franciæ vicina erant. Adde quòd, ut superiùs dixi, Philippus, accedente senio, libidine gravis, Comitissæque Andegavensis [Bertradæ] specie lusus, illicitis ardoribus defœneratus, fabulabatur. Quocirca ab Apostolico excommunicatus, cùm in villa quâ mansitabat, nihil divini servitii fieret, sed discedente eo, tinnitus signorum undique concreparent, insulsam fatuitatem cachinnis exprimebat : « Audis, inquiens, bella, quomodò nos effugant? » Adeò erat omnibus Episcopis provinciæ suæ derisui, ut nullus eos desponsaret, præter Willielmum Archiepiscopum Rotomagensem (*b*) : cujus facti temeritatem luit, multis annis interdictus, et vix tandem aliquandò per Anselmum Archiepiscopum Apostolicæ communioni redditus. Philippo interea nulla mora insanæ temulentiæ satietatem fecit, nisi quòd in extremo vitæ tactus morbo, monachicum apud Floriacum accepit habitum (*c*) : pulchriùs et fortunatiùs illa, quòd ætate et sanitate integra, nec specie rugata apud Fontem-Evraldi Sanctimonialium appetiit velum, nec multo post præsenti vitæ valefecit : Deo forsitan providente non posse delicatæ mulieris corpus religionis laboribus inservire.

At verò Ludovicus, filius Philippi, varium se præstitit, in neutra parte benè constans. Primo enim tempore plurimus in fratrem irarum, auctor Henrico ad capiendam Normanniam fuit, corruptus videlicet Anglorum spoliis et multo Regis obryzo : non quòd ille obtulerit, sed quòd alter invitaverit, ultrò adhortans ne clarissimæ olim patriæ nervos dissimulatione suâ succidi sineret. Postea verò simultas inter eos exorta est pro Theobaldo Comite Blesensi, filio
* *Leg.* qui. Stephani, qui apud Ramulam occubuit, quòd * Theobaldus susceptus erat Stephano ex Adela filia Willielmi Magni. Diu igitur ex parte Regis nostri labores viarum consumpserunt nuncii, ut dignaretur Ludovicus satisfactionem
Pag. 160. Theobaldi. Ille verò parvi faciens preces, Theobaldum ab Apostolico denotari fecit quasi arrogantem et Deo rebellem : qui præter austeritatem morum, quæ omnibus videbatur intolerabilis, ferebatur dominum suum fraudare avitis possessionibus. Itaque diu productis inimicitiis, cùm uterque grossùm tumeret, nec

(*a*) De loco ubi vulneratus est Balduinus, nec de ipso ubi interiit, nec de mortis tempore, consentiunt Historici. Alii enim ante Archas, alii ante castrum Aucense percussum fuisse asserunt. Plures Albemarlæ uno aut altero post acceptum vulnus mense spiritum exhalasse contendunt. Flandri verò Scriptores Rossilariam continuò deductum, postquam ibi novem ferme mensibus ægrotus jacuisset, XV Cal. Julii obiisse tradunt. Denique in antiquis Berthiniensium monumentis legitur Balduinum habitu monastico indutum decem menses ad usque obitum in hoc Cœnobio exegisse, ubi humatum eum fuisse sepulcrum ejus, quod Joannis Iperii tempore adhuc extabat, manifestè testabatur. « De hoc Comite, inquit Meyerus, Ann. » Fland. l. IV. ad an. 1119, Scriptoris cujusdem » mihi ignoti appingam verba; ea sunt hujus- » modi » : *Eo tempore, Henricus Anglorum Rex fratrem suum Robertum Normanniæ Ducem de Terra-Sancta revertentem in vincula conjecit, eò quòd regnum Angliæ, ut maximus stirpis, quod ille occupaverat, repeteret. Cujus filius Guillelmus exhæredatus ad hunc Balduinum Comitem consanguineum suum confugit : quem iste Comes nutriens et militaribus armis instruens, cùm annum decimum octavum attigisset, contra patruum suum Angliæ Regem Henricum eum rebellare admonens, sæpè cum eo Normanniam gravibus incursionibus infestabat. Sic ergo juvenis iste Balduinus, bellis assuetus et frequentibus triumphis decoratus, tantis laudibus effulsit, ut fama virtutis ejus per omnes diffunderetur regiones; cujus sicut virtus supra modum ætatis ejus subitaneis incrementis emicuit, sic occultâ Dei dispositione cœptis ejus obviante, diu durare non potuit. Nam cùm dictum juvenem Guillelmum in paternam hæreditatem restituere nititur, Normanniamque sæpiùs infesta, scuto ipsius, ut fertur, ictu cujusdem militis fronti ejus illiso, graviter vulneratur, eoque vulnere tandem vitam cum Principatu, nullâ superstite prole, amisit, anno sui principatûs octavo.* Hæc ille.

(*b*) Odoni Bajocensi Episcopo, fratrique Guillelmi Conquestoris uterino, id facinoris attribuit Ordericus Vitalis, Urbanus verò II. PP. (*ep. qd. Raynaldum Archiep. Rem.*) Ursioni Episcopo Silvanectenii.

(*c*) Philippus Rex conscientiæ sollicitudine vexatus, paucis ante obitum annis monasticam quoque vitam amplectendi consilium quoddam mente agitaverat, ut ex epistola Hugonis Abbatis Cluniacensis ad eum scripta, atque a nobis edenda patebit. Verùm hoc propositum in fumos abiisse compertum est.

Digitized by Google

A alter alteri pro persona cederet ; Ludovicus Normanniam venit, inflatiori anhelitu latè omnia exhauriens. Nunciabantur hæc Regi, qui apud Rotomagum se continebat, quoad vulgus militum aures ejus infestaret : pateretur repelli Ludovicum, hominem aqualiculi pondere olim lectum foventem, sed nunc pro dissimulatione sua minis auras onerantem. Ille paterni memor exempli, fatuitatem Franci patientiâ extundere, quàm viribus repellere malebat (*a*). Quin etiam milites benignè appellando hâc ratione mulcebat : non debere eos mirari, si sanguinis eorum prodigus esse caveret, quos sibi fideles non modicis experimentis approbasset ; impium esse ut ad regnum sibi parandum eorum glorietur mortibus, qui vitam suam pro ejus salute ultroneis devoverant certaminibus ; illos regni sui nutritos pietatis alumnos, quapropter boni Principis se velle sequi exemplum, ut modestiâ suâ eorum remoretur impetum,
B quos ita paratos pro se videat ad moriendum. Postremò cùm videret prudentiam suam sinistrâ interpretatione turbari et ignaviam vocari, in tantùm ut Ludovicus propè Rotomagum quatuor milliariis ignes faceret, prædas ageret ; majori fortitudine vim animi concussit, et procinctu parato vicit egregiè, præteritas dissimulationes feroci puniens victoriâ. Verumtamen aliquantò post pax parta est.... Quare Willielmus, filius Regis nostri, homagium Regi Francorum de Normannia fecit, jure legitimo de eo provinciam cogniturus. Illud fuit tempus quo idem puer filiam Fulconis Comitis Andegavensis despondit et accepit, patris prudentiâ satagente ut hinc pecuniâ, hinc affinitate mediante, nihil contra filium turbaretur. An. 1119.

His diebus Calixtus Papa, de quo posteriùs dicam plura, præsentiam suam propè Normanniam exhibuit (*b*) : cujus colloquio potitus Rex Angliæ, Ro-
C manos prudentiam Normannorum mirari et prædicare coegit. Namque ille, ut fertur, infesto venerat animo, ut eum asperiùs convèniret : quare fratrem et S. Sepulcri pêregrinum in captione teneret. Sed responso Principis, quod erat simile veri, et probabilibus argumentis perstrictus, parùm contra retulit. Possunt enim communes * ad quamlibet partem inflecti pro facundia orationis, præsertim cùm non contemnatur eloquentia, quam præterea condiunt xenia. Et ut nihil cumulatæ pompæ deesset, adolescentulos clarissimi generis, filios Comitis de Mellento, ut contra Cardinales de dialectica disputarent, subor-
D navit : quorum tortilibus sophismatibus cùm pro vivacitate rationum obsisti nequiret, non puduit Cardinales confiteri, majori occiduas plagas florere litterarum peritiâ, quàm ipsi audissent aut putassent in patria (*c*). Itaque hæc collocutio hunc finem habuit, ut pronuntiaret Apostolicus nihil Anglorum Regis causâ justius, prudentiâ eminentius, facundiâ uberius.

* *f.* causæ.

Horum puerorum pater erat Comes de Mellento Robertus, ut dixi, filius Rogerii de Bello-monte, qui Pratellum * Cœnobium Normanniæ construxit : homo antiquæ simplicitatis et fidei, qui crebrò a Willielmo I invitatus ut Angliam veniret, largis ad voluntatem possessionibus munerandus, supersedit : pronuntians patrum suorum hæreditatem se velle fovere, non transmarinas et indebitas possessiones vel appetere vel invadere. Hic duos filios habuit, Robertum istum et Henricum. Henricus Comes Warwicensis ; dulcis et quieti animi vir, congruo suis moribus studio vitam egit et clausit : alter astutior et pro moribus ad versutiam cordis, præter paternam hæreditatem in Normannia et
• ingentia prædia in Anglia, castellum quod matris suæ frater, Hugo filius Gualeranni tenuerat, Mellentum nomine, a Rege Franciæ nundinatus est pecuniâ.
E Qui cùm superiorum Regum tempore, spe sensim pullulante, in gloriam procederet, hujus [Henrici] ætate summo provectu effloruit, habebatque ejus consilium, quasi quis divinum consuluisset sacrarium. Jamque non immeritò assecutus æstimabatur, quòd esset ævi maturus ad consulendum, suasor concordiæ, dissuasor discordiæ, et prorsùs ad quod intenderet pro viribus eloquentiæ citissimus persuasor. Ingentis in Anglia momenti, ut inveteratum vestiendi vel comedendi exemplo suo inverteret morem. Denique consuetudo semel prandendi in omnium optimatum curiis per eum frequentabatur, quam ipse causâ bonæ vale-

* *Préaux.*

(*a*) Gentilitio morbo laborare se demonstrat Anglicus scriptor, cùm hæc in Ludovicum jaculatur.

(*b*) A Remensi Concilio reversus, quod mense Octobri anno 1119 habitum est, Callistus Angliæ Regem Gisortium convenit.

(*c*) Fabulam nostro quidem judicio sapit hæc narratiuncula.

Digitized by Google

tudinis acceptam... suo, ut dixi, cæteris refudit exemplo. Quod tamen magis A
parcitate dapsilitatis fecisse et docuisse, quàm timore cruditatis et indigeriei
immeritò culpatur ; quia nemo eo, ut fertur, in dapibus aliis sumptuosior, vel
sibi moderatior fuit. In placitis propugnator justitiæ, in guerris provisor vic-
toriæ ; dominum Regem ad severitatem legum custodiendam exacuens, ipse
non eas sequens, sed proponens ; expers in Reges perfidiæ, in cæteros ejus
persecutor (*a*).

Sed enim ut ad Henricum regrediatur oratio, erat ille in rebus suis provi-
Pag. 162. dendo efficax, defendendo pertinax, bellorum quatenùs posset cum honestate
* Sic. repressor, cùm verò decrevisset non pati, impatiendus * injuriarum exactor,
obvia pericula virtutis umbone decutiens : odii et amicitiæ in quemlibet tenax,
in altero nimio irarum æstui, in altero regiæ magnanimitati satisfaciens : hostes
videlicet ad miseriam deprimens, amicos et clientes ad invidiam efferens ; B
nam et hanc curam vel primam vel maximam boni Principis philosophia pro-
ponit, ut parcat subjectis, et debellet superbos. Justitiæ rigore inflexibilis,
provinciales quietè, Proceres dignanter continebat : fures et falsarios latentes
maximâ diligentiâ perscrutans, inventos puniens ; parvarum quoque rerum non
negligens, cùm nummos fractos, licèt boni argenti, venditoribus non recipi
audisset, omnes vel frangi vel incidi præcepit. Mercatorum falsam ulnam cas-
tigavit, brachii sui mensurâ adhibitâ, omnibusque per Angliam propositâ.
Curialibus suis, ubicumque villarum esset, quantùm a rusticis gratis accipere,
quantùm et quoto pretio emere debuissent, edixit, transgressores vel gravi
pecuniarum mulcta vel vitæ dispendio afficiens : principio regni, ut terrore
exempli reos inureret, ad membrorum detruncationem, post ad pecuniæ solu-
tionem proclivior. Pro morum ergo prudentia, ut ferè fert natura mortalium, C
optimatibus venerabilis, provincialibus amabilis habebatur. Quòd si qui ma-
jorum jurati sacramenti immemores a fidei tramite exorbitarent, continuò et
consiliorum efficaciâ et laborum perseverantiâ erroneos revocabat ad lineam,
per asperitatem vulnerum dètrectantes reducens ad sanitatem animorum. Nec
facilè quàm diuturnos sudores in talibus effuderit, enumerem, dum nihil pa-
titur inultum, quod a delinquentibus commissum dignitati suæ non esset con-
sentaneum. Pugnarum erat maxima causa Normannia, ut antè dixi, in qua ipsé
pariter multis annis degens Angliæ quoque prospiciebat, nullo audente caput
erigere, dum ille audaciam, ille susciperet prudentiam. Nec verò propter re-
bellionem aliquorum Procerum unquam suorum appetitus est insidiis, nisi
semel. Auctor earum fuit quidam cubicularius, plebeii generis patre, sed pro
regiorum thesaurorum custodia famosi nominis homine natus. Is deprehensus et D

(*a*) Ut encomii hujusce veritas æstimetur, præstat huic effigiem Comitis ejusdem ab Henrico Huntindoniensi ad Valterum amicum scribente depictam subjungere. « Fuit, *inquit*, Robertus » Consul *de Mellent*, in rebus sæcularibus sapien- » tissimus omnium hinc usque in Jerusalem dege- » nerum *, fuit scientiâ clarus, eloquio blandus, » astutiâ perspicax, providentiâ sagax, ingenio » versipellis, prudentiâ insuperabilis, consilio » profundus, sapientiâ magnus. Possessiones ma- » gnas et varias, quas vulgò vocant honores, » urbes et castella, vicos et villas, flumina » et sylvas, prædictis acquisierat instrumentis. » Erant autem honores ejus non solùm in Anglia, » verùm et in Normannia et in Francia. Pro li- » bitu suo Reges Francorum et Anglorum nunc » concordes uniebantur, nunc discordes præ- » liabantur. Si adversùs aliquem insurgebat, » contritus humiliabatur ; si prodesse volebat, » gloriosus exaltabatur. Hinc thesauri copia, auri » scilicet et argenti, gemmarum et palliorum » incredibiliter ei confluxit. Cùm igitur in summo » statu gloriæ suæ degeret, contigit quemdam » alium Consulem sponsam ei, tam factione quàm » dolosis viribus, arripuisse. Unde in senectute » sua mente turbatus et angariâ obnubilatus, in » tenebras mœroris incidit, nec usque ad mor- » tem se lætum vel hilarem sensit. Cùm autem » post dies dolori dedicatos in infirmitatem mor- » tis prænuntiam incidisset, rogatus ab Archie- » piscopo et Sacerdotibus, cùm ei confessionis » purgatorium impenderent officium, ut terras » quas vi vel arte multis abstulerat, pœnitens » redderet, et erratum lacrymis lavaret : quibus » respondens ait : *si terras quas aggregavi multifa- » riam divisero, quid miser filiis meis relinquam ?* Cui » contra ministri Domini : *sufficerent filiis tuis » hæreditates pristinæ, et quas justè terras acquisisti ; » cætera redde : alioquin animam devovisti gehennæ.* » Respondit autem Consul : *filiis omnia tradam, ipsi » pro salute defuncti misericorditer agant.* Eo au- » tem defuncto, filii ejus magis injustè congre- » gata injustè studuerunt augere, quàm aliquid » pro salute paternâ distribuere. Liquet igitur » summam viri sapientiam, in fine quâ laus » canitur, non solùm in summam stultitiam, » sed in cœcam devenisse insaniam ». (*Spicil. in-fol.* T. III. p. 505. *in-4°.* T. VIII. p. 184.) Elisabetham porrò Hugonis Magni, Viromanduorum Comitis filiam, Robertus in uxorem anno 1096 duxerat, cum venia Romani Pontificis, eo quòd essent quinto gradu consanguinei, ut probavit Ivo Carnotensis, quippè qui Galterium Album, Valesii Comitem, abavum communem haberent. Verùm irrito deinceps facto, nescio quibus dolis, matrimonio, Elisabetham, postquam octo liberos, mares et fœminas, Roberto peperisset, abstulit viventi Guillelmus de Warenna, Surrcii in Anglia Comes, is ipse Consul de quo loquitur Huntin- doniensis. Robertum autem de Mellento v Nonas Junii an. 1118 obiisse, testis est Ordericus Vitalis.

* *f.* degen- tium.

facilè

Digitized by Google

A facilè confessus, pœnas perfidiæ acriter luit. Præter hoc totâ vitâ securus, animos omnium timori, sermones amori obstrictos habebat.

Staturâ minimos supergrediens a maximis vincebatur : crine nigro et juxta frontem profuso, oculis dulcè serenis, thoroso pectore, carnoso corpore, facetiarum pro tempore plenus, nec pro mole negotiorum, cùm se communioni dedisset, minùs jucundus... Quapropter sapientiâ nulli unquam modernorum Regum secundus, et penè dicam, omnium antecessorum in Anglia facilè primus, libentiùs bellabat consilio, quàm gladio; vincebat, si poterat, sanguine nullo, si aliter non poterat, pauco. Omnium totâ vitâ omninò obscœnitatum cupidinearum expers (*a*); quoniam, ut a consciis accepimus, non effrenâ voluptate, sed gignendæ prolis amore mulierum gremio infunderetur, nec dignaretur advenæ delectationi præbere assensum, nisi ubi regium semen procedere posset
B in effectum, effundens naturam ut dominus, non obtemperans libidini ut famulus : cibis indifferenter utens, magisque explens esuriem, quàm multis obsoniis urgens ingluviem; potui nunquam præter sitim indulgens; continentiæ minimum excessum cum in suis, tum in omnibus execrans; somni gravis, et quem frequens roncatio interrumperet : facultatis in dicendo magis fortuitæ, quàm elaboratæ, non præcipitis, sed maturæ. Pietatis in Deum prædicandæ, monasteria in Anglia et Normannia construxit; quibus quia nondum supremam manum imposuit, ego quoque interim judicium meum differrem, nisi me Radingensium fratrum caritas tacere non sineret... Investituras Ecclesiarum Deo et S. Petro remisit, post multas controversias inter eum et Anselmum Archiepiscopum habitas, vix tandem ad consentiendum pro ingenti Dei gratia, ingloriosâ de fratre victoriâ inflexus... Diu ergo et revocare illum, et monitionibus Apostolicis
C obsecundare distulit, non elationis ambitu, sed Procerum et maximè Comitis de Mellento instinctu, qui in hoc negotio magis antiquâ consuetudine, quàm recti tenore rationem reverberans, allegabat multùm regiæ majestati *Pag.* 164.
diminui, si omittens morem antecessorum non investiret electum per baculum et annulum...

Uxor Regis ex antiqua et illustri Regum stirpe descendit Mathildis, filia Regis Scottorum, ut prædixi, a teneris annis inter Sanctimoniales apud Wiltoniam et Ramesium educata, literis quoque fœmineum pectus exercuit : undè ut ignobiles nuptias respueret plus quàm semel a patre oblatas, peplum sanctæ professionis index gessit. Quapropter cùm Rex susciperet eam thalamo, res in disceptationem venit, nec nisi legitimis productis testibus, qui eam jurarent sine professione, causâ procorum, velum gessisse, Archiepiscopus adduci potuit
D ad consentiendum. Hæc igitur duobus partubus, altero alterius sexus contenta, in posterum et parere et parturire destitit, æquanimiterque ferebat, Rege aliàs intento, ipsa curiæ valedicere, Westmonasterio multis anniś morata.... Obiit, regno post XVII annos et septem menses libenter relicto (*b*), fatum parentum *Pag.* 165.
experta, qui penè omnes, virente potissimùm ævo, excessere mundo. Successit thoro ejus, sed non ita citò *, Adala filia [Godefridi] Ducis de Lovanio, quod * An. 1121.
est castellum caput Lotharingiæ.

Filium habuit Rex Henricus ex Mathilde nomine Willielmum, dulci spe et ingenti curâ in successionem educatum et provectum. Nam et ei, vix dum XII annorum esset, omnes liberi homines Angliæ et Normanniæ, cujuscumque ordinis et dignitatis, cujuscumque domini fideles, manibus et sacramento se dedere coacti sunt. Filiam quoque Fulconis Comitis Andegavensis vix nubi-
E lem ipse etiam impubis despondit et accepit, dato sibi a socero Comitatu Cenomannico pro munere sponsalitio. Quin et Jerosolymam Fulco ire contendens, commendavit Comitatum Regi suum, si veniret *; futurum profecto ge- * *Al.* viveret.
neri, si non rediret. Plures ergo provinciæ expectabant nutum pueri, putabaturque Regis Edwardi vaticinium in eo complendum, ferebaturque spes Angliæ modo arboris succisa in illo juvenculo iterùm floribus pubescere, fructus producere, et ideò finem malorum sperari posse (*c*). Deo aliter visum; hujusmodi

(*a*) In assentationis vitium hìc incurrit Malmesburiensis. Veriùs Huntindoniensis asserit Henricum luxuriæ supra modum indulsisse, *quia mulierum ditioni*, inquit, *Regis more Salomonis, continuè subjacebat.*

(*b*) An. 1118. Kal. Maii, mortem obit Mathildis.

(*c*) His verbis falsi revincitur Joannes *Bromton* in chronico apud *Thwisden*, col. 1013, ubi hæc habet : *Willelmus Malmesburiensis dicit; quod ille Willelmus Regis primogenitus, palàm Anglis fuerat*

Digitized by Google

enim opinionem tulerunt auræ, quòd eum proxima dies urgebat fato satisfacere. A
Enimverò socero tum annitente, simulque Theobaldo filio Stephani et Adelæ amitæ, Ludovicus Rex Franciæ Normanniam concessit puero, ut facto sibi
* An. 1119. hominio, possideret eam jure legitimo *. Ordinabat hæc et efficiebat prudentissimi patris prudentia, ut hominium quod ipse pro culmine imperii fastidiret facere, filius delicatus et qui putabatur viam sæculi ingressurus, non recusaret. His agitandis et placitâ concordiâ componendis quatuor annorum tempus Rex impendit, in Normannia toto hoc tempore moratus. Verumtamen tam splendidæ et excogitatæ pacis serenum, tam omnium spes in speculam erectas confudit humanæ sortis varietas. Namque indicto in Angliam reditu, Rex sub ipso
* An. 1120. noctis crepusculo VII Kal. Decembris *, apud *Barbeflut* * naves solvit, eumque
* *Barfleur.* qui impleverat carbasa ventus feliciter regno et amplæ fortunæ invexit. At verò adolescentulus jam septemdecim annorum et paulò ampliùs, cui nihil deliciarum B
præter nomen Regis pro paterna indulgentia deesset, aliam sibi navem parari præcepit : omnibus penè adolescentulis Procerum filiis, quasi pro colludio ætatis puerilis, eò concurrentibus, quin et remiges immodicè mero ingurgitati voluptate nauticâ quam potus ministrabat, maturè illos qui præcesserant post tergum relinquendos clamitabant. Erat enim navis optima, tabulatis novis et clavis recenter compacta. Itaque cæcâ jam nocte juventus sapientiæ indiga, simulque potu obruta, navem a littore impellunt. Volat illa pennatâ pernicior arundine : et crispantia maris terga radens, imprudentiâ ebriorum impegit in scopulum, non longè a littore super pelagus extantem. Consurgunt ergo miseri et magno clamore ferratos contos expediunt, diu certantes ut navem a rupe propellerent; sed obsistebat fortuna omnes eorum conatus in irritum deducens. Itaque et remi in saxum obnixi crepuere, concussaque prora pependit. C
Jamque alios undis exponebat, alios ingressa per rimas aqua enecabat, cùm jam ejectâ scaphâ filius Regis excipitur : salvarique potuisset ad littus regressus, nisi soror ejus notha Comitissa Perticæ, in majori nave cum morte luctans, fœmineo ululatu fratris opem implorasset, ne tam impiè se relinqueret. Ille misericordiâ infractus, lembum carinæ applicari jussit, ut sororem exciperet : mortem misellus pro clementiæ teneritudine indeptus. Continuò enim multitudine insilientium scapha victa subsedit, omnesque pariter fundo involvit. Evasit unus et ille agrestis, qui totâ nocte malo supernatans, manè totius tragœdiæ actum expressit. Nulla unquam navis fuit Angliæ tantæ miseriæ, nulla toti orbi tam patulæ famæ. Periit ibi cum Willielmo alter filius Regis Richardus, quem antè regnum ex provinciali fœmina susceperat, juvenis magnanimus et patri pro obsequio acceptus : Richardus Comes Cestriæ et frater ejus Otuellus, nu- D
Pag. 166. tricius et magister filii Regis : filia Regis [Mathildis] Comitissa Perticæ, et neptis ejus [Mathildis] soror Theobaldi, Comitissa Cestriæ : præterea quisquis erat in curia lectissimus miles vel capellanus, vel optimatum filii ad militiam provehendi. Accurrerant enim undique, ut dixi, non leve gloriæ suæ numeraturi commodum, si filio Regis vel deferrent ludicrum, vel conferrent obsequium. Accumulavitque calamitatem difficultas inveniendorum cadaverum ; quia dispersis per littora quæsitoribus, nullum facilè repertum est, sed ierunt tam delicata corpora æquoreis crudelia pabula monstris. Juvenculi ergo morte cognitâ, res mirum in modum mutatæ ; parens enim cœlibatui renuntiavit, cui post mortem Mathildis studuerat, futuros hæredes ex nova conjuge jamjamque operiens. Socer ex Jerosolymis domum reversus, partibus Willielmi filii Roberti Normanni Comitis improbus astitit, tradens ei alteram filiam [Sibyllam] nuptum et Cenomannicum E
Comitatum (*a*). Irarum stimulos in Regem acuebat dos filiæ, post mortem filii in Anglia retenta.

Filiam Mathildem ex Mathilde susceptam dedit Rex Henricus Henrico Imperatori Alemanniæ, filio Henrici, de quo tertius liber memoriam fecit. Fuit hic Henricus quintus ejus nominis apud Teutonicos Imperator : qui licèt pro contumeliis Apostolicæ Sedis patri graviter succensuisset, ipse tamen ejusdem sententiæ sequax et propugnator suo tempore fuit infestus. Namque cùm Urbano

comminatus, quòd si aliquando super eos regnaret, faceret eos ad aratrum trahere, quasi boves : sed spe suâ coruscabili, Dei vindictâ, cum aliis deperiit. Quæ verba neutiquam apud Malmesb. reperiuntur.

(*a*) Matrimonium istud anno 1123 contractum dissolvit anno seq. agente Henrico, Legatus Apost. decreto quod Honorius Papa confirmavit litteris 26 Augusti hujus anni datis. (*Spicil.* T. III, p. 149.)

Digitized by Google

A Papæ Paschalis successisset, vir nullo virtutis genere carens, rursùs quæstio de investituris Ecclesiarum, rursùs bella, rursùs lites agitari, neutris partibus loco cedentibus... [Tandem] privilegium et conventionem, violentâ trium septimanarum captione a Papa extorta veraciter inferam, et qualiter non multò post religiosiori consilio enervata sint, subjiciam : *Dominus Papa Paschalis non inquietabit dominum Regem, nec ejus imperium vel regnum de investitura Episcopatuum et Abbatiarum, neque de injuria sibi illata et suis in persona et bonis, neque aliquod malum reddet sibi vel alicui personæ pro hac causa, et penitùs in personam Regis Henrici nunquam anathema ponet, nec remanebit in domino Papa quin coronet eum, sicut in ordine continetur, et regnum et imperium officii sui auxilio eum tenere adjuvabit pro posse suo. Et hoc adimplebit dominus Papa sine fraude et malo ingenio....*

B Anno ab Incarnatione Domini MCXII, Indict. V, anno D. Papæ Paschalis II. XIII, mense Martio, XV Kal. Aprilis, celebratum est Concilium Romæ Lateranis in basilica Constantiniana : in qua cùm dominus Papa Paschalis resedisset, cum Archiepiscopis, Episcopis et Cardinalibus, et varia multitudine Clericorum et laïcorum, ultimâ die Concilii... surrexit pro omnibus Girardus Engolismensis Episcopus, Legatus in Aquitania, et communi assensu D. Papæ Paschalis totiusque Concilii, legit hanc scripturam : *Privilegium illud, quod non est privilegium, sed jure debet dici pravilegium, pro liberatione captivorum et Ecclesiæ a D. Paschali Papa per violentiam Regis Henrici extortum, nos omnes in hoc sancto Concilio cum domino Papa congregati, canonicâ censurâ et ecclesiasticâ auctoritate judicio sancti Spiritûs damnamus et irritum esse judicamus, atque omninò quassamus, et ne quid auctoritatis et efficaciæ habeat, penitùs excommunicamus. Et hoc* C *ideò damnatum est, quia in eo privilegio continetur, quòd electus canonicè a Clero et populo a nemine consecretur, nisi priùs a Rege vestiatur : quod est contra Spiritum sanctum et canonicam institutionem.* Perlectâ verò hâc chartâ, acclamatum est ab omnibus et universo Concilio, *Amen, amen; fiat, fiat....* *Pag.* 168.

Ferebantur ista per orbem, nec dissimulabat omnis Gallia Imperatorem execrari, ecclesiastici zeli vigore in eum intentato. His commotus [Imperator] Romam XVII * anno Paschalis Papæ contendit, acriùs in illum ulturus. Sed hic felici transitu mundanas effugerat ærumnas *, ridebatque in requie positus ex alto contumacis Cæsaris minas : cujus morte acceptâ, alacriùs Imperator celerabat viam, ut Joanne Gaitano, superioris Papæ Cancellario, qui jam electus et Gelasius dictus fuerat, ejecto, Mauricium Braccarensem Episcopum, cognomento Burdinum, intruderet.... * *Cor.* XIX. * An. 1118.

D Expulsus autem Gelasius, Salerni navibus conscensis, indè venit Genuam, indèque itinere pedestri Cluniacum contendens, ibidem obiit. Tunc, id est, anno Dominicæ Incarnationis MCXIX, Cardinales qui cum Gelasio venerant, simulque omnis Ecclesia cisalpina, Guidonem Archiepiscopum Viennensem in Papam grandi paratu levantes, Calixtum vocarunt : religionis et efficaciæ ipsius intuitu, sperantes se per illius potentiam, quòd esset in auxiliando facultatis maximæ, Imperatoris viribus obniti posse. Nec ille credulos spei effectu exinaniens, mox Concilio Remis celebrato, investitos vel investiendos a laïcis, ab Ecclesiis removit : pariter et Imperatorem, nisi resipisceret, involvens *. Ita tempore aliquanto in inferioribus plagis moratus, ut partes suas augeret, Romam, compositis in Gallia rebus, venit : libenterque a civibus (nam jam Imperator discesserat) susceptus est. Tunc Burdinus in medio relictus, Sutrium effugit, E multis peregrinorum calamitatibus Papatum suum fovere meditatus.... *Pag.* 169. * An. 1119.

Erat tunc Willielmus Comes Pictavorum fatuus et lubricus : qui priusquàm de Hierosolyma, ut superiore libro lectum est, rediit, ita omne vitiorum volutabrum premebat, quasi crederet omnia fortuito agi, non providentiâ regi. Nugas porrò suas falsâ quâdam venustate condiens, ad facetias revocabat : audientium rictus cachinno distendens. Denique apud castellum quoddam * *Ivor* habitacula quædam quasi monasteriola construens, Abbatiam pellicum ibi se positurum delirabat : nuncupatim illam et illam, quæcumque famosioris prostibuli esset, Abbatissam vel Priorem, cæteras verò officiales instituturum cantitans. Legitimâ quoque uxore depulsâ, Vicecomitis cujusdam * conjugem [Malbergionem] surripuit, quam adeò ardebat, ut clypeo suo simulacrum mulierculæ insereret : perindè dictitans se illam velle ferre in prælio, sicut illa portabat eum in triclinio. Undè *Pag.* 170. * Leg. *Niort.* * Castri-Heraldi.

Digitized by Google

increpitus et excommunicatus a Girardo Engolismorum Episcopo, jussusque illicitam venerem abjicere : « Antea, inquit, crispabis pectine refugum a fronte » capillum, quàm ego Vicecomitissæ indicam repudium » : cavillatus in virum, cujus pertenuis cæsaries pectinem non desideraret. Nec minùs cùm Petrus, præclaræ sanctitatis Pictavorum Episcopus, eum liberiùs argueret et detrectantem palàm excommunicare inciperet; ille præcipiti furore percitus, crinem Antistitis involat; strictumque mucronem vibrans : « Jam, inquit, morieris, nisi me » absolveris ». Tum verò præsul, timore simulato, inducias petens loquendi, quod reliquum erat excommunicationis fidenter peroravit : ita Comitem a christianitate suspendens, ut nec cum aliquo convivari, nec etiam loqui auderet, nisi maturè resipisceret. Ita officio suo, ut sibi videbatur, peracto, martyriique trophæum sitiens, collum protendit : « Feri, inquit, feri ». At Willielmus refractior, consuetum leporem intulit ut diceret : « Tantùm certè te odi, ut nec » meo te digner odio, nec cœlum unquam intrabis meæ manûs ministerio ». Verumtamen post modicum vipereo * meretriculæ infectus sibilo, incesti dissuasorem detrusit exsilio : ubi beato fine conclusus, frequentibus et magnis miraculis innuit mundo quàm gloriosè vivat in cœlo (*a*). Quibus auditis, Comes dicacitate insolenti non abstinuit : professus palàm pœnitere se quòd non ei jamdudùm mortem accelerasset; ut ipsi anima sancta grates haberet potissimùm, cujus furore cœleste mercatus esset commodum....

A B

* *Al.* mulierculæ.

Pag. 171. Hujus Petri fuerunt contemporanei et in religione socii Robertus de *Arbeisel* * et Bernardus Abbas Turinensis * : quorum primus, omnium hujus temporis sermocinatorum famosissimus et profusissimus, tantùm non spumeâ, sed melleâ viguit eloquentiâ, ut hominibus certatim opes congerentibus, illud egregium Sanctimonialium Monasterium apud Fontem-Ebraldi construeret, in quo totâ sæculi voluptate castratâ, fœminarum Deo devotarum quanta nusquam multitudo in Dei fervet obsequio.... Alter famosus paupertatis amator, in saltuosum et desertum locum, relicto amplissimarum divitiarum Cœnobio, cum paucis concessit, ibique, quia lucerna sub modio latere non potuit, undatim multis confluentibus, Monasterium fecit magis insigne religione Monachorum et numero, quàm fulgore pecuniarum et cumulo....

* Arbrissellis.

* *Leg.* Tironiensis.

EX EJUSDEM MALMESBUR. HISTORIÆ NOVELLÆ LIBRO I.

Pag. 175. Anno Henrici Regis Anglorum XXVI, qui fuit Incarnationis Dominicæ MCXXVI. Henricus Imperator Alemannorum, cui præfati Regis filia Mathildis nupserat, in ipso ætatis et victoriarum flore obiit (*b*). Morabatur eo tempore Rex noster Normanniæ, ad pacificandos si qui in eis partibus fierent motus. Qui ubi primùm obitum generi accepit, non multò post, honoratis viris a se missis, filiam revocavit. Invita, ut aiunt, Imperatrix rediit, quòd dotalibus regionibus consueta esset et multas ibidem possessiones haberet. Constat certè aliquos Lotharingorum et Longobardorum Principes succedentibus annis plusquam semel Angliam venisse, ut eam sibi dominam requirerent; sed fructu laborum caruisse, cogitante Rege ut filiæ connubio inter se et Andegavensem Comitem pacem componeret. Mirum enim in modum vir ille, omnium Regum quos nostra et etiam patrum nostrorum tenet memoria maximus, suspectam tamen semper habuit Andegavensium potentiam. Hinc est quòd sponsalitia, quæ Willielmus nepos suus, Comes postea Flandriæ, cum filia Comitis Andegavensis Fulconis, postea Regis Jerosolymorum, contracturus esse dicebatur *, dissolvit et cassavit. Hinc est quòd aliam ejusdem filiam filio suo Willielmo impubi, vixdùm adolescenti, conjunxit. Hinc est quòd hanc filiam suam, de qua incepimus loqui, post imperatorium thorum ejusdem Fulconis filio nuptum collocavit : sicut sermo procedens dicere perget.

D E

* Immò matrimonium contractum.

An. 1127. Anno XXVII regni sui, Rex Henricus Angliam venit mense Septembri, adducens secum filiam suam. Primo verò Natali, convocato apud Londoniam magno Cleri et Optimatum numero, uxori suæ, filiæ Ducis Lovaniensis, quam post

(*a*) Petrus hic nomine secundus, Pictaviensis Episcopus, anno 1115 pridiè Nonas Aprilis apud Calviniacum diem supremum obiit, ut probant Galliæ novæ christianæ editores, T. II. col. 1120.

(*b*) Anno 1125 die 23 Maii, mortalitatem explevit Henricus V Imperator, ex cæteris Historicis.

Digitized by Google

A obitum Mathildis duxerat, Comitatum Salopesberiæ dedit : quam videlicet fœminam dolens non concipere, dum et perpetuò sterilem fore timeret, de successore regni meritò anxius cogitabat. De qua re antea multùm diuque deliberato consilio, tunc in eodem Concilio omnes totius Angliæ Optimates, Episcopos etiam et Abbates, sacramento adegit et obstrinxit, ut, si ipse sine hærede masculo decederet, Mathildem filiam suam quondam Imperatricem incunctanter et sine ulla retractatione dominam reciperent : præfatus quanto damno patriæ fortuna Willielmum filium suum sibi surripuisset, cui jure regnum competeret; nunc superesse filiam, cui soli legitima debeatur successio, ab avo, avunculo et patre Regibus, et a materno genere multis retrò sæculis..... Juraverunt ergo cuncti, quicumque in eodem Concilio alicujus videbantur esse momenti, primò Willielmus Cantuariæ Archiepiscopus, mox cœteri Episcopi,
B nec minùs Abbates. Laïcorum primus juravit David Rex Scotiæ, ejusdem Imperatricis avunculus, tum Stephanus Moritonii Comes et Bononiæ, nepos Regis Henrici ex sorore Adala; mox Robertus filius Regis, quem ante regnum susceperat et Comitem Glocestriæ fecerat. Notabile fuit, ut fertur, certamen inter Robertum et Stephanum, dum æmulâ laude virtutum inter se contenderent, quis eorum prior juraret : illo privilegium filii, isto dignitatem nepotis spectante. Ita obstrictis omnibus fide et sacramento, tunc quidem a quoque in sua discessum est. Post Pentecosten verò misit Rex filiam suam in Normanniam, jubens eam per Rotomagensem Archiepiscopum desponsari filio prædicti Fulconis, adolescenti magnæ nobilitatis et prædicandi roboris. Nec distulit quin ipse Normanniam navigaret, eosque matrimonio conjungeret (*a*). Quo facto, quodam vaticinio omnes prædicabant, ut post mortem ejus a sacramento decis-
C cerent. Ego Rogerium Salesberiensem Episcopum sæpè audivi dicentem, solutum se a sacramento quod Imperatrici fecerat; eo enim pacto se jurasse, ne Rex præter consilium suum et cæterorum Procerum filiam cuiquam nuptum daret extra regnum; ejus matrimonii nullum auctorem, nullum fuisse conscium, nisi Robertum Comitem Glocestriæ et Brianum filium Comitis, et Episcopum Luxoviensem. Nec verò hoc idcircò dixerim, quòd credam vera fuisse verba hominis, qui se unicuique tempori pro volubilitate fortunæ accommodare nosset : sed sicut verax historicus opinionem provincialium scriptis appono.

Reliquos annos vitæ et regni Henrici breviter percensere libet... Anno XXVIII, rediit in Angliam a Normannia Rex. *Pag.* 176.

Anno XXIX, quiddam accidit in Anglia, quod mirum videatur crinitis nostris, qui obliti quid nati sunt, in muliebris sexûs habitum capillorum longitudine se
D ipsos transformant. Quidam provincialium militum magno crinium luxu superbiens, conscientiâque stimulante perterritus, visus est sibi videre in somnis, quasi aliquis eum capillorum suorum criniculis suffocaret. Quare somno excussus, quidquid superfluebat comarum citò abscidit. Cucurrit exemplum per Angliam, et sicut recens pœna mentem movere solet, omnes penè milites ad justum modum crines suos rescindi æquanimiter tulerunt. Sed non diu stetit hæc sanctitas (*b*) : vix enim anno elapso, cuncti qui sibi curiales esse videbantur, in prius vitium reciderunt. Longitudine capillorum cum fœminis certabant, et ubi crines deficiunt involucra quædam innodabant : obliti vel potiùs ignari sententiæ Apostolicæ ; *vir si comam nutrierit, ignominia est illi* *. * I Corint XI. 14.

Anno XXX, Rex Henricus transiit in Normanniam. Eo anno, defuncto Papâ Honorio, magnâ contentione eligendi Apostolici Romana fluctuavit Ecclesia. An 1130
E Erant tunc in eadem urbe duo famosissimi Cardinales, Gregorius Diaconus S. Angeli, et Petrus Presbyter Cardinalis, filius Leonis Romanorum Principis, ambo litteris et industriâ insignes, nec erat facilè discernere populo quisnam eorum justiùs eligeretur a Clero. Prævenit tamen pars quæ favebat Gregorio, ut Pontifex ordinatus vocaretur Innocentius. Sparsus est etiam rumor in plebem, quòd adhuc Honorius spiraret et ita fieri præciperet.... At verò pars altera, sepulto jam Honorio, annitentibus fratribus Petri, locupletissimis Romanorum et potentissimis, eum electum et sacratum vocavit Anacletum.... Nec verò

(*a*) Anno 1129, mense Junio, Gaufredi et Mathildis nuptiæ celebratæ sunt, paulò antequam Fulco Comes ultimùm in Palestinam proficisceretur. Ita Ordericus Vitalis.

(*b*) Mirum quantæ religioni eâ ætate, tam in Francia quàm in Anglia haberetur cultus crinium. Consulendus eâ de re Ordericus Vitalis. T. XII. pag. 696.

Digitized by Google

Pag. 177. pars altera cessabat, quin et ipsum Petrum catulum Leonis diceret, et fautores A
ejus factionis complices nominaret. Et illi quidem varia inter se dubiis de rebus
agebant. Innocentius verò exclusus Româ, transcensis Alpibus, Galliam con-
tendit. Ibi ab omni citramontana Ecclesia incunctanter susceptus est. Quin
etiam et Rex Henricus, qui non leviter a sententia, quam semel proposuisset,
dejici nosset, illi apud Carnotum ultrò manus dedit, et apud Rotomagum non
modò suis, sed et Optimatum et etiam Judæorum muneribus eum dignatus est.
Nec verò Innocentius, quamvis ab Anglorum et Francorum Regibus simul et ab
Imperatore Alemannorum valdè juvaretur, nunquam tamen quiete potiri potuit,
quoad Anacletus Romanæ Ecclesiæ sedem teneret. At verò ipso Anacleto, octavo
præsumpti, ut dicebatur, sui Episcopatûs anno, defuncto, dominus Innocentius
inconcussâ ad hoc tempus pace Apostolicâ fruitur dignitate.

* An. 1131. Anno XXXI * regni sui, Rex Henricus rediit in Angliam. Imperatrix quoque B
eodem anno natali solo adventum suum exhibuit; habitoque non parvo Proce-
rum conventu apud Northantonam, priscam fidem apud eos qui dederant, no-
vavit, ab iis qui non dederant, accepit.

Eodem anno, Ludovicus Rex Francorum, et in senium vergens et nimiâ
corpulentiâ gravis, filium coronari jussit ut regni successorem. Quo non multò
post casu equi exanimato (*a*), alterum per manum Pontificis Romani diademate
insignivit. Is, ut ferunt, ab antiqua Francorum fortitudine non degenerans,
etiam Aquitaniam juri suo per uxoris dotale fœdus acquisivit, quam post Lu-
dovicum Caroli Magni filium, in proprio dominatu Francorum Reges non ha-
buisse noscuntur....

An. 1133. Anno XXXII regni pridiè transacto, Henricus Nonis Augusti, quo die quon-
dam apud Westmonasterium coronæ culmen acceperat, Normanniam navigavit. C
* *Ed.* regni. Ultimus ille fatalisque Regi * transitus fuit. Mira tunc prorsùs providentia
Deitatis rebus allusit humanis, ut eâ die navem ascenderet nunquam vivus re-
versurus, quo dudùm coronatus fuerat, tam diu et tam feliciter regnaturus. Erant
tunc, ut dixi, Nonæ Augusti : et feriâ quartâ [IV Nonas Aug.] prosecuta sunt
elementa dolore suo extremum tanti Principis transitum. Nam et sol ipsâ die,
horâ sextâ, tetrâ ferrugine, ut Poetæ solent dicere, nitidum caput obtexit,
mentes hominum eclipsi suâ concutiens : et feriâ sextâ proximâ primo mane
tantus terræ motus fuit, ut penitùs subsidere videretur; horrifico sono sub terris
antè audito. Vidi ego et in eclipsi stellas circa solem : et in terræ motu parietem
domûs, in qua sedebam, bifario impetu elevatum tertiò resedisse. Fuit ergò
* *Corr.* biennio Rex in Normannia triennio * continuo, et tanto plus quantùm est inter Nonas
Augusti, quo die, ut dictum est, mare transiit, et Kalendas Decembris, quâ D
* *f.* decessit. nocte * discessit. Nec verò dubitandum multa eum, quæ non immeritò scribi
deberent, in Normannia gessisse; sed consilium fuit præterire quæ ad nostram
notitiam non integrè pervenere....

Regnavit ergo annis XXXV, et a Nonis Augusti usque ad Kal. Decembris, id est,
mensibus quatuor, diebus quatuor minùs. Apud Leonas exercitio venationis inten-
tus, valetudine adversâ correptus decubuit : quâ in deterius crescente, evocavit
ad se Hugonem [Ambianensem], quem primò ex priore de *Lewis* Abbatem
Pag. 178. apud Radingas, mox Rotomagi Archiepiscopum fecerat, meritò sibi et hæré-
dibus suis pro tantis beneficiis obnoxium. Optimates rumor ægritudinis celeriter
contraxit. Affuit et Robertus filius ejus [nothus], Comes Glocestriæ, qui pro
integritate fidei et virtutis eminentia, victuram in omne sæculum memoriam
sui nominatim promeruit : a quibus de successore interrogatus, filiæ omnem E
terram suam citrà et ultrà mare legitimâ et perenni successione adjudicavit;
marito ejus subiratus, quòd eum et minis et injuriis aliquantis irritaverat. Sep-
timo incommodi die transacto, nocte jam intempestâ naturæ cessit (*b*).... Funus

(*a*) Anno 1129 Philippus Ludovici VI primogenitus in Regem, jubente patre, die sancto Paschæ seu 14 Aprilis consecratus est, anno verò 1131, die 13 Octobris e vivis excessit, cui subrogatus Ludovicus ejus frater, regalem unctionem die 25 ejusdem mensis et anni suscepit. Hæc constant apud omnes Historicos Gallos.

(*b*) Regis obitum Innocentio Papæ per epistolam significavit Hugo Rotomag. Archiep. morientis fidem his verbis contestatus : *Domino et patri suo Innocentio Papæ servus Hugo Rotomagensis Sacerdos obedientiæ debitum.* « De domino meo Rege, non » sine dolore memorando, piæ paternitati vestræ » significandum duximus, quia subitâ præventus » ægritudine nos, missis quàmcitissimè legatis » suis, ægritudinis suæ solatiis voluit interesse. » Venimus ad ipsum, et cum ipso plenum mœ- » roribus confecimus triduum. Prout ei dicebа- » mus, ipse ore proprio sua fatebatur peccata, et » manu propriâ pectus suum percutiebat, et ma- » lam voluntatem dimittebat. Consilio Dei et » nostro et Episcoporum, emendationem vitæ

Digitized by Google

A regaliter curatum, Proceribus vicissim portantibus, Rotomagum usque delatum est. Illic in quodam recessu Ecclesiæ majoris exenteratum est, ne diuturnitate corruptum nares assidentium et adstantium exacerbaret. Reliquiæ interaneorum in Cœnobio S. Mariæ de Pratis juxtà urbem humatæ, quod ipse, ut audio, a matre sua inchoatum non paucis compendiis honoraverat : corpus Cadomi servatum, quousque serenas auras paulò clementior hyems inveheret, quæ tum aspera inhorrebat.

Interea Stephanus Comes Moritonii et Bononiæ, nepos Regis Henrici, ut dixi, qui post Regem Scotiæ primus laïcorum fidem suam Imperatrici obstrinxerat, in Angliam per *Witsand* maturavit adventum. Imperatrix certis ex causis, simul et frater ejus Robertus Comes Glocestriæ, cum omnibus penè Proceribus redire in regnum distulerunt. Quædam tamen castella in Normannia, inter quæ
B præcipuum Damfrontum, partibus hæredis se applicuere.... Ille verò (Stephanus) a Londoniensibus et Wintoniensibus in Regem exceptus est : etiam Rogerium Saresberiensem Episcopum et Willielmum de Ponte-arcus, custodes thesaurorum regalium, ad se transduxit. Ne tamen veritas celetur posteris, omnes ejus conatus irriti fuissent, nisi Henricus frater ejus Wintoniensis Episcopus, qui modò Apostolicæ Sedis legatus est in Anglia, placidum ei commodasset assensum (*a*), spe scilicet captus amplissimâ, quòd Stephanus avi sui Willielmi in regni moderamine mores servaret, præcipuèque in ecclesiastici vigoris disciplina.... Coronatus est ergo in Regem Angliæ Stephanus XI Kal. Januarii, Dominicâ, XXII die post excessum avunculi sui, anno Dominicæ Incarnationis MCXXXV... vir quidem impiger, sed imprudens; armis strenuus, sed immodici animi ad quælibet ardua inchoanda; lenis et exorabilis hostibus, affabilis omnibus. Cujus cùm dul-
C cedinem in promissis suspiceres, veritatem tamen dictorum et promissorum efficaciam desiderares. Undè fratris consilium non multò post lapso tempore postponebat, cujus, ut dixi, auxilio munitus et adversantes submoverat, et ad regnum ascenderat.

Anno Dominicæ Incarnationis MCXXXV (*b*), Regis Henrici corpus, levibus flabris spirantibus, statim post Natale Domini impositum navi Angliam devectum est, et apud Radingense Cœnobium, quod foris prædiorum magnitudine, intùs religiosorum Monachorum ordine decoraverat, præsente regni successore, humatum est.... Eodem anno post Pascha, Robertus Comes Glocestriæ venit in Angliam, cujus prudentiam maximè Stephanus verebatur. Is dum esset in Normannia, multâ cogitatione fatigarat animum, quidnam sibi super hoc negotio statuendum putaret; si enim Regi Stephano subderetur, contra sacramentum
D quod sorori fecerat, videbat fore; si refragaretur, nihil sorori vel nepotibus profuturum, sibi certè immaniter nociturum intelligebat. Habebat enim (ut supra tetigi) Rex immensam vim thesaurorum, quos multis annis avunculus aggesserat. Æstimabantur denarii, et ii exquisitissimi, ferè ad centum millia libras : erant et vasa tam aurea quàm argentea magni ponderis et inestimabilis pretii, et antiquorum Regum et Henrici potissimùm magnanimitate congesta. Hanc copiam gazarum habenti auxiliatores deesse non poterant, præsertim cùm esset ipse in dando diffusus, et quod minimè Principem decet, prodigus. Currebatur ad eum ab omnium generum militibus et a levis armaturæ hominibus, maximèque ex Flandria et Britannia. Erat genus hominum rapacissimum et violentissimum, qui nihil pensi haberent vel cœmeteria frangere, vel Ecclesias expilare, Religiosi quin etiam ordinis viros non solùm equis proturbare, sed et in captionem ab-
E ducere : nec solùm advenæ, sèd etiam indigenæ milites, qui pacem Regis Henrici oderant, quòd sub ea tenui victu vitam transigebant; hi omnes gratanter Prin-

» suæ observaturum sese promittebat. Sub ista » promissione pro nostro officio tertiò eum et » per triduum absolvimus. Crucem Domini ado- » ravit, corpus et sanguinem Domini devotè » suscepit, eleemosynam suam distribuit ita di- » cendo : *solvantur debita mea, reddantur liberationes* » *et selidatæ, quæ debeo; reliqua indigentibus distri-* » *buantur*. Utinam sic fecissent qui thesauros ejus » tenebant et tenent. Tandem illi auctoritatem de » unctione infirmorum... studiosè proposuimus, et » ipsius piâ petitione oleo sancto eum inunximus. » Sic in pace quievit. Pacem det ei Deus, quia pacem » dilexit ». *Ex Malmesb. ibid.*

(*a*) Hâc evanidâ ratione a temeritatis reprehensione immunem se profitebatur Henricus in Concilio Wintoniensi an. 1141 : *Quia*, inquit, *longum videbatur dominam expectare, quæ moras ad veniendum in Angliam nectebat*, (*in Normannia quippè residebat*) *provisum est paci patriæ, et regnare permissus frater meus. Enimverò quamvis ego vadem me apposuerim inter Deum et eum, quòd sanctam Ecclesiam honoraret et exaltaret, et bonas leges manuteneret, malas verò abrogaret; piget meminisse, pudet narrare, qualem se in regno exhibuerit.*

(*b*) *Corr.* MCXXXVI. Anglis enim annum a die Natali Domini inchoare mos erat.

Pag. 179.

Digitized by Google

cipi assenserant, quem levi negotio ad sua commoda flectere possent, provin- A
cialium dispendio suas fortunas urgentes. Erat præterea Stephanus, cùm esset Comes, facilitate morum et communione jocandi, considendi, consuescendi etiam cum infimis, amorem tantum demeritus, quantum vix aliquis mente concipere queat; et jam omnes Proceres Angliæ in ejus assensum pronis mentibus transierant, Erat quidem anxius prudentissimus Comes ut illos delicti coargueret, et ad saniorem sententiam præsenti colloquio revocaret. Nam viribus obviare nulla propter præfatas causas dabatur facultas, cui nimirùm nec in Angliam venire liberum erat, nisi quasi defectionis eorum particeps, mentis suæ arcanum ad tempus dissimularet. Itaque homagium Regi fecit sub conditione quadam, scilicet quamdiu ille dignitatem suam integrè custodiret et sibi pacta servaret; spectato enim dudùm Regis ingenio, instabilitatem fidei ejus prævidebat.

* An. 1136. Eodem anno *, non multò post adventum Comitis, juraverunt Episcopi fidelitatem Regi, quamdiu ille libertatem Ecclesiæ et vigorem disciplinæ conservaret. Ipse quoque juravit,... sed penè omnia ita perperàm mutavit, quasi ad hoc tantùm jurasset, ut prævaricatorem sacramenti se regno toti ostenderet. Liceat enim mihi pace mansuetissimi hominis verum non occulere, qui si legitimè regnum fuisset ingressus, et in eo administrando credulas aures malevolorum susurris non exhibuisset, parùm ei profectò ad regiæ personæ decorem defuisset.

Pag. 180. Anno Dominicæ Incarnationis MCXXXVII, Rex primo tempore Quadragesimæ transiit mare. Comes etiam, pertentatis illorum et cognitis animis, quos datæ fidei tenaciores esse noverat, dispositoque quid deinceps agendum decerneret, ipse die Paschæ mare ingressus, plenâque felicitate in terram evectus est. Nec multò post malignitatem adversæ fortunæ paulò minùs expertus est; Rex enim C
eum, incentore quodam Willielmo de Ipra, insidiis interficere conatus est. Comes autem per quemdam insidiarum conscium præmonitus, paratos sibi evitavit dolos, et curiâ quò sæpè invitabatur aliquantis diebus abstinuit. Rex consternatus animo quòd insidiis parùm profecisset, astutiâ agendum ratus, serenitate vultûs et gratuitâ confessione magnitudinem culpæ attenuare studuit : juravit tamen verbis pro placito Comitis conceptis, se nunquam ulteriùs tanto sceleri affuturum, et ut magis in gratiam reciperetur, manu Archiepiscopi Hugonis Rotomagensis in manu Roberti missâ, sacramentum solidavit. Et hæc quidem egit; sed nunquam plenam ei exhibuit amicitiam, cujus semper suspectam habebat potentiam. Itaque coram Comite pulchrè jocundèque Comitem illum appellans, retrò maledicis verbis mordebat, et quibus poterat possessionibus vellicabat. Robertus quoque arte artem eludens, occultabat fronte ani- D
mum, pacificèque Regem in regnum redire dimittens, ipse commodis suis in Normannia manens intendit. Ita Stephano multis tumultibus in Anglia impedito,... Robertus toto anno illo securum in Normannia egit otium. Rex promptè contra sibi resistentes crebrò, ut ferebatur, dicere solebat : « Cùm me in Regem » elegerint, cur me destituunt? Per nascentiam Dei, nunquam Rex dejectus » appellabor ». Robertus quasi positus in specula rerum providebat exitum, et ne de juramento quod sorori fecerat, erga Deum et homines perfidiæ notaretur, sedulò cogitabat.

Anno Dominicæ Incarnationis MCXXXVIII, intestinis dissidiis Anglia quatiebatur. Multi siquidem quos vel nobilitas generis, vel magnitudo animi, vel potiùs viridioris ætatis audacia ad illicita præcipitabat, a Rege hi prædia, hi castella, postremò quæcumque semel collibuisset, petere nón verebantur. Quæ cùm ille E
dare differret, excusatâ mutilatione regni, vel quòd eadem alii calumniarentur aut etiam possiderent, illi continuò irâ commoti castella contra eum obfirmabant, prædas ingentes ex ejus terris agebant. Nec verò ille aliquorum defectione frangebatur animo, sed modò hìc, modò illìc subitus aderat, semperque suo magis quàm resistentium damno rem conficiebat. Multis enim et magnis laboribus suis incassum effusis, datis vel honoribus vel castellis, simulatam ad tempus pacem ab illis promerebatur. Denique multos etiam Comites, qui antè non fuerant, instituit, applicitis possessionibus et redditibus, quæ proprio jure Regi competebant. Erant illi avidiores ad petendum, et is profusior ad dandum, quia fama per Angliam volitabat quòd Comes Glocestriæ Robertus, qui erat in Normannia, in proximo partes sororis foret adjuturus, Rege tantummodò antè

Digitized by Google

A antè diffidiato. Nec veritas rerum famæ levitatem destituit. Celeriter enim post Pentecosten, missis a Normannia suis Regi more majorum amicitiam et fidem interdixit, homagio etiam abdicato : rationem præferens quàm id justè faceret, quia et Rex illicitè ad regnum aspiraverat, et omnem fidem sibi juratam neglexerat, ne dicam mentitus fuerat; ipsemet quin etiam contra legem egisset, qui post sacramentum quod sorori dederat, alteri cuilibet, eâ vivente, se manus dare non erubuisset. Animabant nimirùm mentem ejus multorum religiosorum responsa, quos super negotio consuluerat, nullo modo eum posse sine ignominia vitam præsentem transigere, vel merere beatitudinem futuræ, si paternæ necessitudinis sacramentum irritum haberet. Adde quòd etiam Apostolici decreti præ se tenorem ferebat, præcipientis ut sacramento, quod præsente patre fecerat, obediens esset.... Cæterùm Rex ægrè ferens Comitis magnanimitatem, om-
B nibus eum possessionibus in Anglia privavit, quantùm in ipso fuit, et quædam ejus castella complanavit. Solum *Bristove* remansit, ut non solùm hostes expelleret, sed etiam crebris incursionibus Regem fatigaret....

EX EJUSDEM HISTORIÆ NOVELLÆ LIBRO II.

Anno Dominicæ Incarnationis MCXXXIX, venenum malitiæ diu in animo Ste- *Pag.* 181.
phani Regis nutritum, tandem erupit in publicum. Serebantur in Anglia rumores jamjamque venturum e Normannia Comitem Robertum cum sorore. Quâ spe cùm multi a Rege non solùm animo, sed et facto deficerent; ipse injurias suas multorum dispendiis sarciebat. Plures etiam pro sola suspicione diversarum contra se partium, in curia sua contra decus regium captos, et ad redditionem castellorum et ad quascumque voluit conditiones adduxit. Erant
C tunc duo in Anglia Episcopi potentissimi, Rogerius Salesberiensis et nepos ejus ex fratre Alexander Lincolniensis..... Apud *Oxeneford* circa VII Kal. Julii facto conventu magnatum, prædicti quoque Pontifices advenerunt.... Tunc quasi fortuna famulari videretur voluntati Regis, concitatus est tumultus inter homines Episcoporum et Alani Comitis Britanniæ pro vendicandis hospitiis, eventu miserabili, ut homines Episcopi Salesberiensis mensæ assidentes, semesis epulis ad pugnam prosilirent. Primò maledictis, mox gladiis res acta : satellites Alani fugati, nepos ejus paulò minùs occisus (*a*) : victoria non incruenta Episcopalibus cessit, multis sauciatis, uno etiam milite occiso. Rex occasionem aucupatus, per antiquos incentores conveniri jussit Episcopos, ut curiæ suæ satisfacerent de hoc quòd homines eorum pacem ipsius exturbassent : modus satisfactionis foret, ut claves castellorum suorum quasi fidei vades traderent. Illos
D ad satisfaciendum paratos, sed de deditione castellorum cunctantes, ne abirent arctiùs asservari præcepit....

Hoc Regis factum in diversas sententias solvit ora multorum. Quidam dicebant jure castellis alienatos Episcopos videri, qui * præter scita canonum ædifi- * *f.* quæ.
cassent.... Hæc amplioribus rationibus et sermonibus agebat Hugo Archiepis- *Pag.* 182.
copus Rotomagi, quantùm illâ facundiâ poterat, maximus Regis propugnator : alii contra, quorum partibus assistebat Henricus Wintoniensis Episcopus, sedis Apostolicæ in Anglia legatus, frater Regis Stephani, ut antè dixi, quem nec fraterna necessitudo, nec periculi metus a vero exorbitare cogebat. Sic porrò dicebat : si Episcopi tramitem justitiæ in aliquo transgrederentur, non esse Regis, sed canonum judicium.... Quapropter vigorem canonum experiendum ratus, Concilio quod IV. Kal. Septemb. celebraturus erat Wintoniæ, fratrem incunc-
E tanter adesse præcepit....

Kalendis Septembris solutum est Concilium. Pridiè verò Kalend. (*b*) Octobrium, *Pag.* 183.
Comes Robertus tandem nexus morarum eluctatus, cum sorore Imperatrice invectus est Angliæ, fretus pietate Dei et fide legitimi sacramenti. Cæterùm multò minore armorum apparatu, quàm quis alius tam periculosum bellum aggredi tentaret; non enim plusquàm centum et quadraginta milites tunc secum adduxit.... Appulit ergo *Arundel;* ibique novercæ suæ, quam amissâ matre *Pag* 184.
Imperatricis (ut præfatus sum) Henricus Rex quondam lecto copulaverat, tutâ,

(*a*) Querebatur quoque Rex Stephanus malè acceptos ibidem fuisse homines Hervei de Leonio, *qui esset tantæ nobilitatis, tanti supercilii, ut nunquam Regi Henrico petenti animum indulserit in Angliam venire. Injuriam ergo Regi Stephano redundare, pro cujus amore venerit, quòd ei tanta vis illata sit.* Ibid. pag. 182.

(*b*) *Corr.* Augusti, *ut apud Florentium Wigorn.*

Digitized by Google

ut putabat, custodiâ sororem interim delegavit : ipse per tam confertam barbariem, vixdum, ut audivi, duodecim militibus comitatus, *Bristowe* contendit, occurrente sibi medio itineris Briano filio Comitis de *Walingeford*. Nec multò post cognovit sororem ex *Arundel* profectam : noverca enim fœmineâ levitate fidem totiens, etiam missis in Normanniam nunciis, promissam fefellerat. Dedit ergo Rex Imperatrici Wintoniensis Episcopi Henrici et Comitis Mellentensis Waleranni conductum, quem cuilibet, quamvis infestissimo inimico, negare laudabilium militum mos non est : et Walerannus quidem ultra Calnam tendere supersedit, Episcopo in conductu perseverante. Contractis ergo Comes celeriter copiis, ad metas a Rege datas advenit, sororemque *Bristowe* ad tutiora perduxit. Recepit illam postea in Glocestriam Milo, qui castellum ejusdem urbis sub Comite habebat, tempore Regis Henrici, dato ei homagio et fidelitatis sacramento. Nam eadem civitas caput est sui Comitatûs. Tota itaque regio circa Glocestriam, partim vi, partim benevolentiâ, pedetentim residuis illius anni mensibus se dominæ Imperatrici applicuit....

Pag. 185. Anno incarnati Verbi MCXL ,... totus annus ille asperitate guerræ inhorruit.... Erat ergò videre calamitatem, Angliam præclarissimam quondam pacis nutriculam, speciale domicilium quietis, ad hoc miseriæ devolutam esse, ut nec etiam Episcopi nec Monachi de villa in villam tutò possent progredi. Sub Henrico Rege multi alienigenæ, qui genialis humi turbellis exagitabantur, Angliam adnavigabant, et sub ejus alis quietum otium agebant : sub Stephano plures ex Flandria et Britannia, rapto vivere assueti, spe magnarum prædarum Angliam involabant. Comes interea [Robertus] modestè agere se, nihil magis cavere quàm ne vel parvo detrimento suorum vinceret.... Ubique tamen fieri commodè posse videbat, et militis et ducis probè officium exequebatur, denique munitiones, quæ potissimùm partibus susceptis nocebant, strenuè debellabat. Fratrem etiam suum Rainaldum in tanta difficultate temporis Comitem Cornubiæ creavit (*a*). Nec verò minor erat Regi animus ad adeunda quæ sibi competebant munia, qui nullam occasionem prætermittebat, quominùs sæpè et adversarios propulsaret, et sua defenderet. Sed frustrabatur successibus,

Pag. 186. vergebantque in pejus omnia pro justitiæ penuria....

Eo anno in quadragesima, XIII kal. Aprilis, horâ nonâ, feriâ quartâ, fuit eclipsis per totam Angliam, ut accepi : apud nos certè et apud omnes vicinos nostros ita notabiliter solis deliquium fuit, ut homines (quod tunc ferè ubique accidit) mensis assidentes, primùm antiquum cahòs timerent; mox re cognitâ progredientes, stellas circa solem cernerent....

An. 1140. Eodem anno in Pentecoste resedit Rex Londoniæ in turri, Episcopo tantummodò Sagiensi præsente : cæteri vel fastidierunt, vel timuerunt venire. Aliquantò post, mediante Legato, colloquium indictum est inter Imperatricem et Regem, si fortè, Deo inspirante, pax reformari posset. Conventum juxta Bathoniam, misso ex parte Imperatricis Roberto fratre et cæteris suis; ex parte Regis Legato et Archiepiscopo Rotomagensi, simul et Reginâ : sed inaniter, inquam, triverunt verba et tempora, infectâque pace discessum. Nec fuit ambarum partium æquum dissidium, dum Imperatrix ad bonum pronior, ecclesiasticum non se vereri judicium mandasset; et Rex illud quàmmaximè caveret, consiliis illorum malè credulus qui nihil minùs quàm pacem vellent, dum ei dominari ad utilitates suas valerent. Postremò Septembri Legatus, qui nosset officii sui potissimùm interesse ut pax conveniret, pro ea restituenda laborem itineris transmarini aggressus, in Galliam maturavit. Ibi a Rege Franciæ et Comite Theobaldo, multisque religiosi ordinis personis, magno et sollicito tractatu de pace Angliæ habito, reversus est in fine penè Novembris, salubria patriæ mandata referens, si esset qui verba factis apponeret. Et planè Imperatrix et Comes confestim assensere : Rex verò de die in diem producere; postremò in summa frustrari. Tum demùm Legatus se intrà se continuit, rerum exitum, ut cæteri, speculaturus.

(*a*) « Willielmus, filius Ricardi (*inquit Auctor Gestorum Stephani Angliæ Regis, inter Normanniæ Scriptores Chesnii, p.* 950) Vir stemmatis illustrissimi, quique Comitatûs Cornubiensis amplissimum sub Rege [Stephano] habebat Principatum, fidei et jurisjurandi Sacramentum Regi promissum dolosè violavit, susceptoque Rainaldo, filio Regis Henrici, in castello quod Regiæ semper erat potestatis et juris, filiam suam ei despondens, totius Cornubiæ Comitatum commisit » circiter an. 1140.

Digitized by Google

A Anno Incarnationis Dominicæ MCXLII * inextricabilem labirinthum rerum et negotiorum, quæ acciderunt in Anglia, aggredior evolvere.... Rex Stephanus ante Natale a Lindocolina provincia pacificè abscesserat, Comitemque Cestrensem [Ranulfum] et ejus fratrem [uterinum (*a*) Guillelmum de Rolmara] honoribus auxerat. Is Comes filiam Comitis Glocestrensis jamdudùm a tempore Regis Henrici duxerat. Cives interim Lindocolinæ civitatis, qui vellent apud Regem grandem locare amicitiam, eum Londoniæ manentem per nuncios certiorem faciunt, ambos fratres in castello ejusdem urbis securos resedisse, eos nihil minùs quàm Regis adventum opinantes, levi negotio posse circumveniri; se daturos operam, ut quàm occultissimè Rex castello potiatur. Ille, qui nullam occasionem ampliandæ potestatis amittere vellet, lætus eò contendit; ita fratres circumventi et obsessi sunt in ipsis Natalis dominici * feriis... * *Corr.* MCXLI. *Pag.* 187. * An. 1140.

B Porrò Comes Cestrensis, quamvis ancipiti periculo involutus, probè tamen castelli angustias evasit.... Itaque non contentus suâ solùm liberatione, de salute fratris et sororis, quos in castello reliquerat, sollicitus, animum partes versabat in omnes. Sanior sententia visa flagitare a socero auxilium, quamvis animos ejus jamdudùm nonnullis ex causis offendisset, maximè quia in neutro latere fidus videretur esse. Misit ergo, perpetuam per nuncios pactus fidelitatem Imperatrici, si respectu pietatis magis quàm ullius sui meriti, periclitantes, qui in ipsis captionis faucibus tenebantur, eximeret injuriæ.

Non habuit Comes Glocestriæ difficiles aures, indignitatem rei non ferens.... Ulciscendi ergo causâ Deum et sororem, simulque necessitudines suas liberandi, dedit se discrimini. Comitati sunt eum impigrè suæ fautores partis, quorum erat major exhæredatorum numerus, quos in Martem accendebat rerum amis-

C sarum dolor et conscia virtus.... Ventum ad supremum, ipsâ die Purificationis Beatissimæ Mariæ, ad flumen quod inter duos exercitus præterfluebat, Trentâ nomine, quod et ortu suo et pluviarum profluvio tam magnum fuerat, ut nullatenùs vado transitum præberet. Tum demùm et genero qui cum manu valida occurrerat, et cæteris quos ductaverat detegens animum, hoc sibi propositum jamdudùm esse adjecit, quòd nullâ unquam necessitate terga verteret; vel moriendum, vel capiendum esse, si non vicisset. Cunctis igitur bonâ spe ipsum implentibus (mirabile auditu) illicò belli discrimen initurus, prædicti rapacitatem fluminis cum omnibus suis nando transgressus est. Tantus erat Comiti ardor finem malis imponere, ut mallet ultima experiri, quàm regni calamitatem ulteriùs protendi; nam et Rex cum comitibus quampluribus et non inerti militum copia, bello se animosè, intermissâ obsidione, obtulerat. Ten-

D tavere primò regii proludium pugnæ facere, quod justam * vocant; quia tali arte erant periti. At ubi viderunt quòd Consulares, ut ita dictum sit, non lanceis eminùs, sed gladiis cominùs rem gererent, et infestis viribus et vexillis aciem regalem perrumperent; fugâ sibi omnes ad unum comites consuluere. Pauci Barones prædicandæ fidei et fortitudinis, qui Regem nec in hac necessitate deserendum ducerent, capti sunt : Rex ipse, quamvis ad se defendendum non ei defuisset animus, tandem a militibus Comitis Glocestriæ circumquaque aggressus, ictu lapidis cujusdam terræ procubuit; a quo autem id factum fuerit ignoratur. Ita omnibus circà se vel captis vel fugatis, cedendum pro tempore et teneri sustinuit.... Rex juxta morem illius generis hominum, quos captivos nominant, Imperatrici a fratre præsentatus Glocestriæ, post etiam ad *Bristow* ductus, et ibi honorificè præter progrediendi fa-

E cultatem servatus est primò. Succedenti verò tempore, propter insolentiam quorumdam palàm et probosè dictitantium, non expedire Comiti ut Regem secùs ac ipsi vellent servaret, simul et quia ipse ferebatur plus quàm semel, vel elusis vel delinitis custodibus, extra statutam custodiam noctu præsertim inventus, annulis ferreis innodatus est.

Interim et Imperatrix et Comes apud Legatum fratrem ejus nunciis egerunt, ut ipsam, tanquam Henrici Regis filiam et cui omnis Anglia et Normannia jurata esset, incunctanter in Ecclesiam et Regnum reciperet. XIV· kal. Martii * eo anno prima Dominica Quadragesimæ fuit. Ita mediantibus utrobique nunciis, ad hoc res expedita, ut ad colloquium in patenti planitie camporum citra Wintoniam convenirent.... Juravit et affidiavit Imperatrix Episcopo, quòd

* *Joute.* *Pag.* 188. * An. 1141.

(*a*) Filios nimirùm Luciæ Lincolniensis Comitissæ, ut videre est, T. XII. p. 737.

Digitized by Google

omnia negotia majora in Anglia, et præcipuè donationes Episcopatuum et A
Abbatiarum ejus nutum exspectarent, si eam ipse cum sancta Ecclesia in dominam reciperet et perpetuam ei fidelitatem teneret.... Nec dubitavit Episcopus Imperatricem in dominam Angliæ recipere, et ei cum quibusdam affidiare, quòd quamdiu ipsa pactum non infringeret, ipse quoque ei fidem custodiret. Crastino, quod fuit v Nonas Martii *, honorificâ factâ processione, recepta est in Ecclesia Episcopatûs Wintoniæ, Episcopo eodemque Legato eam
Pag. 189. ducente in dextero latere.... Sed ecce, dum ipsa (a) putaretur omni Angliâ statim posse potiri, mutata omnia. Londonienses semper suspecti et intra se frementes, tunc in aperti odii vocem eruperunt, insidiis etiam, ut fertur, dominam ejusque comites appetiverunt; quibus illi præcognitis et vitatis, sensim sine tumultu, quâdam militari disciplinâ, urbe cesserunt. Comitati sunt Imperatricem Legatus et Rex Scotiæ David, avunculus ejusdem viraginis, et frater B
ejus Robertus, in omnibus, ut semper, sic et tunc fortunarum sororis socius....

* Corr. xv Kal. Martii.

Nec multis post diebus surrexit simultas inter Legatum et Imperatricem, quem casum verè possum dicere fomitem omnium malorum rursum in Anglia fuisse : quod qualiter acciderit expediam. Habebat Rex Stephanus filium Eustachium nomine, ex filia Eustachii Comitis Bononiensis susceptum. Rex enim Henricus pater Imperatricis (ut altiùs repetam, ne veritas gestorum lateat posteros) sororem uxoris suæ, matrem istius dominæ, Mariam nomine, nuptum dedit prædicto Comiti, quòd esset is et amplis majoribus ortus, simulque prudentiâ et fortitudine juxtà insignis. Ex Maria Eustachius nihil liberorum tulit, præter filiam Mathildem vocabulo. Hanc, patre defuncto, nubilem idem magnificentissimus Rex Stephano nepoti, legitimo matrimonio, copulavit, et
pariter Bononiensem Comitatum industriè acquisivit; nam anteà Moritolien- C
sem in Normannia ex suo dederat. Hos Comitatus nepoti suo, quem nominavi, Eustachio Legatus jure dandos destinaverat, dum pater in captione teneretur : Imperatrice prorsùs abnuente, incertum an aliis etiam promittente.
Pag. 190. Quâ ille offensus injuriâ, multis diebus ab ejus abstinuit curia; et quamvis sæpè revocaretur, negare perseveravit. Intereà familiare apud *Geldeford* cum Regina uxore fratris colloquium habuit, et ejus lacrymis et satisfactione infractus, ad liberationem germani animum intendit....

Ad hos motus, si posset, componendos, Comes Glocestrensis non adeò denso comitatu Wintoniam contendit; sed re infectâ ad *Oxeneford* rediit, ubi soror stativâ mansione jamdudùm se continuerat. Ipsa itaque et ex his quæ continuò audiebat, et a fratre tunc cognovit, Legatum nihil molle ad suas partes cogitare intelligens, Wintoniam cum quanto potuit apparatu venit. D
Illic intra castellum regium sine cunctatione recepta, bonâ mente forsitan per nuncios Episcopum convenit, ut quia ipsa præsens erat, non pigritaretur ad eam venire. Ille non integrum sibi fore arbitratus, si veniret, ambiguo responso nuncios elusit, ... statimque misit propter omnes, quos Regi fautores sciebat.... Et ut magnam seriem rerum brevi verborum compendio explicemus, a Regina et comitibus qui venerant, undique foras muros Wintoniæ observatæ sunt viæ, ne victualia fidelibus Imperatricis inferrentur.... Wintonienses porrò vel tacito ei favebant judicio, memores fidei quam ei pacti fuerant, cùm inviti propemodùm ab Episcopo ad hoc adacti essent....

Comes interea, quamvis quotidiano regiorum prælio cum suis afflictaretur, minùsque quàm cogitaverat, res ex sententia caderet;... verumtamen indignitatem rei ultrà non ferens, se suosque penè obsideri et fortunam in E
alteros declinare, cedendum tempori ratus, compositis ordinibus, discessionem paravit. Itaque in primo agmine, ut liberè abiret, sororem præmittens cum reliquis, ipse cum paucis qui auderent animis multos non timere, lentè progreditur. Quapropter comitibus confestim insecutis, dum et ipse fugere pudori et citra dignitatem suam æstimat, et solus ab omnibus præcipuè impetitur, captus est; cæteri cœptum iter, Proceres præsertim continuavere, summaque cum festinatione Divisas pervenerunt. Sic a Wintonia die sanctæ Crucis

(a) Præter quàm quòd maxima pars Angliæ dominatum ejus jam susceperat, novissimè in Concilio Wintoniæ feriâ secundâ post Octavas Paschæ habito, conclamatum in hunc modum fuerat: *Invocatâ primò, ut par est, in auxilium divinitate, filiam pacifici Regis, gloriosi Regis, divitis Regis, boni Regis, et nostro tempore incomparabilis, Henrici, in Angliæ Normanniæque dominam eligimus, et ei fidem et manutenementum promittimus.*

Digitized by Google

A Exaltationis, * quæ tunc habebatur in Dominica, discessum, cùm illuc paucis ante Assumptionem Beatæ Dei Genitricis diebus ventum fuisset.... Illud verò percelebre magnificumque fuit, quòd pro isto eventu nemo Comitem Glocestriæ vel infractum mente, vel etiam tristem vultu vidit. Ita conscientiam altæ nobilitatis spirabat, ne se fortunæ ludibrio subjiceret. Quamvis enim primò blanditiis invitatus, post etiam minis lacesseretur, nunquam tamen inflexus est ut de liberatione sua præter conscientiam sororis tractaretur. Ad ultimum eo modo res ventilata, ut æquis conditionibus et Rex et ipse absolveretur : nullo pacto alio interveniente, nisi ut quisque partes suas pro posse, sicut priùs, tutarentur. Hæc ab Exaltatione Sanctæ Crucis usque ad festum omnium Sanctorum plurimo verborum agmine sæpè versata, tunc demùm debito fine conclusa.... Satis autem constat, toto tempore captionis et sequentibus mensibus usque ad Natale, multis et magnis pollicitationibus sollicitatum, ut a sorore descisceret, pluris semper pietatem germanitatis, quàm quaslibet promissiones fecisse....

* An. 1141.

Pag. 191.

B

Interea Legatus, immodici animi Pontifex, qui quod semel proposuisset non infectum relinquere vellet, Concilium pro jure Legationis suæ apud Westmonasterium die octavarum Sancti Andreæ coegit (*a*). Auditum est lectas in eo litteras domini Apostolici, quibus modestè Legatum argueret, quòd liberare fratrem suum dissimulasset.... Itaque jubere se de parte Dei et Apostolici, ut Regem voluntate populi et assensu Sedis Apostolicæ inunctum, quantis possent viribus, enixè juvarent : turbatores verò pacis, qui Comitissæ Andegav. faverent ad excommunicationem vocandos, præter eam quæ Andegavorum domina esset.

Utræque partes Imperatricis et Regis se cum quietis modestia egerunt, a

Pag. 193.

C Natali usque ad Quadragesimam, magis sua custodire, quàm aliena incursare studentes.... Superveniens Quadragesima *, omnibus vacationem bellorum indixit; quâ mediante, Imperatrix cum suis ad Divisas venit. Illic mysterium consilii sui habitum, quod tamen eatenùs exiit in vulgus, ut sciretur omnibus fautoribus complacitum, quatenùs pro Comite Andegavensi mitteretur, qui conjugis et filiorum hæreditatem in Anglia jure defensitare deberet. Missi sunt ergo spectabiles viri, et qui meritò tantæ rei curam exequerentur.... Nuncii ex Andegavis redeuntes, iteratò apud Divisas in ipsis octavis Pentecostes coacto concilio, Imperatrici et Principibus audita reportant : Comitem Andegavensem legationibus Procerum nonnulla ex parte favere; cæterùm solum ex omnibus Comitem Glocestrensem recognoscere, ejusque prudentiam et fidem, magnanimitatem et industriam probatam jam olim habuisse : is si ad se, transito mari, adveniat, voluntati ejus se pro posse non defuturum; alioquin cæteros in eundo et redeundo frustra laborem consumpturos. Ita omnium audientium spebus erectis, ad Comitem preces versæ, ut hunc laborem pro sororis et nepotum hæreditate dignaretur. Dissimulavit ille primò, difficilem rem prætendens; suspectum per confertissimos hostes iter citra et ultra mare; periculosum sorori, quam in absentia ejus alii ægrè tuerentur, qui eam in captione sua pœnè reliquerant, rebus suis ipsi diffisi. Favens tandem omnium unanimi voluntati, obsides poposcit, nominatim ab his qui Optimates videbantur, secum in Normanniam ducendos, vadesque futuros tam Comiti Andegavensi quàm etiam Imperatrici, quòd omnes, junctis umbonibus ab ea, dum ipse abesset, injurias propulsarent viribus suis, apud *Oxeneford* manentes. Acclamatum est sententiæ, datique obsides Normanniam ducendi.

* An. 1142.

D

E Robertus ergo valefaciens sorori, ductis secum obsidibus cum expeditis militibus,.... aliquantò post festum Sancti Johannis * alto se per Dei gratiam committens, naves quas tunc habebat, solvit : quæ ferè in medium mare delatæ, omnes præter duas tempestate coortâ in diversa jactatæ, quædamque retrò versæ, quædam ultra destinatum propulsæ sunt. Duæ solummodò, in quarum una Comes cum fidissimis erat, rectum cursum tenentes, in idoneam stationem appulerunt. Veniens itaque Cadomum, Comitem Andegavensem per nuncios accersivit. Venit ille non aspernanter; sed auditæ legationi sua impedimenta et ea multa objecit : inter quæ, quòd rebellione multorum castellorum in Normannia detineretur, quominùs in Angliam veniret. Ea res moras redeundi Co-

Pag. 194.

* An. 1142.

(*a*) Concilium hoc anno 1141 Pagius, sequenti verò *Wilkins* assignat, errorem Savilianæ editionis secutus.

Digitized by Google

miti Glocestrensi ultra placitum innexuit. Nam ut Andegavensem omni occa- A
sione nudaret, cum eo decem castella in Normannia expugnavit; sed propemodùm nihil quantùm ad legationem hâc promovit industriâ. Andegavensis Comes et alias occasiones, prioribus solutis, substituit, quibus in Angliam adventum excusaret suum. Magni sanè loco beneficii, filium suum ex Imperatrice primogenitum avunculo concessit, in Angliam ducendum : cujus intuitu Proceres justi hæredis partes propugnare animarentur. Henricus vocatur puer, nomen avi referens, utinam felicitatem et potentiam quandoque relaturus!

Interea Rex in Anglia Comitis absentiam aucupatus,... tribus diebus ante
* An. 1142. festum Sancti Michaelis * inopinato casu *Oxeneford* civitatem concremavit, et castellum, in quo cum domesticis militibus Imperatrix erat, obsedit : ita scilicet obfirmato animo, ut nullius spe commodi, nullius timore detrimenti discedendum pronuntiaret, nisi castello reddito et Imperatrice in ditionem suam B
redactâ. Mox Optimates omnes Imperatricis, confusi quia a domina sua præter statutum abfuerant, confertis cuneis ad *Walingeford* convenerunt, eo proposito ut Regem bello impeterent, si ipse in aperto campo Martem experiri voluisset; sed eum intra civitatem aggredi consilium non fuit, quam ita Comes Glocestriæ fossatis munierat, ut inexpugnabilis præter incendium videretur.

His rumoribus in Normannia disseminatis, Comes Robertus reditum maturavit. Trecentos itaque milites et aliquantò plures, quorum tamen numerus ad cccc. non pervenit, navibus LII imposuit.... In portum ergo *Warham* delatæ, Comites et omnes socios desideriis suorum felices carinæ restituere.... Inde omnes Imperatricis fautores ad Cirecestram convocavit, jam ingresso Domini Adventu. Ibi igitur ad dominæ suæ succurrendum omnibus viribus conspirati, profectionem ad *Oxeneford* meditabantur, infensis mentibus cum Rege, C
nisi abscederet, prælìatum iri. Enimverò jam progressis plausibile nuncium allatum est, egressam Imperatricem ab obsesso castello *Oxeneford*, et apud *Walingeford* tutò manere. Illuc ergo divertentes, ejusdem dominæ consilio, quia et milites, qui eâ exeunte remanserant, castello reddito, indemnes abierant, et sancti dies quiescere vel parùm admonebant, bello abstinendum rati, ad sua quisque sunt reversi...

EX HENRICI HUNTINDONIENSIS

ARCHIDIACONI HISTORIARUM (*a*) LIBRIS VIII.

D

Apud Henric. Savile, *inter rerum Anglic. Script. Francof.* 1601. *fol.*

EX LIBRO SEPTIMO.

Pag 372. HACTENUS de iis, quæ vel in libris veterum legendo reperimus, vel famâ vulgante percepimus, tractatum est. Nunc autem de his, quæ vel ipsi vidimus, vel ab iis qui viderunt audivimus, pertractandum est. Declaratumque constat quomodò Dominus salutem et honorem gentis Anglorum pro meritis abstulerit, et jam populum non esse jusserit. Patebit amodò quomodò ipsos Normannos vindices quidem suos variis cladibus afficere inceperit. Omnes namque nobiliores Procerum in Willielmum junìorem non sine perjurio bellum moventes, et Robertum fratrem suum in regnum asciscentes, suis quique provinciis debacchati sunt. Odo Præsul Bajocensis, Princeps et moderator Angliæ, E
in Cantia seditionem exordiens, Regis et Archiepiscopi villas invasit et com-
* *Ed.* Rogerus *malè.* bussit. Robertus * Comes de *Moretiel* circa *Pevense* idem incepit. Galfridus Episcopus [Constanciensis] prodiens a *Brigestou* urbem *Bade* et *Berchelai* et circum-
An. 1088. jacentia destruxit. Rogerus [*Bigod*] in castello *Nordwic* sceleris exercitium per *Estangle* non segnis inchoavit. Hugo [de Grentemaisnilio] in provincia Legecestriæ et Hamptoniæ nihil mitius egit. Willielmus Episcopus Dunelmiæ in

(*a*) Henricus Huntindoniensis Archidiaconus, cujus primum excerptum T. XI. p. 206 editum est, Historiarum delibationes breviter, sed accuratè ab origine Britonum contexuit : *nec enim,* inquit ad operis calcem, *de tot et tantis Regibus, atque de rebus per tot sæcula gestis, historiæ plenitudinem contexere potui, quod multos exigeret codices; sed potiùs Historiarum abbreviationes, ne posteros res gestæ penitùs laterent, in unum contraxi.* Hanc scribendi rationem ad obitum usque Guillelmi Conquestoris secutus, nullis deinceps, uti præmonet, utitur adminiculis.

Digitized by Google

A finitimis similia perpetravit. Principes verò *Hereforshyre* et *Salopescyre* cum Wallensibus, prædantes combusserunt provinciam *Wirecestre*, usque ad portas urbis... Rex autem, congregato Anglorum populo, reddidit venatus et nemora, legesque promisit exoptabiles. Perrexit igitur ad castellum *Tunebruge*, unde Gilebertus ei rebellabat. Cùm autem regalis exercitus jam castellum constringeret, cum Rege pacificatus est. Rex inde progrediens ad *Pevense*, obsedit ibi Odonem Episcopum et Rogerum [de Montegomerico] Consulem per sex hebdomadas. Interea Robertus Dux Normanniæ Angliam festinans adire et auxilio prædictorum obtinere, præmisit partem exercitûs in auxilium suorum, disponens cum copiis ingentibus eos persequi. Anglici verò mare custodientes, occiderunt et submerserunt ex illis innumerabiles. Igitur qui erant in *Pevense*, deficiente cibo, castrum Regi reddiderunt. Odo siquidem Episcopus juravit
B se ab Anglia recessurum, et castellum Rovecestriæ * redditurum. Cùm autem ut illud redderet cum Regis hominibus eò venisset, Eustacius Consul et cæteri Proceres qui urbi inerant, fallaciâ ipsius Episcopum Regisque ministros ceperunt et in carcerem retruserunt. Quibus Rex auditis, Rovecestriam obsedit, donec firmitas reddita est, et Episcopus Odo non rediturus mare transiit. Mittens quoque Rex exercitum, Dunelmiæ obsedit urbem, donec reddita est ei. Episcopus verò multique proditorum propulsi sunt in exsilium. Rex verò terras infidelium fidelibus suis distribuit....

* *Rodhester.*

Junior Willelmus anno III * regni sui, ulcisci paratus injurias quas ei frater suus ingesserat, muneribus datis, acquisivit sibi castellum Sancti Walarici et *Albemarle* (*a*) : qui milites suos mittens, prædari et comburere terram fraternam cœpit. Anno verò sequenti *, Rex ipse sequens eos, concordiam cum
C fratre suo fecit, eo tamen pacto, ut castra illa quæ frater ab eo injuriâ acquisierat, Regi remanerent; Rex autem adjuvaret eum ad omnia quæ pater suus habuerat conquirenda. Statuerunt etiam, si quis eorum moreretur prior altero sine filio, quòd alter fieret hæres illius. Hoc pactum juraverunt duodecim Principes vice Regis, et duodecim vice Ducis. Interea *Melcolm* Rex Scottorum prædatum veniens in Angliam, validissimè vexavit eam. Venientes igitur in Angliam Rex et cum eo Robertus frater suus, direxerunt acies in Scotiam. Itaque *Melcolm* nimio timore perstrictus, homo Regis effectus est et juramento fidelitatis ei subjectus. Robertus autem Dux cum fratre suo diu perendinans, cùm plus ficti amoris quàm veri circa eum reperisset, transfretavit ad propria....

* An. 1089.

* An. 1090.

An. 1091.

Junior Willelmus VII * anno regni sui, provocatus a fratre quòd jusjurandum
D non servasset, transfretavit in Normanniam. Cùm ergo fratres simul venissent, juratores omnem culpam Regi imposuerunt. Rex verò ferus ea negligens et iracundè discedens, castellum *Bures* invasit et cepit. E contra Dux castellum *Argences* cepit, et in eo Consulem Regis nomine Rogerum Pictavensem, et cum eo DCC. milites, et postea castrum *Hulme*. Fecit interim Rex submoneri XX millia peditum Anglorum ut venirent in Normanniam; cùm autem ad mare venissent, Rex ab unoquoque eorum pecuniam victualem, scilicet decem solidos accipiens, eos domum remisit. Dux verò Robertus adduxit Philippum Regem Francorum secum et exercitum copiosum, ut obsiderent Willielmum apud *Hou*. * Ingenio autem et pecuniâ Regis Willielmi Rex Francorum reversus est, et sic totus exercitus pecuniæ tenebris obnubilatus evanuit. Rex verò Willielmus mandavit Henrico fratri suo, qui erat apud *Damfrunt* *, ut
E esset in Natali contra eum in Anglia. Henricus ergo in Natali fuit apud Londoniam, Rex verò apud *Withsand*, unde appulit Doroberniam.

* An. 1094.

* *Eu.*

* *Domfront.*

Anno verò sequenti * misit Henricum fratrem suum in Normanniam cum pecunia multa, ut eam loco Regis diutinis invasionibus expugnaret. Cùm autem Robertus [de Molbraio] Consul Nordhumbræ in superbiam elatus, quia Regem

* An. 1095.

(*a*) Ordericus Vitalis Libro VIII, Normanniæ Proceres Anglici Regis partes amplexos recenset. « Primus Normannorum Stephanus de Albamarla, *inquit*, filius Odonis Campaniæ Comitis, » Regi adhæsit, et regiis sumptibus castellum suum » super Aucium fluvium vehementer munivit, » in quo validissimam Regis familiam contra Ducem suscepit. Quem mox Gornacensis Girardus » secutus est, nam Gornacum et Firmitatem et » Goisleni-fontem, aliasque munitiones suas Regi » tradidit, finitimosque suos regiæ parti subjicere » studuit. Deinde Robertus Aucensium Comes, et » Gauterius-Giffardus, et Radulfus de Mortuomari, et penè omnes qui trans Sequanam usque » ad mare habitabant, Anglicis conjuncti sunt, » et de regiis opibus ad muniendas domos suas » armis et satellitibus, copiosam pecuniam receperunt ».

Digitized by Google

Scottorum straverat, curiam Regis adire repudiaret, (*a*) promovit Rex exercitum in *Nordhumbre*, statimque in quadam firmitate quæ vocatur Novumcastellum, omnes meliores Consules et Proceres cepit. Inde verò castellum *Tinemuth* conquisivit et fratrem Consulis in eo. Post hæc obsedit Consulem ad *Babanburch*, quod cùm armis inexpugnabile videret, paravit ante illud castellum aliud, quod appellavit *Malveisin*, in quo partem relinquens exercitûs, recessit. Quâdam verò nocte cùm Consul recessisset a *Babanburch*, secutus est eum regalis exercitus usque in Tinemutham : ubi cùm se defendere conaretur, nec posset, vulneratus est et captus, et apud *Winleshores* in carcere positus. Ergo redditum est Regi castrum *Babanburch*, fautores verò Consulis malè pacati sunt. Nam Willielmus de *Ou* oculis privatus est, Odo Consul Campaniæ cæterique complures exhæredati sunt.... A

An. 1096. Anno MXCVI, facta est motio Jerosolymitana, prædicatione Urbani Papæ. Robertus igitur Dux Normanniæ illuc proficiscens, posuit Normanniam in vadimonium fratri suo Regi Willielmo. Ivit autem cum eo Robertus Dux Flandriæ et Eustachius Consul Boloniæ. Iverunt et ex alia parte Dux Godefridus, et Consul de Monte Baldewinus, Reges Jerusalem futuri. Iverunt quoque ex tertia parte Comes de Sancto Ægidio Reimundus et [Ademarus] Episcopus Podiensis. Quis autem taceat Hugonem Magnum fratrem Regis Francorum, Stephanum Comitem de *Blais*, Quis non memoret Buamundum et nepotem ejus Tancredum? Hoc est miraculum Domini magnum temporibus nostris factum, sæculis omnibus inauditum, ut tam diversæ gentes, tot fortissimi Proceres, relictis possessionibus splendidis, uxoribus et filiis, omnes unâ mente loca ignotissima, morte spretâ, petierint.... B

* An 1097. Junior Willielmus anno X * regni sui, cùm Normanniam quam a Roberto fratre suo ad Jerusalem profecto in vadimonium acceperat, pro libitu suo disposuisset, rediit ad vigiliam Paschæ in Angliam,... et ad festum Sancti Martini mare transiens in Normanniam.... Eodem anno cometa apparuit. C

* An. 1098. Junior Willielmus, anno XI * regni sui, in Normannia fuit semper hosticis tumultibus et curis armorum deditus, tributis interim et exactionibus pessimis populos Anglorum non abradens, sed excorians.... Eodem anno Hugo Consul * Bellismo. *Salopiscire* occisus est ab Hibernensibus, cui successit Robertus de *Belem* * frater ejus.

An. 1099. Junior Willielmus anno XII regni sui, rediens in Angliam tenuit primùm curiam suam in nova aula apud *Westminster*.... Rursùs, cùm venaretur in Novo-foresto, venit ei subitò nuncius a Cenomannia, dicens ei familiam suam ibi obsideri. Illicò Rex festinus ad mare veniens naves introivit; cui nautæ : « Cur, Regum maxime, tempestate intolerabili maris alta lacessis, et mortis imminens periculum non formidas? » Quibus Rex : « De Rege fluctibus submerso loqui non audivi ». Ergo mare transiens, nihil, dum viveret, egit, unde tantam famam, tantum gloriæ decus haberet. Cenomanniam verò petens, Heliam Consulem fugavit, et sui juris esse jussit, et in Angliam rediit.... D

An. 1100. MC. anno gratiæ, XIII regni sui, Rex Willielmus vitam crudelem misero fine terminavit : namque... ivit venatum in Novo-foresto in crastino kal. Augusti, ubi Walterus *Tyrel* cum sagitta cervo intendens, Regem percussit inscius : Rex corde ictus corruit, nec verbum edidit.... Ipse namque ferus ultra hominem erat, et consilio pessimorum quod semper eligebat, suis nequam, sibi nequissimus, vicinos werrâ, suos exercitibus frequentissimis et geldis continuis vexabat, nec respirare poterat Anglia miserabiliter suffocata. Cùm autem omnia raperent et subverterent qui Regi famulabantur, ita ut adulteria etiam violenter et impunè committerent, quidquid anteà nequitiæ pullulaverat, in perfectum excrevit; quidquid anteà non fuerat, his temporibus pullulavit. Invisus namque Rex nequissimus Deo et populo, Episcopatus et Abbatias aut vendebat, aut in manu sua retinens ad firmam dabat : hæres autem omnium esse studebat.... Postremò quidquid Deo Deumque diligentibus displicebat, hoc Regi Regemque comitantibus placebat. Nec luxuriæ scelus tacendum exercebat occultè, sed ex impudentia coram sole. Sepultus est autem in crastino per- E

(*a*) Nempè, ut ait Rogerius Hovedenus, *Robertus de* Moulbrai *Comes Northimbrensis et Willielmus de* Ou, *cum multis aliis Regem Willielmum regno vitâque privare, et filium amitæ illius Stephanum de Albamarla conati sunt Regem constituere, sed frustra.*

ditionis

A ditionis suæ apud *Wincester*, et Henricus frater ejus junior ibidem in Regem electus,... pergensque Londoniam sacratus est ibi a Mauricio Londoniensi Episcopo, melioratione legum et consuetudinum optabili repromissâ. His auditis, Anselmus Archiepiscopus rediens in Angliam desponsavit Matildem, filiam *Malcolm* Regis et Margaritæ Reginæ, Henrico Regi novo... Rediit Robertus Dux in Normanniam mense Augusto, et cum lætitia susceptus est ab omni populo...

Henricus Rex cùm ad Natale tenuisset curiam suam ad *Westminster*, et ad Pascha apud *Wincestre*, commoti sunt Principes Angliæ erga Regem causâ Roberti fratris sui advenientis cum exercitu. Misit autem Rex in mare navale prælium gesturos contra fratris sui adventum : sed quædam pars eorum subdidit se Roberto venienti. Cùm ergo appulisset *Portesmuth* ante kalendas Augusti, et Rex tenderet contra eum cum maximis copiis, Principes utrimque fraternum bellum B non perferentes, concordiæ fœdus inter illos statuerunt, eo pacto quòd Robertus unoquoque anno tria millia marcarum argenti haberet ab Anglia, et qui diutiùs viveret hæres alterius esset, si alter absque filio moreretur. Hoc autem juraverunt duodecim eximiores Procerum utrimque. Robertus igitur in pace perendinavit usque ad festum Sancti Michaelis in regno fratris sui et ad propria rediit... An. 1101.

Henricus Rex quemdam Consulem nequissimum et perfidum, Robertum de *Belesme*, jure in eum exurgens exsulavit. Obsedit namque prius castellum *Arundel*, quod cùm gravissimum esset ad conquirendum, castellis ante illud constructis, ivit et obsedit *Bruge*, quousque castellum ei redditum est, et Robertus de *Belesme* gemebundus in Normanniam migravit.... An. 1102.

Anno sequenti * venit Robertus Normannorum Consul in Angliam (*a*) causisque variis intercedentibus et cautâ Regis versutiâ, condonavit ei ter millia marcas, quas Rex debebat ei per annum.... * An. 1103.

Curriculo anni sequentis, Rex et frater suus discordati sunt, causis intercedentibus. Misit ergo Rex milites in Normanniam, qui a proditoribus Consulis recepti, prædis et combustionibus non minimam cladem rebus consularibus ingesserunt. Willielmus verò Consul de *Morteuil*, causâ perfidiæ ab Anglia exhæredatus a Rege, in Normanniam discedens, animo perfecto et exercitio ferventi vir probissimus indixit et infixit regalibus turmis werram calamitate refertam.... An. 1104.

Henricus Rex, quinto anno regni sui, perrexit in Normanniam contra fratrem suum certaturus. Conquisivit igitur Cadomum pecuniâ, Bajocum armis et auxilio Consulis Andegavensis [Gaufredi Martelli II]. Cepit quoque alia D plurima castra, et omnes ferè Principes Normanniæ Regi se subdiderunt. His actis, mense Augusto rediit in Angliam. An. 1105.

In anno quidem sequenti * venit Dux Normannorum ad Regem fratrem suum apud *Northamptune*, amicabiliter ab eo petens ut ablata sibi fraternâ redderet gratiâ. Cùm verò Deus eorum concordiæ non assentiretur, Dux iratus perrexit in Normanniam, et Rex ante Augustum secutus est eum. Cùm ergo Rex obsedisset castrum *Tenerchebrai* *, venit Dux Normannorum et cum eo Robertus de *Belesme* et Consul de *Morteuil* *, et omnes fautores ejus. Rex verò secum omnes Proceres Normanniæ et robur Angliæ et Andegavis et Britanniæ non improvidus habebat. Igitur cùm cornua rauco strepuissent cantu, Dux Normanniæ cum paucis multos audacissimè aggressus est, assuetusque bellis Jerosolymitanis aciem regalem fortiter et horrendè repulit. Willielmus quoque E Consul aciem Anglorum de loco in locum turbans promovit; cùm acies equestris Britannorum (Rex namque et Dux et acies cæteræ pedites erant, ut constantiùs pugnarent) aciem Ducis ex adverso promens subitò diffidit, et mole magnitudinis oppressa gens Ducis dissoluta est et victa. Robertus verò de *Belesme* simul hoc aspexit, fugâ sibi consuluit. Captus est igitur Dux fortissimus Normannorum Robertus, et Willielmus Consul de *Morteuil*; reddiditque Dominus vicem Duci Roberto, quia cùm gloriosum reddidisset eum in actibus Jerosolymitanis, regnum Jerusalem oblatum sibi renuit, magis eligens quieti et desidiæ in Normannia deservire, quàm domino Regum in Sancta Civitate de- * An. 1106.

* *Tinchebrai.*
* *Mortain.*

(*a*) Eodem anno alterum hunc Roberti Ducis in Angliam accessum consignant plerique Scriptores Angli, Florentius Wigorn, Simeon Dunelm, Rogerius Hovedenus, etc. Ast illum Guillelmus Malmesb, cum Orderico Vitali ad an. 1102, retrahit.

Digitized by Google

sudare. Damnavit igitur eum Deus desidiâ perenni et carcere sempiterno. Hujus rei signum in eodem anno cometa apparuerat.... A

* An. 1107. Henricus Rex, anno VII * regni sui, cùm deletis et subjectis hostibus, Normanniam pro libitu disposuisset, rediit in Angliam, fratremque suum Ducem magnificum et consulem de *Morteuil* carceralibus ingessit tenebris. Igitur victoriosus et tunc primùm Rex fortis tenuit curiam suam ad Pascha apud *Winlesores*, in qua Proceres Angliæ simul et Normanniæ cum timore et tremore affuerunt. Antea namque et dum juvenis fuisset, et postquam Rex fuerat, in maximo habebatur despectu : sed Deus qui longè aliter judicat quàm filii hominum, qui exaltat humiles et deprimit potentes, Robertum omnium favore celeberrimum deposuit, et Henrici despecti famam per orbem terrarum clarescere jussit, deditque ei gratis tria Dominus omnipotens munera, sapientiam, victoriam, divitias, quibus ad omnia prosperans omnes suos antecessores præcessit, unde omnes suos ditavit.... B

* An. 1108. Henricus, octavo anno * regni sui, cùm decessisset Philippus Rex Francorum, transiit in Normanniam contra Lodovicum filium Philippi, Regem Franciæ novum, werram promovens maximam....

* An 1109. Tempestate sequentis anni * missi sunt ab Henrico Imperatore Romano nuncii, mole corporis et cultuum splendoribus excellentes, filiam Regis in domini sui conjugium postulantes. Tenens igitur curiam suam apud Londoniam, quam nunquam splendidiorem tenuerat, sacramenta depostulans de connubio filiæ suæ, ab Imperatoris recepit legatis ad Pentecosten. Obierat autem Anselmus

* An. 1110. Archiepiscopus Christi Philosophus in Quadragesima. Anno igitur sequenti * data est filia Regis Imperatori, ut breviter dicam, sicut decuit....

Eodem anno, cùm Rex curiam suam tenuisset ad Pentecosten apud novam *Winlesores*, quam ipse ædificaverat, exhæredavit eos qui ei nocuerant, scilicet Philippum de *Brahuse*, et Willielmum *Malet*, et Willielmum *Bainard*. Helias verò Consul Cenomanniæ, qui eam sub Henrico Rege tenebat, vitâ privatus est. At [Fulco] Consul Andegavensis suscepit Cenomanniam, cum filia ipsius, et tenuit eam contra Regem Henricum. Hoc in anno apparuit cometa quidam more insolito; cùm namque ab oriente insurgens in firmamentum ascendisset, regredi videbatur.... C

* An. 1111. Henricus Rex, anno XI * regni sui, pergens in Normanniam contra Comitem Andegavensem, qui Cenomanniam eo tenebat invito, werræ leges in eum ferro et flammâ exercuit constanter. Decessit autem Robertus Consul Flandriæ, qui Jerosolymitano clarissimus interfuerat itineri, unde memoria ejus non pertranseat in æternum : post quem Baldwinus filius ejus Consul effectus est, juvenis omninò strenuus armis. D

An. 1112. Proximo anno * exsulavit Rex Consulem de *Evreus* (*a*) et Willielmum *Crispin* a Normannia, cepitque Robertum de *Belesme* virum nequissimum (*b*), de quo

* An. 1113. prædiximus, rediensque anno sequenti * in Angliam posuit eum in carcerem

* An. 1114. perennem apud Warram. Succedenti autem anno *... cometa ingens in fine Maii

* An. 1115. apparuit. Rex verò transiit in Normanniam, et anno sequenti * fecit omnes Proceres patriæ fidelitatem domino debitam Willielmo filio suo jurare, et in Angliam rediit.

* An. 1116. Henricus Rex XVI * anno regni sui ,... cùm ad Pascha transfretasset in Normanniam, fuit maxima discordia inter eum et Regem Francorum. Causa autem hæc erat : Thedbaldus Consul Blesensis, nepos Regis Henrici, contra domi-

(*a*) Guillelmus Comes Ebroicensis, et Helvisa Comitissa, quæ suâ procacitate magnam sibi invidiam conflaverat, *quia dangionem Regis apud Ebroas dejecerunt,* inquit Ordericus, *et in aliis quibusdam causis, in quibus herilis fidelitas non benè servata titubaverat, Regem offenderunt, exhæreditati de Normannia bis in Andegavorum regionem exulaverunt.* Prioris exsilii tempus incompertum; sed posterius an. 1113 finem habuit, eodem Orderico teste, in concordia ad Petram-peculatam primâ Quadragesimæ hebdomade icta, postquam Guillelmus menses 14 apud Andegavos exsulasset: qui quidem anno 1118 vitæ finem imposuit.

(*b*) De hoc eodem Roberto hæc rursùs habet Huntindoniensis noster epistolâ ad Walterum. (*Spicil. in-fol.* T. III. p. 505. *in*-4°. T. VIII. p. 187.) *Vidisti,* inquit, *Robertum de* Bellesme, *qui Princeps Normannensis in carcerem positis erat Pluto, Megera, Cerberus, vel si quid horrendius scribi potest; nec curabat captos redimere, sed interimere. Filioli sui oculos sub clamyde positi quasi ludens pollicibus extraxit. Homines utriusque sexûs ab ano usque in ora palis transforabat. Erat ei cædes horribilis hominum cibus jocundus animæ. Erat igitur in ore omnium positus, ut dicerentur in proverbiis mirabilia Roberti de* Bellesme. *Tandem veniamus ad finem, ad rem scilicet optabilem. Qui cæteros in carcere vexaverat, in carcere perenni a Rege Henrico positus, longo supplicio sceleratus deperiit; quem tantopere coluerat, dum viveret, in carcere utrùm viveret, vel obiisset nescivit. Diem quoque mortis ejus obmutescens ignoravit.*

Digitized by Google

A num suum Regem Francorum arma promoverat, in cujus auxilium Rex Anglorum duces suos militiamque suam misit, et Regem Lodovicum non mediocriter afflixit. Spatio igitur sequentis anni * gravissimus labor Henrico Regi insurrexit, juraverunt namque Rex Francorum et Consul Flandrensis et Consul Andegavensis, se Normanniam Regi Henrico ablaturos, et Willielmo filio Roberti Ducis Normannorum eam daturos. Multi etiam Procerum Regis recesserunt ab eo, quod maximo ei fuit detrimento. Rex tamen non improvidus in auxilio suo Thedbaldum prædictum et Consulem Britannorum habebat. Venerunt igitur Rex Francorum et Consul Flandrensis cum exercitu in Normanniam, in qua cum unâ nocte fuissent, formidantes adventum Regis Henrici cum Anglis et Normannis et Britannis, ad sua sine bello reversi sunt. Hoc anno pro necessitatibus Regis, geldis creberrimis et exactionibus variis Anglia compressa est... * An. 1117.

B Curriculo anni sequentis * continua debellatio jam dictorum Principum gravissime Regem vexavit donec Baldwinus strenuissimus Flandriæ Consul apud *Ou* in Normannia seditione militari funestè vulneratus ad sua recessit. Porrò Robertus Consul de *Mellent*, sapientissimus in rebus sæcularibus omnium usque in Jerusalem degentium, et Regis Henrici Consiliarius, in fine stultus apparuit. Etenim cùm terras quas abstulerat, Sacerdotum suasu nec reddere, nec confessionem qualem oportuit vellet inire, corde pauperrimus quasi spontè deperiit (*a*).... Tunc quoque Regina Matildis luce caruit [Kal. Maii]. * An. 1118.

Rex Henricus LII anno * ex quo Normanni Angliam obtinuerunt, regni verò sui anno· XIX, pugnavit gloriosè contra Regem Francorum. Præposuerat quidem Rex Francorum aciem, cui præerat Willielmus filius Roberti, fratris Henrici Regis. Ipse verò cum maximis viribus in sequenti erat agmine. Rex C verò Henricus in prima acie Proceres suos constituerat; in secunda cum propria familia eques ipse residebat; in tertia verò filios suos cum summis viribus pedites collocaverat. Igitur acies prima Francorum agmen Procerum Normanniæ statim equis depulit et dispersit. Postea verò aciei quâ Rex Henricus inerat, collidens, et ipsa dispersa est. Acies itaque regales sibi invicem offenderunt, et acerrimè pugnatum est : hastæ franguntur omnes, gladiis res agitur. Interim Willielmus *Crispin* Regis Henrici caput gladio bis percussit, cùmque lorica esset impenetrabilis, magnitudine tamen ictuum ipsa lorica aliquantulùm capiti Regis inserta est, ut sanguis prorumperet. Rex verò percussorem suum ita gladio repercussit, ut cùm galea esset impenetrabilis, mole tamen ictûs equitem et equum prosterneret, et mox ante regios pedes captus est. Sed acies pedestris in qua filii Henrici Regis inerant, nondùm percutiens, sed mox percussura, D lanceis inclinatis ex adverso insurrexerunt. Quod Franci videntes, horrore insperato liquefacti, terga dederunt. Henricus autem Rex victoriæ perstitit in campo, donec Optimates hostium capti sunt et ante pedes ejus positi. Reversus verò Rotomagum in signorum sonitibus et Cleri concentibus Deum et Dominum exercituum benedixit; de cujus magnificentia victoriæ sic quidam scripsit heroicè :

Henricus Regum Rex et decus, abstulit altos
Francigenis animos; Lodovicum namque Nugensi (*b*)
Rex Regem campo, magnum major superavit.
Præposuere fugam bellis, calcaria telis
Galli præcipites : famâ spoliisque potitos
Laurea Normannos et laus æterna coronat.
Sic decus iste Ducum, sic corda tumentia pressit,
Oraque Francorum mutire superba coegit.

E

Eodem anno * Papa Gelasius obiit et sepultus est apud Cluniacum. Tunc Wido Viennensis Archiepiscopus electus est in Papam, vocatus Calixtus, et tenuit Concilium Remis. Inde profectus est *Gisors* contra Regem Henricum, et collocuti sunt Sacerdos magnus et Rex magnus. Baldwinus etiam Consul Flandriæ per vulnus quod in Normannia acceperat, decessit : cui successit Carolus cognatus ejus, filius *Cnut* sancti Regis Dacorum. * An. 1119.

Anno MCXX gratiæ, omnibus domitis et pacificatis in Gallia, cum gaudio Rex Henricus rediit in Angliam; sed in maris transitu duo filii Regis Willielmus et Richardus, et filia Regis et neptis, necnon et multi Proceres, An. 1120.

(*a*) Quæ de eodem scripsit Huntindoniensis ad Walterum amicum, vide supra p. 16.

(*b*) Brennivillense prælium intelligit, quod propè Nogionem ad Andelam fl. commissum est.

Digitized by Google

Dapiferi, Camerarii, Pincerna Regis, et Richardus Consul Cestriæ, nau- A
fragati sunt : qui omnes vel ferè omnes sodomiticâ labe dicebantur et erant irretiti (*a*). Ecce coruscabilis Dei vindicta ! Deperierunt etenim et omnes ferè sepulturâ caruerunt. Improvisè igitur mors absorbuit emeritos, cùm mare tranquillissimum ventis careret...

Henricus Rex ad Natale fuit apud *Bramtune* cum Thedbaldo Consule Blesensi, et posthac apud *Winlesores* duxit Adelidam filiam Ducis Luvaniæ causâ
* An. 1121. pulchritudinis,... et ad Pentecosten * fuit diadematus cum Regina sua nova apud Londoniam...
* An. 1122. Henricus Rex fuit anno sequenti * [in Anglia]... Anno verò huic pro-
* An. 1123. ximo *.. circa Pentecosten mare transiit, et recessit ab eo [Walerannus] Comes de *Mellend* discordiâ propalatâ. Rex autem castellum ejus, quod vocatur
* An. 1124. *Puntaldemer*, obsedit et cepit. Anno verò sequenti * Rex fortunatè glorifi- B
catus est. Willielmus namque de *Tancarville* Camerarius Regis, aciebus structis confligens, cepit Comitem prædictum, et Hugonem de *Munford* sororium ejus, et Hugonem filium Gervasii, et tradidit eos Regi : Rex autem posuit eos in carcerem.
* An. 1125. Sequenti anno * toto Rex fuit in Normannia.... Eodem anno obiit Henricus Imperator, gener Henrici Regis. Operæ pretium verò est audire quàm severus Rex fuerit in pravos. Monetarios enim ferè omnes totius Angliæ fecit ementulari et manus dextras abscindi, quia monetam furtivè corruperant....
* An. 1126. XXVI * anno regni sui, Rex Henricus ad Natale et Pascha, et ad Pentecosten moratus est in Normannia, et confirmatis pactis cum Franciæ Principibus, qualia Regem victoriosissimum decebat, circa festum sancti Michaëlis rediit in Angliam. Adduxit siquidem secum filiam suam Imperatricem, tanto viro, ut prædictum est, viduatam.... C
* An. 1127. Anno sequenti * Rex... in Quadragesima et Pascha fuit apud *Wodestoc*, ubi nuncius dixit ei : « Carolus Comes Flandrensis tibi dilectissimus, nefandâ proditione oc-
* *Bruges.* » cisus est a Proceribus in templo apud *Brige* *. Rex autem Francorum dedit » Flandriam Willielmo nepoti et hosti tuo, qui jam valdè roboratus diversis » cruciatibus omnes proditores Caroli multavit ». Super his igitur Rex anxiatus,... cùm ad Pentecosten fuisset apud *Wincester*, misit filiam suam in Normanniam desponsatum filio Consulis Andegavensis, et secutus est eam ipse Rex in Augusto.
* An 1128. Henricus Rex sapientissimus toto sequenti anno * moratus in Normannia perrexit hostiliter in Franciam, quia Rex Francorum tuebatur nepotem et hostem suum.
* *Epernai.* Perendinans igitur apud Sparnum * octo diebus, tam securè ac si in regno suo esset, compulit Regem Lodovicum auxilia Comiti Flandrensi non ferre (*b*)....

(*a*) De iis rursus Huntindoniensis epistola ad Walterum de contemptu mundi, *Spicil. in-fol.* T. III. p. 504. *in*-4°. T. VII. p. 186. « Vidimus igitur Wil» lelmum filium Regis, vestibus sericis et auro » consutis indutum, famulorum et custodum turbâ » consertum, gloriâ quasi cœlesti coruscantem. » Ipse unicus erat Regis et Reginæ filius, nec du» bitabat se diademate sublimandum. Enimverò » nescio quid magis afferebat ei certa spes in fu» turum regnandi, quàm patri suo ipsa essentia » regni, quia patri magnum regnandi spatium jam » præterierat, filio verò totum adhuc servabatur. » Pater etiam jam de amissione cum mentis an» garia cogitabat, filius verò tantùm ad habendum » cum gaudio totus inhiabat. Displicebat autem » mihi, et in animo meo cladem futuram porten» debat nimius circa eum cultus et nimius in ipso » fastus, et dicebat animus meus : *hic adeò delicatus* » *nutritur in cibum ignis*. Ille autem semper de regno » futuro, de fastigio superbo tumidus cogitabat. » Deus autem dicebat : *Non sic impii, non sic*. Con» tigit igitur ei quòd pro corona auri, rupibus » marinis capite scinderetur, pro vestibus deau» ratis nudus in mari volutaretur, pro celsitudine » regni manis in profundo piscium ventribus se» peliretur. Hæc fuit mutatio dexteræ Excelsi. Ri» chardus autem Consul Cestrensis, filius unicus » Hugonis Consulis, summo splendore nutritus, » summâ expectatione patris hæres eximius, adhuc » imberbis in eadem navi deperiit, et eamdem se» pulturam habuit. Richardus quoque filius Regis » nothus, ab Episcopo nostro Roberto festivè nu» tritus et in eadem quâ degebam familia a me » et aliis celebriter honoratus, cujus indolem » mirabamur, et magna quæque exspectabamus, in » eadem navi cautibus illisa, cùm mare ventis ca» reret, subitâ morte raptus est et a mari voratus » est. Cùm igitur Willelmus regius nepos, filius » scilicet Roberti Normannorum Ducis, jam solus » Regius esset hæres et omnium exspectatione di» gnus judicaretur, probitate ineffabili Consula» tum Flandriæ adeptus esset, et vigore inexter» minabili Theodoricum signis collatis supe» rasset, parvo ictu sauciatus in manu, deperiit. » Omnes qui eum Regem futurum securi exspecta» bant, et qui jus ad libitum præjudicabant, illusi » sunt ».

(*b*) Narrat Historicus Henricum ibi Francorum Regum originem a quodam non indocto quæsiisse, quam a Trojanis per Antenor deductam sic ille concludit : « Lodovico [Lotharii filio] » defuncto, Francorum Proceres Regem super se » statuunt Hugonem Ducem, qui filius Hugonis » Magni Ducis fuit. Hugo vero Rex genuit piis» simum Regem Robertum. Robertus verò genuit » tres filios : Hugonem dulcissimum Ducem, » Henricum Regem amantissimun, Robertumque » Burgundiæ Ducem. Henricus Rex genuit Philip» pum Regem, qui ad finem monachatus est, et » Hugonem Magnum, qui in motione Jeroso» lymitana Jerosolymam cum multis ducibus Europæ » debellatum eam petiit super Paganos, anno ab » Incarnatione Domini MXCVI. Philippus verò Rex » genuit Lodovicum, qui regnat in præsenti : qui, si » probitatis antiquorum vestigia teneret, tam secure » in regno ejus non quiesceres ».

Digitized by Google

A His actis, reversus est Rex Henricus in Normanniam. Advenit autem a partibus Alemanniæ quidam Dux Theodoricus, Flandriam calumnians, quosdam Proceres Flandriæ secum habens, et hoc suasu Regis Henrici. Willielmus autem Comes Flandrensis, aciebus ordinatis, obviam venit ei. Pugnatum est acriter : Willielmus Consul numerum suorum, cùm pauci essent, supplebat probitate inexterminabili. Cruentatus igitur omnia arma sua sanguine hostili, findebat ense fulmineo cuneos hostium, nec pondus potuerunt terribile juvenilis brachii perferre hostes perterriti et fugæ dediti. Victoriosissimus itaque Consul dum castrum * hostile obsideret, et in crastino reddi deberet, jam penè annihilatis hostibus, Deo volente, parvo vulnere sauciatus in manu, deperiit (*a*)... * *Alost.*

Hoc etiam anno * Hugo de *Payens*, Magister Militum templi Jerosolymitani, veniens in Angliam secum multos duxit Jerusalem, inter quos Gaufridus Andegavensis Consul, Rex futurus perrexit (*b*).... * An. 1128.

B Sequenti anno * Lodovicus Rex Francorum fecit sublimari filium suum Philippum in Regem. Rex verò Henricus, pacificatis omnibus quæ in Francia, Flandria, Normannia, Britannia, Cenomannia, Andegavia erant, cum gaudio in Angliam rediit... * An. 1129.

Contigit etiam quòd filius Regis Francorum Philippus, qui diademate regni fuerat, ut prædictum est, decoratus, dum cornipedem ludens agitaret, obvium suem habuit, [quem] cùm pedes equi currentes offenderent, cecidit Rex novus, et fractis cervicibus exspiravit (*c*). Ecce res misera et insolita et admiratione dignissima. Ecce quanta celsitudo quàm citò annihilata est.

Anno xxx * regni sui, Rex Henricus... ad festivitatem sancti Michaëlis transiit in Normanniam. Eodem anno decessit Honorius Papa. Sequenti anno * * An. 1130. * An. 1131.

C recepit Rex apud Carnotum Papam Innocentium, Anacleto subjici recusans. Hos enim utrosque Romani bipartiti elegerant : expulsus verò ab urbe Innocentius vi Anacleti, qui Petrus de *Leves* priùs vocabatur, auxilio Regis Henrici receptus est per totas Gallias. Post quod in æstate rediit in Angliam, secum filiam suam adducens. Fuit igitur in Nativitate sanctæ Mariæ magnum placitum apud *Nordhamtune*, in quo congregatis omnibus Principibus Angliæ, deliberatum est quòd filia sua redderetur viro suo, scilicet Consuli Andegavensi eam requirenti. Missa autem post hæc filia Regis viro suo, recepta est fastu tantâ viragine digno....

Anno regni sui xxxiii * fuit Rex Henricus ad Natale apud *Winlesores* infirmus.... Post Pentecosten transiit mare. Eclipsis solis facta est iv Nonas Augusti. * An. 1133.

Sequenti anno * Rex Henricus moratus est in Normannia, præ gaudio nepotum * An 1134.

D suorum, quos genuerat Consul Andegavensis in filia sua...

Anno xxxv * Rex Henricus continuè moratus est in Normannia, et sæpè non rediturus in Angliam redire proponebat : sed detinebat eum filia ejus variis discordiis, quæ oriebantur pluribus causis inter Regem et Consulem Andegavensem, artibus scilicet filiæ suæ. Quibus stimulationibus Rex in iram et animi rancorem excitatus est, quæ a nonnullis causæ naturalis refrigidationis, et postea mortis ejus causa fuisse dictæ sunt. Cùm igitur Rex a venatu rediisset apud sanctum Dionysium in silva Leonum *, comedit carnes murænarum, quæ semper ei nocebant, et semper eas amabat.... Hæc igitur comestio... excitavit febrem acutam:... cùm autem restare nullâ vi posset, decessit Rex magnus, cùm regnasset triginta-quinque annis et tribus mensibus, in prima die Decembris (*d*).... * An. 1135. * *Lihons.*

(*a*) Addit ibidem Historicus noster de eodem Comite : *nobilissimus autem juvenum ætate brevi famam promeruit sempiternam, de quo Walo versificator sic ait:*

Mars obit in terris, deflent par sidera sidus,
Numina par numen, parque decora decus.
Res nova! temporibus moriuntur numina nostris,
Amodò credibile est numina posse mori.
Unicus ille ruit, cujus non terga sagittam,
Cujus nosse pedes non potuere fugam.
Nil nisi fulmen erat, quoties res ipsa monebat,
Et si non fulmen, fulminis instar erat.
Flandria se jactat tumulo, Normannia cunis;
Hic fuit occasus sideris; ortus ibi.

Walonem seu Galonem hujus epitaphii auctorem, Parisiensis Academiæ magistrum fuisse Bulæus docet, Hist. ejusdem Academ. T. II. p. 105.

(*b*) Fulco, non vero Gaufredus, Andegavensis Comes, anno 1129 Jerosolymam secundo profectus est; nam semel jam, anno scilicet 1120, iter illud confecerat.

(*c*) Philippi interitus ad an. 1131, mense Octobri rejiciendus ex melioris notæ chronographis.

(*d*) Hoc epitaphio Henrici funus prosequitur ibidem chronographus noster :

Rex Henricus obit, decus olim, nunc dolor orbis :
Numina flent numen deperiisse suum.
Mercurius minor eloquio, vi mentis Apollo,
Jupiter imperio, Marsque vigore gemunt.
Janus cautelâ minor, Alcides probitate,
Conflictu Pallas, arte Minerva gemunt.
Anglia quæ cunis, quæ sceptro numinis hujus
Ardua splenduerat, jam tenebrosa ruit.
Hæc cum Rege suo, Normannia cum Duce marcet :
Nutriit hæc puerum, perdidit illa virum.

Digitized by Google

EX LIBRO OCTAVO.

A

Pag. 386. Defuncto igitur Rege Henrico magno, libera, ut in mortuo solent, judicia populi depromebantur. Alii enim eum tribus vehementer irradiasse splendoribus asserebant; sapientiâ summâ, nam et consilio profundissimus, et providentiâ conspicuus, et eloquentiâ clarus habebatur; victoriâ etiam, quia exceptis illis quæ egregiè gesserat, Regem Francorum belli lege superavit; divitiis quoque, quibus omnes antecessores suos longè latèque præcesserat. Alii autem diverso studio tribus illum vitiis inficiebant, cupiditate nimiâ, quâ, ut omnes parentes sui, pauperes opulentus tributis et exactionibus inhians de latoriis hamis intercipiebat, crudelitate etiam, quâ Consulem de *Moretoil* cognatum suum in captione positum exoculavit, nec sciri facinus tam horrendum potuit B usquequò mors secreta Regis aperuit : nec minùs alia proponebant exempla, quæ tacemus; luxuriâ quoque, quià mulierum ditioni Regis more Salomonis continuè. subjacebat. Talia vulgus liberum diversificabat (*a*). Successu verò temporis atrocissimi, quod postea per Normannorum rabiosas proditiones exarsit, quidquid Henricus fecerat vel tyrannicè vel regiè, comparatione deteriorum visum est peroptimum. Venit enim sine mora Stephanus, Thedbaldi Blesensis Consulis frater junior eo, vir magnæ strenuitatis et audaciæ; et quamvis jurasset in sacramentum fidelitatis Anglici regni filiæ Regis Henrici, fretus tamen vigore et impudentiâ, regni diadema Deum tentans invasit..... Corpus autem Henrici adhuc insepultum erat in Normannia. Rex namque Henricus primâ die
* An. 1135. Decembris * obierat, cujus corpus allatum est Rotomagum, et ibi viscera ejus et cerebrum et oculi consepulta sunt. Reliquum autem corpus cultellis cir- C cumquaque desecatum et multo sale aspersum, coriis taurinis reconditum est causâ fœtoris evitandi, qui multus et infinitus jam circumstantes inficiebat. Unde et ipse qui magno pretio conductus securi caput ejus diffiderat, ut fœtidissimum cerebrum extraheret, quamvis linteaminibus caput suum obvolvisset, mortuus tamen eâ causâ pretio malè gavisus est. Hic est ultimus e multis, quem Rex Henricus occidit. Indè verò corpus regium Cadomum sui deportaverunt, ubi diu in ecclesia positum,... tandem reliquiæ regalis cadaveris allatæ sunt in Angliam, et sepultæ sunt intra XII dies Natalis Dómini apud Abbatiam *Redinges*, quam Rex Henricus fundaverat et multis possessionibus ditaverat; ibique Rex Stephanus... et Willielmus Archiepiscopus Cantuariæ et multi Præsules et Proceres, sepelierunt Regem Henricum cum debita tanto viro reverentia....

D

* An. 1136. Stephanus Rex, primo anno * regni sui, cùm venisset in fine Natalis Domini ad *Oxenèford*, audivit nuncium dicentem sibi : « Rex Scottorum simu- » lans se pacificè venire ad te gratiâ hospitandi, veniens in *Carloil* et No- » vum-castellum, dolosè cepit utraque ». Cui Rex Stephanus : « Quæ dolosè » cepit, victoriosè recipiam ». Promovit igitur Rex impiger exercitum tantum erga David Scottorum Regem, quantum nullus in Anglia fuisse memorare

(*a*) Suam de Henrico Rege sententiam aperit Huntindoniensis in epist. ad Walterum de contemptu mundi, T. III. Spicil. *in-fol*, p. 506. *in*-4°. T. VIII. p. 188. « Rex Henricus, *inquit*, fratrem suum » dominum Robertum, in carcerem perennem po- » suit, et usque dum moreretur detinuit, neptum » suarum oculos erui fecit; multos proditione » cepit; multos subdolè interfecit; multa contra » sacramenta egit, semper cupiditati et avaritiæ » deservivit. Quos terrores sensit, dum frater ejus » Robertus in cum exercitus a Normannia in An- » gliam duceret? Goncordiam quidem territus » cum eo instituit; sed in ea Procerum optimos » perjurare fecit, quia pacem fregit et fratrem » cepit. Quos terrores habuit, dum Consul An- » degavensis castella ejus diriperet, nec ipse pro- » cedere auderet? Quos terrores, dum Balduinus » Consul Flandrensis Normanniam, ipso præsente, » inflammaret, nec ipse procedere auderet? Quo- » modò mente contribulatus est, cùm filii ejus et » filiæ et Proceres pelago sunt devorati? Quibus » curis demolitus est, dum, nepote suo Willelmo » Flandriam adipiscente, se diadema regni amis- » surum pro certo putaret? Hinc tamen beatissimus » Regum habitus est, sed certè miserrimus est.... » Sed oppones: cur igitur Regem Henricum » in historia tua tantis laudibus extollis, quem » hìc tantis criminibus subvertis? Ad hoc res- » pondeo: Regem sapientiâ magnum dixi, con- » silio profundum, providentiâ clarum, armis » insignem, gestis sublimem, divitiis singularem; » et tamen omnia quæ hìc apposui, vera nimis sunt, » et utinam falsa essent.

» Sed forsitan adhuc dices : Triginta et quinque » annis jam regnavit, et multò plura, si nume- » res, prospera sensit quam adversa. Contra quod » ego: imò nec millesima pars fortunæ ejus pros- » peritati potest adhiberi. Ea namque quæ pros- » pera videbantur, doloribus semper immixta » erant. Cum Regem Franciæ prælio vicit, quam » longâ turbatione mentis breve illud gaudium » adeptus est? Breve dico, quia mox alius exer- » citus insurgens mentis febribus aliis eum con- » tribuit. Quod si diuturnitatem vitæ et regni » miraris, jam non per biennium regnaturum vir » Dei prædixit. Nuper itaque videbis miseræ vitæ » miserum finem, quod utinam, si fieri potest, » absit, sed tamen non aberit ».

Digitized by Google

A potuit. Occurrens igitur ei Rex David circa Dunelmiam *, concordatus est, ei reddens Novum-castellum ; *Carloil* verò retinuit concessione Regis Stephani. Rex tamen David homo Regis Stephani non est effectus, quia sacramentum primus omnium laïcorum juraverat filiæ Regis, scilicet nepti suæ, de Anglia ei manutenenda post mortem Henrici Regis. Filius autem David Regis, Henricus, homo Regis Stephani effectus est, deditque ei Rex Stephanus burgum quod vocatur Huntendonia in augmentum. Rediens autem inde Rex Stephanus in Quadragesima, tenuit curiam suam apud Londoniam in solemnitate Paschali, quâ nunquam fuerat splendidior in Anglia, multitudine, magnitudine, auro, argento, gemmis, vestibus, omnimodâ dapsilitate. Ad Rogationes verò divulgatum est Regem mortuum esse. Quod audiens Hugo *Bigod*, in castellum *Nordwic* subintravit, nec reddere voluit, nisi ipsi Regi advenienti, B valdè tamen invitus. Jam verò cœpit rabies Normannorum prædicta perjurio et proditione pullulare. Cepit igitur Rex castellum de *Bathentune*, cujus dominus Robertus quidam proditor a Rege desciverat. Inde obsedit urbem *Execestre* quam tenebat Baldwinus de *Reduers* contra eum ; ibique diu morando, machinas multas construendo, multùm thesauri sui absumpsit. Serò tamen redditum ei castellum, et vindictam non exercuit in proditores suos, pessimo consilio usus; si enim eam tum exercuisset, postea contra eum tot castella retenta non fuissent. Inde igitur Rex perrexit in insulam Vectam, et abstulit eam Baldwino de *Reduers* de quo prædiximus, et exsulavit eum ab Anglia.... * *Durham.*

Stephanus Rex anno secundo * (regni sui)... in Quadragesima transfretavit in Normanniam,... ubi Rex martiis altercationibus assolitus, omnia quæ incœpit, luculenter perfecit, hostium circumventus repulit, hostilia castella depulit, C egregiè inter summos splenduit, concordiam cum Rege Francorum composuit, et Eustachius filius ejus homo Regis Francorum effectus est de Normannia, quæ Francorum adjacet imperio. Quod videns Consul Andegavensis, qui supremus hostis ejus erat (qui nimirùm filiam Regis Henrici duxerat, quæ Imperatrix Alemanniæ fuerat et sacramenta de regno Angliæ acceperat, unde et calumniabantur Angliam sponsus et sponsa) cepit tamen inducias cum Rege Stephano (*a*). Videbat enim se ad præsens regias vires non posse perstringere, tam pro multitudine probitatis, quàm pecuniæ, quæ adhuc ex abundantia thesauri Regis defuncti supererat. Cunctis igitur prosperè gestis, in ipso vestibulo Natalis Domini rediit in Angliam clarus. Hi ergo duo anni Stephano Regi prosperrimi fuerunt; tertius verò, de quo dicemus, mediocris et intercisus ; duo verò ultimi exitiales et prærupti. * An. 1137.

D Stephanus Rex impiger tertio anno *, in ipso ingressu Angliæ, provolavit ad Bedefordiam, et in vigilia Natalis Domini et in toto Natali obsedit eam (*b*) : quod etiam multis Deo displicuisse visum est, quia solemnitatem solemnitatum parvi vel nihili pendebat. Redditâ autem Bedefordiâ, in Scotiam promovit exercitum. Rex namque Scottorum, quia sacramentum fecerat filiæ Regis Henrici, quasi sub velamento sanctitatis per suos execrabiliter egit.... Rex igitur Stephanus insurgens, combussit et destruxit australes partes regni Regis David : ipso quidem David non audente cum eo congredi. Post Pascha verò exarsit rabies proditorum nefanda. Quidam namque proditorum, nomine *Talebot*, tenuit contra Regem castellum Herefordiæ in *Wales*, quod tamen Rex per obsidionem in suum recepit. Robertus Consul, filius Henrici Regis nothus, tenuit contra eum fortissimum castellum quod vocatur *Bristo*, et aliud quod vocatur *Slede*. E Willielmus Luvellus tenuit castellum de *Kari*; Paganellus castellum de *Lùdelau* ; Willielmus de *Moun* castellum de *Dunestor* ; Robertus de *Nichole* castellum de *Warram* ; Eustachius filius Joannis castellum de *Meltune* ; Willielmus filius Alani castellum de *Salopesbiri*, quod Rex quidem cepit armis, captorumque nonnullos suspendit. Quod audiens Willielmus [cognomento Maminotus] qui tenebat castellum de *Doure*, Reginæ se obsidenti tradidit illud. Occupato igitur Rege circa partes australes Angliæ, David Scottorum Rex innumera- * An. 1138.

(*a*) Mense Julio biennales inducias pactas fuisse tradit Ordericus Vitalis.

(*b*) Prohibente imprimis fratre suo Henrico Wintoniensi Episcopo, Bedefordiam obsedit Rex Stephanus : *Nam filii Rodberti de Bellocampo munitionem fortiter tenuerunt,* inquit Ordericus, *neque Regi, donec præfatus Præsul frater ejus adesset, aliquomodo humiliati sunt. Non enim debitam subjectionem sive servitium domino denegare suo decreverunt ; sed quia Regem Hugoni cognomento Pauperi filiam Simonis de Bellocampo dedisse cum patris honore audierunt, totam hæreditatem suam amittere veriti sunt. Tandem Pontifici post quinque septimanas advenienti adquieverunt... et oppidum reddiderunt.*

Digitized by Google

bilem exercitum promovit in Angliam; contra quem Proceres borealis Angliæ, admonitione et jussu Turstani Archiepiscopi Eboracensis, restiterunt viriliter, fixo *Standardo* (*a*), id est Regis insigni, apud *Alverton*....

* An. 1139. Anno quarto *, Rex Stephanus post Natale, castellum de *Slede* cepit obsidione. Perrexit autem post hæc in Scotiam, ubi cùm rem Marte et Vulcano ducibus ageret, Rex Scotiæ cum eo concordari coactus est. Henricum igitur filium Regis Scottorum secum ducens,... Oxinfordiam petiit, ubi res infamiâ notabilis et ab omni consuetudine remota comparuit. Rex namque Rogerum Episcopum Salisburiensem et Alexandrum Lincolniensem ipsius nepotem cùm pacificè suscepisset, violenter in curia sua cepit, nihil justitiæ recusantes et judicii æquitatem devotissimè poscentes. Ponens igitur ibidem Alexandrum Episcopum in carcere, Episcopum Salesburiensem secum duxit ad castellum ejusdem, quod vocatur *Divise*; quo non erat aliud splendidius intra fines Europæ. Angarians igitur eum ,... castellum sibi extorsit : malè recordans bonorum, quæ in introitu regni sui præ omnibus aliis ei congesserat... Similiter cepit Sireburnam, quod parùm Divisis decore cedebat; accipiensque thesauros Episcopi, comparavit inde Constantiam sororem Lodovici Regis Francorum, ad opus Eustachii filii sui (*b*) ... Nec longè post cùm Henricus Wintoniensis Episcopus frater ejus, jam Legatus Romanæ Ecclesiæ, Concilium apud Wintoniam teneret, ipse et Tedbaldus Archiepiscopus et omnes Episcopi qui aderant, ad pedes regios devoluti sunt : devotissimâ supplicatione poscentes, ut Episcopis prædictis possessiones suas redderet, ut omnia in eos commissa Regi benignè condonarent. Sed Rex, consilio pravorum, tot et tantorum tam verendam prosternationem despiciens, nihil eos impetrare permisit. Ob quod patefacta est domus Regis Stephani finitimæ condemnationi; statim namque filia Regis Henrici, quæ fuerat Imperatrix Alemanniæ, cui Anglia juramento dedicata fuerat, venit in Angliam. Quam cùm Rex obsedisset apud *Arundel*, vel perfida credens consilia, vel quia castrum videbat inexpugnabile, ire permisit ad *Bristou*...

* An. 1141. Sexto anno * Rex Stephanus Linconiæ urbem infra Natale obsedit, cujus munitiones fraudulenter ceperat Ranulfus Comes Cestrensis, seditque ibi usque ad Purificationem sanctæ Dei Genitricis Virginis Mariæ. Tunc namque Ranulfus Comes prædictus adduxit secum Robertum, filium Henrici Regis, generum* ipsius, et Proceres validissimos alios ad obsidionem Regis dissolvendam. Cùm autem Consul audacissimus paludem penè intransibilem vix transisset, ipsâ die aciebus dispositis, rem bello aggressus est.... Dux autem Robertus... in loco stans eminenti, hujusmodi orationem habuit : ... « Contra » quos bellum geratis attendite. Alanus Britonum Dux contra nos, immò » contra Deum procedit armatus, vir nefandus et omnium scelerum genere » pollutus, malitiâ paris nescius : cui nunquam nocendi defuit affectus, cui » se non esse crudelitate incomparabilem solum et supremum videtur opprobrium. Procedit quoque contra nos [Walerannus] Comes Mellensis *, doli » callidus, fallendi artifex : cui innata est in corde nequitia, in ore fallacia, » in opere pigritia; gloriosus corde, magnanimus in ore, pusillanimus opere, » ad congrediendum ultimus, ad digrediendum primus, tardus ad pugnam, » velox ad fugam. Procedit contra vos Hugo Consul *, cui parùm visum est » se contra Imperatricem perjurum fuisse, nisi et secundò se patentissimè per- » juraret, affirmans Regem Henricum Stephano regnum concessisse et filiam » suam abdicasse : qui nimirùm fallaciam virtutem credit, et elegantiæ perju- » rium ducit. Procedit [Willielmus] Consul de *Albemarle*, vir in crimine » singularis constantiæ, ad agendum volubilis, ad relinquendum immobilis : » quem sponsa sua causâ spurcitiæ intolerabilis fugitiva reliquit. Procedit contra » vos Consul ille, qui Consuli prædicto sponsam abripuit, adulter patentissimus et » excellenter impurus; Baccho devotus, Marti ignotus, vino redolens, bello » insolens. Procedit Simon Comes Hamtoniensis (*c*), cujus actus sola locutio,

* *Corr.* socerum.

* *de Meulent.*

* de *Estengle.*

(*a*) Hoc *Standardum* seu vexillum crux erat excelsa currui infixa.

(*b*) Anno 1140, *mense Februario, desponsavit Eustachius filius Regis Stephani, sororem Regis Franciæ Lodovici, nomine Constantiam*, ex chronico Gervasii Dorobernensis.

(*c*) Simon iste proles erat Simonis Silvanectensis, Huntindoniæ Comitis, cujus genealogiam edidimus, T. XII, p. 802, ac Stephani Regis partibus addictus ob recuperatum Huntindoniæ Comitatum. « Defuncto Simone de Sancto-Licio, *inquit* » *Joannes* Brompton, *col.* 975, David Comes,

» cujus

Digitized by Google

A » cujus datum sola promissio, qui cùm dicit, fecit; cùm promittit, dedit. Pro-
» cedunt cæteri Proceres, Regi suo consimiles, latrociniis assueti, rapinis deli-
» buti, homicidiis saginati, omnes tandem perjurio contaminati. Vos igitur,
» viri fortissimi, quos magnus Henricus Rex erexit, iste dejecit; ille instruxit,
» iste destruxit : erigite animos, et de virtutibus vestris, de Dei justitia confisi,
» vindictam vobis a Deo oblatam de facinorosis præsumite, et gloriam im-
» marcessibilem vobis posterisque vestris præfigite ».... Rex interea Stephanus curarum magnis exæstuans fluctibus, Missam in tanta solemnitate audierat. Cùm autem de more cereum Rege dignum Deo offerens, manibus Alexandri Episcopi imponeret, confractus est. Hoc fuit Regi signum contritionis. Cecidit etiam super altare pixis, cui corpus Domini inerat, abrupto vinculo, præsente Episcopo. Hoc fuit Regi signum ruinæ. Proindè Rex strenuissimus egreditur,
B aciesque cum summa securitate bello disponit....

Principium pugnæ. Acies exhæredatorum, quæ præibat, percussit aciem regalem, in qua Consul Alanus et ille de *Mellent*, et Hugo Consul de *Estangle* et Simon Comes, et ille de Warenna inerant, tanto impetu, quòd statim et quasi in ictu oculi dissipata est, et divisio eorum in tria devenit. Alii namque eorum occisi sunt, alii capti, alii aufugerunt. Acies, cui principabatur Consul de *Albemarle* et Willielmus Iprensis, percussit Wallenses, qui a latere procedebant, et in fugam coegit. Sed acies Consulis Cestrensis perculit cohortem prædicti Consulis, [quæ] dissipata est in momento, sicut acies prior. Fugiunt igitur omnes equites Regis, et Willielmus Iprensis a Flandria oriundus, vir exconsularis (*a*) et magnæ probitatis : qui cùm esset belli peritissimus, videns impossibilitatem auxiliandi Regi, distulit auxilium suum in tempora
C meliora. Rex itaque Stephanus cum acie sua pedestri relictus est in medio hostium. Circuierunt igitur undique aciem regalem, et totam in circuitu expugnabant, sicut castellum solet assiliri. Tunc verò horrendam faciem belli videres in omni circuitu regalis aciei.... Nulla quies iis, nulla respiratio dabatur, nisi in ea parte quâ Rex fortissimus stabat : horrentibus inimicis incomparabilem ictuum ejus immanitatem. Quod ubi Comes Cestrensis comperit; Regis invidens gloriæ, cum omni pondere armatorum irruit in eum. Tunc apparuit vis Regis fulminea, bipenni maximâ cædens hos, ruens illos. Tunc novus oritur clamor : omnes in eum, ipse in omnes. Tandem regia bipennis ex ictuum frequentia confracta est. Ipse, gladio abstracto dexterâ Regis digno, rem mirabiliter agit, donec et gladius confractus est.... Advolant omnes, et capitur Rex....

D Dei igitur judicio circa Regem peracto, ducitur ad Imperatricem et in turri de *Bristow* captivus ponitur. Imperatrix ab omni gente Anglorum suscipitur in dominam; exceptis Kentensibus, ubi Regina et Willielmus Iprensis contra eam pro viribus suis repugnabant. Suscepta est priùs a Legato Romano Wintoniensi Episcopo, et mox a Londoniensibus. Erecta est autem in superbiam intolerabilem, quia suis incerta belli prosperavissent, et omnium ferè corda a se alienavit. Igitur sive subdolorum instinctu, sive Dei nutu ,... expulsa est a Londonia. Irritata igitur muliebri angore, Regem unctum Domini in compedibus poni jussit. Post dies autem, cum avunculo Rege Scottorum et fratre suo Roberto viribus coactis, veniens obsedit turrim * Londoniensis Episcopi. Episcopus autem misit pro Regina et Willielmo Iprensi, et pro universis ferè Proceribus Angliæ. Factus est igitur exercitus utrimque magnus. Dimicabant

* *Al.* Wintoniensis.

» frater Alexandri Regis Scotiæ et Mathildis Re-
» ginæ Angliæ, Mathildem Simonis relictam du-
» xit in uxorem, de qua Comitem genuit Henri-
» cum : qui quidem Henricus ex Ada sorore
» Willelmi Comitis de Warenna, genuit Regem
» Scotiæ Malcolmum, Willelmum et David. Si-
» mon verò filius Simonis de Sancto-Licio, Hen-
» rico Rege Angliæ defuncto, Comitatum Hun-
» tyngdoniæ intravit pacificè et possedit, et ex
» filia Comitis Leicestriæ Isabella, Amiciam ge-
» nuit et Hawisiam, et postea decessit, liberis
» in custodia Regis Henrici [II] dimissis. Post
» hæc Henricus Rex exercitum apud Tolosam
» duxit, cum quo processit Rex Scotiæ Malcolmus,
» cui Rex Comitatum de Huntingdonia tradidit.
» Post quem frater suus Willelmus Rex Scotiæ
» dictum tenuit Comitatum, quousque insurrexit
» contra Regem, unà cum filio Regis Henrici et
» aliis terræ Baronibus, Rege in Normannia exis-
» tente ».

(*a*) Guillelmus Iprensis seu Loensis, naturalis filius Philippi, fratris Roberti Junioris Flandriæ Comitis, *mox ut mortem Caroli Comitis consobrini sui cognovit, eâdem die sibi Comitatum, frustra tamen vendicavit, et Ariam oppidum munitissimum occupavit, et oppidanos omnes sibi fidelitatem jurare fecit : S. Venantium, Casletum, Bellulam, Ypram, Bergensem quoque et Furnensem terram pari modo sibi subegit,* ut habet Gualterus in vita Caroli Boni. Verùm a Rege Ludovico exauctoratus, Stephano Regi postmodùm operam suam locavit, a quo etiam Cantiæ Comitatum accepit.

Digitized by Google

quotidie non congressibus acierum, sed militarium anfractuum circuitionibus.... A
Venit tandem exercitus Londoniensis ; et aucti numerosè qui contra Imperatricem contendebant, fugere eam compulerunt. Capti sunt in fuga multi, captus est et Robertus frater Imperatricis, in cujus turri Rex captivus erat, cujus solâ captione Rex evadere poterat. Absolutus est uterque....

* An. 1142. Septimo anno * Rex Stephanus...obsedit Imperatricem apud *Oxineford*, post festum sancti Michaëlis usque ad Adventum Domini. In eo quippe termino non procul a Natali aufugit Imperatrix per Tamesim glaciatam, circumamicta vestibus albis, reverberatione nivis et similitudine fallentibus oculos obsidentium. Fugit autem ad castellum de *Wallingford ;* et sic *Oxineford* Regi tandem reddita est.

* An. 1143. Octavo anno * Rex Stephanus.... cepit Gaufredum de Magna-villa, in curia sua apud sanctum Albanum : magis secundùm retributionem nequitiæ Consu- B
lis, quàm secundùm jus gentium: magis ex necessitate, quàm ex honestate. Nisi enim hoc egisset, perfidiâ Consulis illius regno privatus fuisset (*a*). Igitur ut Rex eum liberaret, reddidit ei turrim Londoniæ....

* An. 1144. Nono Rex Stephanus anno * Lincolniam obsedit, ubi cùm munitionem contra castellum, quod obtinebat Consul Cestrensis, construeret, operatores sui ab hostibus præfocati sunt ferè octoginta. Re igitur imperfectâ, Rex confusus abscessit. Anno autem ipso Consul Gaufridus de Magnavilla Regem validissimè vexavit. Mense autem Augusti,... Gaufridus Consul inter acies suorum confertas a quodam vilissimo pedite solus sagittâ percussus est, et ipse vulnus ridens, post dies tamen ex ipso vulnere excommunicatus occubuit.

* An. 1145. Decimo anno *, Rex Stephanus priùs in agendis circa discursus Hugonis *Bygot* occupatus fuit. Sed in æstate Robertus Consul [Glocestriæ] et omnis inimi- C
corum regalium cœtus construxerat castellum apud *Ferendois*. Rex non segnis, viribus coactis, advolat, et Londoniensium terribilem et numerosum duxit exercitum. Assilientes igitur totis diebus castrum, dum Robertus Consul et fautores sui copias majores non procul ab exercitu Regis exspectarent, laboriosissimâ probitate, non sine magna sanguinis effusione, ceperunt. Tunc demùm Regi fortuna cœpit in melius permutari et in sublime protelari....

* An. 1146. Undecimo anno *, Rex Stephanus magnum congregans exercitum, castellum construxit inexpugnabile situm contra *Walinford*, ubi Ranulfus Comes Cestrensis, jam Regi concordiâ conjunctus, cum magnis interfuit copiis. Dehinc verò Consul ipse ad Regis curiam cùm pacificè venisset apud Nordhamptonam, nihil tale metuentem cepit, et in carcerem retrusit, donec redderet ei castellum clarissimum Lincolniæ, quod ab eo dolosè ceperat, et quæcumque D
fuerant ditionis suæ castella. Sic igitur Consul ejectus carcere, in liberum restitutus est arbitrium....

* An. 1147. Duodecimo Regis Stephani anno *... ad Pentecosten, Rex Franciæ Lodoveus et Consul Flandriæ Theodoricus, et Consul de sancto Ægidio [Alfonsus] et innumerabilis exercitus de universo Franciæ regno, et multi de gente Anglorum, crucibus assumptis, iter Jerosolymitanum arripuerunt, ut Paganos
* Edessam. qui ceperant urbem *Roheis* *, expugnarent. Majorem exercitum tamen duxit

(*a*) Auctor Gestorum Stephani Angliæ Regis rem narrat uberiùs. « Fuit eo in tempore, *inquit*, » ex his qui Regi obtemperabant, Galfridus de » Magna-villa, vir sicut prudentis animi ingenio » spectabilis, ita et in adversis inflexibilis virtutis » constantiâ, militarisque studii probitate admi- » rabilis, qui omnes regni Primates et divitiarum » potentiâ, et dignitatis excedebat opulentiâ. » Turrim quoque Londoniarum in manu, sed et » castella inexpugnabilis fortitudinis circa civita- » tem constructa habebat, omnemque regni par- » tem quæ se Regi subdiderat; ut ubique per re- » gnum Regis vices adimplens, et in rebus agendis » Rege avidiùs exaudiretur, et in præceptis in- » jungendis plus ei quàm Regi obtemperaretur. » Quod ægrè ferentes, illi præcipuè qui se fami- » liariori dilectione Regi conjunctiùs devinxe- » rant, tum quia Galfridus, ut videbatur, omnia » regni jura sibi callidè usurparat, tum quia re- » gnum, ut in ore jam vulgi celebre fuerat, » Comitissæ Andegavensi conferre disposuerat; » ad hoc Regem secretâ persuasione impulerunt, » quatinùs Galfridum de proditionis infamia no- » tatum caperet, et redditis quæcumque posside- » rat castellis, et Rex posthinc securus, et re- » gnum ipsius haberetur pacatius. Rege multo » tempore differente, ne regia majestas turpi pro- » ditionis opprobrio infamaretur, subitò inter » Galfridum et Barones, injuriis et minis utrim- » que protensis, orta seditio : cùmque Rex habi- » tam inter eos dissensionem, sedatis partibus, » niteretur dirimere, affuerunt quidam qui Gal- » fridum de proditionis factione in se et suos ma- » chinata, liberâ fronte accusabant. Cùmque se de » objecto crimine minimè purgaret, sed turpissi- » mam infamiam verbis jocosis alludendo infrin- » geret; Rex et qui præsentes erant Barones, » Galfridum et suos repentè ceperunt. Hæc au- » tem, ut relata sunt, apud S. Albanum effecta » contigerunt ». *Inter Normanniæ Script. Chesnii, pag.* 963.

Digitized by Google

A Imperator Alemanniæ Conradus, transiitque exercitus uterque per Imperatorem Constantinopolis, qui eos postea prodidit....

Anno * igitur XIII Regis Stephani... exercitus Imperatoris Alemanniæ et Regis Francorum, qui summis ducibus illustrati cum summa incedebant superbia, ad nihilum devenerunt, quia Deus sprevit eos. Ascendit enim in conspectu Dei incontinentia eorum, quam exercebant in fornicationibus non occultis, in adulteriis etiam, quod Deo valdè displicuit, postremò in rapinis et in omni genere scelerum. Priùs itaque fame consternati proditione Imperatoris Constantinopolitani, postea ferro hostili emarcuerunt. Rex autem Franciæ et Imperator Alemanniæ cum paucissimis priùs Antiochiam, postea Jerosolymam ignominiosè aufugerunt. Tunc verò Rex Franciæ, quasi aliquid acturus ad detrimentum famæ refocillandum, auxilio Militum Templi quod est in Jerusalem, B et viribus undique congestis, obsedit Damascum : sed gratiâ Dei carens, et ideo nihil proficiens, rediit in Galliam. Interea quidam exercitus navalis virorum non potentum,... civitatem in Hispania quæ vocatur Vlixisbona, et aliam quæ vocatur Almaria, et regiones adjacentes, a multis pauci, Deo cooperante, bellis obtinuerunt. . . . Pars autem eorum maxima venerat ex Anglia. * An. 1148.

Anno XIV * Henrico nepoti suo David Rex Scotorum virilia tradidit arma. Cùm autem congregati essent in solemnitate, Rex Scotorum cum viribus suis, et nepos suus cum occidentalibus Angliæ Proceribus; timens Rex Stephanus ne Eboracum invaderent, venit in urbem cum maximo exercitu, ibique moratus est per mensem Augustum. Eustachius verò filius Regis Stephani (nam et ipse eodem anno virilia sumpserat arma) irruit in terras Procerum, qui erant cum Henrico filio Imperatricis. Nullo ergo contradicente, Marte et C Vulcano comitibus, non modicum illis damnum inflixit.... * An. 1149.

Anno XV * Rex Stephanus, agminibus congregatis, urbem *Wirecestre* pulcherrimè assilivit, et captam incendio deturpavit. Castellum tamen, quod urbi inerat, capere non potuit. Urbs namque illa Waleranni Consulis erat de *Mellent*, quam ipse Rex Stephanus ei malo suo dederat. Ditatæ igitur spoliis urbis direptæ regales turmæ, per terras inimicorum remeaverunt, et indè prædam innumerabilem, nullo resistente, secum reduxerunt. * An. 1150.

Anno XVI * Rex Stephanus... iterùm Wirecestriam irrupit; et quia castellum anno prædicto capere non potuit, ad ejus captionem totis viribus desudabat. Porrò cùm viriliter inclusi restarent, duo castella ad illud expugnandum construxit. Quosdam igitur ex Proceribus suis ibidem relinquens, ad propria remeavit. Sed quia mos regius erat, quòd multa strenuiter inciperet et D segniter exequeretur, arte * Consulis de Legecestria, castella Regis obsidentia demolita sunt, et obsessum callidè deliberatum est. Consul etenim prædictus frater erat Consulis * de *Mellent*. Itaque Regis studium et labor emarcuit et evanuit. * An. 1151. * Roberti. * Walerani.

Eodem anno, Consul Andegavium, Regis Henrici gener et Regis Jerosolymitani filius, vir magnus et clarissimus, mortis concessit legibus (*a*). Igitur Henrico filio suo primogenito Andegaviam et Normanniam contradidit, et jus hæreditarium, quod in Angliæ regno licèt carens obtinebat, ei concessit. Contigit * autem quòd Lodovicus Rex Francorum a sponsa sua, filia Comitis Pictaviensis, per cognationis jusjurandum divideretur. Henricus igitur Dux novus Normannorum duxit eam, et per eam Consulatum Pictaviensem summis honoribus ampliatus possedit (*b*). Ea tamen desponsatio incentivum fo- E mesque odii maximi fuit et discordiæ, inter Regem Francorum et ipsum Ducem. Insurgens igitur Eustachius filius Regis Stephani cum ipso Rege Francorum, non modicis assultibus Normanniam oppugnabant. Dux utrisque et omni Francorum exercitui robustissimè restabat. Rex tamen quoddam castellum, quod vocatur Novum-Mercatum, copiis omnibus aggregatis, assiliit potentissimè, et penè inexpugnabile cepit et obtinuit, et Eustachio filio Regis Angliæ, qui sororem ejus duxerat, reddidit. * An. 115

(*a*) Gaufredus Bellus, Comes Andegav. VII Idus Septembris an. 1151 mortalitatem explevit, ex chronicis Andegavensibus.

(*b*) Joannes *Bromton*, apud Roger. *Twysden* col. 1045, Henricum in hoc reprehendit, quia *Alienoram Francorum Reginam domino suo Ludovico indebitè subtraxit, sibique de facto, cùm de jure non posset, copulavit : de qua pater suus Galfridus eum prohibuerat ne eam tangeret, pro eo quòd, dum Senescallus Regis Franciæ fuerat, eam cognovisset*, seu ut paulò infra loquitur, *illâ abusus fuisset*. Cujus rei fides penès auctorem fit.

Digitized by Google

*An. 1152. Anno XVII *, Rex Stephanus filium suum Eustachium regio diademate vo- A
luit insignire. Postulans igitur ab Archiepiscopo Cantuariensi Theobaldo et cæteris Episcopis, quos ibidem congregaverat, ut eum in Regem ungerent et benedictione suâ confirmarent, repulsam passus est. Papa siquidem litteris suis Archiepiscopo prohibuerat, ne filium Regis in Regem sublimaret : videlicet quia Rex Stephanus regnum contra jusjurandum præripuisse videbatur. Intimo igitur dolore decoctus, et irâ nimiâ fervescens tàm pater quàm filius, in domo quâdam omnes includi jusserunt, et vehementer angariantes, ut postulata peragerent, compellabant. Illi summo perterriti timore (Rex namque Stephanus nunquam Clericos liquidè dilexerat, et pridem duos incarceraverat Episcopos) restiterunt tamen, capitum suorum pericula nihil metuentes. Recesserunt tamen omnes illæsi, possessionibus quidem spoliati, quas postea, Rege pœnitente, rehabuerunt. Rex eodem anno, castrum Nubiriæ, quod non B
procul abest a Wintonia, obsidens oppugnavit, et tandem expugnavit. Indè castellum de *Wallingford* obsedit, et in ipso pontis ingressu castellum obsessorium construxit, quod inclusis escarum illationem [et] liberam progressionem diripuit. Tunc igitur primò gravissimè compressi, a domino suo Duce Normanniæ petierunt vel auxilii exhibitionem, vel castellum in manus Regis reddendi licentiam.

An. 1153. Anno Regis Stephani XVIII, Dux Normannorum tantâ necessitate compulsus, insperatus advolavit in Angliam (*a*).... Transvolans igitur fama, ut assolet, alis pernicibus, semina sparsit aliis exultationis et lætitiæ, aliis formidinis et mœstitiæ. Diu tamen de adventu ejus admodùm tripudiantes, super hoc quòd paucos secum duxerat, aliquantulùm commovebantur; hostium verò confusio ex eadem paucitate non modicùm relevabatur. Utrique tamen super hoc mirabantur; et C
quòd in medio hyemis gremio mare tempestuosum intrasset, sui magnanimitatem, alii judicabant audaciam. At juvenis strenuissimus congregans suos, tàm quos invenerat, quàm quos adduxerat, morâ maxim-operosâ castellum de
* *Malmesburi* *Mamnesbirh* * obsedit. Et quia tanti viri probitates magnæ sunt et multæ, breviter quidem perstringendæ sunt, ne rerum gestarum copia pleniùs elucidata nimietatem congerat prolixitatis. Obsessum igitur castellum statim (numquam enim moram gerendis intermiscebat) assiluit, moxque cepit. Expugnatâ tamen urbe, turris excellentissima Jordani, quam regali observabat imperio, solâ fame domabilis mansit. Undè Jordanus cum summa festinatione egrediens, rem gestam Regi Stephano propalavit. Sinistris angariatus Rex Stephanus nunciis, sui vultûs dignitatem obducto mœrore commutavit. Non segniter tamen
copiis omnibus congregatis, non longè a *Mamnesbirh* fixit tentoria. Crastinâ D
verò adventûs sui die, acies equitibus electissimis refertas, legibus bellicis distinctas, eleganter ordinavit. Erat quidem exercitus ingens, Procerum numerositate condensus, insignibus aureis coruscus, valdè terribilis et decorus; sed procul ab eis recesserat Deus, in quo solo tota salus. Apertis enim cataractis cœli, tantas in facies ipsorum misit inundationes, tantas acerrimi frigoris obstinationes, tantas ventuosi turbinis impulsiones, ut Deus ipse videretur pro Duce rem agere. Ibant tamen aciebus dispositis, quasi contra Dei potentiam contendentes, horrendis quidem exagitati cruciatibus. Stabat e regione juvenilis exercitus, magis viribus confisus quàm numero, præcipuè tamen Dei gratiâ corroboratus.... Stabant equidem non procul ab urbis præfatæ muralibus propè fluenta fluminis, quod pluviarum et nivium inundatio tanto impulsu, tantâ immensitate ducebat, ut ingressuris horrorem incuteret, ingressis egressum ne- E
garet. Præcedebat suos juvenis nobilissimus, armis tanto Duce dignis insignitus, animi plenitudinem specie corporis imaginans : quem adeò formæ dignitas commendabat, ut si dicere licet, eum non tantùm arma decerent, quantùm ipsius decor arma splendificaret. Erat quidem ei suisque tempestas a tergo, Regi suisque in faciem, ut nec arma sustinere, nec lanceas imbribus profluentes, contrectare possent. Et quia præviderat Deus, quòd puero suo terram sine sanguinis effusione contraderet, cùm nullus eorum flumen transgredi posset, nec

(*a*) Ineunte mense Januario, Henricus in Angliam appulit, ex chronico Gervasii Dorobern. « die scilicet » Dominicæ Apparitionis. Cùm autem ecclesiolam » intraret, *inquit*, Missam vel saltem Evangelium » auditurus, vel paulatim more militum oraturus, » ex inspirato incepit Presbyter officium Missæ » diei, dicens : *Ecce advenit dominator Dominus, et regnum in manu ejus, etc.*

Digitized by Google

A Rex tantas illuviones ultra perferre sufficeret, repedavit Londoniam, operâ cassatus, confectus molestiâ.

Igitur turri, quam obsederat, Duci redditâ, properavit exhilaratus ad id pro quo venerat, scilicet ut castro de *Wallingford* jam fame perituro succurreret. Congregatâ igitur militum copiâ, quæ victualibus inferendis castro *Wallingford* esset subsidio, prosperavit Deus et hoc incœptùm, tranquillum iis largiens effectum.... Et jam Dux validissimus omni militiâ, quæ sibi adhærebat, coadunatâ, obsedit castellum de *Craumers* : rem arduam et inæstimatam laudabiliter incipiens, cinxit castellum Regis et exercitum suum vallo maximo, ut suis egressus tantùm pateret per castellum de *Wallingford*, obsessis verò nullus permitteretur exitus. Quod Rex audiens, tunc prorsùs, omnibus copiis suæ ditioni pertinentibus agglomeratis, Duci supervenit terribilis. Terrore tamen nullo Dux per-
B motus, licèt impar copiis esset Regi, vallum quod exercitui suo fuerat pro munimento, statim dejici jussit, et obsidionem relinquens, aciebus dispositis, contra Regem splendidè processit. Videns igitur inopinatè regalis exercitus acies hostium ordinatas in facies suas exurgentes, timuerunt valdè. Rex autem nullo timore compressus, suorum quoque turmas castrorum terribiliter dispositas progredi jussit. Insurrexerunt autem Proceres, immò proditores Angliæ, de concordia inter eos agentes, nihil tamen magis quàm discordiam diligentes. Sed bellum committere nolebant, quia neutrum exaltare volebant, ne, altero subacto, alter iis liberè dominaretur; sed semper alter alterum metuens, regiam in eos potestatem exercere non posset. Inducias igitur inter se Rex Duxque constituerunt, coacti nolentes : uterque proditionem suorum comperientes.... Locuti sunt postea Rex solus et Dux solus, amne interposito, de pace perpetuâ inter
C eos constituenda, de proditione Procerum suorum anxiè conquerentes inter se. Prælibatum est illud pacis negotium, sed tamen in aliud tempus dilatum est (*a*). Nondùm igitur sopitâ discordiâ, cùm ad sua remeassent, diluculum felicitatis Duci magno serenissimè comparuit. Suos etenim hostes immanissimos et summâ potentiâ præditos, filium scilicet Regis Eustachium et Simonem Comitem de *Northamptune*, Dei providentiâ nihil tale metuentes in eodem demolivit tempore. Undè virtus et spes omnium ei rebellantium ex improviso emarcuit eventu : uterque juvenis eodem morbo eâdem deperierunt hebdomadâ. Sepultus est Simon Comes apud *Northamptune*, plenus omnium quæ non licebant, omnium quæ non decebant. Sepultus est filius Regis in Abbatia, quam mater ejus fundaverat apud *Feveresham* (*b*), militiâ quidem probatus, sed in ea quæ Dei sunt obstinatus, rectoribus Ecclesiarum durissimus, persequentibus eam
D devotissimus. Extirpatis igitur hostibus Henrici dilecti sui fortissimis, jam Deus ipse tranquillitatem regni ipsius præparabat benignissimè.

Tertiam igitur obsidionem congessit circa castellum de *Stanford*. Captâ statim urbe, rebellantes ei qui turri inerant, nuncios Regi miserunt, auxilium inclusis poscentes. Rex autem obsederat castellum de *Gipeswig*, quod Hugo *Bigot* contra eum tenebat : cujus obsidionem cùm nollet dimittere, nec inclusis auxilium impendere, redditum est castellum Henrico Principi magno; sed et castellum quod Rex obsederat, Regi redditum est. A Stanfordia Dux Norman-

(*a*) Paci nimirùm obsistebat, teste Gervasio Dorobernensi « Eustachius Regis filius et Ducis æmulus, [qui] vehementer indignans, patrem de pace initâ corripuit; et sic furibundus a curia recedens patrem dereliquit, omnemque vastaturus patriam Cantabrigiam petiit : proposuerat enim animo nec sacris locis, nec Sanctorum prædiis fore parcendum. Undè cùm B. Eadmundi petisset Cœnobium, ibidemque reverenter exceptus et splendidè refectus, cùm petitam pecuniàm in satellites suos erogandam non accepisset, furibundus abscessit, et in die S. Laurentii circumquaque, et maximè S. Eadmundi messes prædari præcepit, et in castrum suum quod ibi erat proximum deduci. Sed cùm ad mensam, ut in scriptis legimus, pransurus sedisset, ad primum edulii gustum insanus effectus, miserabiliter interiit, et pro contumacia Martyribus illata diras mortis pœnas exsolvit ». *Apud R.* Twisden, *col.* 1374.

(*b*) « Magnam seminandæ pacis occasionem, *inquit Joannes* Bromton *apud R.* Twisden, *col.* 1037, causâ sui de medio ablati relinquens; nam eo superstite, partes uniri non poterant, tum propter juvenilem ejus acrimoniam, tum propter Regis Franciæ fiduciam, quam ex affinitate contraxerat, eò quòd sororem suam in uxorem duxerat. Utroque autem pacis impedimento per unius hominis mortem sublato, confestim viri pacifici de pace suadenda et formanda cœperunt propensiùs cogitare. Exulceratus autem Rex in morte filii sui, qui sibi succedere sperabatur, vocem suadentium pacem solito patientiùs audiebat. Dux autem prudentum consiliis inclinatus, ut honesto et solido fœderi ambiguos casus postponeret, gratanter acquievit ». Supererat Stephano Regi junior filius Willielmus, qui contentus paternis possessionibus tam in Anglia quàm in Francia, paci acquievit, ac jubente patre, clientelam Duci professus est. Is rediens a Tolosana expeditione, anno 1159 morti occubuit, teste Radulfo de Diceto.

Digitized by Google

norum discedens, *Nottingham* petiit, et statim urbem cepit. Illi verò qui castello urbis inerant, urbem ipsam combusserunt. A

Interim verò Thedbaldus Archiepiscopus cum Rege, de concordia cum Duce componenda magno opere tractabat, ipse frequenter Regi colloquens, Duci verò per internuncios. Erat ei coadjutor Henricus Wintoniensis Episcopus, qui priùs regnum funestè turbaverat, Stephano fratri suo regni diadema contradens : nunc autem pœnitentiâ motus, cùm omnia videret rapinis, incendiis, cædibus demolita, ad tantorum finem malorum concordiæ Principum invigilabat. Dispositio præsertim Dei faciens pacem et creans bonum, condignis Angliæ flagellis finem destinans, dedit eis eventum incœpti, et ab eo per ipsos pacis serenitas, concordiâ sacramentis confirmatâ, resplenduit.... Ipsum siquidem Rex in filium suscepit adoptivum, et hæredem regni constituit. Exinde Rex Ducem Londonias secum duxit, ibique non minori gaudio ab innumerabilis B conventu plebis processionibus luculentissimis, ut tantum decebat virum, susceptus est. Sic Dei misericordia pacis auroram, et noctis ærumnosæ finem regno diruto contribuit Anglorum. His igitur actis, cum summo gaudio et amore Rex Stephanus et filius ejus novus, mox conventuri, discesserunt. Hæc etenim
* An. 1154. concordia antè Natale Domini confirmata est (*a*). Ad Octavas verò Epiphaniæ *
* *Ed.* fecit. rursùs convenerunt apud Oxinefordiam, cùm jam Dux per annum ferè * in expugnatione, immò in resuscitatione Angliæ in ipsa commoratus fuisset. Igitur ibi Principes Anglorum, jussu Regis, hominium et domino debitam fidelitatem Duci simul exhibuerunt, Regi autem honorem debitum fidemque, dum viveret, conservaturi. At hoc conventu magnifico pace novâ fruentes, ad propria cum gaudio discesserunt. Nec longa fuit medii mora temporis, cùm iterùm apud *Dunestaple* convenerunt. Ibi aliquantulùm dies clarissima obnubilata est. Displicebat C enim Duci quòd castella, post mortem Henrici Regis in pessimos usus circumquaque constructa, non diruerentur, sicut confirmatum et sancitum fuerat inter eos in concordia et firmissimo fœdere. Pars quidem magna jam erat diruta; quibusdam tamen castellis suorum Regis clementia vel versutia parcens, pacti communionem debilitare videbatur. Dux igitur super hoc Regem angarians, repulsam passus est. Sed tamen patri novo consentiens, ægrè quidem rem distulit, ne concordiæ lumen extinguere videretur. Utrimque igitur discessum est in pace. Sed non multò post, acceptâ Dux a Rege licentiâ, victoriosissimus Normanniam repedavit....

Itaque Dux gloriosus in Gallias rediens, a genitrice sua et fratribus, et omni gente Normanniæ et Andegavis, Cenomanniæ et Pictaviæ, debitâ lætitiâ et honore susceptus est. Rex autem Stephanus in pace tunc primò, quæ Regio D debebantur honori, adoptivi filii gratiâ, potentissimus obtinuit. O dira mortalium rabies! O nefanda perversitas! Quidam filii hominum, quorum dentes arma et sagittæ, et lingua gladius acutus, inter Regem præsentem et Ducem absentem summoperè stimulum discordiæ studebant seminare. Rex autem vix eorum persuasionibus restare poterat, et processu temporis (ut æstimabant nonnulli) jam non restabat, et pravorum consilia non invitus, sed quasi nollet, dissimulans, æquo licentiùs audiebat. Sed aliter filii hominum, aliter judicabat Deus : qui (ut decebat) incœpta perficiens, pravorum consilia perversasque machinationes ad nihilum redigebat. Cùm namque castellum, quod vocatur *Drafe* juxta Eboracum obsedisset, et obsessum tandem cepisset, aliaque multa
* *Corr.* Dovoriam, *ut apud Gervasium Dorobernensem.* victor obtinuisset et castella diruisset, Doroberniam * petiit cum Comite Flandrensi locuturus. Cui alloquens infirmitate, et tandem morte præreptus est, E
** An. 1154. octo diebus antè festivitatem Omnium Sanctorum **, et in Abbatia de *Feversham* juxta uxorem suam et filium sepultus est (*b*), cùm ferè XIX annis laboriosè nimis et infeliciter regnasset.

(*a*) *Mense Novembri, in fine mensis*, ex Gervasii chronico.

(*b*) Henrici regni primordia his versibus celebravit Huntindoniensis, quibus historiam suam concludit :

Rex obiit, nec Rege carens caret Anglia pace :
Hæc, Henrice, creas miracula primus in orbe.
Rex nondùm, præsens nondùm, tamen efficis illud,
Quod Rex non potuit præsens. Dignissime sceptris,
Quàm benè sceptra geres, qui regni flectis habenas,
Nondùm sceptra gerens, dum trans maris alta moraris.
Per te, sed sine te, fruitur tamen Anglia pace;
Hæc aurora tuos præcessit, Phœbe, nitores.
Ecce venis radians : radii sunt advenientis
Certa fides, hilaris clementia, cauta potestas,
Lene jugum, vindicta decens, correctio dulcis,
Castus amor, libratus honor, frenata voluptas.
His igitur radiis dum sceptra decora decoras,
Tu diadema magis, quam te diadema perornat.

Digitized by Google

A Miserunt itaque Thedbaldus Archiepiscopus et quamplures ex Angliæ Proceribus nuncios festinantes pro domino suo Duce Normannorum, ut regnum suscepturus incunctanter adveniret. Impeditus tamen ventis et mari, causisque quampluribus, paucis diebus antè Natale Domini * cum conjuge fratribusque suis, multisque potentibus, magnisque copiis applicuit apud *Noveforest*. Fuit igitur Anglia sine Rege quasi sex hebdomadis; nec tamen, Dei gratiâ præveniente, pace caruit, vel pro Regis amore venturi, vel timore. * An. 1154.

EX CHRONICO (*a*) ANGLO-SAXONICO

B *Edito ab Edmundo* Gibson *cum latina interpret. Oxonii*, 1692, *in*-4°.

Anno MLX.... Henricus Rex Francorum obiit, cui successit Philippus filius ejus.... *Pag.* 170.

Anno MLXII. Hoc anno subjugata est Cinomannia Comiti Normanniæ Willelmo.

Anno MLXVI... decessit Edwardus Rex in Epiphaniæ vigiliâ, et sepultus est die Epiphaniæ in consecrata recenter Ecclesia, nempè in Westmonasterio. Tunc Haroldus Comes capessit regnum, sicut Rex ei concesserat, omnesque ad id eum eligebant, et consecratus est in Regem in festo Epiphaniæ. Tenuit autem illud XL hebdomadas, diemque unum.... Interea in terram ascendit Willelmus
C Comes apud Hastingam, in S. Michaëlis festo; et Haroldus de partibus borealibus veniens, cum eo depugnavit, priusquam totus suus exercitus convenisset; adeò ut is ibi occideretur, duoque fratres Gyrthus et Leofwinus. Willelmus autem hanc terram subjugavit, et profectus est Westmonasterium, atque Ealdredus Archiepiscopus eum in Regem consecravit. Tunc ei tributa solverunt [Angli], datisque obsidibus, postea suas terras redemerunt. In ea expeditione fuit Leofricus Abbas de *Burh* (*b*), qui in morbum incidens, domum revertebatur, et statim postea mortuus est.... Elegerunt Monachi in Abbatem Brandum Præpositum, propterea quòd esset vir admodùm bonus valdèque sapiens, et miserunt eum ad Eadgarum Clitonem, (hujus enim terræ incolæ arbitrabantur eum (*c*)

(*a*) Chronicon Anglo-Saxonicum dictum, ne promiscuè sumatur cum Saxonico altero quod totum Germaniam spectat, augustissimum planè, Anglicorum scriptorum judicio, antiquitatis monumentum, in Monasterio Petroburgensi absque dubitatione ulla credimus exaratum: istius enim Ecclesiæ negotia frequenter attingit. Necesse non est ut pluribus illud cum Anglis commendemus: ipsum se veri amatoribus commendat, dum certa ab incertis magnâ diligentiâ secernit auctor, nec cuilibet rumori credit. Sic an. 1087, Willielmi Conquestoris mores, indolem, imperium depicturus, ab his verbis incipit: *Si cui libet cognoscere qualis vir fuit... volumus nos eum describere, quatenùs scimus, qui eum vidimus et nonnunquam in ejus curia fuimus.* Anno 1104, *plerique dicebant,* inquit, *se plures sub id tempus insolitas stellas conspexisse: verùm nos illud pro certo non scribemus, propterea quòd ipsi non vidimus.* Anno 1127, describit Henrici Abbatis, accessum ad Monasterium Petroburgense, et addit: *Hujusmodi erat illius accessus, de discessu ejus nihil adhuc dicere possumus: Deus prævidet.* Porrò tanti semper ponderis habiti sunt Annales isti, ut ex eis plurima decerpserint posteriores chronographi, Florentius Wigorn, Simeon Dunelm, Rogerius de *Hoveden*, et alii. De temporibus Stephani Regis pauca habent minùs solerti manu scripta, confusè et permixtis temporibus conglomerata.

(*b*) Plures huic prælio cum Monachis suis interfuisse Abbates, ne Normannico subjicerentur dominatui, multis compertum est monumentis, præsertim verò sequenti fragmento, quod ex Monast. Anglic. T. I. p. 220 recudimus. « Rex Haraldus » habuit avunculum nomine Godwinum, Abbatem » de Hida, qui adduxit secum contra Willielmum » *Bastard*, in suo adventu in Angliam, in subsidio » nepotis sui Haraldi, de domo sua duodecim » Monachos et viginti milites pro servitio: quibus occisis et spoliatis, inventi sunt memorati » Abbas et Monachi sub armis militaribus in habitu Monachi, et de novo Wintoniæ Monasterio, videlicet de Hida Cœnobitas esse. Rex » igitur Willielmus iracundiâ repletus, eò quòd » processissent ad bellum, Abbatiam et sua jura » extorsit, et eam ferè per biennium absque Pastore in manu sua tenuit. Anno verò regni sui » tertio, mare transiit, ducens secum Ecclesiæ » prædictæ thesauros: qui in brevi rediens, dicti » Monasterii, videlicet pro Abbate, Baroniam » unam, et pro dictis Monachis qui cum Abbate » contra dictum Regem in bellum processerant, » singula feoda militum arripuit, militibus qui » cum eo venerant conferendis. » (*Corr.* conferenda).

(*c*) Edgari, Angliæ regni justioris post Edwardum hæredis, jus adstruit Joannes *Fordun* in historia Scottorum apud Thom. *Galle* inter Scriptores XV. p. 698. « Rex Edwardus, *inquit*, pronus in se» nium, eò quòd ipse non susceperat liberos, et » Godwini videret invalescere filios, misit ad » Regem Hunnorum (sed Turgotus dicit ad Im» peratorem) ut filium sui fratris Edmundi *Irynside* » Edwardum cum omni familia sua mitteret: fu» turum ut aut ille, aut filii sui succedant hæredi» tario jure regno Angliæ, orbitatem suam co» gnatorum suffragio debere sustentari. Igitur con» tinuò postquam advenerat [Edwardus Edmundi » filius], apud S. Paulum Londoniæ fato de» functus est, Edgaro filio superstite cum soro» ribus prænominatis, quem pro genere regno » proximum Rex Proceribus commendavit. Rex

Digitized by Google

Regem fore) et Clito id eis humaniter concessit. Cùm id Rex Willelmus famâ accepisset, irâ admodùm fuit commotus, dicens Abbatem se despexisse. Viri autem boni intercedentes, inter eos amicitias firmarunt, propterea quòd Abbas esset vir in primis bonus. Dedit idcircò Regi XL marcas auri, amicitiæ conciliandæ causâ.... Hoc anno apparuit cometa XIV Kal. Maii. A

Anno MLXVII. Hoc anno profectus est Rex in transmarina, et secum duxit obsides ac thesauros. Rediit autem secundo anno (*a*) in festo Sancti Nicolai, reversusque unicuique suas terras restituit.

Anno MLXX. Hoc anno Lanfrancus qui fuit Abbas Cadomensis, venit in Angliam, et paucos post dies factus est Archiepiscopus in *Kantwareberig*. Consecratus fuit IV Kal. Septembris in propria sua sede episcopali, ab octo Episcopis suffraganeis.... Hoc anno Comes Waltheofus fœdus percussit cum Rege, et in Quadragesima Rex permisit devastari omnia Monasteria quæ in Anglia fuerunt (*b*).... Tunc narratum est Monachis de *Burh*, propriæ gentis quosdam devastaturos illud Monasterium, Herewardum nempè atque suos; propterea quòd audierant Regem dedisse eam Abbatiam cuidam Abbati Franco, Turoldo nomine, eumdemque esse virum valdè rigidum, venisseque in *Stanforde* cum omnibus suis Francis.... Baldewinus etiam Comes [Flandrensis] decessit, ejusque filius Arnulfus capessit regnum, cujus tutela Willelmo Comiti delata est, etiamque Francorum Regi. Verùm adveniens Rodbrilitus * Comes, interfecit cognatum suum Arnulfum, Comitemque et Regem fugavit, ac de ejus militibus occidit multa millia *.... B

* Robertus Frisio.

* An. 1071.

Anno MLXXIII. Hoc anno Willelmus Rex duxit Anglorum et Francorum exercitum in transmarina, et subjugavit terram quæ dicitur *Mans* : quam quidem Angli magnopere deformarunt, vineas desolarunt, et civitates incenderunt, gentem item istam multùm fœdarunt, eamque totam sub ditionem Willelmi subjunxerunt, atque postea domum reversi sunt in Angliam. C

Anno MLXXIV. Hoc anno (*c*) transfretavit Willelmus Rex in Normanniam, et Eadgarus Clito profectus est de Scotia in Normanniam, eumque Rex inlagavit * cum omnibus suis. Mansit autem ille in aula Regis, et jura accepit quæcumque ei Rex concessit.

* *Id est* legi suæ adstrinxit.

» demùm post exactis in regno non planè » XIV annis, obiit vigiliâ Epiphaniæ. In crastino » quidem, adhuc recenti luctu regalis funeris, » Haroldus Godwini filius, a majoribus extortâ » fide, secundùm alios consentientibus, arripuit » diadema regni, quod vix per novem menses » tenuit; nam a Willielmo *Bastard* bello peremptus est. Post quem Proceres Edgarum in Regem » elegissent, et a quibusdam electus est, ut a Rege » mandatum fuerat; sed Episcopos non habebat » assertores. Hæc ille. Verùm in hoc eos errasse » mihi videtur, et apud Deum et populum : apud » Deum, quia quem ipse geniturâ tantorum Regum progenitorum justâ generationis procreatum lineâ, regnandum prætulit, eis respuere » non licuit, nec insontem linguis omni gladio » præacutis injustè justo privare patrocinio : scientes quod ætas Regia, vel puerilis vel senilis, » vel etiam simplicitas, in fidelitate constat et regimine subditorum. Apud populum verò, cùm » in suam propriam confusionem, atque regni » cunctorum indigenarum sempiternum opprobrium et scandalum, non secundùm justitiam » legis, sed cordis affectum sequentes, super se » virum erigunt omnis regnandi juris expertem, » Haroldum, filium Godwini, filii Edrici, quorum non fama, sed infamia variis notatur in » scriptis, ineptum illud membrum in Regem sibi » loco recti capitis statuentes. Ex quo brevi postmodùm contigit, quòd miserè per aliena regna » vagi dolentes, a propriis expulsi sunt sedibus... » Igitur ipse Dominus illam sanctam regalem lineam » se sustinentem, ab eis et non ab eo derelictam, » hæreditare terram simul et regnare volens feliciter, Scotis omni cum sua regali lineâ gratis » conjunxit : ex quibus, eo providente, deinceps et hactenùs regio sedentes in solio pullulant Reges, et usquequo, sibi placuerit, pullulabunt ».

(*a*) Eodem anno, non verò seq. *imminente hyeme, Rex Willelmus de Normannia in Angliam rediit*, ex Florentio Wigorn.

(*b*) *Anno* MLXX, inquit Florent. Wigorn. *Willelmi Comitis Herefordensis et quorumdam aliorum consilio, tempore Quadragesimali, Rex Willelmus Monasteria totius Angliæ suos perscrutari fecit et pecuniam quam ditiores Angli propter illius austeritatem et depopulationem in eis posuerant, jussit auferri.* An verò omnia Angliæ Monasteria hac affecerit clade Willelmus, in dubium revocat incertus auctor, cujus hæc sunt verba (*Monast. Anglic.* T. I. p. 190.) « Sunt qui scribunt Winchelcumbensium Monas» terium, tempore quo Willelmus Normannorum » Dux sibi regnum subjugaverat, longè majora » atque plura quàm modò habuisse possessiones et » dominia; sed quia minùs cautè sibi de futuris » prospicientes, elegerunt eidem Willelmo Duci » pro viribus resistere, aut eum fortè debellare, » ideò dicunt eumdem Willelmum Regem vehe» menter in eos commotum, abstulisse plurima » ex eorum possessionibus, et ea pro sua volun» tate aliis piis locis contulisse. Verùm an hæc » aliquid veritatis habeant, nec ne, cùm ea in » nostris antiquitatibus nusquam legerim, non » ausim scribere. Memini tamen me apud Monas» terium Eveshamensium in eorum antiquissimis » historiis olim legisse, Willelmum Ducem Nor» mannorum, tunc Anglorum Regem, Godricum » Abbatem Winchelcumbensem violenter tenuisse, » ac in castro Gloucestriæ jussisse retrudi custo» diendum, Winchelcumbenseque Cœnobium Ab» batis Eveshamensium moderationi commendasse, » et paulò post cuidam Monacho ex Normanno» rum, ut creditur, genere, Galando nomine, » illud idem Winchelcumbense Monasterium con» tulisse regendum : quod re vera fieri unquam » haud potuit, nisi, ut communis se habet fama, » idem Willelmus Rex in Abbatem hujus loci » fuisset vehementer exacerbatus.

(*c*) Florentius Wigorn. *an.* MLXXIII.

Anno

Digitized by Google

A Anno MLXXV. Hoc anno (*a*) Willelmus Rex dedit Radulfo Comiti filiam Willelmi Osbearni filii in uxorem. Iste Radulfus fuit Brito ex parte matris, ejus autem pater fuit Anglus, Radulfus dictus, et natus est in *Northfolc* : tum Rex dedit Radulfi hujus filio Comitatum in *Northfolc* et *Suthfolc*, deduxitque is sponsam Norwicum, ubi eæ nuptiæ erant omnibus qui aderant fatales. Interfuerunt autem Rogerus Comes [Herfordiæ], et Waltheofus Comes, et Episcopi et Abbates; atque ibi decreverunt Regi adimere Angliæ regnum. Verùm statim delatum est ad Regem in Normanniam quod decretum fuisset; Rogerum item Comitem et Radulfum Comitem fuisse principes istius conjurationis. Allexerunt ii Britones in suas partes, et miserunt in orientem ad Denmearciam, qui peterent exercitum navalem ipsis auxilio. Tum Rogerus profectus occidentem versùs ad suum Comitatum, congregavit suos contra Regem; verùm impeditus fuit. Ra-
B dulfus item Comes in suo Comitatu conatus est in aciem prodire cum suis hominibus; verùm castellani qui fuerunt in Anglia, atque incolæ adversùs eum venerunt, atque effecerunt quominùs quicquam proficeret : navem igitur apud *Northwic* conscendit. Interim uxor sua fuit in castello, illudque tenuit quousque sibi pax esset concessa. Postea autem de Anglia cessit cum suis omnibus qui ei benè cuperent. Deinde Rex venit in Angliam, et prehendit Rogerum Comitem suum propinquum, eumque vinculis commisit, atque Waltheofum etiam Comitem prehendit. Statim post hæc venerunt ab oriente e Denmearcia cc naves, quarum erant duces duo, Canutus Sweini filius, et *Hacun* Comes : verùm non ausi prælio congredi cum Willelmo Rege, trans mare se receperunt in Flandriam.... Is fuit Westmonasterii in festo Natalium, et ibi puniti sunt omnes Britones, quotquot nuptiis interfuerunt apud *Northwic* : quorum aliqui
C erant excæcati, aliqui e terra pulsi : ita erant Willelmi proditores pessundati.

Anno MLXXVI.... Waltheofus Comes decollatus est in *Winceaster*, ejusque corpus delatum est in *Crulande* (*b*). Tum Rex trans mare profectus est, et duxit exercitum suum in *Brytlande* *, obseditque castellum *Dol* dictum. Verùm Britanni illud propugnarunt, quousque Rex venisset de *Francland* *. Tunc autem Willelmus inde discessit, ac ibi amisit tum homines tum equos, multosque thesauros.

* Britanniam
* Francia.

Anno MLXXVII. Hoc anno constituta est pax inter Francorum Regem et Willelmum Anglicæ nationis Regem, verùm haud diu mansit (*c*)....

Anno MLXXIX.... Rex Willelmus prælìatus est contra filium suum Rotbeardum extra Normanniam, juxta quoddam castellum *Gerborneth* * dictum, ubi Rex

* *Gerberoi.*

(*a*) Sub anno MLXXIV, rem sic narrant Florentius Wigorn. Simeon Dunelm. Et Rogerus de *Hoveden* : « Eodem anno quo Hildebrandus Papa [Romæ] » celebravit Concilium, Herefordensis Comes » Rogerus, filius Willielmi (Osberni filii) ejus- » dem pagi Comitis, East-Anglorum Comiti Ra- » dulfo (de *Gaël* seu Monteforti) contra præ- » ceptum Regis Willielmi, sororem suam conju- » gem tradidit, nuptiasque permagnificas cum » plurima multitudine Optimatum in Grantebryc- » gensi provincia, in loco qui Yxninga di- » citur, celebrantes, magnam conjurationem, » plurimis assentientibus, contra Regem Williel- » mum ibi fecerunt, Comitemque Waltheovum » suis insidiis præventum secum conjurare com- » pulerunt. Qui mox, ut potuit, Lanfrancum Do- » robernensem Archiepiscopum adiit, pœniten- » tiamque ab eo pro facto, licèt non sponte, » sacramento accepit, ejusque consilio Regem » Willielmum in Normannia degentem petiit, » eique rem ex ordine pandens, illius miseri- » cordiæ ultrò se dedit. Verùm illi supra memo- » rati Principes, conjurationis cœptis operam da- » turi, sua castella repetiere, rebellionemque » adoriri omni conatu cum suis fautoribus cœ- » pere.... At verò Radulfo Comiti prope *Grante- » bryge* castrametanti Odo Bajocensis Episcopus, » frater Regis, et Goffridus Constantiensis Epis- » copus, congregatâ magnâ copiâ tam Anglorum » quàm Normannorum, ad bellum parati occur- » rerunt. Ipse autem suos conatus infirmari cer- » nens, multitudinem resistentium veritus, ad » *Northwic* clanculò refugit; et castello suæ con- » jugi et militibus suis commendato, ascensâ » navi, de Anglia ad minorem Britanniam fugit. » Quem fugientem adversarii illius insecuti, » omnes quos de suis comprehendere poterant, » vel interemerunt vel diversis modis debilitave- » runt. Deinde Principes castellum tamdiu obse- » derunt, quoad pace datâ, permissu Regis Co- » mitissæ cum suis exire de Anglia liceret. His » gestis, Rex autumnali tempore de Normannia » rediens, Comitem Rogerum in custodiam po- » suit, Comitem etiam Waltheovum, licèt ab eo » misericordiam petierit, custodiæ tradidit ».

(*b*) « Volunt quidam (*inquit Joannes* Bromton » *apud* R. Twyden. col. 974) quòd, quia *Walteff* » contra Regem Willielmum in primo conquestu » suo Angliæ in bello non processit, data est ei » a Rege consanguinea sua Jonetta (*aliis* Juditha) » in uxorem, cujus accusatione, secundùm eos- » dem, per Regem postea, ut dictum est, exstitit » decollatus » pridie Kal. Maii ex Orderico Vi- tali, qui addit : *Pro interfectione Guallevi Comitis Guillelmus Rex a multis reprehensus est, et in tredecim annis quibus postmodùm vixit, armatorum aciem de campo non fugavit; nec oppidum obsidens bellicâ virtute cepit.* Quæ verba annum 1075 potiùs quàm 1076. designant.

(*c*) Eodem quippe anno 1077, si credimus Florentio Wigorn. *Robertus Willielmi Regis primogenitus, eò quòd Normanniam, quam sibi ante adventum ipsius in Angliam coram Philippo Rege Francorum dederat, possidere non licebat, Franciam adiit, et auxilio Philippi Regis in Normannia magnam frequenter prædam agebat, villas comburebat, homines perimebat, et patri suo non parvam molestiam et anxietatem inferebat.* Idem habent Simeon Dunelm. et Rogerus de *Hoveden*.

Digitized by Google

Willelmus vulneratus est, ejusque equus cui insedit interfectus. Filius item A
Willelmus fuit ibi vulneratus, multique homines occisi (*a*).

Anno MLXXX. Hoc anno fuit Episcopus Walcherus interfectus in *Dunholm* in quodam conventu, et centum homines cum eo, Franci et Flamingi. Is verò fuit in Hlotheringa natus. Hoc fecerunt Northymbri in Maii mense (*b*)....

Anno MLXXXII. Hoc anno prehendit Rex Odonem [Bajocensem] Episcopum...

Anno MLXXXIII. Hoc anno exorta est seditio in *Glæstingabyrig* inter Abbatem Thurstanum ejusque Monachos. In primis factum est Abbatis stultitiâ, ut malè in plurimis tractaret suos Monachos (*c*).... Eodem item anno, decessit Mathildis, Willelmi Regis uxor, postridie festi Omnium Sanctorum....

Anno MLXXXV. Hoc anno rumor incessit et seriò dictum est, Canutum Regem Denmearciæ, Sweini Regis filium, hanc terram cogitasse et voluisse eam subjugare, Rodbeardi Comitis Flandrensis auxilio; propterea quòd Canutus ha- B
beret uxorem Rodbeardi filiam. Quùm Willelmus Anglorum Rex, qui tunc agebat in Normannia (possedit enim tum Anglorum terram, tum Normanniam) hoc intellexisset; profectus est in Anglorum (*d*) terram cum tanto exercitu equitum et peditum, e Francorum regno atque e Britannia conscriptorum, quantus nunquam antea hanc terram petebat : adeò ut homines mirarentur quomodo hæc terra posset totum illum exercitum alere : verùm Rex permisit dispertiri exercitum per totam hanc terram inter suos subditos, qui exercitum aluerunt, pro sua quisque terræ portione. Experti sunt incolæ multos dolores hoc anno; et Rex permisit devastari terras maritimas, ut si inimici ejus in terram ascenderent, iis non esset in promptu commeatus. Quùm autem Rex pro certo haberet suos inimicos impeditos fuisse, nec potuisse expeditionem facere; dimisit aliquam partem exercitûs in propriam nationem, reliquam retinuit in hac terra, donec C
hyems finiretur....

* An. 1086. Post Natale * tenuit Rex magnum Concilium, et graves sermones habuit cum suis Proceribus de hac terra, quomodo incoleretur et a quibus hominibus. Mittebat idcircò per totam Anglorum terram in singulos Comitatus suos servos, quibus permisit scrutari quot hydarum centenæ essent in Comitatu, quidque Rex ipse haberet terrarum et pecorum in eo Comitatu, et quantùm censûs annui deberet percipere ex eo Comitatu. Permisit etiam describi quantùm terrarum ejus Archiepiscōpi haberent, et diœcesani Episcopi ac ejus Abbates, ejusque Comites; et ne longior in hoc sim, quid aut quantùm unusquisque haberet, qui terras possideret in Anglorum gente, sive terrarum, sive pecoris, quantùmque illud pecuniâ valeret. Tam diligenter lustrari terram permisit, ut ne unica esset hyda aut virgata terræ, ne quidem (quod dictu turpe, verùm is factu D
turpe non existimavit) bos aut vacca, aut porcus prætermittebatur, quod non is retulerat in censum : omniaque postea scripta ad eum afferebantur (*e*).

* Corr. 1086. Anno MLXXXV. * Hoc anno Rex, indutâ coronâ, tenuit curiam suam in

(*a*) Florentius Wigorn. *Rex Willielmus filio suo Roberto*, inquit, *ante castellum* Gerbothret, *quod ei Rex Philippus præstiterat, dum pugnam intulerit, ab ipso vulneratus in brachio, de suo dejectus est emissario. Sed mox ut illum per vocem cognovisset, festinus descendit, ac illum suum caballum ascendere jussit, et sic illum abire permisit. Ille autem, multis suorum occisis, nonnullisque captis, ac filio suo Willielmo cum multis aliis vulnerato, fugam iniit.* Philippum autem huic obsidioni interfuisse constat ex dictis, T. XII. p. 604, ut Guillelmo quidem Regi opem ferret, non filio rebelli.

(*b*) « Ob quorum detestandæ necis vindictam, » *subdit Simeon Dunelm.* Rex Willielmus eodem » anno devastavit Northymbriam, misso illuc » Odone Bajocensi Episcopo cum multa militari » manu. Quo anno idem Rex Willielmus, autum- » nali tempore, Rodbertum filium suum in Sco- » tiam contra Malcolmum misit ».

(*c*) Voluit nempe ut Monachi, relicto cantu Gregoriano, cujusdam Guillelmi Fiscannensis cantum discerent et cantarent.

(*d*) *Autumnali tempore*, ex Florentio Wigorn. Simeone Dunelm. etc.

(*e*) De hac descriptione insigne est Ingulfi testimonium apud *Savile*, p. 908. « Rex Willielmus, *inquit*, » hominium sibi facere et contra omnes homines » fidelitatem jurare omnem Angliæ incolam im- » perans, totam terram descripsit; nec erat hyda » in tota Anglia; quin valorem ejus et possessorem » suum scivit; nec lacus nec locus aliquis, quin » in Regis rotulo exstitit descriptus, ac ejus red- » ditus et proventus, ipsa possessio et ejus pos- » sessor Regiæ notitiæ manifestus, juxta taxato- » rum fidem, qui electi de qualibet patria terri- » torium proprium describebant. Isti penès nos- » trum Monasterium [Croylandiæ] benevoli et » amantes, non ad verum pretium, nec ad verum » spatium nostrum Monasterium librant, miseri- » corditer præcaventes in futurum regiis exac- » tionibus et aliis oneribus, piissimâ nobis be- » nevolentiâ providentes. Iste rotulus vocatus est » rotulus Wintoniæ, et ab Anglicis pro sua ge- » neralitate, omnia tenementa totius terræ in- » tegrè continente, *Domesday* cognominatur. Ta- » lem rotulum et multùm similem ediderat quon- » dam Rex Alfredus, in quo totam terram An- » gliæ per Comitatus, Centurias et Decurias des- » cripserat. Qui quidem rotulus Wintoniæ voca- » tus est, quia deponebatur apud Wintoniam » conservandus : quæ civitas caput erat West-Sa- » xonici regni, inter omnia regna Angliæ parti- » cularia nobilissimi et præclari ».

Digitized by Google

A *Winceaster* ad Pascha, atque ita itinera sua instituit, ut esset ad Pentecosten apud *Westminster*, ubi armis militaribus honoravit filium suum Henricum. Postea sic itinera disposuit, ut pervenerit in festo Primitiarum ad *Searebyrig*, ubi ei obviam venere ejus Proceres; et omnes prædia tenentes, quotquot essent notæ melioris per totam Angliam, hujus viri servi fuerunt, omnesque se illi subdidere, ejusque facti sunt vassalli, ac ei fidelitatis juramenta præstiterunt, se contra alios quoscumque illi fidos futuros. Inde profectus est in Vectam, propterea quòd statuerat trajicere in Normanniam, quòd et postea fecit: verùm priùs pro more suo fecit, extorsit nimirùm multùm pecuniæ suis subditis, ubicumque haberet aliquem prætextum, sive justè sive aliter. Profectus est postea in Normanniam: et Edgarus Clito, Edwardi Regis propinquus, ibi ab eo defecit, propterea quòd haud magno honore apud illum habebatur....

B Anno MLXXXVI * ... Ea fuit hâc ætate rerum conditio, ut parùm justitiæ esset in hac terra in quocumque hominum genere, nisi solis Monachis, qui justè vitam instituerunt. Rex et Optimates valdè ac supra modum cupidi fuerunt auri et argenti, nec curabant quàm injustè res parta esset, si modò ipsi adipiscerentur. Rex pretio quàm potuit maximo suas terras elocavit: tunc accedens alius quispiam obtulit plus quàm alter antea dedisset, Rexque terras ei concessit qui plus obtulit. Deinde accedens tertius iis plus obtulit, atque Rex istis tradidit qui omnium plurimùm offerebant, nec curabat quàm iniquè Præfecti bona pauperibus auferrent, neque quot injusta perpetrarent. Quò plus loquerentur de justis legibus, eò faciebant plura injusta. Exegerunt injusta tributa, multaque alia contra jus fecerunt, quæ sunt difficilia numeratu.... * *Corr.* 1087.

Eodem anno ante Assumptionem Sanctæ Mariæ, profectus est Willelmus C Rex de Normannia in Franciam cum exercitu; et invadens suum dominum Philippum Regem, interfecit ejus servorum magnam partem, ac igni incendit urbem *Mathante* *, omniaque sancta Monasteria quæ erant in ea civitate: duo item religiosi viri, qui inserviebant Deo in Anachoresi agentes, ibi flammis erant consumpti. His ita factis, Rex Willelmus reversus est in Normanniam. Luctuosum quiddam is fecit, et magis luctuosum ipsi contigit. Quomodò magis luctuosum? morbo correptus est, qui eum acriter afflictabat. Quid plura? aspera mors, quæ neque parcit divitibus neque pauperibus, eum abstulit. Animam effla- * *Mante.*

vit in Normannia postridie Nativitatis Sanctæ Mariæ, et sepultus est in *Cathum* * apud Sancti Stephani Monasterium, quod ipse antea construxerat, et postea multis modis auxerat... Reliquit post se tres filios. Is qui Rodbeardus dictus est (*a*), natu primus erat, qui fuit Comes in Normannia post illum: secundus D dictus est Willelmus, qui gessit post eum coronam in Anglia: tertius dictus est Heanricus, cui pater legavit thesauros innumerabiles. * *Caen.*

Si cui libet cognoscere qualis vir fuit, sive quantis honoribus afficiebatur, sive quot terrarum fuit dominus; volumus nos eum describere, quatenùs scimus, qui eum vidimus et nonnunquam in ejus curia fuimus. Rex Willelmus de quo loquimur, fuit vir admodùm prudens, valdèque potens; honoratior etiam ac fortior quovis ex suis antecessoribus. Fuit mitis bonis viris qui Deum amarent, et ultra modum rigidus hominibus qui resisterent suæ voluntati (*b*). Eodem ipso loco, quo Deus ei

(*a*) Addit Florentius Wigorn. *qui tunc exsulabat in Francia.*

(*b*) Quibus artibus rebelles edomuerit, regnumque sibi asseruerit Willielmus, docet Matthæus *Paris* libro de Abbatibus S. Albani p. 29. « Cùm » Rex Edwardus, *inquit*, migrasset a mundo, Rex » Haraldus secundus, scilicet filius Godwini Co» mitis, hoc regnum sibi, quod eum exili jure » contingebat, temerè usurpavit. Unde, Deo » vindice, non per annum regnavit.... Adquisitâ » Angliâ et Normannis subjugatâ, cœperunt mala » multiplicari super terram.... Anglorum præci» puè rapina, invidia, superbia, pernox alea, » ingurgitationes, luxuriæ variæ, immunditiæ et » perjuria, infaustum susceperunt incrementum. » Igniculo frigescente caritatis, ubique effractarii, » passim raptores vagabantur. Alea pernox cum » juramentis horribilibus et Anglis insolitis, » lites et homicidia suscitavit; et successit argen» teum, immò potiùs luteum, aureo jam sæculo » resedenti. Conculcabantur spreti et derisi no» biles Angli, jugum servitutis a tempore Bruti » nescientes; et more Normannorum barbas ra» dere, cincinnos tondere cogebantur, projectis » cornibus et vasis solitis, et refectionibus et » dapsilitatibus, novis compulsi sunt legibus sub» jacere. Unde multis de nobilibus Anglis jugum » renuentibus servitutis, cum familia sua ad silvas » fugientibus et rapinis intendentibus, vix erat » tutum alicui suam adire viciniam: unde domus » cujuslibet pacifici, quasi municipium obsiden» dum arcubus et sagittis, gesis et securibus cum » clavis, sicis et furcis ferreis fuerat communita; » ostia seris et repagulis noctibus obseranda.

» Subjugante autem novo Rege Willielmo sibi » rebelles, qui adhuc restabant edomandi in An» glia, præstitit Abbas [S. Albani] Frethericus » refugium, adminiculum, favorem et auxilium » nobilibus Angliæ, et præcipuè Prælatis injurias » varias tolerantibus: quibus tamen Rex Williel» mus laqueos multiplices tetendit et muscipulas, » sub dolo et specie amicitiæ, ducens aliquos » eorum secum tanquam domesticos et speciales » amicos in Normanniam, eodem anno quo

Digitized by Google

concessit ut Angliam subjugaret, erexit illustre Monasterium, ac Monachos ibi A
posuit, illudque multùm divitiis auxit. Ejus diebus, fuit nobile illud Monasterium
in *Cantwarbyrig* extructum, aliaque quamplurima per totam Anglorum terram.
Hæc item terra fuit admodùm plena Monachorum, qui instituebant suam vitam
secundùm Sancti Benedicti regulam, et is fuit status religionis ejus diebus, ut
cuique juxta propriam regulam vivere liberum esset. Ad hæc fuit admodùm
honoratus; ter enim gessit suam coronam singulis annis, qùoties esse in Anglia:
ad Pascha eam gessit in *Winceaster*, ad Pentecosten in *Westminster*, et ad
Natales in *Gleaweceaster*. Tunc autem præstò apud eum fuerunt omnes Opti-
mates per totam Anglorum terram, Archiepiscopi et diœcesani Episcopi,
Abbates et Comites, Thani et Equites. Fuit etiam vir valdè rigidus ac severus,
adeò ut nemo auderet quidquam contra ejus voluntatem facere. Tradidit Co-
mites vinculis, qui ipsius animo obsisterent. Episcopis eripuit suos Episcopatus, B
et Abbatibus suas Abbatias, Comitesque in carcerem conjecit, ac tandem nec
pepercit suo ipsius fratri, Odoni nomine. Fuit hic admodùm potens Episcopus
* *Bayeux.* in Normannia (in *Baius* * erat ejus sedes Episcopalis) et Regi omnium maximè
fidelis. Habuit item Comitatum in Anglia; et cùm Rex erat in Normannia,
fuit ille primus in hac terra : hunc Rex conjecit in carcerem. Inter alia,
prætermittenda non est egregia ea pax, quam constituit in hac terra, adeò
ut cuiquam qui per se aliquid posset, liceret illæso peragrare regnum ejus,
sinum auri plenum habenti; nec quisquam ausus fuit interficere alium, etsi ab
eo maximis malis fuisset affectus : si quis autem vir rem habuisset cum fœmina,

» triumphavit, et ipsos puellis Normanniæ ma-
» trimoniali copulâ confœderavit; et Normannos
» mulieribus Angliæ generosis copulavit; terras
» Anglis ultramarinas, et Anglicanas possessiones
» dans Normannis. Sed et Anglorum castra, ma-
» neria et possessiones, ut essent ab invicem re-
» mota cautè procuravit, ne ex vicinitate robo-
» rarentur. Compertâ tamen tandem, sed serò,
» calliditate Regis vulpinâ, Angli religati sunt,
» sed in multis debilitati. Aluredum autem Archie-
» piscopum Eboracensem omnes Aquilonares sibi
» elegerunt capitaneum; Australes autem Abba-
» tem Frethericum.... Comites quoque Edwinus
» et Clito Eadgarus (quem in Regem, tanquam
» regali stirpe creatum et corpore elegantissi-
» mum, universitas regni propter enormitates Re-
» gis Haraldi creasse aliquandò proposuerat) viri
» strenuissimi, Regi Willielmo fortiter restitere,
» multos de suis perimentes. Prælati quoque sancti
» damna et injurias novas a novis oppressoribus
» illatas tolerantes,.... Willielmo Regi superbo et
» de triumpho glorianti, et quidam cives Londo-
» niæ in faciem restitere. Immisericors enim Rex
» erat et tyrannus inexorabilis, et quos blandis
» verbis et largis promissionibus poterat allicere,
» in fine oppressor injuriosus ac perjurus suppedi-
» tavit. Astutus autem et tyrannus belliger, nunc
» hos, nunc illos divisos invasit, et multipliciter di-
» visit damnificatos.... Comites quoque prædic-
» tos ingeniosis, ac repentinis [*f.* insidiis], ut-
» pote vir pernox, vigil et vafer, Rex invasit,
» et jacturis irrestaurabilibus damnificavit: multos
» interim labores, cædes et varia pericula tolera-
» vit. Unde iidem Magnates, omni postea tempore,
» Regi et suis Normannis infesti, etiam tempore
» pacis habebantur.

» Quarto verò anno regni sui,.... vocavit Rex
» Lanfrancum Abbatem Cadomensem in Angliam,
» virum litteratissimum et in agendis tam sæcula-
» ribus quàm ecclesiasticis negotiis arduis stre-
» nuissimum, ut ipsum in Archipræsulatum Can-
» tuariensem sublimaret. Ipsius namque consilio
» Rex ipse, ante conquestum et postea, omnia
» sua tractabat negotia. Ipsum igitur sine moræ
» dispendio in Archiepiscopum promotum, in
» omnibus habuit Rex præcipuum Consiliarium
» et spiritualem Confessorem.... Archiepiscopus
» igitur Papali animatus et armatus favore et Re-
» gali, omnes Regi rebelles tam Prælatos quàm
» Magnates potenter expugnatos allisit: qui cœ-
» perunt Regi hostiliter provincias ferro, flammâ
» et fame devastanti, audacter resistere. Verùm
» Rex jam utroque gladio roboratus, cœpit acriùs
» solito ac manifestiùs in Anglos desævire. Viden-
» tes igitur Angli rem agi pro capitibus, plures
» commovendo, exercitum numerosum ac fortis-
» simum conflaverunt, præficientes sibi Eadgarum
» speciosissimum ac fortissimum, in cujus sinu tota
» spes reposita fuit Angligenarum.... Fuit autem
» inter omnes Anglos dux et promotor efficacissi-
» mus Abbas S. Albani Frethericus, tanquam vir
» generosus, opibus et viribus non mediocriter
» formidabilis.

» Cœpit igitur Rex vehementer sibi timere, ne
» totum regnum, quod tanti sanguinis effusione
» adquisierat, turpiter amitteret, etiam trucida-
» tus. Archiepiscopi igitur prudentiâ feliciter eru-
» ditus, mitiùs cœpit agere cum regni Primatibus,
» ea quæ pacis sunt humiliter rogitando : et se-
» renâ facie vocavit eos ad pacem, sed subdolam,
» sicut rei series finalis clariùs patefecit. Occur-
» rerunt igitur Angli memorati nil mali cogitan-
» tes, in regimine et ducatu Abbatis Fretherici,
» apud *Berkamestude*, ubi post multas disceptatio-
» nes, præsente Archiepiscopo Lanfranco, Rex pro
» bono pacis juravit super omnes reliquias ecclesiæ
» S. Albani, tactisque sacrosanctis Evangeliis,
» minante juramentum Abbate Fretherico, bonas
» et approbatas antiquas regni leges, quas sancti
» ac pii Angliæ Reges ejus antecessores, et ma-
» ximè Rex Edwardus statuit, inviolabiliter obser-
» vare. Et sic pacificati ad propria læti recesserunt.
» Rex autem cautè propositum suum pallians, infra
» paucos dies, quos non poterat confœderatos et
» congregatos superare, singulos dispersos ac se-
» motos occultè ac subitò studuit incautos infestare,
» ac infestatos et infestos suppeditare : multos
» eorum trucidando, exhæredando, et quam-
» plures proscribendo, leges violans memoratas.
» Et spoliatis Anglis pro libitu, ac sine judicio
» curiali depauperatis, suos Normannos in suo-
» rum hominum Anglorum naturalium, qui ipsum
» sponte sublimaverant, provocationem, locu-
» pletavit. Hæc igitur videns Edgarus fugit in
» Scotiam, cui magis ac hostiliùs Rex insidiaba-
» tur. Multi autem de nobilibus Angliæ in Daciam,
» et aliqui in Norwegiam, nolentes aliquo modo
» Normannicæ jugum ferre servitutis, confuge-
» runt. Ipso igitur persecutionis tempore exsula-
» runt ab Anglia nobiles, tam milites quàm Præ-
» lati, viri sancti, generosi ac dapsiles, qui more
» Orientalium et maximè Trojanorum barbas et
» comas nutriebant, armis et fide præclarissimi.
» Quibus exsulantibus, pristina regni sanctitas ac
» nobilitas irremediabiliter exsulavit ».

Digitized by Google

A ipsâ invitâ, statim privatus fuit genitalibus. Præfuit Anglorum terræ, eamque suâ astutiâ ita lustravit, ut nec esset unica hida terræ in Anglorum gente, cujus nesciret possessorem et quantum valeret, quamque postea in scripta sua non retulit. Wallia fuit sub ejus imperio, et in ea castella exstruxit. Monæ item insulæ imperavit. Scotiam etiam sibi subjecit maximis suis viribus. Normanniæ terra sua fuit jure hæreditario, et Comitatum qui *Mans* nuncupatur, gubernavit. Sique ei concessum fuisset duos annos ultra vivere, Hiberniam fortitudine suâ subjugasset, idque sine armis. Ejus certè temporibus passi sunt homines multùm doloris, multasque admodùm injurias. Castella permisit ædificari, et pauperes valdè opprimi. Rex fuit acerbè rigidus, et extorsit a viris sibi subditis multas marcas auri, et plures libras centenas argenti, quas exegit partim justè, maxima verò ex parte injustè, rebus parùm urgentibus. Fuit usuris
B deditus, et avaritiâ omninò ardebat. Confecit multos ferarum saltus, munivitque eos legibus, ut quicumque interficeret cervum aut cervam, excæcaretur : ut cervos interfici vetuit, ita et apros ; ita verò multùm amavit feras majores, ac si fuisset eorum pater. Item statuit de leporibus, ut periculo immunes essent. Hoc viri summi conquesti sunt, et pauperes ægrè ferebant. Verùm is ita rigidus fuit, ut nihili haberet omnium eorum odium. Eos enim oportuit Regis voluntati omninò obsequi, si vellent vivere, aut terris frui, aut possessionibus, aut ejus amicitiâ.... Hæc ejus facta descripsimus; tum bona tum mala, ut boni viri prosequantur bonitatem, et penitùs fugiant impietatem.... Post ejus mortem filius Willelmus, ejusdem cujus pater nominis, capessit regnum, et consecratus est in Regem a Landfranco Archiepiscopo in *Westminster*, triduo ante Michaelis festum ; et omnes viri in Anglorum terra ei sese subjecerunt,
C eique juramenta dederunt....

Anno MLXXXVII. * Hoc anno fuit hæc terra admodùm turbata et plena seditionis, adeò ut primarii Franci homines, qui erant in hac terra, vellent prodere ipsorum dominum Regem, et in regnum sufficere fratrem ejus Rodbeardum, qui fuit Comes in Normannia. Hujus factionis Principes fuerunt Odo Episcopus [Bajocensis], et Gosfrithus Episcopus [Constantiensis], et Willelmus Episcopus in *Dunholme* *. Tanti fecit Rex hunc Episcopum, ut totam Angliam ejus consilio ac voluntate gubernandam tradiderit; ille autem in animum induxit ei

* *Corr.* 1088.

* *Durham.*

facere, quemadmodùm Judas Iscariotes fecit nostro Domino. Rogerus [de Montegomerico] item Comes [Scrobesburiæ] socius fuit istius factionis, et cum his multi e populo, Franci ii omnes. Hæc autem conspiratio facta fuit in Quadragesima. Quàm primùm venit Pascha, egressi sunt, ac spoliarunt et
D combusserunt et vastarunt Regis villas, et omnium eorum hominum terras deformarunt, qui erant Regi fideles : atque horum unusquisque accedens ad suum castellum, illùd viris ac cibis instruxerunt, quàm optimè possent. Gosfrithus Episcopus et Rodbeardus [de Molbraio] pacis violator, iverunt ad *Bricgstowe* ac spoliabant, attuleruntque ad castellum prædas. Postea egressi sunt ex eo castello, et spoliarunt Bathoniam ejusque viciniam, et ditionem Bercleiensem devastarunt. Magnates item Herefordiæ (*a*) et totus iste Comitatus, virique de *Scrobscire* cum multis ex Wallia venerunt, atque vastationes et incendia exercebant in *Wigreceaster-scire*, * usque dum pervenissent ad ipsum oppidum [Wigorniam]. Tunc conati sunt illud oppidum incendere et eam Ecclesiam expilare, Regisque castellum redigere in suam potestatem.... Rogerus [*Bigot*] dictus est unus ex iis, qui recuperavit castellum de *Northwic*,
E et tractavit omnium pessimè totam istam terram. Hugo etiam [de Grentemaisnilio] non minùs depopulatus est tum Lægreceaster-sciram tum Northamtunam. Episcopus Odo profectus est in Cantiam ad suum Comitatum, quem plurimùm deformavit; Regis item terras et Archiepiscopi penitùs devastavit, et attulit totam quam cepit prædam in suum castellum in *Hrofeceaster* *. Quùm Rex intellexisset omnia hæc, et qualem proditionem exercerent in suos, fuit animo vehementer sollicito. Tunc accersivit Anglos, et iis exposuit suas angustias, rogavitque eos auxilium : pollicitus iis meliores leges, quàm unquam fuerunt in hac terra. Omnia item injusta tributa abrogavit, concessitque subditis suas sylvas et venatus ; verùm hoc haud diu mansit. Angli nihilominùs auxilio ad-

* *Worchester.*

* *Rochester.*

(*a*) Hi erant, teste Joanne *Bromton*, *Bernardus de Novo-mercato, Rogerus de Lacio, qui jam super Regem invaserat Herfordiam, Radulfus de Mortuo-mari cum hominibus Rogeri Comitis Salopiæ, conjurationis socii.*

Digitized by Google

fuerunt Regi ipsorum domino. Prodibant deinde versùs *Hrofeceaster*, volentes A
Episcopum Odonem prehendere; arbitrabantur enim, si eum caperent qui
princeps fuit conspirationis, posse se faciliùs prehendere omnes reliquos. Quare
venerunt ad castellum apud *Tonebricge;* tunc autem fuerunt in castello Odonis
Episcopi milites, aliique multi, qui illud tenere conati sunt contra Regem.
Verùm Angli advenientes expugnaverunt castellum, virique qui in eo erant,
pacem fecerunt cum Rege. Rex cum suo exercitu perrexit versùs *Hrofeceaster*,
putans Episcopum in eo esse oppido; verùm fuit Regi nunciatum Episcopum
* *Peneseam.* abiisse ad castellum *Apefenesea* *. Quocirca Rex cum suis copiis insecutus est,
et obsedit castellum cum magno admodùm exercitu, sex integras hebdomadas.
Interea Comes Normanniæ Rodbeardus, Regis frater, coegit magnam homi-
num vim, et sperabat se subjugaturum Anglorum terram, eorum virorum ope
qui erant in hac terra hostili animo erga Regem; misitque partem suorum in B
hanc terram, ipse postea venturus. Verùm Angli, qui tuebantur oras mari-
timas, inciderunt in eos homines et occiderunt, aquisque demerserunt plures,
quàm quisquam posset numerare. Postquam cibi inopiâ premerentur qui in
castello erant, petebant pacem, ac dediderunt illud Regi, et Episcopus ju-
ravit se Angliâ cessurum, neque unquam reversurum in hanc terram, nisi Rex
eum accersiret, seque redditurum castellum in *Hrofceaster*. Cùm Episcopus
accessisset ad reddendum castellum, Rexque misisset suos unà cum illo, coibant
ad arma viri qui fuerunt in castello, et prehenderunt Episcopum ac Regis mi-
lites, eosque commiserunt custodiis. In castello fuerunt admodùm strenui Equites,
Eustachius Junior [Comes Boloniensis] et Rogeri Comitis tres filii, omnesque
viri genere clarissimi, qui erant sive in hac terra sive in Normannia. Cùm Rex
intellexisset eam rem, eò contendit cum exercitu, quem apud se habuit; et C
mittens per totam Anglorum terram, jussit unumquemque, qui non esset homo
nequam, venire ad se Francos Anglosque, de oppidis ac de villis. Tunc ad
eum collectæ sunt magnæ copiæ, ivitque ad *Hrofeceaster*, et obsedit castellum
usque dum fœdus percussissent qui in eo fuerunt, castellumque dedidissent. Epis-
copus Odo, cum viris qui in castello erant, trans mare ibat; atque ita Epis-
copus reliquit dignitatem quam in hac terra habuit (*a*). Rex postea dimisit
exercitum ad *Dunholme*, ac permisit obsideri illud castellum, et Episcopus
pacem fecit, et castellum dedidit; abdicatoque suo Episcopatu, transiit in Nor-
manniam. Multi item Franci viri, relictis possessionibus, ibant in transmarina;
Rexque dedit eorum terras iis qui sibi fideles fuerant....

Anno MXC. His ita factis, quæ supra jam diximus de Rege et de ejus fratre
ejusque militibus; Rex secum cogitabat quomodo posset miserum suum fratrem D
Rodbeardum commodissimè armis persequi, et Normanniam ei eripere. Hinc
suâ sive astutiâ, sive pecuniâ, adeptus est castellum apud S. *Waleri* et portum,
sicut etiam expugnavit illud quod est apud *Albemarle*, et inibi collocavit suos
milites, qui damnum dederunt isti terræ vastationibus et incendiis. Post hæc
cepit plura castella in ea terra, in quibus suos Equites collocavit. Comes de
Normannia Rodbeardus, postquam intellexisset subditos sibi juratos a se deficere
et dedere castella suo incommodo, misit ad dominum suum Philippum Fran-
corum Regem, qui venit ad Normanniam cum magno exercitu; Rexque et
Comes cum immensis copiis obsederunt castellum, in quo Regis Angliæ mi-
lites fuerunt. Rex Angliæ Willelmus nuncium mittebat ad Philippum Francorum
Regem, atque hic sive suâ in Willelmum voluntate, sive ingentibus pecuniis
adductus, discessit a subdito suo Comite Rodbeardo et ex ejus terra; rever- E
susque in Franciam, hoc modo eos reliquit. Interea hæc terra fuit magnopere
exhausta injustis tributis, aliisque multis infortuniis.

Anno MXCI. Hoc anno Rex Willelmus tenuit suam curiam ad Christi Natales
in *Westminster*, et postea ad festum Candelarum profectus est, fratris sui incom-
modo, ex Anglorum terra in Normanniam. Dum ibi commorabatur, facta est
* *Fecam.* inter eos pax eâ conditione, ut Comes in ejus potestate poneret * Vescam, et
* *Eu.* Comitatum apud * *Ou* et * *Kiæresburh*, itemque ut Regis homines securi a
* *Cherbourg.* metu essent in iis castellis quæ olim, Comite invito, expugnaverant. Rex item
ei vicissim multa castella pollicitus est, quæ eorum pater fuerat adeptus; quæ

(*a*) *Sed Episcopus veniens Normanniam, statim a Roberto Comite totius provinciæ curam suscepit :* Simeon Dunelm.

Digitized by Google

A autem a Comite defecerant, ad officium revocare : promisitque quidquid ipsius pater ibi in transmarinis habuerat, præter quæ Comes tunc Regi concessit. Item inter eos convenit ut omnibus, qui in Anglia causâ Comitis suas terras amiserant, eæ vi hujus fœderis restituerentur; ipseque Comes in Anglia tantum terrarum haberet, quantum inter eos convenerat; atque si Comes moreretur absque filio legitimo, ut esset Rex hæres totius Normanniæ : eodemque conventu, si Rex moreretur, ut esset Comes hæres totius Angliæ. Hanc conventionem juramentis firmaverunt XII viri summi a parte Regis, et XII a parte Comitis; quamquam haud diu post manserit.

Dum hoc fœdus agitaretur, Eadgarus Clito privatus est terris, quas Comes ei antea ibi in manus dederat; isque e Normannia discedens, ivit ad Regem sororis suæ virum in Scotiam, et ad suam sororem. Dum Rex Willelmus
B Angliâ aberat, venit Rex Scotiæ Melcolmus in Angliam (*a*), cujus magnam partem devastavit; dónec viri fortes, qui hanc terram tuebantur, adversùs eum exercitum misissent, illumque pepulissent. Cùm hoc ad Regem Willelmum in Normanniam delatum fuisset, paravit expeditionem et in Angliam venit (*b*), cumque eo frater ejus Comes Rodbeardus; ac statim exercitum jussit conscribi, tum navalem, tum terrestrem.... Quàm primùm Rex Willelmus cum suo exercitu appropinquabat, intercesserunt Rodbeardus Comes et Eadgarus Clito, et inter Reges fœdus ita percusserunt : ut Rex Melcolmus nostrum Regem accedens, ei præstiterit omnem eam obedientiam quam ejus patri præstiterat, illudque juramento firmavit, et Rex Willelmus ei pollicitus est quidquid terrarum aut quidquid rei sub patre suo possederat. Per hoc pactum fuit etiam Eadgarus Clito in Regis amicitiam receptus, et Reges solida cum pace dis-
C cesserunt; verùm ea haud diu mansit. Comes Rodbeardus hìc ad Christi propè festum cum Rege agebat : quo tempore haud ita religiosè conditiones fœderis præstitas deprehendit, et duobus diebus ante illud festum in Vecta navem conscendit, ac in Normanniam transibat, atque unà cum eo Eadgarus Clito....

Anno MXCIV. Hoc anno tenuit Rex Willelmus in Christi festo suam curiam apud *Gleawceaster* *; et ad illum eò a fratre Rodbeardo e Normannia nuncii * *Glocester.*
venerunt, qui dicerent ejus fratrem pacem et pacta omnia violaturum, nisi Rex persolvere vellet omnia, de quibus inter eos convenerat. Insuper eum perjurum et perfidum vocavit, nisi in conditionibus maneret, aut eò profectus se ipsum eo in loco excusaret, quo fœdus olim fuerat percussum, atque juramentis firmatum. Tunc profectus est Rex Hæstingam ad Candelarum festum,.. posteaque in media Quadragesima trans mare ivit in Normanniam. Postquam eò
D esset perventum, is atque illius frater Rodbeardus Comes statuebant cum pace in unum locum convenire (quod et factum) ut pax inter eos lata esset. Quùm convenissent unà cum iis ipsis viris, qui antea fœdus fecerant et juramentis firmaverant, illi omnes violationis culpam in Regem conjecerunt; verùm is neque voluit illud agnoscere, neque pacta servare; proptereaque cum gravibus inimicitiis discesserunt (*c*). Rex item postea castellum apud *Bures* expugnavit, et Comitis homines qui inibi erant cepit, quorum aliquos hanc in terram misit. Ex altera parte Comes, auxilio Regis Franciæ, cepit castellum apud *Argentses*, et inibi Rogerum *Peitevin* prehendit, et septingentos ex Regis militibus cum illo (*d*). Postea item illud quod est apud *Hulme* *, atque frequenter eorum * *Le Houlme.*
uterque alterius oppida igne incendit, hominesque cepit. Postea mittebat Rex hanc in terram, et jussit conscribi XX millia Anglorum, qui ipsi subsidio mitte-
E rentur in Normanniam... Comes autem in Normannia post hæc cum Rege Franciæ, et cum omnibus quos ii comparare potuerunt, iverunt versùs *Ou* *, * *Eu.*
in quo fuit Rex Willelmus : in animis habentes eum ibi obsidere, adeòque progressi sunt, usque dum venissent ad *Lungevile*. Ibi factum est ut Rex Franciæ astutiâ Willelmi ad sua rediret; atque postea totus exercitus revertebatur. Interea Rex accersivit fratrem suum Heanricum, qui fuit in castello

(*a*) *Mense Maio*, ex Florent. Wigorn. et aliis.
(*b*) *Mense Augusto*, ex eodem Wigorn.
(*c*) Addit Florentius Wigorn. *Comes quidem Rotomagum perrexit; Rex verò ad* Owe *rediit, et in illo resedit, solidarios undique conduxit, aurum, argentum, terras quibusdam Primatum Normanniæ dedit, quibusdam promisit, ut a germano suo Rodberto deficerent, et se cum castellis suæ ditioni subjicerent. Quibus ad velle suum patratis, per castella quæ vel priùs habuerat, vel quæ tunc conduxerat, suos milites distribuit. Interea castellum quod* Bures *appellabatur, etc.*
(*d*) *Cum bis totidem scutariis et castellanis omnibus qui intùs erant, sine sanguinis effusione cepit, captosque in custodia tamdiu custodire mandavit, donec quisque se redimeret, et post hæc in Franciam rediit.* Florent. Wigorn.

Digitized by Google

apud *Damfront;* verùm quoniam securè per Normanniam venire non posset, ad eum naves mittebat, et Hugonem Comitem de *Ceaster*. Ast cùm versùs *Ou* ire debuissent, ubi fuit Rex, adibant Angliam, et terram conscenderunt apud *Hamtune*, in vigiliis festi Omnium Sanctorum, hìcque postea vixerunt.... A

Anno MXCV.... Heanricus Regis frater hac in terra usque ad Quadragesimam degebat, et postea trans mare ivit in Normanniam cum magna vi pecùniarum, a parte Regis, contra eorum fratrem Rodbeardum Comitem, et frequenter Comitem prælio superavit, et multum damni ei, tum terris, tum hominibus dedit... Hoc anno fuit Pascha in VIII Kal. Aprilis....

* An. 1095. Ad Pentecosten * fuit Rex in Windlesora, omnesque sui Optimates cum illo, præter Comitem Northymbriæ [Robertum de Molbraio] propterea quòd Rex illi neque vellet obsides dare, neque fide datâ polliceri posse eum securè advenire ac discedere (*a*). Quapropter Rex exercitum suum coegit, et adversùs B Comitem in Northymbros profectus est; atque cùm primùm eò pervenisset, multos et propè omnes summos e Comitis curia in quodam munimento cepit, ac in custodiam dedit. Castellum etiam apud Tinemutham obsedit donec illud cepisset, et Comitis fratrem in illo, omnesque qui cum eo unà fuerunt. Postea adivit *Bebbaburh*, et Comitem inibi obsedit. Verùm cùm Rex deprehendisset se non potuisse illud expugnare, præcepit ædificari castellum coram *Bebbaburh*, illudque suâ linguâ *Malveisin* vocavit, quod est Anglicè Malus-vicinus. Hoc cùm præsidio suorum hominum valdè firmasset, versùs partes australes ivit. Statim post Regis discessum versùs meridiem, ivit Comes quâdam nocte e *Babbeburh* versùs Thinemutham : verùm qui in eo castello fuerunt, hujus rei præmoniti, eum insecuti sunt, armisque invaserunt, eumque vulneraverunt, ac postea prehenderunt; eorum autem qui cum illo fuerunt, aliquos pere- C merunt, aliquos vivos ceperunt.... Quum Rex rediisset, jussit submoveri Comitem Northymbrorum Rodbeardum et ad *Bebbaburh* adduci, ambobusque oculis privari, nisi qui erant in castello dedere vellent. Illud tenuerunt ejus

* Morellus. uxor, et *Moreal* * qui fuit procurator ejusque propinquus. Propter hæc fuit castellum deditum, et *Moreal* admissus est in curiam Regis, a quo fuerunt multi tum clerici tum laïci proditi, qui suis consiliis contra Regem conspirationem excitaverant. Eorum aliquos Rex ante illud festum [Omnium Sanctorum] jussit in custodias tradi, et postea admodùm minaci edicto per totam hanc terram jussit omnes qui a Rege terras tenebant, modò pace dignos haberi se vellent, adesse suæ curiæ in festo : Comitem autem Rotbeardum jussit Rex ad Winlesoram deduci, et ibi in eo castello asservari....

Anno MXCVI.... In Octavis Epiphaniæ fuit Rex omnesque ejus Optimates D in *Searbyrig*. Ibi accusavit *Gosfrei Bainard* Willelmum de *Ou* Regis propinquum, asseverans eum fuisse participem conspirationis contra Regem, et duello cum eo decertavit, eumque prælio simplici vicit; atque postea superato jussit Rex oculos erui, ac deinde testiculos abscindi; et illius Dapiferum, Willelmum

* Odo. nomine, filium amitæ illius, jussit Rex in crucem tolli. Tunc etiam fuit *Eoda* * Comes de Campania, Regis gener (*b*), multique alii privati terris, et nonnullos

(*a*) Robertum de Molbraio, non tam rebellandi prurigine, quàm amore Anselmi a Rege exagitati, ad arma proruisse, discimus ex fragmento, quod e Tomo II Monast. Anglic. p. 152, subjicimus : « Tempore Willelmi Conquestoris, » erat quidam magnus dominus in Anglia vo- » catus Robertus de *Mowbrai*, cui idem Willielmus Rex dedit Comitatum Northumbriæ cum » multis variis dotibus. Post decessum Willielmi » Conquestoris, regnante Willielmo Rufo filio » ejus, anno regni sui nono, et anno Domini » 1088 (*corr.* 1095) consurrexit contra Regem » Willielmum ille Robertus, cum quibusdam aliis » Magnatibus Angliæ, pro justa querela matris » nostræ Ecclesiæ, scilicet pro alienatione et exulatione B. Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi, » et octogesimarum domorum religiosarum des- » tructione, ut suam ampliaret forestam. Unde » Willielmus Rufus cum exercitu magno ipsum, » scilicet Robertum de *Molbray* et suos, apud » *Bamburgh* cepit et duxit apud *Winsor*, et ibidem » ipsum cum aliis decollari mandavit, ac Comi- » tatum Northumbriæ et Notingamiæ ac domini » Martialis, et omnes terras et possessiones ejus- » dem Roberti de *Mowbray* in manus suas sai- » sivit, ac omnem ejus progeniem exhæredavit, » et sic pro amore Dei innocens vitam finivit ». Errat porrò dum Robertum capite plexum tradit Auctor; constat enim ex Orderico Vitali, ipsum annis ferè 34 in vinculis consenuisse.

(*b*) Odonis Campaniensis, Stephani II Comitis filii, sequentem genealogiam exhibet Monasticon Anglic. T. I. p. 796. « Comes quondam Campaniæ, » nepos Regis Francorum, habebat quemdam » filium Militem egregium, nomine Odonem, qui » propter homicidium cujusdam Magnatis terræ » illius inde fugiens, ad Willielmum Nothum qui » fuit Dux Normanniæ et post Rex Angliæ per- » venit. Porrò coadjuvante dictum Odonem Ar- » chiepiscopo Rotomagi, erga ipsum Regem Vil- » lielmum, dedit ei præfatus Rex sororem suam » [uterinam] in uxorem. Postquàm autem cele- » bratæ sunt nuptiæ, Odo rogavit eumdem Ar- » chiepiscopum ut suggereret Regi dare sibi unde » uxorem suam alere posset, et exposuit ei cau- » sam quare de terra sua jampridem fugisset. » Dedit ergò Rex dicto Odoni insulam de *Holder-* » *nesse*, et ipse idem Archiepiscopus dedit eidem

Londinum

Digitized by Google

A Londinum deductos ibi interfecit. Hoc item anno ad Pascha, concitata erat magna admodùm rerum confusio per totam hanc nationem, multasque alias nationes, propter Urbanum qui Papa dictus est, etsi nullam sedem Romæ haberet; et ivit infinita virorum vis cum uxoribus ac liberis ad victoriam a Paganis reportandam. Per hanc expeditionem pax facta est inter Regem et ejus fratrem Rodbeardum Comitem; adeò ut Rex transfretaret (*a*) et totam Normanniam ab eo pretio mercaretur : quo modo convenit inter eos pax....

Anno MXCVII. Hoc anno fuit Rex Willelmus ad Christi festum in Normannia, et in Pascha hanc in terram venit.... Deinde circa festum S. Michaëlis, IV Nonas Octobris, apparuit insolita quædam stella vesperi fulgens, et ad occasum festinans. Visa erat in Lybo-noto, radiusque qui ab ea procedebat valdè longus esse videbatur, versùs Euro-notum directus. Totâ autem propè hebdo-
B madâ hoc modo apparuit. Multi existimarunt eam fuisse cometam. Statim post hæc, Ansealmus Archiepiscopus de *Cantwarbyrig* veniam a Rege consecutus est (etsi eam ægrè Rex concederet) hunc populum relinquendi et transfretandi; propterea quòd arbitrabatur homines in hac terra haud secundùm justitiam et secundùm sua præcepta vitam instituere. Rex postea circa Sancti Martini festum transfretavit in Normanniam; verùm dum ille ventum secundum expectabat, ejus comitatus isti provinciæ in qua consederunt, majora damna dederunt, quàm unquam comitatus aut exercitus terræ pace utenti dederunt....

Anno MXCVIII. Hoc anno ad Christi festum fuit Rex Willelmus in Normannia.... Item Hugo Comes [Scrobesberiæ] fuit occisus in *Anglesege* ab extraneis piraticis, ejusque frater Rodbertus [de Belismo] fuit illius hæres, quemadmodùm illud a Rege impetraverat....

C Anno MXCIX. Hoc anno fuit Rex Willelmus ad Natales in *Normandig*, et ad Pascha hanc in terram venit, atque ad Pentecosten primâ vice suam curiam in nova aula apud *Westmynster* tenuit,... ac statim postea transfretavit, Comitemque Eliam e Cenomannia expulit, quam postea in suam potestatem redegit; et deinde ad S. Michaëlis festum hanc in terram rediit....

Anno MC ... postridie festi Primitiarum (*b*) manè fuit Rex Willelmus inter venandum a quodam ex suis sagittâ occisus, posteaque ad *Winceaster* delatus est, et in eo Episcopatu sepultus. Hoc factum est decimo tertio anno quo regnum susceperat. Fuit admodùm strenuus et severus in suam terram et suos, et omnes vicinos; valdè item terribilis, et malorum hominum consiliis, quæ ei semper grata fuerunt, suâque avaritiâ adductus, hanc gentem perpetuò exercitibus alendis et tributis injustis vexavit : ejus quippè diebus omne justum concidit,
D et omne injustum coram Deo et mundo exortum est. Dei Ecclesias expilavit, et Episcopatus Abbatiasque, quarum Præsides ejus diebus mortem obibant,

» Odoni Comitatum Albemarliæ, ut in expedi-
» tionibus esset ejusdem Archiepiscopi signifer cum
» decem militibus. Dederat autem præfatus Rex
» dictam insulam de *Holdernesse* priùs Militi cui-
» dam valdè probo et in armis probato, qui cum
» ipso in Angliam venerat Drugoni *de la Beverer*
» Flandrensi, qui construxit castellum de *Skipse*.
» Habuit autem idem Drugo quamdam Regis co-
» gnatam, quam omine infausto interemit. Post cu-
» jus necem venit dictus Drugo ad Regem, simu-
» lâns se velle cum uxore sua in Flandriam rever-
» ti, et petiit ab ipso aliquantam pecuniam sibi
» dari. Acceptâ ergò a Rege pecuniâ, festinavit
» ad mare : cujus nefandum factum et fictum ne-
» gotium cùm Rex cognovisset, misit post illum
» ut comprehenderetur; sed ipse denuò non rever-
» surus transfretavit.

» Data est ergò Odoni de Campania, qui ha-
» buit sororem Regis uxorem, Holdernessia, sicut
» dictum est : quæ valdè sterilis et infructuosa erat
» eo tempore, nec gignebat nisi avenam. Cùm-
» que Odoni uxor sua filium peperisset, quem vo-
» cavit Stephanum, petiit a Rege ut daret ei ter-
» ram ferentem frumentum, unde alere posset
» nepotem suum. Dedit ergò ei Rex villam de
» *Bitham* cum pertinentiis, et alias possessiones
» plurimas. Porrò filius Stephani filii Odonis fuit
» Willielmus *le Groos* fundator noster (id est,
» Melsæ); et ipse Villielmus *le Groos* accepit uxo-
» rem Ceciliam nomine, filiam Villielmi filii Dun-
» cani, qui fuit filius Regis Scotiæ Malcolmi et
» frater Regis David : per quam Ceciliam D. Wil-
» lielmus *le Groos* et hæredes sui comites Albe-
» marlæ jure hæreditario Cravennam possidebant,
» ex quâ Cecilia dictus Willielmus accepit unam
» filiam nomine Hawisiam ... Hawisia verò filia
» ipsius Willielmi, post mortem patris sui, data
» est per Regem qui temporibus illis extiterat,
» nobili viro Willielmo de Mandevilla; sed ipso
» mortuo sine hærede ex ipsis procreato, data est
» iterùm ipsa Hawisia Baldwino de *Betoyn* Comiti
» Insulæ, de qua accepit unam filiam tantùm :
» quæ filia maritata Mariscallo Angliæ, prole non
» productâ, animam Deo, terræ corpus commen-
» dabat. Mortuus est etiam ipse Baldwinus de *Be-*
» *toyn*, et Hawisia per præceptum domini Regis
» accepit maritum Willielmum de Fortibus pri-
» mum, et habuit ex ea Willielmum de Fortibus
» secundum; qui habens uxorem accepit ex ea
» Willielmum de Fortibus tertium, qui duxit
» uxorem Isabellam nomine filiam Comitis Insulæ
» et Devoniæ, ex qua filios et filias procrea-
» vit, etc.

(*a*) Florentius : *ille autem mense Septembri mare transiit, pacem cum germano fecit,* VI *mille* DC. LXVI *libras illi præstitit, et ab eo Normanniam in vadimonium accepit.*

(*b*) Die 2 Augusti, seu ut habet Florentius Wigorn., IV *Nonas Augusti, feriâ* V, *Indict.* VIII.

Digitized by Google

omnes sive pretio vendidit, sive suâ possessione retinuit atque elocavit,... atque ne longus sim, quidquid Deo fuit exosum et odiosum hominibus, totum illud valebat in hac terra ejus temporibus : ideòque fuit toti propè suæ genti invisus et Deo abominatus, quemadmodùm ejus obitus ostendit ; in medio enim suæ injustitiæ absque pœnitentia omnique compensatione periit. Jovis die fuit interfectus, et insequenti mane sepultus. Et quamprimùm fuit sepultus, Optimates qui propè fuerunt, ejus fratrem Heanricum in Regem elegerunt ; qui.... postea Londinum profectus, die Solis (*a*) sequente, coram altari in *Westmynster*, Deo et omni populo promisit se omnia injusta abrogaturum, quæ fratris temporibus obtinuerant, et optimas leges stabiliturum, quæ in cujusvis regni diebus ante ipsum viguerunt. Eumque post hæc Episcopus de *Lundene* Mauricius in Regem consecravit, et ei omnes in hac terra sese subdiderunt, ac juramenta præstiterunt, ejusque servi facti sunt. Rex autem statim postea, consilio illorum qui apud se fuerunt, Ranulfum Episcopum de *Dunholme* permisit prehendi, et in turrim in *Lundene* permisit deduci, ibique asservari. Deinde ante Sancti Michaëlis festum venit Ansealmus Archiepiscopus de *Gantwarbyrig* hanc in terram, quemadmodùm Rex Heanricus suorum Optimatum consilio eum accersivit, propterea quòd hac terrâ cesserat, ob insignes injurias quibus Rex Willelmus illum affecerat. Statim post hæc Rex cepit sibi in uxorem Mahaldem, Malcolmi Regis Scotiæ filiam et Margaritæ optimæ Reginæ, Edwardi Regis cognatæ atque rectâ Anglorum gentis prosapiâ oriundæ, quæ in S. Martini festo ei cum magno honore data est in *Westmynster*. Archiepiscopus autem Ansealmus hanc illi connubio junxit, ac deinde in Reginam consecravit....

A

B

Hoc ipso anno in Autumno, rediit Comes Rotbertus domum in Normanniam, et Comes Rotbertus de Flandris, et Eustachius Comes de Buna * ab Hierosolymis. Et quamprimùm Comes Rotbertus in Normanniam venit, fuit ab omni ista provincia benignè susceptus, præter quàm a castellis quæ firmata erant Regis Heanrici militibus, in quæ multos impetus et oppugnationes fecit.

* Boloniæ.

C

Anno MCI. Hoc anno ad Christi * festum, tenuit Rex Heanricus suam curiam in *Westmynster*, et ad Pascha in *Winceaster*. Et statim post hæc facti erant viri summi in hac terra hostili animo in Regem, partim propter Comitem de *Normandig* Rodbertum, qui inimicè hanc in terram cogitabat. Rex idcircò postea naves in altum emisit, fratris sui incommodo et impedimento ; verùm earum aliquæ, cùm Rex in angustiis esset, defecerunt et ab eo deflexerunt, Comitique Rotberto sese subdiderunt. Deinde ad mediam æstatem prodiit Rex ad *Pefenese* cum toto suo exercitu adversùs fratrem, eumque ibi expectabat. Interea autem conscendit terram Comes Rotbertus apud Portesmutham XII noctibus ante festum Primitiarum *, et Rex cum omnibus suis copiis adversùs eum venit. Verùm viri summi inter eos egressi, fratres in concordiam reduxerunt ; his conditionibus, ut Rex dimitteret quidquid in Normannia adversùs Comitem vi tenuit ; ut omnibus in Anglia suæ terræ restituerentur, qui eas olim Comitis causâ amiserant, et Eustachio Comiti omnes patris sui terræ in hac gente ; atque ut Comiti Rotberto singulis annis tria millia marcarum argenti numerarentur : utque e fratribus is, qui alteri esset superstes, hæres foret totius Anglorum terræ, etiamque Normanniæ, nisi vitâ defunctus hæredes haberet legitimos. Hoc autem juramento firmabant XII viri summi ex utraque parte, Comesque postea, donec præterlapsum esset S. Michaëlis festum, hac in terra degebat : cujus milites magnis injuriis affecerunt quæcumque loca proficiscebantur, quo tempore Comes in hac terra commorabatur. Hoc item anno, Episcopus Ramnulfus ad festum Candelarum e turri in *Lundene* noctu evasit, ubi custodiis asservabatur, et in Normanniam proficiscebatur. Hujus præsertim consiliis et impulsu, Comes Rotbertus hoc anno terram hanc hostiliter petebat.

* *Supple* Natalium.

D

* Die 20 Julii.

E

Anno MCII. Hoc anno ad Natales fuit Rex Heanricus in *Westmynster* et ad Pascha in *Winceaster*. Non multò post discordia orta est Regi cum Comite Rotberto de *Belesme*, qui tenuit Comitatum hac in terra *Scrobbesbyrig* *, quem ejus pater Rogerus Comes antea habuerat ; magnas etiam possessiones tam citra quàm trans mare. Tunc Rex profectus est, et obsedit castellum apud *Arundel ;* verùm cùm illud haud ita properè expugnare potuit, permisit ante illud castella ædificari, et in iis homines suos collocari : posteaque cum toto suo

* *Shrewsbury*.

(*a*) Florentius : *Nonis Augusti, die Dominico.*

Digitized by Google

A exercitu contendit ad *Brigge*, ubi commoratus est donec illud castellum expugnasset, et Comitem Rotbertum terris privasset, eique omnia ademisset quæ in Anglorum terra possidebat. Comes deinde transfretavit, et exercitus domum revertebatur.... Hoc ipso anno, in hebdomada festi Pentecostes, venerunt direptores, alii de *Alvearnie*, alii de Francia, alii de Flandria, et vi ingressi sunt Monasterium de *Burh*, atque ceperunt plurima bona, aurea et argentea, nempè cruces, calices et candelabra.

Anno MCIII. Hoc anno.... venit Comes Normanniæ Rotbertus, ut colloquium haberet cum Rege in hac terra; et antequam hinc discederet, condonavit Regi tria millia marcarum, quæ ei a Rege Heanrico ex pacto singulis annis solvenda erant....

Anno MCIV. Hoc anno.... pax facta est inter Rotbertum de Normannia et
B Rotbertum de *Belesme* (quem Rex Heanricus olim terris privaverat et Anglorum terrâ expulerat) et per eorum concordiam facti sunt hostes Rex de Anglorum terra et Comes de Normannia. Tunc Rex suos trans mare in Normanniam misit, et summi viri in ea terra illos exceperunt, inque proprium dominum Comitem proditionem exercentes, in sua castella admiserunt : unde crebras molestias, vastationibus atque incendiis, Comiti exhibuerunt (*a*). Hoc item anno Willelmus Comes de *Moretoin* * hac e terra in Normanniam transiit; sed postquam eò pervenisset, contra Regem depugnavit, propterea quòd ei Rex omnia ademerat, et privarat iis possessionibus quas in hac terra habuit....

* *Mortain.*

Anno MCV,... (Rex Henricus) in Quadragesima transfretavit in Normanniam contra fratrem suum Rotbeardum Comitem. Dum ibi viveret, abstulit fratri *Cathum* et *Baius* *; et penè omnia castella ac summi viri in ista terra illi
C erant subditi. Is autem postea in autumno reversus est in hanc terram. Quidquid verò in Normannia fuerat adeptus, in pace et subjectione mansit, præter ea loca quæ Comiti Willelmo de *Moretoin* ex quavis parte vicina erant; illa enim is frequenter exagitabat quàm vehementer posset, propter terram amissam in hac gente. Deinde ante Christi festum * venit Rotbertus de *Belesme* hanc in terram ad Regem....

* *Caen et Bayeux.*

* *Noël.*

Anno MCVI. Hoc anno fuit Rex Henricus ad Natales in *Westmynster*, et ibi suam curiam tenuit; atque in eo festo Rotbertus de *Belesme* hostiliter a Rege ex hac terra in Normanniam discessit. Post hæc ante Quadragesimam, fuit Rex apud *Northamtune*, et Comes Rotbertus ejus frater e Normannia eò ad illum pervenit; verùm quoniam Rex ei recusabat restituere quod in Normannia ab illo eripuerat, animis inimicis discesserunt, atque Comes re-
D versus est statim in transmarina.

In prima Quadragesimæ hebdomada, die Veneris, XIV kalendas Martii vesperi, apparuit insolita stella, et per longum postea tempus fuit singulis diebus vesperi aliquandiu fulgens conspecta. Stella apparuit in Noto-zephiro, quæ exigua est visa et obscura; verùm radius qui ab ea profluxit, admodùm clarus esse atque ingens radius putabatur, versùs Euro-aquilonem fulgens : quodam die vesperi conspectus fuit radius transversim sese stellæ huic ingerere. Plerique dicebant se plures sub id tempus insolitas stellas conspexisse; verùm nos illud pro certo non scribemus, propterea quòd ipsi non vidimus....

Postea ante Augustum ivit Rex trans mare in Normanniam; et omnes propè qui in ea terra fuerunt, ejus voluntati morem gerebant, præter Rotbertum de *Belesme* ac Comitem de *Moretoin*, cum paucis aliis de viris primariis,
E qui a partibus Comitis Normanniæ usque tunc steterunt. Ideoque Rex cum exercitu profectus obsedit quoddam castellum Comitis de *Moretoin*, *Tenercebrai* dictum. Dum Rex castellum obsideret, Comes Normanniæ Rotbertus, circa sancti Michaëlis festum, invasit Regem cum exercitu, atque cum eo Rotbertus de *Belesme* et Willelmus Comes de *Moretoin*, omnesque qui ab eorum partibus stabant; verùm Rex viribus superior, victoriam adeptus est. Ibi fuit Comes de Normannia captus, et Comes de *Moretoin*, et Robertus de

(*a*) Regis fautores recenset Ordericus Vitalis libro XI. « *Rodbertus*, inquit, *Comes de Mellento et* » *Ricardus Cestrensis, Stephanus Comes Albemarlæ* » *et Henricus Aucensis, Rotro Mauritoniensis et Eus-* » *tachius Britoliensis, Radulfus de Conchis et Rod-* » *bertus filius Haimonis, Rodbertus de Monteforti et* » *Radulfus de Mortuo-mari, aliique plures magnos in* » *Anglia de illo fundos tenebant, et in Neustria jam* » *cum suis Optimatibus ad illum conversi fuerant, et* » *cum eodem contra omnes terrigenas dimicare parati* » *fervebant* ».

Digitized by Google

Stutteville, qui ad Angliam postea missi custodiis committebantur. Rotbertus de *Belesme* ibi fuit fugatus, et Willelmus *Crispin* (*a*) prehensus, multique cum illo. Eadgarus Clito, qui non multò antè a Rege ad Comitem defecerat, ibi etiam captus est, quem tamen postea dimisit Rex impunitum. Post hæc subjugavit Rex quidquid in Normannia fuit, atque eam in ditionem suam redactam ad arbitrium disposuit... A

Anno MCVII. Hoc anno ad Christi festum fuit Rex Henricus in Normannia, quam terram in suam ditionem redegit ac disposuit, posteaque in Quadragesima hanc in terram venit....

Anno MCVIII... (Rex Henricus) ante Augustum transiit in Normanniam. Rex etiam Francorum Philippus mortuus est Nonis Augusti, et regnum capessit ejus filius *Lothewis* * ; atque commissa sunt postea multa prælia inter Regem Franciæ et Angliæ, dum hic in Normannia agebat.... B

* Ludovicus.

Anno MCIX. Hoc anno fuit Rex Henricus ad Christi festum et ad Pascha in Normannia, et ante Pentecosten hanc in terram venit, suamque curiam in *Westmynster* tenuit. Ibi erant pactiones confectæ et juramenta præstita de filia sua Imperatori in uxorem danda... Archiepiscopus de *Cantwarberig* Ansealmus decessit die XI Kal. Aprilis *, atque primus dies Paschatis fuit in Letanea majori.

* *Corr.* Maii.

Anno MCX. Hoc anno... misit Rex ante Quadragesimam filiam suam cum multis thesauris trans mare, eamque Imperatori in uxorem dedit. Quinta nocte Maii mensis, apparuit luna vesperi clarè fulgens, postea autem paulatim ejus lux defecit, adeo ut primâ statim nocte in tantùm evanesceret, ut neque lux, neque globus, neque de illa quidquam conspiceretur. Quo in statu mansit ferè usque ad lucem; postea autem plena et clarè lucens apparuit. Fuit hoc ipso die ætate quatuordecim noctium.... Postea Junii mense conspecta est C stella in Euro-aquilone, atque radiavit versùs Lybo-notum; in quo statu compluribus noctibus visa erat, et multâ nocte postquam altiùs ascendisset, visa est a tergo versùs Borea-zephirum inclinare cursum. Hoc anno terris privati erant Philippus de *Brause* * et Willelmus *Mallet*, et Willelmus *Bainart*. Hoc item anno decessit Elias Comes, qui Cenomanniam a Rege Henrico tenuit; et post ejus obitum illam capessit Comes de *Angeow*, eamque contra Regem tenuit....

* Brahusa.

Anno MCXI... (Rex Henricus) in Augusto transfretavit in Normanniam, propter inimicitias quas cum eo susceperant nonnulli confines Franciæ; præsertim verò propter Comitem de *Angeou*, qui Cenomanniam adversùs eum tenuit : atque cùm eò pervenisset, multæ proditiones et incendia et vastationes ab utraque parte exercebantur. Hoc anno decessit Rotbertus Comes Flan- D driæ, et Comitatum capessiit filius ejus Baldewinus....

Anno MCXII. Totum hunc annum agebat Rex Henricus in Normannia propter inimicitias quæ sibi erant cum Francia, et cum Comite de *Angeou*, qui Cenomanniam contra eum defendit. Dum ibi commorabatur, possessionibus privabat Comitem d'*Evreus* et Willelmum *Crispin*, et e Normannia expulit; Philippo autem de *Brause* qui antea fuerat terris privatus, eas reddidit, et Rotbertum de *Belesme* prehendi permisit, et in carcerem conjici (*b*).

Anno MCXIII. Hoc anno fuit Rex Henricus ad Natales et ad Pascha et ad Pentecosten in Normannia. Postea in æstate mittebat in hanc terram Rotbertum de *Belesme* in castellum de *Wærham*, atque ipse non multò post hanc in terram venit.

Anno MCXIV.... [Rex Henricus] in Septembri transfretavit in Normanniam. E Hoc anno sub finem mensis Maii conspecta erat insolita quædam stella cum longis radiis, multas noctes fulgens....

Anno MCXV. Hoc anno fuit Rex Henricus ad Natales in Normannia; et dum

(*a*) Unde nomen genti Crispinorum inditum sit, declarat genealogia in Appendice operum B. Lanfranci p. 53 edita in hunc modum : *Antequam Normanni, duce Willelmo, Angliam debellarent, fuit in Neustria, quæ nunc Normannia vocatur, vir egregius nomine Gislebertus, genere et nobilitate præclarus, qui ab habitudine capillorum primus Crispini nomine dicitur insignitus. Nam in sua primæva ætate habebat capillos crispos et rigidos atque sursùm erectos, et ut ita dicam, rebursos ad modum pini ramorum, qui semper tendunt sursum : quare cognominatus est Crispinus, quasi crispus pinus, quam capillorum reburs̀ionem adhuc videmus in iis qui de ipsius Gisleberti genere descendunt; unde et ipsi eodem cognomine a cæteris Normannorum familiis dirimuntur.* Gisleberti deinde genealogiam prosequitur usque ad Willielmum hunc nomine secundum.

(*b*) Florentius Wigorn. *Rex Anglorum Henricus Comitem Rodbertum de Belesmo captum in* Keresburge *mense Octobri in custodia posuit.*

Digitized by Google

A ibi commoratus est, coegit omnes summos viros in Normannia præstare homagium et juramenta fidelitatis filio suo Willelmo, quem ex Regina sua susceperat. Quo facto, postea in Julii mense hanc in terram revertebatur....

Anno MCXVI.... Rex [Henricus] post Pascha transfretavit in Normanniam, et factæ erant multæ seditiones et latrocinia, captaque erant multa castella inter Franciam et Normanniam. Orta est maxima hæc discordia, propterea quòd Rex Henricus auxiliatus est suo nepoti Tedbaldo Comiti de *Blais*, qui habuit bellum susceptum cum domino suo Rege Franciæ Ludovico (*a*)....

Anno MCXVII. Totum hunc annum agebat Rex Henricus in Normannia, ob animum hostilem Regis Franciæ et reliquorum vicinorum. Postea in æstate venit Rex Franciæ, et cum illo Comes Flandriæ, cum exercitu in Normanniam, et ibi unam noctem commorati, mane absque prælio revertebanB tur. Normannia autem fuit magnoperè oppressa tributis et copiis, quas Rex eò adversùs hostes coegerat....

Anno MCXVIII. Totum hunc annum agebat Rex Henricus in Normannia, propter bellum contra se susceptum a Rege Franciæ, et Comite de *Angeou*, et Comite de Flandria. Comes autem de Flandria fuit in Normannia vulneratus, atque ita vulneratus in Flandriam profectus est. Hoc bello Rex vehementer afflictabatur, et multùm disperdidit tum pecuniarum tum terrarum; verùm maximè eum vexabant proprii milites, qui ab eo frequenter defecerunt, eumque prodiderunt; et ad hostes conversi, iis Regis incommodo perfidè sua castella dediderunt. Totum hoc carè constitit Anglorum terræ, propter varia tributa, a quibus toto hoc anno nunquam cessatum est.... Regina *Mahald* decessit in *Westmynster*, kal. Maii, et ibi fuit sepulta. RotC bertus etiam Comes de *Mellent* [Nonis Junii] hoc anno decessit.... Hoc autem anno (*b*) decessit Papa Paschalis, et capessit Papatum Johannes de *Gaitan*, cui aliud nomen erat Gelasius.

Anno MCXIX. Totum hunc annum consumpsit Rex Henricus in Normannia, quod ab eo factum est propter bella sibi illata a Rege Franciæ, etiamque a suis militibus, qui ab eo perfidiosè deficientes, illum vehementer vexaverunt (*c*), donec duo Reges in Normannia cum suis copiis prælio convenissent. Ibi fuit Rex Franciæ fugatus, et omnes milites præstantissimi capti : posteaque Regis Heanrici servi complures ad officium redibant, eique conciliabantur qui antea sua castella adversùs illum tenuerunt; nonnulla item castella vi cepit. Hoc anno ivit Willelmus, filius Regis Heanrici et Reginæ Mahaldis, in Normanniam ad patrem; atque ibi ei data est et matriD monio juncta filia Comitis de *Angeou* (*d*)....

Hoc ipso anno, decessit Papa Gelasius ab hac parte montium, fuitque in *Clunig* sepultus; et post eum Archiepiscopus de Viana * fuit in Papam electus, cui nomen erat Calixtus. Hic postea ad sancti Lucæ Evangelistæ festum, venit in

* Vienna.

(*a*) Tradunt Historici non ob id solum susceptum fuisse bellum a Rege Francorum, sed maximè ut Guillelmum Roberti Ducis filium Normannis præficeret, quò negotium Anglico Regi, ob impensum rebelli Theobaldo Comiti auxilium, facesseret : in cujus rei novum testimonium adducimus fragmentum e Ms. codice Regio nº 6238 exscriptum sub hoc titulo : *De dominio Normanniæ certamen inter Ludovicum Regem Francorum et Henricum Angliæ Regem.* « Ludovicus cognomento » Grossus, Rex Franciæ, accepit homagium a » Willelmo Longa-spata de Ducatu Normanniæ, » quem pater ejus Robertus Curta-hosa multis » annis possederat jure hæreditario. Quod audiens » Henricus primus Rex Anglorum, respondit Ro» bertum quidem fratrem suum primogenitum » esse, sed ipsum tanquam fidei transgressorem, » tanquam multorum violatorem sacramentorum, » in prælio jure belli captum tenebat in vinculis. » Quare firmiter asserebat ad filium ejus nullâ ra» tione spectare Normanniam. Balduinus quoque » Flandrensis Comes, qui, invitante Rege Franciæ, » venerat auxilio Willelmo, dum arcem *Ou* ob» sideret, occisus est. Itaque Lodovicus mandat » Henrico, ut, si juri suo fideret, ad præscrip» tum diem ac locum quid in causa Deus dispo» neret, armis experiretur. Henricus conditionem » accipit, et breviter peracto certaminis conflictu, » Francus manifestè victus abscessit. In ea pugna » quidam strenuus miles Gallus, nomine Willel» mus Crispinus, Henricum Regem bis gladio » percussit, ut lorica capiti impressa sanguinem » exprimeret. Ille accensus Crispinum adeò reper» cussit in lorica, ut equitem ad solum sterneret » et captivum duceret. »

(*b*) Florentius Wigorn. diem assignat, XII *Kal. Februarii.*

(*c*) Præcipuos recenset Ordericus Vitalis, Hist. Eccles. lib. XII. *Amalricus enim de Monteforti,* inquit, *Simonis et Agnetis filius, ex sorore nepos Guillelmi* [*Ebroicensis*] *Comitis, Ebroicensem Comitatum expetiit, quem prorsùs ei Rex Henricus, consilio Audini ejusdem urbis Episcopi, denegavit. Ille igitur totis nisibus insurrexit, et penè totam Galliam in Regem Henricum excivit.. .. Tunc etiam Hugo de Gornaco et Stephanus Comes de Albamarla, Eustachius de Britolio et Richerius de Aquila, Rodbertus quoque de Novoburgo, aliique plures contra Henricum Regem rebellaverunt, et Guillelmum exulem, Rodberti Ducis filium, in paternum honorem restituere conati sunt.*

(*d*) Mense Junio Guillelmus-Adelinus Mathildem Fulconis Comitis Andegav. filiam in conjugium accepit, proindè ante reportatam a patre de Rege Ludovico victoriam, quæ contigit die 20 Augusti, ex Orderico. *Ibid.*

Digitized by Google

Franciam ad *Rœms*, et ibi constituit Concilium, eòque Archiepiscopus Eboracensis Turstinus profectus est. Atque quoniam contra jus et contra Archiepiscopalem sedem in *Cantwarabyrig* et contra Regis voluntatem, ordinationem suam a Papa suscepit, ei interdixit Rex reditum in Anglorum terram; adeoque is Archiepiscopatu privatus, cum Papa versùs Romam ivit. Hoc anno, periit Baldewinus Comes Flandriæ isto vulnere quod in Normannia accepit; et post eum capessit regnum Carolus ejus patruelis, qui fuit filius Canuti, sancti illius Regis Denmarciæ. A

Anno MCXX. Hoc anno firmata erat pax inter Reges Angliæ et Franciæ; et post eorum concordiam fœdus feribant omnes Heanrici Regis milites cum illo in Normannia, etiamque Comes Flandriæ et de *Pontiw*. Post hæc disposuit Rex Heanricus sua castella ac terras in Normannia ex sua voluntate, adeoque ante Adventum hanc in terram revertebatur. In eo autem itinere fuerunt submersi Regis duo filii Willelmus et Richardus, atque Richardus Comes de *Ceaster* et *Ottuel* ejus frater, et quàmplurimi de Regis familia dispensatores, Cubicularii, Pincernæ, aliique Ministri, ac cum illis magna multitudo cujusvis generis hominum. Eorum mors fuit cognatis duas ob causas acerba, tum quòd tam subitò vitam amiserint, tum etiam quòd ex eis paucorum corpora ubivis postea inventa erant.... B

Anno MCXXI. Hoc anno fuit Rex Henricus ad Christi festum in *Bramtune*, et postea ante Candelarum festum in *Winlesora* ei in uxorem data est Athelis, quæ postea in Reginam fuit consecrata. Erat autem illa filia Ducis de *Luvain*. Luna item obscurata est noctu Nonis Aprilis : fuit ea XIV luna.... Hoc anno revertebatur Comes * de *Angeou* ab Hierosolymis in terram suam; et postea in hanc terram mittens, filiam suam permisit accersi, quæ fuerat Willelmo Regis filio antea in uxorem data.... C

* Fulco.

Anno MCXXIII. Hoc anno fuit Rex Henricus in Christi festo apud *Dunestaple*, quò ad eum venerunt nuncii Comitis de *Angeou*.... [Circa festum Candelarum] discesserunt Comitis nuncii hostiliter a Rege, ejusque favorem despexerunt. Eodem tempore, venit Legatus a Roma, Henricus nomine. Fuit hic Abbas Monasterii sancti Johannis de *Anieli*, venitque de denario sancti Petri.... Postea perrexit Rex ad *Portesmuthe*, ubi mansit totam Pentecostes hebdomadam; atque nactus ventum secundum transiit in Normanniam, commisitque totam Angliam curandam ac gubernandam Rogero Episcopo de *Searesbyrig* *. Totum hunc annum agebat Rex in Normannia, et exortæ sunt magnæ discordiæ inter eum et suos Thanos; adeo ut Waleramus Comes de *Mellant*, et Hamalri * et Hugo de *Mundford*, et Willelmus de *Romare*, multique alii deficerent ab illo et tenerent sua castella adversùs eum. Rex autem iis sese fortiter opposuit, et hoc ipso anno expugnavit Walerami castellum *Punt-Aldemer*, et Hugonis castellum de *Mundford*, posteaque quotidie res ei meliùs cesserunt.... D

* Salisburi.

* Amalricus de Monteforti.

Anno MCXXIV. Toto hoc anno fuit Rex Henricus in Normannia, ob magnas discordias quæ ei erant cum Ludovico Regiæ Franciæ, et cum Comite de *Angeou*, et cum suis militibus omnium maximè. Deinde contigit, die Annuntiationis Sanctæ Mariæ, Waleramum Comitem de *Mellant* discessisse a quodam suo castello, *Belmunt* * dicto, ad alterum ipsius castellum dictum *Wattevile*. Cum eo ivit Regis Franciæ dispensator Almalri, Hugo [de Novocastello Theodemarensi] Gerveisi filius, et Hugo de *Mundford*, multique alii strenui milites. Tunc venerunt adversùs eos Regis milites ex omnibus castellis quæ erant vicina, et depugnarunt cum illis, eosque fugarunt. Ceperunt item Comitem Waleramum, et Hugonem Gerveisi filium, et Hugonem de *Mundford*, et quinque ac viginti alios milites, atque adduxerunt eos ad Regem. Rex autem permisit Comitem Waleramum et Hugonem Gerveisi filium committi custodiis in castello apud *Rothem* *, atque Hugonem de *Mundford* mittens in Angliam, permisit eum conjici in arcta vincula in castello de *Glewceaster* * : ex aliis autem quotquot voluit mittebat in partes boreales et australes ad sua castella in custodias. Post hæc ivit Rex et expugnavit omnia castella Comitis Walerami quæ erant in Normannia, reliquaque omnia quæ ejus inimici tenuerunt adversùs illum. Tota hæc discordia facta est causâ filii Rotberti Comitis Normanniæ, Willelmi nomine. Is ipse Willelmus ceperat Fulci Comitis de *Angeou* natu minorem filiam in uxorem, propterea-que Rex Franciæ et omnes Comites ab ejus partibus stabant, omnesque E

* Beaumont.

* Rouen.

* Glocester.

Digitized by Google

A summi viri, assevérantes Regem injustè suum fratrem Rotbertum tenere vinculis, et ejusdem filium Willelmum injustè fugasse e Normannia.... Die XIX Kalendas Januarii, decessit Papa Romanus Calistus appellatus, et Honorius capessit Papatum....

Anno MCXXV. Hoc anno misit Rex Henricus ante Christi festum de Normannia in Anglorum terram, et jussit omnes monetarios qui erant in Anglia privari membris, scilicet quemque dextrâ manu et testiculis : quod factum est, quoniam qui habuit libram, non potuit ullam rem mercari uno istius denario in quovis foro....

Anno MCXXVI. Annum hunc egit Heanricus Rex in Normannia ultra autumnum, postea autem venit in hanc terram inter Nativitatem Sanctæ Mariæ et Sancti Michaëlis festum, atque illum comitabatur sua uxor, sua item filia
B quam olim dederat Heanrico Imperatori de *Loherenge* in uxorem. Adduxit etiam secum Comitem Waleramum, et Hugonem Gerveisi filium : quorum Comitem misit ad *Brigge* in carcerem, et inde postea misit ad *Walingeford* ; Hugonem autem ad Windlesofram, quem permisit conjici in arcta vincula.... Hoc ipso anno permisit Rex auferri fratrem suum Rotbertum Rogero Episcopo de *Særesbyri*, et commisit eum filio suo [notho] Rotberto Comiti de *Glewcœster*, sivitque duci ad *Bricstowe*, atque ibi committi custodiis in castello. Totum hoc factum est suæ filiæ consilio, et Scotorum Regis Davidis ejus avunculi.

Anno MCXXVII. Hoc anno tenuit Rex Heanricus suam curiam ad Christi festum in *Windlesoure*, ubi adfuit Scotorum Rex David, omnesque viri summi clerici et laïci, qui erant in Anglia. Ibi adegit ad jusjurandum Archiepiscopos et Episcopos et Abbates et Comites et omnes Thanos qui interfuerunt, quo
C se obstrinxerunt filiæ ejus Æthelicæ *, quæ olim fuerat uxor Imperatoris de *Sexlande*, dare in potestatem Anglorum terram et Normanniam post illius obitum. Hoc facto, misit eam in Normanniam, et cum illa ivit ejus frater Rotbertus Comes de *Gleawceaster* et *Brian* filius Comitis *Alein Fergan* dicti, passusque est dari in uxorem filio Comitis de *Angeou*, *Gosfreith Martel* * dicto. Hoc etsi improbabant omnes Franci et Angli, fecit tamen Rex ut pacem haberet cum Comite de *Angeou*, et ut compararet sibi auxilia contra nepotem suum Willelmum.

* *Al.* Mathildi.

* *Geofroi Plantagenêt.*

Hoc ipso anno in Quadragesima fuit Carolus Comes Flandriæ interfectus in quadam Ecclesia (ubi prostratus fudit preces ad Deum ante altare, dum Missa perageretur) a suis hominibus. Tunc Rex Franciæ eò deduxit filium Comitis Normanniæ Willelmum, deditque ei istum Comitatum, et ejus provinciæ in-
D colæ illum admiserunt. Hic Willelmus olim ceperat in uxorem filiam Comitis de *Angeou* ; sed divortium postea inter eos factum est propter consanguinitatem. Totum hoc effectum erat a Rege Angliæ Heanrico. Deinde cepit sororem Reginæ Franciæ in uxorem, et idcircò dedit Rex illi Comitatum Flandriæ.

Eodem anno dedit Heanricus Rex Abbatiam de *Burch* cuidam Abbati Heanrico de *Peitowe* * nomine, qui fuit in possessione Abbatiæ Sancti Johannis de *Angeli* : omnes autem Archiepiscopi et Episcopi dicebant illud injustum esse, nec licere illi possidere duas Abbatias. Verùm idem Heanricus Regem certiorem fecit se dimisisse suam Abbatiam, propter magnas discordias quæ fuerunt in ista terra, seque id fecisse consilio et veniâ Papæ Romani ac Abbatis de *Clunni*, et quòd Legatus esset de S. Petri denario petendo. Non tamen ita se res habuit ; vellet enim ille ambas possidere, et quidem possedit quamdiu Deo visum est. Fuit in ordine clericali Episcopus (*a*) de *Scesseuns* *, postea factus est
E Monachus de *Clunni*, deinde prior ejusdem Monasterii, deinde etiam factus est Prior de *Savenni* * ; demùm, quoniam fuit Regis Angliæ cognatus et Comitis de *Peitow*, dedit ei Comes Abbatiam Sancti Johannis Monasterii de *Angeli*. Post hæc per magnam suam astutiam adeptus est Archiepiscopatum de *Besençun* *, quem possedit tres dies. Quùm hunc jure amisisset, propterea quòd antea fuerat consecutus injustè, adeptus est postea Episcopatum de *Seintes*, quod distat quinque millia passuum a sua Abbatia, et tenuit propè septem dies ; illo tamen eum privavit Abbas de *Clunni*, sicut et olim Archiepiscopatu de

* *Poitou.*

* *Soissons.*

* *Savigni.*

* *Besançon.*

(*a*) Ab anno 1086 usque ad 1088 Henricus Suessionensi præfuisse Ecclesiæ perhibetur, T. IX Galliæ Christ. col. 353. Error verò ibidem notandus, dum mors illius anno 1131 consignatur, quam seriùs contigisse in sequentibus patebit.

Digitized by Google

Besançun. Tunc secum cogitabat, si modò posset esse [Abbas] in Anglia, se ex vo- A
luntate sua victurum. Hinc appellans Regem, dicebat se esse senem et infirmum, nec posse ferre magnam injustitiam magnasque discordias quæ erant in sua gente, atque petiit sui caussâ et caussâ omnium amicorum, nominatim Abbatiam de *Burch*, quam Rex ei concessit, quòd erat ipsius cognatus, et quoniam erat unus ex præcipuis inter eos qui juramenta præstiterunt et testimonium perhibuerunt, cùm inter Comitis Normanniæ filium et Comitis de *Angeou* filiam factum erat divortium propter consanguinitatem. Hoc modo infeliciter fuit ei Abbatia donata inter Christi festum et Candelarum festum,... ubi vitam egit tanquam fucus in alveari. Sicut quidquid importatur devorat fucus et exportat; ita etiam ille quidquid consequi potuit, sive intra sive extra, sive a Clericis sive a laïcis, trans mare misit, nec quidquam boni ibi fecit, aut quidquam boni ibi dereliquit.... Hujusmodi erat illius accessus; de discessu ejus nihil adhuc B
* Nota Auctoris ætatem. dicere possumus *: Deus prævidet.

Anno MCXXVIII. Toto hoc anno fuit Rex Heanricus in Normannia, propter discordias quæ ei erant cum nepote suo Comite de Flandria. Verùm Comes fuit vulneratus in prælio a quodam bubulco, atque ita vulneratus ivit ad sancti Bertini Monasterium: ubi statim Monachus factus, vixit postea quinque dies, ac deinde mortuus est et ibi sepultus. Deus honoret ejus memoriam! Die VI Kal. Augusti sepultus erat.... Eodem anno profectus est prædictus Abbas Henricus domum ad suum Monasterium apud *Peitow*, Regis veniâ. Regi promisit ille se penitùs derelicturum illud Monasterium, eamque terram, et vitam agere cum eo in Anglorum terra, in Monasterio de *Burch*. Nihilominus haud ita res se habuit; id enim fecit, propterea quòd vellet per magnam suam astutiam ibi commorari duodecim menses aut ampliùs, ac deinde reverti.... C

Anno MCXXIX. Hoc anno misit Rex in Angliam, et accersivit Comitem Waleramum et Hugonem Gerveisi filium, qui ibi obsides illi dabant; atque Hugo reversus est domum ad Franciam suam gentem, Waleramus verò mansit apud Regem, Rexque ei restituit omnes terras, præter solum castellum. Postea venit Rex ad Anglorum terram in messe, et cum eo accedit Comes, facti-

que sunt tam amici, quàm antea fuerant inimici....

Hoc ipso anno decessit Willelmus *Giffard* Episcopus de *Winceaster*, et ibi sepultus est VIII Kal. Februarii, atque Rex Henricus dedit Episcopatum post sancti Michaëlis festum, Henrico nepoti suo, Abbati de *Glastingbyri*, qui fuit consecratus in Episcopum a Willelmo Archiepiscopo de *Cantwarabyrig*, XV. Kal. Decembris. Eodem anno decessit Honorius Papa. Cùm vix mortuus esset, electi erant duo Papæ, unus dictus est Petrus, qui fuit Monachus de D
Clunni, et natus summis viris qui erant Romæ; ab hùjus partibus stabant Romani et Dux de Sicilia. Alter dictus est Gregorius, qui fuit Clericus, et Româ pulsus est ab altero Papa ejusque cognatis: ab hujus partibus stabant Imperator Sexlandiæ, et Rex Franciæ, et Heanricus Rex Angliæ, omnesque ex hac parte montium. Hinc fuit tam magna discordia in orbe christiano, quàm antea nunquam. Christus consulat misero suo populo!.....

Anno MCXXX, Rex Henricus transfretavit in Normanniam in autumno. Eodem anno venit Heanricus Abbas de *Angeli* post Pascha ad *Burch*, et dixit se penitùs dimisisse illud Monasterium. Post illum venit Abbas de *Clunni*, Petrus appellatus in Angliam, Regis veniâ, et fuit susceptus ab omnibus quàcumque ivit perhonorificè. Ad *Burch* pervenit, atque ibi pollicitus est ei Abbas Heanricus se effecturum ut Monasterium de *Burch* subjiceretur Clu- E
niacensi; verùm (ut in proverbio dictum est) sepes manet, quæ agros dividit. Deus omnipotens frustretur mala consilia! Statim postea reversus est Abbas de *Clunni* domum, in suam nationem.

Anno MCXXXI,... Rex Heanricus rediit domum in Angliam ante messem, post sancti Petri festum. Eodem anno, ivit Abbas Heanricus ante Pascha a *Burch* trans mare in Normanniam, atque ibi colloquio habito cum Rege, dixit Abbatem de *Clunni* sibi præcepisse ut ad eum veniret, et resignaret illi Abbatiam de *Angeli*, posteaque se rediturum domum ejus permissu. Quibus dictis, reversus est domum ad suum Monasterium, atque ibi permansit usque ad mediæ æstatis diem. Postridiè autem sancti Johannis festi, elegerunt Monachi [Angeriacenses] ipsi Abbatem, et deduxerunt eum in Ecclesiam cum processione, cantarunt

Digitized by Google

A cantarunt *Te Deum laudamus*, pulsarunt campanas, constituerunt eum in Abbatis sede, præstiterunt ei omnem obedientiam quæ debita erat suo Abbati, atque Comes et viri summi, et Monachi de Monasterio, pepulerunt alium Abbatem Heanricum e Monasterio, nec sine causa; quippe spatio quinque et viginti annorum, non experti fuerant unum diem felicem. Tunc eum defecit maxima sua astutia; et nunc ei omnis angulus tentandus est, si quid habeat mali doli, quo semel adhuc possit prodere Christum et omnes christianos (*a*). Tunc recessit in *Clunni*, ubi tenebatur custodiâ arctissimâ, dixitque Abbas de *Clunni* quòd amiserat sancti Johannis Monasterium ejus culpâ, magnâque ejus stultitiâ. Quùm non posset damnum illud meliùs resarcire, pollicitus est illis, juramento præstito super sanctam crucem, quòd si sibi liceret Angliam petere, iis acquireret Monasterium de *Burch* : adeò ut ibi constitueret Priorem de
B *Clunni*, et sacristam, et thesaurarium et vestiarium, quidquid demùm esset sive intra Monasterium sive extra, totum illis acquireret. Hinc profectus est in Franciam, et ibi per totum illum annum vixit. Deus consulat miseris Monachis de *Burch* et misero isti loco! Nunc certè illis opus est Christi auxilio omniumque Christianorum.

Anno MCXXXII. Hoc anno venit Henricus Rex in hanc terram. Tunc accedit Henricus Abbas et accusavit Monachos de *Burch* apud Regem, propterea quòd vellet subjicere illud Monasterium Cluniacensi : quo factum est ut Rex propè deceptus fuerit, et accersierit Monachos; sed per Dei misericordiam ab Episcopo de *Seresbyri* et Episcopo de *Lincoln*, aliisque Proceribus qui aderant, certior factus est Rex illum dolos malos adhibuisse. Cùm nihil amplius consequi posset, voluit suum nepotem esse Abbatem in *Burch*, sed Christus id noluit.
C Non multò post hæc Rex eum accersiit, et coegit dimittere Abbatiam de *Burch*, terrâque cedere...

Anno MCXXXV (*b*). Hoc anno Rex Henricus transfretavit ad festum Primitiarum, et postridie dum dormiit in navi, obscuratus est dies ubique, et factus est sol instar lunæ trium noctium, stellasque circùm se habebat meridie. Fuerunt homines valdè obstupefacti et perterriti, atque magnum aliquid venturum dixerunt; idque verè : quippè eo ipso anno Rex mortuus est postridiè festi S. Andreæ in Normannia. Tunc turbata est magnoperè hæc terra, quisque enim qui potuit alium expilavit. Deinde efferebant eum filii et cognati, atque attulerunt ejus corpus ad Angliam, sepeliebantque in *Reding*. Bonus vir fuit, et magno honore habitus. Nemo ausus est injuriam alteri inferre ejus tempore : pacem constituit hominibus et feris. Si quis portasset onus auri et argenti, au-
D debat nemo quidquam mali ei dicere. Interea venit in Angliam ejus nepos Stephanus de *Blais*, et ad *Lundene* accessit, populusque Londinensis eum recepit, atque accerserunt Willelmum *Curbuil* Archiepiscopum, qui consecravit illum in Regem die Natalium. Hujus Regis diebus erant omnis generis discordiæ, et mala et vastationes; quippè adversùs eum bella statim movebant Proceres, qui erga illum animis fuerunt inimicis....

Anno MCXXXVII. Hoc anno Rex Stephanus transfretavit in Normanniam, et ibi receptus est, quòd arbitrabantur hunc talem fore qualis erat ejus avunculus, quòdque adeptus fuisset ejus thesauros; verùm eos distribuit et effudit impru-

(*a*) In eumdem Henricum Angeriacensem Abbatem invehitur Goffridus Vindocinensis Abbas epist. 1, Lib. IV, ad Hugonem Cluniacensem Abbatem: « Antequam haberet Abbatiam, *inquit*, » et postea, bona quæ potui de illo dicere, dixi; » ad honorem Monasterii Cluniacensis nomen » ejus prædicavi. Illorum etiam inimicitias qui- » bus præest, incurrere pro eo non metui. Ipse » verò mihi confratri suo mala pro bonis re- » tribuit, retributione videlicet quam Deus non » novit. Nescio quâ mentis tempestate agitatur, » et in me servum vestræ sanctitatis sine causâ » invehitur. Terram quam Monasterium nostrum » tempore venerabilium antecessorum suorum » per triginta annos et eo ampliùs pacificè et » Apostolicâ auctoritate sibi firmatam noscitur » possedisse, terris suis quia vicina est, sibi satis » immoderatè nititur copulare. Hinc occasione » acceptâ omnia machinamenta quibus potest » nocere in me exercet, cui si non pro fraterni- » tate, saltem pro vestrâ paternitate parcere » debuisset. Velut alter Saül, me quasi David » fugientem persequitur : nullâ erga me frater- » nitatis compassione movetur. Ego ei resistere » non possum, nec debeo; quoniam mansuetu- » dinem vestram offendere metuo. Et quia me » erigere contra eum nullatenùs præsumo, ves- » tra pia severitas, humiliter quæso, se contra » eum erigat, et sibi mandare dignetur ne me » vestro amore potiùs, quàm mole suæ magni- » tudinis premat. Si autem de me queritur, que- » rimoniæ suæ præsentia vestra judex existat. Vos » semper appellavi, et adhuc appello. *Et post* » *pauca* : Magnæ discretionis Pater, ne aliter » agat, compescite dominum illum Abbatem, » quem dicunt homines ex longo tempore fuisse » discordiæ amatorem, seminatorem jurgiorum, » pacis perturbatorem, etc. »

(*b*) Anno 1133 Henricus in Normanniam ultimùm trajecit, ibique biennio post interiit.

Digitized by Google

denter. Magnam vim auri et argenti Henricus Rex collegerat, cujus tamen animæ nullam hic partem istius impendit. Quùm Rex Stephanus in Angliam venisset, Concilium indixit apud *Oxeneford* *, ibique prehendit Rogerum Episcopum de *Seresberie*, et Alexandrum Episcopum de *Lincoln*, et Rogerum Cancellarium suum [eorum] nepotem, atque commisit omnes custodiis, donec dederent sua castella.... A

* An. 1139.

Anno MCXXXVIII. Hoc anno venit David Rex Scotiæ cum innumerabili exercitu in hanc terram, ut eam subjugaret; verùm adversùs eum accedit Willelmus Comes de Albamarla, cui Rex commiserat Eboracum, et alii ex vicinis cum paucis hominibus; atque præliati cum illis, fugabant Regem : quo in loco vexillum fixerunt, et interfecerunt plurimos ex ejus copiis *.

* Prælium Standardi.

Anno MCXL. Hoc anno tentavit Rex Stephanus prehendere Rotbertum Comitem de *Gloucester*, Regis Henrici filium; verùm non potuit, quippè is ejus rei erat præmonitus (*a*). Post hæc in Quadragesima obscuratus est sol atque dies sub meridiem, adeò ut homines accenderint candelas, ad quarum lucem comederent. Hoc contigit XIII Kal. Aprilis, quo homines multùm erant attoniti. Postea decessit Willelmus Archiepiscopus de *Cantwarbyrig*, et Rex constituit Theobaldum (*b*) Archiepiscopum, qui erat Abbas de *Bec*. Deinde exortum est durum bellum inter Regem et Randulfum Comitem de *Cæster* : non quòd ei, sicut aliis omnibus, nollet dare quidquid posset petere; verùm quò plura illis dedit, ii animis magis inimicis erga eum fuerunt. Comes tenuit *Lincoln* adversùs Regem, et occupavit ibi quidquid Regis erat; Rex autem eò profectus obsedit illum, ejusque fratrem Willelmum de *Romare* in castello. Ast Comes clam se subduxit, et adiit Robertum Comitem de *Gloucester*, quem eò duxit cum magno exercitu; pugnabantque illi acriter in Candelarum festo * contra ipsorum dominum, et prehendebant eum (quippè sui homines illum prodiderunt ac fugerunt) et duxerunt eum ad *Bricstowe*, ubi commiserunt carceri. Tunc erat tota Anglia commota plus quàm unquam fuerat, omnesque calamitates fuerunt in hac natione. Postea Regis Henrici filia, quæ fuerat Imperatrix in Alamannia, tunc autem erat Comitissa in *Angeou*, venit Londinum; sed cùm Londinenses tentarunt eam prehendere, fugâ evasit, multis ex suis amissis. Post hæc Episcopus de *Wincester* Henricus, Regis Stephani frater, colloquium habuit cum Rodberto Comite et cum Imperatrice, deditque iis jusjurandum se nunquam iterùm caussam Regis fratris sui suscepturum, et execratus est omnes qui illius partes tuebantur; promisit etiam dedere illis *Wincester*, et auctor fuit ut eò proficiscerentur. Cùm inibi erant, venit Regis uxor cum suis copiis, eosque obsedit, donec esset intra oppidum magna fames. Cùm diutiùs eam perferre non possent, clam se inde subduxerunt et fugerunt : cujus rei admoniti obsessores, insecuti sunt illos, et ceperunt Rodbertum Comitem de *Gloucester*, quem duxerunt ad *Rouecester*, atque ibi conjecerunt in carcerem; verùm Imperatrix fugit in quoddam Monasterium. Tunc intercesserunt viri prudentes, Regis amici et Comitis amici, et ita negotium illud confecerunt, ut liberatus esset carcere Rex pro Comite, et Comes pro Rege : quod quidem factum est. B C D

* An. 1141.

Post hæc pax facta est inter Regem et Randolfum Comitem apud *Stanford*, juramentis præstitis et fide datâ; horum neutrum proditurum alterum; verùm id nulli usui fuit : quippè Rex eum postea prehendit * in *Hamtun* per malum consilium et commisit carceri; nec multò post liberavit illum pejori adductus consilio, eâ conditione ut juraret super sanctam crucem, obsidesque daret se omnia castella sua redditurum. Quædam dedidit, quædam autem non dedidit; postea autem fecit plura mala quàm oportuit. E

* An. 1146.

Tunc fuit Anglia multùm divisa : nonnulli tuebantur partes Regis, nonnulli Imperatricis; cùm enim Rex erat in carcere, opinati sunt Comites et summi viri eum nunquam iri liberatum. Ideòque fœdere facto cum Imperatrice, deduxerunt eam in *Oxenford*, et in ejus potestate oppidum posuerunt. Cùm Rex dimissus carceribus illud audivisset, ductis eò copiis, obsedit eam in turri *; ast illa, dimissâ turri, noctu per funes clam se subducens evasit, et pedibus ivit ad *Walingford*. Postea transivit mare, et Normanni omnes defecerunt a

* An. 1142.

(*a*) Roberto insidias an. 1137 struxisse Regem Stephanum, testis est Malmesburiensis.

(*b*) Theobaldus an. 1139 ad Cantuar. Archiepiscopatum assumptus est.

Digitized by Google

A Rege ad Comitem de *Angeou*, aliqui libenter, aliqui autem ipsis invitis; quippè obsedit illos donec dedidissent sua castella, nec ulla auxilia habuerunt a Rege.

Deinde * profectus est Eustacius Regis filius in Franciam, et cepit Regis Franciæ sororem sibi uxorem (*a*), sperans eo pacto recuperare Normanniam, sed parùm feliciter res cesserunt. Et quidem jure optimo; quippè erat malus vir, ubicumque is fecit plus mali quàm boni, spoliavit terras et imposuit ***. Deduxit uxorem in Angliam., et commisit eam castello ****. Bona fœmina fuit illa, sed parùm jucundè vixit cum eo. Christus autem noluit eum diu vivere, mortuus enim est *, etiamque mater : et Comes de *Angeou* mortem obiit *, ejusque filius Henricus suscepit Comitatum. * An. 1140. * An. 1153. * An. 1151.

Regina igitur Franciæ divortio sejuncta a Rege, venit ad juvenem Comitem
B Henricum, isque cepit illam in uxorem *, et totam provinciam de *Peitou* cum illa. Deinde transiit cum magno exercitu in Angliam *, et expugnavit castella, atque Rex ivit adversùs eum cum longè majori exercitu. Verumtamen non depugnabant, sed inter eos Archiepiscopus et prudentes viri intercedentes, pacem eâ conditione confecerunt, ut Rex esset dominus et Rex, quamdiu viveret, et post ejus òbitum Henricus esset Rex : ut hic haberet illum pro patre, et ille hunc pro filio, atque ut pax et concordia maneret inter eos et in tota Anglia. His aliisque pactionibus sese jurejurando obligarunt Rex et Comes, et Episcopus, et Comites, et Proceres omnes. Tunc fuit Comes receptus apud *Wincester*, et apud *Lundene* cum magno honore ; atque omnes præstabant ei homagium, jurabantque se pacem servaturos : adeòque statim facta est egregia pax, qualis nunquam fuit in hac terra. Hinc fuit Rex potentior quàm unquam
C fuerat, atque Comes transfretavit. Omnes autem eum dilexerunt, quoniam præclarè exercuit justitiam et stabilivit pacem. * An. 1152. * An. 1153.

Anno MCLIV. Hoc anno mortuus est Rex Stephanus (*b*), et sepultus ubi ejus uxor ejusque filii fuerant sepulti apud *Fauresfeld*, quod quidem Monasterium construxerant. Cùm Rex mortem obibat, fuit Comes apud transmarinos ; verumtamen non ausus est quisquam alteri injuriam inferre, quippè magno fuit illis timori. Cùm venit in Angliam, fuit receptus perhonorificè, et in Regem consecratus in *Lundene*, die Dominicâ ante diem Natalium.

(*a*) Eustachius Stephani Regis filius, an. 1140 Constantiam Ludovici Francorum Regis sororem, duxit in uxorem, ex chronico Gervasii.

(*b*) VIII Kal. Novembris Rex Stephanus mortalitatem explevit.

D

EX FLORENTII WIGORNIENSIS MONACHI

CHRONICORUM CHRONICO (*a*).

Edito Francofurti typis Wechelianis, an. 1601, *in-fol.*

ANNO MLXXXVIII. Hoc anno inter primates Angliæ orta est discordia ; pars etenim nobilium Normannorum favebat Regi Gulielmo, sed minima ; pars verò altera favebat Roberto Comiti Normannorum, et maxima, cupiens hunc sibi asciscere in regnum, fratrem verò ejus aut fratri tradere vivum, aut regno privare peremptum. Hujus execrandæ rei principes exstiterunt Odo Episcopus Bajocensis, qui etiam erat Comes Cantuariensis, Ro-
E bertus etiam frater ejus Comes Moritunensis *, et hic uterque frater fuerat Willielmi Regis senioris, sed tantùm de matre. Intererant etiam prædicto consilio cum Roberto [de Molbraio] Comite Northumbriæ, Gosfridus Episcopus Constantiensis, Rogerus Comes Scrobbesbiriensis, quod etiam erat pejus, Gulielmus Episcopus Dunelmensis... Hi erant quorum majorum terrenarum divitiarum in regno pollebat gloria. Commilitonum etiam et conso- *Pag.* 642. * *de Mortain.*

(*a*) Florentius Wigorniensis Monachus chronicum suum perduxit ab origine mundi ad annum 1118, quo vivere desiit, ut docet continuator ejus anonymus. Annalibus Anglo-Saxonicis imprimis usus est ille, uti jam præmonuimus; etsi res eadem paulò seciùs repræsentet, additis etiam aliis quæ inibi non exstant. Hanc scriptionem ita suam deinceps fecere Simeon Dunelmensis et Rogerius Hovedenus, ut nihil in ea immutandum censuerint. Cùm verò Guillelmi Conquestoris historia ex Rogerio Hovedeno edita sit Tomo nostro XI, p. 309, eisdem verbis quibus illam scripsit Florentius, eam hic omittendam duximus.

Digitized by Google

dalium conjurationis eis in dies crescebat abundantia. Execrabile autem hoc A
factum clam tractaverunt in Quadragesima, quod citò in palam prorumpi posset
post Pascha. Nam a regali se subtrahentes curia, munierunt castella : ferrum,
flammam, prædas, necem excitaverunt in patria. Ecce factum execrabile, ecce
bellum et plus quàm civile ; pugnabant enim parentes in filios, fratres in
germanos, amici pridem in cognatos, ignoti in extraneos. Interea prædictus
Episcopus Bajocensis, munitâ Roveceastrâ, misit Normanniam, exhortans Co-
mitem Robertum citò venire in Angliam, nuncians ei rem gestam, affirmans
paratum sibi regnum, et si sibi non desisteret, paratam et coronam. Rumore
autem percussus insolito, Comes exsultat, amicis nunciat, quasi jam de vic-
toria securus triumphat, plures ad prædam incitat, Odoni Episcopo patruo
suo auxiliarios in Angliam legat, se quantociùs, congregato majori exercitu,
secuturum affirmat. Missi a Comite Roberto venerunt in Angliam, ab Odone B
Episcopo ad custodiendum ceperunt Roveceastram, et horum ut primates
Eustachius Comes Bononiæ et Robertus de Belesmo gerebant curam. Hujus
verò rei ut ad aures Regis pervenit notitia, insolitâ turbatur molestiâ. Jure
autem militari, ut impiger fretus audaciâ, mittit legatos, vocat quos sibi cre-
dit fidos, vadit Lundoniam belli tractaturus negotia, expeditioni provisurus
necessaria. Congregato quàntùm ad præsens poterat Normannorum, sed tamen
maximè Anglorum equestri et pedestri, licèt mediocri exercitu, statuens leges,
promittens fautoribus omnia bona, fretus Dei clementiâ, quà majorem hos-
tium esse audiebat multitudinem, tendere disposuit Roveceastram. Relatum
enim erat ei ibi esse Episcopum Odonem cum omnibus suis et cohortem ul-
tramarinam. Hinc signa movens cœptumque aggrediens iter, Tunebricgiam,
cui præerat Gilebertus [de Clara] filius Richardi [de Benefacta] contrarium C
sibi invenit, obsedit, in biduo expugnavit, vulneratum Gilebertum cum cas-
tello ad deditionem coegit. Fama volans dicti pervenit Odonis ad aures ; et
cum sociis inito consilio, relinquens Roveceastram, cum paucis adiit castrum
fratris sui Roberti Moritunensis Comitis, quod Pevenesea dicitur, fratremque
reperiens, eum ut se teneat hortatur, pollicens se securos ibi posse esse, et
dum Rex ad expugnandam Roveceastram intenderet, Comitem Normanniæ
cum magno exercitu venturum, seque suosque liberaturum, et magna fau-
toribus suis dando præmia, regnum accepturum. Rex igitur, expugnatâ Tune-
bricgiâ, et ab incolis fidelitate acceptâ, relicto propter vulnus Gisleberto,
et castello in custodia locato, iturus ut disposuerat Roveceastram, audivit
patruum inde recessisse et Pevenesea adiisse. Inito itaque salubri consilio,
illum eò usque cum exercitu persequitur, sperans se belli citiùs finem asse- D
cuturum, si antè triumphare posset de principibus malorum prædictorum. In-
terim circumquaque per Angliam tempestas sævit bellica. Rofenses Cantua-
riensibus et Lundoniensibus cædes inferunt et incendia. Lanfrancus enim Ar-
chiepiscopus et penè omnes Optimates ejusdem provinciæ erant cum Rege.
Rogerus [de Montegomerico] fautor Roberti erat in castello suo Arundello,
Comitis prædicti operiens adventum. Gosfridus Episcopus Constantiensis in
castello Bricstowa socium conjurationis et perfidiæ habebat secum nepotem suum
Robertum de Molbraio, virum gnarum militiæ : qui, congregato exercitu,
invasit Bathoniam civitatem regiam, et igne succendit eam.... Gulielmus
de *Owe* Glawornensem invadit Comitatum, regiam villam deprædatur Beor-
kenlaum, per totam ferro et flammâ grande perpetrat malum. Dum autem
hæc interim circumquaque perpetrantur mala, Beornardus de Novo-mercato, E
Rogerius de Laceio qui jam super Regem invaserat Herefordiam, Radulfus
de Mortuo-mari (*a*) conjurationis socii, cum hominibus Comitis Rogerii de

(*a*) Radulfi de Mortuo-mari sequentem genealogiam suppeditat Monasticon Anglicanum, in qua præcipua ejusdem præclarè gesta narrantur: « Willielmus Conquestor regnum Angliæ strenuè » et victoriosè obtinens, in ipsius Regem glo- » riosè extitit coronatus, interessentibus ad hoc » CCLX Militibus suæ victoriæ participibus, et a » partibus Franciæ et Normanniæ secum adduc- » tis, scilicet domino Radulpho de Mortuo-mari, » Milite omnium strenuissimo, velut altero Samp- » sone leoninâ feritate Regis Haraldi exercitum » invadente. Demùm idem Radulphus tanquam » strenuissimus pugil in Marchiam, et præsertim » contra Edrichum Salopiæ Comitem, et Wige- » moriæ et Melenythiæ cum pertinentiis domi- » num, conquestui adhuc non parentem directus, » post longam laboris obsidionem ipsum in eo- » dem castro obtentum, dictasque terras et plu- » res alias in Marchia, vi gladii et fortunâ, suo » quàmgloriose mancipavit dominio, quem et » perpetuis carceribus mancipandum ad domi- » num suum Regem adduxit vinctum.... » Demùm, Willielmo Conquestore, ac Wil- » lielmo Rufo filio suo post illum Rege, universæ

Digitized by Google

A Scrobbesbiria congregato magno Anglorum, Normannorum et Walensium exercitu Wigornensem irrumpunt in provinciam.... (*Hujus negotii exitum non apposuit Wigorniensis; supplendus est autem ex chronico Anglo-Saxonico, quod secuti sunt Simeon Dunelm. et Rogerius Hovedenus.*)

Anno MLXXXIX, Dorobernensis Archiepiscopus Lanfrancus IX Kal. Junii, feriâ V, obiit....

Anno MXC et MXCI (*ut in chronico Anglo-Saxonico, usque ad hæc verba :* quamquam haud diu post manserit. *Deinde sequitur*) interim germanus illorum Henricus Montem sancti Michaëlis, ipsius loci Monachis quibusdam illum adjuvantibus, cum omnibus militibus quos habere potuit, intravit, Regis terram vastavit, et ejus homines quosdam captivavit, quosdam exspoliavit. Eapropter Rex et Comes, exercitu congregato, per totam Quadragesimam Mon-
B tem obsederunt, et frequenter cum eo prælium commiserunt, et homines et equos nonnullos perdiderunt : at Rex cùm obsidionis diutinæ pertæsus fuisset, impacatus recessit....

Anno MXCIII,... [decessit] Comes Scrobbesbiriensis Rogerus (*a*)... Decessit etiam eodem anno vir magnæ strenuitatis Flandrensis Comes Robertus, cui successit primogenitus filius ejus Robertus.... Eodem anno Gulielmus Comes de *Owe*, auri ingenti victus aviditate et promissi honoris captus magnitudine, a naturali domino suo Roberto Normannorum Comite, cui fidelitatem juraverat, defecit, et in Angliam ad Regem Gulielmum veniens, illius se dominio ut seductor maximus subjugavit.

Anno MXCIV. (*Ut in chronico Anglo-Saxonico.*)

Anno MXCV, Northimbrensis Comes Robertus de Mulbreo et Gulielmus
C de *Owe*, cum multis aliis, Regem Gulielmum regno vitâque privare, et filium amitæ illius Stephanum de Albamarno conati sunt Regem constituere, sed frustra. (*Cætera fermè ut in chronico prædicto.*)

Anno MXCVI,... Urbanus Papa venit in Galliam, et apud Clarum-montem Quadragesimali tempore (*b*) synodo celebratâ, ad Turcas, Sarracenos, Turcopolas, aliosque Paganos debellandos, Hierusalem proficisci hortatus est Christianos. Cujus hortatu, mox in ipsa synodo Comes sancti Ægidii Raimundus,

» carnis viam dilapsis, ac Henrico tertio ejusdem Conquestoris filio in Regem erecto, Robertus *Curthose* frater ejusdem Henrici Northmanniæ tunc Dux, regno Jerosolymitano neglecto, Franciam et Northmanniam contra dictum Henricum commovendo, belli aciem dirigere pro bello laborat : contra cujus commotionem sedandam ac Northmanniam pacificandàm, idem Radulphus de Mortuo-mari Miles strenuissimus, et in belli negotiis providissimus, per prædictum Henricum grandi cum exercitu Capitaneus in partes dirigitur Northmanniæ, qui et ejusdem Roberti exercitum quassavit, ac ipsum dicto Henrico captivatum, sibi regnum stabiliendo, transmisit. Ac tunc post varia hujus mundi transitorii ac militaris gloriæ blandimenta, futuram et permansuram gloriam adepturus, idem dominus Radulphus ultimum condens eulogium, in quo Abbatiæ de *Wigmore* fundationem, dotationem et constructionem ordinavit, ac filium suum Hugonem in omnibus suis citramarinis hæredem et executorem sibi constituit universalem, Oliverii de *Merlymond* Militis sui sagacis et providi viri tutelæ ac curæ eumdem committendo. Ac sic locum-tenens ejusdem Regis in Northmannia per eum ad vitam creatus, dies suos in dominio et officio ac partibus propriis, suæ perlaudandæ senectutis dies quàmgloriosè, suis posteris suæ probitatis exempla relinquens, in Domino finivit....

» Iste illustrissimus Miles dominus Radulfus de Mortuo-mari, post diutinas hujus mundi fatigationes, pridiè Nonas Augusti A. D. MC ***. ab hoc ergastulo migravit ad Dominum; sed antequam ad sidera vocatus erat, misit conjugem filio suo Hugoni de Northmannia ad Angliam, nomine Mathildem *Longespey*, filiam Willelmi *Longespey* Ducis Normanniæ.... Hic denique Radulphus reliquit filium juniorem nomine Willielmum, per modicum tempus dominum de *Cheilmersh* ex curialitate dicti domini Hugonis fratris sui senioris, et postea dominum de *Netherleye* ex singulari dono et speciali ejusdem domini Hugonis. Iste quidem Hugo... post varia et laudabilia probitatis suæ merita, præsentem vitam transitoriam meliorem volens in frugem transmutare, Ordinem Monasterii de *Wiggemore* prædicti professus, in senectute bonâ ab hac luce, XXVI die mensis Februarii an. Dom. MCLXXXV, subtractus, filium suum Rogerum ex Mathilde filia Willielmi *Longespeye* suscitatum universorum dimisit hæredem,... relinquens alios filios, scilicet Hugonem, Radulphum et Willielmum. Qui quidem Hugo interfectus fuit in torneamento apud Wigorniam; sed antequam ab hac luce migravit, suscepit dominam Feliciam de Sancto-Sydonio in uxorem, quibus Hugo pater ejus supradictus dedit manerium de *Cheilmersh* unà cum manerio de *Suddebury*, quæ Willielmus avunculus ipsius priùs tenuit ex concessione Hugonis fratris sui.... Willielmus Miles in bello partibus transmarinis captus, ibique mortuus ac sepultus, ac sine conjuge ac prole ad sidera migratus, etc. » (*Monast. Anglic. T. II. p.* 220.)

(*a*) « Eodem anno, *inquit Joannes* Bromton, Rogerus de *Bellem* illustris Comes Salopiæ obiit : qui cùm decumberet, ad succurrendum animæ suæ Monachus factus est, Adelissâ Comitissâ (*erat hæc altera ejus conjux, Ebrardi de Pusacio filia*) consentiente. Miserat namque Reginaldum Priorem Salopiæ Cluniacum pro tunica S. Hugonis Abbatis induenda, cui successit in Comitatu Salopiæ filius suus Hugo. Iste Rogerus dum vixit, et dicta Adelissa uxor sua, Ecclesiam in honore B. Mariæ Magdalenæ ædificaverunt in *Quadford* in Comitatu Salopiæ a *Bruggenort* per unum milliare ».

(*b*) Immò, XIII Kal. Decembris an. 1095.

Digitized by Google

et cum eo multi alii cruce Christi signati, peregrinationem se pro Deo sub- A
ituros et quam suaserat peracturos spoponderunt. Quibus auditis, de Italia, Germania, Gallia, Anglia, cæteri Christiani ad eamdem profectionem certatim se paravere : quorum duces et primates exstitere Podiensis Episcopus Aimerus, Hostiensis Episcopus cum aliis Episcopis quampluribus, Petrus Monachus, Hugo Magnus Philippi Regis Francorum germanus, Dux Lothariensis Godefridus, Carnotensis Comes Stephanus, Normannorum Comes Robertus, Flandrensis Comes Robertus, duo germani Godefridi Ducis Eustachius Bononiensis et Baldwinus, prædictus Comes Raimundus, Boemundus Roberti Guiscardi filius (*a*).... Post hæc Comes Normannorum Robertus cùm Hierusalem proficisci cum aliis animo proponeret, nunciis in Angliam missis, germanum suum Gulielmum petiit ut, inter se pace redintegratâ, illi decies mille marcas argenti præstaret, et ab eo Normanniam in vadimonium ac- B
An. 1096. ciperet. Qui mox petitioni ejus satisfacere gestiens, indixit majoribus Angliæ ut quisque illorum pro posse sibi pecuniam festinanter accommodaret. Idcirco Episcopi, Abbates, Abbatissæ, aurea et argentea Ecclesiæ ornamenta fregerunt ; Comites, Barones, Vicecomites, suos milites et villanos spoliaverunt, et Regi non modicam summam auri et argenti detulerunt. Ille autem mense Septembri mare transiit, pacem cum germano fecit, VI mille DCLXVI libras illi præstitit, et ab eo Normanniam in vadimonium accepit.

Anno MXCVII, Rex Anglorum Gulielmus Quadragesimali tempore Angliam rediit.... Stella quæ cometes dicitur, III Kal. Octobris per XV dies apparuit... Rex autem circa festivitatem sancti Andreæ de Anglia Normanniam profectus est.

Anno MXCVIII,... æstatis tempore Rex Anglorum Gulielmus junior civitatem quæ Cinomannia vocatur, magnamque partem illius provinciæ per vim C
suæ ditioni subegit....

Anno MXCIX,... Rex Anglorum Gulielmus junior in Angliam de Normannia rediit [ante Pentecosten]... Idus Julii, feriâ V, Hierusalem a Christianis capta est, et post hæc XI Kal. Augusti, eâdem feriâ, Lothariensis Dux Godefridus ab omni exercitu in Regem est electus. Urbanus Papa IV Kal. Augusti, feriâ V, obiit... Paschalis vir venerabilis, qui ab Hildebrando Papa Presbyter fuerat ordinatus, a Romano populo Idibus Augusti electus, die sequenti, id est, XIX Kal. Septembris, feriâ primâ, in Papam est consecratus...

Anno MC,... IV Nonas Augusti, feria V, indict. VIII, Rex Anglorum Gulielmus junior, dum in Nova-foresta quæ linguâ Anglorum *Ytene* nuncupatur, venatu esset occupatus, a quodam Franco Waltero cognomento Tirello sagittâ incautè directâ percussus, vitam finivit, et Wintoniam delatus in ve- D
teri Monasterio in Ecclesia sancti Petri est tumulatus. Nec mirum, ut populi rumor affirmat, hanc procul dubio magnam Dei virtutem esse et vindictam. Antiquis enim temporibus, Eadwardi scilicet Regis et aliorum Angliæ Regum prædecessorum ejus, eadem regio incolis Dei cultoribus et Ecclesiis nitebat uberrimè ; sed jussu Regis Gulielmi senioris, hominibus fugatis, domibus semirutis, Ecclesiis destructis, terra ferarum tantùm colebatur habitatione, et inde, ut creditur, causa fuit infortunii. Nam et antea ejusdem Gulielmi junioris germanus Ricardus in eadem foresta multò antè perierat, et paulò antè suus fratruelis Ricardus, Comitis scilicet Normannorum Roberti filius, dùm et ipse in venatu fuisset, a suo milite sagittâ percussus interiit.... Regnavit idem Rex XIII annis minùs XXXVIII diebus. Cui successit junior frater suus Henricus, et mox Nonas Augusti die Dominico in Westmonasterio a Mau-

(*a*) Hi sunt quos recensent Chronographi ferè omnes, velut insigniores inter Cruce-signatos. Longè plures a Matthæo *Paris* commemorantur, nempè *Baldwinus de Burgo, Garnerus Comes de* Gres, *Baldwinus Hainaucensis Comes, Comes Podiensis Hisoardus, Comes de* Foreis *Willielmus, Comes de Albamarlia Stephanus, Comes Perticensis Rotrodus, Comes Hugo de Sancto-Paulo, Henricus de Asca, Rodolphus de Baugenciaco, Hebrardus de Pusaco, Willielmus* Amaneu, *Centonius de* Bar (*seu Bigerrensis*) *Gastus de* Beders (*id est Benearnensis*) *Willielmus de Monte-pessulano, Girardus de* Rosseillon, *Geraldus de Ceresiaco, Rogerus de Barnevilla, Guido de Possessa, Thomas de Sprea, Galo de Calvomonte* Sed et alios expiscari licuit ex serie historiæ Matthæi ejusdem, quorum nomina hæc sunt : *Walterus* Sans-avoir, *cum Reginaldo de* Breis *et Fulchero Aurelianensi, Thomas de Feria, Drogo de Neella, Clarenbaldus de Wendolio, Willielmus Carpentarius, Comes Hugo de Sancto-Paulo et Engerannus filius ejus, Reginaldus Comes Tullensis et frater ejus Petrus, Cono vel Conanus de Monte-acuto, et Lambertus filius ejus, Willielmus Arausiensis Episcopus, Comes Rainbaldus de Oringis, Reimundus* Pelez, *de Britannia viri magni Fergandus et Conanus, Willielmus de* Grentemenil *Apulus et Albericus frater ejus, Galterius de* Domedart, *Reginaldus Belvacensis, Drogo de* Monci, *Hyscardus Comes Diensis.*

Digitized by Google

A ricio Londoniensi Episcopo in Regem est consecratus.... Interea a Hierusalem domum redierunt Comites Robertus Flandrensis et Eustachius Bononiensis primitùs, dein Normannorum Comes Robertus, cum uxore quam sibi in Sicilia desponsaverat, repatriavit. Interim Rex Anglorum Henricus majores natu Angliæ congregavit Lundoniæ, et Regis Scotorum Malcolmi et Margaritæ Reginæ filiam, Matildem nomine, in conjugem accepit, quam Dorobernensis Archiepiscopus Anselmus Dominicâ die festivitatis sancti Martini Reginam consecravit et coronavit....

Anno MCI (*a*). Dunhelmensis Episcopus Randulfus post Nativitatem Domini de custodia magnâ calliditate evasit, mare transiit, Normannorum Comitem Robertum adiit, eique suasit ut Angliam hostiliter adiret. Nec minùs perplures hujus terræ Principes, missis ad eum legatis, rogaverunt ut Angliam
B festinatò veniret, coronam et regnum illi promittentes.... Comes Normannorum Robertus, equitum, sagittariorum et peditum non parvam congregans multitudinem, in loco qui Normannicâ linguâ dicitur *Vltresport*, naves coadunavit. Quibus cognitis, Rex Butsecarlis (*b*) præcepit mare custodire, et observare ne quis de partibus Normanniæ fines adiret Angliæ; ipse verò, innumerabili exercitu congregato de tota Anglia, non longè ab Heastinga castra posuit in Suthsaxonia; autumabat enim pro certo fratrem suum illis in partibus navi appulsurum. At ille consilio Randulfi Episcopi, quosdam de Regis Butsecarlis adeò rerum diversarum promissionibus fregit, ut fidelitate quam Regi debebant postpositâ, ad se transfugerent et sibi ad Angliam duces existerent. Paratis igitur omnibus, cum exercitu navem conscendit, et circa ad vincula sancti Petri in loco qui *Portesmuth* dicitur, appulit, statimque versùs
C Wintoniam exercitum movens, apto in loco castra posuit. Cujus adventu cognito, quidam de Primoribus Angliæ mox ad eum, ut antè proposuerant, transfugere, quidam verò cum Rege fictâ mente remansere; sed Episcopi, milites gregarii et Angli animo constanti cum illo perstitere, unanimiter ad pugnam parati cum ipso descendere. Verùm sapientiores utriusque partis, habito inter se salubriter consilio, pacem inter fratres eâ ratione composuere, ut ter mille marcas, id est, bis mille libras argenti singulis annis Rex persolveret Comiti, et omnibus suos pristinos honores, quos in Anglia pro Comitis fidelitate perdiderant, restitueret gratuitò, et cunctis quibus honores in Normannia causâ Regis fuerant ablati, Comes redderet absque pretio. Quibus pacatis, Regis exercitus domum, Comitis verò pars in Normanniam rediit, pars in Anglia secum remansit....

D Anno MCII, supradictus Comes Robertus de Belesmo, qui Comitatum etiam Pontivensis pagi rexit eo tempore (*c*), ac in Normannia castella possedit quamplurima, civitatem Scrobbesbiriam et castellum in ea situm, castella quoque Arundelliæ et *Tickehil* alimentis, machinis, armis, militibus, peditibus contra Regem Henricum firmiter munivit. Muros quoque ac turres castellorum, videlicet *Bricge* ac *Caroclove*, die noctuque laborando et operando perficere modis omnibus festinavit. Walonos etiam suos homines, ut promptiores sibique fideliores ac paratiores essent ad id perficiendum quod volebat, honoribus, terris, equis, armis incitavit, variisque donis largiter ditavit. Sed conatus illius et opera nimis citò sunt impedita : insidiis enim et conatibus ejus per certa indicia detectis, publicum hostem Rex illum pronuntiavit. Idcircò mox Walonis et Normannis quot tunc habere potuit in
E unum congregatis, ipse et suus germanus Arnoldus partem Stafordensis pagi vastaverunt, ac inde jumenta et animalia multa, hominesque nonnullos in Waloniam abduxerunt. At Rex sine dilatione castellum ejus Arundelliæ primitùs obsedit, et castellis ante illud firmatis, recessit. Deinde Robertum Lindicolinæ civitatis Episcopum cum parte exercitûs *Tickehil* obsidere jussit; ille autem *Bricge* cum exercitu penè totius Angliæ obsedit, machinas ibi construere et castellum firmare cœpit. Interim Walonos, in quibus fiduciam magnam

(*a*) Simeon Dunelmensis et Rogerius Hovedenus, quorum perpetuus est cum Florentio consensus, hìc addunt : *Anno* MCI (seu 1100 more Anglico) *Henricus Rex tenuit curiam suam Londoniæ in Nativitate Domini, ubi interfuit Lodowicus electus Rex Francorum.*

(*b*) Joannes *Bromton* hanc vocem interpretatur per *marinarios*.

(*c*) Robertus ille, nomine II, Bellismensis et Alencionensis Comes, Agnetem Guidonis I Comitis Pontivensis filiam et hæredem, annum circiter 1100, uxorem duxerat.

Digitized by Google

Robertus habuerat, ut juramenta quæ illi juraverant irrita fierent, et ab illo A
penitùs deficerent, in illumque consurgerent, donis modicis facilè corrupit, infra xxx dies civitate omnibusque castellis redditis, inimicum suum Robertum superavit, et ignominiosè de Anglia expulit. Germanum quoque illius Arnoldum paulò post pro sua perfidia simili sorte damnavit. In hoc anno... Rex Anglorum Henricus Mariam, sororem Reginæ, Eustachio Bononiensium Comiti nuptum tradidit.

Anno MCIII,... Robertus Comes Normanniæ venit in Angliam loqui cum fratre suo, et antequam rediisset de Anglia, perdonavit ter mille marcas argenti, quas Rex sibi omni anno per conventionem debuit....

Anno MCIV,... Gulielmus Comes de *Moreteon* exhæredatus est de tota terra sua quam habuit in Anglia....

Anno MCV, Rex Anglorum Henricus mare transiit : omnes autem penè B
Normannorum majores ad ejus adventum, spreto Comite domino suo et fide quam ei debebant (*a*), in aurum et argentum Regis, quod ipse de Anglia illuc portaverat, cucurrerunt, eique castra munitasque civitates et urbes tradiderunt. Ille verò Bajocas cum Ecclesia sanctæ Mariæ quæ intùs erat com-
* *Caen.* bussit, et Cathum * fratri suo abstulit, et post Angliam rediit, quia Normanniam sibi totam subjugare nequivit, ut copiosiori pecuniâ fretus, rediens anno sequenti quod residuum erat, exhæredato fratre suo, subjiceret. Comes Gulielmus de *Moreteon* ubicumque potuit, nocuit rebus et hominibus Regis, propter honorem suum quem perdiderat in Anglia....

Anno MCVI, Robertus Comes Normanniæ venit in Angliam, ut loqueretur fratri suo Henrico Regi, etc. (*ut in chronico Anglo-Saxonico*) Rex Anglorum Henricus ante Augustum mensem transivit mare, vadens in Normanniam, cui C
omnes ferè Primi Normannorum se dederunt, exceptis Roberto de Belesmo, Gulielmo de *Moreteon*, et paucis aliis qui se tenebant cum Comite Roberto.... Congregato exercitu, Rex ad quoddam castrum Comitis de *Moreteon*, quod vocatur *Tenerchebrai*, perrexit et obsedit illud. Interim dum ibi moraretur, venit Comes Robertus frater Regis super eum cum exercitu suo in vigilia sancti Michaëlis, et cum eo Robertus de Belesmo et Comes Gulielmus de Moritonio; sed jus et victoria facta est Regis. Ibi captus est Robertus Comes Normanniæ, et Comes Gulielmus de Moritonio, et Robertus de Stutavilla. Robertus autem de Belesmo in fugam versus est. Gulielmus Crispinus captus est, et plures alii cum eo. His ita gestis, Rex subegit sibi totam Normanniam, et secundùm suam voluntatem dictavit, et hoc per litteras Anselmo Archiepiscopo indicavit (*b*). D

Anno MCVII, Normanniâ sub regia pace dispositâ, Duceque Normannorum Roberto et Comite Moritonii Gulielmo in Angliam sub captione præmissis, Rex ipse ante Pascha in regnum suum reversus est.... Hoc etiam anno Milo Crispinus, Robertus filius Haimonis, Rogerus *Bigod*, Ricardus de *Reduers*, Regis consiliatores, vitâ decesserunt.

Anno MCVIII,... Rex Anglorum Henricus pacem firmam legemque talem constituit, ut si quis in furto vel latrocinio deprehensus fuisset, suspenderetur.

(*a*) « Potestas nempè Roberti Normannorum » Comitis, fratris scilicet ejusdem Regis (*inquit* » *Eadmerus in historia Novorum* p. 71) ita cunctis » eâ tempestate viluerat, ut vix ullus pro eo quidquam facere vellet, quod pro terræ Principe » quàque gentium fieri solet. Pium etenim cor » et terrenarum rerum nimia cupido, quæ in eo » juxta vigebant, hoc ei peperant. Omnes igitur » ferè Normannorum majores illicò ad Regis adventum, spreto Comite et domino suo, etc. »

(*b*) Regis epistolam recitant Eadmerus et Willielmus Malmesb. lib. II de Pontificibus Angliæ, in hunc modum.

« *Henricus Rex Anglorum Anselmo Cantuariæ Archiepiscopo, salutem et amicitiam.* Paternitati et » sanctitati vestræ significamus Robertum Comitem Normanniæ, cum omnibus copiis militum » et peditum quos prece et precio coadunare potuit, die denominatâ et determinatâ mecum » ante Tenebrachium acriter pugnasse; sed tandem sub misericordia Dei vicimus, et sine multa » cæde nostrorum. Quid plura ? Divina misericordia Ducem Normanniæ et Comitem Moretonii » et Willielmum Crispinum et Willielmum de » Ferreris, et Robertum de Stutevilla senem, et » alios usque ad cccc milites, et decem millia » peditum in manus nostras, et Normanniam » dedit. De illis autem quos gladius peremit, » non est numerus. Hoc autem non elationi vel » arrogantiæ, nec viribus meis, sed dono divinæ » dispositionis attribuo. Quocirca, Pater venerande, supplex et devotus genibus tuæ sanctitatis advolutus te deprecor, ut supremum judicem, cujus voluntate et arbitrio triumphus » iste gloriosus et utilis mihi contigit, depreceris » ut non sit mihi ad damnum et detrimentum, » sed ad initium bonorum operum et servitii » Dei, et ad sanctæ Ecclesiæ Dei statum tranquillâ pace tenendum et roborandum, ut amodò » libera vivat, et nullâ concutiatur tempestate » bellorum ». Addit Eadmerus, *igitur ob pacem quam Rex fecerat cum Anselmo, hâc victoriâ eum potitum multi testati sunt.*

Monetam

Digitized by Google

A Monetam quoque corruptam et falsam sub tanta animadversione corrigi statuit, ut nullus qui posset deprehendi falsos denarios facere, aliquâ redemptione, quin oculos et inferiores corporis partes perderet, juvari valeret; et quoniam sæpissimè dum denarii eligebantur, flectebantur, rumpebantur, respuebantur, statuit ut nullus denarius vel obolus, quos et rotundos esse instituit, aut etiam quadrans, integer esset. Ex quo facto magnum bonum toti regno creatum est, quia ipse Rex hæc in sæcularibus ad relevandas terræ ærumnas agebat. Philippus Rex Francorum obiit, cui Ludovicus filius suus successit. Rex Anglorum Henricus mare transiit....

Anno MCIX, Dorobernensis Archiepiscopus Anselmus XI Kal. Maii, feriâ quartâ, obiit Cantuariæ, et sequenti die quæ fuit Cœna Domini honorificè sepultus est. Rex Anglorum Henricus circa Rogationes Angliam rediit....

B Stella cometa mense Decembri visa est circa Lacteum circulum, crinem in australem cœli plagam dirigens.

Anno MCX, Rex Anglorum Henricus filiam suam Henrico Regi Teutonicorum dedit in conjugem.... Stella cometa VI Idus Junii apparuit, et per tres hebdomadas lucere est visa.

Anno MCXI, Henricus Rex Teutonicorum Romam venit, Paschalem Papam cepit; sed postmodùm ad pontem viæ Salariæ, ubi paschalem festivitatem in campo celebraverunt, pacem cum eo fecit. Hoc autem modo reconciliatio inter Regem et dominum Papam facta est. (*Ut apud Williel. Malmesb.*)

Anno MCXII,... Rex Anglorum Henricus Comitem Robertum de Belesmo in Caresburga * mense Octobri in custodiam posuit.

* *Cherbourg.*

Anno MCXIII,... Rex Anglorum Henricus mense Julio Angliam rediit, et

C Comitem Robertum de Belesmo de Normannia ductum apud *Warham* in arctissima custodia posuit....

Anno MCXIV, Henrico Romanorum Imperatori Matildis, filia Regis Anglorum Henrici, VIII Idus Januarii Moguntiæ desponsata et in Imperatricem est consecrata.... Rex Anglorum Henricus postquam exercitum in Waloniam duxit, ante festivitatem S. Michaëlis mare transiit....

Anno MCXV,.... in Octavis Apostolorum, magnum Concilium a Cono Romanæ Ecclesiæ Cardinali Catalaunis celebratum est, in quo excommunicavit Episcopos qui Concilio non interfuere, quosdam etiam degradavit, et plurimos Abbates baculis privatos deposuit de sedibus, ecclesiasticum illis interdicens officium (*a*). Rex Anglorum Henricus mediante Julio mense Angliam rediit....

Anno MCXVI,... conventio Optimatum et Baronum totius Angliæ apud

D Sealesbiriam XIV Kal. Aprilis facta est (*b*), qui in præsentia Regis Henrici homagium filio suo Gulielmo fecerunt et fidelitatem ei juraverunt,... et Rex Anglorum Henricus mare transiit.... (*Hactenùs Florentius Wigorniensis. Quæ sequuntur ex ejus Continuatore anonymo sunt excerpta.*)

Anno MCXVIII, sacræ memoriæ Paschalis Papa XIV Kal. Februarii defungitur, et loco ejus Johannes quidam Gaitæ natus substitutus est, et mutato nomine Gelasius est nuncupatus.... Matildis Regina Anglorum apud Westmonasterium Kal. Maii obiit, et in ipso Monasterio decenter sepulta est. Plures Normannorum quam Regi Henrico juraverant fidelitatem postposuerunt, et ad Regem Franciæ Ludovicum Principesque ejus, adversarios scilicet naturalis domini sui, non veriti justitiam, se transtulerunt. Præfatus Papa Gelasius per mare Burgundiam venit, et adventus ejus mox Galliæ toti innotuit (*c*)... Nonis Julii obiit D. Florentius Wigorniensis Monachus, cujus subtili scientiâ et studiosi laboris industriâ præeminet cunctis hæc chronicarum chronica....

(*a*) Eadmerus in historia Novorum, pag. 89 · *Quidam Romanæ Ecclesiæ Cardinalis*, inquit, *functus legatione Apostolicæ Sedis, Cono nomine, Franciam venerat, et ibi juxta suæ legationis officium generalia Concilia celebrans, Episcopos Normanniæ ab episcopali officio suspensos excommunicavit, eò quòd Conciliis tertiò vocati interesse noluerant. Quæ Episcoporum excommunicatio animum Regis* [Angliæ] *valdè reddidit conturbatum, et rationis esse duxit super his Papam convenire.*

(*b*) *Cogente eos illuc*, inquit Eadmerus citatus, *sanctione Regis Henrici; siquidem Normanniam se proximè transfretaturum disposuerat. Et quid sibi eventurum esset ignorans, Willielmum, quem ex ingenua conjuge sua filium susceperat, hæredem regnisibi substituit.*

(*c*) Addit Rogerius Hovedenus, *qui* XVII *Kal. Februarii, missâ per Gallias epistolâ, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Clericis et Principibus conquestus est, se ab Imperatore violenter expulsum esse, et Bracarensem Episcopum excommunicatum in Apostolicam sedem intrusum, simul exhortans ut ad matris Ecclesiæ ultionem communibus auxiliis sese præpararent. His discurrentibus per provincias literis, excitati potentes quique cum mediocribus, occurrere Apostolico et certatim parabant interesse Concilio, quod ipse disposuit se mediâ Quadragesimâ Remis celebraturum.*

Digitized by Google

Anno MCXIX, Gelasius Papa obiit, et Cluniaci sepultus est. Cui successit A
Guido Viennensis Episcopus, qui aliò Calixtus nominatus est... Orto bello
inter Regem Anglorum Henricum et Regem Francorum Ludovicum, et Co-
mitem Andegavensem [Fulconem] et Comitem Flandrensem [Balduinum] ipse
Rex Henricus, inito oportunitatis consilio, anticipavit pacem facere cum Comite
Andegavensi, acceptâ filiâ ejus in uxorem filio suo Gulielmo, quem jam hæ-
redem totius regni sui constituerat. Comes idem Andegavensis Hierosolymam
* An. 1120. adiit *. Post hæc Henricus consilio Optimatum suorum fecit pacem cum Rege
Francorum, in qua pace accepit Gulielmus filius ejus Normanniam, a prædicto
Rege Francorum tenendam. Cum suis etiam Optimatibus, qui injustè et in-
fideliter ab eo recesserant, et cum Comite Flandrensi [Carolo] fecit Rex
pacem.... Calixtus Papa instituit generale Concilium Remis XIII Kal. Novem-
bris, ad quod Concilium factus est multiplex Archiepiscoporum, Episcoporum, B
Abbatum, et Principum diversarum provinciarum concursus, cum numerosa
Clericorum et plebium multitudine. Episcopi verò Angliæ, qui tunc tempo-
ris in Normannia cum Rege degebant,... et insuper Episcopi et Abbates
Normanniæ, ab ipso Rege Anglorum Henrico ad ipsum Concilium directi sunt...

Anno MCXX ,... Rex Anglorum Henricus, omnibus prosperè et ad velle per-
actis, a Normannia in Angliam rediit : quem Gulielmus filius suus sequi ges-
tiens, navem ingreditur copiosâ nobilium, militum, puerorum ac fœmina-
rum multitudine comitatus. Hi portu maris evecti, mirâque aëris serenitate
freti, freto illapsi, in modico navis quâ vehebantur, rupem incurrens eversa
est, et omnes qui in ea residebant, excepto rustico uno et ipso, ut fere-
batur, nec nomine digno, qui mirâ Dei gratiâ vivus evasit, marinis fluctu-
bus sunt absorpti. Quorum nobilissimi fuerunt hi, Gulielmus Regis filius, Ri- C
cardus frater ejus [nothus], Ricardus Comes Cestrensis, Ottuel frater ejus,
Gulielmus *Bigod*, Gosfridus *Ridel*, Walterus de *Everci*, Gosfridus Herefor-
densis Archidiaconus, filia Regis [Mathildis notha] Comitissa de Perceio,
neptis Regis [Mathildis] Comitissa de Cestria, et alii quamplurimi, quos bre-
vitatis causâ præterimus. Quæ res et Regis prospero navigio Angliam venien-
tis, et omnium qui audiebant mentes exterruit atque turbavit, et de occultis
justi Dei judiciis in admirationem concussit.

Anno MCXXI, Rex Anglorum Henricus legalis conjugii olim nexu so-
lutus, ne quid ulteriùs inhonestum committeret,... decrevit sibi in uxorem Athe-
leidam, filiam Godefridi Ducis Lotharingiæ, puellam virginem, decore mo-
desti vultûs decenter insignitam. Directi sunt nuncii et futuram regni domi-
nam summo cum honore de transmarinis partibus ad curiam Regis adduxe- D
runt.... Puella prædicta in regni dominam electa, IV Kal. Februarii, Sab-
bato, Regi desponsatur a Gulielmo Wintoniensi Episcopo, jubente Radulfo
Archiepiscopo Cantuariæ, et crastino die, III Kal. Februarii, ab eodem Archi-
præsule consecratur et coronatur....

Anno MCXXIII,... Alexander Rex Scottorum VII Kal. Maii obiit. Rex An-
glorum Henricus, emensâ festivitate Pentecostes, mare transiit....

Anno MCXXIV,... Comes de Mellento [Walerannus], in hebdomada do-
minicæ Passionis, a militibus Regis Henrici in Normannia captus, cum plu-
ribus in arctam custodiam Rotomagi detruditur.... Calixtus Papa obiit, cui
Honorius Ostiensis Episcopus successit....

Anno MCXXVI, Rex Anglorum Henricus Angliam reversus, in Nativitate
Domini curiam suam in castro quod Windlesora vocatur, diviti apparatu E
celebravit, et illuc totius regni nobilitatem suâ sanctione adunavit.... Finitis
diebus festivioribus, Rex ac tota quæ confluxerat dignitas regni, Lundoniam
vadit, ibique ad jussum Regis Gulielmus Archiepiscopus et Ecclesiæ Ro-
manæ Legatus, cæterique Anglicæ regionis Episcopi omnes, cum Principibus
terræ ipsius, fide et sacramento spoponderunt filiæ Regis, se totum regnum
Anglorum illi contra omnes defensuros, si patrem suum superviveret, nisi de
legali conjugio filium qui sibi succederet, adhuc ante obitum suum pro-
crearet. Ipsa siquidem, defuncto Imperatore Henrico, qui eam plures annos
in matrimonium tenuerat absque liberis, ad patrem suum reversa, circa illum
excellenti, sicut decebat, honore fulciebatur. Rex igitur, Gulielmo filio suo,
sicut olim descripsimus, ex hac vita subtracto, alium qui regni hæres legi-

Digitized by Google

A tìmè existeret necdum susceperat, et eâ re in filiam suam, sororem scilicet Gulielmi, conditione quâ diximus, regni jura transferebat....

Anno MCXXVII,... Rex Henricus mare transiit.

Anno MCXXVIII,... quidam Ecclesiæ Lugdunensis Canonicus, vir probus et grandævus, electus est ad Pontificatum Ecclesiæ Lundoniensis; defunctus siquidem Ricardus fuerat ejusdem civitatis Antistes, et iste Gilebertus nomine, cognomine verò Universalis, loco illius a Rege Henrico et Gulielmo Archiepiscopo, annuente Clero et populo, substitutus erat.... Comes Flandrensis, Gulielmus nomine, Miser cognomine, ab hostibus circumventus vulneratur, et ingravescente dolore, morte cunctis dolendâ VI Kal. Augusti defungitur, et apud sanctum Bertinum sepelitur.... Gaufridus Rotomagensis Archiepiscopus vitâ decessit, IV Kal. Decembris....

B Anno MCXXIX,... mense Julio, Rex Anglorum Henricus de Normannia Angliam rediit. Henricus Glastoniensis Abbas, nepos Regis Henrici, ad Episcopatum Wintoniensis Ecclesiæ mense Octobri electus,... XV Kal. Decembris, die Dominico consecratur Episcopus.... Honorius Papa obiit.

Anno MCXXX,... Hugo venerandus Abbas Radingensis Ecclesiæ ad Rotomagensem Præsulatum eligitur (*a*)... Eodem anno Rex Anglorum Henricus mare transiit, et anno sequenti mense Junio rediit....

Anno XXXIII (*b*), ex quo Rex Anglorum Henricus regnare cœpit, feriâ quartâ, die etiam ipso secundùm anni revolutionem quo frater et præcessor illius Henrici, Gulielmus scilicet Rufus Rex interfectus est, et ipse Henricus primo regni sui anno suscepit gubernacula, IV Nonas Augusti, tale constat contigisse spectaculum. Cùm igitur Rex prædictus Henricus circa maris littus
C transfretandi causâ moraretur, vento persæpè ad transfretandum existente secundo, tandem die præfato circa meridiem, cùm ad mare transiturus perrexisset, suorum, ut mos est Regibus, constipatus militum turmis, subitò in aere nubes apparuit, quæ tamen ejusdem quantitatis per universam Angliam non comparuit. In quibusdam enim locis quasi dies obscurus videbatur, in quibusdam verò tantæ obscuritatis erat, ut lumine candelæ ad quodlibet agendum ipsâ protecti homines indigerent. Undè Rex latusque regium ambientes, et alii complures mirantes et in cœlum oculos levantes, solem ad instar novæ lunæ lucere conspexerunt, qui tamen non diu se uno modo habebat; nam aliquandò latior, aliquandò subtilior, quandòque curvior, quandòque erectior, nunc solito modo firmus, modò movens et ad modum vivi argenti motus et liquidus videbatur. Asserunt quidam eclipsim solis factam fuisse : quod si
D verum est, tunc sol erat in capite Draconis et luna in cauda, vel sol in cauda et luna in capite, in quinto signo, id est Leone, in XVII gradu ipsius signi. Erat autem tunc luna XXVII. Eodem etiam die et eâdem horâ stellæ plurimæ apparuere... Rex autem Henricus mare transiens, reliquit Angliam, petiit Normanniam, non ulteriùs vitâ comite rediturus vel visurus Angliam....

Anno MCXXXIV, Robertus frater Regis Henrici, quondam Comes Normanniæ, sed postmodum ab illo in bello captus et diu in custodia per Angliam positus, apud *Cairdif* in Wallia defunctus, Glavornæ magno cum honore humatur....

Anno MCXXXV, Rex Anglorum Henricus, annis XXXV et IV mensibus exactis ex quo regnare cœpit, IV Nonas Decembris, anno ætatis suæ LXIX, obiit Normanniæ : cui Stephanus sororis suæ filius, electus in Regem Angliæ, a Gulielmo
E Archipræsule Doroberniæ XIII Kal. Januarii, die Dominicâ, Rex consecratur Lundoniæ; ubi in Dominicæ Nativitatis clementi gratia, et in Regia prærogativa cum totius Angliæ Primoribus curiam suam tenuit. Quâ sacrosanctâ emensâ festivitate, Regis Henrici nuper defuncti corpori de Normannia Angliam delato, non modicâ stipatus nobilium catervâ Rex obviat; et ob amorem avunculi regias scapulas feretro supponens cum Baronibus suis, Nonis Januarii corpus Radingum deportari fecit.... Quo sepulto et Stephano regnante, nec non multò antè, ubique locorum per Angliam et Normanniam dirupto pacis fœdere, plurima fit deturbatio. Quisque in alterum caput elevat, quis-

(*a*) Hugo cognomento Ambianensis, an. 1129 electus Rotomag. Archiepiscopus, an. 1130 consecrationem accepit, ex Appendice Roberti de Monte ad Sigebertum.

(*b*) Seu, ut habet Malmesb. *Anno* XXXII *regni pridiè transacto,* id est, die 2 Augusti an. 1133.

Digitized by Google

que alium rebus spoliat; potens impotentem vi opprimit, questum super hoc A agentem minis territat : neci traditur qui resistit. Opulenti regni Optimates divitiis affluentes, minimè procurant quàm impiè tractentur miseri, sibi suisque dumtaxat consulunt, vitæ necessariis castella et oppida muniunt, manu militari instruunt, timent regni mutationem, non animo supernam perpendentes dispositionem....

Anno MCXXXVII, Rex Anglorum Stephanus, mense Martio ante Pascha, mare transiens, in transmarinis partibus moratur.... Walenses in defensione suæ nativæ terræ, non solùm a Normannis divitibus, sed etiam a Flandrensibus (jussu quondam Regis Henrici terram Walliæ incolentibus) multa perpessi, pluribus utrinque peremptis, devictis tamen in calce Flandrensibus, non cessant in circuitu omnia devastare, villas et castella vastando comburere, omnes resistentes sibi simul cum innocentibus et nocentibus neci tra- B
* *Corr.* Ludovicus. dere.... Rex Francorum Ludovicus mense Maio (*a*) obiit, cui Philippus * filius ejus successit.... Mense Decembri Rex Anglorum Stephanus Angliam rediit.

Anno MCXXXVIII,... defuncto Apostolicæ Sedis invasore Petro Leone anno nono invasionis suæ, venerabilis Papa Gregorius, qui et Innocentius, sanctam regens Ecclesiam, ad satisfactionem venientes cunctos, qui in parte Petri contra eum tenuerant, suscepit. Et pacificatis omnibus, die Paschali Romæ consecravit in Episcopum Ostiensis Ecclesiæ Albericum Abbatem Verzeliensis Ecclesiæ.... Interim factâ conjuratione adversùs Regem per [Robertum] Bricstowensem Comitem et Constabularium Milonem, abnegatâ fidelitate quam illi juraverant, missis nunciis ad Andegavensem civitatem, accersunt Eximperatricem, Henrici Regis filiam; spondentes ei quòd infra quinque mensium spatium regnum esset possessura paternum, sicut ei, vivente patre, fuerat juratum. C
Initia dolorum hæc....

Anno MCXXXIX,.... mense Julio Comes Glocestriæ Robertus, Henrici Regis Anglorum filius, sed bastardus, cum sorore sua, sed ex patre, dudùm Romanorum Imperatrice, nunc Andegavensium Comitissa, cum grandi exercitu Angliam rediit, et apud Portesmutham applicuit ante festum sancti Petri ad Vincula, Kal. Augusti, Rege tunc Merlebergam obsidente : cujus adventus factus est omnibus per Angliam terror, immò dolor immensus. Quo audito, Rex Anglorum Stephanus animo movebatur, et his qui marinos portus vigilanti curâ observare debuerant, indignabatur.... Ubi autem novit Exregi-

nam apud *Arundel* Eximperatricem cum grandi comitatu suo recepisse, graviter ferens illò movit exercitum. At illa regiam majestatem verita, et timens ne dignitatem quam per Angliam habuerat, perderet; jurejurando jurat ne- D
minem inimicorum suorum per se Angliam petiisse, sed salvâ dignitate suâ, viris auctoritatis, utpotè sibi quondam familiaribus, hospitium annuisse. Quo Rex audito, illâ dimissâ, Eximperatricem ad castellum Bricstowense conducere fratri suo Wintoniensi Episcopo, sicut cognatam suam, cum honore præcepit; ipse verò Comitem persequitur.... Consedit itaque ibi domina illa plus duobus mensibus, sumens ab omnibus hominia, et pro libito disponens Anglorum regni jura. Inde discedens mense Octobri, XVIII Kal. Novembris, Glocestrensem venit ad urbem, civium et circumjacentium hinc inde finium expetens dominium et sumens hominium....

Anno MCXL,... Rex Stephanus, Wintoniam veniens, consilio Baronum suorum, Cancellario suo Philippo Salesbiriensem Præsulatum, et Henrico cuidam Monacho cognato suo Fiscamnensem dedit Abbatiam (*b*). Sed Philippus E
a Legato et Clero non recipitur, unde inde assumptus, Bajocensi Ecclesiæ post aliquantum præficitur (*c*). Eclipsis solis facta est XI Kal. Aprilis, feriâ secundâ, circa horam diei tertiam.

* *Leg.* Ludovici VII. Consilio Baronum Regis Franciæ Philippi * et petitione Regis Angliæ Ste-

(*a*) Ludovicus VI mortalitatem explevit Kal. Augusti.

(*b*) Rem ita narrat Ordericus, ut indicet inde ortum fuisse dissidium Regem inter et fratrem ejus Henricum Wintoniensem Episcopum : *Inter Optimates*, inquit, *de constitutione Salesburienses Episcopi lis orta est. Henricus enim Guentoniensis Præsul Henricum de Solleio nepotem suum intromittere voluit; et quia, majori vi resistente, prævalere nequivit, iratus de curia Regis recessit. Gualerannus namque Mellenticus Comes Philippum de Harulficurte, Archidiaconum Ebroicensem, elegerat, eique Rex pro pluribus causis libenter adquieverat. Præfato autem juveni Cœnobium Fiscannense concessit.*

(*c*) Philippus nonnisi an. 1142. ad Bajocensem Præsulatum assumptus est.

Digitized by Google

A phani, factum est ut illius filius Francorum Regis sororem [Constantiam] acciperet in uxorem. Facta est desponsatio illorum mense Februario in transmarinis partibus, matre Reginâ Anglorum præsente, et quamplurimis nobilibus viris ex utriusque regni parte coram positis.... Ante Assumptionem Beatæ Mariæ Comes Glocestriæ versùs Bathoniam movit exercitum; at Rex exploratores multò ante præmiserat, ut hostibus insidias tenderent, et fortissimâ manu se et sua defenderent. Fit itaque progressus et congressus.... Regia verò manus victoriâ potitur....

Anno MCXLI, Stephanus Rex Anglorum post diuturnos labores et obsidiones castellorum, quibus pro pace regni quinque annis et sex hebdomadibus desudavit, tandem in obsidione Lincolniensis castelli, die Purificationis sanctæ Mariæ, Dominicâ die Sexagesimæ, a Glocestrensi Comite Roberto, avunculi sui
B filio, et a Cestrensi Comite Ranulpho, justo Dei judicio circumventus et captus, primò ad Glocestrensem Dominicâ Quinquagesimæ, deinde ad Bricstowensem civitatem adductus et custodiæ mancipatus est. Capti sunt cum eo quàmplures fideles ipsius, vinculisque mancipati. Morabatur interim in urbe Glocestrensi domina Imperatrix Henrici Regis filia, quæ ob illiusmodi eventum vehementer exhilarata [est], utpotè regnum sibi juratum, sicut sibi videbatur, jam adepta. Habito cum suis consilio, quintâ feriâ post acceptos Cineres ex urbe secedens,... cùm appropinquaret ad civitatem Wintoniæ, occurrunt illi cum gloria et pompa magnifica Præsules totius Angliæ, Barones multi, Principes plurimi, milites innumeri, Abbates cum suis diversi, ex eadem urbe duo conventus Monachorum, tertius Sanctimonialium cum processionalibus melodiis et laudibus, Clerus urbis cum civibus et populis multis. Traditur itaque ejus imperio
C urbs nobilissima Wintoniæ, datur ejus dominio corona regni Angliæ. Ab ipso Legato maledicuntur qui maledicunt ei, benedicuntur qui benedicunt ei, excommunicantur contradicentes, absolvuntur ejus jussioni parentes. A Wintonia egressa cum suis officialibus domina, adit Wiltoniam, ubi ad salutandum eam Cantuariensis affuit Archipræsul Theobaldus. Affluxit et tam copiosa populorum frequentia, ut præ multitudine introeuntium vix sufficeret aditus portarum. Inde jam peractis festis paschalibus, ad Radingum infra Rogationes veniens, suscipitur cum honoribus, hinc inde Principibus cum populis ad ejus imperium convolantibus. Convenitur ibi ab eadem de Principibus unus, vocabulo Robertus de Oleio, de reddendo Oxenfordensi castello : quo consentiente, venit illa, totiusque civitatis et circumjacentis regionis suscepit dominium atque hominium. Proficiscitur inde cum exsultatione magna et gaudio,
D et in Monasterium sancti Albani cum processionali suscipitur honore et jubilo. Adeunt eam ibi cives multi ex Lundonia, tractatur ibi sermo multimodus de reddenda civitate.... Habito tractatu cum Lundoniensibus, comitantibus secum Præsulibus multis et Principibus, secura properavit ad urbem, et apud Westmonasterium cum processionali suscipitur honorificentia, ibique aliquantis diebus de regni statu dispositura resedit....

Hoc itaque peracto Dei negotio, interpellavit dominam Anglorum Regina pro domino suo Rege capto et custodiæ ac vinculis mancipato. Interpellata quoque est pro eadem causa et a Majoribus seu Primoribus Angliæ, obsidibus multis, castellis et divitiis magnis suæ ditioni tradendis, si Rex absolutus non regno, sed suæ tantùm redderetur libertati. Se enim ei suasuros spoponderunt quatenùs, regno dimisso, Deo soli sive Monachus sive peregrinus exinde
E deserviret; at illa non exaudivit eos. Interpellata est et ab Episcopo Wintoniensi, ut Consulatus qui fuerat sui fratris, nepoti suo daretur, scilicet filio ejusdem Regis : sed nec hunc exaudivit domina. Interpellata est et a civibus [Lundoniensibus] ut leges eis Regis Ædwardi observare liceret, quia optimæ erant, non patris sui Henrici, quia graves erant. Verùm illa non bono usa consilio, præ nimia austeritate non acquievit eis. Unde et motus magnus factus est in urbe; et factâ conjuratione adversùs eam, quam cum honore susceperant, cum dedecore apprehendere statuerunt. At illa a quodam civium præmonita, ignominiosam cum suis fugam arripuit, omni suâ suorumque supellectili post tergum relictâ. Quo viso, Præsul Wintoniæ, qui et Legatus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ad deliberationem fratris sui mentem apposuit, atque ad hoc peragendum Lundoniensium sibi animos virtutemque applicuit.

Digitized by Google

Porrò fugiens domina per Oxenefordiam venit ad Glavorniam, ubi cum A
Milone exconstabulario consilio inito, statim cum eodem ad Oxenefordensem
revertitur urbem, ibi præstolatura seu recuperatura suum dispersum militarem
numerum. Et quia ejusdem Milonis præcipuè fruebatur consilio et fovebatur
auxilio,... Comitatum ei Herefordensem tunc ibi posita pro magnæ remunera-
tionis contulit præmio. Inde jam militum virtute roborata et numero, appropin-
quante festivitate S. Petri quæ dicitur ad Vincula, ignorante fratre suo Comite
Bricstowensi, Wintoniensem venit ad urbem; sed eam a se jam alienatam inve-
niens, in castello suscepit hospitium. Cujus inopinatum adventum civitatis ejus-
dem Episcopus Henricus miratus, indeque vehementer turbatus, per aliam
egrediens portam, sese tunc et deinceps conspectibus ejus absentavit. Hinc
jam discordiis in alterutrum prorumpentibus, civitas opulenta et multis retrò
antè sæculis gloriosa, et omnibus terris nota atque famosa, repentinâ obsidione, B
parentibus secum ad invicem compugnantibus, circumdatur, rebus et hominibus
exinanitur, militibus gregariis et conductitiis in hoc spirantibus, et furibundè
hinc inde convolantibus. Nec hoc solùm Pontificis iræ potuit sufficere, quin
insuper ob terrorem sive horrorem illis incutiendum, immisso igne, urbem totam
comburere, furore cogente, decrevit : quod et fecit....

Septem igitur septimanis in obsidione transactis, tandem Episcopus tam diutinæ
obsessionis pertæsus, advesperascente die quæ festivitatem Exaltationis S. Crucis
præcedebat, jussit per urbem pacem prædicari, portas civitatis aperiri. Jamque
domina Imperatrix conscenderat equum, còmitante seque conducente fratre
suo Reginaldo, relictis ob excubias plus ducentis militibus cum Comite Bricsto-
vense eisdem præsidente : cùm ecce subitò Præsul ad arma suos consurgere,
et in hostes illicò violenter jussit insurgere, quotquot poterant viriliter com- C
prehendere. Comprehenduntur itaque multi, perimuntur hinc et inde plurimi...
Hæc audiens domina, vehementer exterrita atque turbata, ad castellum quò
tendebat de Ludkereshala tristis ac dolens venit; sed ibi locum tutum quies-
cendi propter metum Episcopi non invenit. Unde hortantibus suis, equo ite-
rùm usu masculino supposita, atque ad Divisas perducta, cùm nec ibi securè
se tutari posse ob insequentes formidaret; jam penè exanimis feretro invecta
et funibus quasi cadaver circumligata, equis deferentibus, sat ignominiosè ad
civitatem deportatur Glaornensem. Porrò frater suus Comes Bricstowensis Ro-
bertus per aliam viam egressus, ab insequentibus oppressus est, atque in loco
qui *Stolibrigge* dicitur, a Flammensibus (*a*) cum Comite Warennensi captus, et
Reginæ in urbe residenti præsentatùs, Gulielmo de Ipra ejus jussu commen-
datur, et in civitate Rofensi custodiæ mancipatur... D

Servabantur interea Rex et Comes sub custodia; verùm Reginâ nimiùm
satagente pro Rege, et Vicecomitissâ valdè desudante pro Comite, multis
internunciis et amicis fidelibus hinc inde discurrentibus, amborum deliberationis
talis ordinatur conditio, ut Rex suo restitutus regno, et Comes sub eo totius
Angliæ sublimatus dominio, fierent ambo regni et patriæ justi moderatores
et pacis recuperatores, sicut totius discussionis et turbationis exstiterant incen-
tores atque auctores. At Comite id agere renuente absque consensu Imperatricis
sororis suæ : conventa de hoc illa omninò contradixit, omnem pacem
et concordiam erga Regem penitùs abnegavit. Unde factum est ut ab invicem
impacificati discederent, per totum annum deinceps omne regnum cum patria
rapinis pauperum, cædibus hominum, violationibus Ecclesiarum crudeliter
[conculcantes]. *Reliqua* (*b*) *desiderantur*.

(*a*) Sic dicta Pontificis præsidia.

(*b*) Ea verò ex chronico Gervasii Dorobernensis, qui Wigorniensem Historiam hucusque in sua expressit, suppleri possunt. Sic porrò ille hujus anni gesta concludit : *Inter amicos tamen utriusque partis hæc tandem facta est compositio, vel ut verùs dicatur colluvio, ut Regina Comitem liberum dimitteret, et Comitissa Regem regno restitueret. Acta sunt hæc circa festivitatem Omnium Sanctorum.*

Digitized by Google

A

EX SIMEONIS DUNELMENSIS MONACHI

HISTORIA (*a*) DE GESTIS REGUM ANGLORUM.

Apud Rog. Twysden *inter Anglic. Rerum Script. X, Lond.* 1652. *fol.*

ANNO MCXIX,... Calixtus Papa, XIII Kal. Novembris, generale Concilium *Col.* 240.
instituit Remis. Ad hoc Concilium multiplex factus est Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum et Principum diversarum provinciarum concursus, cum Clericorum ac laïcarum plebium numerosa multitudine. Numeratæ sunt ibi
B personarum pastoralium virgæ CCCCXXIV, inter quos et Turstinus Eboracensis Ecclesiæ Archiepiscopus electus, vix quandoque licentiâ a Rege impetratâ, propter suum proficiscitur negotium,... consecratusque est ab Apostolico. Posterâ die, residentibus ordine in Concilio ecclesiasticorum graduum personis, assidente quoque Rege Francorum Ludovico, multisque aliis principalibus viris, ex consensu cunctorum renovantur Patrum statuta de statuendis, et recisa de recidendis. (*Sequuntur quinque capitula.*)

Hæc Concilii decreta Imperatori Henrico, cùm non longè abesset ex Concilio, primùm per honestas personas, ad ultimum per ipsum Apostolicum mandantur, ut ante separationem Concilii notum esset, utrùm Ecclesiis per regnum et singulas quasque sibi subjectas provincias consentiat *canonicas electiones*, videlicet ut Episcopi et Abbates eligantur ab Ecclesia; et *liberas consecra-*
C *tiones*, ut ubi et a quibus oporteat electi consecrentur; et *investituram Ecclesiarum*, ut per investituram pastoralis virgæ et annuli per ostium Christum ingrediantur; et *investituram rerum ecclesiasticarum*, ut de rebus ad Ecclesiam pertinentibus nihil omninò sibi laïcalis exigat persona. Ad hæc ille respondit, nihil in his se prætermissurum, quod sui juris esse suorum sibi contulit antiqua consuetudo progenitorum : quandoque tamen flexus auctoritate generalis Concilii, tria illa priora concessit; ultimum verò, scilicet *investituram rerum ecclesiasticarum*, concedere noluit. Quapropter reverso ad Concilium Papâ, excom-
municatus decernitur. Quod cùm quidam in Concilio ægrè ferrent, sententiam protulit Apostolicus, ut qui in hoc scandalizarentur, exeuntes a fratrum consortio separarentur : proposito de illis septuaginta exemplo, qui cùm de carne Domini manducanda et sanguine bibendo scandalizarentur, retrò abierunt et
D jam cum illo non ambulabant. « Et quoniam, inquit, qui non colligit cum » Domino, spargit; et qui non est cum eo, adversùs illum est; illam incon» sutilem tunicam desuper contextam, scilicet sanctam Ecclesiam, qui nobis» cum consentiendo indiscissam servare nolunt, dissentiendo a nobis discindere » contendunt ». Talia sermocinante Apostolico, illicò omnes in eumdem cum cæteris consensum reducti, in Imperatorem Henricum excommunicationis sententiam jaculantur.

Tandem post dies aliquot dissoluto Concilio, offensus Rex Anglorum Turstino Archiepiscopo, quòd præter consensum suum se ab Apostolico consecrari fecisset, interdixit ei reditum in omnem suæ dominationis locum. Post hæc Papa Calixtus Gisortium venit, quò ad ejus colloquium Rex Anglorum occurrit. Acta sunt multa inter illos, quorum gratiâ par erat tantas convenisse personas :
E inter quæ Rex a Papa impetravit, ut omnes consuetudines quas pater suus in Normannia et in Anglia habuerat, sibi concederet, et maximè ut neminem aliquandò Legati officio in Anglia fungi permitteret, si non ipse aliquâ præcipuè querelâ exigente, quæ ab Episcopis regni sui terminari non posset, hoc fieri a Papa postularet. Quibus omnibus pro statu temporis definitis, Papa rogat Regem Turstino amicum fieri, eumque Pontificatui, ad quem ipsum sacraverat, pro amore suo restitui. At Rex se, dum viveret, non facturum in sua fide spopondisse confessus est. Ait [Pontifex] : « Ego Apostolicus sum, et si » feceris quod postulo, ab hac fidei sponsione te absolvam ». « Tractabo de

(*a*) Simeonis Monachi et Præcentoris S. Cuthberti Dunelmensis Historia, ipsissimum est Florentii Wigorniensis opus ad annum usque 1119, extenditurque deinceps ad annum 1129, cui continuationem innexuit Joannes Prior Hagustaldensis ad annum 1154.

Digitized by Google

» hoc, [Rex] ait, et quod consilii mei tenor invenerit, tibi notificabo ». A
Hinc a Papa recessit, cui per internuncios de negotio ita respondit : « Pro
» amore vestro qui tantoperè postulatis, eâ conditione Turstinum admitto in
» Pontificatum, ut subjectionem quam prædecessores ejus fecerant, Ecclesiæ
» Cantuariensi faciat : aliter, me regnante, Eboracensi Ecclesiæ non præside-
» bit ». His ita gestis, abeunte Apostolico, Turstinus remansit in Gallia.
Willielmus filius Regis Henrici et Mathildis Reginæ, accepit uxorem filiam
Comitis Andegavensis (*a*).

Anno MCXX, Rex Anglorum Henricus et Rex Francorum Ludovicus, post multa suarum partium detrimenta, die præstitutâ ineunt colloquium : quo ex consensu concordiæ peracto, jussu Regis Henrici filius ejus Willelmus, facto Regi Francorum hominio, Normanniæ sub illo suscipit Principatum. Ita redeuntibus in pacem Regibus, tota tumultuantis Normanniæ seditio compri- B
mitur, et qui contra dominum suum Henricum Regem arma levaverant, curvatâ sub ejus dominium cervice, redeunt; et quoniam in concordia Regum facienda Archiepiscopus Turstinus vigilantem se ac diligentem exhibuit, hac sui efficaciâ proniorem ad sese recipiendum Regis animum inflexit.... Normanniæ Principes, jubente Rege, filio Willelmo, jam tunc XVIII annorum, hominium faciunt, et fidelitatis securitatem sacramentis affirmant. Itaque Rex, omnibus qui contra se insurrexerant vel devictis, vel repacificatis, cunctisque ad votum prosperè peractis, quinto profectionis suo anno necdùm completo, lætior solito in Angliam multo navigio revehitur. Delegaverat autem filio cunctoque illius comitatui navem, quâ nulla in tota classe videbatur melior; sed ut eventus ostendit, nulla infelicior. Patre namque præeunte, paulò tardiùs, sed infeliciùs sequebatur filius. Nave quippè non longè a terra in ipso velificationis impetu C
super scopulos in ipso exitu delatâ ac dissolutâ, filius Regis cum omnibus qui secum erant interiit, VI Kal. Decembris, ferè VI, noctis initio, apud *Barbafflot*. Mane facto, thesaurus Regis qui in navi fuerat, invenitur per arenas, corpora verò pereuntium nulla. Perierunt cum filio Regis frater suus Richardus nothus Comes, cum filia Regis [Mathilde] quæ fuerat uxor Rotronis, et Richardus Comes Cestrensis cum uxore sua [Mathilde] nepte * Theobaldi Comitis, nepotis Regis, et Goffridus *Ridel*, et Rodbertus *Malduit*, et Willelmus *Bigot*, multi-

* *Corr.* sorore.

que alii principales viri; nobiles quoque fœminæ quamplures cum regiis pueris non paucis, militaris numeri CXL et nautarum L cum tribus gubernatoribus navis. Solus quidam macellarius tabulâ naufragii pendens evasit. Rex verò prospero cursu Angliam attingens, alium portum intrasse putabat filium; sed die tertio de illius interitu tristi perturbatur nuncio. Et quidem primò subito casu D
veluti pusillanimis deficiebat; sed mox dissimulato dolore, regios animos ex contemptu resumpsit fortunæ. Illum quippè solum ex legitimo conjugio susceptum regni post se hæredem constituerat.

Anno MCXXI, Concilio totius Angliæ ante Purificationem sanctæ Mariæ apud Windesoram adunato, Henricus Rex filiam Godefridi Ducis Luvaniæ Adelinam matrimonio sibi junxit.... Guillelmus de Campellis Catalaunensis Episcopus, octo diebus ante exitum suscepto habitu monachico, vitâ decedit XV Kal. Februarii.... [Mathildis] uxor quondam Willelmi submersi, filii Regis Henrici, filia Fulconis Comitis Andegavensis, rogante patre, remittitur patriam a Rege (*b*)....

Anno MCXXII,... Abbas Cluniacensis Pontius, qui divinitùs ad regimen Monasterii est assumptus, vir, ut fertur, optimæ conversationis, a sibi commissa E
congregatione criminatus apud Apostolicum Calixtum, libentissimè accepit ab illo regimine deponi. Ordinato autem in ejus locum alio Abbate, illicò sese ultrò expurgans sacramento, ante sacrum corpus beati Petri accusatores falsa sibi objecisse convicit. Graviter tulit Apostolicus tantum virum inconsultè sine culpa depositum, moxque præcepit ut, suâ auctoritate receptâ, ad pristinum Monasterii sui regimen reverteretur. At ille respondit, ipsam

(*a*) Nuptiæ Willelmi Henrici Regis filii cum Mathilde filia Comitis Andegavensis, ante Remense Concilium fuerunt celebratæ, nimirùm mense Junio, ex Orderico Vitali.

(*b*) *Hanc diutiùs penès se custodivit Henricus. Verum... ipsa parentes suos videre desiderans, Andegavim adiit, ibique natalis soli amore innexa aliquantulùm deguit. Tandem instinctu Goiffridi Carnotensis Episcopi, post decem annos desponsationis suæ sæculum reliquit, et Sanctimonialis in Cœnobio Fontis-Ebraldi cœlesti sponso libera inhæret et deservit*, inquit Ordericus Vitalis ad an. **1124**.

mortem

Digitized by Google

A mortem se malle eligere, quàm Cluniacensis Monasterii curam repetere. Hinc dolente etiam Apostolico, Jerosolymam profectus, honorificè magno cunctorum gaudio excipitur : ubi supra portam quæ dicitur Aurea, sibi faciens mansionem, secretam in divina contemplatione gaudet ducere vitam. Porrò qui pro eo fuerat Abbas subrogatus [Hugo II], non multò post, ut Cluniacum venit, mortuus est. Pontius verò legatariis et litteris ab Apostolico missis, jubetur redire ad gubernationem Monasterii sui ; sed nullo modo a sua singulari poterat abstrahi conversatione (*a*). Sibylla Regina Scottorum, filia Henrici Regis, subitâ morte decedit, IV Idus Julii....

Anno MCXXIII,... Comes Andegavensium Fulco reposcit a Rege Anglorum Henrico terras, urbes et castella quæ in dotem fuerant data filiæ ipsius Comitis, quando eam filius Regis, qui jam submersus est, acceperat uxo-
B rem. Quod cùm Rex non libenter annueret, aliam filiam suam [Sibyllam] dedit uxorem Willielmo filio Rodberti Comitis Normannorum, fratris Regis (*b*), promittens juveni auxilium, ut quacumque in parte paterni honoris fieret hæres. Rex autem ne quid adversi ex hoc sibi pararetur, habito cum suis apud *Wdestoc*, quod latinè dicitur Sylvarum locus, consilio, filium suum nothum Rodbertum et Comitem Cestrensem Ranulfum cum multa militari manu transmisit in Normanniam propter locorum custodias....

Celebratum est Romæ Concilium CCC Episcoporum XV Kal. Aprilis, præsidente Papa Calixto secundo. Renovata sunt ibi statuta majorum de agendis et prohibendis... Synodalibus decretis subscriptis et confirmatis, Imperatorem Henricum per Legatos sùos et scripta, secundùm præmissum scriptorum tenorem promittentem se sanctæ Romanæ Ecclesiæ jura servaturum, generalis
C Concilii sententiâ ab excommunicationis absolvit vinculo, quo in Remensi Concilio fuerat ligatus....

Rex Henricus hoc anno *, proximâ post Pentecosten feriâ secundâ, transfretavit in Normanniam, ut si quid adversi per Willielmum fratris sui filium oboriretur, sicut jam futurum ei nunciabatur, ipse regiâ reprimeret virtute. Interjectis autem non omninò quatuor mensibus, Galerannus Comes de *Mellant* et sui omnes, relicto Rege, castella sua munientes ea contra Regem tenuerunt. * An. 1123.

Rex verò, convocato exercitu, oppido Comitis quod Brionna vocatur combusto, turrem solam quam capere non valuit, relinquens, aliud ejus oppidum, scilicet Pontem-Audomari (*c*), quòd vulgò vocatur *Puntaldemer*, flammis combussit, omnibus in circuitu per XX et eo ampliùs milliaria vastatis

(*a*) Simeonem Pontio Cluniacensi plus æquo, immò præter æquum favere ex aliis colligitur Historicis, qui diversam hujus Abbatis effigiem adumbravere.

(*b*) Matrimonium istud, quod anno præcedenti assignat Ordericus Vitalis, a Callisto II Papa dissolvi curavit Henricus, impendentium sibi ex eo metuens incommodorum. Callistus verò causam Joanni Cardinali suoque in Francia Legato definiendam commisit, ut testantur sequentes ejus litteræ Spicil. *in-fol.* T. III. p. 479. *in-4°.* T. III. p. 149, relatæ. « *Callistus Episcopus, servus servorum* » *Dei, venerabilibus fratribus Gaufrido Carnotensi,* » *Joanni Aurelianensi et Stephano Parisiensi Episco-* » *pis, salutem et Apostolicam benedictionem.* Sicut » omne quod irreprehensibile est catholica defendit Ecclesia, ita ea quæ contra scita Canonum inita sunt, secundùm æquitatis et justitiæ » destruere nititur rationem. Causam siquidem » matrimonii inter Guillelmum filium Comitis » Roberti et filiam Comitis Andegavensis contracti, cui parentelæ titulus opponitur, dilecto » filio nostro J. Presbytero Cardinali commisimus finiendam. Qui post susceptam idoneorum testium de parentela probationem, ubicumque filius Roberti Comitis fuerit, prohibuit officia celebrari, nisi utique ad datum a » se terminum conjugium idem dissolverit. Unde » fraternitati vestræ præcipimus, ut eamdem sententiam a nobis firmatam per vestras faciatis » parochias observari. Datum Laterani VII Kal. » Septembris ».

Hujus porrò seriem negotii sequens nos docet Honorii II epistola præcedenti subjuncta : » *Honorius Episcopus, servus servorum Dei, dilectis* » *filiis Clericis Turonensibus matris Ecclesiæ sancti* » *Mauritii, salutem et Apostolicam benedictionem.* » Sicut boni et humiles filii sunt paternæ dilectionis nexibus arctiùs astringendi, ita ingrati » et inobedientes sunt rigore justitiæ coercendi. » Siquidem compertum habuimus quòd Fulco » Andegavensis Comes divortium illiciti matrimonii filiæ suæ et Guillelmi filii Roberti Comitis, a dilecto filio nostro J. Presbytero Cardinali Apostolicæ Sedis Legato et ab aliis fratribus nostris Coepiscopis et sapientibus viris, » acceptâ idoneorum probatione testium, judicatum servare contempsit. Præterea quod gravius est, uti accepimus, ad B. Petri et sanctæ » atque Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ injuriam, » prædicti Legati nuncios ad eum directos capiens » et in arcta custodia per duas septimanas retinens, » barbas eorum et capillos flammis exurere, et » litteras in conspectu hominum sub dio cremare » præsumpsit. Unde Legatus idem in propriam » Comitis terram interdictionis, et in personam » ejus excommunicationis sententiam promulgavit. Nos ergo, habito fratrum consilio, eamdem » usque ad condignam satisfactionem sententiam » ratam habemus. Interdictum autem præcipimus » observari. Datum Laterani pridiè Idus Aprilis ». Paruit tandem Apostolico decreto Guillelmus, dimissâque Sibyllâ, Joannam Reginerii Montisferratensis Marchisii filiam, atque Adelaïdis Ludovici Galliæ Regis uxoris uterinam sororem, mense Januario anni 1127 novo sibi matrimonio copulavit. Vide notas *b. c.* paginæ sequentis.

(*c*) Anno 1123, mense Octobri Pontem-Aldemari expugnavit Rex Henricus, Brionnam verò an. 1124, mense Aprili, ex Orderico Vitali.

Digitized by Google

et incensis, ut hostes quid mali facerent, non invenirent. Castellum autem illius oppidi septies viginti milites per VII hebdomadas obsessi contra Regis exercitum defenderunt. Videns autem Rex se non, ut disposuerat, proficere, ligneam turrim quam *Berfreit* vocant, erexit : quâ ad castellum arte deductâ, desuper præliatores sagittas et ingentes lapidum moles super inclusos jaciebant. Altitudine XXIV pedum supra murum præsidii eminebat machina, unde sagittarii et alabastarii præliabantur. Obsessi non valentes ulteriùs ferre vires desuper pugnantium, deditione factâ, exierunt : quos Rex quemque, quò voluit, abire permisit. Milites verò quos Rex de minori Britannia conduxerat, incenso oppido prædicto, terram suffodientes invenerunt in cistis multa quæ cives prævidentes periculum in subterraneis recondiderant, aurum, argentum, vestes preciosas, pallia, piper, gingiberum, et alia hujusmodi, quæ universa sibi tollentes abierunt. Habitatores autem illius oppidi, reconciliato sibi Rege, cùm jam ruinas oppidi cœpissent reædificare, Comes præfatus subitò quidquid fuerat [reædificatum], igne injecto, in favillas vertit. Præter supradictos et alii Procerum nonnulli discedentes a Rege, munitiones suas contra illum ope firmiori et numero pugnatorum instaurant; quarum quasdam Rex vi aggrediens recepit, quasdam verò velut inexpugnabiles reliquit. Crebras irruptiones a Willielmo fratris sui filio sustinuit, qui plus Fulconis Andegavensium Comitis, soceri sui viribus nitebatur, quàm suis. Rex autem magis suorum suspectus est proditionem, quàm extraneorum expavit incursus. Ob istiusmodi dissensiones et rerum difficultates, gravibus Anglia est attrita exactionibus pecuniarum, quæ ad negotia Regis peragenda omni populo indicebantur.... Habitum est Concilium apud Biturícas V Idus Decembris.

Anno MCXXIV,... Comes de *Mellant* prædictus, dum passim inconsultè castella quæ contra Regem munierat, circumiret, captus ab insidiantibus (*a*) cum suis non paucis, diligenti artatur custodiâ. Calixtus Papa Idus Decembris obiit, pro quo Ostiensis Episcopus, mutato juxta morem priorum de Lamberto in Honorium nomine, in Papatum substituitur....

Anno MCXXV, Imperator Henricus, cum imperasset XX annis, sine filiis obiit.... Imperatrix, defuncto marito, amissis quibusdam quas in dotem acceperat munitionibus, ad patrem rediit in Normannia....

* *Corr.* MCXXVI. Anno MCXXVII, * Henricus Rex cum filia Imperatrice III Idus Septembris rediit in Angliam....

* *Corr.* MCXXVII. Anno MCXXVIII *.... in Circumcisione Domini, jubente Henrico Rege, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Rexque Scottorum David, Comites et Barones totius Angliæ, juraverunt ut filiæ Imperatrici fide servatâ, regnum Angliæ hæreditario jure post eum servarent, nisi ipse moriens filium de legitimo matrimonio sui hæredem relinqueret. Reginæ quoque juraverunt, ut quæcumque Rex illi donasset, rata semper custodirent ac immutata....

Carlo Comes Flandrensis in Quadragesima, dum missam audiens in oratione procumberet, circumventus ab insidiantibus antè morte præventus est, quàm mortem inferentes nosse poterat. Cui fratruelis Regis Henrici Willielmus, filius scilicet Rodberti fratris ejus, in Comitatûs honorem successit, Ludovici Regis Francorum adjutus quàm maximo auxilio. Antea quidem Fulco Andegavensium Comes prædicto juveni suam desponsaverat filiam, sed propter consanguinitatem (*b*) quam Rex Henricus eis inesse jurari fecerat, divortio facto, timentem insidias Regis Anglorum, patrui scilicet sui, juvenem Rex Francorum suscipiens, datâ sibi in conjugium sorore Reginæ (*c*) affinitate sibi associavit, et ob id in prædictum Comitatum sustulit, jure sibi a parte matris paternæ attinentem. Siquidem Baldewini Flandrensis Comitis filiam [Mathildem] Rex Willielmus duxerat, ex qua Willielmum et Henricum Reges procreavit, et Rodbertum Comitem Normannorum, cujus filius erat Williel-

(*a*) VII *Kal. Aprilis, haud procul a villa quam vocant Burgum-Turoldi*, inquit Guill. Gemmet. continuator.

(*b*) Nota paucis ante annis ipsum Henricum alteri Fulconis filiæ, ut supra vidimus, Willielmum filium suum, nemine intercedente, copulasse, licèt eodem prorsùs consanguinitatis gradu propinquum.

(*c*) « Tandem cùm Guillelmus exul, *inquit* » *Ordericus*, XXVI esset annorum (id est an. 1127) » et nemo potuisset ei de paterna hæreditate recuperanda suffragari contra patruum suum, » Adeles Regina [Franciæ] uterinam sororem » suam [Joannam] dedit illi in conjugium, Rai- » nerii scilicet Marchionis [Montis-Ferrati] so- » bolem. Ludovicus autem Rex dedit ei Ponte- » siam et Calvimontem atque Medantum, to- » tumque Vilcassinum. Hoc mense Januario fac- » tum est ».

Digitized by Google

A mus prædictus. Rex Henricus intendens animum ad obtinendum Comitatum præfatum, quasi hæreditario jure sibi debitum, a nepote, sicut jam diximus, est præventus. Quare ne quid adversi ex nepote sibi oboriretur, Comitis Andegavensium, cui priùs fuerat inimicus, expetiit amicitias, cupiens filiam suam quondam Imperatricem filio ejus matrimonio jungere. Quod ubi tandem utrisque complacuisset, præmissam filiam in Normanniam ipse paulò post VII Kal. Septembris subsecutus est, remque ad effectum perduxit, eo tenore ut Regi de legitima conjuge hæredem non habenti mortuo [Gaufredus *Plantagenêt*] gener illius in regnum succederet.

Anno MCXXVIII, prædictus Comes Flandrensis bis in una septimana congrediens cum hostibus, parvâ manu superavit plurimos. Sed paulò post obsidens castellum * sibi repugnantium, dum successu vincendi insolens crebriùs * *Alost.*
B victos fugientesque repeteret, vulneratus lethaliter in confinio brachii et manûs, triduò supervivens, moritur VI Kal. Augusti. Cujus ex placito Regis Francorum Rex Henricus hæres ex debito consanguinitatis factus, Comitatum sub se disponendum tradidit Theodoro, lineam affinitatis ducenti ex Comitibus Flandrensium...

Anno MCXXIX, Willielmus Gifardus Wintoniensis Episcopus obiit. Rex Henricus, absoluto de captione Comite de *Mellant* Gualaranno, cunctisque sibi quæ sua fuerant præter munitiones redditis, redintegratâ inter se et Regem Francorum concordiâ, accepto Flandrensium Comitatu, filiâ quoque suâ Eximperatrice Comiti Andegavensium copulatâ, omnibusque quaquaversùm hostibus vel victis vel repacificatis, arridente sibi undique prosperitate, multo navigio Idus Julii in Angliam est reversus. Fluxerant dies pauci, cùm ecce nunciatur
C Regi filiam suam a marito repudiatam, abjectamque sine honore, paucis admodùm comitibus rediisse Rotomagum : quæ res animos Regis acriter turbavit. Post festum autem sancti Michaëlis, comitantibus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, et penè totius Angliæ Primatibus, venit Wintoniam, ibique filio sororis suæ Henrico, qui apud Cluniacum ab infantia nutritus erat Monachus, Wintoniensis Ecclesiæ dedit Episcopatum, adjunctâ ei in augmentum honoris Abbatiâ Glastoniæ, quam priùs ad procurationem sui a Rege acceperat....

EX SIMEONIS DUNELMENSIS HISTORIA,

A JOHANNE HAGUSTALDENSI PRIORE AD ANNUM 1154 CONTINUATA.

D Anno MCXXXIII,... III * Nonas mensis Augusti, circa meridiem, ferè dimidiæ horæ spatio facta est eclipsis solis, lunâ XXVII, feriâ IV, Rege Henrico transfretante in Normanniam, ubi et mortuus est. * *Corr.* IV.

Anno MCXXXIV, Rodbertus Dux Normanniæ obiit, quem Rex Henricus frater ejus sub custodia tenuit usque ad diem mortis suæ.

Anno MCXXXV, ab adventu Normannorum in Angliam LXIX, Henricus Rex anno ætatis suæ LXVIII, de quadam murena comedens ægrotavit, et mortuus est in quadam foresta Normanniæ, quod * dicitur *Leuns* apud sanctum Dionysium, IV Nonas Decembris, feriâ secundâ. Regnavit autem gloriosè annis XXXV et mensibus IV. Corpus verò ipsius, sicut præceperat, in Angliam transvectum, apud Radingas sepultum est, quod Monasterium ipse construxit, et cum munificentia regali reddituum conventu Monachorum ornavit... Post quem Princeps non surrexit alius, qui sic injustas regni exactiones interdiceret, subjectos in pace et modestia sapientiæ disponeret, personas ecclesiasticas reverenter excoleret, pauperes et Religiosos sumptuosis eleemosynis foveret (*a*).

(*a*) Cum Joanne Hagustaldensi concinit Ricardus ejusdem Cœnobii Prior, Henrici laudibus plurimùm adjiciens in historia Stephani Regis et de Bello-Standardi, apud eumdem *Twysden*, col. 309. « Rex nobilis Henricus, *inquit*, in juvenili » ætate magnâ virtutis probitate laudabilis, in » adversitatum periculis sæpè vexatus, in militaribus congressionibus optimè exercitatus fuit. » Erat namque vir consilii et providentiæ, sagacitatis ac prudentiæ, mente constans, animo » audax, in sermone verax, in promissis efficax, » in minis pertinax, in amicitia perseverans, in » odio perdurans, in adversis patiens, in pros- » peris temperans, facundiâ disertus, justitiâ ri- » gidus, in judicio æquus, inimicis pessimus, » amicis optimus. Igitur post fratrem suum Wil- » lielmum regnum Angliæ adeptus, Ducatumque » Normanniæ a germano suo Roberto Comite » mirâ arte acquisivit, et utriusque negotia ma- » gnâ sapientiâ disposuit, ac omnes sibi adver- » santes ineffabili calliditate superavit; nobiles » plerosque propter eorum perfidiam depressit, » ignobiles verò multos, quos probos ac sibi fi- » deles invenit, amplis honoribus sublimavit.

Digitized by Google

Quo mortuo, continuò emerserunt homines scelesti et peccatores, cuncta jura justitiæ et pacis dissipantes, et ad direptiones et cædes, incendia et alia flagitia hostiliter proruentes. A

Anno MCXXXVI, Stephanus Comes Bononiensis, filius sororis Henrici Regis, frater Teotbaldi Comitis de Blavio * et Henrici Episcopi Wintoniensis, sumpsit infulas regni Kal. Januarii, consentientibus in ejus promotionem Willielmo Cantuariensi Archiepiscopo, et Clericorum et laïcorum apud Londonias universitate : in cujus consecrationis celebritate omissum est dari osculum pacis. Indignatus super ejus imperio Galfridus Comes Andegavensis, qui filiam Regis Henrici habuit uxorem et hæredem ex ea nomine Henricum, plurima in Normannia perturbare cœpit. David quoque Rex Scotiæ, avunculus ejusdem Imperatricis, non immemor sacramenti quod ipse et universitas regni Henrico Regi super successione ejus juraverat, continuò insurrexit in regnum Angliæ, et citiùs munitiones Cumberlandiæ et Northimbriæ cum populis adjacentibus obtinuit usque Dunelmum, præter *Babanburch;* accepit etiam fidelitates et obsides a nobilioribus, quòd conservarent fidem nepti suæ. Occurrit ei Rex Stephanus in capite jejunii Nonis Februarii apud Dunelmum, ibi commoratus diebus xv. David quoque Rex in Novo-castello se recepit. Habitâ igitur collocutione de pace inter eos, Henricus filius Regis Scotiæ fecit homagium Regi Stephano apud Eboracum, in augmentum honoris de *Huntedun* datis ei Dunecastrâ et *Karleol* : cæteras munitiones et terras quas occupavit, Rex David restituit. In Paschali verò festivitate Rex Stephanus eumdem Henricum in reverentia præferens, ad dexteram suam sedere fecit. Idcircò Willielmus Archiepiscopus Cantiæ, et quidam Proceres cum Ranulfo Comite Cestriæ in juvenem contumeliosa locuti, a curia Regis se amoverunt.... B C

* *Blois.*

Eodem anno Innocentius Papa, litteris ab Apostolica sede directis, eumdem Regem Stephanum in negotiis regni confirmavit (*a*).... mense Augusto (*b*) Rex Stephanus transfretavit, inimicitiis Galfridi Comitis Andegavensis commonitus....

Anno MCXXXVII, David Rex Scotiæ Northymbriam devastare proposuit. Convenit citiùs multitudo Comitum et Procerum Angliæ ad Novum-castellum ejus conatibus occursura. Turstinus quoque Archiepiscopus Eboracensis, quamvis multo confectus senio, locutus est cum Rege Scotiæ et filio ejus apud

» Bonas quoque leges ac consuetudines Regis » Edwardi prædecessoris et cognati sui restauravit, » et prout ei videbatur, suâ sapientiâ et auctoritate emendatas et corroboratas, in regno » suo rigidè et constanter tam a divitibus quàm » a pauperibus observari fecit.... Duas Reginas » habuit, primam nomine Mathildam, filiam » Malcolmi Regis Scotiæ, ex qua unam filiam » genuit, quæ primò Imperatori Henrico Alemanniæ, ac deinde Gaufrido Andegavensium » Comiti in conjugium data est. Unum quoque » filium nomine Willielmum, ex eadem habuit, » qui cum maxima nobilitate Angliæ et Normanniæ in mari submersus est. Alteram verò » Reginam post mortem Mathildis, nomine Adelizam, filiam Godefridi Ducis Luvaniæ, accepit, sed hæc sterilis permansit. In fornicatione autem et adulterio plures liberos habuit. » Namque hæc duo vitia, scilicet luxuria et amor » pecuniæ, in eo nimis dominabantur : unde » ejus exemplo plurimi corrupti sunt ».

(*a*) Innocentii epistolam in suis commentariis consignavit idem Ricardus Hagustaldensis, in hunc modum : « *Innocentius Episcopus, servus servorum* » *Dei, carissimo in Christo filio Stephano illustri Anglorum Regi, salutem et Apostolicam benedictionem.* » Rex Regum et Dominus dominantium, in cujus manu sunt omnium potestates et omnia » jura regnorum, ex incomprehensibili supernæ » providentiæ dispensatione, quando vult, mutat » tempora et transfert regna. Sicut enim testatur » Propheta, dominatur excelsus in regno hominum, et cui vult dat illud. Quot commoditates, » quanta jocunditatis tranquillitas, quantùmque » justitiæ censura in regno Angliæ, et Ducatu » Normanniæ, regnante filio nostro gloriosæ memoriæ Henrico Rege, viguerunt, eo humanis » rebus exempto, oculatâ fide perclaruit. Cùm » enim idem esset religiosorum virorum amator, » pacis et justitiæ cultor, viduarum et orphanorum propitius consolator, et eorum qui impotentiâ defendere se non poterant pius defensor : » ipso sublato de medio, prout accepimus, turbata est religio in regno Angliæ, et nullum » mandatum pacis seu justitiæ in adjutorio regali » vigebat, atque atrocitatem tantorum scelerum » comitabatur impunitas. Ne autem diutiùs grassando in populum Dei debacchari posset dira » feralitas, inclinata est ad preces religiosorum » virorum divinæ miseratio pietatis; et tantis » flagitiis potenter occurrens (sicut venerabilium » fratrum nostrorum, Archiepiscoporum, Episcoporum earumdem regionum, et amatorum » sanctæ Romanæ Ecclesiæ, gloriosi Francorum » Regis et illustris viri Comitis Theobaldi scripta » testantur, et illustrium virorum nobis indicavit assertio) communi voto et unanimi assensu » tam Procerum quàm etiam populi, te in Regem eligere et a Præsulibus regni consecrari » providit. Nos cognoscentes vota tantorum virorum in personam tuam, præeunte divinâ gratiâ, convenisse, pro spe etiam certa te B. Petro » in ipsa consecrationis tuæ die obedientiam et » reverentiam promisisse; et quia de præfati Regis prosapia propè posito gradu originem traxisse dinosceris : quod de te factum est gratum » habentes, te in specialem B. Petri et sanctæ » Romanæ Ecclesiæ filium affectione paternâ recipimus, et in eadem honoris et familiaritatis » prærogativa, quâ prædecessor tuus egregiæ » recordationis Henricus a nobis coronabatur, te » propensiùs volumus retinere ».

(*b*) Guillelmus Malmesbur. Henricus Huntind. et Ordericus Vitalis Stephani Regis in Normanniam accessum statuunt an. 1137 in Quadragesimâ.

Digitized by Google

A *Rochesburch*, et impetravit inducias usque ad reditum Regis Stephani de Normannia. Factâ itaque pace cum Comite Andegavensi Rex Stephanus per biennium, in Adventu Domini reversus est in Angliam. Veneruntque legati Regis Scotiæ, postulantes Northymbriam dari filio ejus Henrico : quod abnuente Rege Stephano, solutæ sunt induciæ.

Anno MCXXXVIII,... incredibile relatu est quæ scelesta et flagitiosa et blasphema in Deum et abusiva ipsius humanitatis exercitus Scottorum egerit. Plena erant omnia cædibus, direptionibus et incendiis ; non miserta est barbaries illa pupillo aut orphano, seni aut pauperi, non pepercit sexui, ætati aut ordini, conditioni cujusquam aut professioni : prægnantes cum parvulis dissecuerunt, virgines et viduas, occisis cunctis maribus, funiculis colligatas, nudas catervatim sub jugo servitutis in Scotiam abegerunt... Reversus est tandem
B Rex [Scotiæ] cum suis in sua : et Stephanus Rex in Quadragesima cum militaribus copiis adveniens ad *Werc*, in terram Regis Scotiæ præcepit suos cædere et persequi. Rex verò David colligens se et suos, haud procul intra quamdam paludem munitam valdè et prorsùs inaccessibilem circumquaque, nisi per angustias cujusdam semitæ, præcepit civibus de *Rochesburch* magnanimiter excipere Regem Angliæ intra urbem, si adveniret : observavit enim tempus et nocturnas opportunitates ut irrueret in eum. Certus quippe fuit socios sibi fore condictæ proditionis plurimos de Proceribus Anglorum exercitûs, qui et ad conflictum clandestinis consiliis conspirantes concitaverunt eum. Notæ autem factæ sunt insidiæ Regi Stephano : qui parans reditum, iratus coegit Eustachium [filium Johannis] reconsignare in manu sua munitionem de *Bahanbuch*, et in Angliam festinus regressus est....

C Eodem anno * scilicet in Autumno, Rex David, junctis viribus, ad Eboraci-sciriam iter direxit, duobus Baronibus suis ad obsidendum *Werc* cum multitudine interim dimissis.... Præfuit per idem tempus Ecclesiæ Eboraci sanctæ memoriæ Turstinus Archiepiscopus, animi constantiâ inter adversa et prospera invincibilis, annis gravis, corpore debilis, ut lectulo gestatorio veheretur quò occasio rerum urgeret : qui evocatos ad se Proceres Eboraci-sciriæ ad instantiam resistendi pastoralis prudentiæ providentiâ animavit.... Igitur in octavis Assumptionis S. Mariæ, XI Kal. Septemb. feriâ secundâ, universus exercitus circa *Standart* convenit, ne quis de fuga præsumeret, equis procul amotis : omnes autem mori aut vincere pro patria unanimiter decernentes. Fuerunt autem Principes ii in honoribus et dignitatibus præeminentes Willielmus de Albamarla [cognomento Grossus] (*a*), Comes Walterus de *Gant* (*b*), Rodbertus de *Brus* (*c*), Rogerus de *Mulbrai* (*d*), Walterus *Espec* (*e*), Willielmus de

* An. 1138.

(*a*) *Erat*, inquit Ethelredus Abbas Rievallensis in sua de bello Standardi descriptione, apud eumdem *Twysden* col 337. *Willielmus Comes Albemarum juvenis tunc strenuissimus et in armis multùm exercitatus, habens secum tam de Poncis*, (seu Pontivis) *quàm de Morinis milites plurimos, non minùs astutiâ militari quàm animi virtute præstantes.*

(*b*) *Waltherus quoque de* Gant (verba sunt Ethelredi ibid.) *affuit, morti jam ultimâ senectute vicinus, vir mansuetus et pius, qui et ipse validissimam manum de Flandrensibus et Normannis adducens, tam sapientiâ quàm pondere sermonum reliquam multitudinem plurimùm animavit.* Ejus porrò sequentem genealogiam suppeditat Monasticon Anglic. « Gislebertus » de *Gaunt*, filius Baldwini Comitis de Flandria, » venit cum Willielmo Conquestore avunculo » suo in Angliam, de cujus dono habuit terras » cujusdam domini vocati *Tour* ex natione Da» norum. Qui cepit in uxorem Aliciam de Mon» teforti, et habuit ex illa Walterum et Rober» tum, et tenebat dominium per XXVIII annos, » et moriebatur in tempore Willielmi Rufi Regis » Angliæ, et sepultus est apud *Bardeney*. Et Wal» terus suus primogenitus cepit Mathildam filiam » Stephani Comitis Britanniæ cum *Swaldale* in » liberum maritagium, et genuit Gilbertum fi» lium suum primogenitum, postea Comitem » Lincolniæ in jure uxoris suæ, et Robertum. » Qui quidem Gilbertus cepit in uxorem Roe» siam Comitissam Lincolniæ, tempore Regis » Stephani, et genuit Aliciam sepultam apud » *Bredlinton* : quæ Alicia copulata fuit Simoni de » Sancto-Licio Comiti Huntingtoniæ et Nor» thamptoniæ, et obiit sine hærede de corpore ; » per quod hæreditas de *Gaunt* legitimè descen» debat Roberto filio Walteri prædicto. Qui qui» dem Robertus genuit Gilbertum Bonum, et » moriebatur anno Dom. MCLXII... Gilbertus Bo» nus genuit Gilbertum postea captum apud *Ke» nilworth* inter Barones in castro, et exhæreda» tus pro proditione, et redemit terras suas pro » 3000 marcarum tempore Edwardi primi, et mo» riebatur anno Dom. 1274 Nonas Januarii, etc. » (*Monast. Anglic. T. I. pag.* 833.)

(*c*) *Sed et Robertus de* Brus, *licèt Regem Scotiæ plurimùm dilexisset, gentibus tamen suis in hac necessitate non defuit : qui cum optimo juvene filio suo Adam tam validam manum adduxit, ut non solùm viribus, sed et decore simul ac juventute omnem multitudinem plurimùm decorarent.* Ethelredus ibid.

(*d*) *Tantus autem fervor resistendi Scotis cunctos arripuit, ut etiam Rogerum de* Molbrai, (is erat Nigelli de Albinneio filius) *adhuc puerulum exercitui interesse fecissent, tam decenter tamen, ut tali ætati conveniebat, inter cæteros sapientissimè collocatum. Cum quo universa terræ suæ militia, quæ profectò nec sapientiâ, nec virtute, nec numero cæteris videbatur inferior, cum tanta devotione convenit, ut minor ætas domini sui nullum exercitui videretur afferre dispendium.* Ethelredus ibid.

(*e*) *Affuit et Walterus* Espec, *vir senex et plenus dierum, acer ingenio, in consiliis prudens, in pace modestus, in bello providus, amicitiam sociis, fidem semper Regibus servans. Erat ei statura ingens, membra*

Digitized by Google

Perci (*a*), Bernardus de Baillolio, Ricardus de Curceio, Willelmus *Fossard*, Ro- A
bertus de Stuthavilla, Ilbertus de Lesceio (*b*). (Hunc ipsum et patrem ipsius Rodbertum de Lesceio Henricus Rex ejecit de regno Angliæ. Mortuo Rege, Willielmum Transversum, qui ex datione Regis honori scilicet Pontifracto præsedit, miles quidam paganus de honore illo occidit, et iste Ilbertus honorem ejus jure patrimonii possedit.) Adfuit etiam cum suis copiis de Nothymgaham-sciria Willielmus *Peverel*, et Rodbertus de *Ferrers* de Derbiscira. Accessit etiam Rex Scotiæ cum suis legionibus stipatus in prælium, Scottis in prima acie dispositis : id sibi ex nativa dignitate reclamantes quasi unus, nudi ipsi et penè inermes progressi adversùs cuneos loricatos, et idcircò invulnerabiles. Circa Regem steterunt equestres ordines, militaribus armis instructi. Fide dignum Rex arbitratus est vincere vel mori, pro sacramento quod juravit hæredibus Henrici Regis, et universitas Angliæ cum eo. Scotti itaque B
et Picti vix a prima hora initi conflictûs usque ad tertiam perstiterunt, videntes se confodi et consui sagittis, et obrui et opprimi : qui omnes a campo dilapsi sunt, sarcinas suas a se rejicientes. In ignominiam hujus rei vocatus est locus ille *Baggamor*. Continuò constantia residui exercitûs proturbata et infirmata est : propterea seniores festinantes compulerunt Regem equos reposcere, et cum sua conserta acie discedere, ne et ipse cum suis cederet in ruinam.... Rex etiam Angliæ lætatus super his successibus suis, Willielmum de Albamarla Comitem in Eboraci-sciria fecit, et Rodbertum de *Ferrers* Comitem in Derbisciria....

* An. 1138. Eodem anno * mortuus est Petrus Leo, qui in inimicitias Innocentii Papæ factione suâ a quibusdam intrusus Apostolicus in urbe, per octo annos Romanam incubabat Ecclesiam. Innocentius verò liberâ auctoritate in urbe, sicut C
priùs in orbe, ecclesiasticæ Monarchiæ præsedit dignitati : qui et generali decreto omnes Petri Leonis schismatis complices ab omni ecclesiastico ordine et honore deposuit, et ne quis sedem Apostolicam simili præsumptione in posterùm usurparet, sub anathemate interdixit. Directus est autem ab eodem Papa Legatus Angliæ et Scotiæ Albericus Hostiensis Episcopus, natione Gallicus, professione Monachus Cluniacensis, et in eodem Cœnobio Subprioris officio ad disponendas regulares observationes prælatus Monachis cunctis, excellentiâ virtutis et plenitudine eruditionis instructus. Veniens verò in Angliam,... Regem Angliæ super reformanda pace cum Rege Scotiæ plurimâ prece sollicitavit. Cooperata est votis ejus domesticâ instantiâ Matildis Regina Anglorum, lege consanguinitatis avunculo suo Regi Scotiæ, salvâ pace mariti sui, nequaquam ingrata. Siquidem Rex David. duas sorores habuit, Mariam D
et Matildem, quæ nupsit Henrico Regi; Mariam verò Comes Bononiensis

omnia tantæ magnitudinis, ut nec modum excederent et tantæ proceritati congruerent; capilli nigri, barba prolixa, frons patens et libera, oculi grandes et perspicaces, facies amplissima, tractitia tamen; vox tubæ similis, facundiam quæ ei facilis erat, quâdam soni majestate componens. Erat præterea nobilis carne, sed christianâ pietate nobilior : nempè cùm liberis careret hæredibus, licèt ei nepotes strenui non deessent, de optimis tamen quibusdam possessionibus suis Christum fecit hæredem. Nam in loco amœnissimo Kircham *nomine Monasterium Regularium condidit Clericorum.... Cisterciensem quoque Ordinem, cujus vix famam audierat Anglia, favente sibi glorioso Rege Henrico, in has partes advexit, suscipiens Fratres de Monasterio nobilissimo Clarevallis per manum Deo dilecti Abbatis Bernardi. Qui venientes in Angliam anno ab Incarnat. Domini* MCXXXII, *nacti locum in valle profundissima super ripam Riæ fluminis, unde ipsum Monasterium Rievallis nomen accepit, multos suæ Religionis famâ ad optimorum studiorum æmulationem incitaverunt : unde in brevi multiplicati super numerum, plurima in utroque regno, Angliæ scilicet et Scotiæ, Cœnobia condiderunt.* Ex eodem Ethelredo.

(*a*) Willielmi de *Percy* progenitores astruit sequens genealogia e Monastico Anglicano mutuata. « Memorandum quòd anno Domini millesimo » sexagesimo septimo, Hugo Comes Cestrensis et » Willelmus de *Percy* venerunt in Angliam, cum » D. Willelmo Duce Normannorum Conquestore : » et idem Conquestor dedit prædicto Hugoni vil- » lam *de Whytteby* cum omnibus suis membris; et » idem Hugo dedit prædicto Willelmo *de Percy* » omnia prædicta, terras et tenementa, sibi et » hæredibus suis, ita liberè et quietè, sicut præ- » dictus Hugo ea habuit ex dono Regis. Et præ- » dictus Willelmus *de Percy* fundavit Abbatiam » *de Whytteby*, ... tempore D. Willelmi Regis Con- » questoris.... Et idem Willelmus *de Percy* fun- » dator dictæ Abbatiæ, genuit [ex Emma *de* » *Port* uxore sua] Alanum *de Percy* et Richardum » fratrem ejus : et idem Alanus confirmavit car- » tam patris sui, et obiit sine hærede de corpo- » re suo et sepultus est apud *Whytteby* : et sic des- » cendit hæreditas Ricardo fratri suo et hæredi » ejusdem Alani, et prædictus Ricardus nil dedit » nec confirmavit. Et de prædicto Ricardo pro- » cessit Willelmus *de Percy*, qui quidem Willel- » mus *de Percy* filius Richardi fundavit domum » *de Grenedall* (nunc vocatam *Handall*) in honore » B. Mariæ Virginis, tempore Henrici Regis An- » gliæ filii Willelmi Conquestoris, anno Dom. » MCXXXIII. per cartam suam, etc. » (*Ex Registro cartarum Abbatiæ de Whitby, T. I. Monast. Anglicani, p.* 72.)

(*b*) *Ilbertus sanè de Laci non segnis, nec cum paucis advolavit : qui tempore Regis Henrici exsulans, quantò fuerat laboribus ærumnisque assuefactus, tantò stabat in hac necessitate securus.* Ethelredus ibidem. Ilberti verò exsilium assignat Ordericus Vitalis anno 1101, pœnamque hanc ei inflictam ait ob proditionem in Regem patratam, ut Roberto Normanniæ Duci regnum cum aliis consociatus traderet.

Digitized by Google

A [Eustachius] accepit in matrimonium, et genuit ex ea hanc Matildem hæredem suam. Hanc enim cum Comitatu Bononiensi Stephanus Rex duxit uxorem, habuitque ex ea filios Eustachium et Willielmum, qui immaturâ morte absque liberis defuncti sunt (*a*)....

Anno MCXXXIX, præfatus Legatus Albericus post octavas Epiphaniæ reversus est... Instantiâ verò Reginæ Anglorum pax convenit inter duos Reges, Henrico filio Regis Scotiæ apud Dunelmum accipiente Comitatum Northimbriæ. Confirmata est hæc concordia per Reginam et Henricum filium Regis Scotiæ apud Dunelmum v Idus Aprilis, coràm Comitibus et Baronibus Angliæ, datis obsidibus a Scotis in firmamentum fidei. Profectus est autem cum Regina Henricus Comes ad Regem Angliæ ad *Nothingaham*, et obsequens ei per æstatem impensas munificas fecit. Qui et accepit conjugem Adam,
B sororem Willielmi Comitis de *Warene* et Walarani Comitis de *Mellant*, et Roberti Comitis de Legecestria, habuitque ex ea filios, Malcolmum, Willielmum, et David... Obiit etiam Audoenus Ebroicensis Episcopus, frater ejusdem Turstini Archiepiscopi, apud *Meretun*, sumpto habitu Canonicorum, sepultus. Mortui sunt et Walterus de *Gant* et Rodbertus de *Ferrers*.

Accidit eodem anno * ut ad curiam Regis convenirent Rogerus Episcopus de *Searesberie*, Alexander Episcopus Lincolniæ et Nigellus Episcopus de *Heli*, scilicet nepotes ejusdem Rogeri; ortâque seditione, ministri Episcoporum inter cæteram turbam cæciderunt quemdam nepotem Alani (*b*) Comitis de *Richemunt*, qui et mortuus est. Devoluta est idcircò ab eodem Comite coram Rege calumnia in Episcopos, factione eorum seditionem excitatam in insidias salutis regiæ. Dilapsus est citiùs a curia clandestinâ fugâ Nigellus Episcopus ad suas
C munitiones, et aggravata est manus Regis ad ulciscendum in Episcopos Rogerum et Alexandrum, quos, interdicto eis prorsùs cibo, coegit ad deditionem castrorum suorum cum thesauris suis copiosis in eis confertis. Sed et alia indigna contra honestatem Pontificalis excellentiæ egit in eos... Et factum est applicuit in Angliam Aaliz * Imperatrix, filia Henrici Regis, uxor Galfridi Comitis Andegavensis : quam Rex Stephanus citiùs obsessam intra quoddam castellum, et ad deditionem coactam, ex indiscreta animi simplicitate ad Bristovam liberè ire permisit. Suscepit eam frater ejus Rodbertus Comes et milites qui erant in munitionibus, scilicet Gloucestra et Milo in *Hereford*, et *Brien* filius Comitis in *Walingaford* cum adjacentibus populis, ejus operæ obsecuti sunt; emersitque per eam in Anglia perturbatio valdè gravis, et infirmatum est firmamentum regni Stephani Regis....

D Anno MCXLII * post mortem Turstini Archiepiscopi, Clerici Eboracenses secundùm desideria cordis sui variâ et vagâ sententiâ circumacti fuerant toto anno super electione facienda. Elegerant autem, persuadente Legato Henrico Wintoniæ [Episcopo], nepotem Regis Stephani Henricum de *Coilli* * : qui quia præfuit Abbatiæ Cadomensi *, noluit dominus Apostolicus eum præfici Archiepiscopatui, nisi renuntiaret priori honori. Mense Januario iterùm de electione tractantes, in personam Willielmi Thesaurarii plurimi consenserunt. Interfuit Willielmus [de Albamarla] Comes Eboracensis, sollicitus super promotione ejus....

* An. 1139.

* *Al.* Mathildis.

* *Corr.* MCXLI.

* *Lege*, de *Sulli*.

* *Immò*, Fiscannensi.

(*a*) Utriusque stirpis Anglicæ et Scoticæ necessitudinem adstruit quoque Ethelredus Rievallensis Abbas in genealogia Regum Anglorum, apud eumdem *Twysden*, col. 368. « David Regis soror » Matildis, *inquit*, gloriosissimo Regi Anglorum » nupsit Henrico.... Soror hujus beatissimæ, Maria nomine, Eustacio Boloniensi Comiti traditur in uxorem. De hac igitur excellentissima et christianissima Regina nata est Matildis, quæ primùm Imperatori Romano, deinde nobilissimo Andegavensium Comiti nupsit Gaufrido. De Maria verò orta est Matildis, quæ nuptui traditur tunc Comiti Mauritaniæ *, nunc verò Regi Anglorum Stephano. Porrò Rex David, tradente Rege Henrico, uxorem duxit Matildam filiam Wallevi Comitis et Judithæ, quæ fuit neptis primi Regis Willielmi, de qua suscepit Henricum, virum mansuetum et pium, hominem suavis spiritûs et lactei cordis, et dignum per omnia qui de tali patre nasceretur.... Hæ sunt autem quæ adhuc supersunt de hac sancta generatione reliquiæ : de Imperatrice Matildi tu, vir splendissime, (*Henricum alloquitur*) quem nunc Normannorum et Aquitanorum Ducem, Andegavensium Comitem, Angliæ verò gaudemus hæredem; fratres etiam tui, Gaufridus et Willielmus, de quibus bona speramus, quibus etiam bona optamus. De Regina Mathildi et pio Rege Stephano Willielmus Guarenniæ et Boloniæ Comes. De Henrico Malcolmus, Willielmus et aviti nominis hæres David : quorum infantiæ misereatur Deus, miserearis et tu, quem totius generis tui caput nobilissimum pietas divina constituit. Sit tuus super eos pius aspectus, dulcis affectus, et in quibuscumque tui indiguerint operis effectus. Tibi enim ab avo suo, qui te præ cunctis dilexit hominibus, derelicti sunt orphani, pupillis tu eris adjutor, cui est et ætas robustior, et manus validior, et sensus exercitatior ».

* *Corr.* Moritonii.

(*b*) Alanus is tertius nomine, Stephani de *Penthievre* erat filius.

Digitized by Google

An. 1141. * *Corr.* mense Februario.

Eodem mense Januario * in Lincolnia Ranulfus Comes Cestriæ, cum suis A conjuratione factâ, obfirmavit animum suum in persecutionem Regis et regni... Innotuit Regi Stephano citiùs conspiratio hæc, qui festinus improvisus affuit, et Comitem obsedit. Egressus est Comes nocte de turre in qua inclusus fuit; et profectus ad Robertum Comitem Glaocestriæ, cujus filiam habuit uxorem, eum et familiam Imperatricis sibi contraxit in auxilium et Walanos pariter. Persuaserunt Regi seniores viri congregare exercitum, sese inermes ad Regis colloquium occurrisse, non ad prælii procinctum profitentes. Aspernabatur Rex, clamans eos pueros imbelles nihil hujusmodi ausuros in eum; delinitus enim erat juvenum Comitum favoribus, Regi verbo faventium, vires adversariorum consilio et auxilio foventium. Igitur in die Purificationis sanctæ Mariæ, accesserunt Rodbertus Comes Glaocestriæ, Ranulfus Comes Cestriæ, Willielmus de *Romar* frater ejus, in manu valida, fuitque Rodbertus dux et dispositor prælii. B Rex quoque produxit suos socios in pugnam. Alanus Comes de *Richemund* cum suis, conflictu nondùm inito, Regi et prælio renunciavit. Willielmus [de Albamarla] Comes Eboraci a pugna elapsus, Regem periculo exposuit. Adversarii idcircò sumptâ fidenter audaciâ, resistentes trucidaverunt. Capti sunt autem Bernardus de *Baillol*, Rogerus de *Mulbrai*, Ricardus de Curceio, Willielmus *Fossart*, Willielmus *Peverel*, Willielmus *Clerfeith*, et multi alii, multi cæsi, dispersi tandem universi, etiam et *Waleran* Comes de *Mellant*. Stetit autem Rex in acie quasi leo fortiorum fortissimus, ad nullius perterritus occursum, dissecuitque omnes ad congressum sese opponentes, donec comminueretur gladius in manibus ejus. Posuit verò in manu ejus securem Danicam quidam civis Lincolniæ, nec facilè dictu est quanto spiritu fortitudinis ipse imminuit adversariis, viditque tandem, omnibus suis copiis penè dispersis, se solum residuum fore; nemo tamen C ut comprehenderetur præsumpsit manus injicere in eum. Ranulfum Comitem aliquid intentare volentem in eum, ipse securi in capite impetiit, genibusque in terra sese excipientem, non plus sapere debere, quàm oportuit sapere, docuit. Ad arbitrium itaque ejus vocatus est Rodbertus Comes consanguineus ipsius, cui filio Regis Henrici ipse Rex sui corporis deditionem facere adquievit. Ductus est igitur ad *Bristou*, ibique sub custodia positus est. Willielmus de *Clerfeith* prudenter elapsus de manibus Comitis Ranulfi, in *Thicchehill* castrum suum se recepit, frequentique procinctu proturbavit Comitem ipsum et socios ejus. Gilbertum de *Gant* tunc adolescentulum captum cum Rege, compulit idem Comes ducere neptem suam uxorem. Alanum Comitem de *Richemunt* evocatum ad colloquium suum Ranulfus Comes apprehendit, et castrum de *Galdint* et thesaurum in eo repertum sibi reconsignare coegit multâ famis afflictione, D et alia egit in eum molesta. Castrum de *Nottingaham* Imperatrix Adela exegit a Willielmo *Peverel*, et imposuit custodem in eo Willielmum *Pamel* cum militibus suis. Alios potentes viros captos cum Rege, absolvit sub pecuniariæ redemptionis sponsione, tradiditque se plurima regni portio, acquiescentibus Henrico Legato et Theobaldo Archiepiscopo, dominio ejusdem Imperatricis, pariter et Londonia et Wintonia civitas....

Videns itaque David Rex Scotiæ multa competere in Imperatricis neptis suæ promotionem, post Ascensionem Domini * ad eam in Suth-Angliam profectus est.... Venit itaque Rex ad neptem suam, plurimosque ex Principibus sibi acquiescentes habuit ut ipsa promoveretur ad totius regni fastigium. Illa verò nequaquam secuta consilium Regis, fœmineâ levitate erecta in quoddam regii animi fastidium, contumacibus comminationibus Principes contristavit : in Re- E gem quoque Stephanum truculenta se acturam professa est. Idcircò Henricus Legatus Wintoniensis Episcopus, frater Regis Stephani, aversus est ab ea, plurimique in inimicitias adversùs eam concitati sunt. Londonienses etiam eam ex urbe ejecerunt, plurimusque in regno tumultus exortus est, dissidentibus adversùs se alterutrum, his qui cum Imperatrice perseveraverunt et qui ei renunciaverant. Rexit autem familiam Regis Stephani Willielmus d'*Ipre*, homo Flandrensis, et Pharamus nepos Reginæ Matildis, et iste Bononiensis. Regina omnibus supplicavit, omnes pro ereptione mariti sui precibus, promissis et obsequiis sollicitavit; et Deus superbæ restitit, humili verò dedit gratiam. Etenim Imperatrix, collectis viribus suis, cum Rege Scotiæ et Rodberto Comite ascendit in Wintoniam, audiens milites suos inclusos in regia munitione

* An. 1141.

Digitized by Google

A tione expugnari a militibus Legati, qui erant in mœnibus illius. Quam receptam in civitate Regina adveniens cum suis obsedit, adjunxitque se ei in hoc opus Henricus Legatus et Londonienses, et de die in diem conveniens Principum regni multitudo, cum quibus et Ranulfus Comes Cestriæ, adversùs quem concitatum est murmur in exercitu timentium dolum : idcircò aufugit ad obsessos. Cùmque obsidio in dies protraheretur, fame afflicta est multitudo. Emissi sunt autem ducenti milites cum Rodberto filio Edæ et Henrici Regis notho, et Johanne Marascaldo, ut conducerent in urbem eos qui comportabant victualia in ministerium Imperatricis, et eorum qui obsessi erant : quos persecuti Willielmus d'*Ipre* et pars exercitûs usque ad Warewella, ubi est congregatio Sanctimonialium, et milites et omnem apparatum, qui erat copiosus, abduxerunt. Nota facta sunt hæc his qui in urbe erant : qui jam non
B in concertatione, sed in fuga spem salutis gerentes, egressi sunt, ne fortè victores cum Willielmo d'*Ipre* ad socios regressi, sumptâ fiduciâ ex cotidianis successibus, aliquid subitum in eos excogitarent. Et Imperatrix quidem non sine magno conflictu et plurima difficultate erepta est. Emeruit in propugnatione ejus Galfridus (*a*) *Boterel*, frater Alani Comitis de *Richemunt*, celebrem laudem, extremos sociorum recolligens, et incursus hostium magnanimiter excipiens et potenter relidens. Rex verò Scotiæ, amissis penè universis sociis, imminens periculum evasit, et in regnum suum festinanter se recepit... Rodbertus Comes in angustiis cujusdam pontis interceptus et retentus est, et non multò post, id est, circa festum sancti Martini, habito ad alterutrum deliberativo consensu, Rex Stephanus regno restitutus est, et Rodbertus Comes liber dimissus est suis....

C Anno MCXLIII * .... post Pascha, Rex Stephanus, prosequente eum Reginâ suâ Mathilde, venit Eboracum, militaresque nundinas a Willielmo [de Albamarla] Comite Eboraci et Alano Comite de *Richemunt* adversùs alterutrum conductas solvit; habuitque in votis pristinas suas injurias ultum ire, et regnum ad antiquam dignitatem et integritatem reformare : præventus verò infirmitate copias militum, quas contraxerat, remisit ad propria. His diebus Rodbertus de *Brus* obiit.... * *Corr.* MCXLII.

Anno MCXLIV * .... Comes Eboracensis Willielmus [de Albamarla] inimicitiis afflictus Ranulfi Comitis Cestriæ et Gilberti de *Gant*, Monasterium S. * *Corr.* MCXLIII.
Mariæ de *Brellintun* castrum sibi fecit. Alanus etiam Comes de *Richemunt* apud *Ripun* armatus cum armatis irrumpens in Ecclesiam, Willielmum Archiepiscopum [Eboracensem] secùs corpus B. Wilfridi irreverenter dehonestavit....

D Hoc anno * obiit Papa Innocentius. Substitutus est pro eo Cœlestinus vir grandævus, supra vires quædam animo concipiens adversùs Rogerum Regem Siciliæ, propter eamdem Siciliam quæ juri Apostolici competebat. Fuerat autem alumnus Andegavensium, eorumque manus corroborare in depressionem Regis Stephani proposuerat : qui et hac de causa in inimicitias Henrici Episcopi Wintoniensis concitabatur. Obiit Milo Comes Herfordiæ (*b*) in vigilia * An. 1143.

(*a*) Galfridus Boterellus II, Lamballæ et Penthiveris Comes, qui an. 1148 e vivis excessit.

(*b*) Milonis istius, cujus operâ Mathildis Andegav. Comitissa ad obtinendum Angliæ regnum egregiè fuit adjutâ, genus suppeditat Monasticon Anglic. T. I. p. 556. sequenti genealogia : « *Dru* » de *Baladun* habuit tres filios, scilicet Hamelinum, Wyonecum et Winebaldum, et tres filias, scilicet Emmam, Luciam et Beatriciam. » Prædictus Hamelinus cum fratribus suis venit cum » Willielmo qui dicebatur *Bastard*, quando cepit » Angliam. Iste Hamelinus frater Luciæ Comitissæ » de Insula, post conquestum Normannorum fuit » primus dominus superioris Venciæ, et constuxit castrum in antiquo loco apud *Bergenie*;... » et vixit prædictus Hamelinus toto tempore » Regis qui dicebatur *Bastard*, et obiit tertio Nonas Martii tempore Willielmi Regis qui dicebatur *Rufus*, et jacet humatus in Prioratu de » Abergenis, quia fundavit prædictum Prioratum. » Qui non habens hæredes de corpore suo procreatos, dedit prædictum castrum et terram » superioris Venciæ Brientio filio Comitis de Insula nepoti suo, de sorore sua scilicet Lucia.

» Iste Brientius de Insula tenuit castrum de » *Abergeveni* et terram superioris Venciæ per totum tempus Willielmi scilicet Rufi, et genuit » duos filios, quos leprâ percussos posuit in Prioratu de *Bergaveni*.... Et tandem Brientius denominatus cepit crucem, adivit terram Hierusalem, relinquens terram superioris Venciæ » Waltero Constabulario totius Angliæ consanguineo suo, qui per multa tempora tenuit prædictam terram.

» Iste Walterus, Constabularius totius Angliæ » tempore primi Henrici Regis, habuit in custodia sua castrum Gloverniæ et Herfordiæ.... Hic » idem Walterus habuit quemdam filium Milonem nomine, quem idem Rex Henricus instituit Comitem de *Hereford*, et in augmentum dedit el forestam de *Dene*. Qui Comes Milo duxit » in uxorem Sibyllam legitimam hæredem totius » terræ Breconiæ, filiam scilicet Bernardi et » Agnetis de Novo-mercato : de qua genuit quinque filios, scilicet Rogerum Comitem, Henricum, Walterum, *Maiel* et Willielmum; et » tres filias, scilicet Margaretam, Bertam et Luciam.

Digitized by Google

Natalis Domini, venatui insistens et sagittâ transfixus. Obiit et Adam de *Brus.* A

* *Corr.* MCXLIV. Anno MCXLV * Henricus Episcopus Wintoniensis Romam profecturus apud Cluniacum moratus est. Interim Cœlestinus Papa obiit, cui Lucius successit, non adeò austerum spiritum animi gerens. In conspectu ejus prædictus Henricus Episcopus gratiam reperit, et eorum quos Imperatrix adversùs eum direxit illuc, allegationes accusationum infirmavit; Legati tamen nomen et officium non obtinuit.... Stephanus Rex Imperatricem in *Oxeneford* obsedit, ipsius deditionem potiùs quàm oppidi appetens. Ipsa verò in nivibus niveis involuta linteis, beneficio noctis adjuta effugit, et in Walingaforda salvata est.

* *Corr.* MCXLV. Anno MCXLVI * .... obiit itaque Lucius Papa, rexitque Apostolicam Sedem Eugenius, Abbas observationis Cisterciensis, priùs vocatus Bernardus.... Præminuit his diebus in Clero Romano Rodbertus Pullanus, Cancellarius Apostolicæ Sedis, in omni sapientia et doctrina experientissimus, Britanniâ oriundus, ab ineunte ætate philosophiæ deditus, ejusque obtentu episcopalem honorem ab Henrico Rege oblatum respuens, victum et vestitum habens his contentus fuit. B

* *Corr.* MCXLVII. Anno MCXLVIII *, Ludovicus Rex Franciæ, zelo christianæ fidei Paganam multitudinem expugnaturus, Jerosolymam profectus est, peregrè proficiscente cum eo Reginâ suâ Alienorâ, filiâ Willielmi Ducis Aquitaniæ. Profecta est cum eo penè infinitas quædam ex universitate regnorum et provinciarum christiani cultûs, pari proposito ducta. Periit in hac profectione Willielmus de *Waren* Comes a Paganis interceptus, qui custodiam posteram christiani exercitûs observabat. Perierunt et nobiles Principes de transmarinis partibus, et multitudo plurima cum eo. Promeruit celebrem gloriam Rogerus de *Mulbrai*, singulari certamine de quodam Pagano tyranno triumphans. Eugenius Papa in C

* An. 1148. Galliis Concilio [Remensi] * præsidens, Willielmum Eboracensem generali edicto ab Archiepiscopatûs Eboracensis officio et beneficio amovendum censuit.... Obiit Rodbertus Comes Glawworniæ, filius nothus Henrici Regis....

* *Corr.* MCXLIX. Anno MCL * Henricus filius Galfridi Comitis Andegavensis et Adelæ [Mathildis] Imperatricis, ad Pentecosten venit *Karleol.* Excepit eum Rex David cum reverentia magna et sumptuosa præparatione opulentæ munificentiæ : militiæ enim cingulo donavit eum, cooperantibus sibi Henrico filio suo et Ranulfo Comite Cestriæ.... His diebus Rex Stephanus venit Eboracum, munitiunculamque *Coldric* in manus civium diruendam tradidit,... et Rex David, et tyro Henricus Dux Normanniæ, et Ranulfus Comes Cestriæ in unam sententiam convenerunt, junctis viribus in Regem Stephanum pergere. Processitque Rex David cum copiis suis ad Lanacastra, et Henricus prædictus cum eo; ibi enim Ranulfus D Comes promisit cum collectis agminibus suis occurrere illis : qui nihil eorum quæ condixerat prosecutus, avertit propositum eorum. Idcircò Henricus Dux in patriam suam reversus, in militaribus se exercuit disciplinis, viribus corporis prævalidus, moribus quiddam senile præferens. Fuitque inter eum et Eustachium filium Regis Stephani æmulatio alternæ probitatis; erant enim ambientes ad ejusdem regni honorem : quem Eustachium pater suus Rex ad mi-

» Supradictus autem Walterus, vivente filio » suo Milone, dedit Henrico prædicto filio Mi- » lonis castrum de *Abergavenni* cum tota terra » superioris Venciæ. Qui scilicet Henricus tenuit » prædictam terram toto tempore avi sui Walteri » Constabularii et Milonis patris sui, ac Rogeri » Comitis fratris sui. Prædictus verò Rogerus » Comes sine hærede de corpore suo obiit, et » prædictus Henricus dominus de *Abergavenni* in » terras et tenementa prædicti Rogeri ut pro- » pinquior hæres successit..... Fratres verò præ- » dicti Henrici, scilicet Walterus et *Maiel* et » Willielmus sine hærede de corporibus eorum » in brevi decesserunt, et sorores prædictæ, sci- » licet Margareta, Berta et Lucia, in hæredita- » tem prædictorum successerunt. Margareta verò » nupta fuit Humfredo de *Boun* cum Comitatu » Herefordiæ. Berta verò nupta fuit Philippo de » Brusa domino de *Duelth*, cum tota terra Breco- » niæ, Venciæ superioris et *Gower*. Lucia verò » nupta fuit Herberto filio Hereberti cum fo- » resta de *Dene* et aliis terris in Anglia. Prædictus » Herbertus pro delictis suis Henrico secundo An- » gliæ Regi concessit, qui totam forestam de *Dene* » eidem concessit et quietam clamavit.

» Supradictus verò Philippus de Brusa tenuit » totam terram Breconiæ, superioris Venciæ et » *Gower* totâ vitâ suâ, et genuit quemdam filium » nomine Willielmum, qui per mortem patris » sui successit in hæreditatem. Qui verò Willielmus duxit in uxorem Mathildam de Sancto » Walerico, de qua genuit tres filios, Willelmum dictum *Gain*, Ægidium Herefordensem » Episcopum et Reginaldum, et integrè tenuit » supradictas terras toto tempore Henrici Regis » secundi, et toto tempore Ricardi Regis, et » toto tempore Regis Johannis, sine calumnia. » Postea verò Johannes Rex impetu animi sui, » sine judicio, prædictum Willielmum ab Anglia » ejecit, et terras suas et castra prædicti Willielmi » ad voluntatem suam cepit, VI Kal. Maii anno » Domini MCCVIII, et Mathildem uxorem dicti » Willielmi unà cum Willielmo filio suo primo- » genito in carcere duro apud castrum de *Corf* de- » tinuit, et ibidem in carcere moriebantur, etc. »

(*Consulenda item pag.* 319 *ejusdem Tomi.*)

Digitized by Google

A litiæ fasces celebriter extulit, adjutus favore et munificentiis Henrici Episcopi Wintoniensis, fratris sui... Rex etiam Franciæ Lodovicus a Jerosolymitana profectione in sedem regni reversus est.

Anno MCLI *.... circa hæc tempora (*a*) Ranulfus Comes Cestriæ quiddam priscarum insidiarum renovare velle in Regem Stephanum deprehensus, arctissimæ custodiæ est traditus : qui et expositus plurimo tormento et afflictioni, Lincolniam et alias munitiones suas Regi restituit. Post multos autem dies, dato pro se obside Gileberto de Clara Comite nepote suo, a vinculis ipse solutus omnia quæ promiserat irrita fecit, obsidemque periculo exposuit. Qui et anxius super ablatis sibi munitionibus, id suum adinvenit remedium, de Normannia revocare Henricum Ducem in Angliam, cui etiam ad obtinendum regnum pollicitus est suam operam et multorum consensum. Applicuit igitur B in Angliam Dux Normanniæ Henricus... Contulit se ad eum Rodbertus Comes de Legacestria, et sanioris consilii quidam Proceres regni, videntes in eo sapientiam Dei ad faciendum judicium. Qui verò volebant sibi posse licere quæ temerè libebant, ab eo declinabant.... * *Corr.* MCL.

Anno MCLII *.... Galfridus Comes Andegavensis, Princeps potens et prudens valdè in disponenda republica sua, obiit, filium suum Henricum Ducem Normanniæ hæredem suæ virtutis et honoris dimittens, cui in augmentum divitiarum additus est Ducatus Aquitaniæ. Causâ enim consanguinitatis facto divortio inter Lodowicum Regem Franciæ et Alienoram Reginam suam, iste Henricus accepit eam uxorem cum Ducatu supradicto. Erat enim ipsa hæres unica Willielmi Ducis patris sui. * *Corr.* MCLI.

Anno MCLIII *,... Matildis Regina Angliæ, uxor Stephani Regis obiit (*b*), C sepultaque est in villa regia *Fefresham*, in qua Conventum Monachorum et mansionem eorum ipsa disposuerat... Decessit et Theobaldus Comes Palatinus, nepos Henrici Regis et frater Stephani Regis, multorum Cœnobiorum constructor, munificus in peregrinos et pauperes, Princeps pacis et justitiarum, utilissimus in moderanda Republica totius regni Franciæ.... * *Corr.* MCLII.

Anno MCLIV *,... obiit Eustachius filius Regis Stephani, et Henricus Episcopus Wintoniæ instantiùs promotionem Henrici Ducis excoluit. Quo mediante, frater ejus Stephanus Rex et Henricus Dux, datis acceptisque sacramentis ab invicem, convenerunt in fœdus sub vinculo pacis, confirmatumque est inter eos quòd Henricus Dux negotia regni disponeret, hæresque regni post Regem Stephanum haberetur, idemque Henrico Episcopo Wintoniæ ut patri acquiesceret de causis agendis in regno, qui et Willielmo filio Regis Stephani cum D Comitatu de *Waren*, conservatis ei quæ ex hæreditario jure ei competebant, scilicet Comitatus duos in Anglia, principatum super negotia regni ei contraderet. Consenserunt in hoc omnes Principes regni, humiliatique sunt sub manu Regis Stephani qui adversati sunt ei. Continuò exiit edictum ab eis per omnes provincias violentias comprimi, direptiones interdici, milites conductitios et sagittarios exterarum nationum a regno ejici, munitionesque, quas quisque in sua possessione post mortem Henrici Regis construxerat, dirui. Justitia ergo et pax ubique in regno revocata est. Obiit Simon Silvanectensis Comes Northamtoniæ, et Ranulfus Comes Cestriæ. Obiit Eugenius Papa : successit ei Anastasius vir grandævus. Bernardus quoque Abbas Claræ-vallis, quem unctio Spiritûs docuit de omnibus, defunctus est.... * *Corr.* MCLIII.

(*a*) Hæc ad annum 1146 retrahit Henricus Huntind. (*b*) *Die Inventionis S. Crucis*, ex Matthæo Paris.

Digitized by Google

A

EX GUILLELMI NEUBRIGENSIS

DE REBUS ANGLICIS LIBRIS V,

Editis a Joanne Picardo (a) *Canonico Victorino, Paris.* 1610. *in*-8°.

EX LIBRO PRIMO.

Cap. 1. ANNO a plenitudine temporis, quo Verbum caro factum est et habitavit in nobis, MLXVI, Guillelmus cognomento Nothus, Dux Normannorum, B Haraldo Regi Anglorum, vel dominandi libidine, vel causâ ulciscendi injurias, bellum intulit. Quo Haraldo bellicâ sorte absumpto, Anglisque expugnatis atque subactis, Ducatui Normanniæ regnum Angliæ sociavit. Cùmque peractâ victoriâ, tyranni nomen exhorrescens et legitimi Principis personam induere gestiens, a Stigando tunc temporis Cantuariensi Archiepiscopo in Regem solemniter consecrari deposceret; ille viro (ut aiebat) cruento et alieni juris invasori manus imponere nullatenùs adquievit. Aldredus verò Eboracensis Archiepiscopus, vir bonus et prudens, hoc munus implevit, acutiùs intelligens cedendum esse tempori, et divinæ nequaquam resistendum ordinationi. Denique hoc modo hominem ferocissimum, spirantem adhuc minarum et cædis in populum, mitem reddidit, et religiosis pro conservanda republica, tuendaque ecclesiastica disciplina, sacramentis astrinxit. A quo postea loco C patris ita colebatur, ut cùm ille cæteris imperaret, ab eo sibi imperari æquanimiter sineret. Contigit aliquando eumdem Pontificem in quadam petitione a Rege repulsam passum, iratum avertere scapulam, recedentemque maledictionem pro benedictione comminari : cujus motus ille non sustinens ad pedes ejus procidit, veniam petiit, satisfactionem spopondit. Cùmque Optimates qui aderant, suaderent ut Regem prostratum erigeret : « Sinite, inquit, illum » jacere ad pedes Petri ». Planè in hoc et quanta fuerit ferocissimi Principis erga Præsulem reverentia, et quanta ejusdem Præsulis circa Principem auctoritas atque fiducia, satis declaratum est. Porrò idem Rex a Stigando Cantuariensi, ut dictum est, irritatus, cùm vitium ordinationis ejus et vitæ dedecora postea cognovisset, honestam de ipso voluit habere ultionem. Accersitus enim regiis litteris ad disponendam Ecclesiam Anglicanam, Concilium in Anglia Apostolicæ sedis Legatus celebravit (*b*), in quo Stigandi sceleribus patefactis, infructuosam arborem securi canonicæ animadversionis succidit. Locum verò succisæ suscepit Lanfrancus ex Monacho Beccensi Abbas Cadomensis, natione Longo-
An. 1070. bardus, vir præter religiosæ vitæ meritum in utraque litteratura, seculari scilicet et divina, clarissimus. Aldredo quoque Eboracensi ad patres suos apposito Thomas successit. Guillelmus autem postquam regnum fortiter adquisitum per annos XXI nobiliter tenuit, cùm jam sub extrema sorte decumberet, tres filios designavit hæredes. Et quidem Robertum primogenitum suum, quia paternæ pietati inofficiosus et rebellis extiterat, Ducatu Normanniæ contentum

(*a*) Guillelmus *Lille*, hoc est Parvus, Bridlingtoniæ in provincia Eboracensi natus an. 1135, Novoburgensis seu Neubrigensis, rectiùsque Neuburgensis Monasterii prope silvam Cuculinam Canonicus Regularis effectus est, obiitque an. 1208. Scripsit verò de rebus Anglicis sui temporis libros V, ab an. 1066 ad an. 1197, quos Edmundo Rievallensi Abbati nuncupavit. Eam historiam post Joannem Picardum novis curis edidit Thomas *Hearne*, sed diu quæsitam comparare nobis fas non fuit.

(*b*) Wintoniæ anno 1070 in Octavis Paschæ celebratum est hoc Concilium, quod Windsoriensi in festo Pentecostes ejusdem anni habito perperam confundit Ordericus Vitalis, l. IV. p. 516. his verbis : *Guillelmus Rex Dominicam Resurrectionem in urbe Guenta celebravit, ubi Cardinales Ecclesiæ Romanæ coronam ei solemniter imposuerunt. Nam ex petitione ipsius Alexander Papa tres idoneos ei ut clarissimo filio legaverat vicarios, Ermenfredum Pontificem Sedunorum et duos Canonicos Cardinales, quos apud se annuo fermè spatio retinuit, audiens et honorans eos tanquam Angelos Dei. In diversis locis, in plurimis negotiis sic egere, sicut indigas canonicæ examinationis et ordinationis regiones illas dinovere. Maxima verò et utillima Synodus Windresoris celebrata est anno* MLXX *ab Incarn. Dom. Rex et Cardinales eidem Concilio præsederunt, et illic Stigandum pridem reprobatum anathemate deposuerunt. Perjuriis enim et homicidiis inquinatus erat, nec per ostium in Archipræsulatum introierat... Suffraganei quoque aliquot dejecti sunt indigni Pontificatu.... Constituti sunt autem nominandi Præsules Normanni.* Porrò in Wintoniensi quidem Concilio dejecti sunt Stigandus aliique Præsules, in Windsoriensi autem novi in sedes eorum suffecti, ut demonstrat Pagius ad an. 1070 n. 1.

Digitized by Google

esse voluit : sui verò nominis filio, in quo sibi meliùs complacebat, regnum Angliæ assignavit. Porrò juniorem Henricum, cujus indolem propensiùs laudabat, multâ summâ donatum benè acturum prædixit. Dormivit ergo cum patribus suis, homo ab annis adolescentiæ armis acer, animo ingens, successu felix, singulare nothorum decus; sepultusque est Cadomi in Monasterio Proto-martyris Stephani, quod ipse a fundamentis extruxerat, egregièque ditaverat. In ejus verò sepultura quiddam memorabile contigisse fideli narratione cognovi. Cùm enim expletâ exequiarum solemnitate, corpus ejus in loco ad hoc præparato esset condendum; quidam accedens, omnipotentis Dei præcento terribiliter nomine, eum ibidem sepeliri prohibuit : « Terra, inquiens, ista » avito mihi jure competit : quam idem Rex, dum Monasterium construeret, » violenter mihi abstulit, nec unquam postea mihi satisfecit ». Obstupuere omnes qui aderant, judicio Dei ad declarandam transitoriæ dominationis vanitatem actum considerantes, ut Princeps potentissimus qui tam latè dominatus fuerat vivus, locum corporis sui capacem sine querela non haberet mortuus. Denique querela illa adeò movit omnes, ut priùs illi cani vivo, tanquam meliori, ad votum satisfacerent; ac deinde circa leonem mortuum justa complerent. Sanè quòd idem Christianos innoxios hostiliter Christianus impetiit, et tanto sibi sanguine Christiano regnum paravit, quantæ apud homines gloriæ, tantæ etiam apud Deum noxæ fuit....

Anno MLXXXVII, Robertus primogenitus in Ducatu Normanniæ, et Guillelmus qui agnominatus est Rufus, in regno Angliæ patri defuncto successere, ordine quidem præpostero, scilicet per ultimam patris, ut dictum est, voluntatem commutato. Unde factum est, ut quibusdam Optimatum Roberto propensiorem tanquam justo hæredi et perperam exhæredato favorem præstantibus, statumque regni turbantibus, Guillelmus in principio infirmiùs laboriosiùsque imperaret, et ad conciliandos sibi animos subditorum modestior mitiorque appareret. At postquam perdomitis hostibus, et fratre molliùs agente, roboratum est regnum ejus, exaltatum est illicò cor ejus, apparuitque succedentibus prosperis qualis latuisset, dum premeretur adversis : homo vecors et inconstans in omnibus viis suis, Deo indevotus, Ecclesiæ gravis, nuptiarum spernens et passim lasciviens, opes regni vanissimâ effusione exhauriens, et eisdem deficientibus subditorum fortunas in hoc ipsum corradens; homo turgidus typho immanissimæ superbiæ, et usque ad nauseam vel etiam derisionem doctrinæ evangelicæ, temporalis gloriæ fœdissimâ voluptate absorptus. Frater verò ejus senior Robertus, cui nimirùm ordine naturali regni successio competebat, minùs quidem elati et ferocis animi fuit; sed in minori administratione, scilicet Ducatûs Normannici, claruit quòd regno amplissimo administrando nunquam idoneus fuerit. Qui tamen armis tantus fuit, ut in illa magna et famosa expeditione Jerosolymitana inter fortissimos totius orbis Proceres clarissimæ militiæ titulis fulserit. Porrò Henricus frater junior laudabilem præferens indolem duris et infidis * fratribus militabat. De suo quippè nihil ei largientes, ea etiam quæ pater illi testamento reliquerat, abstulerunt. Cùmque fratri minimo paulatim ad provectum tendenti inviderent, eorum ille insidias in tuto se continens prudenter eludebat.

Cap. 2.

* *Al.* invidis.

Circa hoc tempus Lanfranco Cantuariensi Episcopo viam universæ carnis ingresso, Anselmus Abbas Beccensis successit *, natione et ipse Longobardus, Lanfranci olim discipulus, vir sanctus et excelsus in verbo gloriæ.... Sanè sub memorati Regis principatu, suscitavit dominus spiritus Christianorum contra Sarracenos, occulto Dei judicio, longo jam tempore tanquam jure hæreditario possidentes sanctuarium Dei, id est, loca sacra, in quibus redemptio nostra celebrata est. Factus est ergo * per Urbani Pontificis Romani et aliorum servorum Dei religiosam operam, magnus populi Christiani concursus. Fortissimi duces charactere Domini insigniti, et numerosissimâ stipati militiâ, expeditione laboriosissimâ Orientis regna penetrantes, Niceam Bithyniæ, Antiochiam Syriæ, urbes amplissimas, et ad ultimum sanctam civitatem (*a*), pio et felici sudore ceperunt, e quibus fuit Robertus Dux Normanniæ in primis clarus. Qui nimirùm cùm eidem expeditione necessaria præpararet, et pecunia illi minùs copiosa suppeteret, acceptâ a fratre Guillelmo summâ non modicâ, Normanniam illi apposuit, sicque cum reliquis Principibus Christianis laudabile

* An. 1093.

* An. 1096.

(*a*) Jerusalem cessit in Crucesignatorum potestatem anno 1099, Idibus Julii.

Digitized by Google

iter arripiens, cunctis prosperè gestis, post annos aliquot domum repedavit *. Rex autem Guillelmus prolongans iniquitatem sibi, et in exitium proprium contra stimulum calcitrans, venerabilem Anselmum cum modestia eum corripientem, et enormia quæ ab eo vel sub eo gerebantur, corrigere volentem non pertulit, sed spoliatum rebus ferè omnibus tanquam regno contrarium (*a*) ab Anglia expulit *. Verùm dum in Oriente a nostris Proceribus fortiter atque feliciter ageretur, idem Rex, propellentibus eum ad interitum malis suis, condignum effrenatæ superbiæ finem incurrit. Quippè in venatione, sagittâ proprii militis homo ferocissimus profera confossus interiit....

* An. 1100.

* An. 1097.

Cap. 3. Anno a plenitudine temporis quo misit Deus filium suum in mundum MC, Regi Guillelmo infeliciter mortuo frater suus Henricus successit, filiorum quidem Guillelmi Magni ordine nativitatis novissimus, sed prærogativâ primus; quippè aliis in Ducatu patris natis, solus ipse ex eodem jam Rege est ortus. Hâc ratione inducti, et præterea laudabili ejus indole illecti Pontifices et Proceres Angliæ, fratrem Robertum in Oriente adhuc constitutum, quem ex Ducatu non benè administrato constabat regno administrando minùs idoneum, exspectandum minimè censuerunt, eumque quem aptum esse regimini signis non fallacibus colligebant, in Regem solemniter sublimarunt. Qui mox salubri usus consilio, venerabilem Anselmum ab exsilio revocavit, pravas consuetudines quæ sub fratre inoleverant, abrogavit; pacis et æquitatis jura, quatenùs Regem adhuc novitium decuit, firmavit : multa enim adhuc pro tempore prudenter dissimulabat, ne rigore subito subditi terrerentur, cautè prævidens post reditum fratris motus scilicet publicos minimè defuturos, quod et contigit. Cùm enim ille ex Orientis partibus, cum uxore quam sibi in via desponderat, reversus (*b*) Normanniam recepisset; instigantibus eum quibusdam Angliæ Proceribus, quibus jam Henricus formidabilis esse cœperat, fratri bellum, nisi regnum sibi resignaret, indixit, armatam classem in Angliam duxit *, cui et mox adjuncti sunt qui a fratre desciverant. Sed prudentiâ fraternâ homo levis et inconstans delusus, infecto negotio, regnandi securitatem fratri cum regno reliquit, et in Normanniam rediit. Cùmque per annos aliquot Normanniæ incubans eam suâ mollitie perderet, et improbi nullo publicæ disciplinæ metu coerciti liberè grassarentur, invitatus a majoribus ejusdem provinciæ Rex Henricus, civili magis animo quàm hostili affuit; plurimâ ejus parte in deditionem receptâ, tandem fratrem, fusis ejus copiis apud *Tenerchebrai*, in bello cepit *. Sic itaque vir magnus et magnorum in remotis mundis partibus operum, fortunæ invidiâ proditus, in manus junioris fratris, quem olim irritaverat, incidit; et post tantam militiæ claritatem in fratris quidem, sed tamen minùs fraternâ custodiâ inglorius reliquum vitæ suæ tempus exegit. Henricus autem regno Angliæ socians Ducatum Normanniæ, sicut pater olim Ducatui Normanniæ regnum sociaverat Angliæ, nomen celebre et grande adeptus est juxta nomen magnorum qui sunt in terra. Porrò venerabilis Anselmus Cantuariensis ex Gallicano exsilio ad propriam sedem regressus, et post annos aliquot viam universæ carnis ingressus *, sortitus est nomen grande juxta nomen magnorum qui sunt in cœlo. Successit ei Radulphus Abbas Sagiensis, vir religiosus et prudens....

* An. 1101.

* An. 1106.

* An. 1109.

Idem autem Rex ex Matilde religiosa Regina geminam in sexu dispari susceperat sobolem. Et filiam quidem materni nominis jam nubilem Henrico Imperatori Romano petenti despondit, filium verò aviti nominis, qui successor sperabatur, jam puberem sinister casus abstulit, cum turba nobilium juvenum marinis belluis escam datum *. Et quoniam Matildis Regina jam obierat, procreandorum causâ hæredum Rex [Adelam] filiam [Godefridi] Ducis Lotharingiæ duxit uxorem, de qua liberos non suscepit. Unde filiam, postquam Imperator, non relictis ex ea hæredibus, in fata concesserat, ex Alemannia

* An. 1120.

(*a*) Vix ad sedem Cantuariensem an. 1093 evectus fuerat Anselmus, cum in Regis offensionem incidit, tribus potissimùm de causis quas fusiùs Eadmerus enarrat; 1°. quòd ab ipso Rex tantam pecuniæ vim, quantam sperabat, obtinere non posset; 2°. quòd se inconsultò Papam Urbanum pro legitimo Pontifice haberet. (Id enim patris exemplo nefas arbitrabatur, ut quispiam in regno suo ullum, tempore schismatis, quem priùs ipse non probasset, Romanum Pontificem agnosceret); 3°. quòd de reformandis Anglicanæ Ecclesiæ gravaminibus aures ejus obtunderet. Verùm indignationi Regis cumulum adjecit Anselmus, petitâ Romam eundi licentiâ, quam ter negatam extorsit tandem.

(*b*) Paucis post captam Hyerosolymam diebus Palestinæ valedixit Robertus, atque annum integrum in Italia moratus, in Normanniam anno 1100 sub finem Augusti reversus est.

Digitized by Google

A revocatam illustri Comiti Andegavensi Gaufrido despondit, ut vel nepotes ex ea successuros haberet. Factoque Concilio *, eidem filiæ suæ et susceptis vel suscipiendis ex ea nepotibus, ab Episcopis, Comitibus, Baronibus et omnibus qui alicujus videbantur esse momenti, regnum Angliæ cum Ducatu Normanniæ fecit adjurari. Regnavit autem in multa felicitate et gloria annis xxxv, et mensibus aliquot, quibus expletis dormivit cum patribus suis : homo multis quæ decerent Principem bonis ornatus, quæ tamen plurimùm denigrabat in concupiscentia fœminarum imitando petulantiam Salomonis. Feras quoque propter venationis delicias plus justo diligens, in publicis animadversionibus cervicidas ab homicidis parùm discernebat. Corpus ejus, cerebro et intestinis ejectis, salitum coriisque insutum, a Normannia in Angliam delatum et apud (*a*) Radingum, in Monasterio cujus ipse devotus fundator largusque ditator exstiterat, B sepultum est. Porrò ille qui pretio magno conductus, cerebrum ejus extraxerat, intolerantiâ fœtoris (ut dicitur) infectus atque extinctus est. * An. 1127.

Anno a partu Virginis MCXXXV, defuncto, sed nondùm sepulto clarissimo Rege Anglorum et Duce Normannorum Henrico, Stephanus Comes Bononiensis ejus ex sorore nepos, regnum Anglorum invasit. Siquidem Stephanus major, Comes Blesensis, majoris Guillelmi filiam [Adelam] memorabilem fœminam uxorèm duxerat, et ex ea quatuor susceperat filios. Quo nimirùm in partibus Orientis defuncto, mater mirabilis primogenito [Guillelmo], quòd remissioris ingenii et tanquam degener videretur, prudenter amoto, Theobaldum filium in quo sibi benè complacebat, ad plenitudinem hæreditatis provexit; Stephanum adhuc impuberem Regi avunculo nutriendum promovendumque direxit; quartum verò Henricum, ne soli sæculo genuisse liberos C videretur, apud Cluniacum tonsoravit. Processu temporis Rex Henricus [Mathildem] unicam Comitis Bononiensis filiam, ad quam tota spectabat hæreditas, nepoti Stephano copulavit, in Anglia plurima eidem collargiens. Fratri autem ejus Henrico Cluniacensi Monacho dedit Abbatiam Glastoniensem, ac postmodùm Episcopatum adjecit Wintoniensem. Cùm ergo, ut prædictum est, Rex Henricus obiisset, idem Stephanus sacramenti, quod filiæ ejus de conservanda fidelitate præstiterat, prævaricator regnum arripuit, annitentibus Præsulibus atque Principibus eodem sacramento astrictis.... *Cap.* 4.

Duos quidem priores regni sui annos Rex Stephanus faustos habere visus est, Rege Scottorum David, qui Northumbriam trans fluvium Tinum irruperat, magnis viribus repulso et domito; Baldewino de Radueriis, qui contra eum rebellare cœperat, expugnato atque in exsilium acto; rebus quoque in D Normannia fortiter et feliciter gestis. Anno verò tertio et quarto cœperunt contra perjurum, et pactorum etiam quæ in promotione sua fecerat prævaricatorem mala increscere, plurimi et fortissimi rebellare : ipse jam, exhaustis avunculi thesauris, minùs posse et molliùs agere. Initia malorum hæc.... *Cap.* 5.

Paucis siquidem diebus elapsis, Mathildis (*b*) olim Imperatrix, filia Regis Henrici, in Angliam venit, et contemplatione juramenti olim de regno sibi præstiti, multorum Procerum corda commovit, cùm se jam plurimi proprio instinctu contra Regem Stephanum erigere minimè formidarent. Itaque divisum est regnum, quibusdam Stephano, quibusdam verò dictæ Imperatrici favorem opemque præstantibus.... Rebus in Anglia ita se habentibus, Andegavensis Comes Normanniam cum exercitu pervagatur, totamque in brevi, uxoris et filii nomine, in suam potestatem redegit, nemine se opponente, qui ejus valeret impetum sustinere. Cum E Rege quippè Francorum, qui Regi Stephano fœderatus videbatur, prudenter colluserat, ne quid ab eo impedimenti pateretur, quominùs prosperaretur in his quæ intendebat. *Cap.* 7.

Sexto regni anno, Rex Stephanus castrum Lincolniense obsedit, quod *Cap.* 8.

(*a*) Redingense Monasterium Henricus ædificandum curarat circa an. 1120, ut notat Joan. Picardus, accito e Cluniacensi claustro Hugone, quem præficeret Cœnobiarcham : « Ut verò, » *inquit*, Ducis personam gesserat in Normannia; » sic præcipuos vitæ suæ daces, cor et cere» brum, voluit in ea sepeliri ad Pratense Asce» terium. Quæ quidem corporis partitio dedit » Arnulfo Lexoviensi materiam hujus Epigram» matis haud illepidi.

Henrici, cujus celebrat vox publica nomen,
Hoc præparata jacent membra sepulta loco :
Quem neque viventem capiebat terra, nec unus
Defunctum potuit consepelire locus.
In tria partitus, sua jura quibusque resignat
Partibus, illustrans sic tria regna tribus :
Spiritui cœlum, cordi cerebroque dicata est
Neustria; quod dederat Anglia, corpus habet.

(*b*) Anno 1139, die 22 Septembris Imperatrix Mathildis in Angliam appulsa est.

Digitized by Google

Ranulphus Comes Cestrensis dolo intraverat et tenebat; protractaque est ob- A
* An. 1141. sidio a diebus Natalis Dominici usque ad Epiphaniam Domini. * Idem autem Comes, ut obsidionem solveret, Glocestrensem Comitem [Robertum], Regis Henrici filium nothum, suum verò socerum, aliosque fortissimos Proceres cum ingentibus copiis secum adducens, Regi, nî cederet, bellum denunciavit. Rex verò, eorum adventu præcognito, vires undecumque contraxerat; et turmis extra urbem dispositis ut reciperet venientes, prælium cum multa fiducia instruebat. Nam et ipse bellator erat robustissimus, et militum numero ampliore subnixus. Huc accedebat quòd hostilis exercitus, longo et hyemali itinere fatigatus, otio quo recrearetur, quàm prælio quo periclitaretur, magis idoneus videbatur. Qui tamen numero quidem et apparatu impar, sed solis armis præstans, eò quòd sibi tam longè progresso a propriis, nullum in hostium finibus videret esse locum effugii, constanter in bellum prorupit. Rex ipse cum sua B
turma, amotis equis, in pedes consistens, equitum turmas, ad dandos vel excipiendos primos belli ictus, in fronte disposuerat : quibus primo hostilis equitatûs impressu victis atque in fugam actis, totum pondus prælii in regiam turmam versum est. Ibi quidem acerrimè pugnatum est, Rege ipso in primis fortiter agente : quo tandem capto, et turmâ ejus profligatâ, victor exercitus urbem diripiendam ovans ingreditur; et captivus insignis dictæ Imperatrici transmissus, apud *Bristou* custodiæ mancipatur.

Cap. 9. Igitur regii casûs infelicitate compertâ, Imperatrix ad summum evehitur, ferè totius regni favoribus honoratur. Verùm stulta apparuit, postquam elevata est in sublime. Ita enim ex recenti felicitate successuum corde intumuit, et verbis intonuit, ut intolerabili fastu fœmineo Optimatum contra se pendulos adhuc animos inflammaret. Cives quoque Lundonienses, qui eam favorabiliter priùs sus- C
ceperant, expulerunt eam, superbiam ejus non ferentes. Unde indignata, Regem qui judicio Dei in manus ejus inciderat et adhuc indulgentiùs custodiebatur, compedibus oneravit, eo ipso divini severitatem judicii circa eum molliens, et ut postea claruit, libertatem ejus accelerans. Evolutis enim diebus paucis, cum avunculo suo [Davide] Rege Scottorum et fratre suo Roberto, turrim Wintoniensis Episcopi obsidens, fortunæ inconstantiam, et effrenatæ superbiæ merito prioris jacturam gloriæ experta est. Denique idem Episcopus Regis germanus, homo multæ in regno potentiæ, callidus et pecuniosus supra mo-
dum, Apostolicæ quoque Sedis Legatus in Anglia, ad solvendam obsidionem ex Cantia (quam solam casus non flexerat regius) Guillelmum Yprensem cum Regina, et ex aliis provinciis plurimos dominationis fœmineæ irritatos, accersivit. Cùmque jam immensas contraxisset copias, per dies aliquot uterque D
exercitus excubabat in castris, et præter eos qui ex castris egressi pro ostentatione virium exercebantur, vacare videbatur. Sed advenientes magnæ ex Lundoniis copiæ, ita eorum qui dictæ Imperatrici adversabantur, auxerunt exercitum, ut ipsa jam impar ad pugnam, civitate Wintoniâ relictâ et direptioni expositâ, evadere curaret per fugam. Captus est in fuga illa Robertus frater ejus, Comes Glocestrensis, cum aliis plurimis.... Sanè insignium captivorum commutatio facta est, et perseverantibus inimicitiis, uterque pro altero sibi et suis est redditus.

Cap. 10. Cùm ergo Rex et Imperatrix jugi discordiâ disceptarent, quandoque partes æquabantur, quandoque verò præstabat altera, fortunæ volubilitatem in brevi
* An. 1142. expertura : quod ex suppositis clarebit. Sequente autem anno *, Rex Stephanus apud Wiltonam munitionem construens, repentinâ hostium irruptione contritus, E
et plurimis suorum amissis, in fugam actus est.... Eodem anno, fortuna retrogradâ, Rex Imperatricem in Oxenefordia per menses aliquot obsidione conclusit. Illa verò diutinæ obsidionis impatiens, occasionem fugæ ex temporis qualitate nacta, noctis et nivis beneficio, in veste alba Tamesim fluvium crassâ glacie superstratum, transiit : et hoc modo evadens, in tutiora loca se recepit. Rex autem oppidum memoratum obtinuit, hoc successu priorum eventuum dedecus quantulumcumque detergens....

Cap. 11. Eodem tempore Rex Stephanus cepit Gaufridum de Magna-villa, in curia sua apud S. Albanum : non quidem honestè et secundùm jus, at pro merito ejus et metu; scilicet quod expediret, quàm quod deceret, plus attendens. Erat enim idem Gaufridus homo audacissimus, et magnarum virium et artium :

præclaram

Digitized by Google

A præclaram illam arcem Lundoniensem cum duabus aliis munitionibus non ignobilibus possidens, et subtili astutiâ ingentia moliens. Cùm ergo propter hæc ipsi esset Regi terribilis, acceptam ab eo injuriam Rex cautè dissimulabat, et tempus opportunum quo se ulcisceretur, observabat. Injuria verò quam Regi nequam ille intulerat, talis erat. Rex ante annos aliquot Episcopi Salisberiensis thesauros adeptus, summâ non modicâ Regi Francorum Ludovico transmissâ, sororem ejus Constantiam Eustachio filio suo desponderat * : intendens affinitate tanti Principis, contra Comitem Andegavensem ejusque filios, successurum sibi filium roborare. Erat hæc cum socru sua Regina Lundoniis. Cùmque Regina ad alium fortè vellet cum eadem nuru sua locum migrare, memoratus Gaufridus arci tunc præsidens, restitit : nuruque de manibus socrûs pro viribus obnitentis abstractâ atque retentâ, illam cum ignominia abire per-
B misit. Postea verò repòscenti, et justum metum pro tempore dissimulanti, Regi socero insignem prædam ægrè resignavit. Et videbatur hæc injuria oblivioni jam tradita, cùm ecce congregatis per edictum regium apud S. Albanum Proceribus, prædo ille inter cæteros affuit : quem Rex illicò, temporis opportunitatem nactus, justissimæ indignationis loris astrinxit, eique arcem Lundoniensem cum duobus reliquis quæ possidebat castellis, extorsit....

* An. 1140.

In transmarinis partibus, sicut a majoribus accepi, tres memorabiles viri uno tempore fuere, scilicet Robertus cognominatus de Arbusculo *, Bernardus et Vitalis. Hi non ignobiliter eruditi et spiritu ferventes, circuibant per castella et vicos, seminantesque secundùm Esaiam super omnes aquas, de conversione multorum fructus uberes colligebant : pio inter se placito constituto, quòd Robertus quidem fœminarum, communi labore ad meliora con-
C versarum, sollicitudinem gereret; Bernardus verò et Vitalis maribus propensiùs providerent. Robertus itaque famosissimum illud fœminarum Monasterium de Fonte-Ebraudi * construxit; Bernardus verò apud Tyrocinum *, et Vitalis * apud Saviniacum Monachis regulariter institutis, suos quisque ab aliis per quasdam præceptorum proprietates distinxit. Cùmque ex his tribus quasi radicibus, servorum atque ancillarum Dei per diversas provincias religiosa germina pullularent, quidam Saviniacenses Monachi Bellelandam nostram * condiderunt....

Cap. 15.

* *sive* de Arbrisellis.

* An. 1099.
* An. 1109.
* haud seriùs an. 1105.

* in Anglia.

Circa idem tempus Eugenius Papa Romanus ad sedis Apostolicæ regimen ex vitæ regularis districtione assumptus, ecclesiasticæ studio disciplinæ in Gallias veniens, generale Concilium instituit Remis *. In quo dùm sederet cum omni frequentia Episcoporum atque nobilium, oblatus est ei quidam vir pestifer, qui spiritu
D plenus diabolico præstigiali astutiâ tam multos seduxerat, ut fretus sequentium numero per diversa lòca formidabilis oberraret, Ecclesiis maximè Monasteriisque infestus. Diu itaque multùmque debacchatus, tandem a Remensi Archiepiscopo captus est, sapientiâ vincente malitiam, et sancto Concilio exhibitus. Eudo is dicebatur, natione Brito, agnomen habens de Stella, homo illiteratus et idiota, ludificatione dæmonum ita dementatus, ut quum sermone gallico (*Eun*) diceretur, ad suam personam pertinere crederet, quod in ecclesiasticis exorcismis dicitur, scilicet, *Per èum qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.* Ita planè fatuus, ut *Eun* et eum nesciret distinguere, sed supra modum stupendâ cæcitate crederet se esse dominatorem et judicem vivorum et mortuorum. Eratque per diabolicas præstigias tam potens ad capiendas simplicium animas, ut tanquam ex muscis aranearum opere irre-
E titis, seductam sibi multitudinem aggregaret, quæ tota illum tanquam dominum dominorum individuè sequeretur. Et interdùm quidem mirâ velocitate per diversas provincias ferebatur; interdùm verò morabatur cum suis omnibus in locis desertis et inviis, moxque instigante Diabolo, erumpebat improvisus Ecclesiarum ac Monasteriorum infestator. Accedebant ad eum plerumque noti ejus et propinqui (erat enim non infimi (*a*) generis) sive ut eum familiari ausu corriperent, sive ut, quomodo se circa eum res haberet, cautiùs explorarent. Videbatur autem esse circa eum ingens gloria, apparatus fastusque

Cap. 19.

* An. 1148.

(*a*) Continuator Sigeberti ad annos 1158 et 1169, meminit Eudonis Procomitis Porricidii, vulgò de *Porhoet*. Unde infert Picardus verisimile esse ex eadem fuisse familia Eudonem de Stella : sed perperam. Eudo enim seu Odo nomen est appellativum, præter quod aliud nihil commune habuisse videtur Eudo de Stella cum altero illo Eudone.

Digitized by Google

regius, et qui cum eo erant, sollicitudinis laborisque expertes, pretiosè indui, A splendidè epulari, et in summa lætitia agere videbantur : in tantum ut plerique qui ad corripiendum eum venerant, conspectâ ejus non verâ, sed fantasticâ gloriâ, corrumperentur. Fiebant enim, sed fantasticè per dæmones, a quibus scilicet misera illa multitudo, non veris et solidis, sed aëriis potiùs cibis in locis desertis alebatur. Nam, sicut postmodùm per quosdam audivimus, qui in ejus fuerant comitatu, eoque sublato tanquam agentes pœnitentiam per orbem vagabantur, in promptu eis erant, quotiescumque volebat, panes, carnes, pisces, et quique cibi lautiores. Verùm quòd iidem cibi non solidi, sed aërii fuerint, subministrantibus invisibiliter spiritibus aëris hujus, ad capiendas magis quàm pascendas animas, hinc elucet, quòd quantamcumque ex cibis illis repletionem modico ructu exinanitam, tanta mox sequebatur esuries, ut eosdem cibos illicò repetere cogerentur. Quicumque fortè ad eos accedens B ex cibis eorum vel modicum gustasset, ex participatione mensæ dæmoniorum mente mutatâ, spurcissimæ multitudini continuò adhærebat; et quicumque ab eis aliquid in qualibet specie accepisset, periculi expers non erat. Denique fertur quemdam militem propinquum illius pestiferi accessisse ad eum, et simpliciter monuisse ut, abjuratâ nefandâ sectâ illâ, per communionem christianæ gratiæ proprio generi redderetur. Ille hominem astutè suspendens, ostendit ei in multiplici specie fantasticarum opum amplitudinem, ut blandiente visarum rerum illecebrâ, caperetur : « Propinquus, inquit, noster es, sume de nostro, quod » et quantum vis ». Verùm homo prudens cùm verba correptionis in ventum fudisset, exivit ut abiret. Armiger verò ejus conspectum miræ pulchritudinis accipitrem in propriam perniciem concupivit. Quo petito et accepto, dominum suum jam abeuntem cum lætitia sequebatur. Cui ille : « Abjice citò quod por- C » tas, non enim est avis, ut videtur, sed dæmon sic transformatus ». Cujus verbi veritas postmodùm claruit. Cùm enim insipiens nollet audire monentem, primò conquestus quòd accipiter ille unguibus sibi pugnum fortiùs stringeret, mox ab eodem per manum in aërem sublevatus deinceps non comparuit. Sanè cùm pestifer ille ita debaccharetur, ut dictum est; sæpiùs a Principibus ad vestigandum et persequendum eum exercitus frustra mittebatur : quæsitus enim non inveniebatur. Tandem verò fraudatus ope dæmonum (*a*), cùm non ampliùs per illum debacchari sinerentur (non enim nisi * a superioribus potestatibus justo Dei judicio relaxantur) levi negotio a Remensi Archiepiscopo comprehensus est, et populus quidem stolidus qui eum sequebatur, dilapsus est. Porrò discipuli qui ei arctiùs adhærebant, ejusque cooperatores exstiterant, cum ipso capti sunt. Cùm ergo staret in conspectu Concilii, interrogatus a summo Pon- D tifice quisnam esset, respondit : *Ego sum ille* (*b*) *qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem*. Habebat autem in manu sua baculum inusitatæ formæ, in superiori scilicet parte bifurcum. Interrogatus quid sibi vellet baculus ille : « Res, inquit, grandis mysterii est. Quandiu enim, sicut nunc » videtis, duobus cœlum capitibus suspicit, duas orbis partes Deus possidet, » tertiam mihi partem cedens. Porrò si eadem duo superiora capita baculi » submittam * usque ad terram, et inferiorem ejus partem quæ simplex est » erigam, ut cœlum suspiciat, duabus mundi partibus mihi retentis, tertiam » tantùmmodo partem Deo relinquam ». Ad hoc responsum risit universa Synodus, derisitque hominem tam profundè datum in reprobum sensum. Jussus autem ex decreto Concilii, ne pestis iterùm serperet, diligenter custodiri, tempore exiguo supervixit. Discipuli verò ejus quos magnis insignierat no- E minibus (alium scilicet vocans Sapientiam, alium Judicium, et in hunc modum cæteros) cùm sanam doctrinam nullâ ratione reciperent, sed potiùs obstinatissimè de falsis gloriarentur vocabulis, in tantum ut ille qui *Judicium* dicebatur, suis detentoribus ultricem infelici fiduciâ comminaretur sententiam; curiæ priùs et postea ignibus traditi, ardere potiùs quàm ad vitam corrigi maluerunt. Audivi a quodam venerabili viro, qui interfuit dum hæc agerentur, quòd audierit illum qui *Judicium* dicebatur, cùm ad supplicium duceretur, crebrò

* *Al.* Ampliùs possunt quàm etc.

* *Al.* humiliavero.

(*a*) Totam hanc de præstigiis Eonis narratiunculam fabulis annumerandam esse nemo sanus non animadvertet. Quare Robertus de Monte in Appendice ad chronicon Sigeberti Gemblac. anno 1147 : *de cujus incantationibus et phantasiis*, inquit, *meliùs est silere quàm loqui*.

(*b*) Legendum *Eun*, ut pro sua dementia respondeat. Ita Ms. codex antiquus.

Digitized by Google

A dicentem : « Terra sindere » : tanquam ad oris ejus imperium terra aperienda esset, et devoratura, sicut Dathan et Abiron, hostes ejus. Tanta vis semel infixi cordibus erroris fuit !

Anno a partu Virginis MCXLVII, tantæ expeditionis explicito apparatu, uterque Princeps Conradus et Ludovicus) iter arripuit, exercitu bipertito. Imperator enim præcedebat itinere dierum aliquot, cum Italorum et Germanorum, aliarumque gentium amplissimis copiis; Rex verò sequebatur, Francorum, Flandrensium, Normannorum, Britonum, Anglorum, Burgundionum, Provincialium, Aquitanorum, equestri simul et pedestri agmine comitatus... *Cap.* 20.

Interea dùm circa nostros vel a nostris in Oriente talia agerentur, Anglia intestinis malis exanguis et saucia tabescebat... Nam quia tunc impotens erat Rex, et per Regis impotentiam languida lex; quibusdam quod rectum sibi *Cap.* 22.
B videbatur agentibus, multi quod insitâ ratione malum esse sciebant, sublato Regis et legis metu, procliviùs faciebant. Et primò quidem videbatur regnum Angliæ scissum esse in duo, quibusdam Regi, quibusdam verò Imperatrici faventibus. Non quòd vel Rex, vel Imperatrix suæ parti potenter imperaret; sed quòd suorum bellicis quique studiis pro tempore niteretur : neuter enim in suos imperiosè agere et disciplinæ vigorem exercere poterat; sed uterque suos, ne a se deficerent, nihil negando mulcebat. Sanè inter partes, ut superiùs dictum est, diu multùmque certatum est, alternante fortunâ. Processu verò temporis inter eos jam sæpiùs fortunæ infidelitatem expertos, remissiores motus esse cœperunt : quod tum Angliæ non cessit in bonum. Illis quippe diutinæ concertationis pertæsis et molliùs agentibus, provinciales discordantium Procerum motus efferbuere. Castella quippe per singulas pro-
C vincias studio partium crebra surrexerant, erantque in Anglia quodammodo tot Reges vel potiùs tyranni, quot domini castellorum, habentes singuli percussuram proprii numismatis, et potestatem subditis regio more dicendi juris. Cùmque ita singuli excellere quærerent, ut quidam superiorem, quidam vel parem sustinere non possent; feralibus inter se odiis disceptantes, rapinis atque incendiis regiones clarissimas corruperunt, et in fertilissima olim patria ferè omne robur panis absumpserunt. Aquilonaris verò regio, quæ in potestatem David Regis Scotorum usque ad fluvium Tesam cesserat, per ejusdem Regis industriam in pace agebat : ad quem Henricus, ex nepte ejus Mathilde olim Imperatrice Andegavensis Comitis filius, et Angliæ Rex futurus, a matre missus jam pubes accessit, et ab eo apud Lugubaliam (quæ vulgò *Carleil* dicitur) cingulum militare accepit *.... * An. 1149.

D Ut autem jam ad seriem historicæ narrationis redeam, Henricus, Mathildis olim Imperatricis ex illustri Andegavensi Comite filius, accepto, ut superiùs dictum est, a matris avunculo Rege Scotorum cingulo militari, transfretavit et venit ad patrem : eratque de cætero in obsequio ejus, prudentiæ et fortitudinis præclaram indolem præferens, et militaris gloriæ non tepidus æmulator. Post annos verò aliquot, patre in fata concedente *, paterni juris plenitudinem, id est, Andegavensem simul et Cenomanensem Comitatum, et materni juris expeditam portionem, id est Normanniæ Ducatum recepit. Nam regno Angliæ, quod ad jus æquè spectabat maternum, Rex Stephanus, quamvis remissè et languidè, ut superiùs expositum est, eatenùs incubabat. Itaque patri succedens, et patrem in brevi vel æquans vel etiam excedens, quocumque se vertisset, industrius strenuusque apparuit; ita ut jam illis formidabilis exis- *Cap.* 29. * An. 1151.
E teret, qui felicibus ejus initiis invidebant. Cùmque in partibus transmarinis omnia illi quieta jam essent; regno Angliæ, quod jure sibi perspicuo competebat, fraudari non ulteriùs patiens, tam difficili et periculoso negotio animum intendit. Metuens autem ne qua post egressum suum in Normanniam fieret irruptio a Rege Francorum, cujus Rex Stephanus affinitate gaudebat, (nam sororem ejus jampridem filio suo Eustachio uxorem acceperat) fines suos, præsidiis opportunè dispositis, cautiùs credidit muniendos. Unde factum est, ut parvam secum manum in Angliam duceret, reputans terris transmarinis, quas quieto jam jure possidebat, parùm esse consultum, si copias abduceret militares; necessaria sibi præsidia in Anglia minimè defutura; si secùs, certa incertis inconsultò postponi. Denique non ampliùs, ut dicitur, quàm centum quadraginta equites, et peditum tria millia in Angliam cum eo venerunt.

Digitized by Google

Adventu ejus cognito, ferventibus ad eum animis convenerunt, qui matri A
ejus ab initio faverant. Auctus illicò ingentibus copiis, munitionem Melbesbiriensem, ubi Regis Stephani præsidium erat, obsedit. Tunc idem Rex, convocatis celeriter qui a se non defecerant, cum Eustachio filio suo acerrimo juvene ociùs advolans, hostem ad prælium provocavit. At ille in castris se continens, et campi discrimen pro tempore consultò declinans, eò quòd manum imparem habere videretur, hostili ferociæ copiam pugnæ non fecit. Rex verò cùm neque hostem commodè posset impetere, neque prolixiores circa castra hostilia excubias agere tutum videretur, otiosè recessit, et obsessa munitio in potestatem obsidentium concessit. Augebatur idem in dies et militiæ numeris et favoribus sociorum, deficientibus ad eum paulatim, qui hostilium partium fuerant, regni Optimatibus, ita ut jam incrementis virium et felicitate successuum Ducis gloria (sic enim vocabatur) adversarii nomen regium adumbraret.... B

Cap. 30. Dum hæc sub eventu pendulo inter Regem et Ducem altercatio traheretur, Eustachius ejusdem Regis filius juvenis clarissimus immaturâ, secundùm voluntatem Dei, morte decessit : magnam seminandæ inter Principes pacis occa-
An. 1153. sionem, sui de medio ablatione relinquens. Eo quippe superstite, partes concordiâ mediante componi atque uniri minimè potuissent, cum propter juvenilem ejusdem acrimoniam, tum propter ejusdem præclaram quamdam ex affinitate Regis Francorum fiduciam. Utroque autem pacis impedimento per unius hominis mortem sublato (quod Deo propitio evenisse creditur, eò quòd jam super Angliam, intestinis malis exanguem et sauciam, cogitaret cogitationes pacis et non afflictionis) viri pacifici de pace suadenda atque formanda propensiùs cogitare cœperunt. Occasu quippe filii, qui successurus sperabatur, supra modum exulceratus pater, ad apparatus bellicos pigriùs movebatur, et voces suaden- C
tium pacem solito patientiùs audiebat. Duce quoque prudentium consiliis ad hoc inclinato, ut honesto et solido fœderi postponeret casus ambiguos, placuit inter eos solemne et salubre colloquium celebrari : ubi, amicis mediantibus et circa bonum publicum piâ et prudenti provisione satagentibus, pax inter eos et cautè formata et solidè firmata est. Decretumque est ut Stephanus de cætero, tanquam Princeps legitimus, integrè in Anglia cum gloria et honore regnaret : Henricus verò ei, tanquam hæres legitimus in regno succederet. Hanc pacis formam tanquam utilem et honestam Princeps uterque amplexus, abolitis omnibus quæ inter eos hactenùs hostiliter acta fuerant, atque omni simultate perpetuæ traditâ sepulturæ, in mutuos, multis præ gaudio lacrymantibus, se dederunt amplexus. Et Rex quidem Ducem adoptans in filium, eum solemniter successorem proprium declaravit. Dux D
verò Regem tanquam patrem et dominum in conspectu omnium honoravit. Guillelmus autem Regis filius junior, jubente patre, Duci homagium fecit : Dux quoque illi, pactis interpositis, satisfecit (*a*). Quibus Deo propitio sa-

(*a*) Instrumentum de hoc pacis fœdere confectum recitat Joannes *Bromton* in chronico apud *Twysden*, col. 1037, in hunc modum : « *Stephanus* » *Rex Angliæ Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus,* » *Comitibus, Justiciariis, Vicecomitibus, Baronibus* » *et omnibus fidelibus suis Angliæ, salutem.* Sciatis » quòd ego Rex Stephanus Henricum Ducem » Normanniæ post me successorem regni Angliæ » et hæredem meum jure hæreditario constitui, » et sic ei et hæredibus suis regnum Angliæ do- » navi et confirmavi. Dux verò propter hunc » honorem, et donationem et confirmationem » sibi a me factam, homagium mihi et sacramento » securitatem fecit, scilicet quòd fidelis mihi » erit, et vitam et honorem meum pro suo posse » custodiet per conventiones inter nos prælocu- » tas, quæ in hac carta continentur. Ego etiam » securitatem sacramento Duci feci, quòd vitam » et honorem ei pro posse meo custodiam, et » sicut filium et hæredem meum in omnibus in » quibus potero eum manutenebo, et custodiam » contra omnes quos potero. Willielmus autem » filius meus homagium et securitatem Duci » Normanniæ fecit, et Dux ei concessit ad te- » nendum de se omnes terras quas ego tenui, » antequam regnum Angliæ adeptus essem, sive » in Anglia, sive in Normannia, sive in aliis » locis; et quidquid cum filia Warenniæ Comitis » accepit, sive in Anglia, sive in Normannia, » et quidquid ad honores illos pertinet; et de » omnibus terris, villis et burgis, et redditibus » quos Dux in dominio suo inde non habet, et » nominatim de illis quæ pertinent ad honorem » Comitis Warenniæ, Willielmum filium meum » et homines illius, qui de honore illo sunt, » plenariè saysiet, et nominatim de castello de » *Belencumbre* et castro Mortui-maris; ita scilicet » quòd Reginaldus de Warennia castrum de *Be-* » *lencumbre* et castrum Mortui-maris custodiet; » si voluerit, et dabit inde Duci obsides : si verò » noluerit, alii de ligiis hominibus Comitis Wa- » renniæ, quos Dux voluerit, similiter per salvos » obsides et salvam custodiam eadem castra cus- » todient. Alia verò castra quæ pertinent ad Co- » mitatum Moretoniæ, Dux ei reddet ad volun- » tatem meam, cùm poterit, per salvam custo- » diam et per salvos obsides, ita quòd omnes » obsides reddantur filio meo quietè, quando » Dux regnum Angliæ habebit. Incrementum etiam » quod ego Willielmo filio meo dedi, ipse Dux » ei concessit, castra scilicet et villas de Norwico » cum septingentis libratis terræ, ita quòd red- » ditus de Norwico infra illas septingentas libra- » tas computetur; et totum Comitatum de *North-*

Digitized by Google

A lubriter actis, Rex Angliam, et Anglia pacem recepit. Annis enim jam plurimis ferè nudo Regis nomine insignis, tunc recipere visus est hujus rem nominis, et quasi tunc primò regnare cœpit; quia tunc primò, purgatâ invasionis tyrannicæ maculâ, legitimi Principis justitiam induit. Dux autem in Anglia post firmatæ pacis solemnia modico tempore commoratus, transfretare parabat : et Rex cum Guillelmo filio, multisque aliis nobilibus, celebri lætitiâ prosequebatur abeuntem. Cùmque idem regius puer, in oculis patris, equo (ut assolet) concitatus veheretur; contigit, equo cadente, sessorem ad terram graviter allidi : unde confracto osse tibiæ, resurgere impotens, patri et omnibus qui aderant dolorem incussit. Reportatus ergo est Cantuariam, ut ibi curaretur. Rex verò sinistro casu saucius, datis cum benedictione mandatis, Ducem dimisit : qui feliciter transfretans, circa æstatis initium ad pro-
B pria cum gaudio remeavit.

Iisdem ferè diebus *, inter Ludovicum Francorum Regem et Alienoram Reginam divortium celebratum est : quibusdam Episcopis atque Proceribus consanguinitatem illorum, sub testificatione jurisjurandi, solemniter allegantibus. Eadem sanè Regina, Ducis Aquitanici soboles unica (*a*), ante expeditionem Hierosolimytanam, de qua superiùs dictum est, memorato Regi nupserat, suoque conjugio amplissimum illum Ducatum Aquitaniæ regno Franciæ junxerat. Quæ nimirùm ita sibi in principio juvenis animum suæ formæ venustate præstrictum devinxerat, ut illius famosissimæ expeditionis iter arrepturus, dum uxorem juvenculam vehementiùs æmulatur, eam nequaquam domi esse relinquendam, sed secum ad prælia proficisci decerneret. Quod exemplum secuti multi alii nobiles, uxores suas secum duxerunt : quibus cùm cubiculariæ deesse
C non possent, in castris illis christianis, quæ casta esse oportebat, fœminarum multitudo versabatur : quod utique factum est exercitui nostro in scandalum.

Cap. 31.
* An. 1152.

Cùmque idem Rex ab Oriente unà cum conjuge, non sine infecti negotii dedecore, ad propria fuisset reversus; amore pristino inter illos paulatim refrigescente, causæ quoque dissidii succrescere cœperunt : illâ maximè moribus

» *folk*, præter illa quæ pertinent ad Ecclesias et » Prælatos, et Abbates et Comites, et nomina- » tim præter III denarium unde Hugo Bigotus est » Comes, salvâ et reservatâ in omnibus regali » justitiâ. Item ad roborandam gratiam meam et » dilectionem, dedit ei Dux et concessit omnia » quæ Richerus de Aquila habebat de honore » Pevenesselli, et præter hæc castra et villas Pe- » venesselli et servitium Faramusi, præter castra et » villas de *Doure*. Et quod ad honorem de *Doure* » pertinet, Ecclesiam de *Favresham* cum pertinen- » ciis suis Dux confirmavit, et alia aliis Eccle- » siis a me data vel reddita consilio sanctæ Ec- » clesiæ et meo confirmabit. Comites et Barones » Ducis, qui homines mei nunquam fuerunt, » pro honore quem domino suo feci, homagium » et sacramentum mihi fecerunt, salvis condi- » tionibus inter me et Ducem factis; cæteri verò » qui antea homagium mihi fecerant, fidelitatem » mihi fecerunt sicut domino : et si Dux a præ- » missis recederet, omninò a servitio ejus ipsi » cessarent, quousque errata corrigeret; filius » meus etiam, secundùm consilium sanctæ Ec- » clesiæ, se inde contineret, si Dux a prædictis » recederet. Comites etiam et Barones mei ligium » homagium Duci fecerunt, salvâ meâ fidelitate, » quamdiu vixero et regnum tenebo : simili lege » quòd si ego a prædictis recederem, omninò a » servitio meo cessarent, quousque errata corri- » gerem. Cives etiam civitatum et homines cas- » trorum, quæ in dominio meo habeo, ex præ- » cepto meo homagium et securitatem Duci fe- » cerunt, salvâ fidelitate meâ, quamdiu vixero » et regnum tenuero. Illi autem qui castrum *Wa- » lingford* custodiunt, homagium mihi fecerunt, » et dederunt mihi obsides de fidelitate mihi ser- » vanda. Ego verò de castris et murationibus » meis securitatem talem Duci, consilio sanctæ » Ecclesiæ, feci, ne Dux, me decedente, per hoc » damnum aut impedimentum regni incurrat. » Etiam turris Londoniensis Ricardo de Luceio » et mota *Wyndesores*, consilio sanctæ Ecclesiæ, » ad custodiendum tradita sunt : Ricardus autem » de Luceio juravit in manu Archiepiscopi, et » in custodia filium suum obsidem dedit, quòd » post meum decessum castra prædicta Duci red- » deret. Similiter, consilio sanctæ Ecclesiæ, Ro- » gerus de Luceio motam de *Oxeneford*, et Jor- » danus de Buselo firmitatem Lincolniæ custo- » diunt, et ligii homines Ducis sunt, et jurave- » runt et obsides inde dederunt in manu Ar- » chiepiscopi, quòd si ego decederem, Duci » munitiones sine impedimento redderent. Epis- » copus Wyntoniensis in manu Archiepiscopi » Cantuariensis coram Episcopis affidavit, quòd » si ego decederem, castrum Wyntoniæ et mu- » nitionem Hamptoniæ Duci redderet. Quòd si » aliquis eorum, quibus munitionum custodia » commissa fuerat, moreretur, aut a custodia » sibi deputata recederet, consilio sanctæ Eccle- » siæ alius custos ibi statueretur, priusquam ille » recederet. Si verò aliquis de his qui meas mu- » nitiones custodiunt, contumax vel rebellis ex- » titerit de castris, scilicet quæ ad coronam per- » tinent, communi consilio ego et Dux nos » inde continebimus, quousque ad voluntatem » utriusque nostrûm cogatur satisfacere. Archie- » piscopi, Episcopi atque Abbates de regno An- » gliæ, ex præcepto meo fidelitatem sacramento » Duci fecerunt : illi quoque qui in regno An- » gliæ Episcopi deinceps fient vel Abbates, idem » facient. Archiepiscopi verò et Episcopi ab utra- » que parte in manu ceperunt, quòd si quis nos- » trûm a prædictis conventionibus recederet, » tamdiu eum ecclesiasticâ justitiâ coercebunt, » quousque errata corrigat, et ad prædictam pac- » tionem observandam redeat. Pater * etiam Ducis » et ejus uxor, et fratres ipsius Ducis, et omnes » sui quos ad hoc applicare poterit, hæc assecu- » rabunt. In negotiis autem regni ego consilio » Ducis operabor; ego verò in toto regno An- » gliæ, tam in parte Ducis quàm in parte mea, » justitiam exercebo regalem. Testibus, etc. »

(*a*) Non unica patris soboles erat Alienora, quippè quæ sororem habebat Petronillam, Radulpho Viromandensi Comiti nuptam.

* *Corr.* mater.

Digitized by Google

regiis offensâ, et causante se Monacho, non Regi nupsisse. Dicitur etiam A
quòd in ipso Regis Francorum conjugio, ad Ducis Normannici nuptias, suis magis moribus congruas, aspiraverit; atque ideò præoptaverit, procuraveritque dissidium. Itaque causis ingravescentibus, et illâ quidem (ut dicitur) multùm instante, illo verò vel non, vel remissiùs obluctante, per ecclesiasticæ legis vigorem solutum est inter eos vinculum copulæ conjugalis. Porrò illa soluta a lege viri, et habens potestatem cui vellet nubendi, duabus apud patrem filiabus relictis, quæ postea duobus illustrissimi Comitis Theobaldi filiis, Henrico scilicet et Theobaldo, paternâ provisione nupserunt, desideratis tandem post potita est nuptiis. Denique convenientes Dux Normanniæ et illa loco condicto, pactum conjugale inierunt; minùs quidem solemniter ratione personarum, sed cautiori providentiâ, ne quid scilicet impedimenti pareret solemnis præparatio nuptiarum. Mox Ducatus Aquitaniæ, qui a finibus Andegavensium et Britonum B
ad Pyrenæos usque montes Galliam Hispaniamque dirimentes extenditur, Francorum se ditioni paulatim subducentes, ratione conjugis in Ducis Normannici potestatem transivit : Francis quidem invidiâ tabescentibus, sed impedire non valentibus ejusdem Ducis provectum.

Cap. 32. Interea Rex Stephanus... in Cantia constitutus, morbo decubuit, quo in-
* An. 1154. gravescente, post dies paucos decessit mense Octobri *, et sepultus est apud Faverescam, in Monasterio a se ante aliquot annos constructo, anno regni sui XIX. Nuncium autem mortis ejus Dux Normanniæ maturè accepit, qui fortè tunc castrum quoddam, quod ab eo desciverat, cum exercitu obsidebat. Cùmque ab amicis moneretur, relictâ obsidione, sub omni celeritate in Angliam transfretare, ne quid fortè contra eum occasione moræ inimici veteres molirentur; mirâ justitiæ suæ confidentiâ, respondit illos nihil ausuros. Et quamvis C
amici multùm instarent, obsidionem solvere noluit, donec factum est de castro obsesso quod voluit : exspectante illum cum desideriis Angliâ, et nullâ interim in cunctis finibus ejus surgente procellâ.

EX LIBRO SECUNDO.

Cap. 1. Anno a partu Virginis MCLIV, Henricus, Henrici majoris ex filia olim Imperatrice nepos, post mortem Regis Stephani a Normannia in Angliam veniens, hæreditarium regnum suscepit, conclamatus ab omnibus et consecratus mysticâ unctione in Regem (*a*), concrepantibus per Angliam turmis, *Vivat Rex*. Prioris quippe regni, sub quo tot mala pullulaverant, infelicitatem experti, de novo Principe meliora sperabant : præsertim cùm præclara illi prudentia atque con- D
stantia cum zelo inesse viderentur, magni jam Principis in ipsis suis primordiis præferret imaginem. Denique edicto præcepit ut illi, qui ex gentibus exteris in Angliam sub Rege Stephano prædarum gratiâ tanquam ad militandum confluxerant, et maximè Flandrenses, quorum tunc magna Angliæ incubabat multitudo, propriis regionibus redderentur : fatalem eis diem constituens, quem in Anglia sustinere certi foret discriminis. Quo edicto pavefacti, ita in brevi dilapsi sunt, ut quasi fantasmata in momento disparuisse viderentur, stupentibus plurimis quomodò repentè evanuissent....

Cap. 6. Sanè anno primo * Regis Henrici secundi, obiit Anastasius successor Eugenii,
* An. 1154. cùm fuisset Pontifex anni unius. Cui successit Nicolaus Albanensis Episcopus, imitans nomen cum omine, dictusque est Adrianus. De quo dicendum est, quomodò tanquam de pulvere elevatus sit, ut sederet in medio Principum, et E
Apostolicum teneret solium gloriæ. Is enim natione Anglicus, patrem habuit Clericum quemdam non multæ facultatis, qui relicto cum sæculo filio impubere, apud S. Albanum factus est Monachus.... Ille verò sibi relictus, et forti necessitate aliquid audere coactus, Gallicanas adiit regiones : ingenuè erubescens in Anglia vel fodere, vel mendicare. Cumque in Francia minùs prosperaretur, ad remotiora progrediens, trans Rhodanum peregrinatus est, in regione quæ Provincia dicitur. Est autem in illa regione Monasterium nobile Clericorum regularium, quod dicitur S. Rufi : ad quem locum ille veniens, et subsistendi occasionem ibidem inveniens, quibus potuit obsequiis

(*a*) *Die S. Leodegarii, vel secundùm quosdam* XIV *Kal. Januarii, die Dominico, Henricus apud Westmonasterium in Regem Angliæ est consecratus,* ex chronico Joannis *Bromton.*

Digitized by Google

A eisdem se fratribus commendare curavit. Et quoniam erat corpore elegans, vultu jucundus, prudens in verbis, ad injuncta impiger, placuit omnibus, rogatusque canonici ordinis suscipere habitum, annis plurimis ibidem resedit, regularis inprimis disciplinæ æmulator. Cùmque esset acris ingenii et linguæ expeditæ, frequenti et studiosâ lectione ad scientiam atque eloquentiam multùm profecit. Unde factum est ut, Abbate decedente, fratres eum concorditer atque solemniter in patrem eligerent. Quibus cùm aliquandiu præfuisset; pœnitentiâ ducti atque indignati quòd hominem peregrinum levassent super capita sua, facti sunt ei de cætero infidi atque infesti. Odiis itaque paulatim crudescentibus, ut jam graviter aspicerent in quo sibi paulò antè benè complacuerat; tandem confictis et propositis contra eum capitulis, ad sedem eum Apostolicam provocarunt. Piæ autem memoriæ Eugenius, qui tunc arcem Ponti-
B ficii tenebat, cùm rebellium filiorum contra patrem querelas audisset, et ejus pro se allegantis prudentiam modestiamque animadverteret, paci inter eos reformandæ efficacem operam dedit. Multùmque imperans et sæpiùs inculcans utrique parti, ut partes esse desinerent, et unitatem spiritûs in vinculo pacis servarent, reconciliatos ad propria remisit. At non diu quievit nescia quietis malitia, grandiùsque intonuit rediviva tempestas. Interpellatus est iterùm idem Pontifex, cujus jam aures fratrum illorum querelis et susurris tinniebant. Utrique ergo parti piè et prudenter prospiciens,... dimissis fratribus, Abbatem in B. Petri obsequio retinens, Albanensem ordinavit Episcopum....

Cùm igitur Anglia... in pace et securitate ageret, nunciatum est Regi *Cap.* 7.
fratrem suum Gaufridum tumultuari in partibus transmarinis (*a*). Causa motûs
C fraterni hæc erat. Illustris ille Comes Andegavensis [Gaufridus] ex Mathilde olim Imperatrice tres susceperat filios, Henricum, Gaufridum, Guillelmum. Cùm ergo ad Henricum primogenitum paterni maternique juris spectaret integritas; idem Comes provisionem rèliquorum noluit in totum ex gratia fratris pendere, nesciens qualem ille foret ad fratres habiturus affectum. Itaque in extremis agens, medio filiorum Comitatum Andegavensem testamento reliquit; sed quia tunc Anglia sub eventu pendebat ambiguo : « Cùm Henricus, inquit, » plenitudinem obtinuerit juris materni, id est, Normanniam cum Anglia, » fratri Gaufredo jus paternum integrè dimittat. Interim verò idem Gaufridus tri- » bus castellis non ignobilibus, scilicet Chinone, Leoduno, Mirabello sit con- » tentus ». Et quoniam Henricus fortè tunc aberat, maturè adfuturus; Episcopos et nobiles qui aderant adjuravit, ne corpus suum sepulturæ traderetur, nisi priùs præstito sacramento a filio, quòd paternum minimè violaret testa-
D mentum. Denique illo mortuo, ad celebrandas exequias mox filius affuit, adjurationem illam paternam audivit, diu hæsitavit : tandem conclamantibus omnibus ne, ad sempiternum et inexpiabile dedecus, corpus patris sineret insepultum tabe corrumpi, victus succubuit, et sacramentum quod exigebatur, non sine fletu præstitit.

Sepulto patre, testamentum dissignatum est : ille verò pro tempore dissimulavit dolorem. Cùm autem regnum esset adeptus, Romano Pontifici, ut dicitur, quâ necessitate quod nesciebat jurasset, intimare curavit. Et quoniam extorta sacramenta vel vota non obligant, nisi fortè ex subsequenti consensu convalescant; facilem, ut dicitur, ab illo sacramento absolutionem impetravit. Ingesta enim necessitas jurandi sive vovendi, necessitatem non ingerit quod juratum votumve est adimplendi; sed sola * voluntas hanc necessitatem parit * *Leg.* vo-
E libertas. Eâ ratione tutus, nec paterni testamenti, nec proprii juramenti con- templatione fratri satisfacere voluit. Unde ille indignatus, tribus prænominatis castellis quæ pater ei reliquerat, contra omnes (ut putabatur) casus munitis, vicinas turbabat provincias. Rex autem, exercitu properè congregato, Chinonem, castellum (*b*) scilicet sic dictum, quod tantâ erat firmitate, ut in eo muniendo tuendoque naturæ et operatio humana concertare viderentur, obsedit, et in brevi per deditionem obtinuit; fratri humiliato et supplici veniam dedit, castelloque nudato, ut occasionem superbiæ tolleret, terram planam concessit,

luntatis.

(*a*) Gaufridus an. 1152 cum Ludovico Francorum Rege jam conspiraverat, ut Henricum fratrem rebus suis cismarinis spoliaret, ut constat ex Andegav. et Gervasii chronicis.

(*b*) An. 1156 non solùm Chinonem castellum, sed etiam Losdunum et Mirabellum fratri abstulit Henricus, ex iisdem chronicis.

Digitized by Google

ex qua fructuum utilitas proveniret. Cùmque idem mœrore contabesceret, et nunc fratris duritiem, nunc fortunæ cum gemitu accusaret invidiam; felicior eum subitò exhilaravit eventus. Cives enim præclaræ urbis Nannetensis, certum vel in quo sibi complacerent dominum non habentes, ejus industriâ et strenuitate invitati, eum sibi in verum certumque dominum elegerunt, atque accersito civitatem cum adjacente provincia tradiderunt (*a*). At nondum * hac felicitate functum, mors immatura sustulit * : moxque eamdem civitatem Comes Richemundensis [Conanus] qui tunc transmarinæ Britanniæ magna ex parte præsidebat, tanquam verus possessor intravit. Quibus auditis, Rex, dato mandato Richemundensem Comitatum fisco applicari, illicò ex Anglia in Normanniam transfretavit, et civitatem Nannetensem tanquam jure fraterno successionis reposcens, eumdem Comitem magni apparatûs terroribus ita perstrinxit atque infregit, ut vix tepidè obluctari conatus, civitate resignatâ, insistentem placaret....

* *Al.* non diu.
* An. 1158.

Cap. 9. An. 1159. Anno [Regis Henrici VI] Adrianus Papa naturæ debitum (*b*) solvit : quo sublato, Cardinales in Summi Pontificis electione discordes, Ecclesiam sciderunt; et ut in se mutuò partes sævirent, in orbe quoque terrarum vinculum ecclesiasticæ pacis ruperunt. Et quidem pars major saniorque in Rollandum ejusdem Ecclesiæ Cancellarium, virum religiosum et litteratum, concordans, eumdem ritu canonico consecravit. Pars verò nonnulla, et ferè nulla, in Octavianum nobilem virum conveniens, eumdem, divinum non verita judicium, execrationis elogio maculavit. Uterque in alterum excommunicationis et damnationis sententiam promulgavit : uterque partem suam Ecclesiarum et nobilium personarum favoribus munire curavit. Ille Alexander dictus est, juxta causæ meritum victor futurus : iste nomine et fallaci omine Victor dictus est, victi dedecus habiturus. Poterat sanè scissura illa citò resarciri, poterat multitudini paucitas cedere atque uniri; nisi Fredericus Imperator, veteri odio Rollandi (*c*) Alexandrum non ferens, partem Octaviani tuendam fovendamque modis omnibus suscepisset. Denique suæ ditionis Episcopos, scilicet Italicos et Teutonicos, præcepit Papiam convenire, tanquam ad discussionem et examen, cujusnam partis merita præponderarent; re autem verâ, ut Alexandri parte depressâ, partem alteram approbantes, dicti Victoris præmaturam victoriam celebrarent.... Illustres quoque Francorum et Anglorum Reges omnibus modis sollicitare curavit, ut ad perpetuandam amicitiam mutuam sibi in hac parte concordes existerent. Illi verò inflexi, sententiâ cautè suspensâ, donec rei tam scrupulosæ pleniùs veritatem agnoscerent; celebrem et ipsi ex utroque regno Episcoporum et nobilium, loco et tempore congruo, conventum fecerunt (*d*). Aderant a parte Octaviani duo principales ejus complices, qui ejus fuerant electores schismatisque auctores, Guido scilicet Cremensis et Joannes de S. Martino Cardinales; nam Imarus Tusculanus Episcopus, manus illi execrationis ausus imponere, jam vitaverat * hominem. Aderant et a parte domini Alexandri tres Cardinales, scilicet Henricus Pisanus, Joannes Neapolitanus, et Guillelmus Papiensis. Surgens ergo ille Cremensis in conspectum Regum et Præsulum, coram universa quæ convenerat multitudine Cleri et populi, pro parte

* *Al.* exuerat.

(*a*) Anno item 1156 vel 1157 ante Quadragesimam, Nannetensem Gaufridus adeptus est Comitatum, ex chronicis Britannicis, ejusque occasus ibidem anno 1158 illigatur.

(*b*) Adrianus IV. an. 1159, Kal. Septembris vitâ functus est, et pridie Nonas ejusdem mensis Cardinales de eligendo successore convenerunt.

(*c*) Præcipuam quæ movebat Imperatorem adversùs Rollandum narrat causam Dodechinus his verbis : *Anno*, inquit, 1156, *Fridericus Imperator Agnetem Principis Burgundiæ filiam duxit, repudiatâ legitimâ uxore apud Constantiam : unde in Ecclesia gravissimum ortum est schisma.* Ad annum 1159 : *Adrianus Papa Imperatorem pro conjugii dissidio excommunicare disposuerat, sed mense Octobri morte præventus est. Pro quo duo constituti sunt, id est, Rolandus Alexandri* sententiam approbans, et Octavianus cognominatus Victor, Imperatori plurimùm favens.* Abbas autem Uspergensis et Radevicus silent hanc primariam simultatis scatebram.

* *Corr.* Adriani.

(*d*) Tolosanum intelligit Auctor Concilium sub finem anni 1161 habitum, in quo duo Reges quod priùs in gratiam Alexandri seorsim apud Novummercatum et Bellovaci constituerant, junctis manibus confirmarunt. Hujus etiam Concilii disertam mentionem facit Gerhohus Reicherspergensis Præpositus, *lib.* I. *de Revelatione Antichristi*, a Labbeo laudatus, T. X. Concil. col. 1406 : « Interim, » *inquit*, dum hæc scribimus,... ecce alii ac novi » rumores per certos internuncios advolitant, in » occiduis partibus, regno videlicet Franciæ, » civitate Tolosa, celebratum esse Concilium, » cui centum Patres inter Episcopos et Abbates » interfuerunt, una cum Regibus Franciæ et An» gliæ, quorum studio iidem Patres convocati » convenerunt : ubi et Octaviani quem Victorem » dicunt, simul et Alexandri Papæ atque Impera» toris Augusti Friderici, necnon et Regis His» paniæ Legati aderant. Illic sanè utriusque partis » defensoribus sufficienter auditis, eidem Con» cilio tandem in Alexandrum complacuit; Octa» vianus verò, qui et Victor, ab universo Con» cilio cum suis principalibus defensoribus ex» communicatus est. »

sua

Digitized by Google

A sua et contra adversam totis ingenii atque facundiæ viribus allegavit. Qui cùm perorasset, surgens Guillelmus Papiensis, vir eloquentissimus, perspicuis orationibus objecta elisit : et ferè quidquid ille pro se dixerat, ita retorsit, ut propriis irretitus captusque sermonibus videretur. Denique in illo altercationis mutuæ quasi duello, totius ita negotii veritas claruit, ut neuter ulteriùs Princeps cunctaretur, repudiatâ parte Octaviani, dominum Alexandrum recipere, et cum regnis sibi subditis ei de cætero, in iis quæ Dei sunt, tanquam Papæ patri parere. Prænominatis ergo schismaticis cum confusione et dedecore discedentibus, Principes et Pontifices nostri, latâ solemniter in schismaticos excommunicationis sententiâ, solverunt conventum. Interim dominus Papa Alexander in terra Regis Siciliæ, cujus fideli favore fruebatur, tutus consistens, opportunitatem transeundi in Gallias præstolabatur, parebatque ei in eis
B quæ ad curam spectant pastoralem, totus orbis Latinus, exceptis provinciis Alemannicæ ditionis. Imperator enim ex privata simultate semel in reprobum sensum datus, et vel a ratione vinci indecorum Imperatoriæ reputans majestati, multo tempore distulit palmam dare perspicuæ veritati.

Memorabilis Rex Anglorum Henricus secundus, anno regni sui septimo (*a*), *Cap.* 10. in partes Gasconiæ duxit exercitum : cujus expeditionis causa hæc erat. Comes Pictaviensis et qui Dux Aquitanus, avus scilicet Alienoræ priùs Francorum, postea verò Anglorum Reginæ, cùm esset in expensis profusior, et propriorum redituum quantalibet affluentia tantæ voragini nequaquam sufficeret ; acceptâ a Comite S. Egidii, viro pecunioso, pecuniâ copiosâ, nobilem illi cum pertinentiis civitatem Tolosam apposuerat (*b*) : atque in fata concedens, absolvendi appositi operam ad filium transmiserat. Qui nimirùm in
C expensarum profusione patrissans, ipse quoque liberandi pignoris in hæredes transfudit negotium. Reliquit autem unicam filiam hæredem, quæ cùm Regi Francorum Ludovico nupsisset, idem Rex uxoris nomine Tolosam repetiit *. * An. 1141. Comes verò S. Egidii nihil quidem juris obtendens, sed dolo totus incumbens, tandem opportunitatem nactus, Regem nuptiis germanæ (*c*) placavit, Constantiæ scilicet Eustachio Regis Stephani filio nuptæ, et post mortem ejus ad fratrem reversæ. Verùm cùm postea, facto inter Regem Francorum et uxorem ejus divortiò, eadem ad nuptias Regis transisset Anglorum, mota est rursùs quæs-
tio super Tolosa justis hæredibus resignanda. Memorato verò Comite negante, et suæ possessionis Regem Francorum laudante auctorem ; Rex Anglorum contracto ex universis terris suæ ditionis exercitu, Gasconiæ fines ingressus est. Invitati quoque ab eo amici ut sequerentur vel occurrerent, ingentibus copiis
D auxerunt exercitum : præcipuè Comes Barcinonensis, vir magnus et potens, nec infra Reges consistens. Sanè hujus in regali magnificentia animum plus quàm regalem paucis perstringere, quoniam se præbet occasio, operæ pretium videtur.

Illustris quidem Rex Arragonum [Sancius-Ramirus] paulò ante nostram memoriam, cùm haberet liberos, unum eorum [Ramirum] piæ devotionis instinctu Christo dicatum, in Monasterio [S. Pontii Tomeriarum] tonsoravit, reliquos pro tempore successores designans. Verùm præmortuis (*d*) qui successuri sperabantur, contigit patrem humanis novissimum rebus excedere. Veriti autem

(*a*) Anno 1159 Tolosanam Henrici expeditionem cæteri consignant Historici, proinde regni ipsius quinto ; nisi regnandi exordium a die adoptionis ejus in Regem libeat auspicari.

(*b*) Raimundus (inquit Willelmus Malmesb.) *Tolosam emit a germano, pluribus annis ante magni motûs viam profecto Jerosolymam.* Hæreditario præterea jure, seu ut vocant *substitutionis*, Guillelmo fratri eum successisse constat testimonio Bernardi S. Gemmæ Prioris, in libro tripartito de vita B. Roberti Casæ-Dei Abbatis, cujus hæc sunt verba Dist. 2. cap. 10 : « Suavissimum notitiæ suæ odorem cùm » tanti gloria Confessoris per populos passim dif- » funderet, Raymundum priùs appellatum sancti » Ægidii Comitem, omni paternâ hæreditate ca- » rentem, Casam-Dei scilicet ad limina B. Ro- » berti, socio uno associatum advexit. Intrans » proinde et excubans ante ejus sanctum sepul- » crum, causam suæ necessitatis velut ante cer- » tissimum adjutorem et advocatum depromens, » summo mane Missâ celebratâ, hominium B. » Rotberto fecit, ensem desuper altari accepit, » et Comitatum Tolosanæ urbis a nullo se ha- » bere vel tenere nisi a B. Rotberto confirmavit, » si Deus per illum sibi tradere disposuerit. Cujus » desiderium non diu est dilatum ; nam ut a loco » S. Rotberti discessit, finesque paternos attigit, » sine contradictione Proceres cuncti hominium » ei fecerunt, et ipsi ex corde adhærentes urbem » Tolosanam, cæterasque provincias quæ paterno » jure ei debebantur, uno impetu substituerunt » (an. 1094). Si ergo pecuniam Comiti Pictaviensi solvit, profectò id egit ut pacem ab eo redimeret, et eo pacto Comitatum sibi assereret.

(*c*) Anno haud citiùs 1153 Constantiam Regis Ludovici VII sororem duxit in uxorem Raimundus, quippè quæ non priùs Augusto mense anni ejusdem priorem maritum Eustachium amiserat. Ruit proinde aut certè nutat vehementer tota hæc Neubrigensis de Tolosanæ obsidionis a Ludovico susceptæ causis ac circumstantiis narratio.

(*d*) Falsum ; Sancius enim pater an. 1094 vitâ functus est, successoresque filios habuit, Petrum an. 1104, et Alfonsum 1134 absque liberis de mortuos.

Digitized by Google

Optimates et populus, de successione nepotibus contendentibus, ne regnum A
discerperetur, properè convenientes et venienti periculo occurrentes, Regis
* An. 1134. filium claustro festinanter abstractum sublimaverunt in Regem *, regnoque
disposito, ad procreandos qui succederent liberos, uxorem compulerunt du-
cere : necessitatis obtentu excusantes excessum, et necessitatem legi non esse
subjectam allegantes. Denique nata est ei unica filia; cùmque regnum lauda-
bili moderamine administrasset usque ad annos filiæ nubiles, convocatis no-
bilibus et coram se solemniter apparentibus cum universa penè militia ditionis
suæ, taliter eos est allocutus : « Parcat mihi et vobis omnipotens Deus, ca-
» rissimi. Factus sum enim insipiens, vos me coegistis; sed numquid qui cecidit
» non adjiciet ut resurgat? Numquid quod usurpavit infelix necessitas, quam
» esse dixistis ex lege, eâdem cessante, ratum esse debebit quod usurpatum
» est contra legem? En ex me natam habetis regni hæredem : provideantur B
» huic puellæ honorabiles nuptiæ, et regno erit consultum. Redeat ergo Mo-
» nachus iterùm ad regulam, et sauciam de cætero sanet conscientiam ». Recla-
matum est ab omnibus. Sed cùm pium felixque propositum dissuaderi non
posset; de consilio Procerum, juveni clarissimo Barcinonensis Comitis filio
[Raimundo-Berengarii] filiam despondit; regnoque illi cum filia tradito, vir
memorabilis præcipuusque mundi contemptor, pungentes conscientiæ stimulos
ultra non passus, postpositâ purpurâ cucullam reinduit, et regnum claustro
* An. 1137. mutavit *. Quibus actis, suasum est juveni ut regni insignia, id est, coronam
et purpuram solemniter sumeret, cùm regnum haberet. Negavit ille se hoc
facturum, ita allegans : « Cùm nullus progenitorum meorum supra Comitem
» fuerit, naturâ sum Comes : quâ contentus, sicut non sum melior, ita nec
» excellentior esse volo, quàm patres mei. Ut ergo in me fortuna naturam non C
» superet, nomen et insignia Regis omitto. Porrò ut in me etiam serviat for-
» tuna naturæ, retento Comitis nomine, regni amplitudinem et potestatem
» non respuo. Huc accedit quòd, regiâ dignitate assumptâ, non multis Regibus
» in divitiis et gloria cederem. At cùm mihi regni sint opes cum potestate regia,
» Barcinonensi Comiti nullus in mundo Comes potest æquari. Proindè malo
» esse Comitum primus, quàm Regum nec septimus ». Sic itaque vir mirabilis,
nobili quodam regii honoris contemptu, vel allegabat vel jocabatur, cùm
ab amicis excellentiam induere moneretur. Nec unquam vel Rex vel Dux,
sed Comes tantùm Barcinonensis appellari voluit; licèt Ducatum Provinciæ,
id est, illius regionis quæ sic dicitur, et a Rhodano usque ad Italiæ fines
extenditur, cum regno Arragonum possideret. Porrò ejus filius [Raimundus
* An 1162. qui et Alphonsus] post decessum patris *, juxta materni prærogativam generis, D
a Romano Pontifice in Regem est solemniter consecratus.

Pater verò, cum propter amicitiam Regis Anglorum, tum quia Comiti S.
Egidii infestus erat, cum immodicis gentis subditæ copiis, Tolosanæ (ut dictum
est) expeditioni interfuit. Guillelmus (*a*) quoque cognomento *Trenchevel*, vir
nobilis et potens, nonnullarum civitatum et multorum dominus castellorum,
odio memorati Comitis, in cujus manus (ut dicitur) ante inciderat, et de
quibus ægrè et non nisi plurimâ terrarum suarum parte mutilatus evaserat,
cum quantis poterat viribus Regi Anglorum assistebat. Idem verò Comes tanti
exercitûs impetum pertimescens, Regis Francorum, qui uxoris suæ germanus
et filiorum erat avunculus, auxilium imploravit. Qui zelando pro nepotibus,
festinus adveniens cum aliquanta militia Tolosam intravit. Quod cùm innotuisset
Regi Anglorum, personæ Regis ibidem consistentis deferens, civitatem oppugnare E
distulit, et ad pervadendam provinciam expugnandasque munitiones convertit
exercitum. Caturcensem civitatem quæ a se defecerat, et fines ejus cum nu-
merosis castellis deditione recepit, plurima quoque expugnavit et cepit. Quibus
actis, et memorato Guillelmo *Trenchevel* (*b*) munitionibus, quas illi sorte bellicâ
Comes Egidiensis extorserat, redditis, in Normanniam rediit.

Cap. 11. Sanè quoniam de eodem Guillelmo incidenter facta est mentio; silendum
non est quid in illum postea, excrescente supra modum malitiâ, sit a suis
commissum : quàm levis occasio piaculare peperit scandalum, et quàm terribile
subsecutum sit inauditæ ultionis exemplum. Res enim recentis memoriæ est,

(*a*) *Corr.* Raimundus *Trencavel*, Vicecomes Carcassonensis et Biterrensis

(*b*) Codex Picardi addit : *coadjutori suo*

Digitized by Google

A crebro certoque mihi comperta relatu. Idem vir nobilis et magnus, juxta nomen magnorum qui sunt in illa terra, cùm post Tolosanam, cui interfuit, expeditionem, finibus suis per circuitum fortiter defendendis in pace ageret; causa exstitit ut nepoti incursu hostium laboranti, subvenire deberet. Denique ipse cum manu non parva præcedens, præcepit ut reliquus exercitus sequeretur. Erumpens ergo ex subjectis urbibus Bederensi (*a*) et Carcassonensi, juventus non modica, armis animisque instructa properabat. Contigit autem ut quidam Bederensis, numero fretus concivium, Equiti non ignobili simul procedenti petulanter injuriam faceret, equo ejus militari, quem dextrarium vocant, ablato et ferendis in via sarcinis deputato. Eques verò, sibi toto ordine equestri adjuncto, in præsentia Ducis acerrimam movit querelam, illatam injuriam tanquam minùs quidem damnosam, sed multùm dedecorosam exaggerans. Dux
B verò placare volens Equites, constanter pronuntiantes quòd protinùs ab exercitu discederent, si Bederenses concivis sui impunitate gauderent, auctorem injuriæ conquerentium tradidit voluntati. Quem illi levi quidem, sed aliquantulùm indecorâ mulctatum pœnâ, tanquam dehonestatum et deinceps sine honore victurum dimiserunt. Unde vehementer indignata est civitas Bederensis, quasi unius civis vel exiguum dedecus universitatem suam maculasset. Itaque universi cives domino suo ab expeditione reverso lacrymabiliter supplicarunt, ut aliquo honesto et competenti modo subjectæ et devotæ sibi urbis dedecus aboleret. Ille, ut erat animi satis civilis, clementer humiliterque respondit, seque id quod necessitate placandi Equites actum fuisset, libenter emendaturum, et civibus optimis die certo ex eorum arbitrio solemniter satisfacturum spopondit : quam illi sponsionem amplexi, quieverunt. Statuto die sponsor
C cum amicis et subjectis nobilibus adfuit : et basilicam cathedralem ingressus, civium, quibus præsente Episcopo satisfaceret, præstolabatur adventum. Illi quoque, furore callidè dissimulato, mox affuere, loricas et sicas veste superductâ tegentes; procedensque in medium qui injuriam fecerat, et ignominiam reportarat : « Ecce ego, inquit, homo infelix et vitæ pertæsus, eò quòd mihi » contigerit cum dedecore vivere. Dicat nunc, si placet, dignatio tua, domine » mi, utrùm velit quod circa me actum est emendare, ut velim possimque » vivere ». Tunc vir memorabilis satis civiliter et infrà personam dominantis : « Paratus sum, inquit, super hoc præsentium Procerum consilio civiumque arbi» trio stare, sicut spopondi ». Rursùs ille : « Benè, inquit, diceres, si alicujus exhi» bitione honoris a te nostra posset confusio compensari. Nunc autem cùm in éa » mensura, quâ mensus es nobis dedecus, non possis remetiri honorem, nostram
D » non aliter quàm tuo necesse est sanguine maculam expiari ». Quo dicto, arma cives nequissimi, quæ occuluerant, retexerunt; et impetu facto coram sacro altari, frustra se penè usque ad periculum proprium objectante Episcopo, dominum proprium cum amicis et Proceribus suis lanistæ crudelissimi peremerunt (*b*). An. 1167.

Quod cùm esset omnibus per circuitum gentibus in stuporem et sibilum, cunctis factum detestantibus et pestiferæ conspirationis collegia meritò imprecantibus; finitimi Principes, arbitrantes obsequium se præstare Deo, si gentem malignam abraderent, ad faciendam vindictam in nequissimos junctis se viribus præparabant. Illi quoque urbis suæ firmitate confisi, quantis se poterant apparatibus muniebant. Ac primò quidem Romanus Pontifex, tanti sceleris atrocitate auditâ, scelestissimos illos ecclesiasticæ maledictionis jaculo perculit. Rex verò Arragonum cum aliis Principibus consequenter maledictam urbem obsedit : cùm-
E que obsidio aliquandiu traheretur, et obsidentibus tum propter loci munimina, tum quia obsessis pro anima res erat, ferè inextricabilis capiendæ urbis difficultas obsistere videretur; obsessores moræ prolixioris pertæsi, ne non aliquid ageretur, cum illis quos expugnare non poterant pacem fecerunt, eosque domino proprio, illius scilicet filio [Rogerio] quem mactaverant, pactis pro satisfactione paternæ necis intervenientibus, reconciliaverunt. Fœderibus ergo celebratis, soluta est obsidio, et benè actum videbatur. Quod utique divinâ (sicut postea claruit) ordinatione provenit, ut scilicet viribus inexpugnabiles congruam ad

(*a*) Concordat cum editis Ms. codex quo usus est Picardus, scribendo *Bederensi* pro Bitterrensi, civitate, ut ait Rigortius, opulentissimâ.

(*b*) Anno MCLXVII *Trencavellus Dominicâ die in Ecclesia S. Mariæ Magdalenæ a Bitterrensibus est interfectus*, ex chronico Nemausensi. Sed aliam illius cædis causam affert Goffridus Prior Vosiensis, ut videre est, T. XII, p. 436.

Digitized by Google

interitum acciperent talionem, qui dominum modestum et bonum artificiosâ perfidiâ crudeliter trucidarant, et eodem illis modio remetiretur a filio, quo ipsi priùs patri mensi fuerant. Nam cùm fortè eidem filio, joco vel serio, improperatum esset a quodam nobili, quòd perfidis civibus extincti patris sanguinem vendidisset; ita est sauciatus hoc verbo, ut fidem servare perfidis indecorum reputans, doloris simul et pùdoris urgentibus stimulis, festinam paternæ necis quocumque modo meditaretur ultionem. Mox illustri Arragonum Regi mysterium conceptæ intentionis aperiens, accepit ab eo, tanquam ad adjutorium contra Comitem Egidiensem, non parvas gentis ferocissimæ copias. Et præcurrens ad civitatem Bederensem, famâ priùs arte dispersâ quòd idem Comes irruptionem moliretur, civibus supplicavit ut, quoniam Regis Arragonum amicitiâ et ope gaudebat, mox affuturis Arragonibus hospitium in transitu exhibentes, justæ commutationis * modum victualia ministrando servarent. Venientes ergo Arragones, non quidem simul, ne essent terribiles et eorum ingressus nequaquam pacificus videretur, sed pauci et pauci per dies aliquot, tandem omnes ingressi urbem repleverunt. Cùmque per totam essent in hospitiis civitatem, repentè ad signum datum raptis armis, impetum in proximos quosque cives fecerunt, totumque urbis populum furore insatiabili ferè in momento peremerunt. Sic maledictus ille populus, justâ ordinatione, mercedem quam oportuit perfidiæ suæ et crudelitatis accepit. Porrò ministri ultionis, pro mercede sui operis, habitationem (ut dicitur) acceperunt perfidorum cædibus civium expiatæ civitatis. Iis explicitis, quoniam pro tempore memorabilia videbantur, ad susceptæ historiæ seriem redeamus.

* *Al* communicationis.

Cap. 12. Igitur Rex Anglorum Henricus secundus ab expeditione Tolosana reversus, brevi quievit. Sequenti enim anno, qui fuit regni ejus octavus *, ira inter ipsum et Regem Francorum tempore ejusdem expeditionis concepta, causis ingravescentibus, tandem quasi parta erupit, et subditarum quietem provinciarum motibus turbulentis corrupit. Denique immensis hinc inde exercitibus congregatis, in terrarum confiniis castris e regione dispositis, uterque Princeps cum suis copiis consistebat; quia et progredi periculosum, et retrogredi indecorum videbatur : paratiorque uterque erat vel Princeps vel exercitus, propter bellici discriminis ambiguos exitus, prælium excipere, quàm inferre. Viri ergo pacifici hanc hæsitationem habentes, ne duorum zelus et superbia hominum strages innoxiorum parerent populorum, piè cautèque sategerunt. Et quoniam sub clypeo, ut dici solet, meliùs plerumque procedit pacis negotium, Principibus quod priùs ne audire quidem sustinebant, sine magna difficultate persuasum est. Itaque pacificati sunt Principes, et populi redierunt in sua.....

* *Corr.* sextus. An. 1160.

Cap. 13. Iisdem diebus erronei quidam venerunt in Angliam, ex eorum, ut creditur, genere quos Publicanos vocant. Hi nimirùm olim ex Gasconia (*a*) incerto auctore habentes originem, regionibus plurimis virus suæ perfidiæ infuderunt. Quippè in latissimis Galliæ, Hispaniæ, Italiæ, Germaniæque provinciis tam multi hac peste infecti esse dicuntur, ut secundùm Prophetam multiplicati esse super numerum arenæ videantur. Denique cùm a Præsulibus Ecclesiarum et Principibus provinciarùm in eos remissiùs agitur, egrediuntur de caveis suis vulpes nequissimæ, et prætentâ specie pietatis, seducendo simplices vineam Domini Sabaoth

(*a*) Primus horumce in Gallia hæreticorum ortus, post damnatos regnante Roberto Manichæos Aurelianenses, fuit ante an. 1101 in provincia Aginnensi, quorum errores insectatur Radulfus Ardens eo anno demortuus, *Serm.* 3 *in Dom.* VIII. *post Trinitatem*, ut videre est T. XII, p. 439. Eorum de grege fuisse videntur Petrus de *Bruys*, anathemate percussus in Concilio Tolosano an. 1119, et apud S. Ægidium igni traditus, necnon Henricus hæresiarcha qui an. 1116 in Cenomannos irrepsit, damnatus subinde in Conciliis Pisano an. 1134 et Remensi 1148. Ad eamdem hæresim accedebat Tankelinus Antwerpiæ an. 1124 deprehensus, itemque Clementius an. 1113 apud Buciacum prope Suessiones, teste Guiberto de Novigento, cum aliis *exustulatus*. Non sic tamen extincta infelix propago. Annalista enim de *Margan* apud Thom. *Gale* ad an. MCLXIII, *famâ vulgante*, inquit, *percrebruit quòd quidam pseudo-prophetæ surrexerunt, terramque Petragoricæ regionis adierunt, qui vitam se Apostolicam ducere, moresque imitari mentiebantur. Erant autem hujusmodi sectæ cultores : sine intermissione prædicabant, nudipedes incedebant, septies in die genua flectebant, et toties in nocte, pecuniam a nullo accipiebant, carnem non comedebant, vinum non bibebant, cibos datos sobriè accipiebant; eleemosynam nihil valere dicebant, quia unde fieri possit a nemine debet possideri; Communionem sacram accipere renuebant, Missam nihil esse dicebant; parati erant mori et cruciari pro lege sua; prodigia quædam facere videbantur, aquam enim in vinum mutabant, vas vacuum, suo vino parumper infuso, plenum inveniebant; coram eis cæci visum, surdi recipiebant auditum. Si illiterati ad eos veniebant, infra octo dies tam prudentes fiebant, ut nec litteris nec exemplis superari possent; nullo compedum genere vinciri poterant. Duodecim fuere magistri, excepto principe eorum qui Poncius vocabatur.* Quo ex contextu tempus investigari potest illius epistolæ, quam post Mabillonium recudimus, T. XII, p. 530. Mittimus alios an. 1167 Vizeliaci et in Flandria deprehensos, necnon Albigenses quorum sequiori ætate longa erit historia.

Digitized by Google

A tanto graviùs, quantò liberiùs demoliuntur. Cùm autem adversùs eos igne Dei fidelium zelus succenditur, in suis foveis delitescunt, minusque sunt noxii; sed tamen occultum spargendo virus nocere non desinunt, homines rusticani et idiotæ, atque ideò ad rationem hebetes; peste verò illâ semel haustâ ita imbuti, ut ad omnem rigeant disciplinam : unde rarissimè contingit eorum aliquem, cùm e suis latebris proditi extrahuntur, ad pietatem converti. Sanè ab hac et ab aliis pestibus hæreticis immunis semper exstitit Anglia, cùm in aliis mundi partibus tot pullulaverint hæreses.... Erant autem tam viri quàm fœminæ paulò ampliùs quàm triginta, qui dissimulato errore, quasi pacificè huc ingressi sunt propagandæ pestis gratiâ, duce quodam Gerardo, in quem omnes tanquam præceptorem ac principem respiciebant; nam solus erat aliquantulùm literatus, cæteri verò sine literis et idiotæ, homines planè impoliti et rustici,
B nationis et linguæ Teutonicæ. Aliquandiu in Anglia morantes, unam tantùm mulierculam venenatis circumventam susurris, et quibusdam, ut dicitur, fascinatam præstigiis suo cœtui aggregaverunt. Non enim diu latere potuerunt; sed quibusdam curiosè indagantibus, quòd peregrinæ essent sectæ deprehensi, tentique sunt in custodia publica. Rex verò nolens eos indiscussos vel dimittere vel punire, episcopale præcepit Oxoniæ Concilium * congregari : ubi dum solem- * An. 1160.
niter de religione convenirentur, eo qui literatus videbatur, suscipiente causam omnium et loquente pro omnibus, Christianos se esse et doctrinam Apostolicam venerari responderunt. Interrogati per ordinem de sacræ fidei articulis, de substantia quidem superni Medici recta, de ejus verò remediis quibus humanæ infirmitati mederi dignatur, id est, divinis sacramentis perversa dixerunt, sacrum Baptisma, Eucharistiam, Conjugium detestantes, atque unitati catholicæ, quam
C hæc divina imbuunt subsidia, ausu nefario derogantes. Cùmque sumptis de Scriptura divinis urgerentur testimoniis, se quidem ut instituti erant credere, de fide verò sua disputare nolle, responderunt. Moniti ut pœnitentiam agerent et corpori Ecclesiæ unirentur, omnem consilii salubritatem spreverunt, minas quoque piè prætentas, ut vel metu resipiscerent, deriserunt, verbo illo Dominico abutentes : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam* *Matt.* V.
ipsorum est regnum cœlorum. Tunc Episcopi, ne virus hæreticum latiùs serperet præcaventes, eosdem publicè pronuntiatos hæreticos, corporali disciplinæ subdendos catholico Principi tradiderunt : qui præcepit hæreticæ infamiæ characterem frontibus eorum inuri, et spectante populo virgis coercitos urbe expelli, districtè prohibens ne quis eos vel hospitio recipere, vel aliquo solatio confovere præsumeret. Dictâ sententiâ, ad pœnam justissimam ducebantur gaudentes, non
D lentis passibus præeunte magistro eorum et cantante. *Beati eritis cùm vos oderint homines;* in tantùm deceptis a se mentibus seductorius abutebatur spiritus. Illa quidem muliercula, quam in Anglia seduxerant, metu supplicii discedens ab eis, errorem confessa reconciliationem meruit. Porrò detestandum illud collegium, cauteriatis frontibus, justæ severitati subjacuit, eo qui primatum gerebat in eis, ob insigne magisterii inustionis geminæ, id est in fronte et circa mentum, dedecus sustinente; scissisque cingulo tenùs vestibus publicè cæsi, et flagris resonantibus urbe ejecti, algoris intolerantiâ (hyems quippe erat) nemine vel exiguum misericordiæ impendente, miserè interierunt. Hujus severitatis pius rigor non solùm peste illâ quæ jam irrepserat, Angliæ regnum purgavit; verùm etiam ne ulteriùs irreperet, incusso hæreticis terrore, præcavit.

Eodem tempore, Romanus Pontifex Alexander de Apulia liquido itinere *Cap.* 14.
E venit in Gallias (*a*). Cùm enim illi, ut superiùs dictum est, præter terras Ale- An. 1162.
mannicæ subditas potestati, totus in iis quæ Dei sunt orbis pareret Latinus; vias tamen obsidentibus Octaviani satellitibus, et vel eum adeuntes vel ab eo redeuntes, si qui fortè inciderent, rebus omnibus spoliatos, carcerali quoque custodiæ mancipantibus; rarissimus ad illum poterat esse accessus. Unde nec ipse poterat, ut volebat et decebat, fungi summo Sacerdotio, et longiùs Apostolicæ brachium extendere potestatis. Hujus rei gratiâ mari se credens, et cum ingenti periculo provincias adiens Occidentis, occurrentibus ei Præsulibus et no-

(*a*) Dominicâ Passionis an. 1162 egressus Genuâ Alexander, Magalonam tandem appulit, ac Junio mense profectus Monte-pessulano, per Alestum atque Mimatum et Anicium iter faciens, Alverniæ in partes intravit, et Vigiliâ Assumptionis beatæ Mariæ Clarummontem feliciter pervenit, ut colligitur ex actis ejusdem Pontificis a Baronio editis atque a nobis recudendis.

Digitized by Google

bilibus regionum Gallicanæ Ecclesiæ, multorum desideriis exspectatus advenit. A
Magni quoque Francorum et Anglorum Reges, adventum ejus solemni honorantes occursu, qualia regiam decebant magnitudinem, insigni exsuli hilariter obsequia præstiterunt. Principum itaque favore adjutus, convocatis Ecclesiarum Pastoribus, in octavis Pentecostes generale Concilium cum multa gloria Turone celebravit, anno ab Incarnatione Domini MCLXIII...

Cap. 16. An. 1163. Anno Concilii ejusdem nondùm emenso, adversùs venerabilem Thomam Cantuariensem Archiepiscopum ira Regis Anglorum excanduit, multorum et enormium malorum, quæ secuta noscuntur, infame principium.... Cùmque in dies regii furoris causæ ingravescerent,... clam profugiens [Archiepiscopus] transfretavit; et susceptus honorificè a Rege, nobilibus Episcopisque Francorum, pro tempore ibidem consedit. Rex verò Anglorum in absentem irrationabiliter sævus, et plus quàm deceret Principem effrenato furori indulgens, indecorâ B
satis et mirabili ultione omnem ejus propinquitatem Angliæ finibus exturbavit. Sanè cùm plerique soleant in iis quos amant et laudant, affectu quidem propensiori, sed prudentiâ parciori, quid quid ab eis geritur approbare; planè ego in illo viro venerabili, ea quæ ita ab illo gesta sunt, ut nulla exinde proveniret utilitas, sed fervor tantùm accenderetur regius, ex quo tot mala postmodùm pullulasse noscuntur, laudanda nequaquam censuerim, licèt ex laudabili zelo processerint....

Cap. 17. An. 1164. Alexandro post Turonense Concilium in Galliis commorante, Octavianus qui Victor est dictus, extremâ sorte devictus, initi certaminis victoriâ caruit, et nominis quod tanquam pro omine a suis acceperat, fallax præsagium non implevit (*a*). Tunc Joannes de S. Martino, imperiali favore adjutus, Guidonem Cremensem collegam suum loco devicti Victoris instituit, ne victi vi- C
derentur. Alexander verò annis aliquot in Galliis demoratus, repatriandi iter arripuit, apud Montem-pessulanum transitum in Apuliam opperiens opportunum. Imperator verò non quiescens, secretis (ut dicitur) litteris et promissis amplissimis apud Guillelmum ejusdem urbis dominum agere studuit, ut proderet hospitem. At vir memorabilis integræ fidei inventus est, et insignem hospitem decentissimè honoravit. Cùmque Cardinales cum multitudine virorum fortium, qui Jerosolymam properabant, Dromonem (*b*) Hospitalis Hierosolymitani ingressi, dominum Papam mox secuturum, jactis in alto maris anchoris, exspectarent; contigit Dromonem a prætereunte classe piratica infestari. Advehebatur Pontifex ex triremi ingressurus Dromonem; sed conspectis circa Dromonem piratis, mox remis retortis, in Magalonensem se portum recepit. At ii qui erant in Dromone, tam viriliter restitere piratis, ut confusos nec illæsos D
abigerent. Itaque dominum Papam non ulteriùs cum periculo exspectandum censentes, cursu prospero fines regni Siculi attigerunt. Idem verò Pontifex post dies aliquot in alia navi mari se credidit, et secundis in Apuliam flatibus, nullo prorsùs obsistente, transivit; susceptusque reverenter a Rege Siculo, et quotquot erant ejus ditioni subjecti, cives quoque Romanos cum Optimatibus post modicum devotos et subditos habuit....

Cap. 18. Anno quo Papa Alexander (ut dictum est) relictis Galliis, in Apuliam remeavit;... Rex [Angliæ Henricus] ex Walliis reducto exercitu, ad alia vocatus negotia transfretavit (*c*), filiorum propensiori operâ futuræ promotioni et ditationi prospiciens. Quippe ex Alienora, quondam Francorum Regina, susceptis quatuor filiis, Henricum natu majorem regni Anglici et Ducatûs Normannici cum Andegavensi Comitatu successorem relinquere; Richardum verò Aquitaniæ, et Gaufri- E
dum Britanniæ præficere cogitabat, quartum natu minimum Joannem Sine-terra cognominans. Tres quidem ex eadem habens filias, unam Regi Hispaniæ, [Alphonso], alteram verò Saxoniæ Duci [Henrico] despondit, tertiam nondùm nubilem Regi Siciliæ suo tempore comparem daturus. Verùm quod præficiendo Britanniæ filio cogitabat, artibus viribusque paulatim præparabat; cùm necdùm suæ Britanniam ditioni subjugasset. Jam tamen duos in eamdem provinciam præparatos habebat ingressus, civitatem scilicet Nannetensem et castrum Do-

(*a*) Anno 1164 die 20 vel 22 Aprilis, Octavianus Antipapa extinctus est.

(*b*) Sigeberti continuator ad an. 1191, *Dromonem* non ex celeritate, cui interpretationi favet græca significatio, sed ex magnitudine sic dictam navem existimat: *invenit*, inquit, *navem Paganorum permaximam, quam Dromonem vocant.*

(*c*) Alexander Papa anno 1165 Galliis valefecit. Henricus verò e Wallia in Franciam rediit anno 1166, ex Gervasii chronico.

Digitized by Google

A lense. Contigit autem Conanum, Comitem scilicet Richemontensem, qui majori Britanniæ parti dominabatur, in fata concedere (*a*), relictâ ex sorore Regis Scottorum hærede unicâ filiâ : quam Rex innubilem impuberi filio copulans, omne jus puellæ in propriam potestatem redegit. Erant autem in Britannia quidam nobiles tantarum opum et virium, ut nullius unquam dignarentur subjacere dominio. His multis annis retrò, dominandi libidine atque impatientiâ serviendi, hostiliter contendentibus ; præclara olim provincia ita dilacerata atque attenuata erat, ut in ea ex agris opulentissimis vastæ solitudines viderentur. Cùmque a potentioribus inferiores premerentur, Regis Anglorum auxilium expetentes, ejus se ditioni spontaneè subdiderunt. Quibus ille prompto animo et profusis opibus auxilium subministrans, ipsos quoque potentes, qui et magnitudine virium et vix accessibilium naturâ locorum eatenùs inexpugnabiles cre-
B debantur, subegit. Sicque in brevi Britanniâ totâ potitus, turbatoribusque expulsis vel domitis, eam in cunctis finibus suis ita disposuit atque composuit, ut populis in pace agentibus, deserta paulatim in ubertatem verterentur....

Anno Henrici secundi sexto-decimo, ipse et Rex Francorum, cùm jam diusculè *Cap.* 24.
fuissent discordes, mediantibus viris pacificis, pacis iterùm inter se jura firmarunt (*b*). Illius autem discordiæ causa hæc fuit. Rege olim Stephano tumultibus Anglicis occupato, Comes Andegavensis invasit obtinuitque Normanniam, præter Gisortium et duo alia quasi appendentia castella, quæ in potestatem Regis Francorum cesserunt. Hanc juris Normannici diminutionem processu temporis ejusdem Comitis filius, Rex scilicet Anglorum Henricus secundus, non patiens, arte magis quàm viribus in hac parte vidit utendum. Denique per virum industrium, Thomam scilicet Cancellarium suum, egit apud Regem Francorum
C ut filia ejus [Margareta], ex filia Regis Hispanici quæ nupserat ei post Alienoram, primogenito suo Henrico daretur in conjugem * ; munitionibus illis in dotem ce- * An. 1158.
dentibus, quæ tamen a Templariis tanquam in sequestro custodirentur, donec pueri, qui nondùm per ætatem nuptias contrahere poterant, suo tempore nuptialiter convenirent, Rege Anglorum interim utriusque pueri habente custodiam. Verùm idem Rex, aliquot annis elapsis, productioris moræ impatiens, inter eosdem pueros nuptias celebravit præmaturas, * et a Templariis castella * An. 1160.
recepit. Quamobrem sævientibus Francis, et ipsum quidem prævaricationis, Templarios verò proditionis accusantibus, ad lites et bella ventum est. Sed crebris experimentis edocti se ejusdem Regis potentiæ vim inferre non posse, irâ paulatim defervescente, tandem pactis quibusdam mediantibus, adquieverunt ut fieret pax, et facta est pax : non quidem solida, sed temporalis,
D ut postea claruit; nempè memorati duo Reges nunquam diu inter se quievisse noscuntur, populis hinc inde plecti assuetis, quidquid illi per superbiam delirassent (*c*).

Anno a partu Virginis MCLXX, qui fuit Regis Henrici secundi septimus-decimus, *Cap.* 25.
idem Rex Henricum filium suum in ætate tenera fecit solemniter consecrari et coronari in Regem Lundoniis, per manum Rogerii Eboracensis Archiepiscopi. Nam venerabilis Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, Rege nondùm placato, licèt Romanus Pontifex et Rex Francorum plurimùm circa reconciliationem ejus satagerent, adhuc in Galliis exsulabat. Qui cùm factum audisset, pro Ecclesia sua æmulans, Romano Pontifici cujus favore et suffragiis fovebatur, rem celeriter intimavit; idque in suum et Ecclesiæ suæ præjudicium actum esse allegans, ad coercendos tam Eboracensem, qui in aliena provincia hoc atten-
E taverat, quàm Episcopos qui præsentes assensum præbuerant, magnæ districtionis litteras impetravit. Sanè Rex Anglorum, tempore modico post filii coronationem in Anglia commoratus, transfretavit. Cùmque crebris domini Papæ monitis atque importunis illustris Francorum Regis precibus pulsaretur, ut saltem post septennium exsilii, insigni illi exsuli placari dignaretur ; tandem adquievit, et celebrata est inter eos solemnis, et quantò serior, tantò optatior gratiorque concordia (*d*). Rege ergo in transmarinis partibus consistente, idem Archiepiscopus cum licentia et gratia regia ad Ecclesiam propriam remeabat. Habebat autem

(*a*) Conanus an. 1171, die 20 Februarii mortalitatem explevit, ut tradunt chronica Britannica.

(*b*) Anno 1169 Reges in concordiam rediere, cùm ab an. 1167 fuissent discordes, ex Gervasio chronico.

(*c*) Huc redit Horatianum illud Epist. lib. I, Ep. 2 : *Quidquid delirant Reges, plectuntur Achivi.*

(*d*) Hæc concordia facta est Gisortium inter et Triam, Normanniæ oppida, præsentibus Willelmo Papiensi Presbytero et Odone Diacono Cardinalibus.

Digitized by Google

penès se, Rege inscio, litteras domini Papæ contra Eboracensem et alios Episcopos, qui illi infaustissimæ coronationi interfuerunt, impetratas, factæ jam concordiæ irritatrices et majoris iræ provocatrices futuras. Has in Angliam ad suspensionem Episcoporum præmissas, ipse sequebatur zelo justitiæ fervidus; utrùm autem plenè secundùm scientiam novit Deus. Nostræ enim parvitati nequaquàm conceditur de tanti viri actibus temerè judicare. Puto tamen quòd beatissimus Papa Gregorius, in molli adhuc teneraque Regis concordia, mitiùs egisset, et ea quæ sine fidei Christianæ periculo tolerari potuissent, ratione temporis et compositione pacis dissimulanda duxisset.... Itaque quod a venerabili Pontifice tunc est [factum] nec laudandum esse judico, nec vituperare præsumo : sed dico, si vel modicè in hujusmodi a sancto viro per zeli laudabilis paulò immoderatiorem impetum est excessum, hoc ipsum est sacræ, quæ consecuta noscitur, igne passionis excoctum. Ita quippe sancti viri vel amandi vel laudandi sunt a nobis, qui nos illis longè impares esse cognoscimus, ut tamen in quibus homines vel fortè fuerunt, vel fuisse noscuntur, nequaquam vel amemus vel laudemus : sed ea tantùm in quibus eos sine scrupulo imitari debemus. Quis enim dicat, eos in omnibus quæ ab ipsis fiunt, esse imitabiles ? Non ergo in omnibus quæ faciunt, sed sapienter et cautè debent laudari, ut sua Deo prærogativa servetur, in cujus utique laudibus nemo potest esse nimius, quantumcumque laudare conetur (*a*).

Igitur Episcopis pro memorato excessu (qui utinam pro tempore dissimulatus fuisset) ad instantiam venerabilis Thomæ, Apostolicæ sedis auctoritate ab omni episcopalis officii dignitate suspensis, Rex quorumdam querelis exasperatus infremuit : et turbatus supra modum, atque in ipso fervore erumpentis furoris parùm sui compos, ex abundantia cordis turbidi eructavit verba non sana.... Insecuti enim satellites Diaboli, neque sacri ordinis, neque sacri vel loci vel temporis reverentiam ut Christiani habuerunt; sed Sacerdotem magnum, stantem ad orationem, ante venerandum altare aggressi, in ipsis Christi Natalitiis * Christiani nequissimi gladiis crudelissimè peremerunt... Sanè tanti piaculi fama in brevi per omnes ferè Latini orbis fines dispersa, illustrem Anglorum Regem infamavit, et præclaram ejus inter Reges christianos gloriam ita denigravit; ut, quoniam vix credi poterat illud absque ejus voluntate et mandato fuisse attentatum, ferè omnium imprecationibus impeteretur, et publicis insectandus odiis censeretur.... Tum verò idem Rex, dum ferè omnes in eum beati viri necem refunderent, et Francorum maximè Principes, qui felicitatis ejus æmuli semper exstiterant, adversùs eum, tanquam in verum certumque tantæ enormitatis auctorem, sedem Apostolicam instigarent; responsales Romam direxit, ut precum verecundiâ ferventem invidiam temperaret. Qui cùm Romam venissent, cunctis Regem Anglorum execrantibus, ægrè admissi sunt. Constanter verò allegantes quòd domini sui mandato sive consensu tantum facinus non fuisset commissum; tandem impetraverunt ut a latere domini Papæ Legati in Gallias cum plenitudine potestatis mitterentur, qui re diligenter inquisitâ et cognitâ, eumdem Regem vel ad purgationem famæ suæ admitterent, vel reum inventum censurâ ecclesiasticâ coercerent : quod et factum est. Missi enim a sede Apostolica Cardinales duo, venerabiles scilicet Albertus, qui postea eidem sedi præfuit, et Theodinus in Gallias venerunt; factoque in terra Regis Angliæ celebri Conventu ecclesiasticorum virorum atque nobilium (*b*), ejusdem Principis humilitatem ibidem apparentis, et constanter asserentis quòd suâ neque voluntate neque jussione illud, quo fama ejus gravabatur, contigerit, et quòd de nulla re unquam magis doluerit, purgationem solemniter susceperunt. Sanè non negavit homicidas illos ex aliquibus verbis ejus incautiùs prolatis occasionem ausumque tanti facinoris suscepisse, cùm de suspensione Episcoporum accepto nuncio, irâ immoderatiori absorptus minùs sobriè loqueretur : « Et propter hoc, inquit, disciplinam non refugio chris» tianam : decernite quod placuerit, devotè amplectar exequarque decretum ». Quo dicto, et veste abjectâ, juxta morem publicè pœnitentium, nudum se

* An. 1170.

(*a*) Præclara hæc observatio ac viro sapiente digna, cui nemo est qui non succinat a præjudicatis opinionibus liber.

(*b*) « Anno 1172 post Pascha, *inquit Robertus de* » *Monte*, Rex Henricus locutus est cum eis (Le» gatis Cardinalibus) primò Savignei, postea » Abrincis, tertiò Cadomi, ubi causa illa finita » est, sicut litteræ publicæ testantur quæ inde » factæ sunt, et a multis personis quæ illuc con» venerant, retinentur ».

ecclesiasticæ

Digitized by Google

A ecclesiasticæ submisit disciplinæ. Hac tanti Principis humilitate delectati et præ gaudio lacrymati Cardinales, collacrymantibus et Deum laudantibus plurimis, confortatâ ejusdem Principis conscientiâ, et famâ minùs laborante, solverunt conventum....

Anno a partu Virginis MCLXXIII, qui fuit Regis Henrici secundi vicesimus, cùm *Cap. 17.* idem Rex in Angliam reversus ex Hybernia, in Normanniam postmodùm transisset ex Anglia, facta est execrabilis et fœda dissensio inter ipsum et filium ejus Henricum tertium, quem ante biennium, ut superiùs dictum est, in Regem fecerat solemniter consecrari. Cùm enim idem crevisset, et pubes jam factus vellet cum sacramento et nomine rem sacramenti et nominis obtinere, et patri saltem conregnare, cùm solus, ut ei a quibusdam insusurrabatur, de jure regnare deberet, quasi eo coronato regnum exspirasset paternum; indignans maximè
B expensas regiè faciendas sibi a patre parciùs ministrari, contra patrem intumuit, clamque ad socerum suum Regem Francorum, patri tædium moliturus, profugit : a quo nimirùm gratè susceptus, non tam quia gener erat, quàm quia a genitore desciverat, ejus se in omnibus consilio credidit. Francorum ergo virulentissimis adhortationibus animatus atque instigatus in patrem, quominùs jus violaret naturæ exemplo non est territus scelestissimi Absalonis. Pater verò, filii aversione compertâ, et quò profugisset agnoscens, misit ad Regem Francorum viros honoratos cum verbis pacificis, filium paterno jure reposcens, et si quid circa illum emendandum videretur, ejusdem se Regis consilio maturè emendaturum pollicens. Ad hoc ille : « Quis mihi, inquit, talia mandat » ? » Rex, aiunt, Anglorum. » Et ille : « Falsum est, inquit. Rex Anglorum ecce » adest, per vos mihi nihil mandat. Si autem patrem hujus, olim Anglorum
C » Regem, appellatis; scitote quia ille Rex mortuus est. Porrò quòd adhuc » pro Rege se gerit, cùm regnum filio, mundo teste, resignaverit, maturè » emendabitur ». Sic delusi responsales ad dominum suum rediere. Mox ille Henricus junior, Francorum consilio, malum patri undecumque moliens, partes Aquitaniæ clam adiit, et duos fratres impuberes ibidem cum matre consistentes, Richardum scilicet et Gaufridum, sollicitatos, connivente (ut dicitur) matre, in Franciam secum traduxit. Alteri enim Aquitaniam, alteri Britanniam suo tempore possidendas pater concesserat, et propterea per illum Aquitanos, per hunc verò Britones procliviùs suis partibus applicandos, Francis docentibus, intelligebat. Comitem quoque Flandrensem [Philippum] patris sui consobrinum, virum magnarum virium, et innumeræ bellicosæque cui præerat gentis fiduciâ in immensum gloriantem, grandibus promissis, annitente Rege Fran-
D corum, sibi adjunxit. Tunc multi potentes et nobiles, tam in Anglia quàm in partibus transmarinis, vel mero odio eatenùs dissimulato impulsi, vel vanissimis pollicitationibus sollicitati, a patre ad filium paulatim cœperunt deficere, et ad motus se bellicos modis omnibus præparare. Comes scilicet Leicestrensis, Comes Cestrensis, Hugo Bigotus, Radulphus de Fougeriis, aliique complures amplitudine opum et firmitate munitionum terribiles : multi etiam suis rebus viribusque minùs confidentes, ne nil agerent, concedendo in Franciam, hostilem animum declararunt. His accessit hostis truculentior Rex Scottorum, immites populos, et neque sexui neque ætati parcituros, finibus immissurus Anglorum. Cùm ergo tot tantique Proceres a Rege seniore descivissent, omnesque contra eum tanquam pro anima sua gererent; admodùm pauci erant qui ei fideliter et firmiter adhærerent, cæteris circa eum pendulè fluitantibus,
E dum a Regis junioris absorberi victoriâ scrupulosiùs formidarent. Tunc demùm vidit Rex senior (sic enim vulgò dicebatur) quàm inconsultè, immò quàm stultè egerit, præmaturè creando sibi successorem : minùs attendens quòd novarum rerum aucupatores Regem procliviùs sequerentur juniorem. Turbatis ergo rebus anxius, dum hostes interni externique urgerent, his quoque qui sibi adhærere videbantur, in gratiam filii remissiùs agentibus, minùs se credens, stipendiarias Bribantionum (*a*) copias, quas *Rutas* vocant, accersivit; eò quòd de thesauris regiis,

(*a*) Dissident in hac voce scribenda mirum in modum amanuenses. Quidam enim scribunt *Birbantiones*, alii *Brebationes*, nonnulli *Brebatios*, plures verò *Brabantiones*, idque rectiùs : quippè vi nominis ex Brabantia, Galliæ Belgicæ sive Germaniæ inferioris provincia, erupisse videntur ejusmodi prædones. Cæterùm cùm illi pretio suam opem addicerent, Henrico juniori pluris licitanti permulti adhæsere. Quod quidem in hunc Petrus Blesensis increpat, scribens Richardo Cantuar. Archiep. epist. inter vulgatas 47 : *Et unde hoc tibi*, inquit, *quòd Brabantionum factus es ductor, gentique*

Digitized by Google

quibus in tali articulo parcendum non esset, pecunia copiosa suppeteret. A

Cap. 28. An. 1173. Igitur mense Junio, quandò solent Reges ad bella procedere, finitimi Principes, contractis undecumque viribus, Regem hostiliter aggrediuntur Anglorum, sub obtentu quidem quasi pro filio æmularentur contra patrem, quâ nimirùm æmulatione nil stultius; re autem verâ proprii vel odii, ut Rex Francorum, vel emolumenti, ut Comes Flandrensis, negotium porrectâ occasione agentes. Porrò Rex Anglorum ad excipiendos tantorum hostium impetus minùs se poterat præparare, propter suorum tumultus internos, quibus vehementissimè angebatur. Cùm ergo propter manum imparem irrumpentibus non posset occurrere, munitiones tantùm quæ erant in terminis, dispertitis præsidiis, cautiùs studuit munire. Itaque Rex Francorum oppidum Vernullium, nullius rei necessariæ ad tolerandam obsidionem diutinam indigum, circumfuso concludit (*a*) exercitu, non nisi capto eo vel dedito progressurus. Comes verò Flandrensis B cum suis copiis a parte Flandriæ irruens, obsedit Albemarlam, valido inaniter fultam præsidio; cùm ejus oppidi dominus [Guillelmus] Comes scilicet Albemarlensis contra seniorem Regem, ceu multi alii, fluctuaret. Qui nimirùm, pro eo quòd oppidum minùs oppugnatum citò expugnatum est, cum Flandrensi creditus est collusisse : a quo captus cum omnibus quos illic Rex causâ præsidii miserat, alia quoque castella sua resignavit. Progrediensque Flandrensis exercitus, ad majora faustis animatus principiis, munitionem regiam quæ Castellum novum (*b*) dicitur, per dies aliquot adhibitis machinis, fortiter expugnavit : quâ tandem deditâ, Comes tamen Flandrensis gavisus non est. Frater namque ejus Matthæus, Comes Bononiensis, quo ille tanquam futuro successore gaudebat, qui de conjuge propria sobolem nequaquam susceperat, aut sperabat, in ejusdem oppidi expugnatione ictu sagittæ circa genu saucius, casu vulneris C in pejus vergente, decubuit, et post dies paucissimos inter curandum in fata concessit : fratri tantum ex suo interitu luctum relinquens, ut solutâ mox expeditione, lugubris ad propria remearet, sinistrum sibi eventum objectans atque imputans, qui Regem consobrinum, a quo nunquam læsus, crebrò autem beneficiis præventus exstiterat, causâ nequissimi filii hostiliter impetendum duxisset. Quo comperto, considerans idem Rex se jam bellicæ sollicitudinis parte dimidiâ pro tempore liberatum, adversùs partem reliquam propensiorem mox sumpsit fiduciam. Convocatis ergo stipendiariis copiis, et quotquot eum in illo articulo non deserendum putabant, denuntiavit Regi Francorum (qui jam partem æstatis plurimam in prænominati oppidi obsidione consumpserat, eoque maturè se potiturum sperabat) ut vel obsidionem deserere, vel ad diem certum discrimen sibi bellicum impendere minimè dubitaret. Primùm quidem Franci naturâ D feroces simul et arrogantes, præsertim cùm numero et apparatu bellico præstare viderentur, denunciationem derisere, id eum nullatenùs ausurum arbitrantes : verùm agnito quòd impavidus cum instructo adventaret exercitu (*c*), tunc primùm suspicari potuere aliquid eum ausurum. Illicò Rex eorum, accitis festinè Optimatibus, tractare cum eis cœpit de bello, missisque obviam Regi Anglorum uno Episcopo et Abbate, qui ab ore ejus acciperent utrùm congressurus accederet, ipse interim pro tempore copias instruebat. Ecce missi eidem Regi occurrerunt, qui nescio quid ordinans, seseque cum multa confidentia ostentans, armatus cum paucis aliquot stadiorum spatio exercitum anteibat. Cui cùm dicerent Regem Francorum velle certificari de prælio, vultu feroci et voce terribili : « Ite, inquit, » et dicite Regi vestro, quia ecce adsum ». Cùmque festinanter reversi, instantis jam de proximo Principis ferociam et obstinationem indicassent, consilium E habuerunt Rex et Optimates Francorum ut pro tempore cederent, et pugnaturi pro hæreditate patrum suorum impetum declinarent. Itaque castris relictis, cum tremendis illis copiis in Franciam refugerunt, armati tamen et compositis ordinibus, ne fugere viderentur : sicque qui paulò antè ferocibus animis et grandium rugitu verborum leones videbantur, tanquam lepores cedendo fugiendoque repentè inventi sunt. Porrò Rex Anglorum, indecorâ superborum hostium fugâ contentus, urgere et persequi noluit fugientes; sed exercitu ad hos-

excommunicatæ et perfidissimæ adhæsisti, ut perderes devotissimam tibi gentem? In quo te offendit, in quo gratiam tuam demeruit pater tuus?

(*a*) *Circa Octavas Apostolorum Petri et Pauli*, inquit Joan. *Bromton.*

(*b*) Joannes *Bromton* addit de *Driencurt.*

(*c*) Apud Joan. *Bromton : VI Idus Augusti, feriâ IV, Rex Angliæ cum Rege Franciæ bellaturus, venit usque castrum de* Brethul.

Digitized by Google

A tilium direptionem castrorum converso, oppidum cum solemni lætitia, suis qui ibidem fortiter egerant congratulaturus, intravit. Repertum est autem in castris frumenti et vini et escarum plurimùm, cum supellectile varia, quam abeuntes, instantibus adversariis, asportare non potuerant.

Externis ergò hostibus, quorum maxima erat potentia, Rege scilicet Fran- *Cap.* 29.
corum et Flandrensi Comite, divinâ voluntate propulsatis, interni minimè quievêre. Quorum plurimi condicto convenientes et conglobati, Dolum oppidum obtinuerunt, quod juris quidem est Britannici, sed Normannicis collimitatur finibus. Quo audito, Bribantiones regii maturè affuerunt, et congressi (*a*) cum eis, primò eorum multitudinem in oppidum refugere, mox etiam, capto oppido, in unius arcis angustias secedere compulerunt. Quibus ita conclusis, res cum summa celeritate defertur ad Regem Rotomagi consistentem. Ille cibi
B somnique oblitus, mutando vehicula, longa terrarum spatia transmeans, tam festinus affuit, ut volasse videretur. Cùmque oppugnandæ arci intenderet, conclusa multitudo angustias illas non ferens, misericordiam imploravit. Pactus ergo eis Rex vitam cum integritate membrorum, arce deditâ, insignem illam captivitatem custodiæ mancipavit. Ibi quippè Comes Cestrensis et Radulphus de Fougeriis, aliique nobiles ferè centum, in manus Regis, quem atrocissimis fuerant odiis insectati, Dei judicio inciderunt : a quo nimirùm multò clementiùs quam eorum meritis debebatur, tractati, pro tempore in vinculis quieverunt. Duo verò prænominati, qui clariores videbantur inter captivos, Regi de fidelitate servanda satisfacientes, relaxari meruerunt. In qua re procul dubio tanti Principis in prævaricatores infidelissimos, hostesque atrocissimos clementia jure miranda laudandaque censetur.

C Dum in transmarinis partibus a Rege vel circa Regem talia gererentur, in *Cap.* 30.
Anglia quoque non dissimilia provenerunt. Cùm enim Comes Leicestriæ [Ro- An. 1173.
bertus] qui primus a Rege defecerat, plurimos petulanti corrupisset exemplo, Richardus de *Lusci* qui tunc Angliæ sub Rege præerat, accepto a Rege mandato et exercitu properè convocato, Leicestriam obsedit : quâ deditâ et incensâ, oppugnationem castelli omittens, eò quòd ad urgentiora vocaretur, recessit. Porrò Rex Scotorum [Guillelmus] agnito quantùm Rex Anglorum in Normannia laboraret, cum gentis barbaræ et sitientis sanguinem immanissimis copiis, Anglorum fines ingressus [est]... Comes Leicestrensis cum classe hostili ex Flandria apud Orientales Anglos applicuit (*b*) : susceptusque a complice proprio, Hugone scilicet Bigoto, viro potente et callido, ibidem aliquamdiu cum adducto consedit exercitu.... Hugo verò ejusdem exercitûs, quan-
D tùm volebat, operâ usus, denunciavit Comiti Leicestrensi ut copias peregrinas, quas adduxerat, ad terram et castella proprii juris traduceret. Qui nimiùm diu multùmque hæsitans, eò quòd per medios hostium fines, qui ejus dicebantur transitum observare, absque grandi non posset periculo Leicestriam transmeare; tandem confidens de numero et virtute sociorum (habebat enim equites circiter octoginta electos, peditum fortium quatuor vel quinque millia) reputans etiam neminem sibi obstiturum in via, eò quòd in eis qui Regi favere videbantur, amicos haberet plurimos, constanter cum uxore et quodam nobili viro ex Francia, Hugone scilicet de Castello, totisque copiis iter arripuit. Regii autem Proceres apud S. Edmundum cum copiosa militia observabant. Cùmque illi propè jam essent, instructum contra eos exercitum produxerunt. Porrò illi, neque ad dextram neque ad sinistram declinare valentes, et necessitatem
E in alacritatem vertentes, turmis dispositis, audacter processêre. Commissum est itaque prælium (*c*) grave, his pro gloria, illis pro salute certantibus. Sed victoria concessit ad regios; captusque est Comes cum conjuge virilis animi fœmina, et memorato Hugone de Castello, et toto ferè equitatu; peditum verò multitudo ferè omnis interiit. Insignes captivi in Normanniam ad Regem sunt missi. De cæteris quoque factum est quod voluit.

Sanè cùm illa filii contra patrem infilialis vesania ferè biennio debacchata *Cap.* 31.
dinoscatur, primi anni insigniora gesta superiori sunt relatione digesta. Hyeme quidem paulisper a bellicis tumultibus cessatum est in partibus transmarinis; in Anglia verò non ita... Nec cessabat eo tempore Rex Junior optimates An-

(*a*) Ibidem : XIII *Kal Septembris.*
(*b*) *Appropinquante festo Sanctorum Omnium.*
(*c*) *Circa festum S. Lucæ Evangelistæ.* Ibid.

Digitized by Google

glorum, qui patri adhærere videbantur, per clandestinas litteras vel promissionibus allicere, vel comminationibus pulsare, ut eos ad suas quocumque modo partes traduceret. Quamobrem tunc in Anglia pauci admodùm nobiles fuisse traduntur, qui non circa Regem vacillarent, ab eo tempore defecturi, nisi maturiùs eorum fuisset meditationibus obviatum. A

Cap. 32. Igitur secundo initæ contentionis anno *, rursùm a magnis hostibus, scilicet
* An. 1174. Rege Francorum, Comite Flandrensi, Rege Scottorum, bellum adversùs seniorem Anglorum Regem totis viribus instauratur. Et Comes quidem Flandrensis, fraterni jam oblitus exitii, pro ambitu Anglicanæ provinciæ quæ Cantia dicitur, de qua scilicet Regi juniori jam hominium fecerat, cum eodem in Angliam transiturus, copiis classem parabat. Rex verò Francorum contractum undecumque exercitum, invasurus Normanniam, instruebat. Quibus cognitis, Rex Anglorum senior, malens sibi fines transmarinos periclitari quàm regnum (quos B tamen cautè credidit muniendos; prævidebat enim neminem in Anglia, se absente et tanquam non exstante, illi qui successurus exspectabatur, obstiturum) præventis hostibus, cum aliquanto equitatu et una Bribantionum turma in Angliam maturè advehitur. Interea Rex Scottorum cum propriæ gentis * infinita barbarie, atque accersitorum ex Flandria stipendiariorum equitum peditumque manu non modica, fines Anglorum ingressus [est]....

* *Al.* insignita.

Cap. 34. Jam venerat in Angliam a Normannia Rex Henricus secundus, filio cum Flandrensibus copiis adventuro suæ murum præsentiæ objecturus. Recordatus autem quantùm in Ecclesiam Cantuariensem deliquisset, eamdem mox ut applicuit concitè adiit, et ad sepulcrum beati Pontificis Thomæ fusis ubertim lacrymis oravit. Ingressusque capitulum Monachorum, prostratus humi, humillimè veniam postulavit : et propriæ petitionis instantiâ, a cunctis per ordinem C fratribus virgis est vir tantus corporaliter castigatus (*a*)....

Cap. 35. Interea Rex Francorum cum tremendo exercitu Normanniam ab Oriente ingressus, quà scilicet captis a Comite Flandrensi castellis patere videbatur, Rotomagum ejusdem provinciæ Metropolim adiit et obsedit (*b*). Est autem Rotomagum una ex clarissimis Europæ civitatibus, sita super Sequanam fluvium maximum, per quem eidem civitati multarum regionum commercia invehuntur; eodem flumine simul et objectu montium ita munita, ut ab uno exercitu ejus vix tertia pars valeat obsideri. Porrò Rex junior et Flandrensis Comes cùm in portu Morinorum, unde brevissimus est in Angliam transitus, classe paratâ, vastissimis vallati copiis, transfretandi opportunitatem captarent; cognito quòd Rex senior jam in Anglia consisteret, eorum procul dubio ferociter impetum excepturus, transire in Angliam nequaquam sibi tutum duxerunt. Itaque mu- D tato consilio, et toto illo paratæ jam classis apparatu irrito, quanti esset negotii Rotomagensis obsidio et quanti emolumenti ejusdem civitatis irruptio perpendentes, vastas illas atque terribiles copias Rotomagum transtulerunt, et obsidentem exercitum in immensum auxerunt. Verùm cùm tantus esset exercitus, quantus in Europa ab annis retrò plurimis visus non est, ejusdem tamen urbis, propter accessus difficiles, partem vix tertiam potuit obsidere, eratque per pontem fluminis liber vel ex regione in urbem ingressus, vel ex urbe in regionem egressus, et inferebantur urbi abundanter quæque necessaria, videnteque cominùs et invidente hostili exercitu. Et fortè.... cùm viri animosi et fortes totâ ferè die cominùs factitari conspicerent, quod impedire non valentes tam anxiè sustinerent; paratis ad oppugnandam civitatem machinis, totis viribus oppugnationi insistitur : trifariam ad negotium diviso exercitu, et die naturali E per octavas horas partito, ut alii aliis recreati, scilicet lassatis per vices succederent, atque ita jugiter oppugnantes, ne modico quidem diei vel noctis spatio murorum defensores respirare permitterent. At id frustra provisum est. Cives enim huic molitioni arte et cautelâ consimili occurrentes, ipsi quoque suum trifariam numerum diviserunt, hostibusque oppugnationem continuantibus distributione sui cautissimâ respondentes, contra laboris et lassitudinis tolerantiam, quâ suffocandi credebantur, competens remedium habuerunt. Cùmque per dies plurimos summâ vi certaretur, et neque hi neque illi in aliquo

(*a*) Tempus regiæ pœnitentiæ dignoscitur ex reportata, eodem tempore, de Guillelmo Scottorum Rege victoria, nimirùm III *Idus Julii, die Sabbati*, an. 1174, ut tradit Neubrigensis cap. 33.

(*b*) XI *Kal. Augusti*; ex Radulfo de Diceto.

Digitized by Google

A remissiùs agerent, beati Laurentii * dies natalitius supervenit. Rex autem Francorum, pro ejusdem præcipui Martyris reverentia, quam specialiter et devotiùs consueverat venerari, requiem ipso die civitati indultam jussit solemniter præconari. Quam gratiam cives gratè amplexi, otio brevissimo jucundissimè fruebantur; juvenes et virgines, senes cum junioribus, tum pro diei lætitia, tum etiam ad irritandum hostem, canoris in civitate vocibus concrepabant : turma verò militaris, extra civitatem, super ripam fluminis, in conspectu hostium, hastiludio exercebatur. * An. 1174.

Tum Comes Flandrensis, ut dicitur, Regem adiens : « Ecce, ait, civitas pro » qua multùm sudavimus, his intùs choros ducentibus, et illis foris securè luden- » tibus, spontè nobis offertur. Sumat ergo arma in silentio exercitus, scalisque » repentè muro admotis, antè civitatem obtinebimus, quàm in civitatem re- B » gredi valeant, qui extra civitatem pro irritatione nostra ludis vacant ». « Absit, » inquit Rex, absit a me honestatem regiam hâc maculâ denigrari. Nosti enim » me pro reverentia beatissimi Laurentii, diei hujus requiem indulsisse civitati ». Tunc universis qui aderant Proceribus familiari ausu mollitiem improperantibus (dolus an virtus quis in hoste requirat ?) tandem adquievit. Itaque non per vocem tubæ sive præconis, sed solis ducum susurris exercitus in tentoriis ad irrumpendam præparabatur civitatem. Contigit autem eâdam horâ per voluntatem Dei in cujusdam intra civitatem Ecclesiæ turri præcelsa (ex qua nimirùm, pulsatâ campanâ vetustissimâ, sed mirè sonorâ, signum civibus dari mos erat, ut hostibus irruentibus ad murum occurrerent) Clericos quosdam, nescio quid agendo, relaxare animum. Quorum fortè unus per fenestram prospiciens, et circumferens oculos per exercitum in tentoriis excubantem, insolitum in C castris silentium tanquam arcani alicujus conscium primò miratus, mox clandestinum illum de loco altissimo cautè notatum animadvertit apparatum. Cùmque rem sociis ostendisset; Ruello (sic enim campana dicebatur) pulsato, notissimum illicò signum civitati dederunt. Quo audito, totis viribus utrimque festinatum est. Nam et paratus jam exercitus castris erumpens, cum scalis tendebat ad murum; et cives inopinato stimulati periculo, raptis armis, spiritu motuque fervido occurrere studuerunt. Illi quoque qui extra urbem exercebantur, mirâ celeritate affuerunt. Jam hostes, admotis muro scalis, murum ascenderant, jam super murum voces quasi triumphantium personabant; cùm ecce fortiter impetuntur et repelluntur a civibus. Conflictus super murum acerrimus geritur, jaculis vacantibus, arma et corpora colliduntur, multus utrimque sanguis effunditur. Tandem illi qui superbè ascenderant sursùm, præcipites D abiêre retrorsùm. Nox prælium diremit. Prævaricator exercitus, longè majori clade acceptâ quàm illatâ, confusus in castra rediit. Rex in Flandrensem Comitem culpam refudit; sed personæ Regiæ tam perfidæ prævaricationis macula plus adhæsit. Denique ab illo die et deinceps, certum est et obsessos fiducialiùs, et obsessores desperatiùs remissiùsque egisse.

Interea Rex Henricus senior ,... rebus in Anglia, Deo volente, ad votum *Cap.* 36. dispositis, cum ingentibus copiis celeriter transfretavit, ducens secum paulò antè sibi exhibitum Regem Scottorum, Comitemque Leicestrensem, aliosque captivos insignes. Populis autem per Normanniam ob celerem et felicem ejus reditum exsultantibus, Rotomagum in conspectu hostium pompaticè ingressus est (*a*). Hostes accepto antè dies paucos de captivitate Regis Scottorum nuncio saucii, ejus quoque sunt repentino et triumphali ex Anglia reditu stupefacti. E Attamen in robore multitudinis innumeræ confidentes, in obsidione persistebant. Porrò ipse Wallensium turmam ex Anglia accitam per noctem latenter emisit, ut silvarum opacitate tecti (nam hoc genus hominum agile et silvarum gnarum est) locis opportunis observarent, quà tanto exercitui necessaria convehebantur. Hi nimirùm captato tempore silvis erumpentes, commeatum invaserunt, equitibus a quibus deducebatur, in fugam actis. Toto illo apparatu pessumdato cum ingenti hominum et jumentorum exitio, in silvas se receperunt. Tunc vulgatum est silvas Wallensibus esse refertas; atque ita intercepto commeatu, exercitus per biduum inediâ laboravit. Hâc necessitate soluta est obsidio (*b*), et Principes nullam aliam tanti laboris mercedem quàm ignominiam reportantes, cum vasto

(*a*) Die crastinâ S. Laurentii, quæ erat Dominica, ut habet Joan. *Bromton*.
(*b*) *Vigiliâ Assumptionis B. Mariæ.*

Digitized by Google

illo exercitu abierunt; compositis tamen ordinibus, ad repellendum periculum, A si fortè hostes a tergo urgerent. Ita quidquid in Regem Anglorum ab hostibus malitiosè agentibus vel concinnatum * est vel attentatum, Deo illi propitio, in ejus est gloriam commutatum.

* *Al.* continuatum.

Cap. 37. Cùm ergò eidem Principi, in omnibus quæ ab ipso vel circa ipsum fiebant, propitia arrideret Divinitas; hostes ejus successibus territi et humiliati, de pace tractare cœperunt : ipsis reformandæ pacis mediatoribus jam effectis, qui discordiæ præcipui fuerant incentores. Itaque celebri inter partes colloquio habito (*a*), exitialis illa simultas Principum et inquietudo provinciarum pariter quieverunt. Comes Flandrensis Regi Anglorum restituit quod de jure ejus bellicus ei casus contulerat, fidelis de cætero amicitiæ sive hominii supererogans cautionem. Ingratissimus quoque filius in gratiam patris rediit, non solum obedientiam et reverentiam de cætero filialem sub fidejussoria multorum cautione pollicitus; B verùm etiam novâ contra ingratos et suspectos filios cautelâ prudenter exactâ, et solemniter præstito hominio, patri astrictus. Volebat enim pater ut, qui fortissimum naturæ vinculum tanquam telam araneæ irreverenter diruperat, saltem jure civili vel gentium ad honestum et utile teneretur. Et quoniam scriptum

Eccles. 4. est : *funiculus triplex difficilè rumpitur*, naturæ violator in lege naturali circa patrem servanda, saltem contemplatione hominii, et duplicis, id est, juratoriæ simul et fidejussoriæ cautionis persisteret, et caveret de cætero ne sibi a patre, non tantùm patre, sed etiam domino, de jure diceretur quod prævaricatrici olim plebi a Domino dominorum per Prophetam dictum est : *Si pater*

Malach. 1. *ego sum, ubi est honor meus? Et si dominus sum, ubi est timor meus?* Fratres quoque impuberes, quos Francorum consilio patri sollicitatos subtraxerat, ad patrem reduxit : de quibus utique modica fuit quæstio, cùm ætatis beneficio C excusabiles viderentur. Præterea ad instantiam Regis Francorum, aliorumque qui aderant Principum, idem illustris Rex Anglorum Comitem Leicestrensem reliquosque captivos, præter Regem Scottorum, absolutè relaxavit, et relaxatis bona honoresque restituit : in eumdem quoque Regem suo tempore prudenter simul et clementer acturus..... Bellum ergò plusquam civile inter patrem et filium, cum tanto multorum discrimine gestum, hunc finem accepit.

EX LIBRO TERTIO.

Cap. 1. Anno a plenitudine temporis, quò Veritas de terra orta est, MCLXXV, qui

* *Adde* secundus. fuit Regis Henrici secundi vicesimus, *... Oceanus, tanquam peccatis hominum irritatus, plus solito efferbuit, ruptisque in Hoilanda repagulis, olim contra D tempestivos undarum impetus præparatis, eamdem humilem planamque regionem VII Idus Januarii violenter irrupit, jumenta ferè omnia, hominum verò multitudinem necavit, reliquis ascensu vel arborum vel domorum ægrè salvatis, et quasi post biduum, furore satiato, in semetipsum rediit : cujus nimirùm idcircò supra modum fuit hominibus et jumentis exitialis irruptio, quia tanquam fur eversor nocturnus adveniens provideri et præcaveri non potuit.

Cap 2. Anno a partu Virginis MCLXXVII, Pontificatûs autem domini Papæ Alexandri anno XVIII, Friderici Imperatoris in eumdem venerabilem Pontificem inveterata rabies conquievit.... Siquidem principalibus schismaticis judicio Dei absorptis, Octaviano scilicet qui Papatum prior invaserat, et Guidone Cremensi qui ejusdem vesaniæ successor exstiterat, cùm quidam Joannes Strumensis tertius continuaret errorem; compunctus tandem Imperator, per viros sapientes E et nobiles tractare cœpit de pace. Itaque duo magni Principes, sacerdotii scilicet et imperii, solemniter convenientes, Deo propitio, in patrem et filium trans-

* An. 1177. ierunt *, nono Kal. Augusti : sicque Ecclesia unita est, cunctis jam schismatis auctoribus atque fautoribus exstinctis, sive compunctis..... Quibus fèliciter

* *Al.* unitatis. gestis, dominus Papa tanquam post tanti temporis scandala resarcitæ veritatis * gaudia solemniter celebraturus, generale Concilium, Pontificatûs sui XX, a partu Virginis anno MCLXXIX, V Idus Martii, Lateranis celebrandum instituit, ad quod nimirùm totius Latini orbis Episcopos cum majoris loci Abbatibus evocavit...

Cap. 4. Anno a partu Virginis MCLXXX, qui fuit Henrici Regis Anglorum XXVII,

(*a*) Ambasiam inter et Turonos in Monte-Laudiaco (*Mont-Louis*) die 30 Septembris anno 1174 colloquium istud habitum est.

Digitized by Google

A et Ludovici Regis Francorum XLIV, idem Rex Francorum hominem exuit (*a*): homo intepidæ devotionis in Deum et eximiæ lenitatis in subditos : sacrorum quoque ordinum præcipuus venerator, paulò autem simplicior quàm deceret Principem (*b*), illius verbi Apostolici : *corrumpunt bonos mores colloquia prava,* 1. *Cor.* 15. perspicuam in quibusdam actibus suis veritatem expressit. Quorundam quippè Procerum, de honesto vel æquo minùs curantium, plus justo se credens consiliis, non levi plerumque maculâ mores egregios denigravit : veluti quando causam nequam filii contra pium patrem suscepit, et totis regni opibus hostem naturæ adjuvit.

Successit ei Philippus filius, natus ei ex filia illustrissimi Comitis Theobaldi, quæ illi jam trigamo * nupserat. Quippè post Alienoram (quæ, ut pleniùs suo loco dictum est, relictis illi duabus filiabus, et celebrato inter eos divortio, ad Regis Anglorum transierat nuptias) regii seminis ex Hispania com- * *Corr.* bigamo.
B parem duxerat : quæ itidem relictis illi duabus ex se filiabus, quarum major in conjugio Regis Anglorum Henrici junioris sine fructu sobolis fuisse dignoscitur, generali sorti subjacuit. Filiam quoque [Agnetem] elegantis formæ tertia illi Regina ediderat, cui nimirùm qualia provenerunt, libet paucis exponere. Imperator Constantinopolitanus [Manuel] in fata concedens, filium [Alexium] impuberem, sub tutela patrui successorem reliquit imperii. Et ille quidem purpuratus pro ætate nutriebatur in deliciis. Porrò tutor ejus, Andronicus nomine, interim administrabat imperium. Visum est Græcorum Optimatibus ut filia Regis Francorum ad insignis pueri conjugium peteretur, quod et factum est. Missi ergò in Franciam non ignobiles nuncii, susceptam tradente patre virginem, nondùm plenè nubilem, cum multo fastu Constantinopolim traduxerunt. Ubi verò et illo jam pubere et illâ nubili, Imperatori cœperunt nuptiæ præparari;
C Andronicus homo nequissimus et multæ potentiæ, utpotè procurator imperii, sollicitatis et corruptis ministris palatii, Imperatorem juvenculum, nepotem scilicet proprium, furatus de palatio, in insulam quamdam (ut dicitur) civitate insciâ, per quosdam complices suos occultè necandum direxit. Mox, sumptâ purpurâ, imperium occupavit; et ne quid ausis sceleratissimis deesset, destinatam nepoti conjugem ad se, formæ captus illecebrâ, transtulit. Cùmque arrepto insolentissimè abuteretur imperio, ab his qui ejus vel execrabantur nequitiam, vel aspernabantur potentiam, contra se conjurari coegit. Quæ nimirùm conjuratio adeò tandem invaluit, ut conjuratorum ingens jam numerus in spiritu fortitudinis palatium repentè irrumperet, et tyrannum ferocissimum solio deturbatum justissimis vinculis innodaret. Et ne vacaret imperium, novum illicò Principem creaverunt, ad cujus arbitrium sceleratus ille suppliciis excru-
D ciatus interiit. Hoc modo filia Regis Francorum, in regno Græcorum optatis speratisque fraudata nuptiis, et scelestissimi hominis contubernio maculata, honore etiam caruit.

(*a*) XIV *Kal. Octobris, feriâ* V, ut habent Rigordus et Guillelmus Armoricus.

(*b*) Joannes *Bromton* qui ab an. 1154 Neubrigensis scriptionem in suum transtulit chronicon, si pauca excipias aliundè mutuata, de Ludovico Juniore hæc habet apud *Twysden* col. 1035. « Rex » Ludovicus, *inquit,* causâ orationis ut peregri- » nus in Jerusalem aliquantulùm manens, in » anno sequenti ad propria rediit et pervenit. » Et cùm ex diutina continentia et coitûs de- » fectu, prout medici dicebant, ægritudinem in » redeundo incurreret, per medicos et Prælatos » suasum sibi erat, ut ob nimiam distantiam Re- » ginæ puellâ aliquâ uteretur : qui respondit, » *malo mori castus, quàm vivere adulter,* et sic to- » tum Deo committens se, citò convaluit ». (*Idem de Rege Ludovico VIII testantur Historici; sed cùm iste morbo occubuerit, prior verò ex ægritudine convaluerit, non statim rejicienda hæc narratio.*) *Deinde subjungit :* « Dum autem Clericus quidam privile- » gium Papale ei attulisset, quòd in omni ca- » thedrali Ecclesia regni sui primam vacaturam » haberet, cum fructibus medio tempore prove- » nientibus; ille statim litteras combussit, dicens » se malle tales litteras comburere, quàm animam » suam in inferno torqueri. At cùm idem Princeps » qualibet sextâ feriâ in pane et aqua jejunaret, » suasum est illi hoc jejunium dimittere, et cen- » tum pauperes tali die reficere : qui respondit, » *Benè volumus quòd tali die tot pauperes et plures* » *pascantur, sed jejunium nostrum solvere nolumus.* » *Nam absque eo quod ànimæ confert, corpori tamen* » *plurimùm prodest; tot enim superflua per totam sep-* » *timanam corpori ingerimus, quòd purgatio et quies* » *unius diei multùm valet tam ad pellendum super-* » *fluum, quàm ad provocandum appetitum.* Mortuo » isto Ludovico, metricus quidam stilo compen- » dioso tale epitaphium rhetorico scemate ordi- » natum scripsit, et tanquam ad filium suum » Philippum apostrophans, patrem sepultum os- » tendens ait :

Hunc superes tu qui superes successor honoris :
Degener es, si degeneres a laude prioris.

Digitized by Google

EX GERVASII DOROBERNENSIS MONACHI

CHRONICO (*a*) DE REGIBUS ANGLIÆ SUI TEMPORIS.

Apud Rog. Twysden *inter Anglic. Rerum Script. X, Lond.* 1652. *fol.*

Col. 1338. CHRONICAM parvulam pusillus ego conscripturus, et secundùm propositi mei tenorem a regno Regis Stephani incepturus, necessarium esse video B aliqua summatim perstringere de regno Henrici et ejus progenie, de qua in subsequentibus bona et mala, prospera et adversa plurima sunt dicenda.

Anno igitur Gratiæ (*b*) secundùm Dionysium MC, secundùm Evangelium verò MCXXII, suscepit Henricus primus monarchiam totius Angliæ, et coronatus est apud Westmonasterium, IV Nonas Augusti, a Mauritio Londoniensi Episcopo, quia eo tempore exsulabat B. Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus ex persecutione Willielmi Regis Rufi.... Coronatus itaque Rex Henricus B. Anselmum ab exsilio revocavit et cum honore recepit (*c*). Duxit autem idem Rex uxorem filiam scilicet Malcolmi Regis Scotiæ, Matildam nomine, quam coronavit S. Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus in die S. Martini apud Westmonasterium.

* An. 1102. Secundo anno * regni concepit Regina et peperit filiam, quæ de nomine C matris Matildis appellata est. Tertio regni anno peperit masculum, quem vocavit Willielmum : alium quoque habuit filium Richardum, et cessavit parere.

* An. 1109. Anno octavo * Imperator Henricus petivit filiam Henrici Regis Angliæ, et accepit eam in uxorem : quæ VIII Idus Maii Mogontiæ desponsata est (*e*), at Imperatrix facta, ab Imperatore non concepit. Videns autem Rex Angliæ Hen-

* An. 1115. ricus in solo filio suo Willielmo spem successionis esse; tertio decimo * filii sui anno, coactò concilio, fecit omnes principes et potentes Anglicani regni adjurare terram et regnum Willielmo filio suo. Obiit autem Matildis Regina An-

* An. 1118. gliæ anno regni sui XVIII * Kal. Maii, et apud Radingas sepulta est. Interjectis autem paucis diebus, cùm Rex esset unà cum filio suo in partibus transmarinis, præfatus filius ejus ex præcepto Regis lege maritali accepit uxorem

* An. 1119. [Matildem] filiam scilicet Fulconis Comitis Andegaviæ *. Quo facto, Rex Hen- D ricus cum apparatu regio rediit in Angliam; in qua navigatione mirandum accidit infortunium. Navis enim infausta, quæ Regis gestabat filios Willielmum et Ricardum, filiam quoque et neptem, cum omnibus qui erant in ea nobilissimis viris et puellis, absque omni turbine vel tempestate submersa est,

* An. 1120. periitque in scopulis Barbefluvii * .... Rex autem Henricus, peractis diebus luctûs sui, ob spem prolis adipiscendæ, duxit uxorem (*e*), filiam scilicet Gode-

* *sive* Adelam. fridi Ducis Lovanii, nomine Adelisam *, quæ a Rege Henrico non concepit.

(*a*) Gervasius Dorobernensis seu Cantuariensis Monachus chronicum suum perduxit ad an. 1199, quo Ricardus Rex Angliæ vivendi finem fecit, ulteriùs progressurus, si diutiùs vivere licuisset; in calce siquidem gesta Joannis pollicetur, quæ non exstant. Mariani Scoti chronographiam se prosequi profitetur : verum dum eam in morte

* *Corr.* Septembris. Henrici I desinere ait, non utique genuinum Marianum, qui totus est in rebus Germanicis, sed potiùs Florentium Wigorniensem Mariani sectatorem imitandum sibi proposuit. Ad eum quippè annum opus suum ferè perduxit Florentius, cum duplici annorum Christi chronotaxi, alterâ Dionysianâ, secundùm evangelicam veritatem, ut existimabat, alterâ, quam utramque adhibet Gervasius. In describendis porrò B. Thomæ Cantuar. actis præcipuus est, quia, inquit, *provocavit affectum meum illius sanctitas et benignitas illexit. Mihi namque Monachatum concessit eo anno quo ipse fuit in Archiepiscopum sacratus* (id est an. 1162) *et ei professionem feci, et ipse me ad sacros ordines promovit*, col. 1418.

(*b*) In ea versabantur opinione quidam XI et XII sæculo chronologi, christianam æram a Dionysio excogitatam verâ et evangelicâ annis 22, imò 23, breviorem esse. Quâ de re consule Dissertationem gallico præfixam operi cui titulus : *l'Art de vérifier les Dates.*

(*c*) S. Anselmus anno 1100, IX Kal. Octobris, seu die 23 Augusti * Doroberniam appulit, teste peregrinationis socio Eadmero *Hist. Novor.* Lib. III.

(*d*) At nonnisi anno 1114, die Januarii, matrimonio solemni conjuncta. *Anno* MCXIV, inquit Simeon Dunelmensis, *Henrico Romanorum Imperatori filia Regis Anglorum Henrici,* VII *Idus Januarii Moguntiæ desponsata, et in Imperatricem est consecrata.*

(*e*) Matrimonium istud quod altero post exstinctum Guillelmum Henrici filium an. scil. 1121 contractum fuisse constat, anno 1120 collocat lib. XII Ordericus, cò quòd ejusdem Guillelmi interitum in annum 1119 perperam retrahat : sic error alius alium trudit.

Anno

Digitized by Google

A Anno autem Henrici Regis Angliæ XXVI (*a*), Henricus Imperator absque hærede imperium dereliquit. Quo audito, Rex Henricus, cùm esset in partibus transmarinis, revocavit filiam suam jam viduam, eamque secum duxit in Angliam. Et quia hæredem masculum habere non potuit, fecit principes et potentes Angliæ adjurare eidem filiæ suæ et hæredibus suis legitimis regnum Angliæ, si quidem Rex pater suus Henricus decederet absque hærede. Facta est autem hæc adjuratio anno regni Henrici Regis XXVII. Vicesimo verò octavo Normanniam petiit, ducens secum filiam suam Eximperatricem, jam Angliæ hæredem : quæ, jubente patre, nupsit *, sed invita, Gaufrido Comiti Andegaviæ, et Rex processu temporis in Angliam reversus est. Cujus regni anno XXXIII * concepit Eximperatrix jam Comitissa, et peperit (*b*) filium, quem ex patris sui nomine vocavit Henricum. Processu quidem temporis peperit Willielmum (*c*) et postea Gaufridum. Eodem anno quo natus est puer Henricus, Rex Henricus transfretavit in Normanniam, et XXXVI * anno regni sui, fatali murænâ, quâ nimis avidè pascebatur, infectus, apud *Liuns* in Normannia defunctus est, IV Nonas Decembris, etc. (*Ut apud Henricum Huntind.*).

* An. 1129.

* An. 1133.

B

* An. 1135.

Stephanus Theobaldi Boloniensis * Comitis frater junior eo, vir magnæ strenuitatis et audaciæ, Regis Henrici ex sorore nepos, Comes verò Boloniæ et Moritonii, celeri navigio trans mare vectus, a Dovrensibus repulsus et a Cantuarinis exclusus, a Londoniensibus et quibusdam primoribus Angliæ cum honore susceptus est. Cùm autem ibidem inter ipsum Stephanum et sublimiores Angliæ Proceres, præsente Willielmo Cantuariensi Archiepiscopo, de successione regni sermo citus et efficax consereretur, et Willielmus Cantuariensis Archiepiscopus et Primas Angliæ, propter jusjurandum filiæ Regis Henrici factum, diadema regni cuiquam imponere formidaret; astitit quidam (*d*) ex potentissimis Angliæ, jurans et dicens se præsentem affuisse, ubi Rex Henricus idem juramentum in bonâ fide spontè relaxasset. Quo audito, prædictus Stephanus a cunctis ferè in Regem electus est, et sic a Willielmo Cantuariensi Archiepiscopo coronatus, XI Kal. Januarii, apud Westmonasterium....

* *Corr.* Blesensis.

C

MCXXXVI Gratiæ Dei anno, IV Nonas Januarii, adlatum est corpus Regis Henrici de Normannia in Angliam. Cui Rex Stephanus occurrens scapulas suas feretro supposuit.... XI Kal. Aprilis coronata est uxor Regis Stephani apud Westmonasterium....

Anno Gratiæ MCXXXVII,... Rex Stephanus mense Martio mare transivit, ut Normanniam quoque suæ ditioni subjugaret. Ex cujus adventu attoniti Normanni, declinaverunt ad eum ferè universi, et sic in brevi civitates munitas et plurimas obtinuit munitiones.... Obiit hoc anno Rex Francorum Lodovicus, qui appellatus est Grossus : cui successit in regnum filius ejus junior Lodovicus. Senior enim filius [Philippus] cùm de spatiatu equo sedens Parisius rediret, exsiliens porcus a domo pedes caballi præpedivit, et filium Regis Philippum nomine dejecit : qui collo confracto exspiravit, et fratri suo regnum dimisit. Turbabatur interea regnum Angliæ; undè in Angliam Rex Stephanus revocatus est, nondùm Normannicis expeditionibus ad plenum expletis. Mense itaque Decembri Rex in Angliam rediit.

D

Anno Gratiæ MCXXXVIII,... defuncto Apostolicæ sedis invasore (*ut apud Florentium Wigorn.*) Erat autem his diebus in partibus transmarinis Comes Glaorniensis * Robertus nomine, frater Imperatricis, filius Henrici Regis, sed nothus : qui missis ad Regem inimicitiis * nunciis, fidei et sacramentis, quibus Regi tenebatur, renunciavit; dispositisque in Bristovia, cæterisque ditionis suæ castellis fortium militum præsidiis, Regi viriliter resistere proposuit. Insurrexerunt tempore illo in Regem plurimi, et non solùm contra eum sua castella tenuerunt, sed et nova passim erigere cœperunt. Milo quoque Princeps militiæ Regis avertit se a Rege. Quo comperto, Rex obsedit castellum de *Bristo;*

* Glocestrensis.
* *f.* inimicitiæ.

E

(*a*) Henricus V Imperator obiit an. 1125, die 23 Maii, quo die annus XXV Henrici Regis adhuc decurrebat.

(*b*) Henricus Gaufredi Belli Comitis Andegav. primogenitus, in lucem editus est III *Nonas Martii* an. 1133, ex chronicis Andegav. proindeque anno Regis Henrici XXXIII nondum expleto.

(*c*) Nota ordinem præposterum; Guillelmi quippè natales an. 1136, XI *Kal. Augusti,* collocant chronica Andegavensia, Gaufridi verò an. 1134 *Kal. Martii.*

(*d*) Is erat Hugo *Bigod* Senescallus Regis, qui, teste Radulfo de Diceto, *veniens in Angliam coram Archiepiscopo Cantuariensi sacramento probavit, quòd dum Rex Henricus ageret in extremis, ortis quibusdam inimicitiis inter ipsum et Imperatricem, ipsam exhæredavit, et Stephanum Boloniæ Comitem hæredem instituit.*

Digitized by Google

sed nimiùm protractâ pertæsus obsidione, ad alia Comitis se castella convertit. A
Raptabatur enim nunc huc, nunc illuc, et ideò vix aliquid perficiebat. Sed et quotidiè succrescentes, multiplicabantur ipsius inimici. Asciverat autem de Flandria milites et pedites multos, et maximè quemdam Willielmum de *Ypre*, qui quasi dux fuit et princeps eorum. Hujus consiliis Rex maximè confidens, principes Angliæ maximè offendebat. Interea conjuratio in Regem facta per Comitem Glaornensem et Milonem summum Regis Constabularium invaluit; nam missis nunciis, quorum ipse Comes Robertus unus erat, asciverunt Eximperatricem, promittentes ei quòd infrà quinque mensium spatium regnum esset adeptura paratum, sicut ei, vivente patre, fuerat a primoribus Angliæ adjuratum....

Anno Gratiæ MCXXXIX,... mense Julio reversus est Comes Robertus in Angliam, ducens secum sororem suam Eximperatricem cum grandi exercitu pug- B
natorum, etc. (*Vide Florentium Wigorn.*)

Anno gratiæ MCXL,... mense Februario desponsavit Eustachius filius Regis Stephani sororem Regis Franciæ Lodovici, nomine Constantiam, præsente matre suâ Reginâ Angliæ Adelizâ *, aliisque nobilibus viris utriusque regni, in partibus transmarinis. Suscepit etiam idem Eustachius ducatum Normanniæ, indèque Regi Franciæ fecit homagium. Eclipsis solis facta est circà horam tertiam, XI * Kal. Aprilis, feriâ secundâ.... Comes Gaufridus Andegavensis, zelo depressæ conjugis scilicet Eximperatricis vehementer turbatus, proposuit animo Regem Angliæ pro posse suo saltem in Normannia perturbare. Congregato itaque exercitu non modico, Normanniam intravit, civitates et oppida viriliter expugnavit et cepit, tandemque totam Normanniam sibi subjugavit (*a*). Rex autem perturbationibus Anglicis intentus, nullum potúit Normannis conferre solatium. C

* *Al.* Mathilde.

* *Corr.* XIII.

Anno Gratiæ MCXLI, Randulfus Comes Cestriæ, Regi admodùm infestus, Imperatricem extollere festinabat. (*Hujus anni gesta ex Henrico Huntind. et Florentio Wigorn. expressit Gervasius.*)

Anno Gratiæ MCXLII,... Rex [Stephanus] et Comes [Glocestriæ Robertus] a vinculis liberati et libertati propriæ restituti, malitiam suam ad invicem non solùm innovare, sed et multiplicare studuerunt. Rex namque vires suas et expensas reparavit; Comes verò Glocestriæ mare (*b*) transivit, et Comitem Andegaviæ Gaufridum adiit, quem bellicis rebus occupatum invenit. Normanniâ enim ex novo subactâ, restiterunt ei quidam præpotentes ex Andegavia, quos expugnare et ad debitam subjectionem studuit inclinare. Cui Comes Robertus causam sui adventûs insinuans, rogavit attentiùs ut in manu robustâ secum in Angliam veniat, et regni coronam uxori suæ filiisque debitam de manu D
raptoris tam justè quàm violenter eripiat. At Comes Gaufridus respondit et dixit, non expedire sibi Angliam adire, et præsentiam suam Andegavensibus nondùm plenè pacatis, aut Normannis subtrahere nuper subactis. Adquievit Robertus Gaufridi rationibus : et tandem assumpto secum Henrico filio ejus primogenito adhuc puerulo, nonnullisque ex Normannicis et Andegavensibus militibus electis, ut in Angliam rediret, ad mare descendit.... Instante verò festivitate S. Michaëlis, Imperatrix cum suis venit ad Oxenefordiam, ibidem ad modicum pausatura et de necessariis tractatura. Rex autem jam resumpto spiritu, ut audivit Comitem transfretasse et Imperatricem apud Oxenefordiam in pace quiescere, civitatem ipsam obsessurus, cum multa peditum equitumque caterva subitò furibundus advenit; vastatisque omnibus extra urbem positis, usque ad portas, nullo jam obstante, pervenit. Consummatis itaque in obsidione E
plus duobus mensibus, consumptisque jam intra urbem alimoniarum universis sumptibus, appropinquante Nativitatis Dominicæ solemnitate, erat domina Imperatrix in magna cordis angustia et dolore cum suis constituta. Comes autem Robertus cum Henrico puerulo cæterisque suis copiis applicuit in Angliam apud portum Warhamiæ. Audiens autem sororem suam a Rege fortiter obsessam, cupiensque Regem ab obsidione revocare, cœpit viriliter castellum Warhamiæ obsidere. Erant autem in ipso præsidio milites Regis plurimi sub manu Hereberti

(*a*) Tres Gaufredi commemorat in Normanniam impressiones Ordericus Vitalis, annis 1136 et 1137 factas, in quibus variâ fortunâ certavit. Hanc verò quartam expeditionem, anno 1138 mense Junio susceptam ita promovit, ut an. 1144 Normanniâ totâ potitus sit, redditâ Rotomagi arce.

(*b*) *Post S. Joannis festum*, ex Wilielmo Malmesb.

Digitized by Google

A de *Luci* constituti, fuitque Comes Robertus in obsidione illa per tres septimanas. Imperatrix autem et hi qui cum ipsa erant, cùm jam pro defectu victualium usque ad deditionis opprobrium cogeretur, prudenti et necessario usa consilio, fugam meditata est artificiosam.... Comes verò, cùm jam recepto castello Warhamiæ, Oxenefordiam cogitaret adire, audivit sororem suam manus Regis evasisse; undè lætus effectus festinavit eam videre. Videns autem Imperatrix fratrem filiumque suum primogenitum Henricum, admodùm exhilarata est, dolores et labores suos pristinos parvipendens. Puer autem Henricus sub tutela Comitis Roberti apud Bristoviam degens, per quatuor annos traditus est magisterio cujusdam Matthæi litteris imbuendus, et moribus honestis, ut talem decebat puerum, instituendus.

Anno Gratiæ MCXLIII, Rex Stephanus post multarum irruptiones Ecclesiarum,
B exustiones et deprædationes villarum, quas per manus Flandrensium satellitum multis in locis exercuerat, tandem cum fratre suo Wintoniensi Episcopo in manu forti venit Wiltoniam, ut ex Monasterio sanctimonialium opportunum sibi constitueret præsidium, ad arcendos Sarisberiensium excursus, qui pro tuenda Imperatricis parte multa fortiter contra regales gerebant. Quod ubi cognovit bellator fortissimus Comes Robertus, congregato velociter exercitu, primâ die mensis Julii, occidente jam sole, super Wiltoniam repentè irruit, eamque adhibitis ignibus undiquè succendit.... Paucis verò diebus evolutis, Imperatrici triste contigit infortunium. Nam Milo Comes Herefordensis, specialis ipsius consiliarius, morte præventus vitam finivit: cujus mors Imperatrici non modicam ingessit mœstitiam. Successit autem ei in curam Comitatûs Rogerius filius ejus primogenitus, ætate quidem juvenis, sed in armis acer nimis....

C Anno Gratiæ MCXLIV, Rex Stephanus cepit Comitem Gaufridum de Mandavilla etc. (*ut apud Henricum Huntind. annis* 1143 et 1144.)

Anno Gratiæ MCXLV, Papa Lucius obiit, cui successit Eugenius ordinis Cisterciensis Monachus: quo sedente, ordo Cisterciensis in immensum exaltatus est. Claruit enim his diebus vir venerandus et sanctus Bernardus Clarevallensis, qui tunc temporis domini Papæ dominus et magister videbatur (*Reliqua vide apud Huntindoniensem*).

Anno Gratiæ MCXLVI,... Gaufridus Comes Andegaviæ, cùm jam Normannis subjugatis, quorumdam etiam Andegavensium sibi rebellare volentium impetum refrenasset, jam pace potitus de solo filio suo primogenito Henrico (nec mirum) sollicitus erat, quem ante annos quatuor ad instantiam Comitis Roberti in Angliam miserat. Affligebatur ipsius animus, filium suum indesinenter revolvens,
D ne fortè inter tot Angliæ bellicos strepitus, ipsum quoque pugnantium insania involvisset. Misit igitur tres Proceres nobiliores cum militum apparatu in Angliam ad Comitem Robertum, rogans ut sibi suum primogenitum mitteret filium, saltem paulisper conspiciendum, et si opus esset, cum celeritate remittendum. Annuit tandem Comes Robertus Ducis Gaufridi petitionibus, et apud *Warham* transfretaturum, non modico militum agmine stipatum adduxit Henricum, ulteriùs illius faciem in carne non visurus. Transmisso itaque puero, Comes Robertus festinanter reversus est. Veniens igitur Henricus ad patrem eum admodùm lætificavit, fuitque in partibus transmarinis annis duobus et mensibus quatuor. Interea Comes Robertus Glocestriæ, post multos et varios militiæ labores, febre tactus acerbâ defunctus est in initio mensis Novembris, et apud Bristovium sepultus est (*a*).

E Anno Gratiæ MCXLVII,... Imperatrix jam Anglicanæ discordiæ tædio affecta, ante Quadragesimam in Normanniam transfretavit; malens sub tutela mariti sui in pace quiescere, quàm in Anglia tot molestias sustinere.

Eugenius Papa a Roma recedens, pervenit in Franciam, ut cisalpinorum Præsulum Concilium celebraret. Convocati sunt itaque ex mandato domini Papæ Præsules et Prælati, ut eidem Remis occurrerent. In media Quadragesima (*b*)

(*a*) Robertus Glocestriæ Comes an. 1147 vitâ functus est.

(*b*) « Nota Lector, *inquit Gervasius ad an.* 1148, » quod ea quæ supra dicta sunt, scilicet de Concilio celebrato, de relegatione Archiepiscopi » post Concilium et propter Concilium facta, de » interdicto terræ pridie Idus Septembris inchoato, etc. Hæc omnia reperies scripta in » plerisque codicibus sub anno MCXLVIII, quæ » omnia simul stare non poterunt, in chronicis » illius maximè qui annos Gratiæ incipit a Dominica Nativitate... His de causis necesse erat » et docuit ratio, Concilium Remense poni in » anno MCXLVII ». Sed errat Gervasius; Concilium

Digitized by Google

celebravit Eugenius Papa Concilium magnum Remis, ad quod Concilium Theobaldus Cantuariensis Archiepiscopus, scriptis et nunciis domini Papæ cum cæteris Episcopis Angliæ vocatus, petitâ a Rege, sed non concessâ licentiâ, per multos labores accessit. Nam ministri Regis diversos maris portus observaverunt, ne Archiepiscopus transfretaret. Effecerat enim Episcopus Wintoniensis Henricus frater Regis, invidiâ (*a*) stimulante, ut si Archiepiscopus transfretaret, a Rege proscriberetur; si verò ad Concilium non veniret, ob contemptum a domino Papa suspenderetur vel penitùs deponeretur. Sed Archiepiscopus Deum magis quàm Regem metuens, clanculò mare adiit, et vix tandem in cimba fracta transvectus, vix terram tetigit et domino Papæ se præsentavit.... Soluto denique Concilio, Theobaldus Cantuariensis Archiepiscopus, acceptâ domini Papæ benedictione et redeundi licentiâ, Cantuariam prosperè perveniens, a conventu suo et civibus Cantuariæ honorificè susceptus est. Quo audito, Rex qui tunc fortè Londoniæ morabatur, irâ commotus celeriter Cantuariam venit, et inter ipsum et Archiepiscopum multis per internuncios habitis sermonibus, sed minùs quàm decebat ad pacem proficientibus, tandem Archiepiscopum Angliam celeriter exire coegit. Qui post paucorum inducias dierum apud Devoriam transfretavit, et in Franciam secessit : ubi per aliquod tempus demoratus, a Regina et Willielmo Yprensi ad Sanctum-Audomarum revocatus est, ut eum juxta positum regii nuncii faciliùs possent adire.... Hinc igitur et inde venientibus crebrò et redeuntibus nunciis, Episcopis, Abbatibus, Clericis et laïcis, sed ad bonum pacis minùs accedentibus, missis epistolis ad diversas Angliæ Ecclesias, interdicti sententiam ad statutum terminum, id est, pridiè Idus Septembris observandam promulgavit Archiepiscopus....

* An. 1147. Hoc anno * Conradus Imperator Alemanniæ, et Lodovicus Rex Franciæ, unà cum Regina sua *Alienor*, et Theodericus Comes Flandriæ, multique nobiles et ignobiles Franci et Angli, Normanni et Britones, sed et multarum regionum viri peregrè profecti sunt *Jerusalem*, ad debellandum Paganos, qui non modicam sanctæ terræ illius occupaverant quantitatem. Sed Christiani multis laboribus vexati, et expensis perditis, nullum vel modicum hac vice reportarunt triumphum. Nam propriâ temeritate et Saracenæ gentis industriâ, ferè ad nihilum deducti sunt. Rex autem Franciæ Lodovicus cum non modico exercitu, qui per terram venerant, obsedit Damascum et ferè ad deditionem coegit, interfectis de gente pagana, qui egressi fuerant ad pugnandum contra Christianos, ferè decem millibus....

Anno Gratiæ MCXLIX, Henricus filius Imperatricis, mense Maio mediante, cum grandi comitatu militum electorum et peditum rediit in Angliam, et in adventu suo multorum animos contra Regem Stephanum excitavit. Nolebant enim Comites Angliæ et Proceres contra Regem Stephanum aliquam excitare seditionem, eò quòd Robertus et Milo Comites universæ carnis viam ingressi fuerunt et Imperatrix transfretaverat; nisi ipse, quem omnia de jure contingebant, in Angliam rediret. Hac igitur occasione rediit in Angliam, postpositisque litterarum studiis, exercitia cœpit militaria frequentare. Assumpto itaque secum nobili Ranulfo Cestrensi Comite et Rogerio Comite Herefordensi, aliisque nonnullis præter illos quos secum duxerat de Normannia militibus famosis, adiit Regem Scotiæ David consanguineum suum : a quo cum summa lætitia et honore susceptus, militari quoque balteo cum nonnullis coætaneis suis in sacra solemnitate Pentecostes accinctus est. Ab illo ergo die cœpit Henricus mentem Regis Stephani filiique ejus Eustachii multis ex causis adversùm se excitare. Cùm autem congregati essent, etc. (*ut apud Huntind.*)

Anno Gratiæ MCL,... Henricus filius Gaufridi Comitis Andegaviæ Ducisque Normanniæ, et Matildis Imperatricis, jam Miles effectus, in Normanniam transfretavit in principio mensis Januarii. Erat autem his diebus tota Anglia bellico strepitu confusa, incendiis et rapinis exposita. Nam discordia, quæ

enim Remense anno 1148 reipsâ celebratum est, quam epocham vanis ille sollicitare conatur argumentis, uti demonstrat Pagius ad hunc annum n°. v.

(*a*) Cùm Theobaldus Beccensis Abbas an. 1138 ad regimen Cantuariensis Ecclesiæ electus fuisset, proximo Sabbato ante Natale, *Henricus Wintoniensis Episcopus*, inquit Gervasius ad eum annum, *frater Regis et Innocentii Papæ Legatus, vehementer indignans, ordines quos jam inceperat, dicitur reliquisse. Ambiebat enim Archiepiscopatum Cantuariensis Ecclesiæ; sed per Regem simul et Reginam malè concupito fraudatur honore. Unde dictus est a nonnullis in partes Imperatricis cum Comite Roberto et Milone summo Regis Constabulario declinasse.*

Digitized by Google

A versabatur inter Regem Stephanum (Regem, ut dicam, mutuatum) qui Henrico Regi primo successit in regnum, et quosdam Angliæ Comites, qui jura regni Henrico jam Militi juvenculo conservare volebant, toti Angliæ dolendum excidium minabatur....

Anno Gratiæ MCLI ,... Comes Gaufridus Andegavensis mortis legibus concessit, et tam de Comitatu Andegaviæ quàm de Ducatu Normanniæ filium suum reliquit dominum et hæredem. Corpus autem Gaufridi in Ecclesia Cenomannensi sepultum est.... Rex autem Stephanus iterùm Wirecestram irrupit etc. (*ut apud Henricum Huntind.*)

Anno Gratiæ MCLII, postquam reversus est Rex Franciæ Lodovicus a peregrinatione Jerosolymitana, orta est quædam discordia inter ipsum et Reginam suam *Alienor*, ex quibusdam fortè quæ meliùs tacenda sunt, quæ in illa pere-
B grinatione contigerunt. Et ecce subitò sub consanguinitatis imagine moliri cœpit matrimonii solutionem. Divortio itaque inter Regem Lodovicum et Reginam suam *Alienor* labore multo et artificioso juramento in facie Ecclesiæ solemniter celebrato (*a*), Gallicos amplexus jam sibi decrepitos fastidiens, fines quoque Galliæ egressa, in terram suam Pictaviam se recepit. Degebat his diebus Dux Henricus in Normanniæ finibus, et erat in omnium oculis gratiosus. *Alienor* autem jam repudiata et propriæ libertati reddita, terram suam Aquitaniam scilicet et Pictaviam, aliasque terras suas quæ eam jure contingebant hæreditario, ut domina possidebat : quæ, missis clanculò ad Ducem nunciis, liberam et absolutam se nunciat esse, et ad matrimonium contrahendum Ducis animum stimulat. Dicebatur enim artificiosam repudiationem illam ex ipsius processisse ingenio. Dux verò generositate fœminæ, et maximè dignitatum quæ eam contingebant,
C cupiditate illectus; amoris et moræ impatiens, paucis secum assumptis sociis, viam longiorem discurrit in brevi, et infra tempus modicum conjugio illius jam olim concupito potitus est. Nuptiis igitur celebratis, genuit ex ea filium, quem ex proavi sui nomine vocavit Willielmum. Audiens autem Rex Lodovicus Reginam repudiatam Duci Henrico lege maritali conjunctam; acerbo felle commotus, innumerum fecit convocare exercitum, ut Reginam olim suam, immò potiùs Aquitaniam, si fieri posset, revocaret. At Dux ad tantos belli strepitus manens intrepidus, convocatis undecumque militum et peditum copiis, Regem furentem ab ingressu provinciæ suæ constanter repulit. Conspiraverat autem cum Rege frater Ducis junior Gaufridus, et fratrem proprium pro posse suo infestare cupiebat. Sed Ducis prudentiâ præventus, in brevi debellatus, manus dedit, et in gratiam Regis utcumque receptus est. Revertente itaque Duce, Rex Franciæ
D pauculos agros et villas in ultimis Normanniæ finibus, ne nil ageretur, vastavit; munitiunculis etiam quibusdam per deditionem occupatis, subitâ febre detentus lecto decubuit. Quo audito, exercitus ejus paulatim defluens, ipsum post modicum in Franciam redire coegit. Dux igitur cum conjuge sua possessionibus amplis, videlicet Aquitaniâ et Pictaviâ, in pace retentis, liberalitate suâ simul et prudentiâ omnium in se provocavit affectum.

Rex autem Stephanus novi Ducis Normanniæ et Aquitaniæ, et Comitis Andegaviæ Henrici probitatem simul et potentiam, licèt adolescentis, valdè suspectam habens, de successione regni Anglicani sollicitus erat, ne in primo gradu hæreditas cassaretur, fraude retenta. Convocato igitur apud Londoniam generali Concilio (*ut apud Henricum Huntind.*) Obiit hoc anno Matildis Regina v Nonas Maii, et sepulta est in Cœnobio quod cum Rege Stephano fundaverat
E apud *Faversham*.

Anno Gratiæ MCLIII, Dux Henricus, sopitis circumquaque transmarinis bellorum turbinibus, ut etiam in Anglia iis qui a Rege Stephano quotidiè premebantur subveniret, armatorum copiis instructus, venit in Angliam in initio mensis Januarii, die scilicet Dominicæ Apparitionis. Cùm ecclesiolam intraret, Missam vel saltem Evangelium auditurus, vel paulatim more militum oraturus, ex insperato incepit presbiter officium missæ diei, dicens : *Ecce advenit dominator Dominus, et regnum in manu ejus, etc.* (*Ex Henrico Huntind. expressa.*)

Anno Gratiæ MCLIV, Dux Henricus cùm jam annum in expugnatione, immò in resuscitatione Angliæ peregisset, in octavis Epiphaniæ unà cum Rege Stephano venit Oxenefordiam etc. (*ut apud Huntind*). Post modicum temporis Dux Henricus

(*a*) In Concilio nimirùm Balgenciacensi, die 18 Martii celebrato.

Digitized by Google

unà cum Rege Stephano et quibusdam Optimatibus Angliæ venit Cantuariam, ubi a conventu Christi solemni processione cum innumera Cleri et pópuli multitudine susceptus est. Exindè in Quadragesima Dovoriam simul venientes, cum Comite Flandriæ Theodorico et Comitissa [Sibylla] Ducis amita colloquium habuerunt. Cùm autem Rex et Dux, dimisso Comite, Cantuariam redirent, et ex conjuratione Flandrensium, qui Duci simul et paci invidebant, interfectio Ducis præparata fuisset; ecce subitò Regis filius junior, Willielmus nomine, conspirantium conscius super Berehamdoniam decidit equo, tibiâque nutu Dei confractâ, omnes ferè circa se coadunavit in planctum. Dux interim præmeditatas agnoscens insidias, Cantuariam concitò veniens, æmulorum suorum insidias declinavit: indè festinanter per Roffam et Londoniam ad mare descendens in Normanniam transfretavit, et ulteriùs faciem Regis Stephani non vidit.... Mense Octobri Rex iterùm Comiti Flandrensi apud Dovoriam occurrit, et cum eo colloquium habuit. Dimisso autem post colloquium Comite, Rex subitò ilii dolore cum veterano hemoroïdarum fluxu violenter corripitur, et ibidem in curia Monachorum decumbens diem clausit extremum, VIII Kal. Novembris. Corpus verò ipsius ad *Faversham* delatum est, et in Ecclesia sepultum....

Post mortem itaque Regis Stephani, evoluto mensis unius spatio et ampliùs eo, Dux Henricus de obitu Regis certior effectus, a principibus Angliæ vocatus et a populo desideratus, magnâ stipatus nobilium catervâ ad mare descendit, et licèt repugnantibus auris et navigio disperso, in Anglia tamen apud *Hostreham* applicuit, VI Idus Decembris... Igitur XVI Kal. Januarii coronatus est Rex Henricus, filius Matildis Imperatricis, a Theobaldo Cantuariensi Archiepiscopo totius Angliæ Primate et Apostolicæ Sedis Legato, apud Westmonasterium, astantibus et cooperantibus Archiepiscopis duobus, Episcopis XIV, Comitibus et Baronibus Anglicanis et transmarinis, et innumerâ multitudine plebis. Regina quoque *Alienor*, a Rege Francorum repudiata, cum ipso coronata est.

Anno Gratiæ MCLV, Gwillielmus de *Ypre* et omnes ferè Flandrenses, qui in Angliam confluxerant, indignationem et magnanimitatem novi Regis metuentes, ab Anglia recesserunt, et castella passim per Angliam ad rapinas pauperum et divitum excursus ædificata, ex præcepto Regis subversa sunt... Mense Martio peperit Regina Alienor filium suum in civitate Londonia, quem baptizavit Theobaldus Cantuariensis Archiepiscopus, et ad nomen patris sui scilicet Regis vocavit Henricum.... Post Pascha verò factus est conventus generalis Præsulum et principum totius Angliæ apud Walingefordiam, ubi adjurata est Anglia Regi et hæredibus suis, Willielmo scilicet, si plus quàm pater viveret, et Henrico puerulo, si Willielmo fataliter accidisset. Sic in brevi, Domino cooperante, pax per Angliam nata et confirmata omnes pacis filios lætificavit, et cuncta bellica perturbavit....

Anno Gratiæ MCLVI, Rex Henricus transfretavit, et Thomæ Cancellarii sui magno fretus auxilio, castra Gaufridi fratris sui, qui rebellare tentabat, validè obtinuit; hominia et obsides de tota Aquitania et Gasconia exegit et accepit. Quo facto, reditum in Angliam paravit.

Anno Gratiæ MCLVII,... Rex Henricus, expugnato fratre suo Gaufrido, rediit in Angliam....

Anno Gratiæ MCLVIII, Rex Henricus transfretavit, et Parisius profectus, a Rege Franciæ Lodovico in magna gloria et honore susceptus est. Filiam ejus filio suo Henrico petiit et accepit. Eo tempore per industriam Thomæ Cancellarii a Lodovico Rege Francorum Christianissimo, viro tamen nimis simplici, obtinuit ut quasi Senescallus Regis Francorum intraret Britanniam, et quosdam ibi inter se inquietos et funebre bellum exercentes coram se convocaret et pacificaret, et quem inveniret rebellem violenter coerceret. Hic fuit primus ingressus ejus super Britones edomandos, et sic civitatem de *Nantes* ad jus suæ dominationis inflexit. Dehinc expugnato Toarco, Regem Franciæ a Cenomannica urbe ad Montem S. Michaëlis, et exindè Baïocas, Cadomum, Rotomagum, non impari quàm ille eum per Franciam gloriæ et honoris magnificentiâ in Franciam deduxit....

Anno Gratiæ MCLIX, Adrianus Papa obiit, et Alexander successit: qui cùm se tanto honori idoneum non esse profiteretur, et Cardinales ejus electioni firmiter consentirent, et instarent ut eum facerent assentire; ex parte adversa

Digitized by Google

A Octavianus, paucis sibi faventibus, mantum præposteratum suscepit, et Papatui se ingessit. Cardinales et Romani Alexandrum fovebant; Imperator verò Octavianum præferre cupiens, Alexandri fautores infestabat. Hac de causa non solùm Romana, sed et tota Ecclesia confundebatur.

Hoc anno * Rex Henricus Scotagium (*a*) sive Scutagium de Anglia accepit, * An. 1159.
cujus summa fuit centum millia et quater viginti millia librarum argenti. De aliis verò terris sibi subjectis inauditam similiter censûs fecit exactionem. Deindè versùs Tolosam copiosum valdè movit exercitum, obseditque urbem a Nativitate S. Joannis-Baptistæ usque ad festum omnium Sanctorum (*b*). Erant autem cum illo in obsidione illa Malcolmus Rex Scotiæ et quidam Rex Gualiæ, et omnes Comites atque Baronnes Angliæ et Normanniæ, Aquitaniæ, Andegaviæ et Guasconiæ, et multi alii ex diversis regionibus milites et pedites ad eum venie-
B bant. Sed Francorum Rege Lodovico civitatem prædictam tuente, frustrata est intentio Regis Anglorum. Nam obsidione solutâ, post summam pacem et concordiam inter eos factam (*c*), discordia maxima post modicum est suborta.

Anno Gratiæ MCLX, Romanorum Imperator Fredericus in Papiensi Concilio CLIII Episcoporum Octaviani schisma favore suo et auctoritate roboravit : de cujus susceptione Regi Franciæ Lodovico et Henrico Regi Anglorum spectabiles legatos cum litteris misit. Sed Reges prædicti parti et obedientiæ catholici Papæ cesserunt Alexandri.

Hoc anno obiit Regina Franciæ [Constantia] filia scilicet Imperatoris Hispaniarum. Rex autem Lodovicus masculinæ prolis desiderio affectus, [Adelem] filiam Theobaldi Comitis senioris jure sibi copulavit matrimonii. Henricus etiam filius Regis Angliæ nondùm septennis, quem peperit ei *Alianor* Regina [Mar-
C garitam] filiam Regis Franciæ Lodovici nondùm biennem desponsavit....

Anno Gratiæ MCLXII, Rex Henricus suis transmarinis impeditus negotiis, admirabilem illum Thomam Cancellarium ad expedienda regni negotia transmisit in Angliam; hac tamen primâ et præcipuâ intentione, ut in Archiepiscopum Cantuariensis Ecclesiæ eligeretur....

Hoc anno Frethericus Imperator inclytam Italiæ urbem subvertit Mediolanum. Alexander verò Papa, Imperatoris impetum ferre non valens et Romanorum schisma devitans, navibus advectus, primò apud Montem-pessulanum applicuit, ibique aliquamdiu moram fecit, deindè venit in Galliam, Senonisque per aliquot annos resedit... Mense Decembri Rex Henricus venit in Angliam....

Anno Gratiæ MCLXIII,... in octavis Pentecostes celebravit Papa Alexander Concilium Episcoporum et Abbatum cisalpinorum in Ecclesia Turonensi, ubi
D affuit Thomas Cantuariensis Archiepiscopus cum quibusdam suffraganeis suis... Quo in Angliam in æstate proxima prosperè reverso, et a Cantuaritis cum debito honore suscepto, post modicum mota est quæstio inter ipsum et Regem de consuetudinibus regni et jure ecclesiastico, quæ per filios perditionis moliebatur Ecclesiæ Dei subvertere libertatem.....

Anno Gratiæ MCLXIV,... Octavianus schismaticus graviter ægrotans, diebus XV ante obitum suum freneticus effectus, obiit quartâ feriâ post octavas Paschæ in urbe Lucensi, et sepultus est in Ecclesia S. Martini, ubi sedes est episcopalis et famosa illa imago Crucis. Cui successit in hæresim et Papatum Wido de Crema, et Paschalis appellatus est....

Rex Henricus, cognito quòd fugisset (*d*) Archiepiscopus, misit illicò ad Regem Franciæ Lodovicum et ad dominum Papam litteras et spectabiles nuncios, qui

(*a*) Scutagium hìc sumitur pro præstatione quæ fit a Militibus ratione feodi militaris, si ipsimet vel eorum loco alii in exercitum non pergant, atque adeò ut a servitio immunes sint. *Cangius.*

(*b*) Non Junio, sed sequenti mense cœpta est hæc obsidio; quandoquidem, teste Gaufrido Vosiensi, oculato teste, Henricus *circa festum S. Martialis*, quod incidit in diem Junii 30, Petragoricis versabatur; neque ad usque festum Omnium Sanctorum illa perduravit. Henricus namque, ut testatur idem Gaufredus, *dimisso exercitu, per Userchiam transiens cum Rege Scottorum devenit Lemovicas circa festum Archangeli Michaelis*, 29 nempè Septembris diem.

(*c*) Non continuò post solutam Tolosæ obsidionem, pax Reges inter Galliæ et Angliæ sancita est. Henricus enim ab hac urbe recedendo Cadurcum obsedit ac cepit, variaque Tolosani Comitatûs castella suæ ditioni subjecit, quorum custodiam Thomæ Cancellario suo commisit, addito belli continuandi mandato; nam ipsum in Normanniam res hujus provinciæ in pejus ruentes revocabant: quò quidem Octobri mense pervenit. Posthac mense Decembri pactæ inter Reges induciæ, quas postmodùm pax subsecuta est, anno 1160 mense Maio composita.

(*d*) « Transfretaverat enim in Franciam Tho» mas Cantuariensis, qui IV Nonas Novembris ap» plicuit in territorio Boloniensi juxta *Grave*» *ringes*; unde ad Clarum-mariscum perductus est, » postremò ad S. Bertinum », uti narrat Gervasius. *Ibid.*

Digitized by Google

ipsius Regis prece vel pretio malitiam palliarent, et Archiepiscopi machinarentur depositionem, vel saltem rei gestæ meram confunderent veritatem. Elegerat enim quos magis noverat Archiepiscopi esse adversarios.... Hi cum litteris Regis et muneribus tantâ festinatione profecti sunt, ut eâdem nocte ipsi et Archiepiscopus transfretarent, eâdemque nocte apud Sanctum-Audomarum utrique fuerint. Nesciebant tamen præfati nuncii Regis quòd Archiepiscopus ibidem præsens adesset.... Venientes igitur præfati nuncii Regis ad Regem Franciæ, litteras eidem Regi Franciæ porrexerunt : quarum erat continentia, Thomam scilicet, quondam Cantuariensem Archiepiscopum, ut proditorem de Anglia fugisse, quem ne in terra sua reciperet, postulavit. Eamdem etiam litterarum Comiti Flandriæ destinaverat formam. Cùm autem Rex Franciæ, dicente lectore, audisset *quondam Archiepiscopum*, quæsivit quis eum deposuisset, et ait : « Ego » quidem Rex sum, sicut et ipse ; nec tamen possum terræ meæ minimum quem- » quam Clericum deponere ». Et adjecit : « Novi Thomam quondam Cancel- » larium Regi domino vestro diu et fideliter deservisse, nunc autem id mercedis » accipit, quòd eum ab Anglia fugatum, a Francia quoque propellere conatur ». Insistunt nuncii ut dominum Papam scriptis suis moneat, ne Archiepiscopi contra Regem Angliæ suggestionibus crederet. Verùm cùm eis Rex non responderet ad vota, ad dominum Papam Senonis profecti sunt...

Interea Archiepiscopus aliquot diebus apud Sanctum-Bertinum degens, cùm Regis Anglorum et Comitis Flandrensis cognationem haberet suspectam, suffragio Milonis Teruanensis Episcopi et Abbatis S. Bertini prudenter in Suessionem perductus est. Quò cùm crastinò adveniret dominus Rex Franciæ Lodovicus, ad hospitium Archiepiscopi festinus descendit, eique in omnibus regiam obtulit protectionem, et de regio fisco suam et suorum procurationem. Cui cùm Archiepiscopus, prout debuit, gratias egisset, et eam quam obtulerat procurationem ad præsens renuisset, cum gratia ipsius simul et conductu ad dominum Papam Senonis profectus, et a domino Papa honorificè susceptus est.... Qui commendavit eum Abbati Pontiniacensi (*a*) qui tunc præsens erat, ex condicto cum fratribus suis exhibendum, non quidem splendidè, sed simpliciter, ut decet exsulem et Christi athletam. Acceptâ itaque summi Pontificis benedictione, Pontiniacum profectus, et a fratribus summo cum gaudio susceptus est.... Est autem præfatum Cœnobium, Pontiniacus scilicet, in Burgundia situm : ubi Cantuariensis Archiepiscopus a festo S. Andreæ proximo post exsilium per duos ferè annos in multa humilitate et spiritualibus exercitiis conversatus est.

Anno Gratiæ MCLXV,... Rex Henricus admodùm et suprà modum iratus, eò quòd ipse in nunciis suis et petitionibus tam a Rege Franciæ quàm a domino Papa esset repulsus, jussit furore plenus res et redditus Archiepiscopi et omnium suorum confiscari, totamque cognationem suam, et omnes qui eum quovis titulo contingebant, exsilio damnari.... Summus autem Pontifex Alexander jam Senonensibus valedicens, in Pascha in Italiam profectus est.

Hoc quoque anno mense Augusto natus est filius Lodovico Regi Franciæ Christianissimo, quem peperit ei filia Comitis Theobaldi senioris. Ex cujus ortu tota Francia lætificata est, eò quòd hucusque masculum non habuit hæredem. Puer autem baptizatus ad nomen Comitis Flandriæ Philippus appellatus est.

Anno Gratiæ MCLXVI, Rex Henricus in Normanniam transfretavit, habitoque cum suis Episcopis et Baronibus consilio, instituit quamdam collectam fieri denariorum per omnes terras suas : undè scriptum compositum est, ipso præcipiente, in hunc modum (*b*).

(*a*) Guichardo, postea Lugdunensi Archiepisc.

(*b*) Similem in regno suo collectam in subsidium Terræ Sanctæ instituerat Rex Franciæ Ludovicus : cujus ad amussim isthæc expressa, alterius conditiones repræsentat. « Ego Henricus » Dei gratia Rex Angliæ, Dux Normanniæ et » Aquitaniæ et Comes Andegaviæ, apud Ceno- » manniam, proximâ tertiâ feriâ post Domini- » cam quâ cantatur *Misericordia Domini*, primò » cùm ibi adessent Archiepiscopus Rotomagensis » et tres Episcopi Normanniæ, et Episcopus Ce- » nomannensis et quidam Barones mei ; iteratò » apud Cenomanniam, tertiâ feriâ post sequentem » Dominicam, cùm adessent pariter tres Archie- » piscopi Rotomagensis, Turonensis, Burdega- » lensis, et Episcopi plures Bajocensis, Luxovien- » sis, Sagiensis, Cenomannensis, Andegavensis, » Vanetensis, Pictavensis, Engolismensis, Petra- » goricensis, Agenensis, Bezacensis, et multi Ba- » rones mei de Normannia, de Cenomannia, de » Turona, de Andegavia, de Britannia, de » Guasconia, consilio et assensu omnium, pe- » titione et precibus domini Regis Francorum, » et exemplo suo qui per terram suam similiter » statuit fieri ; statui ut ad defensionem et juva- » men Ecclesiæ et terræ Orientalis unusquisque » de terris suis, de omni mobili quod habet, » sive sit aurum, sive argentum absque lapidibus, » sive animalia, sive nummi, sive quidquid sit, » absque vestibus incisis, et de redditibus det si-

Degebat

Digitized by Google

A Degebat intereà Thomas Cantuariensis Archiepiscopus et jam Apostolicæ sedis Legatus in Cœnobio Pontiniacensi, spiritualibus disciplinis et studiis cœlestibus intentus, immò totus Deo deditus et ad eum suspensus.... In se autem reversus, cùm jam ulteriùs tot illatas injurias dissimulare non auderet, secundo exsilii sui anno per Abbatem Ordinis Cisterciensis Regi Anglorum commonitoriam, dulcem et suavem misit epistolam, nil correptionis vel amaritudinis habentem. Nuncius verò in brevi reversus, pro mollibus aspera, pro dulcibus amara, pro commonitione duram retulit objurgationem. Quod audiens Archiepiscopus, secundò commonuit Regem per alios viros religiosos, asperiores eidem dirigens litteras; sed et hi nihil penitùs præter contumelias reportaverunt. Zelus itaque justitiæ apprehendit eum, ut non jam commonitorias, sed comminatorias proferre decrevisset actiones. Accessit igitur ad Ecclesiam S. Mariæ
B Magdalenæ in civitate * ipsius, et post elegantem ad populum sermocinationem, in Regem Angliæ emisit comminatorium (*a*). Undè famâ divulgante præmunitus Rex, citissimè misit in Angliam, mandans Ricardo de *Luci,* qui præfecturam agebat in Anglia, ut Episcopos et personas Angliæ, sed et Monachos Cantuariæ contra Archiepiscopum compelleret appellare. Hoc ipsum a domino Rege in Normannia factum est.... Hac igitur celebri celebratâ appellatione, misit Rex, misit et Archiepiscopus nuncios ad dominum Papam : a quo tandem hoc a regiis nunciis impetratum est, ut ad pacem reformandam inter Regem et Archiepiscopum duos a latere mitteret Legatos. Interea videns et invidens hostis antiquus Thomam de virtute in virtutem in dies procedere, misit in cor Regis per linguas malignantium toxicatas, ut Archiepiscopum de tam grato propelleret hospitio. Misit igitur litteras comminatorias generali Capitulo Cisterciensi, sig-
C nificans quòd quemdam de inimicis suis suscepissent et secum haberent, Thomam scilicet Cantuariensem Archipræsulem. Undè et mandavit quòd, sicut carum habebant quidquid in terra sua cismarina aut transmarina possidebant, ne eum ampliùs tenerent secum. Expleto igitur Capitulo, venerunt ad Archiepiscopum Abbas ipse Cisterciensis, Episcopus Papiensis Ordinis illius quondam Monachus, et ejusdem Ordinis quidam Abbates. Et venerunt festinantes, nomine Capituli nunciantes se tales Regis litteras et tale in eis suscepisse mandatum. Et ad Archiepiscopum sermonem convertentes : « Domine, inquiunt, Capitulum propter » mandatum tale nec fugat, nec expellit te, nec licentiat; sed tibi et pru» denti tuo consilio hoc significat, ut post tale mandatum videas et attendas » quid agendum ». Archiepiscopus autem, incontinenti cum suis consilio habito, mox respondit, se nullâ velle ratione quòd, aliquâ sui occasione, ipsi Ordinis
D sui aliquam incurrerent læsionem : adjiciens quòd, quòcumque diverteret vel ubicumque caput suum reclinaret, ab eis se citissimè amoveret. Quo audito responso, præfati nuncii in crastino reversi sunt.

Nunciata sunt igitur hæc Christianissimo Regi Francorum Lodovico. At ille gaudens in Domino, nuncio dixit : « Ex hoc quod mihi nuncias infortunio, » gaudeo planè, simul et doleo. Doleo, inquam, quia Monachi isti Ordinis

* *Id est,* Viziliaci.

» militer hoc anno MCLXVI, de unaquaque libra » duos denarios. Deinde quatuor sequentibus » annis de singulis libris singulos denarios. Hoc » quoque faciat de culturis et vineis, ita quòd » non computetur sumptus et constamentum ea» rum. Hoc etiam de debitis, de quibus recipien» dis certitudinem habent. Hoc faciant Archie» piscopi, Episcopi, Abbates, qui regale habent, » et Clerici, Comites, Barones, vavassores, mi» lites, cives, burgenses, rustici. Omnis homo » domum habens et non valorem libræ, det » unum denarium. Homo non habens valorem » libræ, et tamen aliquod officium agens, det » unum denarium. Statutum hoc ego primus manu » propriâ me observaturum affidavi in manu Ar» chiepiscopi Rotomagensis : deinde Archiepis» copi, Episcopi, Comites, Barones, vavassores, » sub fide promittentes quòd idem faciemus affi» dare omnes sub potestate nostra constitutos. Hoc » itaque ab omnibus qui prænominati sunt, per » omnes terras meas fieri præcipio. Eleemosyna » ista solvetur a die S. Remigii infra dies XV se» quentes, et si quem infra hunc terminum mori » contigerit, priùs solutis debitis suis, decimam » partem suæ partis dabit in hanc eleemosynam. » Et erit truncus in omnibus civitatibus et in » Ecclesia episcopali, et per singulas villas in » Ecclesiis, ubi quisque post juramentum ita fi» deliter mittet, rebus suis diligenter numeratis, » quidquid ex eis modo prædicto colligi pote» rit, ita veraciter, ne infringat juramentum, » neque incidat in excommunicationem, quæ » fiet super eos qui aliquid defraudaverint. Trun» cus verò habebit tres claves, quarum unam » custodiet Presbyter, duas fideliores viri de pa» rochia. Infra festum quidem Omnium Sancto» rum pecunia in villis collecta ad Episcopum » deferatur per eosdem qui collegerunt, et per » alios legitimos testes. Deinde simul colligetur » per terras meas, ubi ego assignavero, per Ar» chiepiscopos et Episcopos, qui mecum ad hoc » statuendum interfuerint. Condonata est tertia » pars pœnitentiæ suæ omnibus qui fideliter de » rebus suis hanc eleemosynam persolverint. Hæc » acta sunt anno ab Incarnatione Dom. MCLXVI ».

(*a*) *Die Ascensionis Domini, videntibus populis qui ad diem festum convenerant,* inquit Radulfus de Diceto.

Digitized by Google

» Cisterciensis, quos putabam solum Deum amare et timere, nunc, ob favo- A
» rem mortalis hominis vel timorem, huic viro Dei suam subtrahunt eleemo-
» synam : hoc est quod doleo. « O, inquit, religio ubi est »! Et adjecit : « Gau-
» deo autem quòd ad obsequium tanti viri gratam invenimus opportunitatem.
» Veniat igitur, veniat ad nos, et Francigenæ gentis piam sentiat bonitatem ».
Quo dicto, misit Rex nobilissimum quemdam cum trecentis viris in occursum ejus, qui eum a Pontiniaco cum honore debito deducerent in Franciam : unde Monachi Pontiniacenses cum ipso Abbate suo usque ad effusionem lacrymarum contristati sunt.... Igitur Archiepiscopus, ut prædictum est, circa diem festum
* An. 1166. Sancti Martini * Pontiniacensibus valedicens, dùm cum Abbate ipsius Cœnobii iter ageret, subitò prorupit in lacrymas : quarum causam cùm instantissimè Abbas quæreret, et ille diutiùs sileret, importunitate tandem Abbatis coactus, ait : « Ea quæ de me sunt, ô Abba, finem habent ».... Profectus itaque Thomas B
Cantuariensis Archiepiscopus in die Sancti Martini, secundo exsilii sui anno, ut prædictum est, a Pontiniaco, cum honore multo ab Hugone tunc Senonensi Archiepiscopo, Clero quoque et populo Senonis receptus, in Cœnobio sanctæ Columbæ per quatuor continuos annos perendinavit. Post paucos autem dies reversi sunt nuncii Archiepiscopi dicentes, Cardinales duos ad faciendam pacem, si possent, in proximo esse venturos....

Anno Gratiæ MCLXVII, rupta est pax et concordia, et bella reparata sunt inter Lodovicum Regem Franciæ et Henricum Regem Angliæ, propter Tolosam civitatem et varias hinc inde causas, et maximè, ut credi potest, propter Thomam Cantuariensem Archiepiscopum. Undè præter alia mala Comitatus Augensis et pagus Vilcassinus rapinis et incendiis maximè vastati sunt, Rege Francorum quatriduò in Vilcassino cum exercitu suo demorante. Matthæus etiam Co- C
mes Boloniæ, frater verò Philippi Comitis Flandriæ, sexcentas naves, ut fama fuit, Flandrensibus armavit, juratus in Angliam venire : undè motus magnus in Anglia factus est. Subtraxerat enim ei Rex quosdam redditus in Anglia, quos dicebat sibi de jure antiquo competere : quos quia prece non potuit, armis conatus est revocare. Sumpsit audaciam suæ præsumptionis, eò quòd Rex Angliæ transmarinis dissensionibus esset occupatus. Verumtamen conatus ejus inanis effectus est, Richardo de *Luci* cum Anglicana militia custodiam procurante.

Interea venerunt in Franciam prædicti Legati Willielmus et Otho, et cum Archiepiscopo Senonis de reformanda pace locuti sunt. Indè ad Regem [Angliæ] euntes, eumque in proposito suo pertinacem nimis reperientes, in octavis Sancti Martini colloquium indixerunt. Suggesserat enim eisdem Legatis Rex, quòd hæc omnia mala de consilio et suggestione Cantuariensis Archiepiscopi processerant, D
asserens eum in propria personna ad loca guerrarum accessisse, et tam Regem Franciæ, quàm Comitem Flandriæ nil rancoris habentem, pro viribus suis in ipsum animasse. Sed Rex Franciæ prædictos Legatos ad suum admittens colloquium, Archiepiscopi purgavit innocentiam, etiam cum juramento dicens, quòd ei semper consilium dederat ùt pax servaretur, salvo honore utriusque Regis. Ipsi autem, ne nihil egisse viderentur, inter Gisortium et Triam in octavis S. Martini cum Archiepiscopo colloquentes, quæstionibus plurimis ipsius animum scrutari cœperunt. Sed immobilem reperientes, et ejus invincibiles rationes attendentes, de quibus audierant contulerunt, et sic demùm, omni penitùs infecto negotio, Romam redierunt....

Hoc anno venit in Angliam Coloniensis electus, qui et schismaticus, ut Matil- E
dem Regis Anglorum filiam Duci Saxonum peteret in uxorem. Petiit et obtinuit, et Regina *Alienor* cum filia sua apud Dovoriam transfretavit... Thomas autem Cantuariensis Archiepiscopus quosdam Regis familiares excommunicavit justis ex causis.

Anno Gratiæ MCLXVIII, Matildis filia Regis Angliæ nupsit Duci Saxonum Henrico. Comes Patricius Sarisberiensis, vir nobilis et militaris, a Pictaven-
* *f.* libertates sibus occisus est, qui a Rege Anglorum defecerant ob quasdam liberalitates * sibi recisas; unde discordia Regum Angliæ scilicet et Franciæ, cujus partem fovebant Pictavi, quotidiè cepit incrementum. Venerunt interea ad Regem Angliæ nobilissimi Alemanniæ et spectabiles Legati, Dux scilicet Saxonum gener Regis, Maguntinus Archiepiscopus [Christianus], Coloniensis Electus [Reinol-
* *Corr.* Rodulphus. dus], et Leodiensis Episcopus [Alexander *], multâ ambitione et fastu missi ab Imperatore Frederico, multa ex Alemannis adversùm Francos spondentes auxilia,

Digitized by Google

A multisque tentantes moliminibus qualiter Regem Angliæ in schismatis sui partem inducerent, et ob favorem ipsius regnum Francorum cum bellico apparatu intrarent. Rex autem prædictos Legatos cum multo suscepit honore, responsis prudentibus et blandiloquiis satisfaciens, ipsosque abeuntes prosecutus est multis gratiarum actionibus, pretiosis honoratos muneribus. Horum itaque causâ Legatorum fecit Rex ditiores ex Anglia Judæos transfretare, et aliquos in quinque millibus marcis describere. Porrò illi recedentes, turbidas in Francos minas, pro innato genti stolidæ vitio, barbarizabant, eò quòd religiosus Francorum Rex eorum, utpotè schismaticorum et excommunicatorum, noluit colloquio participare.

Circa Pentecosten celebravit Fredericus Imperator Concilium permaximum apud *Wicheburch* (*a*), in quo cùm de pace et concordiâ inter ipsum et Papam Alexandrum, Sabbato et secundâ feriâ Pentecostes tractaretur, superveniens
B Coloniensis Electus in medio omnium protestatus est, dicens : « Domine Impe» rator, Concilia quæ adversùs Papam Alexandrum hucusque captastis, nihil » vobis profuerunt, nihil ei nocuerunt. Nam et de nostris plurimi obediunt et » adhærent ei, sicut dominus Maguntinus et alii ; sed si mihi et consilio meo » adquieveritis, in promptu erit Alexandri dejectio, et Papæ nostri Paschalis » exaltatio. En ego adquisivi nostræ parti L Episcopos cum Archiepiscopis suis, » et plures numero de dominatione Regis Angliæ, qui Papæ Paschali et vobis » adhærebunt, si vos Alexandri obedientiam, et eo decedente, cujusque de » parte ejus electi abjuraveritis. In hujus rei confirmationem ecce adsunt nuncii » Regis Angliæ, qui in persona Regis nobiscum jurabunt ». Placuit Imperatori forma consilii. Sed cùm a quibusdam hujusmodi juramentum differre volentibus, diceretur quòd Coloniensis primò jurare deberet, qui hujusmodi dedit consi-
C lium, et ille usque ad lacrymas reluctaretur ; Imperator vehementer iratus ait : « En apparet quòd tanquam proditor operatus sis adversùm me et animam meam. » Et apparet quòd bonum consilium dedit mihi Maguntinus, Octaviano de» functo, suadens mihi, ne de tanto periculo liberatus, iterùm me in consimile » involverem : unde tibi scripsi, dans in mandatis ne, me inconsulto, de eli» gendo Pontifice quidquam tractares. Tu verò clam, me ignorante, auctori» tate tuâ istum elegisti, et *Te Deum* cantasti ; parasti nobis foveam, modò » primus incides in eam ». Primus igitur omnium juravit Coloniensis, deinde Imperator, postea Dux Saxonum gener Regis Angliæ. Juraverunt cæteri qui præsentes fuerunt, tam Episcopi quàm Principes. Juraverunt etiam duo Clerici (*b*) nuncii Regis Angliæ in persona Regis : eorum verò juramentum qui abfuerunt, dilatum est usque in Octavas Apostolorum Petri et Pauli. Per totam etiam An-
D gliam ex præcepto Regis (*c*) a populo juratum est, quòd ad præceptum Regis faciendum omnes forent parati : unde et congregatio Episcoporum et Abbatum, et aliarum personarum ecclesiasticarum apud Londonias facta est ; sed et Subprior et Monachi Cantuariensis Ecclesiæ ex imperio Regis jussi sunt ibidem adesse. Cùm autem super hoc juramento faciendo convenirentur Episcopi, et ipsi tam detestabile juramentum contra Deum et Alexandrum Papam præstare noluissent, dilatum et infatuatum est tam iniquum et enorme negotium, et quisque ad sua repedavit.... In brevi Paschalis ille defunctus est ; Imperator tamen cæterique schismatici, jam duobus defunctis, tertium falsum Papam substituerunt.

Circa Natale Domini * discurrerunt inter Reges, adhùc in immensum discordes, viri religiosi utriusque fideles, verba pacis et concordiæ ad alterutrum deferentes. Pax itaque tandem utcumque formata est, quæ quò meliùs formaretur, in Epi-
E phania Domini mutuò sibi indixerunt colloquium. * An. 1168.

Anno Gratiæ MCLXIX, convenerunt Reges et Principes die Epiphaniæ apud Montem-mirabilem * de pace jam formata collocuturi ; ubi post alias confirmandæ pacis allegationes, Rex Angliæ Henricus Lodovico Regi Franciæ ita fertur * *Montmirail.*

(*a*) Concilium istud Herbipolense non ad an. 1168, sed ad an. 1165 pertinere demonstrat Pagius ad an. 1166, ex chronographo Reicherspergensi.

(*b*) Nempè Joannes de *Oxenford* et Ricardus de *Welchestre* seu Ilvestria.

(*c*) Odio B. Thomæ id actum fuisse constat ex Henrici epistola Reginaldo Coloniensi electo scripta, inter Sarisberianas 69 libri primi : *Diu desideravi,* inquit, *justam habere occasionem recedendi a Papa Alexandro et a perfidis Cardinalibus ejus, qui proditorem meum Thomam, quondam Cantuariensem Archiepiscopum, contra me manutenere præsumunt. Unde cum consilio omnium Baronum meorum et cum consensu Cleri magnos viros de regno meo... Romam missurus sum, qui publicè et manifestè ex parte mea et totius regni mei, et omnium aliarum terrarum quas habeo, proponent et denunciabunt Papæ Alexandro et Cardinalibus ejus, ne ulteriùs proditorem meum manuteneant, sed ita liberent me ab eo, ut alium cum consilio Cleri in Ecclesia Cantuariensi possim instituere.*

Digitized by Google

dixisse : « Hâc die, domine mi Rex, quâ tres Reges Regi Regum munera A
» obtulerunt, me ipsum, natos meos et terram vestræ commendo custodiæ ».
Cui respondit Rex Franciæ : « Quia vobis hoc inspiravit Rex, qui Regum mu-
» nera suscepit, exhibeant nati vestri præsentiam suam, ut a mansuetudinis
» nostræ titulo terras suas possideant ». Accessit itaque Henricus Regis primo-
genitus, et suscepit a Rege Franciæ dominium Britanniæ cum pago Andegavensi
et Cenomannico, de his faciens Regi Franciæ hominium, cùm jam pro Ducatu
Normanniæ idem fecisset. Richardus quoque filius Regis Angliæ accepit in uxo-
rem filiam Regis Franciæ [Adelam], quam habuit de filia Regis Hispanorum,
et suscepit Ducatum Aquitaniæ, fecitque hominium Regi Franciæ super ho-
nore Ducatûs. Pictavi quoque et Britones, qui cum Rege Franciæ contra Re-
gem Angliæ arma moverant, in hoc colloquio in gratiam Regis Angliæ redierunt.

Interea persuasum est Thomæ Cantuariensi Archiepiscopo a quibusdam no- B
bilissimis viris et religiosis, ab his etiam quos dominus Papa ad pacem destina-
verat reformandam, ut ipse Archiepiscopus Regis animum aliquâ humilitate
coram Optimatibus utriusque regni, in præsentia quoque Regis Franciæ miti-
garet, litisque decisionem Regis penitùs committeret arbitrio, omni tacitâ condi-
tione, et sic in plenitudinem gratiæ ipsius procul dubio rediret. Insonuerat enim
rumor in populo, quòd Rex Angliæ crucem peregrinationis in Jerosolymam
vellet accipere, si ad honorem suum pacem Ecclesiæ restituisset. Quod quamvis
ipsius Regis, ut postea claruit, esset fictitium; Archiepiscopus tamen denique
adeò suasus, tractus, pulsus et impulsus est, ut persuasus videretur. Itaque cùm
a pacis mediatoribus et aliis hinc inde stipatus jam duceretur ad Reges (erant
quippè adhuc duo simul, pacis finem exspectantes) inter ipsa verborum initia
mox ad pedes Regis se prostravit, quem Rex ipse vix prostratum confestim C
apprehensum erexit. Archiepiscopus verò ante Reges stans, humiliter et devotè
pro Anglicana Ecclesia, sibi licèt indigno commissa, regiam cœpit interpellare
clementiam, solùm suis meritis tantam ascribens Ecclesiæ perturbationem et
afflictionem tam duram; et adjecit : « Totam, inquit, domine, causam, unde
» inter nos orta est dissensio, in præsentia domini Regis Francorum, Pontificum
» et Principum, vestro committo arbitrio, salvo honore Dei ». Rex autem An-
gliæ, hoc audito ultimo verbo, statim incanduit in Archiepiscopum, multis
eum afficiens contumeliis, multa improperans, multa exprobrans... Archiepis-
copus verò in omni patientia hæc audiens, sic ad omnia suum temperavit res-
ponsum, ut neque rigidus neque remissus appareret.... Videns autem Rex quòd
Archiepiscopi multùm audientibus placeret responsio, ipsius verba interrumpens,
Regi Franciæ dixit : « Domine mi Rex, attende, si placet; quidquid isti displi- D
» cuerit, dicet honori Dei esse contrarium, et sic sua et mea omnia sibi vin-
» dicabit. Sed ne videar in aliquo honori Dei velle resistere, hæc ei offero.
» Multi fuerunt in Anglia Reges ante me, majoris vel minoris auctoritatis quàm
» sum ego; multi fuerunt ante eum Archiepiscopi Cantuariæ, magni et sancti
» viri : quod igitur antecessorum suorum major et sanctior fecit antecessorum
» meorum minimo, hoc mihi faciat, et quiesco »... Cùmque clamarent un-
dique : « Satis se humiliat Rex »; Rex Franciæ aliquantulùm motus in Archie-
piscopum dixit : « Domine Archiepiscope, vis major esse Sanctis, vel melior
» Petro? quid dubitas? Ecce pax in promptu est »... Cùm autem ad clandes-
tinam fugam excusandam verba formaret, et mediatores illi contentionem, non
pacem suboriri viderent, rapuerunt Archiepiscopum de medio coronæ circums-
tantium; suadentes et impellentes, clamantes et dicentes ut, tacito honore Dei, E
daret gloriam Regi. At ille : « Patres, inquit, nostri passi sunt, quia noluerunt
» nomen Christi subticere, et ego, ut mihi hominis gratia restituatur, honorem
» Dei debeo supprimere? Absit, ait, absit ».

Insurrexerunt itaque in eum Magnates plurimi utriusque regni, ipsius impu-
tantes arrogantiæ impedimentum pacis, et dicentes : « Quia utriusque Regis vo-
» luntati resistit, deinceps neutrius est dignus auxilio; sed ejectum ab Anglia
» non recipiat Francia ». Jam dies erat deductus ad vesperam, et ipsi media-
tores constantiam viri pertinaciam judicantes, continuò recesserunt, Regibus jam
in equis abeuntibus. Thomas autem relictus in medio ibat per viam suam, gau-
dens quòd pro honore Dei meruisset contumeliam pati. Aversus est itaque ab
eo animus Regis Franciæ, ut per dies aliquot nec eum more solito visitaret,

Digitized by Google

A nec per suos, ut consueverat, ministros victualium necessaria ministraret. Cùm autem Archiepiscopus, in hospitio suo Senonis receptus, de tanta cum suis conferret angustia, et de pane suo etiam pedes aliàs mendicando, uno tantùm secum assumpto laboris socio, cogitaret, omnia tamen quæ eum contingebant dispositioni Dei committeret; paucissimis evolutis diebus, accurrit quidam serviens Regis Franciæ, dicens Archiepiscopo quòd vocaret eum Rex. Annuit Archiepiscopus ut Regem adiret, volutans in corde, quod etiam ex suis aliquis dicebat, scilicet, ut ex ore Regis licentiati continuò Francorum propellerentur a regno. Venientes itaque ad Regem, eoque humiliter salutato, invenerunt eum tristi vultu sedentem, nec, ut solebat, Archiepiscopo assurgentem. Considerantibus autem illis, et diutiùs facto silentio, Rex tandem, quasi invitus abeundi daret licentiam, subitò mirantibus cunctis prosiliens, obortis lacrymis projecit se ad
B pedes Archiepiscopi, cum singultu dicens : « Domine mi pater, tu solus vidisti ». Et congeminans cum suspirio : « Verè, ait, tu solus vidisti. Nos omnes cæci » sumus, qui tibi contra Deum dedimus consilium, ut ad nutum hominis ho» norem Dei reticeres. Pœniteo, pater; ignosce, rogo, et ab hac culpa me » miserum absolve : regnum meum et meipsum ex hac hora tibi offero ». Elevato itaque Rege et absoluto, post dulcia et amica colloquia, datâ benedictione, Archiepiscopus Senonis reversus, Deum glorificabat, qui non deserit sperantes in se, et de sua virtute gloriantes humiliat.

Post aliquot autem dies Regi Franciæ nunciatum est, quòd Rex Angliæ omnes conventiones illas, quas cum Pictavis et Britonibus, ipso Rege Francorum mediante, in supradicto colloquio apud Montem mirabilem fecerat, jam in tantillo temporis spatio confregisset. Unde Rex Francorum admirans ait : « O
C » quàm prudens, quàm discretus et providus est Cantuariensis Archiepiscopus, » qui ita nobis omnibus tam constanter obstitit, ne pacem faceret quam vole» bant! ipsius semper debuissemus quæsisse consilium, qui Regis illius mores et » animum novit ». Alii quoque mediatores magni similiter ipsius constantiam prædicabant.... His auditis, Rex Angliæ mandavit Regi Francorum se plurimùm mirari, quòd Archiepiscopum diutiùs in terra sua retineret, qui pacem sibi oblatam contumaciter refutavit. Rex autem Franciæ nunciis dixit : « Ite, » dicite domino vestro, quia si ipse consuetudines, quas avitas vocat, non vult » dimittere, nec ego veteranam Regum Franciæ libertatem volo propellere; » quæ cunctis exsulantibus et præcipuè personis ecclesiasticis consuevit subve» nire ». Videns igitur... Regis Francorum animum ex confracta pace irâ com-motum, excogitavit quâ subtilitate Regis animum mitigare valeret, et Archie-
D piscopo Cantuariensi, si fortè daretur occasio, vel specie tenùs pacem restituere. Pœnitentiâ enim, ut dicebatur, ductus est quòd Archiepiscopo pacem non dedit postulatam. De colloquio autem cum Rege Francorum habendo desperatus, quasi orandi gratiâ venit in Franciam. Cui cùm Rex Franciæ spontè vel invitus apud Montem-Martyrum occurrisset, post alia pacis eloquia de pace et concordia Cantuariensis Archiepiscopi supplicabant universi. Annuit itaque Rex ut Archiepiscopus in pace et securitate repatriaret, et Archiepiscopatum suum in ea libertate reciperet et teneret, quâ prædecessores suos tenuisse constaret. Promisit etiam se eidem mille marcas daturum ad reditûs sui præparationem. Archiepiscopus autem ablatorum omnium restitutionem repetens, constanter mediatoribus dicebat nullatenùs remitti peccatum, nisi restituatur ablatum : cujus erat taxata summa xxx millia marcarum. Sed Rex Franciæ cæterique utrius-
E que Optimates regni suadebant Archiepiscopo, ne pro repetenda pecunia, justè vel injustè ablata, domini sui gratiam refutaret. Cùm igitur omnia complanata fuissent, ex mandato domini Papæ pacis initæ cautionem quærebat Archiepiscopus ad confirmationem. Cùm autem hi et illi dicerent hujusmodi cautionem præsertim de domino suo non esse petendam, sibi sufficere dicebat pacis osculum ex ore sibi regio datum. Quod cùm per Regem Franciæ aliosque mediatores Regi Angliæ esset intimatum, sè quidem hoc libenter facturum esse respondit, nisi quia iratus publicè juraverat Archiepiscopum se nunquam osculaturum, etiamsi aliquandò pacem ei redderet et gratiam; nec propterea adversùs eum aliquem retinere rancorem. Suspicans autem Rex Franciæ cæterique mediatores mellitis Regis sermonibus inesse venenum, solum Regis responsum Archiepiscopo referebant, nec hoc nec illud suadere volebant. Archiepiscopus autem, ut vir

Digitized by Google

providus et discretus, et astutis astutior, id ipsum intelligens; oblatam pacem recipere noluit, nisi etiam pacis osculum traderetur. Cùm igitur dies jam perducta esset ad vesperam, et Regum hospitia Mantuæ * præparata fuissent, pace imperfectâ, omnes ab invicem discesserunt. Ibat itaque Rex Angliæ per viam suam Archiepiscopum maledicens, eò quòd propter eum tot et tantas sustinuerit vexationes. Dum hæc ita agerentur, Archiepiscopus in Capella, quæ Martyrum nuncupatur, Regis Anglorum præstolabatur responsum. Misit igitur Rex Franciæ litteras et nuncios, cum his quos Archiepiscopus ad summum miserat Pontificem, petens in virtute amoris et obtentu obsequii, ne ulteriùs frustratorias prorogaret dilationes. Sed et Willelmus venerandus Senonensium Antistes in propria persona Papam petiit, ut terra Regis Angliæ interdicto subjiceretur, nisi pax Ecclesiæ redderetur : quod Regem latere non potuit.... A

* *Mantes.*

Anno Gratiæ MCLXX, Rex Henricus in Angliam transfretaturus ad mare descendit. Quod cùm ex magna parte transmisisset, vehementer tempestate quassatus et jam ferè de salute desperans, quinque naves perdidit, et vix tandem multâ fatigatus angustiâ, v Nonas Martii in Angliam applicuit. Audiens autem Papa Regem in Angliam transfretasse, ne diutiùs Ecclesia dispendium sustineret, renovavit mandatum ad Rotomagensem et Nivernensem, præcipiens ut, si necesse esset, in Angliam transfretarent, omnibus modis Regem de pace commonituri.... Rotomagensis et Nivernensis versùs Angliam iter arripientes, scripserunt Regi, indicantes ei quod vel quale præceptum a domino Papa susceperint. Ipse verò rescripsit eis, monens et mandans ne maris periculis se imponerent, spondens se noviter venturum, et formæ pacis inter ipsum et Archiepiscopum per consilium eorum assensum præbiturum. Convenerunt interim die statuto * ex mandato Regis ad Londoniam totius Angliæ Episcopi, Abbates, Comites, Barones, Vicecomites, Præpositi, Aldermanni cum fidejussoribus suis, timentes valdè omnes. Quisque juxta conscientiam suam metuebat; nesciebat enim quid Rex statuere decrevisset. Ipsâ die Henricum filium suum, qui eâdem septimanâ de Normannia venerat, Militem fecit, statimque stupentibus cunctis et mirantibus, in Regem ungi præcepit et coronari. Apposuit autem ei manus, infausto quidem auspicio, sicut exitus declarabit, Rogerius Eboracensis Archiepiscopus, non veritus justitiam, et timorem Dei abjiciens, et prohibitionem domini Papæ contemnens... Coronatus itaque novus Rex, ex præcepto patris sui Comitum et Baronum suscepit fidelitates, et sic timore culparum deposito, omnes ad propria redierunt. Deputatis autem novo Regi tutoribus et magistris, et his præcipuè qui Thomam Cantuariensem Archiepiscopum veterano insequebantur odio, Rex pater ad mare descendit et transfretavit, habiturus colloquium cum Rege Franciæ in festivitate S. Mariæ Magdalenæ. Quoniam verò jam dies instabat in terram Regis dandæ sententiæ, nec erat ulteriùs locus divertendi; ipse et Archiepiscopus in confinio Carnotusiæ et Cenomanniæ, in prato quodam amœnissimo, quod quondam ab incolis Pratum proditorum appellatum est, primò per intermeantes personas, deinde per se ipsos longos traxêre sermones. Cùmque diutiùs locutum fuisset, rogavit Regem Archiepiscopus, ut injuriam, quam Eboracensis Archiepiscopus cæterique Episcopi suffraganei sui in coronatione novi Regis matri suæ Cantuariensi intulerant Ecclesiæ, absque ipsius offensa liceret punire. Cui cùm annuisset Rex (noluit enim quiddam contradicere) subitò descendit Archiepiscopus equo, Regis pedem apprehensurus et deosculaturus. Rex econtrà dissilivit equo, et staphum Archiepiscopi arripiens, eum levavit in equum, dicens : « Decet ut majori minùs dig- » nus serviat ». Sic itaque Rex Archiepiscopo gratulabundus occurrit, sic eum jocundè allocutus est, ac si antè nihil rancoris habuisset. Quem cùm Rex secum vellet abducere, dicens sibi expedire ut pax inita cunctis manifesta nulli veniret in dubium; Archiepiscopus respondit : « Ingratus videbor, domine, si benefac- » toribus meis saltem non valedixero ». Rediit ergò Archiepiscopus, et Regi Franciæ cæterisque benefactoribus suis gratias agens, cum Rege Angliæ, antequam rediret in Angliam, non semel locutus est, tandemque reditum paravit in Angliam. (*Narrat post hæc Archiepiscopi Cantuariensis sacrilegam necem*) (*a*). B C D E

* XVIII. Kal. Julii.

(*a*) « Nec te moveat, bone lector, tua prudentia » (*verba sunt Gervasii*) eò quòd dixerim S. Thomam martyrio esse coronatum anno Gratiæ » MCLXX, cùm invenias eum passum fuisse anno » ab Incarnatione Domini MCLXXI..... Diversis » etenim terminis et rationibus anni Domini in-

Digitized by Google

A Anno Gratiæ MCLXXI,... gloriosi igitur Martyris passio miraculosa circumquaque divulgata, tandem ad Regem Angliæ et Alexandri Papæ notitiam pervenit. Unde ambo admodùm confusi et nimiâ cordis angustiâ consternati sunt, sed diversis ex causis. Dolebat enim Rex de modo martyrii, et famæ suæ plurimùm metuebat, ne proditoris elogio ubique terrarum notaretur, utpote qui sancto viro post tot adversitatum vexationes illatas, astantibus et videntibus populis et linguis, firmam pacem et plenam dederat, eumdem in Angliam præmisset subitò perimendum. Dolebat et Papa Alexander malè sibi conscius de causa Ecclesiæ, pro qua sanctus Dei Thomas jam per annos sex labores plurimos sustinuerat, quòd eam scilicet malè defendisset, et tandem ipsum Ecclesiæ pugilem in manus persequentium tradidisset.... Rex autem sibi timens et suis præcavens, ne anathematis vinculo nodaretur, remedium appellationis opposuit, misitque nuncios spec-
B tabiles et admodùm loquaces ad dominum Papam, qui eum de morte S. Thomæ Martyris excusarent... Decrevit et hoc Romana curia, ut duo Legati ad cognoscendam causam Ecclesiæ mitterentur in Normanniam, et ad ultionem de morte S. Thomæ inferendam. Quod cùm Regi innotuisset, citissimè transfretavit in Angliam, præcipiens portuum Præpositis cismarinis et transmarinis, quatenùs portus diligentissimè custodirent; et si quis litteras de interdicto, si fortè darentur, portare præsumeret, caperetur et in carcerem poneretur. Præcepit etiam ne quis Clericus transfretaret, nisi juraret quòd nec Regi nec regno damnum quæreret vel malum. Adjecit et hoc, ne quis litteratus ad eum venire præsumeret. Applicuit autem apud *Portesmuthe* III Nonas Augusti; et exercitu non modico congregato, expeditionem paravit in Hiberniam apud *Pembroc*. Legati igitur, de quibus prædictum est, venerunt in Normanniam....

C MCLXXII Gratiæ anno, proposuerunt Legati Theodinus et Albertus severiùs in Regem agere. Miserant enim ad eum commonitorias epistolas et comminatorias, aspera simul et levia eidem per internuncios proponentes... Rediens autem tandem ad cor, feriâ secundâ Paschæ in Angliam reversus est, et dispositis utcumque regni negotiis, circà Domini Ascensionem in Normanniam transfretavit, et cum Legatis publicè et privatim locutus est. Rex autem Franciæ Lodovicus non modicè indignatus est, eò quòd Margareta filia sua cum viro suo Henrico Rege juniore non fuit coronata. Rex igitur Angliæ Henricus, instinctu Legatorum, misit in Angliam simul cum filia Regis Franciæ prædictum filium suum jam coronatum, ut ambobus in Anglia corona regni imponeretur. Misit etiam cum eis Rotrodum Rotomagensem Archiepiscopum et Ægidium Ebroicensem Episcopum. Coronati sunt itaque in civitate Wintonia manu Rotomagensis Archiepiscopi VI Kal. Sep-
D tembris... Coronatione igitur expletâ, redierunt Episcopi in Normanniam, Rege juniore cum sua Regina in Anglia dimisso.

Convenientes autem Regem seniorem prædicti Legati de morte Cantuariensis Archiepiscopi, eum ad satisfaciendum satis humilem repererunt. Decreverunt igitur Legati ut in facie Ecclesiæ innocentiam suam, tam de sancti Archiepiscopi morte, quàm de aliis subscriptis (*a*) capitulis, sacramentum præstaret jura-

» cipiuntur. Quidam enim incipiunt ipsos annos » Domini ab Annunciatione, quidam a Passione, » quidam a Circumcisione, id est, ab initio anni » solaris : quamplures autem, quorum ego imitator sum, annos Gratiæ solent incipere a Nativitate; omnium enim hominum annos et ætates, non a conceptione, sed a die nativitatis » computare solemus. Anno igitur Gratiæ MCLXX » S. Thomas, in fine quidem anni, martyrio coronatus est.... Non arguo sententiam illorum » qui annos Incarnationis inchoant ab Annunciatione, sed magis illis consentio quorum imitator existo, eorum scilicet qui annos et ætatem Domini computant a Nativitate. Utrorumque ratio satis probabilis est, sed istorum facilior simul et utilior esse dinoscitur. Inter eos » una et sola est altercatio, sub cujus videlicet » anni continentia debeant annotari ea quæ contingunt inter Nativitatem Domini et ejus Annunciationem. Qui asserit S. Thomam martyrizatum anno MCLXX, annum incipit et terminat » in Annunciatione; qui autem dicit eum passum » esse anno Gratiæ MCLXXI, annum præcidit alterius, et anticipat trium mensium spatio ». Hanc porrò observationem sæpiùs adhibuimus nos in castigandis variorum chronicis.

(*a*) Capitula a Rege sacramento confirmata hæc sunt :

« I°. Quòd nec præcepit nec voluit ut Cantuariensis Archiepiscopus occideretur, et quandò » audivit, vehementer inde doluit. Sed quia malefactores illos qui præfatum Archiepiscopum » occiderunt habere non poterat (qui tamen in » deliciis venationum aliquandiu postea fuerant » cum ipso commorati) et quia timebat ipsos » illud prophanum opus, causâ motûs animi quem » in eo viderant, perpetrasse, de satisfactione » tale præstitit sacramentum.

» II°. Juravit etiam quòd ab Alexandro summo » Pontifice et ab catholicis ejus successoribus non » recederet, quamdiu ipsum sicut Regem catholicum habuerint.

» III°. Juravit etiam quòd neque appellationes impediret, neque impediri permitteret quin liberè » fierent in regno suo ad Romanum Pontificem » in ecclesiasticis causis : sic tamen ut, si ei suspecti fuerint aliqui, securitatem faciant quòd » malum suum vel regni non quærerent.

» IV°. Juravit etiam quòd ab instante Nativitate » Domini usque in triennium crucem acciperet, » in proxima sequenti æstate in propria persona » Jerosolymam iturus, nisi remanserit per Ale-

Digitized by Google

menti. Annuit Rex, et tactis sacrosanctis, apud Abrincas v Kal. Octobris juravit. A

Dum hæc itaque agerentur in Normannia, juvenis Rex ex consilio tutorum suorum mandavit Odonem Priorem et Monachos Ecclesiæ Cantuariensis, ut ad eum quantociùs venirent, et Archiepiscopum sibi et suæ Ecclesiæ eligerent. Accessit itaque Prior Odo cum Monachis suis ad curiam, et conserto sermone de Pontifice eligendo, Prior liberam de more Ecclesiæ petivit electionem. Quæ cùm ab aulicis Priori penitùs denegata, vel ut mitiùs dicam, dilata fuisset quasi sub specie pietatis ;... Prior Odo Cantuariam rediens, in proximo transfretavit, Regem in Normannia degèntem adiit, eumque magis supplicantem quàm imperantem reperit. Veritus est enim Odonis constantiam, ne severum quempiam hominem Archiepiscopum eligeret, qui B. Thomæ Martyris in negotiis ecclesiasticis existeret imitator. Hac de causa Rex Odoni Priori plurimùm supplicans, manibus protensis et semiflexis genibus, rogabat ut sui misereretur, B ne malefactis suis aliquid deterius superaddere cogeretur. Volebat enim Rex et Priorem exorabat, ut Episcopus Bajocensis eligeretur; erat enim vir ille nimiæ simplicitatis, qui de facili ab intentione sua aliàs quòlibet valeret avelli. Sed Prior Odo regiæ petitioni respondit, se scilicet prædictum Episcopum, nec alium quemlibet sine Conventûs consensu posse suscipere, nec se propterea transfretasse. Rex igitur Odonem cum litteris suis remisit in Angliam, rogans attentiùs quatinùs conventum Ecclesiæ Christi ad consentiendum induceret.

Anno Gratiæ MCLXXIII,... Prior autem et Conventus præcaventes sibi ne in aliquo pertinaciæ notarentur, malitiam temporis metuentes, in Capitulo suo arbitratu proprio tres viros commendabiles nominaverunt, mandantes et rogantes Ricardum de *Luci*, ut uni ex ipsis tribus regium præberet assensum (erat enim prædictus Ricardus in regno potentissimus, utpotè Præfectus Angliæ, qui sub C Rege regni negotia disponebat). Hic cùm Prioris et Conventûs petitionem audisset, lætus et libens annuit, et apud Londoniam Episcopos Angliæ mense Februario congregavit. Prior itaque cum quibusdam Monachis affuit, et tandem Rogerium Abbatem Beccensem (*a*) elegit solemniter, consentientibus utcumque Episcopis, et assensu regio electione confirmatâ, singuli ad sua recesserunt : et Prior Cantuariam rediens, ut suum Electum adduceret, in proximo transfretavit. Sed spe suâ fraudatus est, quia prædictus Electus nullius instantiâ induci potuit ad consentiendum. Institit autem Prior acriùs per Regem et Legatos, qui adhuc erant cum Rege in Normannia, vim Electo inferre gestiens ut consentiret : sed frustra. Nam cùm instarent Rex et Legati simul cum Priore, nec prævalerent, apud Sanctam Barbaram in Cœna Domini ab electione est absolutus.

* An. 1173. Ante mediam verò quadragesimam * orta est discordia non modica inter Regem D Angliæ seniorem et filios suos. Nam Rex junior cùm circa festivitatem omnium Sanctorum fuisset in Anglia, vocatus a patre invitus venit in Normanniam, et ex præcepto patris cum Regina sua Regem adiit Franciæ, ut cum eo loqueretur. Rex enim desideravit eum et filiam suam jam Reginam Angliæ videre. Inde ad patrem suum Rex junior rediens, instinctu Regis Franciæ petivit a patre ut Angliam vel Normanniam ei assignaret; sed abnegatâ petitione, siluit indignans. Accidit præterea ut Rex proponeret dare Johanni filio suo juniori tria castella in Normannia, danda scilicet in dotem filiæ Comitis Huberti de Mauritannia *, quam desponsare debebat. Sed juvenis Rex non solùm contradixit, sed etiam a patre, non petitâ licentiâ, noctu recessit : fratres etiam

* *de Morienne*

» xandrum summum Pontificem, vel per catho-
» licos successores ejus. Sed si interim, perurgente
» necessitate, in Hispaniam super Saracenos pro-
» fectus fuisset, quantùm in illo itinere consùm-
» maret, tantumdem Jerosolymitanæ profectionis
» spatium posset prolongare.
» V°. Juravit etiam quòd interim tantùm pecu-
» niæ daret Templariis, quantùm ad arbitrium
» Fratrum Templi sufficere posset ad retinendum
» cc milites ad defensionem Jerosolymitanæ terræ
» per spatium unius anni. Præterea perdonavit
» iram et malivolentiam suam omnibus, tam
» Clericis quàm laïcis, qui pro B. Thoma Ar-
» chiepiscopo Cantuariensi erant in exsilio, et con-
» cessit eis liberè et in pace ad propria remeare.
» VI°. Juravit etiam quòd possessiones Cantua-
» riensis Ecclesiæ, si quæ ablatæ erant, in inte-
» grum restitueret, sicut habuit uno anno ante-
» quam B. Thomas ab Anglia egrederetur.
» VII°. Juravit etiam quòd consuetudines, quæ
» inductæ sunt contra Ecclesias terræ suæ in tem-
» pore suo, penitùs dimitteret.
» Hæc omnia juravit se fore observaturum bonâ
» fide et absque malo ingenio. Et ut hæc in me-
» moria Romanæ Ecclesiæ haberentur, præcepit
» Rex sigillum suum cum sigillis Cardinalium
» scripto illi apponi, in quo prædicta capitula
» continebantur. ».

(*a*) « Quoniam, *inquit Radulfus de Diceto*, Lan-
» francus, Anselmus, Theobaldus, in ea sede
» tam latè floruerant, id ipsum fortunæ loci
» quodammodo deputantes, in Rogerum Beccen-
» sem Abbatem, si non unanimiter, saltem voce
» tenus concorditer convenerunt ».

ipsius

Digitized by Google

A ipsius Richardus et Gaufridus aufugerunt : Regina verò *Alienor* cùm mutatâ veste muliebri recessisset, apprehensa est et sub arcta custodia reservata. Dicebatur enim quòd ex machinatione ejus et consilio omnia hæc parabantur ; erat enim prudens fœmina valdè, nobilibus orta natalibus, sed instabilis. Recedentibus itaque omnibus Regis filiis, solus Johannes qui puer parvulus erat, cum patre remansit. Rex autem Franciæ juvenem Regem Angliæ gratiosè suscipiens, in audientia procerum Galliæ juravit, quòd ei et fratribus suis contra patrem suum indeficiens præbere vellet auxilium. Comes etiam Flandriæ Philippus suum pro posse spopondit auxilium juveni Regi, faciens homagium cum juramento : cui pro servitio suo promisit Rex cum tota Cantia mille librarum redditum, castellum quoque de Rofa cum castello de Dovoria. Matthæus Comes Boloniæ, frater Comitis Flandriæ, suscepit in promissis pro homagio et servitio suo totam
B socam * de Kirketonia in Lindisia, cum Comitatu de Moretonia. Comiti Theobaldo promisit Rex castellum de Ambasio et quingentas libras Andegavensium. In hunc modum cæteris fautoribus suis solis promissionibus satisfaciens, quamplures tam Angliæ quàm Franciæ Principes in patris odium et regni Angliæ excidium incitavit. * Dominium.

Dum hanc itaque diebus sacris Paschalibus * molirentur explere malitiam, convocati sunt Episcopi et Clerus Angliæ ad Londoniam circa finem mensis Aprilis,... [ubi] novissimè de electione Cantuariensis Ecclesiæ conseritur sermo... Missi sunt itaque ad Regem in Normannia Monachi duo, Ricardus Prior Dovoriæ et alius : qui Regem satis gratiosum reperientes, sed nullam suæ voluntatis certitudinem reportantes, ex præcepto Regis citissimè in Angliam reversi sunt. Rex verò per privatos nuncios Ricardo de *Luci* et avunculo suo Comiti Cor- * An. 1173.
C nubiæ suæ voluntatis revelavit arcanum. Coacto igitur concilio apud Londoniam in initio mensis Junii, cùm Prior Odo a petitione liberæ electionis minis vel blanditiis non valeret avelli, etsi tardè, tamen obtinuit quod petivit. Multis itaque hinc inde sermonibus prolatis, tandem Ricardus Prior Dovoriæ, Dominicâ Octavarum Pentecostes, III Nonas Junii apud Westmonasterium electus est... Sed cùm omnia tantæ consecrationi necessaria præparata fuissent, ecce litteræ novi Regis Henrici ex adversa parte allatæ sunt (*a*)....

Dum hæc itaque in Cantuariensem electum perfidorum machinaretur invidia, Regem etiam Angliæ Henricum maligna conspiratio non reliquit immunem. Nam conjurati illi cum millibus suis intraverunt in Normanniam, vastantes et prædantes et omnia pessumdare gestientes. Sed cùm quidam eventus prosperi vesaniam illorum ad majora facinora perpetranda stimularent, gloriosus ille Comes
D Flandriæ quodammodo subnervatus est. Nam frater ejus Matthæus Comes Boloniæ, dum in Regis odium castellum de *Driencurt* obsideret, a quodam arcubalista letaliter confossus, post modicum obiit et sepultus est. Verùm ne Anglia propriâ quiete gauderet, vel alienis insultaret ærumnis, circà festum S. Lucæ missus est in Angliam junior Rodbertus Comes Leicestriæ et cum eo nonnulla Flandrensium millia, et a Comite Hugone *Bigod* sunt recepti. Capto autem de facili castello de *Hagenet*, cùm Leicestriam tenderent, in territorio Sancti Edmundi mense Octobri occurrerunt eis milites regni, Reginaldum Cornubiæ Comitem et Comitem de Arundello sequentes, a quibus perterritus cum Flandrensibus suis Comes Rodbertus, fugam iniit. Sed captus est ipse et uxor sua, et Flandrensium tria millia et eò ampliùs trucidati perierunt, et dignè : nam Flandrenses lupi Anglicanæ copiæ ab olim invidentes, naturali negotio, tex-
E toriâ scilicet arte dimissâ, Angliam se jam cepisse jactitabant; sed ante conflictus aliquos trucidati, in ea quam vorare cogitaverant terra putruerunt. Cæteri verò quos Comes Hugo *Bigod* in castellis suis receperat, abire permissi, solam vitam utcumque reportantes, in Flandriam reversi sunt.

(*a*) Harum licèt vis litterarum ea non fuerit, ut electionem rescinderent, tamen hìc exscribendas judicamus, ut pateat quanto supercilio in patrem sese filius efferret. « *Henricus, Dei gratiâ Rex Anˮ gliæ, et Dux Normanniæ, et Comes Andegaviæ,* ˮ *Regis Henrici filius, caro et fideli suo O. Priori* ˮ *Cantuariensis Ecclesiæ et universo Conventui, saˮ lutem et dilectionem.* Ex certa quorumdam relaˮ tione recepimus, quòd in Ecclesia vestra et ˮ etiam in provincialibus Ecclesiis personas quasˮ dam minùs congruas pater meus instituere atˮ tentet. Et quamvis absque assensu nostro id ˮ nequaquam fieri debet, qui ratione regiæ uncˮ tionis regnum et totius regni curam suscepiˮ mus, super hoc Romanam sedem in multorum ˮ præsentia appellavimus, et appellationem facˮ tam venerabilibus Patribus nostris et amicis ˮ Alberto et Theodino Cardinalibus, Apostolicæ ˮ sedis Legatis, scripto et nuncio nostro denunˮ ciavimus : qui sicut viri prudentes appellationi ˮ detulerunt,... et quemadmodùm appellaviˮ mus, iteratò sub testimonio vestro appellamus. »

Digitized by Google

Rex Angliæ Henricus, solemnitate Natalis Domini apud Cadomum celebratâ A
* An. 1174. cepit inducias a Rege Franciæ Lodovico, a festo sancti Hilarii * usque ad clausum Pascha, quia ad ipsius nutum cæteri complices movebantur... Dum itaque.. inter Reges et Principes nostros omnis spes pacis deperisset, perfidorum invaluit rabies, et in omnibus terris Regis Angliæ proditorum furor incanduit. Nam Rex Franciæ et Comes Flandriæ milites electos miserunt in Angliam, quos ex mandato Regis junioris Comes Hugo in suis recepit castellis. Willelmus etiam Rex Scotiæ parti favens Regis junioris, cum multo exercitu Walensium et Scotorum Northimbriam vastavit; nulli ætati, sexui vel ordini, gladius ipsius pepercit... Ipse tandem Rex castellum de *Alnewic* obsedit. Comes verò Hugo *Bigod* civitatem Norwicensem cum prædicta militia sibi destinata effregit, viros in ea et mulieres interfecit, et cum præda multa nimis recessit. Rex etiam junior et Comes Flandriæ conjurati quòd in Angliam venirent, naves multas B
et exercitum copiosum ad mare convenire fecerunt. Rex Franciæ Normannos infestare, vel si quid tentarent, compescere decrevit. Rex Angliæ ab omnibus ferè Comitibus, fidelibus et infidelibus suis solus relictus est, adeò ut vix aliquem haberet ex omnibus caris suis, cui se committeret, vel suæ mentis arcana revelaret. Extranei et non sui sequebantur eum, non ob personæ ipsius dilectionem, sed ob pecuniæ multæ, quam effundere cogebatur, insatiabilem cupiditatem. Undique igitur coartatus, et de transmarinis terris suis quasi in desperationem ductus, in Angliam celeriter navigavit, ut eam saltem solam sibi reservaret.

* An. 1174. Rex itaque in Angliam veniens in initio mensis Julii *, et felici sibi ductus consilio, omnia regni negotia quasi postposuit, et corde pœnitenti Cantuariam ad
* *Corr.* IV. sanctum Thomam peregrè profectus est. Feriâ igitur sextâ, VI * Idus Julii in veste C
lanea, nudis pedibus ab Ecclesia S. Dunstani, quæ longè extra urbem posita est, usque ad tumbam S. Thomæ Martyris perveniens, ibidemque diutiùs et devotè procumbens, ab omnibus qui astabant Episcopis, Abbatibus, et Monachis singulis Ecclesiæ Christi, voluntate spontaneâ, verberatus est. Perseveravit in orationibus ibidem juxta sanctum Martyrem totâ die illâ et nocte, cibum non sumpsit, nec ad requisita naturæ egressus est; sed ut venit, ita permansit : non tapetum, non aliquid hujusmodi sibi supponi permisit. Post matutinas laudes circuivit altaria superioris Ecclesiæ et corpora sanctorum inibi jacentium, et denuò ad tumbam S. Thomæ in cryptam reversus est. Lucescente autem die Sabbati, Missam petiit et audivit. Sanctâ denique Martyris aquâ potatus et ampullâ insignitus, lætabundus a Cantuaria recessit, et Dominicâ sequenti Londoniam pervenit. Ipso autem die Sabbati quo Rex a Cantuaria recessit, Wil- D
lelmus Rex Scotiæ miserat commilitares suos ad prædandum, paucis secum in obsidione castelli de *Alnewic* sodalibus retentis : cui cùm ex improviso superveniret exercitus Eboracensis, et ipse putaret socios cum præda reversos quos habuit adversarios, subitò circumseptus ab eis et captus est. Reliqui de suis qui aderant, trucidati sunt vel fugâ collapsi.

Rex verò junior et Comes Flandriæ, cæterique conjurati, audientes quòd Rex Henricus in Angliam abiisset, mutato consilio, relictis navibus redierunt, et Rotomagum unà cum Rege Franciæ obsederunt. Qui dum exteriùs ferociter oppugnarent, et cives interiùs viriliter resisterent, Hugo *Bigod* cæterique adversarii humiliter se Regi Henrico subdiderunt. Rex autem milites illos electos et nobiles, quos juvenis Rex in Angliam præmiserat, pacificè permisit repatriare. In tribus itaque septimanis post peregrinationem Regis bellorum strepitus E
in Anglia sedati sunt. Rex igitur sui non immemor, corde et ore Deum et S.
* An. 1174. Thomam laudans et benedicens, circa festum S. Laurentii * transfretavit, ut Rotomagensibus obsessis subveniret. Duxit autem secum trans mare captivos suos Regem scilicet Scotiæ, Comitem Leicestriæ, Comitem Cestriæ, Comitem de *Ferrers*... Interea Rex Franciæ, juvenis Rex et Comes Flandriæ cum innumeræ multitudinis exercitu Rotomagum oppugnabant, et toto conatu et diversis machinis civitatis muros effringere vel penitùs subvertere nitebantur. Sperabant enim ante Regis adventum civitatem egregiam expugnare, ut per eam Regem a Normannia valerent excludere : sed homo proponit et Deus disponit. Nam cives interiùs viriliter resistentes, extra positos Principes contumeliis, reliquum verò vulgus machinis et armis lacessere non cessabant... Sed cùm Principes

Digitized by Google

A oppugnantium civitatem Regis Henrici prosperum novissent adventum, ab impugnatione civitatis paulatim cessare cœperunt. Tandem depositâ ferocitate propositâ, missis ad Regem Angliæ spectabilibus legatis, recedendi licentiam impetraverunt, constituto tamen loco et tempore colloquii de pace facienda inter Regem et filios suos. Recessit igitur Rex Franciæ Lodovicus cum exercitu suo, Comite Flandriæ cum millibus suis, ne fortè cives irrumperent, post terga dimisso. Acta sunt hæc mediante jam mense Augusto, circa Assumptionem Beatæ Mariæ.... Rex Angliæ Henricus ad debellandum Ricardum filium suum, exercitum præparavit in Pictaviam dirigendum.... Ricardus autem Pictaviæ Comes impetum patris sui ferre non valens, lacrymabiliter manus dedit. Quo facto, Rex Henricus ad colloquium constitutum properavit, et in crastino post festum S. Michaëlis filios suos in gratiam recepit. Sicque pace Regis undique firmatâ,
B Deus in Martyre suo Thoma glorificatus est.

Anno Gratiæ MCLXXV, Rex Angliæ Henricus undique pace potitus, unà cum filio suo Henrico in Angliam reversus est mense Maio... Rex Anglorum Henricus cum filio suo Henrico, comitante Ricardo Cantuariensi Archiepiscopo, Cantuariam ad S. Thomam peregrè profectus est, Deo et Martyri grates rependens debitas pro pace sibi contra spem multorum, immò ferè omnium, tam gloriosè restitutâ....

A domino Papa missus Hugutio Legatus, ut in Anglia domini Papæ vices agens legatione fungeretur, hic in fine mensis Octobris in Angliam veniens, a Rege et a primoribus Angliæ honorificè susceptus est. Rex enim suam exosam habens Reginam, quam sub munitissimi oppidi teneri fecit custodia, eò quòd supradicta persecutio ex ipsius Reginæ consilio emanasse dicebatur, omni co-
C natu divortium moliri videbatur : ideòque et prædictum Legatum dicebatur evocasse, eumque blanditiis et donis subnervavit. Legatus quoque plus Regis quàm gregis vel veritatis gratiam quærens, in primis legationis suæ vestigiis annuit Regi, ut pro captis bestiolis Clericos implacitaret....

Mense Decembri obiit Reginaldus Comes Cornubiæ, Regis Henrici secundi avunculus, cujus corpus Radingas delatum ibidem sepultum est.

Anno Gratiæ MCLXXVI,... in die festo Mariæ Magdalenæ venerunt Cantuariam Decanus et Cantor, Clericique plures Carnotensis Ecclesiæ, qui ob honorem et amorem S. Thomæ Martyris et Cantuariensis Ecclesiæ excellentiam, elegerunt in capitulo Johannem de Salisberia ad regimen Carnotensis Ecclesiæ. Erat enim hic Johannes a juventute sua Cantuariensis Ecclesiæ Clericus, primò Theobaldo Archiepiscopo, postea S. Thomæ etiam in exilio fideliter adhærens.
D Pronuntiatâ itaque electione coram Conventu Cantuariensis Ecclesiæ, et lectis epistolis de consensu Capituli Carnotensis, deduxerunt electum ad altare, canoris vocibus Deum collaudantes.

Mense Septembri misit Rex Henricus Ricardum Cantuariensem Archiepiscopum, aliosque nuncios spectabiles cum Johanna filia sua, quam petierat Rex Siciliæ Willelmus sibi dari in uxorem...

Translatus est hoc anno Willelmus Senonensis Archiepiscopus ad Ecclesiam Remensem regendam. Erat enim frater Reginæ Francorum, sapientiâ præditus et religionis exemplar. His de causis sedem digniorem adeptus, Regis et regni quasi dominus effectus est.

Anno Gratiæ MCLXXVII,... advenerant Cantuariam die Cœnæ Domini Philippus Comes Flandriæ et Willelmus de Mandavilla, ut acceptâ licentiâ a B.
E Thoma Jerosolimitanum iter arriperent, sperantes se aliquid magnum contra Paganos esse facturos. Et profecti sunt, sed parùm vel nihil profecerunt....

Appropinquante autem festo S. Jacobi * Apostoli, Alexander summus Pontifex * An. 1177.
Venetiam cum Cardinalibus suis venit, cum multis sanctæ matris Ecclesiæ filiis et Prælatis, tam Archiepiscopis quàm Episcopis (*a*). Fredericus quoque Imperator venit illuc obviam ei cum Archiepiscopis, Episcopis et Principibus Teutonici regni, ad faciendam pacem inter ipsum et summum Pontificem, ut descisso schismate quod jam ferè XIX annis duraverat, pax Ecclesiæ Dei restitueretur... In hoc Concilio Joannes Abbas de Struma, qui vocatus fuerat Calixtus Papa, qui etiam tertius et ultimus schismatis hujus Antipapa exstiterat, degradatus

(*a*) Aderant e Gallia cum Alexandro Pontifice Viennensis et Bituricensis Archiepiscopi, Episcopus de Claromonte et Abbas Bonævallis; cum Imperatore Bisuntinus Archiepisc. *Gervasius ibid.*

Digitized by Google

est, et ab ipso Imperatore et ab omnibus Principibus ecclesiasticis et secu- A
laribus Teutonici regni abrenunciatus est. Similiter omnes Archiepiscopi, Episcopi et Abbates Teutonici regni, qui ab eo vel aliis Antipapis prædecessoribus suis, scilicet ab Octaviano qui et Papa Victor vocabatur, vel a Widone de Crema qui vocabatur Paschalis, ordinati fuerant, degradati sunt...

Pullulaverat his diebus in Tolosani Comitis territorio hæresis maligna, quæ fidem et ortodoxorum Patrum ecclesiastica instituta evacuans, non solùm vulgus simplex, sed et Ecclesiæ Dei Sacerdotes et Episcopos cum Principibus laïcis tabe confecit nefandâ. Hujus hæresis detestanda perversitas in litteris Comitis Tolosæ faciliùs poterit agnosci, quas idem Comes generali Capitulo misit Cisterciensi. Harum litterarum iste est textus (*a*)...

Orta est interea discordia et disceptatio inter Regem religiosum Franciæ Lodovicum et nobilissimum Regem Anglorum Henricum : unde Legatus quidam B
missus a Papa Alexandro ad postulationem Regis Franciæ, venit ut terram Regis Angliæ suspenderet, nisi permitteret Ricardum filium suum, Comitem scilicet Pictaviensem, filiam Regis Franciæ, secundùm quod inierant pactum, sibi lege matrimonii copulare. Prudentissimus autem Rex Anglorum Henricus, acceptis induciis, die locoque collocutionis inter ipsum et Regem Franciæ constituto, annuit ut Ricardus filius suus præfatam filiam Regis Lodovici acciperet in uxorem (*b*). Sed quoniam prædicti Reges sæpè ad invicem fuerant irati, sæpè concordati, sed nullo caritatis vinculo confirmati, in unam convenerunt dilectionis sententiam, tandemque scriptum subscriptum quasi pignus amoris concuderunt; et ne in posterum aliquatenùs infringeretur, sigillis suis confirmaverunt (*c*).

Anno Gratiæ MCLXXVIII,... mense Septembri, vigiliâ S. Crucis, feriâ IV, lunâ XXVII, horâ quasi sextâ, facta est eclipsis solis in Cantia, non univer- C
saliter, sed particulariter. Corpus enim solis corniculatum apparuit, ad occidentem cornua tendens, ut luna solet cùm vicesima est. De reliqua solis rotunditate nihil ampliùs videbatur ; nam quædam nigra spherula solis reliquum texit splendorem : quæ paulatim descendens splendorem : illum corniculatum circa se in parte superiore rotavit, donec utraque cornua penderent utrimque quasi in terram respicientes. Cùmque illud nigrum paulatim procederet, cornua supradicta tandem ad orientem versa sunt, ut in novilunio, quæ priùs erant ad oc-

(*a*) « *Domino suo ac venerabili Cisterciensi Abbati* A. » *universoque conventui in generali Capitulo constituto,* » *naufragans circa superna Comes Tolosæ, Dux Narboniæ, Marchio Provinciæ, cum salute eorum benedictionibus confirmari orationibusque fulciri.* Quoniam in scientiæ et sapientiæ vestræ thesauris » clarescit, quòd nostris in partibus vulpes parvulæ vineas, quas plantavit dextera Excelsi, » demoliuntur; et fontes sine aqua et nebulæ » turbinibus agitati, fontem qui patet domui » David, in ablutionem immunditiæ et menstruæ » evacuare nituntur, et rivuli virus diffundunt, » ut ligna quæ plantata sunt secùs decursus aquarum evellant : rogo et observo quatinùs ascendatis ex adverso, et ne istorum sermo, » qui ut cancer serpit, convalescat, opponatis » vos murum pro domo Israël. In tantum equidem hæc putida hæresis tabes prævaluit, ut » omnes ferè illi consentientes arbitrentur obsequium se præstare Deo : et ipse iniquus, qui » mysterium jam operatur iniquitatis in filios diffidentiæ, sic transfigurat se in Angelum lucis, » ut uxor a viro, filius a patre, nurus a socru » discedat, proh dolor! Insuper sic in finibus » nostris obscuratum est aurum, ut quasi lutum » sub pedibus Diaboli sternatur. Quoniam et qui » Sacerdotio funguntur, hæresis fœditate depravantur, et antiqua olimque veneranda Ecclesiarum loca inculta jacent, diruta remanent; » Baptismus negatur, Eucharistia abominatur, » pœnitentia parvipenditur, hominis plasmatio, » carnis resurrectio abnegando respuitur, et » omnia ecclesiastica sacramenta annullantur, et » quod dici nefas est, duo etiam principia introducuntur. Et nunc, quid dicam? Non sunt » qui recogitent et dicant in cordibus suis : quid » facimus quia homines isti multa mala faciunt? » Si dimittimus eos sic, omnes credent in eos. Et » qui absorbuit fluvium et non mirabitur, ex » iniquæ præsumptionis audacia influet Jordanis » in os ejus. Ego quidem qui uno e duobus divinis » accingor gladiis, et qui me iræ Dei vindicem » et ministrum Dei in hoc ipsum constitutum » confiteor, dum tali infidelitati modum ponere » et finem dare innitor, ad tantum et tale negotium complendum vires meas deficere cognosco; quoniam terræ meæ nobiliores jam » prælibatâ infidelitatis tabe aruerunt, et cum » ipsis maxima hominum multitudo a fide corruens aruit, unde id perficere non audeo nec » valeo. Nunc igitur ad vestrum confugiens subsidium, humili cordis imploro affectu, quatinùs ad extirpandum tantum infidelitatis malum, manum consilii vestri et auxilii cum virtute orationis porrigatis. Scitote etenim quòd » in tantum hæresis virulenta inviscerata manet, » quòd nisi manu Dei validâ ejusque brachio extento exstirpari non potest. Talium namque » caput induratum quasi lapis sic manet, ut in » stipulam eis vertantur lapides fundæ. Quoniam » igitur spiritualis gladii virtutem nil perficere » posse cognoscimus, ad tantam hæresis pravitatem exstirpandam, oportet ut corporalis gladio » animadversione compellatur. Ad quod peragendum dominum Regem Francorum accersiri » vestris ex partibus persuadeo, quia per ipsius » præsentiam tanta mala finem suscipere suspicor. » Ipsi quippè præsenti civitates aperiam, vicos et » castella sub ejus censurâ tradam, hæreticos ostendam, et usque ad sanguinem, in quocumque nostri indiguerit negotio, ad conterendos » hostes et omnes Christi inimicos illi assistam. » Valete ».

(*b*) Sub certis conditionibus, quas recitat Hovedenus; quibus cùm Rex Franciæ non acquiesceret, nec Angliæ Rex promissis stetit.

(*c*) Hanc chartam alibi commodiùs ex Benedicto Petroburgensi edendam curabimus.

Digitized by Google

A cidentem. Sicque spherulâ illâ paulatim transeunte, suam sol recepit claritatem. Aer verò nubibus paulisper obtectus visibus humanis præbuit adjutorium, quò faciliùs supradicta viderentur. Diversis interea locis coloribus variis aer tinctus erat, videlicet rubeo, croceo, viridi et pallido. Hæc a me et ferè ab omnibus in Cantia constitutis videbantur. Alibi autem eclipsis fuit universalis, ut in meridie nox videretur tenebrosa, ut socius socium juxta se positum non videret. In Francia quoque eclipsis ista visa est...

Anno Gratiæ MCLXXIX,... in media Quadragesima coadunati sunt Episcopi et Prælati sanctæ Ecclesiæ Laterani in Ecclesia S. Johannis, ubi dominus Papa Alexander Concilium celebravit...

Facta est eclipsis lunæ XIV Kal. Septembris, quæ manifestè Henrico Regi Angliæ et his qui cùm eo erant, apparuit, cùm totâ nocte equitans Lodovico
B Regi Francorum occurreret apud Dovoriam * ad mare, qui ad S. Thomam orandi gratiâ veniebat, ob spem recuperandæ salutis [filii sui]. Decimo Kal. ejusdem ambo Reges cum honore debito et gaudio ineffabili suscepti sunt a venerabili Ricardo Cantuariensi Archiepiscopo et Episcopis Angliæ, et Conventu Cantuariensis Ecclesiæ, et innumerâ multitudine Magnatum regni Anglorum, et ad memoriam B. Martyris deducti. Ubi Rex Franciæ, factâ oratione, cuppam suam auream obtulit et redditum centum modiorum vini singulis annis in obsequium Martyris et Ecclesiæ Christi : ad tumbam Martyris pernoctavit, et in crastino in Capitulo fraternitatem petiit et accepit, et datâ chartâ lætus recessit, et apud Dovoriam transfretavit (*a*)... Kal. Novembris Regis Francorum Lodovici filius Philippus, ipso patre præcipiente, coronatus est.

* *Douvres.*

Anno Gratiæ MCLXXX, mense Aprili, novus Rex Franciæ Philippus, Lo-
C dovici Regis filius, desponsavit filiam Comitis de Hano *. Unde suorum avunculorum omniumque ferè nobilium Franciæ indignationem incurrit, eò scilicet quòd, suorum spreto consiliò, Comiti Flandriæ soli credebat, et quòd per ipsius consilium uxorem de tam humili progenie sibi associare voluerit in Reginam. Auxit quoque indignationem quòd matri suæ annuere noluerit, ut in sua dispositione haberet castella vel villas suæ dotis. His et hujusmodi de causis utriusque partis consentaneis ad arma convolantibus, ad hoc tandem perven-

* de Hannonia.

tum est, ut in solis redditibus matri suæ Rex novus victualia constitueret; et armati in sua pacificè redierunt.... Non multo post elapso tempore, Christia-

(*a*) Huc spectant, quæ ex veteri Necrologio Ecclesiæ Christi Cantuariensis, in Biblioth. Cottoniana asservato, *Claudius*. c. I. fol. 197, exscripsit et nobiscum communicavit vir eruditissimus D. de *Brequigni*.

« Obiit Lodovicus Rex Francorum piissimus, » frater et benefactor noster, qui devotionis ob- » tentu beatum Thomam visitans, Cantuariam » venit, et super tumbam ipsius Martyris ad opus » Conventûs Cantuariæ centum modios vini per » quamdam cuppam auream obtulit, in perpetuam » eleemosynam annuatim in castellaria Pissiaci re- » cipiendos : quam donationem suâ etiam cartâ » confirmavit, cujus rescriptum inferiùs deno- » tatur. Unde reverendus Pater Ric. Archiepisco- » pus, totius Angliæ Primas et Apostolicæ Sedis » Legatus, et Alanus Prior, Conventusque Can- » tuariensis Ecclesiæ ipsum Regem cum suis in » suam receperunt fraternitatem, beneficiorum- » que ejusdem Ecclesiæ participem esse concesse- » runt, et quædam alia pro ipso Rege et suis » specialiter facienda statuerunt. Ne verò res ipsa » deheat vel possit oblivione deleri, litteras suas » super hoc eidem Regi in hunc modum tradi- » derunt.

» *Excellentissimo domino in Christo carissimo Lodovico* » *Dei gratiâ Francorum Regi illustrissimo, Ricardus* » *Dei gratiâ Archiepiscopus Cantuariensis, totius An-* » *gliæ Primas et Apostolicæ Sedis Legatus, et Ala-* » *nus dictus Prior, Conventusque Ecclesiæ Christi Can-* » *tuariæ, æternam in Domino salutem.* Placuit om- » nipotentis Dei misericordiæ temporibus nostris » per magnitudinis vestræ præsentiam Ecclesiam » Cantuariensem exaltari, in quo et nos, sicut » tenemur, ita et desideramus paratiores inve- » niri, uberiores proinde Deo gratiarum actiones » referre. Licèt autem juxta merita celsitudinis » vestræ, prout cupimus, vobis non possimus res- » pondere, id tamen modicum quod valemus » ad præsens prosequi decrevimus. Sanè de com- » muni voluntate et assensu omnium nostrûm, » vos et dominam Reginam, hæredemque vestrum » et vestros, beneficiorum Cantuariensis Ecclesiæ » participes pleniùs esse concessimus, ob am * * * » Thomæ, quem Can * * * * tis honore. Insuper » adjecimus quòd singulis diebus debeat unus de » fratribus nostris specialiter pro vobis et domina » Regina, hærede vestro et vestris, in vita vestra » Missam de Spiritu sancto celebrare. Sacerdos » etiam cum cæteris fratribus inferioris ordinis » in celebratione Missarum, et maximè in per- » ceptione corporis et sanguinis Domini tenen- » tur, quantùm ad hoc Deus eos inspiraverit, » memoriam vestri vestrorumque facere. Ad hoc » tres Monachos ad præsens specialiter pro vobis » faciemus, qui debeant toto tempore vitæ suæ » pro vestra et dominæ Reginæ, vestrique filii » et vestrorum salute Deum jugiter implorare. » Cùm verò dies obitûs vestri nobis innotuerit, » fiet pro vobis servitium sicut pro uno Archie- » piscopo Cantuariensis Ecclesiæ, hoc est, sin- » guli Sacerdotes triginta Missas, alii verò infe- » rioris ordinis decem Psalteria dicent, præter » ipsum officium quod in Conventu generaliter » fiet. Procuratio etiam unius Monachi per totum » illum annum dabitur uni pauperi. Factâ autem » anni uniuscujusque revolutione, cùm dies an- » niversarii vestri advenerit, fiet in Conventu pro » vobis officium speciale; singuli etiam Sacerdo- » tes singulas Missas celebrabunt, cum cæteris » quæ ibi fient beneficiis et orationibus. Ut au- » tem nullâ oblivione deleri debeant in posterum, » hæc omnia in Martyrologio nostro scribi feci- » mus, et singulis annis die recordationis vestræ » relegenda statuimus.

Digitized by Google

nissimus Rex Francorum Lodovicus obiit, xv Kal. Octobris, anno regni sui A
* Barbeaux. XLIV, enutritus in bona senectute : cujus corpus sepultum est apud *Barbel* * in Monasterio suo quod ipse fundaverat.

EX BENEDICTI PETROBURGENSIS ABBATIS

VITA ET GESTIS HENRICI II ET RICARDI, ANGLIÆ REGUM.

Edente Thoma Hearne (*a*) *Oxonii*, 1735. *in*-8°.

B

ANNO ab Incarnatione Domini MCLXX (*b*), Henricus Rex Angliæ, filius Mathildis Imperatricis, tenuit curiam suam apud Namnetim in Britannia, die Natalis Domini (*c*), quæ quintâ feriâ evenit. Et Gaufridus filius suus, Comes Britanniæ, fuit ibi cum illo, et tenuerunt ibi solemne festum : quo peracto, ipse et filius suus Gaufridus circuierunt castella Britanniæ, accipientes fidelitates et ligancias a Comitibus et Baronibus, et liberis hominibus Britanniæ, de quibus antea non acceperant. Tunc verò præfatus Rex implacitavit (*d*) Comitem Eudonem, et ferè privavit eum toto honore et potestate, quam priùs in Britannia habuit. Postea reversus est Rex in Normanniam, ita quòd in Purifi-
* An. 1170. catione * S. Mariæ fuit apud Sagium; et paulò post, visis castellis suis Normanniæ, transfretavit in Angliam, et applicuit apud Portesmutham, v Nonas Martii, feriâ tertiâ. In hac autem transfretatione Regis, persecutus est eum C
Dominus tempestate validâ et horribili, a media noctis hora usque ad horam diei sequentis nonam; ita quod ipse, et omnes qui cum eo transfretabant, penè submergerentur et fierent esca piscibus maris. Dicebatur enim per Gallias, quòd Rex Anglorum et quinquaginta naves cum eo, quæ onustæ erant familiâ suâ, submergebantur. Sed Deus omnipotens, qui facit mirabilia magna solus, nolens mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, respexit oculis misericordiæ suæ famulum suum Regem Henricum, de cœlesti misericordia confidentem, et navem quæ illum gestabat, dextèra cœlestis auxilii impulit, et in portu optato applicare fecit. Reliquæ verò naves, quæ eum sequebantur cum familia sua, post magnos et inauditos timores, quædam omninò fractæ et dissolutæ, quædam autem semi-ruptæ, tandem in diversis regionibus Angliæ, prout vis venti eas tulit, applicuerunt. Attamen una illarum, quæ recentior et cæteris D
splendidior videbatur et melior, onusta ditioribus et nobilioribus familiæ Regis, proh dolor! in ipso diei diluculo, fluctibus maris obruta, submersa est. Sub-
* Hov. de Agnellis. mersi autem in ea sunt Henricus de Agnis *, nobilissimus Baronum Angliæ, et uxor ejus cum duobus filiis suis, et Magister Radulphus de Bello-monte Medicus et familiaris ipsius, et Gilebertus de Sulennio, et multi alii de nobilioribus Angliæ, præter cccc homines utriusque sexûs, qui in ea erant.

* An. 1170. Eodem anno *, Rex tenuit curiam suam in solemnitate Paschali, apud *Winleshoures*.... Peractâ igitur solemnitate Paschali, perrexit inde Lundonias, et ibi magnum celebravit Concilium de coronatione Henrici filii sui majoris, et

(*a*) Benedictus ex Priore Cantuariensis Collegii S. Augustini electus Abbas Petroburgensis an. 1177, ut tradunt Gervasius, Rogerus Hovedenus, Joan. Bromtonus, et in ipsa Petroburg. legitur historia, scripsit vitam et res gestas Henrici II et Ricardi I, Angliæ Regum, servatâ chronici seu annalium formâ, ab anno 1170 ad an. 1192. Opus sanè eximium, et ob documenta de omnibus et singulis ferè illorum temporum eventibus plurimi faciendum. Hearnus illud initio mutilum arbitratur : quod ipsi non concedimus, quippè Hovedenus et Bromtonus, qui multa e Benedicto nostro exscripsere, ab anno tantùm 1170 inter se et cum eo concordant. Si quæras cur ab eo potissimùm anno auspicatus sit Benedictus, id in causa fuisse videtur, quòd ille jam antea B. Thomæ Cantuar. vitam adornasset, a Pitseo et aliis laudatam : quæ utique, ut apud Gervasium ejusdem Collegii Monachum, prima Henrici Regis secundi tempora complectebatur. Anno denique 1192 scriptioni suæ finem imposuit Benedictus, eo vel sequenti anno demortuus. Certè inter Abbates connumeratur qui an. 1189 coronationi Richardi Regis interfuerunt, et is ipse videtur *Magister Benedictus*, qui an. 1191 Regis sigillum, exsulante Cancellario, tulisse perhibetur.

(*b*) Hovedenus : *qui erat annus decimus sextus regni Regis Henrici, filii Matildis Imperatricis.*

(*c*) More Anglico annus tunc 1170 currebat, a Natali videlicet Christi incœptus, quem nos 1169 a Calendis Januarii computamus.

(*d*) Eudo is Vicecomes erat Porricidii, vulgò de *Porhoet*, ad quem post Conanum IV Britanniæ Ducatus propinquitatis jure pertinebat; eum verò Rex Henricus armis jam antè subactum summâ injuriâ affecerat, illato filiæ ipsius stupro, ut tradit Joannes Salisber. epist. 32 libri II.

Digitized by Google

A de statutis regni sui.... In prædicto autem Concilio, Rex fecit summoneri Rogerium Eboracensem Archiepiscopum, et Hugonem Dunelmensem Episcopum, et alios Episcopos regni sui, quòd essent apud Lundonias festo sancti Barnabæ Apostoli, ad coronandum Henricum filium suum majorem. Ipsi verò, sicut eis præceptum fuerat, convenerunt apud Lundonias statuto tempore, et Dominicâ sequenti, quæ evenit VIII Kal. Julii (*a*) scilicet vigiliâ SS. Viti et Modesti Martyrum et S. Crescentiæ Virginis, fecit Rex Henricus filium suum Henricum majorem coronari et in Regem consecrari, apud Westmonasterium, ab Rogerio Eboracensi Archiepiscopo et Apostolicæ sedis Legato, ministrantibus ei in illo officio Hugone Dunelmensi Episcopo, et Gilleberto Lundoniensi Episcopo, Joscelino Salesberiensi Episcopo, et Walterio Rofensi Episcopo, astantibus etiam ferè omnibus Comitibus et Baronibus et Nobilioribus
B regni (*b*).

In crastino autem hujus consecrationis, fecit Rex Willielmum Regem Scotiæ, et David fratrem suum, et omnes Comites et Barones, et francos-tenentes regni sui, devenire homines novi Regis filii sui; et fecit eos super Sanctorum reliquias jurare illi ligancias et fidelitates contra omnes homines, salvâ fidelitate suâ. Et ibidem cepit Rex licentiam a Comitibus et Baronibus suis transfretandi in Normanniam; quiâ Lodowicus Rex Francorum indignè ferebat quòd Margareta filia sua non erat coronata cum novo Rege Angliæ marito suo, et ideò voluit werram movere in Normannia (*c*). At Rex transfretavit in Normanniam, et applicuit apud Portesmutam circa festum S. Joannis-Baptistæ; et dimisit in Angliam novum Regem filium suum, cui concessit facere in Anglia omnes rectitudines et justicias, per sigillum novum quod Rex ei
C fieri præcepit.

Circa octavas * verò Apostolorum Petri et Pauli, venit Rex ad Feritatem- * An. 1170.
Bernardi, ad loquendum cum Comite Theobaldo de pace facienda inter ipsum et Regem Franciæ, et inde recesserunt. Et Rex circa festum Sanctæ Mariæ Magdalenæ venit usque Wendomiam * ad loquendum cum Rege Franciæ, et * *Vendôme.*
in illo colloquio ita inter eos convenit, quòd illa vice amici remanserunt (*d*). Itaque, finito colloquio, Rex rediit in Normanniam, et circa festum sancti Laurentii ad Motam-Gerni, quæ parùm distat a Damnifronte, et ibi in gravem incidit infirmitatem, ita quòd dicebatur per regnum Galliæ quòd mortuus esset. Et ibi divisit regnum suum et terras suas filiis suis. Concessit autem Henrico filio
D suo majori regnum Angliæ et Ducatum Normanniæ, et Comitatum Andegaviæ et Cenomanniæ, et tradidit ei Johannem fratrem suum minimum ad promovendum et manutenendum. Et concessit Ricardo filio suo Ducatum Aquitaniæ cum omnibus pertinentiis suis, tenendum de Rege Franciæ. Et concessit Gaufrido filio suo Comitatum Britanniæ, cum filia Comitis Conani, tenendum de Rege Franciæ (*e*). Et postea præcepit Episcopis et Comitibus et Baronibus, qui ei in illa infirmitate assidebant, quòd, si illam non evasisset infirmitatem, corpus suum deferrent ad sepeliendum apud Grandem-Montem, qui parùm distat a Sancto Leonardo. Et ipse ostendit eis quamdam cartam, quam Boni-homines de Grandi-Monte ei fecerunt de corpore suo sepeliendo, in exitu Capituli domûs Grandis-Montis, ad pedes magistri ejusdem domûs, qui ibidem sepultus est. Cùm autem hæc audissent, vehementer mirati sunt, et hæc concedere noluerunt, dicentes hoc esse contra dignitatem regni sui. Ipse verò magis ac magis instabat ut hoc fieret; sed paulò post (*f*), sicut divinæ placuit Pro-
E videntiæ, de illa convaluit infirmitate : et quàm citiùs poterat (sicut in illa infirmitate voverat) iter arripuit cum festinatione, circa festum S. Michaëlis, ad S. Mariam de Rupe-Adamatoris *. Et peractâ illâ peregrinatione, rediit ad * *Roquamadour.*
Andegaviam.

(*a*) Hovedenus et Bromtonus : *decimo-septimo Kal. Julii.* Rectiùs XVIII, qui fuit dies Dominica.

(*b*) Hovedenus : *nullâ mentione factâ de B. Thoma Cantuariensi Archiepiscopo, ad quem coronatio illa et consecratio de jure Ecclesiæ suæ spectabat.*

(*c*) Hovedenus : *cùm autem constaret Lodowico Regi Francorum, quòd Margareta filia sua non erat cum viro suo Rege Angliæ coronata, magnum congregavit exercitum et hostiliter intravit Normanniam.*

(*d*) Hovedenus : *promittens quòd in proximo iterùm faceret filium suum coronari, et uxorem suam cum eo.*

(*e*) Hovedenus paulò aliter : *dedit itaque Richardo filio suo Ducatum Aquitaniæ, et omnes terras quas accepit cum matre illius* Alienor *Regina; et Gaufrido filio suo dedit Britanniam cum* Alais *filia Comitis Conani, quos ad opus illius acquisierat a Lodowico Rege Francorum; et Henrico filio suo dedit Normanniam, et omnes terras quæ fuerunt patris sui Gaufridi Comitis Andegavensis, et fecit illos tres filios suos devenire homines Lodowici Regis Franciæ, et Johanni filio suo adhuc minimo dedit Comitatum Moretanii.*

(*f*) Hovedenus : *post multùm temporis.*

Digitized by Google

Interim Beatus Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, sextum annum exsilii A
sui peragens, cùm audisset quòd, illo absente et despecto, novus Rex consecraretur in Anglia apud Londonias, ab Rogero Archiepiscopo Eboracensi, doluit vehementer : et de vindicta Cantuariensis Ecclesiæ cogitans, frequenter nuncios suos ad Alexandrum summum Pontificem misit, ut confunderet Eboracensem Archiepiscopum et ejus adjutores, qui ei ministrabant in coronatione
* An. 1170. novi Regis Angliæ. Similiter Lodovicus Rex Francorum, eodem anno *, pro prædicto Cantuariensi Archiepiscopo sollicitavit summum Pontificem, in virtute amoris et sub impensi protestatione obsequii, ne ultra dilationes frustratorias, quas Rex Anglorum prætendebat, prorogaret, sicut regnum Francorum diligebat et honorem sedis Apostolicæ. Miseratus etiam Anglicanæ Ecclesiæ desolationem Willelmus Senonensium Antistes sedem petiit Apostolicam, et a Romana Ecclesia impetravit ut Rex Anglorum, omni appellatione cessante, B
subjiceretur anathemati et regnum interdicto, nisi pax Cantuariensi Ecclesiæ redderetur. Instabat itaque dies peremptorius, ut sententia ulteriùs differri non posset. Arctatus ergo Rex Angliæ severitate canonicâ, tandem adquievit ut pax Anglicanæ Ecclesiæ reformaretur; et circa festum S. Dionysii, IV Idus Octobris, feriâ secundâ, venit usque ad Ambasium (quæ est propè Turonim) cum Archiepiscopis et Episcopis et Majoribus terræ suæ, contra Willielmum Archiepiscopum Senonensem et Teobaldum Blesensem Comitem, adducentes secum B. Thomam Cantuariensem Archiepiscopum. Et in crastino (sicut divinæ placuit Providentiæ) prece Regis Franciæ, et mandato et admonitione summi Pontificis Alexandri, nec non et consilio Archiepiscoporum et Episcoporum terræ suæ, recepit ibidem in gratiam et amorem suum prædictum Cantuariensem Archiepiscopum (*a*); sed eum in osculo pacis recipere noluit, sed permisit C
Regem filium suum recipere eum in osculo pacis, et perdonavit ei et omnibus qui cum eo erant in exsilio, iram et malevolentiam suam; promittens sibi in integrum restitui omnes possessiones suas Cantuariensi Ecclesiæ, sicut uno anno habuit antequam ab Anglia egrederetur (*b*).

Regna itaque gavisa sunt de adventu et consolatione patris sui Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi. Nam ipse periculum metuens animarum, ad Ecclesiam suam, Rege sibi præstante conductum, septimo exsilii sui anno reversus est in Angliam.... Cùm verò dominus Papa præfatam jam dicti Eboracensis, et Episcoporum qui ei astiterant, præsumptionem (conquerente beato Thoma) ut supra dictum est, audisset; Rogerum Eboracensem Archiepiscopum, et Hugonem Dunelmensem Episcopum, et Walterum Rofensem Episcopum, ab omni episcopali suspendit officio, et Gillebertum Lundoniensem et Jocelinum Sa- D
lesburiensem in sententia anathematis revocavit. Quæ severitas, in Sancti Thomæ ingressu publicata, Regem ampliùs exacerbavit, et linguas toxicatas detrahentium ad nocendum efficaciores reddidit. Nam Rogerus Eboracensis Archiepiscopus, et Jocelinus Salesburiensis Episcopus, et Gillebertus Lundoniensis Episcopus, statim post sententiam in eos promulgatam, applicuerunt in Normanniam : et exacuentes ut gladium linguas suas, ipsum Regem concitaverunt clamoribus suis contra Cantuariensem Archiepiscopum, et magis ac magis eum adversùs illum in iram commoverunt. Iterùm ergo damnis, iterùm atrocibus injuriis supra modum et numerum affectus est, et edicto publico præceptus Ecclesiæ suæ septa non exire. Quisquis ei vel alicui suorum faciem hilarem prætendebat, hostis publicus censebatur. Sed hæc omnia vir Dei cum multa patientia sufferebat; et familiariter inter suos commorans, conversatione suâ E
omnes ædificabat.

Interim Rex Angliæ calumniatus est Archiepiscopum Bituricensem debere adjacere Ducatui Aquitaniæ, sed Rex Franciæ contradicebat : et sic ortâ inter illos gravi discordiâ, uterque illorum magnum congregavit exercitum. Et Rex

(*a*) Hovedenus : *Sic denique placuit omnium dispensatori Deo sui Thomæ recompensare merita, et labores diutinos consummare victoriosâ martyrii palmâ. Regis ergo sententiam mutavit in melius, et mediantibus tam domini Papæ exhortatione, Regisque Francorum et plurimorum Episcoporum consilio, quàm etiam Principum supplici interventu, Archiepiscopum recepit in gratiam, et ad suam redire concessit Ecclesiam.*

(*b*) *Facta est autem pax ista,* inquit Rogerus Hovedenus, *in Monte-Laudato* (Corr. *Laudiaco,* Montlouis) *qui est inter Turonum et Ambasium. Sicque omnibus completis, unusquisque reversus est in locum suum; Thomas verò Cantuariensis Archiepiscopus reversus est ad Abbatiam S. Columbæ, ubi jam ferè per quatuor annos degebat.*

Angliæ

Digitized by Google

A Angliæ suum secum ducens exercitum, circa festum Sancti Clementis *, venit in Berriam versùs *Munt-Luszun* *, volens ulteriùs procedere usque Biturícensem civitatem; ipse enim jam securus sperabat esse de civitate illa habenda, per homines civitatis illius qui ei eam reddere volebant. Archiepiscopus (*a*) siquidem Biturícensis, vir bonus et justus, cùm extremum vitæ suæ diem sibi imminere sensisset, convocatis fratribus suis, coram quibusdam ejusdem civitatis civibus dixit : « O fratres mei karissimi in Domino! scitote quoniam civitas ista Bitu- » ricensis spectat ad Ducatum Aquitaniæ, et de jure illius est. Et si postmodùm » quæstio inde orta fuerit inter Regem Franciæ et hæredes Pictaviæ, testimo- » nium perhibete veritati ». Et his dictis, Viatico se muniens, naturæ solvens debita, viam universæ carnis ingressus est. At Rex Franciæ prævenit cum exercitu suo; et acceptis a Rege Angliæ induciis, uterque reversus est in patriam B suam (*b*). Instante autem Dominicæ Nativitatis solemnitate, Rex Angliæ moram fecit in Normannia.

* An. 1170.

* *Montluçon.*

Anno ab Incarnatione Domini MCLXXI (*c*), Henricus Rex Angliæ, filius Mathildis Imperatricis, tenuit curiam suam in Normannia apud Burum, die Natalis Dominici (*d*), multùm contristatus et confusus, pro eo quòd Cantuariensis Archiepiscopus absolvere noluit Episcopos Angliæ, quos innodaverat vinculo excommunicationis. Cùmque præfatus Rex ita commotus esset in iram, quatuor milites de domo et familia ejus, propter animi motus quos in eo viderant, volentes eum vindicare, latenter (nesciente ipso Rege) ad mare festinaverunt, ad transfretandum in Angliam. Et cùm transfretassent, iter suum arripuerunt festinato cursu versùs Cantuariam; et vix per mensem pater in Ecclesia sua moram fecerat, ecce, quintâ Natalis die, venerunt Cantuariam prædicti quatuor mi- C lites, immò Sathanæ conducti satellites, quorum nomina sunt hæc, Willelmus de Trasci, Hugo de Morvilla, Ricardus Brito, Reginaldus filius Ursi et in furore suo armati venientes, invenerunt prædictum Archiepiscopum in templo. [*Sequitur execranda Pontificis mactatio*].

Interim Rex, qui curiam suam tenuit apud Burum, ut supra diximus, venit ad Argentomium : ubi cùm audisset quòd prædictus Cantuariensis Archiepiscopus ita crudeliter in Ecclesia sua Cantuariensi occideretur; doluit vehementer, et plus quàm dici potest. Nam vitam miserabilem duxit et inauditam; noluit enim per tres dies quidquam comedere, nec cum aliquo loqui : sed clausis januis, vitam solitariam per quinque septimanas duxit, donec Rotrodus Rotomagensis Archiepiscopus et Episcopi Normanniæ venientes eum consolarentur. Dùm autem hæc fierent, Lodovicus Rex Francorum, et Willel- D mus Senonensium Archiepiscopus, et Theobaldus Comes Blesensis, scripserunt in hac forma ad Alexandrum summum Pontificem, contra Regem Angliæ, de morte Cantuariensis Archiepiscopi (*e*).

Interim nuncii Senonensis Archiepiscopi, quos ipse Romam miserat, adhuc vivente Cantuariensi Archiepiscopo, redierunt : per quos Summus Pontifex Senonensi mandavit Archiepiscopo, quòd, si Rex Angliæ nollet satisfacere Deo et Cantuariensi Ecclesiæ de controversia, quæ inter eum et Cantuariensem Archiepiscopum vertebatur super dignitate Anglicanæ Ecclesiæ, et si idem Rex non observaret pacem quam fecerat cum prædicto Archiepiscopo, ipse et Rotomagensis Archiepiscopus sub interdicto ponerent terram Regis, scilicet Normanniam et Andegaviam, et Pictaviam et Britanniam. Subjunxit etiam summus Pontifex in illo mandato, quòd si alter illorum aut non posset aut nollet in- E teresse mandato, alter nihilominùs mandatum ejus exequeretur. Cùm autem Rotomagensis Senonem veniret, secundùm mandatum summi Pontificis, unà cum Arnulfo Lexoviensi et Ægidio Ebroicensi, et Wigorniensi Rogero, et cum aliis quampluribus tam Clericis quàm laïcis de familia Regis; post multas tergiversationes ad sedem Apostolicam appellavit, et se ad præsentiam summi Pontificis iter arripuisse respondit, et prædicto Regi exacerbationem se nolle in-

(*a*) Joan. *Bromton* addit, *sanctæ memoriæ*. Nomen verò Archiepiscopi non comparet. Erat is fortè Petrus de castra, eo proindè, non seq. an. demortuus.

(*b*) Hovedenus : *Sic Rex Angliæ a desiderio suo fraudatus, dedit et accepit treugas usque ad festum S. Hilarii.*

(*c*) Ibidem : *qui erat annus decimus septimus regni Regis Henrici.*

(*d*) Hovedenus : *qui sextâ feriâ evenit, et Alienor Regina, et Richardus et Gaufridus et Johannes filii ejus erant cum eo : Henricus Rex Angliæ filius erat in Anglia.*

(*e*) Regis et aliorum de eodem argumento epistolas olim edendas curabimus.

Digitized by Google

fundere acerbiorem. Ipse verò Senonensium Archiepiscopus nihilominùs pro- A
cessit in mandatis summi Pontificis, et sententiam tulit in prædictam Regis terram, et præcepit memorato Archiepiscopo et Episcopis illam observare. At illi præceptum ipsius parvi, immò nihili pendebant. Sed prædictus Senonensis Antistes summo Pontifici in hac forma rescripsit (*a*).

Itaque dum hæc fierent, Domnus Rotomagensis, et Domnus Ebroicensis, et Domnus Wigornensis, et Ricardus *Barre*, et quidam alii de Clericis et familiaribus Regis, iter arripuerunt ad Romanum Pontificem, pro ipso Rege et pro regno ejus. Sed dominus Rotomagensis senio et infirmitate laborans, cùm jam ferè mediam peregisset viam, ulteriùs procedere non potuit; sed in Normanniam ad sedem propriam rediit. Et prædicti Episcopi cum Clericis Regis processerunt (*b*), et a summo Pontifice cum magna difficultate impetraverunt quòd duo Cardinales, scilicet Teodinus et Albertus, ex parte ejus in Normanniam venirent, ad cognoscendam causam quæ vertebatur inter dominum Regem et Ecclesiam Cantuariensem, de morte Cantuariensis Martyris et de aliis Ecclesiasticis dignitatibus, et prout Deus eis administraret, judicanda *...

* *Hoved.* judicandam.

Eodem anno*, dum hæc fierent, veniunt in Normanniam duo Apostolicæ sedis Legati, scilicet Gratianus et Vivianus, qui magnis et diversis vexationibus Regem ipsum et terram suam angariaverunt, volentes et ipsum et eam sub interdicto ponere. Sed nullo modo poterant in malitia sua procedere. Nam Rex inde præmunitus, ad summi Pontificis præsentiam appellavit, et sic se ipsum et terram suam custodivit illæsos. Attamen Apostolicam timens severitatem, ad mare transvolavit; et per commune edictum, præcepit Justitiis* et Ballivis suis Normanniæ, et nominatim Ballivis portuum maris, quòd nullo modo permitterent aliquem, et nominatim Clericum vel peregrinum, trans- C
fretare in Angliam, nisi priùs datâ securitate, quòd nullum malum vel damnum Regi vel regno Angliæ quærerent. Et statim misit pro filio suo Rege, ut veniret ad eum in Normanniam; et statim cùm veniret, ipsemet naves ascendit, et applicuit in Angliam. Itaque circa festum S. Petri ad Vincula naves ascendit, et III Nonas Augusti applicuit apud Portesmutam in Angliam. Et simili modo sicut in Normannia, ita præcepit per commune edictum quòd neminem permitterent transfretare in Normanniam, nisi datâ priùs securitate, quòd malum Regi vel regno suo non quærerent. Præcepit etiam quòd si quis in Angliam applicuisset, portans litteras summi Pontificis, vel aliquod gravamen regno, caperetur tanquam publicus hostis...

* An. 1171.

* *seu* Justitiariis.

Anno itaque MCLXXII ab Incarnatione Domini (*c*), Henricus Rex Angliæ, filius Matildis Imperatricis,... ducens secum Henricum Regem filium suum, D
circa Ascensionem Domini applicuit in Normanniam apud Barbefluctum, et invenit apud Cadomum prædictos Cardinales [Theodinum et Albertum], et illo-

(*a*) « Sanctissimo domino ac patri Alexandro, » Dei gratiâ summo Pontifici, Willelmus Senonensis Ecclesiæ humilis Minister, salutem et » devotam cum omni devotione obedientiam ». (*Postquam summi Pontificis animum, ad ulciscendum in Regem Angliæ Cantuariensis Antistitis internecionem, vehementer sollicitavit, subdit ad rem nostram.*) « De cætero, sanctæ Paternitati vestræ dignum » duximus insinuare quòd, cùm Domno Rotomagensi et nobis in mandatis dederitis, ut » terram Regis Angliæ cismarinam, si pacem, » quam gloriosæ memoriæ Domno Cantuariensi » promiserat, non observaret, sub interdicto po- » neremus; adjicientes etiam quòd, si uterque » nostrûm rei executioni non posset aut nollet » interesse, alter nihilominùs mandatum vestrum » excqueretur: prædictus verò Rotomagensis, » postquam litteras vestras ei præsentari fecimus, » nobis significavit quòd Senonem veniret, et » juxta formam mandati Apostolici procederet. » Cùm autem illuc venisset, unà cum Lexoviensi » et Ebroïcensi et Wigorniensi, et aliis quam- » pluribus, tam Clericis quàm laïcis, de familia » prædicti Regis; post verborum tergiversatio- » nes et excusationes inde deductas, respondit » se ad præsentiam vestram iter arripuisse, et » prædicto Regi exacerbationem se nolle infun- » dere acerbiorem. Nos verò scientes quòd vi- » tium paganitatis incurrit, quisquis mandatis » Apostolicis obedire contemnit; juxta seriem » mandati vestri, de communi consilio venerabi- » lium fratrum nostrorum omnium Episcopo- » rum, et S. Dionysii et S. Germani de Pratis, » et Pontiniacensis, Wallaciæ, Cenomannensis » Abbatum, et aliorum quamplurium Religioso- » rum virorum et sapientum, in terram ejusdem » cismarinam sententiam tulimus, et memorato » Archiepiscopo et Episcopis, ut eam observari » facerent, ex parte vestra injunximus. Scimus » enim quod nec possessiones, sicut promiserat, » restituit; nec securitatem, sicut mors ejus in- » dicat, instituit. Per Carturiensem quoque, » quem ad eum miseramus, nobis significavit, » quòd causam mortis ejus dederat, et quòd » eum occiderat. Inde est quòd clementiæ vestræ » supplicamus, quatenùs prædictam sententiam » ratam habeatis; et sicut majestatem vestram » decet, et incolumitati expedit Ecclesiæ, eam » taliter faciatis observari, quòd honor Dei et » vester conservetur, et nos (qui sanctitatem » vestram eâ quâ scitis devotione amplectimur) » minimè propter hoc possimus illudi. Valete, et » sicut decet vos, facite ».

(*b*) Die Sabbati ante Ramos Palmarum Romanam ad curiam pervenerunt legati, ut constat ex eorum ad Regem Henricum epistola.

(*c*) Hovedenus : *qui erat annus decimus octavus regni Regis Henrici secundi.*

Digitized by Google

A rum statim consilio pacificavit se cum Rege Franciæ de coronatione filiæ suæ. Et postea statim, consensu et consilio prædictorum Cardinalium, misit in Angliam Henricum Regem filium suum, et cum eo Margaretam filiam Regis Franciæ sponsam ejus, et cum eis Rotrodum Rotomagensem Archiepiscopum, et Ægidium Ebroicensem Episcopum, et Rogerium Wigorniensem Episcopum. Et ipsi circa festum S. Bartholomæi Apostoli applicuerunt in Anglia apud Suthantoniam, et Dominicâ sequenti, scilicet v Kal. Septembris, Rotrodus Rotomagensis Archiepiscopus Henricum Regem juniorem coronavit, et eodem die unxit in Reginam et coronavit Margaretam filiam Regis Franciæ, apud Wintoniam, cum juvene Rege marito suo, in Ecclesia S. Swizuni, ministrantibus ei in illo officio Ægidio Ebroicensi et Rogero Wigorniensi Episcopis.

Interim Rex pater novi Regis moram fecit in Britannia, et prædicti Car-
B dinales per Abbatias Normanniæ, exspectantes adventum novi Regis et uxoris suæ, et Rotomagensis Archiepiscopi et aliorum Episcoporum, qui fuerant in Anglia ad coronationem novi Regis. Circa festum verò Nativitatis S. Mariæ *, transfretavit in Normanniam Archiepiscopus Rotomagensis cum prænominatis Episcopis, et juvenis Rex remansit in Anglia (*a*) cum Regina sua, per mandatum patris sui. Interim Rex rediit de Britannia, et circa festum S. Matthæi Apostoli venit in Normanniam ad Abrincam civitatem, et invenit ibi prænominatos Cardinales, et v Kal. Octobris, feriâ quartâ, festo sanctorum Cosmæ et Damiani Martyrum, satisfactionem fecit Deo et summo Pontifici de morte beati Thomæ Cantuariensis Martyris. Purgavit enim innocentiam suam coram prædictis Cardinalibus, et Archiepiscopo Rotomagensi et Episcopis, et Clero et populo regni sui, apud Abrincas in Ecclesia S. Andreæ Apostoli. Juravit
C etiam coram prænominatis viris ecclesiasticis, tactis sacrosanctis Evangeliis, quòd non præcepit, nec voluit quòd Archiepiscopus Cantuariensis occideretur, et quandò audivit vehementer inde doluit. Sed quia malefactores illos, qui sanctæ memoriæ Thomam Cantuariensem Archiepiscopum occiderunt, habere non poterat; et quia timebat ipsos illud prophanum opus impetrasse (*b*) causâ animi motûs et turbationis, quam in eo videbant, de satisfactione tale præstitit (*c*) sacramentum. (*Ut apud Gervasium Dorob.*)

* An. 1172.

Pag. 135.

In crastino autem prædicti Cardinales ibidem magnum celebraverunt Concilium, cum Archiepiscopis et Episcopis et Clero Normanniæ, et ibi hæc decreta subscripta statuerunt, et universis firmiter et inviolabiliter observanda injunxerunt. Præceperunt itaque « ut pueri ad regimen illarum Ecclesiarum, et » ad illa administranda in quibus cura est animarum, minimè admittantur; filii
D » verò Sacerdotum non ponantur in Ecclesiis patrum suorum. Laïci partem obla- » tionum in Ecclesia non percipiant. Ecclesiæ Vicariis annuis non committan- » tur. Sacerdotes majorum Ecclesiarum, quibus ad hoc suppetunt facultates, » alium sub se Presbyterum cogantur habere. Sacerdotes non ordinentur sine » certo titulo. Ecclesiæ ad firmam annuam non tradantur. De tertia parte de- » cimarum nihil Presbytero, qui servit Ecclesiæ, auferatur. His, qui decimas » hæreditario jure tenent, licentia sit cui voluerint idoneo Clerico dare; eo qui- » dem tenore, ut post eum ad Ecclesiam, cui de jure competunt, revertantur. » Vir ad Religionem non transeat, uxore in sæculo remanente, vel e converso; » nisi ambo vacandi operibus carnis tempus excesserint. In Adventu Domini » omnibus qui poterunt, maximè autem Clericis et militibus, jejunium et ab- » stinentia carnium indicatur. Clerici et Judæi non ponantur ad jurisdictiones
E » sæcularium potestatum administrandas : qui autem hoc præsumpserint, a bene- » ficiis ecclesiasticis arceantur ». De novem libris excommunicatorum et rebus morientium quas auferunt Sacerdotes, et benedictionibus sponsarum, et baptismo, et de XLVIII libris, quæ [pro absolutione excommunicatorum *] injustè exiguntur, nihil perfectum est; quia Episcopi Normanniæ illud decretum recipere noluerunt. In eodem verò Concilio Archiepiscopus Turonensis calumniatus est Archiepiscopatum Doli debere adjacere Archiepiscopatui suo, affirmans sedem Archiepiscopalem ibi esse non debere; sed Clerici de Dolo constanter contradicebant.

* Hoved.

(*a*) Hovedenus novum Regem et Reginam transfretasse cum eis perperam tradit.

(*b*) Sic etiam Hovedenus. At Joan. *Bromton* habet *perpetrasse,* rectiùs.

(*c*) *Sanè quod ibi factum est, iterato adhuc, ne dubitationis locus alicui remaneret, apud Cadomum in majori frequentia personarum publicè statuit se acturum,* inquit Rog. Hovedenus.

Digitized by Google

* An. 1172. Circa festum * verò omnium Sanctorum, novus Rex Angliæ cum Regina A
sua transfretavit de Anglia in Normanniam, per mandatum Regis patris sui, multùm tamen invitus. Et statim misit eos ad loquendum cum Rege Franciæ; Rex enim Franciæ desiderio magno desiderabat videre filiam suam, et cum ea loqui. Qui cùm ad eum in Franciam venissent, cum magno honore et gaudio ab eo sunt recepti, et per aliquot dies cum eo moram fecerunt. Unde magnum damnum provenit regno Angliæ, et etiam regno Franciæ; nam Lodowicus Rex Franciæ, qui semper Regem Angliæ odio habebat, consuluit novo Regi Angliæ quòd, statim cùm veniret in Normanniam, exigeret a Rege patre suo sibi donari vel totam Angliam, vel totam Normanniam, ubi ipse cum filia sua morari posset. Et consuluit quòd, si pater suus neutram illarum terrarum ei concedere vellet, ipse cum Regina sua rediret in Franciam ad eum. Interim Rex timens fraudem et malitiam Regis Franciæ, quas sæpè expertus B
fuerat, misit in Franciam pro Rege filio suo et pro uxore ejus. Ipsi verò, acceptâ a Rege Franciæ licentiâ, ad mandatum Regis in Normanniam redierunt. Appropinquante igitur solemnitate Nativitatis Dominicæ, Rex accessit versùs Andegaviam, et ibi curiam suam die Natalis Domini tenuit, et dimisit Regem filium suum cum uxore sua in Normanniam.....

Adveniente igitur anno ab Incarnatione Domini MCLXXIII (*a*), tenuit Rex curiam suam in Natali Domini apud Chinonem in Andegavia, et uxor sua *Alienor* fuit ibi cum eo : et peractâ ibi Nativitate Dominicâ, Rex misit in Normanniam pro Rege filio suo, et ante Purificationem sanctæ Mariæ ivit in Alverniam usque ad Montem-Ferrandum, et duxit secum Regem filium suum. Et illuc venit ad eum Hubertus Comes de Mauriana, et adduxit secum *Aalis* filiam suam majorem, quam Rex comparavit pro quinque millibus marcis ar- C
genti, ad opus Johannis filii sui junioris, cum toto Comitatu de Mauriana, si prædictus Comes filium ex uxore sua non habuerit. Si verò legitimum susceperit filium; prædictus Comes concessit eis castella et terras, * quas in subscripto continentur cirographo (*b*).

* *Leg.* quæ.

(*a*) Hovedenus : *qui est annus decimus nonus regni Regis Henrici, filii Matildis Imperatricis.*

(*b*) Hoc est Chirographum inter Regem et Comitem Maurianæ confectum :

« Quoniam in dubium venit quod a memoria » recedit, repertum est in rei gestæ testimonium » perennis rescripti remedium. Noverit igitur tam » prior ætas, quàm futura posteritas, quòd Hubertus Comes Maurianensis et Marchio Italiæ, » concedit totum Comitatum suum, et omnes » terras suas, quascumque habet, vel deinceps » adquisierit, Johanni filio Henrici illustris Regis » Angliæ, cum filia sua primogenita, Aalis nomine, si filium ex uxore sua non habuerit. Si » verò filium legitimum susceperit, concedit eis » in perpetuum et hæredibus eorum, Russillum » cum toto mandato suo, sive pertinentiis suis » omnibus. Concedit similiter eis et hæredibus » eorum *Perecastel,* cum omnibus pertinentiis » suis; et præterea totum Comitatum Belicensem, sicut eum habet, illis concedit. Donat » etiam eis totam vallem Novalesiæ, Camberiacum » quoque cum omnibus pertinentiis suis, *Aiz,* » Asperum-montem, Rochetam, Montem-majorem, Cameram cum burgo et toto mandato. » Ista omnia, cum omnibus pertinentiis suis, eis » incontinenti citra montes concedit in perpetuum. Ultra montes quoque illis et eorum » hæredibus donat et concedit in perpetuum » Taurinum totum cum omnibus pertinentiis » suis, *Cavoreth* Collegium cum omnibus pertinentiis suis, et omnia feuda quæ tenent de » ipso Comites de Canaveis, et eorum servitia » et fidelitates. In Comitatu quoque de Castro-» *Amunt,* similiter feuda, fidelitates et servitia. » In valle Augustensi, concedit eis Castellionium » in perpetuum, contra omnes homines, quod » de illo tenet Vicecomes Augustæ. Hæc omnia » præfatus Comes concedit prædicto filio Regis » Angliæ in perpetuum, cum filia sua prænominata: ita liberè, integrè et quietè, in hominibus et civitatibus, castris et aliis munitionibus, in pratis, pascuis et molendinis, in bosco » et plano, in aquis et vallibus, et montanis, et » paagiis, et pasagiis, et in omnibus aliis rebus, » sicut unquam pater ejus aut ipse ea meliùs aut » liberiùs tenuit. Vult etiam jam dictus Comes » quòd incontinenti, aut quandocumque pla» cuerit domino Regi Angliæ, filio ejus fiant et » præstentur hominia et fidelitates ab omnibus » hominibus suis, per totam terram suam, salvâ » fidelitate suâ, quamdiu terram tenebit. Præterea » concedit eis et hæredibus eorum in perpetuum, » quidquid juris habet in Comitatu Grationopolitano, et quidquid in eo adquirit vel adquirere poterit. Si autem filia sua primogenita supradicta in fata concesserit; quæcumque cum » primogenita concessit illustris Regis Angliæ » filio, cum secunda filia sua, eadem, sicut scriptum est, cuncta concedit. Hanc præscriptam » conventionem tenendam inter dominum Regem Angliæ et Comitem Maurianæ, juraverunt » ipse Comes Maurianæ, et Comes Gebennæ, » Rodulfus Alamannus, Nantelmus de Meolano, » Sefredus de Alavarno, Rodolfus et Aimo, et » Eimericus de *Brienzon,* Willelmus frater Comitis, Gocellinus de Morestello, Amedeus de » *Nangeu,* Odo de *Voiron,* Berlio et Pontius de » Fabriciis, Lodoicus de Balma, Theobaldus de » Vileta, Pontius et Wifredus de *Cunflens,* Gwido » de *Teis,* Amedeus de *Torvun,* Ysmido de sancto » Michaële, Odmarus Labra, Joscelinus et Ricardus de *Cordun,* Giroudus de *Margenzai,* » Berlio de Monte-Falcone, Engwicio de Aviano, » Berlio et Torencus de *Chambel,* Sofredus Gamerii, Hugo de *Alviler,* Uboldus de *Rumillie,* » Lodoicus de Asma, Anselmus de Belentro, » Willelmus de Siderius, Sofredus et Petrus de » Sancto-Genesio, Ungrinus de Fabricis, Wil» lelmus de *Bocozel,* Angelinus de Castellano, » Umbertus Reinerii, Willelmus de Porta, Wil» lelmus Ernus, Gido de Candiaco, Petrus de » Arvesio, Arbertus *Cornuz,* Hugo de Chinis, » Willelmus de *Albusin,* Henricus de Fulcimaco, » Willelmus de *Nangeou,* Emericus Vicecomes » de *Brienceon.* Omnes isti prænominati juraverunt, quòd Comes Maurianensis hanc conventionem firmiter servabit; et si ab ea aliquo

Digitized by Google

A Venerunt etiam illuc ad Regem Rex Aragoniæ [Alphonsus] et Comes de sancto Egidio [Raimundus], qui inimici erant ad invicem, et Rex duxit eos usque *Limoges,* et ibi pacem fecit inter eos. Comes verò de sancto Egidio devenit ibi homo Regis, et homo novi Regis filii ipsius, et homo Ricardi filii Regis, Comitis Pictaviæ, de Tolosa tenenda de eis in feodo et hæreditate, per servitium veniendi ad summonitionem Regis vel Comitis Pictaviæ in werra sua, et esse ibi in servitio suo XL diebus, ad expensam ipsius (*a*). Et si Rex vel Comes Pictaviæ eum retinere ulteriùs voluerit alios XL dies, erit eum eis ad expensam illorum (*b*). Et præterea Comes de sancto Egidio dabit eis inde per annum c marcas argenti, vel x destrarios de pretio, ita quòd unusquisque illorum valeat ad minus x marcas. Hanc autem conventionem firmiter inter eos tenendam juravit ipse Comes de sancto Egidio, tactis sacro-sanctis Evangeliis. His
B peractis, Rex ibidem recepit filiam Comitis Maurianæ ad opus Johannis filii sui...

(*c*) In terram Regis Angliæ venerunt, ex parte Comitis Mauriensis, Marchio Montis-Ferrati, et Gaufredus de *Plozac,* et Merlo filius ejus, et Ricardus Comitis Cancellarius, et Berlo de *Camboe,* et Petrus de *Bouet* Castellani, et Petrus de sancto-Genesio, et Petrus de Taurino, Milites, et Gaufridus de Aqua-Bella, et Rodulfus de Warci Burgenses: qui juraverunt, tactis sacro-sanctis Evangeliis, quòd conventionem prædictam, factam inter Regem et Comitem de filio Regis et filia Comitis, sicut legitimè facta, scripta et intellecta sunt, facient Comitem firmiter observare. Et nisi eam fideliter observaverit, juraverunt quòd, ad vocationem domini Regis vel nuncii ipsius, vel etiam sine omni vocatione, si Comes resiliret a conventione, ex quo hoc pro certo scirent, se redderent obsides Regi in terra sua, et tamdiu in captione sua morabuntur,
C donec Comitem ad beneplacitum Regis revocent, vel cum domino Rege pro voluntate sua componant. Juraverunt etiam prædicti nuncii, quòd Comes filiam suam secundam non traderet nuptui, donec ejus filia primogenita filio Regis matrimonio sit copulata, vel per legitimam ætatem, vel per Romanæ Ecclesiæ dispensationem : nisi de consilio et voluntate domini Regis, eam interim alii donaverit. Juraverunt et illi quòd pecunia, quam jam recepit vel recipiet Comes a domino Rege, si filia Comitis vel filius Regis (quod absit !) fortè in fata concesserit, antequam matrimonium inter eos fuerit contractum, totam reddet Regi, vel beneplacitum Regis inde faciet, vel cui Rex assignaverit; et prædicti juratores, donec fuerit soluta, si voluerit Rex et quandò voluerit, se reddent ei obsides in terra et in potestate sua. Juraverunt similiter quòd, concessione Humberti junioris, facient pro posse suo habere filium Regis *Russillon*
D et *Parecastel,* et quidquid ei a Comite concessum est in Comitatu Belicensi. Si fortè Humbertus hoc concedere noluerit, juraverunt quòd Comes dabit ei legitimum excambium, ad arbitrium Abbatis de *Clusa* et Reginaldi Archidia-

» modo resiliret, juraverunt quòd ad vocatio-
» nem domini Regis Angliæ vel nuncii ipsius,
» et etiam sine omni vocatione, si Comes resi-
» liret, ex quo hoc scient, reddent se obsides do-
» mino Regi in terra sua, ubicumque voluerit,
» et tamdiu in sua captione morabuntur, donec
» Comitem ad Regis beneplacitum vocaverint, vel
» cum ipso Rege pro voluntate ipsius composuerint.
» Petrus quoque Tarentasiensis Archiepiscopus,
» et Arduno Gebennensis, et Willelmus Mau-
» rianensis Episcopi, et Abbas sancti Michaëlis,
» coram positis sanctis Evangeliis, de mandato
» Comitis firmiter promiserunt, quòd ad bene-
» placitum Regis, et quando voluerit, personam
» Comitis excommunicabunt, et terram suam
» sub interdicto ponent, si Comes hanc pactio-
» nem inter eos factam non servaverit. Idem fa-
» cient de personis hominum Comitis et terris
» eorum, per quos stabit quòd non servetur
» pactio inter Regem et Comitem facta; et tam-
» diu Comitem, et eos qui pacem servare no-
» luerint, et terras eorum sub interdicto tene-
» bunt, donec domino Regi fuerit satisfactum.
» Dominus Rex hanc fecit conventionem et con-
» cessionem præscriptam cum Comite Maurinia-
» nensi, et eam de mandato ipsius tenendam ju-
» raverunt Comes Willelmus de Mandevilla,
» Willelmus Comes Arunniæ, Radulfus de Faia,
» Willelmus de *Curci,* Willelmus de *Humez,* Fulco
» *Panel,* Robertus de *Brivecurt,* Willelmus *Mangat,*
» Theobaldus *Chabot,* Willelmus de *Munluzun,* Pe-
» trus de *Muncasson,* Gaufredus Forestarius, et alii
» plures. De cætero, sciendum est quòd Comes suam
» secundam filiam nuptui tradere poterit cui
» voluerit, sine nimio Comitatûs detrimento,
» postquam primogenita filia ejus filio Regis fue-
» rit desponsata, vel per legitimam ætatem, vel
» per Romanæ Ecclesiæ dispensationem. Parenti-
» bus autem suis vel aliis, et pro salute animæ
» suæ, poterit de terra sua dare, sine multa Co-
» mitatûs diminutione. Incontinenti verò mittet
» Rex Comiti mille marcas argenti; et quàm citò
» filiam Comitis recipiet, ad minùs habebit alias
» mille marcas argenti; et quidquid fuerit de quin-
» que millibus marchis residuum, recipiet Comes,
» quandò matrimonium inter filium Regis et fi-
» liam Comitis fuerit contractum, per legitimam
» ætatem, vel per Romanæ Ecclesiæ dispensa-
» tionem. Si autem dominus Rex (quod Deus
» avertat!) antè in fata concesserit, vel extra
» terras suas profectus fuerit; neque ipse, neque
» ipsi qui de mandato suo juraverunt, vel ali-
» quam Comiti securitatem fecerunt, tenebuntur
» de præscripta conventione, nisi dominus Rex
» filius Regis, et sui ».

(*a*) Hoved. *sine aliquo custamento eorum.*
(*b*) Ibid. *Illi invenient ei expensas suas rationabiles.*
(*c*) Hoved. *Paucis igitur evolutis diebus, etc.*

Digitized by Google

coni Salesbiriæ, vel aliorum legitimorum per Regem assignatorum, si illi præ- A
sentes esse non possent.

(*a*) Comes verò Maurianæ scire voluit apud *Limoges*, quid et quantum prædictus Johannes filius Regis (cui filia ipsius, ut supra dictum est, data fuerat) haberet de terra patris sui. Et Rex voluit ei concedere et dare castellum de Chinone, et castellum de *Loudun*, et castellum de *Mirabel*, cum omnibus pertinentiis suis; sed juvenis Rex contradicebat, et nullo modo hoc fratri suo concedere voluit, nec a patre suo hoc fieri permisit. Ipse enim jam molestè ferebat, quòd pater suus aliquam terrarum suarum ei assignare noluit, ubi ipse cum Regina sua morari posset. Ipse enim a patre suo petiit sibi donari Normanniam, vel Angliam, vel Andegaviam, et hanc petitionem fecit per consilium Regis Franciæ, et per consilium Comitum et Baronum Angliæ et Nor-
manniæ, qui patrem suum odio habebant. Et ipse ex hoc tempore causas quæ- B
rebat et opportunitatem, ut a patre suo recederet; et jam animum suum a voluntate ipsius ita declinavit, quòd nihil cum eo pacificè loqui potuit. Itaque peractis negotiis suis apud *Limoges*, Rex quàm citiùs potuit in Normanniam ire festinavit, et Rex filius suus cum eo (*b*).

* An. 1173. Appropinquante autem mediâ Quadragesimâ *, cùm ad Chinonem venissent, Rex ibi nocte illâ permansit, et filius suus, non acceptâ ab eo licentiâ, ulteriùs processit, ita quòd in crastino venit usque *Alenzun*, et die sequenti usque Argentomium. Pater verò ejus illum secutus est, et nocte illâ, quâ filius suus fuit apud Argentomium, jacuit ipse apud *Alenzun*. In illa autem nocte circa galli cantum, juvenis Rex cum privata familia sua ad Regem Franciæ perrexit, VIII Idus Martii, feriâ V ante [mediam] Quadragesimam. Rex verò, audito quòd filius suus recessisset, timuit valdè insidias Francorum, et cum festinatione castella C
sua quæ erant in confinio Franciæ, adiit, et ea munivit custodibus, et victu
* *f.* fossato. et fosso *. Pervenit autem usque Gisortium, et illud quàm meliùs potuit munivit, et inde iter suum fecit per castella sua Normanniæ, et statim mandavit per litteras suas Castellanis suis Angliæ, Aquitaniæ, et Andegaviæ et Britanniæ, ut munirent castella sua et benè custodirent, significans eis rei eventum.

Hujus autem nefandæ proditionis auctores exstiterunt Lodowicus Rex Franciæ, et ut a quibusdam dicebatur, ipsa *Alienor* Regina Angliæ, et Radulfus de Faia. Prædicta quidem Regina eo tempore habuit in custodia sua Ricardum Ducem Aquitaniæ et Gaufridum Comitem Britanniæ filios suos, et misit eos in Franciam ad juvenem Regem fratrem illorum, ut cum eo essent contra Regem patrem ipsorum....

Post discessum verò juvenis Regis, Ricardus *Barre*, qui sigillum ipsius por- D
tabat, ad Regem patrem ejus rediit, et tradidit illi sigillum filii sui, quod ille ei ad custodiendum commiserat; et illud recipiens, præcepit benè custodiri. Similiter servientes, quos ipse posuerat in domo Regis filii sui, ad illum redierunt, adducentes secum carectas et summarios, cum hernasio Regis qui recesserat. Rex verò noluit illos secum retinere, sed remisit eos ad Regem filium suum cum toto hernasio suo. Et præterea misit ei per illos vasa argentea, et equos et pannos, et præcepit eis ut ei fideliter servirent. Sed cùm ad eum venissent, statim fecit illos qui cum eo remanere volebant, jurare ei fidelitatem contra patrem suum; illos autem, qui hoc sacramentum facere nolebant, secum retinere noluit, sed abire permisit, scilicet Walterum Capellanum suum, et Aelwardum Camerarium suum, et Willelmum Blundum Hos- E
tiarium suum; et ipsi ad Regem redeuntes, cum eo remanserunt (*c*).

Interim Lodowicus Rex Franciæ, satis humanum se exhibuit juveni Regi et fratribus suis, et illis qui cum illis venerant; et statim fecit fieri ei novum sigillum, per quod ipse subscriptas donationes confirmaret. Nam Rex Franciæ, convocatis Filippo Comite Flandriæ, et Matthæo fratre illius Comite Boloniæ, et Hen-

(*a*) Hovedenus : *Venit etiam ad* Limoges *Comes Moriennæ, etc.*

(*b*) Hovedenus : *Et nactâ opportunitate loci et temporis, Rex filius a patre suo discessit et ad Regem Francorum perrexit. Cancellarius autem ejus Richardus* Barre *et Walterus Capellanus ejus, et Ailwardus Camerarius suus, et Willelmus Blundus Hostiarius suus, relicto eo, redierunt ad patrem.*

(*c*) Addit Hovedenus : *Perdidit itaque Rex ille Regis filius mentem, perdidit et sensum, fugat innocentem, persequitur genitorem, usurpat imperium, invadit regnum. Et ipse unus est reus, et universus contra patrem suum conspirat exercitus. Unius dementia dementes efficit multos; ipse enim sitit sanguinem patris, cruorem appetit genitoris.* Idem habet codex alter Benedicti, quo usus Hearnus.

Digitized by Google

A rico Comite de *Troys*, et Theobaldo Comite Blesensi, et Comite Rodberto fratre Regis Franciæ, et Comite [Sacri-Cæsaris] Stephano, et cæteris Comitibus et Baronibus Franciæ, et præterea omnibus Archiepiscopis et Episcopis, et Clero et populo regni Franciæ, magnum celebravit Concilium apud Parisius; et in ipso Concilio ipsemet juravit, tactis sacro-sanctis Evangeliis, quòd juvenem Regem et fratres suos secundùm posse suum jùvaret contra patrem illorum, ad werram suam manutenendam, et ad regnum Angliæ perquirendum (*a*). Similiter fecit prædictos Comites et Barones Franciæ idem sacramentum jurare ei : acceptâ tamen priùs a juvene Rege et a fratribus suis securitate et sacramentis, quòd a Rege Franciæ non recederent, nec cum patre suo aliquam pacem facerent, nisi per ipsum et per Barones Franciæ. In eodem Concilio, juvenis Rex recepit homagium et fidelitatem a Filippo Comite Flandriæ,
B et dedit ei pro homagio et fidelitate sua mille libratas reddituum in Anglia per annum, et totam Cantiam cum castello de *Duvere* * et castello Rofensi. * *Douvres.* Similiter recepit ipse homagium et fidelitatem a Matthæo fratre Comitis Flandriæ, Comite Boloniæ; et concessit ei pro homagio et fidelitate sua, totam socam de Kirketonia in Lindeseia, et Comitatum Moretaniæ (*b*). Similiter recepit fidelitatem et homagium Comitis Theobaldi, et concessit ei quingentas (*c*) libratas reddituum Andegavensium, et castellum de Ambasio, cum toto jure quod ipse calumniatus fuit in Turonica; et clamavit ei quietum totum jus, quod Rex Angliæ pater suus et ipse calumniati fuerunt in Castello-Reginaldi. Omnes verò has donationes confirmavit eis sigillo suo novo, quod Rex Franciæ fecit ei fieri. Præterea alias fecit donationes, quas eodem sigillo confirmavit : concessit enim Willelmo Regi Scotiæ, pro homagio et servitio suo, totam Nor-
C thumberlandam usque ad Tinam. Et concessit David fratri Regis Scotiæ pro homagio et servitio suo, Comitatum de Huntendonia, et in augmentum dedit ei totam Cantebrigesiram. Et concessit Comiti Hugoni *Bigod* totum honorem de Eia *, in feudo et hæreditate tenendum, et castellum Norwicense in custodia * *Al.* Exa. sibi et hæredibus suis in perpetuum. Et alias plures fecit donationes quas prætermittimus, ad historiam transeuntes (*d*).

Instante igitur solemnitate Paschali *, Henricus Rex Angliæ, filius Ma- * An. 1173. thildis Imperatricis, tenuit curiam suam apud *Alenzun*, et statim post clausum Pascha exarsit nefanda proditorum rabies, quorum nomina hæc sunt, et ipsi cum Henrico juvene Rege tenuerunt contra patrem suum : Johannes *Talevas*, Comes de *Puntif* (*e*), Comes de Mellento [Robertus], Comes de Auco [Henricus], Camerarius de Tankervilla, Willelmus Patricius senior, Rodbertus de
D *Munford*, Thomas de Culumcis, *Amauri* Torellus, Willelmus de Tibovilla, Gillebertus de Tilèris, Eudo filius Ernisii, Willelmus filius Ernisii, Rodbertus filius Ernisii, Radulfus de Haya, Oliverius filius Ernesii, Hasculus de S. Hilario, Rodbertus de Angervila, Rodbertus *Bussun*, Gillebertus * de Albemaria, Bernardus de Feritate, Rodbertus de *Sablul*, Gwido de *Curtiran*, Hugo de *Silli*, et Rodbertus de *Blé*, Hardewinus de *Fugerai*, Matthæus de *Lagailla*, Philippus de

(*a*) Hoved. *Quòd ipsi auxiliarentur ei modis omnibus ad patrem suum de regno ejiciendum, nisi ad voluntatem ipsius composuerit.*

(*b*) Hovedenus : *cum honore de Heia.*

(*c*) *Bromton :* quinquaginta ; *Hoved.* ducentas.

(*d*) « Rex ergò pater, *inquit Hovedenus*, omnibus » Imperatoribus et Regibus, quos sibi putâbat » amicos, de infortunio quod ei acciderat, per » promotionem quam ipse filiis suis fecerat, con- » questus est, ne ipsi exaltent filios suos supra id » quod debent, commonens. Unde Willielmus » Rex Siciliæ ei in hac forma scripsit :

» *Henrico Dei gratiâ illustri Anglorum Regi, et* » *Duci Normanniæ et Aquitaniæ, et Comiti Andega-* » *viæ, Willielmus eâdem gratiâ Rex Siciliæ, Ducatûs* » *Apuliæ, Principatûs Capuæ, salutis felicitatem et* » *de hostibus desideratum victoriæ triumphum.* In re- » ceptione literarum vestrarum cognovimus, » quod quidem sine admiratione maxima proferre » non valemus, videlicet quòd ordine humani- » tatis oblito et naturæ lege solutâ, insurrexit » filius in parentem, in genitorem genitus; com- » mota sunt viscera ad bellum intestinum, irrue- » runt ad arma præcordia : et quod novum pro- » digium est et nostris temporibus inauditum, » caro desævit in sanguinem, et se ipsum quærit » sanguis effundere. Et quoniam ad tanti furoris » impetum compescendum, potentiæ nostræ au- » xilium loci incommoditas non admittit, eo » quo possumus caritatis affectu, quem locorum » spatia non concludunt, personam et hono- » rem vestrum devotiùs amplectentes, dolori » vestro compatimur, persecutionem vestram » molestè ducimus, et quasi propriam reputamus. » Confidimus autem et speramus in Domino, » cujus judicio Regum judicia terminantur, quòd » diutiùs non permittet filios vestros tentari su- » pra id quod possunt vel debent : et qui factus » est obediens patri usque ad mortem, ipse in iis » filialis lumen obedientiæ inspirabit, per quod » memorabuntur quòd caro et sanguis vester sunt, » et relictis hostilitatis erroribus, agnoscent se fi- » lios, redibunt ad patrem, naturæ solidabunt » incommoda, et debitæ dilectionis fœdera pris- » tinus ordo continebit ». Extat etiam hæc epistola apud Joan. *Bromton*, et in altero Benedicti codice.

(*e*) « Et ipse habuit castellum de *Essal*, et castel- » lum de S. Remigio des *Plais*, et castellum de » *Muscecuard*, et castellum de *Mamerce* (*ut legitur in altero codice*).

Digitized by Google

Carcere, Gaufridus de *Brullun*, Vivianus de *Munrevel*, Willelmus de P.... A
Gwenis de *Palvel*, Petrus de Sancto-Juliano, Fulco *Ribule*, Rodbertus de *Tresgorce*, Willelmus filius Rogerii, Willelmus Marescallus, Willelmus de Diva, Radulfus de *Chainai*, Gerardus *Tallebot*, Willelmus de *Tintiniac*, Gaufridus filius Hamonis, Radulfus de Albemaria, Johannes de Lineris, Adam de Ikobo, Petrus de Andevilla, Willelmus de *Cauveni*, Hugo de Mota, Salomon Hostiarius, Johannes de Praellis, Rodbertus *Gerebert*, Landricus de *Orbec*, Ricardus Abbas de *Turnai*, Rodbertus de Moretania, Willelmus *Hagullun*, Jordanus *Ridel*, Simon de Marisco, Hugo de Diva, Saerus de *Quinci* juvenis, Baldericus de *Baudemunt*, Willelmus de *Falaise*, Gaufridus de *Leginnan*, Gaufridus *Chouet*, Willelmus *Talewazs*, Guido de *Lezinnan*. Et sciendum est, quòd hi supradicti milites cum juvene Rege in Franciam recesserunt, et cum eo reversi fidelitatem juraverunt Regi patri ipsius. B

Præterea hæc sunt nomina illorum qui post eum abierunt : Hugo de Sancta-Maura, Willelmus de Sancta-Maura, Joscelinus de Sancta-Maura, Petrus de *Munrabel*, Joibertus *de la Guirche*, Jacelinus de Manleio, Gaufridus de Haia, Rodbertus de *Sablol*, Gwido de *Curtirant*, Gaufridus de *Lavardin* filius Comitis de Vendomia, Radulfus de Fulgeriis, *Gwiounou* de *Ancenis*, Rollandus filius Ernisii, Osbertus de Praellis, Walleranus de *Hyveri*, Joscelinus *Crispin*, Comes de *Everous* senior, Symon de *Lezszai*, *Chales* de Rochefordą, Comes de Engolismo Bucherius *, Radulfus de *Malliun*, Comes [Eudo de *Porhoët*, Gymarus de *Liuns*], Gaufridus de Rancona, Willelmus de Oveneia, Willelmus Archiepiscopus, et alii innumerabiles.

* *f.* Wulgrinus.

Itaque post clausum Pascha *, ut supra dictum est, exarsit nefanda proditorum rabies. Ipsi enim furore diabolico debacchati, circumquaque devastabant C
igne et gladio terram Regis Angliæ in Normannia, et Aquitannia, et Andegavia, et Britannia (*a*). Procedente autem tempore, circa festum sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Filippus Comes Flandriæ intravit cum magno exercitu in Normanniam, et sine aliqua difficultate cepit villam et castellum de Albemarla, et captus fuit in ea Willelmus Comes *Aubenni* (*b*), et multi milites et servientes cum eo. Et statim divulgata est captio illa per circumjacentes provincias. Pervenit et in Angliam, et excitavit furorem perfidæ gentis Angliæ; tunc enim erupit in Anglia vesana proditorum rabies, quæ priùs sub velamento fidelitatis latebat.

* An. 1173.

Hujus autem nefandæ proditionis auctores exstiterunt in Anglia, Willelmus, Rex Scotiæ et David frater ejus, Rodbertus junior Comes Leicestriæ, Rodbertus Comes de Ferreris, Comes Hugo *Bigod*, Hugo Comes Cestriæ, Rogerus D
de *Mulbrai*, et Nigellus et Rodbertus filius ejus, Hamo de *Masci*, Thomas de *Muschamp*, Rodbertus de *Lundres*, Gaufridus de *Costentin*, Ricardus de Morvilla, Gervasius *Painel*. Willelmus Rex Scotiæ habuit et tenuit contra Regem Angliæ castellum de Strivelinia, castellum Puellarum, castellum de Geddewurda, castellum de *Berewic*, castellum de Rokesburga, et castellum de *Anant*, et castellum de *Loghmahan*, quæ fuerunt castella Rodberti de *Brus*. David frater Regis Scotiæ habuit castellum de Huntendona. Comes Leicestriæ tenuit castellum de *Munsorel*, et castellum de *Grobi*, castellum de Leicestria. Comes de Ferreris tenuit castellum de Tutesbiria, castellum de Dufelda. Comes Hugo *Bigot* tenuit castellum de *Fremigham*, castellum de Bungehia. Comes Cestriæ tenuit castellum Cestriæ. Rogerus de *Mulbrai* tenuit castellum de *Treske*, castellum de *Malessard*, castellum de Insula. Hamo de *Masci* tenuit castellum de *Dunehan*, E
castellum de Wllerwda. Gaufridus de *Costentin* tenuit castellum de Stokeporta. Ricardus de Morvilla tenuit castellum de Lawedra. Præterea in Anglia multi erant, qui pravè et fictè tenuerunt cum Rege patre juvenis Regis, tam Clerici quàm laïci (*c*).

(*a*) Hovedenus : *Et statim post Pascha regnum Franciæ, et Rex filius Regis Angliæ, et Richardus frater ejus Comes Pictaviæ, et Gaufridus Comes Britanniæ, et ferè omnes Comites et Barones Angliæ et Normanniæ, et Aquitaniæ et Andegaviæ et Britanniæ, insurrexerunt in Regem Angliæ patrem, et terras ejus undique devastaverunt igne et gladio et rapinis, et castella sua obsederunt, fregerunt et ceperunt, et non erat qui adjuvaret. Sed ille, in quantum potuit, resistebat illis; habuit enim secum viginti millia Brabancenorum, qui fideliter servierunt illi, et non sine magna mercede quam eis dedit.*

(*b*) *Bromton* « Willelmus Comes ejusdem (id est » Albemarlæ) cum Flandrensibus collusionem fa» ciens, cum omnibus quos illic Rex pater causâ » præsidii miserat, captus est : qui alia sua castella » quasi gratis resignavit ».

(*c*) « Et hæc sunt nomina Comitum et Baronum,

Circa

A Circa octabas verò Apostolorum Petri et Pauli, * juvenis Rex et fratres sui venerunt in Normanniam cum Comite Flandriæ et Comite Boloniæ, et obsederunt castellum de *Driencurt*, quod (*a*) infra xv dies sequentes Doulfus-Bardùlfus et Thomas frater ipsius, qui fuerunt inde Constabularii, reddiderunt eis; vulnerato priùs ibidem usque ad mortem Matthæo Comite Boloniæ, qui statim postquam castellum redditum fuerat, in Flandriam delatus obiit. Defuncto itaque Matthæo Comite Boloniæ, Petrus frater ejus, Electus Metropolitanæ Ecclesiæ de *Cambrai*, malens sæculo militare quàm Deo, per consilium fratris sui Comitis Flandriæ, qui sine propinquiore hærede erat, reliquit electionem illam quæ de ipso facta fuit, et fecit se armis militaribus honorari, immò onerari (*b*). In loco verò electionis ipsius, successit Rodbertus præpositus de *Ars* *, qui et Electus erat Ecclesiæ de *Arras*. Sed paulò post, meritis B suis exigentibus, eodem anno, ab inimicis suis interfectus est. * An. 1173. * *Aire.*

Similiter autem circa octabas Apostolorum Petri et Pauli, Lodowicus Rex Franciæ (*c*) cum magno exercitu intravit in Normanniam, et obsedit Vernolium, et statim fecit fieri machinas bellicas, et quotidie circumquaque fecerunt insultum in eo. Sed Hugo de *Lasci* et Hugo de Bellocampo, qui inde Constabularii erant, villam Vernolii viriliter et constanti animo defenderunt, cum militibus et servientibus qui intùs erant, nec Regem Franciæ, nec machinas suas timebant. Nam Rex Franciæ cum suo magno exercitu parùm proficere potuit (*d*), quia jam per mensem ibi moram fecerat, et in nullo eis nocere potuit, nisi ex parte illa ubi tentoria sua fixerunt; ibi enim positæ erant machinæ suæ bellicæ. Erant quidem infra Vernolium tres burgi præter castellum, et unusquisque illorum separatus erat ab altero, et interclusus forti muro et fosso aquâ pleno; C et unus illorum dicebatur magnus burgus, et ibi extra murum fixa erant tentoria Regis Franciæ, et machinæ illius bellicæ. In fine autem illius mensis, cùm burgenses de burgo [magno] vidissent quòd victus et necessaria eis defecissent, nec haberent quid manducassent; compulsi fame et inopiâ, inducias triduanas ceperunt a Rege Franciæ, ut liberè irent et exirent ad Regem Angliæ dominum suum propter succursum; et nisi infra sequens triduum ab eo succursum haberent, redderent ei burgum illum quem habebant. Et statutus est eis dies peremtorius in vigilia Sancti Laurentii *, et dederunt inde obsides Regi Franciæ. Et ipse juravit eis, et per præceptum ejus Comes Rodbertus frater ipsius, et Comes Henricus [Trecensis], et Comes Theobaldus [Blesensis], et Willelmus Archiepiscopus Senonensis, eis in verbo veritatis promiserunt quòd, si statutâ die burgum illum reddiderint, Rex Franciæ redderet eis obsides suos, et nullum D damnum eis faceret, nec ab aliis fieri permitteret (*e*). * An. 1173.

Instabat itaque dies ille peremtorius; et Rex Angliæ, congregato exercitu suo, quem de Normannia (*f*) habere potuit, venit usque Concas *, ducens secum Braibancenos suos, de quibus plusquàm decem mille habuit, et in crastino ibidem moram fecit, exspectans partem exercitùs sui, quæ nondum venerat. In sequenti autem die, scilicet VI Idus Augusti, feriâ quartâ, Rex Angliæ præliaturus cum Rege Franciæ, venit cum exercitu suo ad castellum (*g*) de *Bre-* * *Conches.*

» qui tenuerunt cum Henrico Rege Angliæ, contra filios suos : Ricardus Cantuariensis Archiepiscopus, Rogerus Eboracensis, cum omnibus Episcopis Angliæ; Archiepiscopus Rotomagensis, et omnes Episcopi Normanniæ, præter Arnulfum Episcopum Lexoviensem, qui recepbat parentes suos malefactores. Et in Anglia Reginaldus Comes Cornubiæ, Hemelinus Comes Warennæ, Willelmus Comes de *Aubemarl*, Willelmus Comes de *Arundel*, Robertus Comes de *Gloucestre*, Comes de *Salesbirie*, Willelmus de *Mandevil* Comes Exexæ, Henricus de *Lasci*, Willelmus de *Vesci*, Heveraddus de *Ros*, Galfridus *Trussebut*, Ricardus *Luci*, Ricardus de *Humez* et omnes filii et fratres ejus, Robertus de *Stutevil* et filii et fratres ejus, Odelinus d'*Umfravil*, Robertus de *Brus* et Adam *Brus*, Ricardus *Luvetof*, Ricardus de *Albeni*, Willelmus de *Aubeni*, Humfridus de *Boun*, Bertramnus de *Verdun*, Johannes Constabularius Cestriæ, Gaufridus Lincolniæ Electus, Ricardus Comes de *Striguil*, Philippus de *Kima*, Simon frater ejus, Simon Comes de *Norhamtun*, Gwido de *Ver*, » David et *Cuayn* Reges Walliæ ». *Hæc e Ms. codice altero, quo usus Hearnus.*

(*a*) *Bromton* « quod adhibitis machinis fortiter » oppugnatum, etc. »

(*b*) Hovedenus : *Et paulò post obiit sine prole.*

(*c*) Ibid. *Et Rex Angliæ filius.*

(*d*) Hovedenus : *Vix expugnavit portiunculam villæ illius, ex parte illa ubi machinæ suæ bellicæ positæ erant.*

(*e*) Hovedenus : *His ergo ita concessis, supradicti burgenses venerunt ad dominum suum Regem Angliæ, et indicaverunt ei conventionem quam fecerant cum Rege Franciæ et cum Rege filio suo. Quo audito, Rex Angliæ*, etc.

(*f*) Ibid. *Et de aliis terris suis.*

(*g*) Hovedenus : *Castellum Roberti Comitis Leicestriæ, quod ipse Comes in adventu suo fugiens sine custode reliquerat : quod ipse Rex totum redegit in cineres. Et in crastino præliaturus cum Rege Franciæ, processit usque in montem altum prope Vernolium cum exercitu suo, et disposuit acies suas ad bellum; et dies ille erat dies peremptorius, in quo portio illa de Vernolio reddenda erat, nisi haberent succursum.*

Digitized by Google

* *Breteuil.* *tuil* *, quod tunc habuit in manu sua, (nam Comes Leicestriæ, ad Regem Franciæ fugiens, sine custode reliquit illud), et ibi in eminentiori loco Rex construxit acies suas bellicas ex equitibus et peditibus. Erant autem ibidem cum Rege duces exercitûs, Willelmus Comes de Mandevilla, Willelmus Comes de *Arundel*, Johannes Comes de *Vendôme*, Ricardus de *Humet* Constabularius, Ricardus filius Comitis, Ricardus de *Vernun*, Jordanus *Tessun*, Henricus de Novo-Burgo. Ordinatis itaque aciebus, Willelmus Comes de *Arundel*, vir strenuus et bellicosus, stans in medio cohortum, sic ait : A

« Proceres Normannigenæ clarissimi, meminisse vos vestri nominis et generis » præliaturos decet. Perpendite ergo qui et contra quos, et ubi bellum gerere » debeatis. Nemo vobis impunè restitit, ferax enim Anglia, et dives Apulia » et Jerusalem famosa, et insignis Antiochia, vires vestras expertæ, vobis succubuerunt. Nunc autem Rex Franciæ et sui, quos semper in patria sua pe- B » tivimus et vicimus, in patriam nostram, ritu transverso, ebrii et dementes, * *Al.* proh pudor ! » proh dolor *! convolaverunt. Attollite igitur animos, viri elegantes, et adversùs nequissimum hostem, freti præsentiâ, immò virtute Dei, exsurgite. Tegat » vobis galea caput, lorica pectus, ocreæ crura, totumque corpus clypeus, et » ubi feriat hostis nudum non inveniat. Et procedentes adversùs nequissimos » hostes, quid dubitamus? An numerum? Sed non tam numerus multorum, » quàm virtus paucorum bellum efficit. Quid igitur confert vobis gloria paren- » telæ, exercitatio solemnis, disciplina militaris, nisi plures vincatis, cùm sitis » pauciores illis? Præterea considerate in cordibus vestris, quàm injustè et » contra præceptum Dei Rex Franciæ temeritatem et errorem filiorum invic- » tissimi Regis Angliæ domini nostri contra eum et voluntatem ipsius fovet. » Ponite ergo in Domino Deo spem vestram, et pugnate viriliter; quia Christus C » filius Dei vivi, qui factus est obediens patri usque ad mortem, in mentibus » filiorum Regis domini nostri hodie filialem obedientiam inspirabit; vel » ostendens se Deum nolentem iniquitatem, hodie puniet scelus perfi- » dorum Francigenarum, qui in tantum illos seduxerunt, quòd, ordine » humanitatis oblito et naturæ lege solutâ, insurrexerunt filii in parentem, in » genitorem geniti. Præterea unum est, fortissimi proceres, quod vobis firmiter » ingerere volo, quòd nulla potest esse fugientibus reversio; nam ita circum- » dati sumus undique hostibus nostris : et ideo, quia nulla spes fugæ est, hoc » solum superest ut vincamus vel occumbamus. Sed Deus omnipotens qui ju- » dicat populos in æquitate, respiciat nos hodie oculis misericordiæ suæ; et qui » per servum suum David superbiam Goliæ confregit, ipse conterat hodie super- » biam inimicorum nostrorum ». Et sonuerunt montes et colles : « Amen, amen ». D

Vixque finierat, et omnes, extensis in cœlum manibus, terribili clamore fugam abjuraverunt. Et adhuc illis clamantibus, ecce Willelmus Senonensis Archiepiscopus, et cum eo Comes Rodbertus frater Regis Franciæ, et Comes Theobaldus, qui semper Regi Angliæ speciem dilectionis sub velamento iniquitatis et perfidiæ prætendebat, venerunt ad eum, missi a Rege Franciæ : dicentes ei quòd Rex Franciæ cum eo pacificè loqui vellet, de pace tractanda inter illum et filios suos. Credidit ergo eis Rex, et concessit eis inducias usque in crastinum (*a*). Et ceperunt colloquium inter ipsum et Regem Franciæ, et filios suos ibidem in crastinum, et reversus est Rex cum exercitu suo usque ad Concas ad castra sua, unde recesserat. Manè autem facto, iterùm venit Rex cum exercitu suo ad locum colloquii; sed magna pars exercitûs sui animosior erat ad bellandum die præcedenti, quàm tunc fuerat. Namque pedites onerati ar- E mis, et longo itinere fatigati, cœperunt intra se dicere : « Semper nocuit dif- « ferre paratis. Quare enim heri non pugnavimus, cùm minùs fatigati essemus? » Sed alii qui arma sæpiùs tractare solebant, dixerunt hoc cautiùs factum fuisse : sicque plebs per diversa trahebatur. Et jam appropinquante horâ diei nonâ, cùm jam hora colloquii præterisset, nec Rex Franciæ, nec aliquis ex parte

(*a*) Hovedenus sequentia in hunc modum contrahit : *Et credidit illis Rex Angliæ malo suo, quia deceptus est. Rex namque Franciæ in crastino nec ad colloquium venit, nec nuncium misit. Rex autem Angliæ miserat exploratores suos ad explorandum statum Regis Franciæ et exercitûs ejus, et dum exploratores illi moram facerent, reddita est Regi portio illa de Vernolio, quam obsederat. Sed ipse non ausus eam retinere, transgressus est sacramenta quæ ipse burgensibus fecerat : ipse namque obsides eorum non reddidit, nec pacem quam promiserat, servavit; sed villam intravit, burgenses captivavit, catalla eorum asportavit, burgum incendit, et fugiens duxit secum in Franciam prædictos burgenses.*

Digitized by Google

A sua ad colloquium venisset; Rex Angliæ et sui versùs Vernolium respicientes, viderunt fumum teterrimum, et post fumum flammas ignium consurgere. Et stupor apprehendit omnes, mirantes quid hoc esset.

Illâ autem die, erat dies peremtorius, in quo ex necessario oportebat prædictos burgenses succursum habere, vel burgum, ut supra dictum est, tradere Regi Franciæ. Cùmque hora statuta advenisset, et succursum non haberent, reddiderunt Regi Franciæ prædictum burgum : quem ipse suscipiens, securitatem quam ipse et sui eis fide et sacramentis, ut jam diximus, interpositis, promiserant, non respexit; sed burgum comburens, et burgenses et eorum obsides, cum omnibus catallis suis, secum captivos duxit in Franciam : sicque ad dedecus et sempiternum sui opprobrium, cum exercitu suo viliter et ignominiosè aufugit, non ausus exspectare impetum Regis Angliæ. Interim
B Rex Angliæ, in eminentiori loco constitutus, exspectabat reditum exploratorum suorum; erat enim cor ejus pavens pro Vernolio. Redeuntes autem exploratores sui nunciaverunt ei quòd Rex Franciæ conversus esset in fugam. Cùmque hoc nunciatum esset Regi Angliæ et exercitui suo, in ore gladii secuti sunt illos, et multi ex illis ceciderunt die illâ in ipsa fuga, et multi capti, quorum non est numerus. Et ut in memoria habeatur, sciendum est quòd hæc fuga Regis Franciæ facta est quintâ feriâ, v Idus Augusti *, in ipsa vigilia * An. 1173.
sancti Laurentii, ad laudem et gloriam Domini nostri Jhesu-Christi, qui puniendo scelus perjurii, injuriam Martyri suo illatam tam celeriter vindicavit.

Itaque Rex Angliæ, summâ potitus victoriâ, in ipso noctis crepusculo venit Vernolium, et ibi totâ nocte cum suis moram fecit, et muros qui ceciderant, reædificari præcepit. Et in crastino recedens inde, castellum de Damvilla, Gil-
C leberti de Tileris, et multos milites et servientes in eo cepit. Et inde venit Rotomagum; et statim misit inde Braibancenos suos, de quibus plus cæteris confidebat, versùs Britanniam. Nam Hugo Comes Cestriæ et Radulfus de Fulgeriis cum Britonibus terram ipsius circumquaque vastabant, et jam reddita erat illis turris de Dolo, et ibi occurrerunt eis Braibaceni (*a*) Regis, et prælium ibidem cum eis commiserunt, XIII Kal. Septembris, feriâ secundâ, circa octabas Assumptionis sanctæ Mariæ *. Itaque disponitur propè bellum, acies di- * An. 1173.
rigitur, pugna paratur. Igitur bello commisso, prosternuntur hostes, Britones cadunt et vincuntur. Et eâdem die Comes Cestriæ et Radulfus de Fulgeriis victi sunt, et multi capti sunt in fuga illa, et multi interfecti. Comes verò Cestriæ et Radulfus de Fulgeriis cum parte exercitûs sui incluserunt se infra turrim Doli, quam dolo ceperunt; et Braibaceni Regis victoriâ potiti, illos
D circumquaque obsederunt, et statim rei eventum Regi mandaverunt. Capti sunt autem in illa fuga decem et septem milites, quorum nomina hæc sunt : Hasculfus de sancto-Hylario, Willelmus Patricius, *Patric* de Landa, Haimo de Falcilia, Gaufridus *Farsi*, Willelmus de *Rivelent*, Radulfus de *Sens*, Johannes Pincerna, Vicarius de Dolo, Willelmus de Logis, Willelmus de Mota, Rodbertus de *Treham*, Paganus Cornutus, Johannes de Charrueris, Reginaldus * * *Al.* Radulfus
Pinzun, Reginaldus de Campo-Lamberti, Eudo Bastardus (*b*).

In crastino autem apud Rotomagum pervenit rumor ille ad aures Regis Angliæ, et multùm ipsum et omnes qui eum in veritate diligebant, exhilaravit; et ipse statim iter arripuit versùs Dolum. Et cùm illuc venisset feriâ quintâ, statim fecit parari perrarias suas, et alias machinas bellicas. Comes verò Cestriæ, et qui infra turrim cum eo erant, non valentes eam deffendere, reddiderunt illam (*c*) Regi, proximâ die Dominicâ sequente, scilicet VII Kal. Septembris *. * An. 1173.
E Et capti sunt in ea multi milites et servientes, quorum nomina hæc sunt, Hugo Comes Cestriæ, Radulfus de Fulgeriis, Willelmus de Fulgeriis, Haimo Spinæ, Leones (*d*), Rodbertus Patricius, *Engeram* Patricius, Ricardus de *Luvetot*, *Gwigain Gwiun*, Oliverus de Rupe, Alanus de *Tintiniac*, Juellus filius Radulfi de Fulgeriis, Gillo de Castello-*Girun* (*e*), Philippus de *Landewi*, Wil-

(*a*) Hovedenus : *Appropinquantibus autem illis, Comes Cestriæ et Radulfus de Fulgeriis venerunt obviam illis.*

(*b*) *Præterea*, inquit Hovedenus, *multi capti sunt tam equites quam pedites, et plus quam mille quingenti de Britonibus interfecti sunt.*

(*c*) Hovedenus : *Similiter et tota Britannia reddita est ei cum munitionibus ejus, et Principes ejus ducti sunt in captivitatem.*

(*d*) Hoved. *Ceones*, utrobique corruptè. Legendum fortè *Comes*, ut supra p. 152, quo nomine designatur Eudo de *Porhoet*, prout ex altero Hearni codice comperimus.

(*e*) In alio exemplari : *Et alii plus quàm octoginta milites magni nominis*, quam lectionem secutus est Johannes *Bromton*.

Digitized by Google

lelmus de *Gorram*, Juellus de Meduana, Gaufridus de Buisserio, Reginaldus A
de Marchia, *Lemarchis*, Erveius de *Vitri*, Hamelinus de *Eni*, Willelmus de
sancto-Bricio, Willelmus *del Casteller*, Willelmus de *Orenge*, Radulfus *Wintras*,
* *Al.* Grumbaldus Rodbertus Pincerna, Henricus de *Grai*, Frumbaldus * filius *Hakec*, Gaufridus
Abbas, Johannes *Caurcin*, Johannes de *Breerrec*, Hugo *Havenel*, Hamelinus
* *Al.* Swalo. de Pratellis, Gwado * *de la Basoche*, Secardus *Burdin*, Walterius Buio *, Johenp
* *Al.* Bruo. *Ramazt*, Hugo de *Buissai*, Jordanus de *Maszua*, Henricus de sancto-Hylario,
Philippus de sancto-Hylario, fratres Hasculfi, Bartholomæus de Buisseria, He-
* Al. *Bauran de Tanet.* rebertus de Buillo, *Bauzan* * *de Nalet*, Rollandus filius Radulfi, Roellinus
filius Radulfi, Gaufridus de *Minihac*, Gwido *Butefac*, Jeldeuinus *Gwiun*,
Juellus de Ponte, Hamelinus Abbas, Rodbertus de Baiochis, Elias de *Au-*
benni, Reginaldus Cattus, Johannes de *Scurtizt*, Philippus de *Luvenni*, Hen-
ricus de Vastiniis, Henricus de sancto-Stephano, Willelmus de Capella, Ro- B
gerus de Logis, Bencellardus de Serlando, Willelmus de Bosco-Berengerii,
Johannes de Ruella, Oliver de *Munsorel*, Hamundus de Rocheforda, Rodbertus
* Al. *Tomal.* de Spineto, Johannes *des Loges*, Gaufridus *Carloel*, Radulfus de *Toumai* *,
* Al. *li Poters* Gillebertus de *Croe*, Radulfus Portarius *, Radulfus Pulcinus, Matthæus de
Praeriis, Ricardus de *Cumbrai*, Willelmus le *Franzais*, Oliver *Ruande*, Ra-
dulfus *Ruffin*, *Springaud*, Rogerus de Chevervilla, Willelmus de *Logis* (*a*).

* An. 1173. Eodem anno, circa festum sanctæ Mariæ-Magdalenæ *, Reginaldus Comes
Cornubiæ avunculus Regis, et Ricardus de *Luci*, cum exercitu Angliæ ob-
sederunt Leicestriam, et eam ceperunt, et totam combusserunt : datâ priùs
licentiâ burgensibus liberè exeundi cum catallis suis, et manendi ubi vellent
in terra Regis, donec pax fieret in terra, et tunc revertendi ad terras suas;
sed castellum Leicestriæ non ceperunt. C

Itaque postquam prædictus Comes Cestriæ reddidit Regi turrim Doli, ipse
Rex in Nativitate Beatæ Mariæ tenuit curiam suam apud Cenomannum, et
ibi moram fecit usque ad Exaltationem sanctæ Crucis. Et inde reversus est in
Normanniam, et habuit colloquium inter ipsum et Lodowicum (*b*) Regem Fran-
ciæ, VIII Kal. Octobris, feriâ tertiâ, de pace facienda inter ipsum et filios
suos, apud Gisortium. In quo colloquio, Rex Angliæ obtulit Regi filio suo
medietatem reddituum dominicorum suorum Angliæ, et quatuor idonea castella
in eadem terra; aut si filius suus mallet morari in Normannia, Rex obtulit
ei medietatem reddituum Normanniæ, et omnes redditus terræ patris sui, et
tria castella in Normannia idonea (*c*). Ricardo etiam filio suo obtulit medieta-
tem reddituum Aquitaniæ, et quatuor castella in eadem terra idonea. Gaufrido
etiam filio suo parvulo obtulit terram illam, quæ contingebat jure hæreditario D
filiæ Comitis Conani, si idem præfatam mulierem, assensu domini Papæ, posset
sibi in matrimonium copulare. Supposuit etiam Rex se omninò arbitrio Archie-
piscopi Tarentensis et Legatorum domini Papæ, ut tantum de redditibus
suis superadderet et daret filiis suis, quantùm illi dicerent æquum, retentâ sibi
justitiâ et regiâ potestate. Sed non fuit de consilio Regis Franciæ, quòd filii
Regis hanc pacem cum patre suo facerent (*d*). Iterùm tamen convenerunt inter
Gisortium et *Trie* in crastino, ad pacem faciendam, et non potuerunt inter
eos convenire. Sicque finito colloquio, milites Regis Angliæ militarem inierunt
conflictum (*e*) cum militibus Regis Franciæ : in quo conflictu Ingeramnus de
Tria, dominus castelli de Tria, captus a Comite Willelmo de Mandevilla,
venit usque Gisortium, et ibi reddidit se prisonem in misericordia Regis
Angliæ. E

Statim verò post illud colloquium, Robertus Comes Leicestriæ, missus a
Rege Franciæ et a juvene Rege cum exercitu, transfretare in Angliam festi-

(*a*) Hovedenus : *Et alii multi quorum nomina non scribuntur in libro hoc. Post has igitur victorias quas Deus contulit Regi Angliæ filio Matildis Imperatricis, Rex Franciæ et fautores sui deciderunt in desperationem, et modis omnibus nitebantur ut pax fieret inter Regem Angliæ et filios suos.*

(*b*) *Convenerunt ergo ad ultimum,* inquit Hovedenus, *inter Gisortium et* Trie, *Lodovicus Rex Francorum cum Archiepiscopis, Episcopis, Comitibus et Baronibus regni sui, adducens secum Henricum et Richardum et Gaufridum, filios Regis Henrici Angliæ; et Henricus Rex pater cum Archiepiscopis, Episcopis, Comitibus et Baronibus terræ suæ.*

(*c*) Hovedenus : *Et unum castrum in Andegavia idoneum, et unum castrum in Turonica idoneum.*

(*d*) Addit Hovedenus : *In eodem autem colloquio Robertus Comes Leicestriæ multa convicia et opprobria dixit Regi Angliæ patri, et apposuit manum gladio ut percuteret Regem; sed prohibitum est ei a circumstantibus, et sic finitum est colloquium.* In crastino autem colloquii, etc.

(*e*) Inter *Curteles* et *Gisors*, inquit Hovedenus.

Digitized by Google

A navit. Itaque circa festum sancti Lucæ * Evangelistæ, prædictus Comes, et uxor sua Comitissa Leicestriæ, applicuerunt in Angliam cum infinito exercitu Flandrensium, usque ad *Frèmigham*, castellum Comitis Hugonis *Bigod*, [et] eum eo per aliquot dies ibidem moram fecerunt. Et nunciatum est per circumjacentes regiones applicuisse ipsum in Angliam cum magno exercitu extranearum gentium; et gravisi sunt inde valdè inimici Regis, et qui eum diligebant ultra modum contristabantur de ejus adventu. Timuerunt enim valdè ejus minas et gravamen ipsius. Et prædictus Comes Leicestriæ, statim post festum omnium Sanctorum (*a*) obsedit castellum de *Haghenet*, quod Radulfus de *Broc* habuit in custodia, et infra quartum diem cepit. Et cùm inde procedere vellet versùs Leicestriam, nunciatum est ei magnam militum copiam apud sanctum Eadmundum convenisse : unde ipse perterritus, reversus est (*b*). Cùmque hoc B nunciatum esset Ricardo de *Luci* [Justiciario Angliæ], et Humfrido de *Boun* Constabulario Regis, qui profecti fuerant cum magno exercitu ad devastandam terram Regis Scotiæ, et jam combusserant *Berewic* terram Regis Scotiæ, et totam circumjacentem provinciam; ceperunt inducias a Rege Scotiæ usque ad festum sancti Hilarii, et dederunt inde obsides hinc inde. Et sic, quà citiùs potuit, Humfridus de *Boun* pervenit usque ad sanctum Eadmundum, exspectans ibi adventum Comitis Leicestriæ, qui adhuc, ut supra dictum est, moram fecit cum Comite Hugone *Bigod*. Venit autem illuc ad eorum subsidium Reginaldus Comes Cornubiæ avunculus Regis, et Comes Gloucestriæ, et Willelmus Comes de *Arundel*.

* An. 1173.

Appropinquante igitur festo * omnium Sanctorum (*c*) venit Comes Leicestriæ cum exercitu suo non longè a sancto-Eadmundo (in loco qui dicitur *Forneham*, C in quodam marisco, non longè ab Ecclesia sanctæ Jenovefæ) et sperabat se posse transire sine impedimento. Cùmque ejus adventus nunciatus esset Comiti Cornubiæ, et Comiti de *Arundel*, et Humfrido de *Boun* Constabulario, qui ibi erant cum ccc militibus solidariis Regis; exierunt armati, præferentes sibi vexillum beati Eadmundi Regis et Martyris. Et ordinatis aciebus suis, in virtute Dei et gloriosissimi Martyris sui Eadmundi, percusserunt aciem in qua Comes Leicestriæ erat, et in momento, in ictu oculi, victus est ille Comes et captus, et uxor sua, et Hugo de Castellis quidam nobilissimus Baronum Franciæ, et omnis exercitus ejus versus est in fugam, et ceciderunt in prælio illo plusquàm decem millia Flandrensium, et plures eorum capti sunt et incarcerati (*d*), et vix unus eorum evasit. Factum est autem hoc prælium XVII Kal. Novembris, et statim divulgatus est hujus rei eventus per D totam Angliam, et factus est timor magnus per totam Angliam super omnes inimicos Regis. Pervenit et rumor ille in Franciam ad Lodowicum Regem Franciæ, et ad juvenem Regem, qui eos in Angliam miserunt, et contristati sunt valdè inde, et plusquàm dici potest ex eo tempore timuerunt Regem Angliæ, quia Deus erat cum eo. Cùmque Rex Angliæ audisset quòd inimici sui ita victi essent in Anglia, et quòd Comes Leicestriæ et uxor ejus caperentur; misit pro eis ut ad eum ducerentur in Normanniam : sicque factum est. Et cùm ad eum venissent, fecit eos incarcerari apud Faleysiam, et Comitem Cestriæ cum eis.

* An. 1173.

Appropinquante verò festo * sancti Martini, Rex ivit in Andegaviam cum Braibacenis suis. Et circa octabas sancti Martini, venit ad eum Gaufridus de Haya, et reddidit ei castellum et villam de Haya. Et statim redditum est ei E castellum de *Prulli*, et castellum de *Campenni*, quod Robertus de *Blé* contra eum tenuit. Et ipse cepit in illo multos milites et servientes, quorum nomina hæc sunt : Hemericus de *Blé*, Baldewinus de Brischaia, Hugo de *La-loc*, Hugo *le Danais* *, Hugo de Mota, Willelmus de *Rivau*, Symon de *Bernezai*, Jo-

* *Al.* de *Danars.*

(*a*) Mendum cubat in hac nota chronologica, ut patet ex subsequentibus. Joannes *Bromton*, qui ex Abbate nostro Petroburgensi multa exscripsit, legebat : *tandem de numero Sanctorum* [fortè *suorum*] *confidens*. Cæterùm nihil horum invenies apud Rogerum Hovedenum, qui Petroburgensem minùs serviliter secutus est.

(*b*) *Bromton* : « Ad *Fremyngham* castrum Hugonis » *Bigot* reversus, moram per dies aliquot secum » fecit ».

(*c*) Hovedenus : *Prædictus Comes Leicestriæ recessit de* Fremyngham *ad Leicestriam iturus, venitque, etc.*

(*d*) Hovedenus : *Cæteri autem omnes capti et vinculis et carceribus mancipati, fame et inopiâ perierunt. Comes verò Leicestriæ et uxor ejus, et Hugo de Castellis, et cæteri ditiores qui cum eis capti fuerant, missi sunt in Normanniam ad Regem patrem, et Rex incarceravit eos apud Falesiam, et Hugonem Comitem Cestriæ cum eis.*

Digitized by Google

hannes *Maumune*, Hubertus *Ruscevaus*, Willelmus de *Maingot*, Saerus *Turreis*, A
* *Al.* de Ponis Johannes de *Campenni*, Walterus de *Poerce* *, Brice de *Ceaus*, Hemericus *Ripaut*,
* Al. *Champemain.* Rodbertus Anglicus, Grossinus *Champmaen* *, Isembertus *Wellun*, Gaufridus
* *Al.* Casteius *Carre*, Paganus Judex, Willelmus *Burgun*, Masteius * homo Saeri de *Turreis*,
Gwiardus homo Johannis *Maumune*, Rogerus homo Willelmi *Rivau*, Petrus
* supra *le Danais.* homo Johannis de *Campenni*, Philippus homo Hugonis *le Dais* *, Russellus homo
Huberti *Ruscevaus*; Hulgerius, Hemericus, homines Petri de *Posci*; Hosmundus
Everardus, homines Hemerici de *Blé*; Gillebertus, Albinus, homines Hugonis
de *La-loc*; Brito, Gaufridus, homines Walteri *Poence*; Hemericus, Petrus,
homines Hugonis de Mota; Brito, *Swennun*, homines Symonis de *Bernezai*.

* An. 1173. Circa festum * sancti Andreæ, venit Rex cum Braibacenis suis ad Vendo-
* Burchardus miam, quam Brachardus * de *Lavardin*, patre suo * Comite de Vendomia expulso,
* Joanne. contra Regem tenuit, et eam cepit, et inde rediit in Normanniam. B

Eodem anno, Lodowicus Rex Franciæ honoravit armis militaribus Ricardum Ducem Aquitaniæ, filium Regis Angliæ....

Adveniente autem anno ab Incarnatione Domini MCLXXIV, Rex Angliæ tenuit curiam suam in Natale Domini apud Cadomum in Normannia, et cepit inducias a Rege Franciæ a festo sancti Hilarii usque ad clausum Pascha. Similiter Rex Franciæ cepit ab eo inducias usque ad prædictum terminum....

Et statim post clausum Pascha, acceptis priùs trecentis marchis argenti de terris Baronum de Northumberlanda, Rex Scotiæ promovit exercitum suum in Northumberlandam, et ibi per Scotos et Walenses execrabiliter egit... Et sciendum est quòd Rex Scotiæ captus fuit apud *Alnewic*, tertio Idus Julii, Sabbato, et eâdem die applicuit apud *Hertepol* Comes Hugo de
* super Secanam. *Hoved.* *Bar* *, nepos Hugonis Dunelmensis Episcopi, cum quadraginta militibus de C
Francia et cum quingentis Flandrensibus, pro quibus prædictus Episcopus miserat. Et cùm hoc nunciatum esset prædicto Episcopo, et sciret quòd Rex Scotiæ caperetur, noluit illos quingentos Flandrenses diutiùs retinere : sed datis eis liberationibus et donis suis XL dierum, permisit illos clam repatriare. Sed secum retinuit Comitem Hugonem, et milites qui cum eo venerant, et tradidit eis castellum suum de Alvertona ad custodiendum....

Interim Ricardus Cantuariensis Electus, et Reginaldus Bathoniensis Electus, Romam profecti pro electione sua et aliorum Electorum Angliæ confirmanda, multos adversarios de Francia, et plures et duriores de Anglia, invenerunt contra eos in curia Romana. Nam novus Rex Angliæ, volens illorum electiones impedire, si posset, misit nuncios suos cum nunciis Regis Franciæ ad Alexandrum summum Pontificem, mandans et observans ne confirmaret D
electiones illas, quia factæ fuerant contra ipsius voluntatem et assensum. Noluit tamen summus Pontifex mandato ipsius consentire, sed ipsum Cantuariensem Electum consecravit....

* An. 1174. (*a*) Adveniente itaque Nativitate * sancti Johannis Baptistæ, juvenis Rex Angliæ et Comes Flandriæ, per consilium Regis Franciæ, et per mandatum Comitum et Baronum Angliæ, paraverunt in Angliam venire cum magno exercitu. Et jam venerunt cum exercitu suo usque *Graverinhes* in Flandria, ubi naves suæ congregabantur.

Interim Rex Angliæ profectus fuerat cum exercitu suo in Pictaviam, et multas munitiones et castella in ea cepit, et dominio suo subjugavit. Et tandem pervenit usque ad Sanctonensem civitatem, et eam infregit, et duas turres in ea cepit, quarum una vocabatur turris major, et multos milites et servientes in E
eis. Et obsedit ibi Ecclesiam, ubi sedes episcopalis erat, quam milites et servientes contra eum munierant; et infra paucos dies eam cepit, et multos milites et servientes in ea. Et postea rediit in Andegaviam. Et circa festum sancti Barnabæ Apostoli, cepit *Ancenis* juxta Sanctum-Florentium, quæ fuit villa
Al. Guionu *Guivinou* * de *Ancenis*, et in ea munitionem fortissimam firmavit, et in manu sua retinuit; sed totam provinciam circumjacentem devastavit, et vineas et arbores fructiferas exstirpari fecit. Et postea rediit in Normanniam (*b*).

(*a*) Hovedenus : *Post Pascha, diruptis treugis, Henricus filius Regis Angliæ et Philippus Comes Flandriæ, magno congregato exercitu, in Angliam venire proposuerunt.* Sed non nisi ad Nativitatem sancti Joannis itineri se dedere.

(*b*) Addit Hovedenus : *Rege filio et Comite Flandriæ adhuc moram facientibus apud* Gravelinges ; *ventus enim erat illis contrarius, et transfretare non poterant.*

Digitized by Google

A Et circa octabas * Apostolorum Petri et Pauli, cùm audisset quòd Rex filius suus et Comes Flandriæ jam venissent ad naves suas cum magno exercitu, ad transfretandum in Angliam; postpositis omnibus aliis negotiis suis, usque ad Barbefluctum, ubi naves suæ congregatæ erant, transvolavit (*a*). Et statim navibus ascensis, in crastino applicuit in Angliam apud Suthamtonam, feriâ secundâ, VIII Idus Julii. Et adduxit secum utramque Reginam, et Braibacenos suos, et Comitem Leicestriæ et Comitem Cestriæ, quos statim cùm applicuisset in Angliam, custodiæ mancipavit. Et in crastino iter arripuit in peregrinatione ad sanctum Thomam Cantuariensem Martyrem. Et cùm appropinquasset, statim ex quo Ecclesiam vidit, in qua corpus beati Martyris sepultum est, equum in quo sedebat deseruit; et extractis calceamentis suis, nudus pedes, in pannis laneis processit (*b*) usque ad sepulcrum beati Martyris, in tanta humilitate et B cordis compunctione, ut credatur illius operis sine dubio exstitisse, qui respicit terram et facit eam tremere (*c*). * An. 1174.

Peractâ itaque peregrinatione suâ, Rex in crastino, scilicet die Sabbati, summo manè, indè recessit versùs Lundoniam. Eâdem verò die, scilicet III Idus Julii, captus fuit Rex Scotiæ apud *Alnewic;* et die Jovis sequenti, pervenit rumor ille, quòd Rex Scotiæ caperetur, ad aures Regis apud Lundonias, ubi ipse morabatur congregans exercitum suum. Quod cùm audisset Rex, gavisus est gaudio magno valdè, et gratias inde egit omnipotenti Deo et beato Thomæ Martyri. Et eâdem die promovit exercitum suum versùs Huntindoniam, et eam obsedit. Et in die Dominica sequenti, scilicet XII Kal. Augusti, redditum est ei castellum de Huntendonia; et omnes milites et servientes qui intùs erant, reddiderunt se ei in misericordia ipsius, salvis vitâ et membris. Et C statim Rex procedens inde, promovit exercitum suum versùs *Fremigham*, castellum Comitis Hugonis *Bigod*. Ibi ipse Comes erat cum magna multitudine Flandrensium : et cùm Rex venisset cum exercitu suo non longè a *Fremigham*, in loco qui dicitur *Seleham*, fixit tentoria sua. Et in crastino, scilicet VIII Kal. Augusti, et festo sancti Jacobi Apostoli, venit ad eum Comes Hugo *Bigod*, et fecit cum eo pacem, et reddidit ei castellum de *Fremigham* et castellum de Bungeia, et cum magna difficultate a Rege impetravit, quòd Flandrenses illi qui cum eo erant, sine impedimento repatriare possent (*d*). Et Rex inde recedens, venit cum exercitu suo usque Norhamtoniam, et illuc venit ad eum Hugo Dunelmensis Episcopus, et reddidit ei castellum de Dunelmo, et castellum de *Norham* et castellum de Alvertona; et vix ab eo impetravit quòd Comes Hugo de *Bar* (*e*) nepos suus, et milites qui cum eo per mandatum ipsius D venerant, sine impedimento in Franciam, unde venerant, redire possent. Et ibidem eâdem die, scilicet pridie Kal. Augusti, venerunt ad eum Anketillus *Mallore* et Willelmus de Diva, Constabularii Comitis Leicestriæ, et reddiderunt ei castellum Leicestriæ, et castellum de *Munsorel*, et castellum de *Grobi*. Et eâdem die ibidem venit ad eum Rogerus de *Mulbrai*, et reddidit ei castellum suum de *Treske*. Et ibidem venit ad eum Comes de Ferreris, et reddidit ei castellum de Tutesbiria, et castellum de Duffelda (*f*).

Cùm autem hæc per Angliam fierent, Lodowicus Rex Franciæ, revocato juvene Rege et Comite Flandriæ, qui ad mare erant ut in Angliam transfretarent, et congregato magno exercitu, obsedit Rotomagum (*g*); sed parùm proficere potuit. Nam Barones et milites Normanniæ, qui Regem in fide et veritate diligebant, ibi convenerant, et eam viriliter contra eum defendebant. Cùmque hoc nunciatum esset Regi, postpositis quibusdam negotiis suis, ad mare

(*a*) Hovedenus : *Et sicut domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum, qui virtute potenti vim venti mutavit in meliùs, et prosperum iter navigandi tam prosperum dedit illi, etc.*

(*b*) Ibid. *Per tria milliaria.*

(*c*) Addit Hovedenus : *Vestigia autem ejus in via quâ ambulabat, intuentibus apparuerunt sanguinolenta, et erant; sanguis enim multus a teneris pedibus ejus, lapidibus duris incisis, profluebat in terram. Cùm autem ad tumbam veniret, pium erat intueri afflictiones quas faciebat cum fletu singultuoso, et disciplinas quas de manu Episcoporum, Sacerdotumque plurimorum et Monachorum recepit. Ibidem etiam ante sepulcrum beati Martyris in oratione, in jejunio et planctu pernoctavit, adjutus plurimorum sanctorum virorum suffragiis. Bona autem et redditus, quos Ecclesiæ illi in remissionem peccatorum suorum contulit, a memoria Ecclesiæ nullâ poterunt ratione divelli.*

(*d*) Hovedenus : *Ibidem verò equus* Tostes *de Sancto Homero, cujusdam Militis Templi, percussit Regem in tibia, et multùm læsit.*

(*e*) Vel ejusdem filius nothus, ex Guillel. Neubrig. L. v. cap. XI.

(*f*) Hovedenus : *Sic igitur infra tres hebdomadas tota Anglia pacificata est, et omnes munitiones ejus traditæ sunt in manu Regis.*

(*g*) Ibid. *Ex omni parte, exceptâ illâ quam fluvius Sequana præterfluit.*

Digitized by Google

transvolavit; et navibus adscensis apud Portesmutam, in crastino applicuit apud A
* An. 1174. Barbefluctum in Normannia, scilicet VI Idus * Augusti, feriâ quintâ. Et duxit secum Braibacenos suos et mille Walenses. Et duxit secum Willelmum Regem Scotiæ, et Comitem Leicestriæ, et Comitem Cestriæ, et incarceravit eos apud Cadomum, et postea apud Falesiam.... Et die Dominicâ sequenti, venit Rex Angliæ cum Braibacenis et Walensibus suis Rotomagum, quam Rex Franciæ obsederat (*a*). Et in crastino summo manè, misit Wallenses suos ultra Secanam, ad nemora exploranda quæ fuerant ex illa parte, ubi Rex Franciæ erat cum exercitu suo. Et eâdem die (*b*) cùm irent per nemorà, obviaverunt XL carettis, quæ veniebant de Francia versùs exercitum Regis Franciæ, onustæ vino et victualibus. Et cùm caretarii vidissent eos, timuerunt valdè; et relictis mercibus suis, fugerunt; et Walenses eos sequebantur, et quosdam illorum ceperunt, quosdam verò interfecerunt. Et postea revertentes ad prædam suam, equos ex- B
traxerunt, et carettas et vasa vinaria fregerunt, et vinum effuderunt. Quòd cùm nunciatum esset Regi Franciæ et exercitui ejus, tali rumore perterriti, jam nihil nisi de fuga cogitabant.

Interim (*c*) Rex Angliæ portas civitatis, quas burgenses obstruxerant, reseravit; et exiens cum militibus et servientibus, fossam quæ facta fuerat inter exercitum Regis Franciæ et civitatem, fecit impleri lignis et lapidibus et terrâ, et in planum redigi, ita quòd ducenti milites per eam transire poterant. Tunc verò præcepit Rex Franciæ ut perrariæ et aliæ machinæ suæ bellicæ frangerentur (*d*) et comburerentur; et ita factum est. Et Rex Franciæ præcepit milites suos armari; et Rex Angliæ processit cum militibus et servientibus versùs tentoria Regis Franciæ. Et exierunt de tentoriis illis milites et servientes armati, et impetuosè congressi sunt cum militibus Regis Angliæ, et capti fuerunt ex C
illis quidam, et quidam vulnerati; multi tamen equi interfecti fuerunt ibi. Manè autem facto, Willelmus Senonensium Archiepiscopus et Comes Theobaldus venerunt ad Regem Angliæ, et ceperunt ab eo inducias; ita quòd Rex Franciæ liberè posset inde recedere cum exercitu suo, usque ad locum qui dicitur *Malhaunay*, et quòd in crastino veniret ibidem ad colloquium inter ipsos. Et fecerunt Regem Angliæ inde securum, fide et sacramentis. Et sic permisit Regem Franciæ cum exercitu suo in pace recedere usque ad prænominatum locum, et ibi tentoria fixerunt. Circa noctem verò mediam, Rex Franciæ milites suos fecit armari, et clam cum toto exercitu suo recessit inde, et non cessavit fugere, donec pervenisset ad terram suam; et non respexit fidem et sacramenta, quæ Archiepiscopus Senonensis et Comes Blesensis pro ipso fecerunt. Et sciendum est quòd Rex Franciæ fugit a Rotomago cum exercitu suo, XIX Kal. Sep- D
* An. 1174. tembris, feriâ quintâ *, in ipsa vigilia Assumptionis beatæ Mariæ (*e*).

Iterùm sequenti die (*f*), venerunt Rotomagum Archiepiscopus Senonensis et Comes Theobaldus, et ceperunt colloquium inter Regem Angliæ et Regem Franciæ in Nativitate beatæ Mariæ apud Gisortium. Itaque adveniente Nativitate beatæ Mariæ, venerunt ad colloquium apud Gisortium, et non potuit ibi inter eos convenire (*g*); sed aliud ceperunt colloquium inter se, ad festum sancti Michaëlis, inter Turonim et Ambasium : hoc pacto quòd Rex Angliæ iret interim in Pictaviam cum exercitu suo, ad debellandum Ricardum filium

(*a*) Hovedenus : *Rex Franciæ et Rex Angliæ filius obsederant ex una parte, ex altera verò parte patebat securus ingressus et egressus.*

(*b*) Ibid. *Qui per vim transeuntes per medium castrorum Regis Franciæ, illæsi pervenerunt ad nemus magnum, et eodem die plus quàm centum de hominibus Regis Franciæ interfecerunt.*

(*c*) Hovedenus : *Rex autem Franciæ vix per mensem ibidem moram fecerat, et ecce Rex Angliæ pater veniens de Anglia portas civitatis, etc.*

(*d*) Hovedenus aliquantulùm hìc a Benedicto discrepat : *Rex autem Franciæ et sui,* inquit, *erant in tentoriis, nolentes exire. Cæteri autem de familia Regis Angliæ stabant ad propugnacula murorum, sed nemo eis repugnabat. Pars quidem exercitûs Regis Franciæ intendebat dissolvere machinas suas bellicas. Et in crastino præmisit Rex Franciæ debiliores exercitûs sui in terram suam manè; et permissione Regis Angliæ eodem die secutus est eos, usque ad locum qui dicitur* Malaunai, *qui est inter Rotomagum et villam quæ dicitur* Tostes : *datâ priùs securitate per manum Willielmi Senonensis Archiepiscopi et Comitis Theobaldi, quòd ipse in crastino reverteretur ad colloquium cum Rege Angliæ, de pace facienda inter illum et filios suos. Rex autem Franciæ fidem et sacramenta non servans, ad colloquium non venit in crastino, sed abiit in terram suam.*

(*e*) Anno 1174, cùjus littera Dominicalis erat F, vigiliâ Assumptionis B. Mariæ, seu dies 14 Augusti, in feriam quartam incidebat.

(*f*) Hovedenus : *Paucis igitur evolutis diebus.*

(*g*) Ibid. *Propter Richardum Comitem Pictaviæ, qui tempore illo erat in Pictavia, expugnans castella et homines patris sui, et ideò aliud ceperunt inter se colloquium, hoc est, ad festum S. Michaëlis inter Turonim et Ambasiam, et statuerunt treugas inter se hâc conditione, quòd scilicet Richardus Comes Pictaviæ excluderetur a treugis illis, et quòd Rex Franciæ et Rex Angliæ filius nullum succursum ei facerent, etc.*

suum

Digitized by Google

A suum. Et ipsi juraverunt quòd nec Rex Franciæ, nec juvenis Rex, nec aliquis ex parte illorum, aliquo modo succursum faceret prædicto Ricardo. Et cùm venisset in Pictaviam, Ricardus filius suus non ausus erat illum exspectare; sed fugit ab omni loco in quo erat ille venturus, et reliquit castella et munitiones quas priùs ceperat, non ausus illas retinere contra patrem suum. Et cùm audiret quòd Rex Franciæ et juvenis Rex frater suus inducias cepissent a patre suo, et ipsum ab illis induciis exclusissent; indignatus est inde, et venit lacrymans, et cecidit in faciem suam pronus in terram ante pedes Regis patris sui, veniam ab eo postulans. Rex verò paternâ pietate commotus, recepit eum in dilectione et pacis osculo, et sic finivit Rex gwerram suam in Pictavia. Facta est autem hæc concordia inter Regem Angliæ et Ricardum filium suum in Pictavia, IX Kal. Octobris *, feriâ secundâ (*a*). * An. 1174.

B Facta est igitur longa contentio inter Regem Angliæ et filios suos; sed jam Regis patris familia [erat] crescens et proficiens, et filiorum suorum familia decrescebat quotidie. Unde factum est quòd Ricardus, per consilium patris sui, ivit ad Regem Franciæ et ad Regem fratrem suum, ut indicaret eis quod fecerat. Et instante festo sancti Michaëlis, convenerunt ad colloquium inter Turonim et Ambasium, in loco qui dicitur Mons-Laudatus *. Et in crastino S. Michaëlis, scilicet pridiè Kal. Octobris, feriâ secundâ, juvenis Rex et fratres sui, per consilium Regis Franciæ, reddiderunt se patri suo Regi Angliæ in misericordia sua, et cum eo hanc pacem subscriptam fecerunt, et eam sigillis suis confirmaverunt (*b*).... * *Montlouis.*

(*a*) Hovedenus : II *Kal. Octobris. Et ita Rex et Richardus filius ejus facti amici, civitatem Pictavis ingressi sunt. Deinde profecti sunt ambo simul ad colloquium inter Turonim et Ambasium, pridiè Kal. Octobris, feriâ secundâ, in crastino S. Michaëlis.*

(*b*) Hæc est concordia, quæ facta est inter Regem et filios suos.

« Notum sit tam præsentibus quàm futuris, » quòd pax inter dominum Regem et filios suos, » Henricum videlicet et Ricardum et Gaufridum, » in hunc modum, Deo volente, reformata est. » Henricus Rex filius Regis et fratres sui præ» dicti, ad patrem suum et ad servitium ejus, » sicut ad dominum suum redierunt, liberi et » absoluti ab omni juramento, et memprisa quam » inter se vel cum aliis fecerunt contra eum vel » homines suos; et omnes homines et Barones, » qui a fidelitate patris causâ eorum recesserant, » clamaverunt quietos ab omni juramento quod » eis fecerant, et ita quieti et liberi ab omni » conventione quam eis fecerant, in hominium » et ligantiam domini Regis redierunt. Et do» minus Rex debet rehabere ipse, et homines » sui et Barones sui, omnes terras suas et castella » sua, quæ habuerunt quindecim diebus antequam » filii sui recederent ab eo. Similiter et Barones » et homines sui, qui recesserunt ab eo et secuti » sunt filios suos, debent rehabere terras suas, » quas habuerunt quindecim diebus antequam » ipsi ab eo recederent. Et dominus Rex remisit » omnem malitiam Baronibus et hominibus suis » qui recesserunt ab eo, ita quòd propter hoc » nullum malum eis faciet, quamdiu fideliter » ei servient, sicut ligio domino suo. Et Rex fi» lius ejus similiter perdonavit omnibus, tam » Clericis quàm laïcis, qui cum patre suo fuerant, » omnem malitiam, et adsecuravit in manu do» mini Regis patris sui, quòd illis qui servierunt » ei nec malum nec damnum aliquod hac de » causa faciet vel perquiret in tota vita sua. Et » dominus Rex pro hac conditione donat Re» gi filio suo duo castella idonea in Norman» nia ad voluntatem patris ipsius, et singulis » annis quindecim millia librarum Andegaven» sium : et Richardo filio suo duo receptacula » idonea in Pictavia, unde Regi damnum non » possit provenire, et medietatem reddituum » Pictaviæ in denariis : Gaufrido verò filio suo » dat in Britannia in denariis medietatem mari» tagii filiæ Comitis Conani, quam ducere debet » in uxorem; et postquam concessione Romanæ » Ecclesiæ eam in uxorem duxerit, habebit om» nes redditus illius maritagii, sicut continetur » in charta Comitis Conani. Prisones verò, qui » cum domino Rege finem fecerunt ante factam » pacem cum domino Rege, videlicet Rex Sco» tiæ, et Comes Leicestriæ, et Comes Cestriæ, » et Radulfus de Fulgeriis, et obsides eorum, et » obsides aliorum prisonum quos priùs habue» rat, sint extra conventionem istam. Alii autem » prisones ex utraque parte deliberari debent; ita » scilicet quòd dominus Rex obsides accipiet a » prisonibus suis, de quibus habere voluerit, et » qui dare poterunt; et de aliis habebit securi» tatem per fidem et sacramentum suum, et » amicorum suorum. Castella verò quæ firmata » sunt et infortiata, postquam gwerra incœpit in » terra domini Regis, pro voluntate sua debent » redigi ad illum statum, in quo fuerunt XV die» bus ante gwerram. Præterea sciendum est quòd » Rex Henricus, filius domini Regis, concessit » domino Regi patri suo se quamfirmiter ob» servaturum omnes donationes eleemosynarum, » quas dederat vel daturus erat de terris suis, » et donationes terrarum quas dederat vel da» turus erat hominibus suis, pro servitio suo. » Concessit etiam se firmiter et inconcussè ob» servaturum donationem, quam dominus Rex » pater suus fecit Johanni fratri suo, videlicet » mille libratas reddituum in Anglia de domi » nio suo, et de excaetis suis ad voluntatem » suam, et pertinentiis suis; et castellum de No» tingham cum Comitatu, et castellum de Mer» leberga cum pertinentiis suis; et in Norman» nia mille libratas reddituum Andegavensium, » et duo castella in Normannia ad voluntatem » patris; et in Andegavia et in terra quæ fuit » Comitis Andegaviæ mille libratas reddituum » Andegavensium, et unum castellum in Ande» gavia, et unum castellum in Turonica, et unum » castellum in Cenomannia. Concessum est autem » a domino Rege, pro amore filii sui, quòd » omnes illi qui recesserunt ab eo post filium » suum, et in recessu suo forisfecerunt in terra » domini Regis, ad pacem ejus revertantur; ita » quòd de catallis, quæ asportaverunt in recessu » suo, non respondeant : de morte verò vel pro» ditione, vel perditione alicujus membri, res» pondeant secundùm judicium et consuetudi» nem terræ. Qui autem ante gwerram quacum» que de causa aufugerunt, et ad servitium filii » sui venerunt, pro amore filii sui ad pacem re» vertantur, si vagium et plegium dederint standi » judicio de his quæ ante gwerram forisfecerunt. » Illi autem qui in placito erant, quando re» cesserunt ad filium suum, ad pacem revertan» tur; ita quòd in eo statu placita sua sint, in » quo erant quando recesserunt. Hanc conven-

Digitized by Google

Anno ab Incarnatione Domini MCLXXV (*a*), Henricus Rex Angliæ, filius A
Mathildis Imperatricis, tenuit curiam suam in Natale Domini apud Argentomium in Normannia, et profectus inde in Andegaviam, munivit castella sua Pictaviæ cum custodibus. Et postea misit Ricardum filium suum in Pictaviam, et præcepit quòd castella Comitum et Baronum Pictaviæ, quæ efforciata fuerunt contra eum, redigerentur ad eum, statum in quo fuerunt XV diebus ante gwerram, et ut quædam illorum subverterentur. Et mandavit Ballivis suis Pictaviæ, quòd invenirent prædicto Ricardo filio suo necessaria. Et præcepit quòd omnis exercitus Pictaviæ esset ad voluntatem filij sui, et cum eo iret quò vellet, salvâ fidelitate suâ.

* An. 1175. In Purificatione verò sanctæ Mariæ *, fuit dominus Rex, et cum eo filius suus, apud Cenomannum, et inde venerunt ipsi duo in Normanniam. Et in festo sancti Mathiæ Apostoli habuerunt colloquium apud Gisortium cum Rege B
Franciæ. Et inde recesserunt transfretaturi in Angliam, et in Capite jejunii venerunt Rotomagum. Et dominus Rex, dimisso ibi Rege filio suo, ivit in Andegaviam, et munivit castella sua custodibus et victu. Et præcepit quòd castella quæ contra eum fuerunt infortiata, redigerentur ad eum statum, in quo fuerunt quindecim diebus ante gwerram, quædam verò illorum præcepit omninò destrui.

Post mediam verò Quadragesimam, rediit dominus Rex in Normanniam. Et cùm venisset Cadomum, mandavit Regi filio suo, qui interim moram fecerat apud Rotomagum, ut cum festinatione ad eum veniret, ad transfretandum secum in Angliam. Ipse verò ad patrem suum venire noluit; sed mandavit ei quòd nollet transfretare in Angliam. Veniebant enim ad eum frequenter apud Rotomagum nuncii Regis Franciæ, qui dehortabantur eum transfretare C
in Angliam; et dixerunt ei quòd, si pater ejus eum in Anglia teneret, eum in carcere poneret. Et ipse adhuc cereus erat in vitium flecti, nec ausus erat ad dominum suum Regem venire. Dominus tamen Rex iterùm et iterùm nuncios suos misit ad filium suum; et tandem adeo animi sui motum blandis et lenibus emollivit, quòd ille, relicto hostilitatis errore, ad voluntatem patris sui rediit, et venit apud Burum ad eum. Et ibi coram Rotomagensi Archiepiscopo, et Henrico Bajocensi Episcopo, et Comite Willelmo de Mandevilla, et Ricardo de *Humez* Constabulario, et aliis quàmpluribus familiaribus domini Regis, procidit pronus in terram ad pedes domini Regis patris sui, cum lacrymis postulans ut ab eo homagium et ligantiam (*b*) reciperet, sicut fecerat a fratribus suis. Et subjunxit quòd, si Rex homagium suum recipere nollet, non posset credere quòd illum diligeret. Tandem verò dominus Rex, pietate D
commotus et prece circumstantium, hominium et ligantiam ab eo cepit. Et his gestis, dominus Rex misit eum ad Regem Franciæ, ad loquendum cum eo. Et ipse interim ivit ad *Valones*, et ibi moram fecit per aliquot dies, et
* *Cherbourg*. inde ivit usque ad * Cæsaris-burgum. Et ibi in ipsa vigilia Paschæ, venit ad eum Rex filius suus, rediens a Rege Franciæ. Et ibi solemne festum Paschale cum magno gaudio tenuerunt.

* An. 1175. Ante Pascha * verò, dominus Rex misit Gaufridum filium suum in Britanniam, et præcepit ut castella quæ contra eum fuerunt, subverterentur et destruerentur. Die autem Veneris Passionis Domini, Filippus Comes Flandriæ crucem accepit in propria persona, proximâ æstate Jerosolymam iturus. Et die Martis proximâ post clausum Pascha, venit in Normanniam ad loquendum cum domino Rege, et cum Rege filio suo. Ipsi verò cùm audissent ejus adventum, E
occurrerunt ei apud Cadomum, et ibi dominus Rex et filius suus confirmaverunt prædicto Comiti cartis suis redditum quem ei dederunt in Anglia, scilicet *** (*c*) marchas argenti, recipiendas ad Scaccarium Angliæ. Et pro hac confir-

» tionem tenendam firmiter ex parte sua assecu-
» ravit Henricus Rex, filius domini Regis, in
» manu domini Regis patris sui. Præterea assecu-
» ravit Henricus Rex filius Regis et fratres sui, quòd
» a domino Rege patre suo nunquam ampliùs exi-
» gent ultra donationem præscriptam et deter-
» minatam, contra voluntatem et beneplacitum
» domini Regis patris sui, et quòd neque se
» neque servitia sua patri suo subtrahent. Ri-
» cardus verò et Gaufridus filii ejus devenerunt
» homines patris sui de his quæ eis concessit et
» dedit. Cùm autem filius ejus Henricus homi-
» nium ei facere voluisset, noluit dominus Rex
» ab eo recipere, quia Rex erat; sed securitatem
» accepit ab eo ».

(*a*) Hovedenus : *Qui est annus vicesimus primus regni Regis Henrici secundi, filii Matildis Imperatricis.* Hujus porrò anni gesta nimiùm contrahendo minùs perspicua effecit idem Hoved.

(*b*) Ibid. *Ut omnem ambiguitatem ab animo patris sui tolleret, devenit homo suus ligius.*

(*c*) *Mille*, ex Joanne *Bromton*.

Digitized by Google

A matione prædictus Comes clamavit juvenem Regem quietum de sua promissione, quam ei fecerat et cartâ suâ confirmaverat pro hominio suo; et cartam juvenis Regis quam inde habuit, tradidit in manu domini Regis. Et sic post magnos honores, quos Rex ei ibidem fecerat, ipse Comes, acceptâ a Regibus licentiâ, rediit in terram suam. Et Reges ipsi venerunt usque Barbefluctum, ut transfretarent in Angliam; et adscensis navibus suis apud Barbefluctum, applicuerunt in Angliam apud Portesmutam, VII Idus Maii, feriâ sextâ.....

Interim erat in Flandria quidam Miles, nomine Walterus de Fontanis, qui velut Lucifer inter minora sydera, sic inter commilitones suos nobili prosapiâ ortus, luce probitatis et scientiæ enituit. Hunc verò, cùm nota esset ejus probitas, ipsa Comitissa Flandriæ in amasium sibi adoptavit; adoptatum autem in sua recepit. Quod cùm prædictus Comes Flandriæ comperisset, prohibuit ei semel,
B secundò et tertiò, ne domum suam intraret; sed ut mos est humanæ fragilitatis semper niti in vetitum, ipse hujusmodi monita parvipendebat. Unde contigit quòd, cùm prædictus Comes et Comitissa sua essent apud Sanctum-Omerum, et Comes simulasset se inde recessurum; Comitissa nuncium quemdam, secreti sui conscium, clam destinavit ad prædictum Walterum de Fontanis amasium suum, significans ei Comitem inde recessisse; et præcepit ut ipse sine mora ad eam veniret. Ille itaque mandatis Comitissæ parere cupiens, festinanter ad eam venit, et in thalamo Comitissæ ab ea familiariter receptus est. Quod cùm nunciatum esset Comiti, ex insperato supervenit: et invento illo in thalamo, præcepit ut caperetur, et captus duceretur ad eum. Cùmque coram eo venisset, et in medio stetisset, interrogavit eum Comes quid quæsivit in thalamo suo, imponens ei quòd propter dedecus suum illuc venisset. Ille verò tendens
C in inficias, in quantum potuit contradicebat; et ut magis ei crederetur, obtulit se paratum esse innocentiam suam quo libuerit modo purgare, quòd propter dedecus suum illuc non venisset, sed quia Comitissa pro eo miserat. Comes verò ad omnia verba hæc non respexit, nec purgationem aliquam ab eo inde recipere voluit; sed in furore iræ suæ præcepit, ut ipse fustibus cæsus interficeretur. Circuierunt ergo eum carnifices, et ligatis pedibus et manibus, cum gladiis et fustibus eum cæciderunt, et semi-mortuum suspenderunt illum per pedes, inclinato capite deorsum, in quodam vilissimo cloacali foramine; et sic cloacali fœtore exstinctus, miserrimè vitam finivit. Tunc verò Aelisinus et filii (*a*) ipsius, cum Jakelino de Avenis, et reliqui parentes ejus, munitis castellis suis, insurrexerunt in Comitem (*b*), et sic iter Comitis Jerosolymitanæ profectionis diu impediverunt.

D Eodem anno*, Ricardus Comes Pictaviæ, filius Henrici Regis Angliæ, castella Pictaviæ, quæ contra patrem suum tempore hostilitatis infortiata vel retenta fuerant, per præceptum patris sui in nihilum redegit. Et circa festum sancti Johannis-Baptistæ, congregato magno exercitu, obsedit Castellonium supra *Agiens*, quod Arnaldus de Bovilla contra eum munierat, nec ei reddere voluit. Et paratis ibi machinis suis bellicis, infra duos menses cepit illud, et triginta milites in eo cepit, et in manu sua retinuit. Similiter Gaufridus Comes Britanniæ, filius prædicti Regis Angliæ, castella Britanniæ quæ contra patrem suum firmata fuerant, subvertit; et mala multa intulit hominibus patriæ illius, qui contra patrem suum tenuerunt tempore guerræ..... * An. 1175.

Paulò ante Natale Domini, eodem anno, obiit Reginaldus Comes Cornubiæ, avunculus Regis Angliæ, apud Certesam: cujus corpus delatum est
E usque Reddingas, et ibidem infra Monasterium Abbatiæ, quam Rex Henricus pater suus in honore Genitricis Dei ante suum decessum construxerat, honorificè sepultus est.....

Adveniente itaque anno MCLXXVI (*c*),... juvenis Rex, filius domini Regis, omnibus modis quibus potuit, attentavit impetrare a domino Rege patre suo licentiam eundi in peregrinatione ad sanctum Jacobum. Sed cùm pater suus percepisset hoc propositum non ex mera religione provenisse, sed ex pravo adulatorum suorum consilio, qui eum a dulcedine paternæ castigationis eripere nitebantur; animi sui motus, nunc asperis, nunc blandis emollire satagebat,

(*a*) Hovedenus: *Et cæteri filii prædicti Walteri de Fontanis.*

(*b*) Ibid. *Et terras suas igne et gladio devastaverunt. Et sic demùm coegerunt illum satisfacere illis de morte prædicti Walteri de Fontanis.*

(*c*) Hovedenus: *Qui erat annus vicesimus secundus regni Regis Henrici, filii Matildis Imperatricis.*

Digitized by Google

ut saltem sic a proposito illo eriperetur. At cùm dominus Rex nullo modo proficere potuit, tandem concessit ei ut transfretaret in Normanniam. Itaque acceptâ licentiâ a patre suo, ipse et Regina sua Portesmutam petierunt cum familia sua, ad transfretandum in Normanniam; sed ventus erat eis contrarius, et ideo per aliquot dies moram fecerunt apud *Porcestre,* prosperam auram exspectantes. A

An. 1176. Appropinquante igitur solemnitate Paschali, dominus Rex venit Wintoniam, et misit pro Rege filio suo, qui adhuc moram fecerat apud *Porcestre,* ut jam diximus; et ipse, dimissâ ibi Reginâ suâ, venit Wintoniam ad mandatum patris sui. Interim Ricardus Comes Pictaviæ, et Galfridus Comes Britanniæ, quos dominus Rex in recessu suo dimisit ad terras suas custodiendas, applicuerunt in Angliam apud Swthamtonam, in ipsa die Parasceve Domini, et propter solemnitatem diei illius ulteriùs procedere noluerunt. Sed in crastino, scilicet vigiliâ Paschæ, venerunt Wintoniam, et cum magno gaudio a domino Rege patre eorum recepti sunt. Tunc dominus Rex de præsentia filiorum suorum lætior effectus, solemne festum celebravit cum filiis suis, qui ibi aderant, scilicet Henrico Rege Angliæ, et Ricardo Comite Pictaviæ, et Galfrido Comite Britanniæ, et cum Comitibus et Baronibus terræ suæ. B

Celebrato (*a*) autem festo illo condigni honoris reverentiâ, cùm dominus Rex didicisset causam adventûs Ricardi et Gaufridi filiorum suorum, impetravit a Rege filio suo, quòd iter peregrinationis suæ ad sanctum Jacobum differret, donec pax fieret in Pictavia inter Ricardum filium suum et Barones Pictaviæ. Et concessit quòd cum eo iret in Pictavia, ad inimicos suos debellandos. Erant autem tunc in Pictavia Comites et Barones, qui contra prædictum Ricardum guerram moverant, scilicet Uggrinus Comes de Engolismo et fratres ejus, et C

*Turenna. Aimarus Vicecomes de *Limoges,* et Vicecomes de Turonica*, et Eschiwardus de *Chabenays,* et Willelmus de *Mastac.* Juvenis verò Rex, acceptâ a patre suo licentiâ, venit usque Porcestriam ad uxorem suam, transfretaturus inde

An. 1176. in Normanniam. Et per aliquot dies ibidem moram faciens, XIII Kal. Maii, feriâ secundâ, naves ascendit, et in crastino applicuit in Normanniam apud Barbefluctum, et cum eo Regina sua. Et statim ipse et uxor sua iter arripuerunt cum festinatione versùs Regem Franciæ, ad videndum eum.

Interim applicuerunt in Angliam Episcopus Trojacensis, et Electus Capuaciæ, et Comes Florius, nuncii Regis Willelmi Siciliæ, et cum eis Rotrodus Rotomagensis Archiepiscopus, consanguineus prædicti Regis Siciliæ. Et invento domino Rege apud Lundonias, petierunt ab eo Johannam filiam suam donari in uxorem domino suo Willelmo Regi Siciliæ. Ipse verò, congregatis in D urbe Lundoniarum Archipræsulibus et Episcopis, et Comitibus et sapientioribus regni sui, consuluit eos, quid tam magni Regis nunciis responderet. Et accepto ab eis consilio, misit eos Wintoniam, ut præfatam puellam viderent si eis placeret.

Et dum hæc fierent, dominus Rex misit in Flandriam Ricardum Cantuariensem Archiepiscopum, et Gaufridum Eliensem Episcopum, ad Filippum Comitem Flandriæ, qui proposuerat ad proximum Natale Domini sequens ire Jerosolymam. Et ipsi, sicut a Rege præceptum fuerat eis, impetraverunt a præfato Comite, quòd ipse iter suum Jerosolymitanæ profectionis differret, usque ad proximum Pascha sequens. Nam Amaurius Rex Jerosolymitanus, patruus

*An. 1173. Regis Angliæ, paulò ante * obiit, et Baldewinus filius ejus loco ipsius Rex efficiebatur; sed paralyticus erat, et exinde brachium amiserat. Et intimatum E erat Regi Angliæ, quòd prædictus Comes Flandriæ hac de causa Jerosolymam ire proposuit, ut ibidem in Regem sublimaretur. Et ideò fecit Rex Angliæ iter ipsius differri usque ad præfixum terminum, quia ipse tunc Jerosolymam in propria persona ire proposuit, vel milites et servientes illuc mittere, ad defensionem Regis Jerosolymitani consanguinei sui.

Interim supradicti nuncii Regis Siciliæ, cùm vidissent decorem præfatæ puellæ, et supra modum eis placuisset, redierunt ad Regem patrem puellæ, et cum eis Hugo, tituli S. Michaëlis de Petro Leonis Cardinalis, et Apostolicæ sedis Legatus, et prædictus Rotomagensis Archiepiscopus.... Tunc dominus Rex

(*a*) Hovedenus : *Post Pascha verò Henricus Rex filius, et Ricardus Comes Pictaviæ, et Gaufredus Comes Britanniæ, per licentiam Regis patris sui transfretaverunt de Anglia in Normanniam.*

Digitized by Google

A tradidit filiam suam nunciis Regis Willelmi, simulque nunciis suis, et præparavit eis necessaria sua, et dedit eis equos et vestes, et aurum et argentum, et vasa pretiosa. Et cùm omnia complesset regio more et condigno honore, permisit eos abire, et mandavit Henrico Regi filio suo qui in Normannia erat, ut sororem suam et eos qui cum ea venerant, recepisset cum summi honoris reverentia, et eam cum suis conduxisset usque Pictaviam, et ibi eam tradidisset Ricardo fratri suo Comiti Pictaviæ. Et præcepit quòd idem Ricardus eam et suos honorificè suscepisset, et conduxisset per terram suam. Et præcepit ut Rotomagensis Archiepiscopus, et Cantuariensis Archiepiscopus, et Gaufridus Eliensis Episcopus, et Comes Hamelinus patruus puellæ, et Ægidius Ebroicensis Episcopus, et Hugo de Bello-campo, processissent cum ea usque ad sanctum Ægidium, donec desponsaretur.

B Dum autem hæc fierent, Ricardus Comes Pictaviæ magnum exercitum congregavit in Pictavia, et magna militum multitudo de circumjacentibus regionibus ad eum confluebat, propter illius stipendia quæ illis dabantur. Et cùm omnes essent congregati, promovit exercitum suum in Pictaviam, et inimicos suos debellavit. Et statim post Pentecosten, commisit prælium cum Braibancenis inter sanctum Megrinum et Butevillam, et eos devicit. Et habitâ victoriâ, promovit exercitum suum in *Limosin,* ad debellandum Aimarum Vicecomitem de *Limoges,* pro eo quòd ipse pacem suam fregerat. Et obsedit castellum quod vocatur Aessa *, et illud cepit, et in eo quadraginta milites. Et inde promovens exercitum suum, obsedit civitatem de *Limoges,* et infra paucos dies cepit civitatem illam et ejus munitiones. Et inde post festum sancti Johannis-Baptistæ *, venit Pictavim, ubi Rex frater suus ad eum venit. Et ha-
C bito ibi consilio Baronum suorum, promovit exercitum suum in terram Uggrini Vicecomitis de Engolismo, pro eo quòd pacem suam tenere noluit. Et obsederunt Novum-castrum, et infra xv dies ceperunt : et eo capto, noluit Rex frater suus diutiùs cum eo moram facere, sed pravo usus consilio, eum reliquit. Ricardus verò, quamvis relictus esset, processit tamen cum exercitu suo, et obsedit *Mulinous* castellum Vicecomitis de Engolismo, et infra x dies cepit. Et procedens inde, obsedit civitatem de Engolismo.

* *Aix.*

* An. 1176.

Est autem sciendum, quòd Ricardus Comes Pictaviæ obsedit infra Engolismum Willelmum *Taillefer* Comitem Engolismi, et Bugherum * filium ejus, et Aimarum Vicecomitem de *Limoges,* et Vicecomitem de *Ventadur,* et Vicecomitem de *Chabennais*. Et pro pace habenda, Comes de Engolismo tradidit prædicto Comiti Pictaviæ civitatem Engolismi, et castellum de Butevilla, et cas-
D tellum de *Archiac,* et castellum de *Muntigernac* *, et castellum de *Lachesa*, et castellum de *Melpis*. Et infra sex dies Comes de Engolismo ad deditionem coactus, civitatem ei reddidit, et tradidit ei inde obsides, de persequenda misericordia domini Regis patris sui. Et inde misit eum et alios malefactores terræ in Angliam, ad Regem patrem suum. Et Rex, cùm ad eum venissent, remisit eos ad filium suum in Pictaviam, et posuit in respectum, donec ipsemet veniret in Normanniam.

* Wulgrinum.

* *Montignac.*

Juvenis autem Rex, cùm in reditu suo venisset usque Pictavim, milites nonnullos de Francia et Normannia, quos pater suus odio habebat, pro eo quòd cum illo erant contra eum tempore guerræ, retinuit secum, et familiares suos fecit. Quòd cùm Adam de Chircheduna, Clericus Rogerii Eboracensis Archiepiscopi, qui vicem Cancellarii in curia juvenis Regis gerebat, loco
E Gaufridi præpositi Beverlaci, ad cujus opus prædictus Eboracensis Archiepiscopus Cancellariam Angliæ emerat pro undecim millibus marcis argenti, vidisset; doluit vehementer, et sicut decebat, et sicut debitor erat domino Regi, qui eum cum filio suo posuerat, cui etiam fidelitatem juraverat contra omnes homines, personæ suæ dedecus et regni sui gravamen, quod per advenas illos posse evenire præmeditavit, sustinere non potuit, nec debuit; sed statim arrepto stylo, capitula quædam turpissima et auditu horrenda scripto commendavit, et domini sui secreta detexit, et ea domino Regi in Angliam mittere festinavit. Sed antequam mitterentur, malo suo detecta sunt, et prolata in conspectu Regis domini sui. Et ipse in medio ductus, confessus est, et non negavit. Tunc Rex, convocatis Principibus suis, simul cum Episcopo Pictavensi qui aderat, interrogavit eos quid super hujuscemodi re esset agendum, et quid faceret de

Digitized by Google

proditore suo, qui cùm esset secreti sui conscius, patrem suum in ipsum commovere voluit. Tunc quidam illorum judicabant illum reum esse mortis, quidam dignum suspendi, quidam vivum excoriari. Sed Episcopus, cujus non erat judicio sanguinis interesse, eum liberare tentavit, quia Diaconus erat; asserens Clericum in sacris ordinibus constitutum a laïco non posse judicari. Tunc juvenis Rex videns quòd propter Episcopum, qui Clericum illum tutabatur, in eo animi sui motus, sicut voluit, vindicare non permittebatur; cogitavit quibus tormentis eum afficere potuit, ita tamen quòd non interficeretur, sed observaretur, donec hoc nunciatum esset Regi patri suo. Itaque post longum silentium ad se reversus, ait ministris suis : « Educite eum, et ligatis manibus a tergo, nudum per plateas et vicos civitatis flagellis cædite, clamantes (*a*) ut universi sciant ipsum proditorem meum esse; et ducentes eum in Norŭmanniam, incarcerate eum apud Argentomium; et per quamcumque civitatem ingressi fueritis, eum nudum ducite, flagellantes per vicos et plateas ». Ipsi verò, sicut eis præceptum fuerat, fecerunt, et flagellatum incarcerave-runt eum apud Argentomium. Cùmque id domino Regi nunciatum esset, indignè ferebat; et mittens quatuor milites de familia sua ad Regem filium suum, mandavit ei ut sine mora Clericus ille ad eum mitteretur. Paruit ergo ipse mandatis patris sui; sed molestè ferebat quòd Clericus ille vivus recederet ab eo. Qui cùm in vinculis ad dominum Regem in Angliam duceretur, noluit eum vinctum recipere, quia solutum eum tradiderat Regi filio suo; sed præcepit ut in vinculis custodiretur, donec locutus fuisset cum consilio suo, quid de eo ageretur. Et eum custodiendum commendavit Abbati de Hida Wintoniæ.

Interim Petrus frater Comitis Flandriæ, qui per ejusdem consilium electionem, quæ de eo facta fuit ad Episcopatum de *Cambrai*, reliquerat, a Lodovico Rege Franciæ impetravit sibi donari Comitatum de Neveris *, cum [Mathilde] filia Odonis de Exoduno * Comitissa, quæ fuerat uxor Gwidonis Comitis de Neveris (*b*). Sed malo suo hoc factum esse censeo; nam eodem anno circa Assumptionem sanctæ Mariæ obiit.

* *Nevers.*

* *Issoudun.*

Appropinquante igitur festo sancti Michaëlis *, venit dominus Rex ad *Windeshoveres*, et ibi consilium suum tenuit. Et inde misit nuncios suos per universa castella Angliæ, et ea in manu sua saisivit; et remotis inde custodibus Comitum et Baronum suorum, suos custodes in eis posuit. Nec etiam Ricardo de *Luci*, familiarissimo suo et justiciæ * Angliæ, parcere voluit; sed abstulit ei castellum suum de Angra. Et misit in Normanniam Ricardum Wintoniensem Episcopum, et constituit eum justiciam Normanniæ, loco Willelmi de *Curci*, et fecit saisiri in manu sua omnia castella Comitum et Baronum suorum Normanniæ.

* An. 1176.

* justitiario.

Eodem anno *, Willelmus filius Roberti, filii Regis Henrici I, Comes Gloucestriæ, per perquisitionem Regis, constituit Johannem filium suum minimum, hæredem Comitatûs sui post ipsum. Et Rex concessit quòd prædictus Johannes filius suus filiam ipsius Comitis Gloucestriæ in uxorem duceret, si Romana Ecclesia pateretur; erant enim consanguinei. Et si Romanus Pontifex non permiserit matrimonium inter eos contrahi, Rex conventionavit Comiti quòd filiam suam cum maximo honore maritaret, et quòd pro hac concessione daret ipse centum libratas reddituum in Anglia uxori *Amauri* Comitis Ebroicorum, et alias centum libratas reddituum uxori Ricardi Comitis de Clara; utraque enim erat filia Comitis Gloucestriæ. Et si idem Comes Gloucestriæ filium legitimum susceptum de uxore sua habuerit; filius ille, et prædictus Johannes filius Regis dimidiabunt inter se Comitatum Gloucestriæ.

* An. 1176.

Eodem anno, Willelmus Senonensium Antistes, permittente Alexandro summo Pontifice, commutavit sedem suam pro Archiepiscopatu Remensi; quia Philippus * frater Lodowici Regis Franciæ, qui erat Archiepiscopus Remensis, obierat;

* *Leg.* Henricus.

(*a*) Hoved. *Sub voce præconis clamando : sic debet dehonestari qui secreta domini sui detegit.*

(*b*) Mathildis multarum nuptiarum mulier, de quâ hìc sermo, filia erat Raymundi Hugonis II Burgundiæ Ducis filii. Fuerat autem primis nuptiis conjuncta Odoni Exoldunensi, cujus perperam hìc filia dicitur : Odonis enim uxorem eam appellant Robertus de Monte ad an. 1177, et Albericus ad an. 1161. Odone exstincto, alterum cum Guidone Nivernensi matrimonium iniit Mathildis : quo iterùm e vivis sublato, tertium accepit sponsum Petrum, Theoderici de Alsatia Flandriæ Comitis filium, postquam Episcopatum ille Cameracensem, ad quem an. 1169 fuerat electus, an. 1176 nondùm consecratus dimisisset. Verùm hoc etiam infra annum defuncto, quartis nuptiis cum Roberto II Drocensi Comite sociata est, a quo deinde parentelæ causâ fuit sejuncta.

Digitized by Google

A et Archiepiscopatus ille præcellebat in honoris dignitate omnes Episcopatus Franciæ.

Eodem anno, Magister Johannes Saresbiriensis, qui erat Clericus et familiaris sancti Thomæ Cantuariensis Martyris, per visionem angelicam electus et consecratus est in Episcopum Carnotensis Ecclesiæ....

Eodem autem anno, obiit Willelmus Comes de *Arundel;* et Willelmus de *Curci* Justicia Normanniæ obiit in eodem anno....

Eodem anno *, dominus Rex fecit funditùs sternere castellum Leicestriæ et mœnia urbis, et castellum de *Grobi;* et castellum de *Munsorel* in manu sua retinuit, quia homines patriæ juraverunt illud esse de dominio Regis. Eodem anno fecit sternere castella Rogeri de *Moubrai*, scilicet castellum de *Treske*, et castellum de *Malessard;* et castella Hugonis Bigoti, scilicet de *Fremigham*, et
B castellum de Bungeia (*a*).... * An. 1176.

Eodem annò *, obiit Radulfus de Dolis, qui erat ditissimus Baronum Regis Angliæ in Berria. Et non habuit hæredem, nisi unicam filiam triennem, quam, eo defuncto, parentes ipsius rapuerunt, et eam tradere noluerunt Regi Angliæ, ad cujus donationem ipsa cum tota hæreditate sua pertinebat; sed castella et munitiones patriæ muniverunt (*b*).... * An. 1176.

Adveniente autem anno ab Incarnatione Domini MCLXXVII (*c*), Henricus Rex Angliæ, filius Mathildis Imperatricis, tenuit curiam suam die Natalis Domini in Anglia apud *Notingham*. Et Henricus Rex Angliæ filius suus tenuit curiam suam in Normannia apud Argentomium, et Regina sua filia Regis Franciæ cum eo. Et Ricardus Comes Pictaviæ filius ejus tenuit curiam suam in Aquitania apud Burdegalensem civitatem. Et reliqui duo filii sui, Gaufridus sci-
C licet Comes Britanniæ et Johannes, erant in Anglia cum eo. Comes autem Pictaviæ, statim post Natale, obsedit Akensem * civitatem, quam Petrus Vicecomes Akensis, et Comes Bigorniæ [Centulfus] contra eum munierant, et infra x dies cepit. Et inde promovens exercitum suum obsedit Baoniam civitatem, quam Ernaldus Bertramnus Vicecomes Baoniæ contra eum munierat, et infra x dies cepit. Et inde promovens exercitum suum usque (*d*) *Cizare*, quæ nunc Portæ Hispaniæ vocantur, obsedit Castellum sancti Petri, et eâdem die cepit, scilicet Dominicâ proximâ post Epiphaniam, et penitùs destruxit omnes malas consuetudines quæ inductæ erant apud *Sorges* et apud *Lespurun*, * *Dax.*
ubi mos erat deprædare peregrinos sancti Jacobi. Et sic pacificatis omnibus provinciis, in Purificatione sanctæ Mariæ venit Pictavim, et inde direxit nuncium suum in Angliam ad Regem patrem suum.

D Interim Rex Angliæ pater ipsius, cùm audisset quòd Radulfus de Dolis mortuus esset, et quòd filia ejus rapta esset a parentibus suis, festinatò mandavit in Normanniam Regi filio suo, quòd, postpositis omnibus aliis negotiis, exercitum Normanniæ congregasset, et terram Radulfi de Dolis sibi subjugare vacasset. Addens etiam in illo mandato, quòd, quandò ipse solus erat in regimine regni, nihil de suo jure amittebat; et modò dedecus esset, cùm sint plures in regenda terra, aliquid inde perdere. Cùmque juvenis Rex patris sui mandatum suscepisset, parere non distulit; sed congregato magno exercitu Normanniæ et Andegaviæ, cum festinatione in Berriam profectus, obsedit Castellum-Radulfi *, quod statim ei redditum fuit. *Châteauroux

Interim dominus Rex Angliæ, statim post festum sancti Hilarii *, venit Nor- * An. 1177.
E thamtoniam, et ibi magnum celebravit Concilium, cum Episcopis et Comitibus et Baronibus regni sui. Intererant autem illi Concilio Robertus Advocatus Betuniæ et Rogerus Castellanus de *Curtrai*, per quos Comes Flandriæ ei mandaverat, quòd Lodowicus Rex Franciæ ab eo petierat primogenitam filiarum Matthæi fratris sui Comitis Boloniæ, ad opus Philippi filii sui, et alteram filiam Comitis Boloniæ, ad opus filii Comitis Theobaldi; sed sine ejus consilio illas nemini dare voluit. Præterea per eosdem mandavit ei ut ipse teneret pactionem, quam Ricardus Cantuariensis Archiepiscopus et Gaufridus Eliensis Episcopus cum eo fecerunt ex parte illius, pro eo quòd ipse prolongaret usque

(*a*) Hovedenus : *Et ferè omnia castella Angliæ et Normanniæ, quæ fuerunt contra eum tempore guerræ. Sed castellum de Pasci retinuit in manu sua.*

(*b*) Hovedenus : *Cujus filiam hæredem dominus Rex Angliæ pater dedit Baldwino de* Rivers *in uxorem cum honore Castelli-Radulfi.*

(*c*) Hovedenus : *Qui erat annus vicesimus tertius regni Regis Henrici.*

(*d*) Hovedenus : *Usque ad portas Sizaræ.*

Digitized by Google

ad Pascha iter suum Jerosolymitanæ profectionis. Promiserant enim ei ex parte A
Regis, quòd si ipse differret iter suum usque ad prædictum terminum, Rex faceret ei talem succursum, unde honor esset ei. Præterea mandavit Regi Angliæ per eosdem, ut pecuniam ei mittere non differet, quam Rex promiserat se daturum pro anima Matthæi Comitis Boloniæ fratris sui, ad milites retinendos in defensionem Jerosolymitanæ terræ....

In eodem verò Concilio, Willelmus de *Chabannes* intimaverat Regi, quòd ipse deberet de eo tenere in capite Baroniam suam, quam de Roberto Comite Leicestriæ tenebat. Hæc autem dicebat, pravo usus consilio, quia Regi placere voluit, qui dominum suum odio habebat. Cùmque prædictus Comes Leicestriæ ad diem sibi statutum per Regis summonitionem venisset, et cùm omnia quæ adversùs eum loquebantur, auscultasset; respondit quòd quamvis prædecessores sui, proavus scilicet et avus suus, et pater suus et ipsemet haberet cartas B
et privilegia Regum Angliæ, Willelmi scilicet et Henrici primi de terris suis, et nominatim de Baronia illa; et quamvis prædecessores Willelmi de Chabannis Baroniam illam de prædecessoribus suis semper inconcussè tenuissent : noluit tamen contra Regis voluntatem, neque de eo neque de alio tenemento placitare; sed concessit ut id et omnia alia tenementa sua essent in misericordia Regis. Cùmque Rex audisset eum ita piè loquentem, commotus pietate, reddidit ei omnia tenementa sua in integrum, sicut ea habuit xv diebus ante gwerram; sed retinuit in manu sua castellum de *Munsorel* et castellum de *Pasci*, quæ duo solùm remanserant stantia de omnibus castellis suis. Reddiditque ei Rex ibidem totam Leicestriam et Forestam, quæ juratæ erant per commune sacramentum Comitatûs, esse debere de dominio suo; sciebat autem Rex hoc factum fuisse propter invidiam, et pro eo quòd Rex Comitem odio habebat.... C

In prædicto autem Concilio Northamtoniæ, cùm Rex audisset mandata et petitiones Comitis Flandriæ, quas ipse per prædictos nuncios suos fecerat; respondit rem quidem benè processuram, nisi in Comite remaneret. Et adjecit quòd si Comes Flandriæ maritare vellet neptes suas, filias scilicet Comitis Boloniæ, ad voluntatem et consilium ipsius, et exinde facere eum securum, ipse omnia promissa sua pleniùs et perfectiùs, quàm promittebantur, impleret. Et ad audiendum inde responsum Comitis, misit Rex cum prædictis nunciis Comitis Valterum de Constantiis Archidiaconum de Oxenefordia sigilliferum suum, et Ranulfum de Glanvilla, in Flandriam : in quorum præsentia ipse Comes Flandriæ juravit, quòd prædictas neptes suas nemini maritaret, nisi per consilium et voluntatem Regis Angliæ (*a*)....

* An. 1177. Adveniente autem Purificatione * beatæ Mariæ, Henricus Rex Angliæ,... D
per consilium familiarium suorum, mandavit omnibus Comitibus et Baronibus et militibus regni, qui de eo in capite tenebant, quòd, omni occasione remotâ, essent benè parati equis et armis, apud Lundonias, in octabis clausi Paschæ, secuturi eum inde in Normanniam, et moraturi secum per unum annum in partibus transmarinis, ad custamentum eorum, in servitio suo. Et præcepit ut unusquisque, statim visis litteris, mandasset ei per nuncium suum et per litteras suas, quomodò venire poterint, et cum quot militibus tunc sine magno gravamine....

* An. 1177. Itaque appropinquante Dominicâ Paschæ floridæ *, Rex Angliæ venit usque *Radinges*, et ibi eâdem die festum suum tenuit. Et ibidem nunciatum est ei quòd Philippus Comes Flandriæ in Angliam venire paraverat, causâ loquendi cum eo, et visitandi limina beati Thomæ Cantuariensis Martyris; et quòd idem E
Comes jam propè Witsandam pervenerat, ut inde in Angliam transfretaret. Cùmque hoc Regi nunciatum esset, versùs Cantuariam iter arripuit. Et die Mercurii sequentis, prædictus Comes Flandriæ in Angliam applicuit apud *Dovere*, et eâdem die Cantuariam venit. Quod cùm Regi nunciatum esset, in crastino summo mane diei Jovis absoluti venit Cantuariam ad Comitem. Et factâ ibi peregrinatione suâ, uterque, scilicet Rex et Comes, venerunt ad *Duvere*, ubi naves Comitis eum exspectabant. Et Rex dedit ei quingentas marcas argenti in auxilium peregrinationis suæ perficiendæ. Et sic ipse Comes, acceptâ licentiâ a Rege peregrinandi Jerosolymam, nocte sequenti post tenebras mare

(*a*) Addit Hovedenus : *Sed sacramento non observato, prædictus Comes maritavit eas sine licentia et voluntate Regis.*

intravit,

Digitized by Google

A intravit, et in crastino valdè manè applicuit apud *Witsand* in Flandria; et Rex Angliæ eâdem die apud *Duvere* moram fecerat, quia erat dies Parasceve Domini....

Eodem tempore * circa clausum Pascha, Philippus Comes Flandriæ, et cum eo multi de nobilioribus Franciæ, iter Jerosolymitanum arripuerunt. Similiter quidam de nobilioribus Angliæ, scilicet Comes Willelmus de Mandavilla, et Hugo de *Lasci*, et Robertus de *Pirou* Frater Templi, et alii nobiles regni, per quos Rex Angliæ misit Jerosolymam quingentas marcas argenti, ad sustentationem Jerosolymitanæ terræ. Et idem Rex misit illuc alias quingentas marcas argenti per Fratres Hospitalis, ad sustentationem præfatæ terræ.... * An. 1177.

His itaque dispositis, Rex reddidit Comiti Cestriæ omnia castella, et terras et tenementa, quæ eum de jure contingebant, citra mare et ultra. Et postea
B præcepit ei ut iret in Hiberniam, ad subjiciendam eam sibi et Johanni filio suo, cui eam concesserat. Perquisierat enim ab Alexandro summo Pontifice, quòd liceret ei filium suum, quem vellet, coronare et Regem facere de Hibernia....

Præterea omnes Comites et Barones, et ferè omnes milites regni, qui de Rege aliquid in capite tenuerunt, Wintoniam venerunt, parati equis et armis per ejus mandatum, ad audiendum ipsius præceptum. Ferè enim omnes naves portuum maris Angliæ et Normanniæ, per mandatum Regis, convenerant ad Portesmutham et Suthamtoniam, ad milites illos transfretandos in Normanniam cum ipso Rege.

Interim Henricus Bajocensis Episcopus in Angliam applicuit, et cum eo Hugo de Bello-Campo, et Osbertus Clericus de camera Regis, et Gaufridus
C *de la Charité*, quos ipse Rex cum filia sua miserat in Siciliam; et ipsi interfuerunt coronationi et desponsationi prædictæ Regis filiæ, quam, ut supra diximus, Willelmus Rex Siciliæ in uxorem duxit. Cùmque dominus Rex causam adventûs prædicti Bajocensis Episcopi cognovisset, suorum fretus consilio, per commune edictum præcepit, in ipsa die * Ascensionis Domini, ut omnes milites qui illuc per mandatum ejus cum equis et armis venerant, ad propria redissent; et ut iterùm venissent Wintoniam in octabis sancti Johannis-Baptistæ, parati equis et armis ad suum mandatum exequendum. * An. 1177.

Et statim dominus Rex misit inde in Normanniam Gaufridum Elyensem Episcopum, et Henricum Bajocensem Episcopum, et Walterum de Constantiis Oxenfordiæ Archidiaconum, Vice-Cancellarium suum. Et præcepit eis ut, adsociatis sibi Rotrodo Rotomagensi Archiepiscopo, et Ricardo Wintoniensi Epis-
D copo, et aliis honestis personis, tam Clericis quàm laïcis de Normannia, Lodovicum Regem Franciæ convenirent, super pactis inter eos factis de maritagio, quod idem Rex conventionavit se daturum cum filiabus suis Henrico Regi et Ricardo Comiti Pictaviæ, filiis suis. Prædictus enim Rex Franciæ conventionavit Henrico Regi juveni, filio Regis Angliæ, se ei daturum cum filia sua, quam in uxorem duxerat, totam terram illam quæ vocatur *Veugessin* *, illam scilicet terram quæ est inter Gisortium et Pontaisam. Præterea idem Rex Franciæ conventionavit Ricardo Comiti Pictaviæ cum filia sua, quam ipse in uxorem duxerat *, civitatem Bituricensem cum omnibus pertinentiis suis. Et Rex Angliæ mandavit Regi Franciæ per prædictos nuncios suos, sibi et filiis suis restitui prænominatum maritagium, quod ipse eis conventionaverat. Præterea Rex Angliæ mandavit ei ut, omni occasione et dilatione remotâ, permitte-
E ret filiam suam Reginam, Henrici Regis filii sui uxorem, redire in Normanniam; ipsa enim prægnans ad Regem Franciæ patrem suum abiit, domino Rege Angliæ inconsulto, et sine ejus licentia.... * *le Vexin.* * *Al.* ducturus erat.

Eodem anno * circa clausum Pentecosten, Margareta, quæ, ut supra dictum est, prægnans abiit ad Regem Franciæ patrem suum, peperit filium, et vocatum est nomen ejus Willelmus; sed infra triduum obiit Parisius, ubi natus fuit. Et quidam dicebant quòd abortivus fuit (*a*).... * An. 1177.

Et dùm hæc fierent, Gaufridus Elyensis et magister Walterus de Constantiis Archidiaconus Oxenefordiæ, quos Rex Angliæ in Normanniam miserat ad Regem filium suum, in Angliam redierunt. Et invento Rege apud *Wdestoke*,

(*a*) Hovedenus : *Dicebant tamen Franci, quòd filius ille Regis natus fuit vivus et baptisatus, et Willelmus vocatus.*

Digitized by Google

indicaverunt ei responsum Regis filii sui super mandatis suis. Quod cùm audisset, nec sibi in aliquo placuisset; mandavit Archiepiscopo Cantuariensi, et Episcopis regni, quòd in octabis sancti Johannis-Baptistæ essent ad eum apud Wintoniam; et ita factum est. Venerunt etiam illuc ad eum Comites et Barones et milites regni sui, per summonitionem suam, parati equis et armis secum transfretare in Normanniam. Venitque illuc ad eum, per mandatum ipsius, Willelmus Rex Scotiæ. Congregatis itaque omnibus in urbe Wintonia, Rex per consilium eorum transfretationem suam distulit; donec Henricus Bajocensis Episcopus et Ricardus *Giffard*, quos ad Regem Franciæ miserat, ad eum redissent, vel nuncii eorum.... A

* An. 1177. Eodem anno *, quidam Canonicus de Abbatia Bothmeniæ, quæ in partibus Cornubiæ sita est, Martinus nomine, statim post Epiphaniam Domini, furtivè asportavit corpus sancti Petroci; et cum eo fugiens transfretavit, et illud secum detulit usque ad Abbatiam sancti Mevenni, sitam in partibus minoris Britanniæ. Quod cùm Rogero Priori Bothmeniæ, et Canonicis ibidem Deo servientibus, innotuisset; prædictus Prior, per consilium fratrum suorum, dominum Regem Angliæ Henricum, filium Mathildis Imperatricis, adiit, ut per ipsius potentiæ auxilium, corpus sancti Petroci, quod per furtum amiserant, recuperassent. Ad instantiam autem illorum, concessit eis præfatus Rex auxilium suum, et mandavit per litteras Rollando de Dinamno Justitiæ Britanniæ, quòd sine dilatione faceret illud corpus reddi. Audito itaque mandato Regis, prædictus Rollandus venit cum armata manu et potenti ad Abbatiam sancti Mevenni, et præcepit illud corpus reddi. Quod cùm Abbas et Monachi ejusdem loci reddere nollent; ipse minas addidit, jurans se per vim, nisi celeriùs redderetur, extrahere velle illud. Quod ipsi audientes, noluerunt iram præfati Regis Angliæ incurrere; sed beatum corpus illud reddiderunt prænominato Rogero Priori Bothmeniæ, die Dominicâ clausi Pentecostes, feriâ scilicet sanctorum Gervasii et Protasii Martyrum, scilicet XIII Kal. Julii. Redditumque est ei corpus illud sanctum cum omni integritate et sine aliqua diminutione, Abbate et Monachis Ecclesiæ sancti Mevenni jurantibus super reliquias ejusdem Ecclesiæ, quòd de corpore illo nihil retinerent, sed idem corpus non alteratum redderent.... B C

Peractis negotiis suis apud Wintoniam, Rex iter suum arripuit versùs mare, ad transfretandum in Normanniam; et venit ad *Stokes*, juxta Portesmutam,

* An. 1177. ubi naves suæ erant, feriâ septimâ, VII Idus Julii *. Et quia ventus erat ei contrarius, in crastino transtulit se usque *Stantede*, ibi moram facturus, donec audiret rumores de Francia, vel donec haberet prosperum ventum ad transfretandum. Tertiâ verò feriâ sequenti, scilicet IV Idus Julii, dum ibidem moram faceret, venit ad eum Johannes de Rainewilla Frater Templi, missus ex parte Ricardi Giffardi, et Roberti *Pikenot*, et Roberti filii Bernardi, nunciorum suorum quos in Franciam miserat. Et indicavit ei ex parte eorum, quòd Petrus qui Electus erat Meldensis Ecclesiæ, nunc verò Cardinalis, et missus ab Apostolica sede Legatus in Franciam, in mandatis a summo Pontifice Alexandro acceperat, quòd tota terra ejus citra mare et ultra anathemati subderetur, nisi permitteret quòd Ricardus filius ejus Comes Pictaviæ in uxorem acciperet *Aelais* filiam Regis Franciæ, quam ipse jam diu, et ultra quàm inter eos convenerat, in custodia sua habuit ad opus prædicti Ricardi. Quod cùm Rex Angliæ audisset, consuluit Episcopos suos qui aderant, scilicet Ricardum Cantuariensem Archiepiscopum, et Gaufridum Elyensem, et Bartholomæum Exoniensem, et Johannem Cicestrensem Episcopum, et alios sapientes regni sui qui tunc aderant, quid super hac re sibi esset agendum? Tandem placuit eis ut Archiepiscopus, et Episcopi qui aderant, appellationem facerent contra prænominatum Cardinalem, ad Alexandrum summum Pontificem, de suspecto gravamine. Et ita fecerunt, et posuerunt ipsum Regem, et se ipsos, et totum regnum Angliæ in protectione domini Papæ, et ad eum appellaverunt. Tunc Rex misit nuncium suum ad Rogerium Eboracensem Archiepiscopum; et significans ei rumores quos audierat, mandavit ei ut ipse appellationem faceret in sua diocesi ad Romanum Pontificem, super eodem casu, sicut Archiepiscopus Cantuariensis fecerat in sua diocesi.... D E

* An. 1177. Interea appropinquante festo * Assumptionis beatæ Mariæ, Rex Henricus qui moram fecerat apud Wintoniam, ad mare se transtulit. Et tertiâ die sequenti,

Digitized by Google

A scilicet XVI Kal. Septembris, serò naves ascendit apud *Portesmuth*. Et in crastino, scilicet XV Kal. Septembris, feriâ quintâ, applicuit in Normanniam apud *Kapelwic*; et ferè omnes Comites et Barones et milites Angliæ secuti sunt eum in Normanniam. Et cùm applicuisset, misit Gaufridum filium suum in Britanniam, ad debellandum inimicos suos Britanniæ. Et paulò post, scilicet III Idus Septembris, venit ipse Rex Rotomagum, et Rex filius suus cum eo. Et Petrus tituli sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis, Apostolicæ sedis Legatus, venit illuc eis obviam, volens totam terram Regis cismarinam et transmarinam, de mandato Alexandri summi Pontificis sub interdicto ponere, nisi Ricardus Comes Pictaviæ filius ejus filiam Regis Franciæ, nomine *Aelais*, sibi in uxorem copulasset. Cùmque Rex tot et tanta pericula sibi et regno suo imminere sensisset; inducias a præfato Cardinale quæsivit, donec locutus esset
B cum Rege Franciæ patre puellæ. Quibus tandem ab eo impetratis, et nunciis ad Regem Franciæ missis, colloquium de pace et concordia cum eo cepit inter *Yveri* et*** in festo sancti Matthæi Apostoli. Venit autem ibidem, * *Ivri.*
scilicet Rotomagum, ad Regem Wallerannus de *Yveri*, et reddidit ei castellum et terram * de *Yveri*, ita quòd Wallerannus remaneret inde custos ad opus * *Al.* turrim.
Regis, et dedit inde Regi filium suum in obsidem.

Adveniente igitur festo * sancti Matthæi Apostoli, scilicet XI Kal. Octobris, * An. 1177.
præfati Reges ad terminum et locum colloquii prænominatum venerunt, cum Principibus et majoribus regni sui : in quo colloquio Rex Angliæ concessit Regi Franciæ, quòd Ricardus Comes Pictaviæ filius ejus filiam ipsius in conjugem duceret (*a*). Et postea hanc pacem et concordiam subscriptam fide et sacramentis, et scripto [et] utriusque sigillo confirmatam, fecerunt inter se (*b*).

(*a*) *Hovedenus* : « Coram prædicto Cardinali et » Magnatibus utriusque regni, Rex Angliæ pater » per suos fidem dedit et in animam suam jurare » fecit, quòd Richardus filius ejus, Comes Pic- » taviæ, prædictam Alesiam in uxorem duceret, » si Rex Franciæ pater puellæ dederit præfato » Richardo Comiti Pictaviæ civitatem Bituricen- » sem cum pertinentiis suis in maritagium cum » filia sua, sicut conventio inter illos inde facta » exigit; et Henrico Regi filio suo totum *Vougesin* » Francigenum, videlicet totam terram quæ est » inter Gisortium et *Punterse*, quam ipse promi- » serat se daturum illi in maritagium cum filia » sua. Sed quia Rex Franciæ hæc dare noluit, » Rex Angliæ non permisit Ricardum filium suum » prædictam Alesiam in uxorem ducere, (*quam* » *reipsa nunquam duxit*). Tamen in eodem collo- » quio, consilio Cardinalis et Principum utrius- » que regni, facta est amicitia et finalis concordia » inter Regem Franciæ et Regem Angliæ ».

(*b*) In hunc modum : « Sciant omnes tam præ- » sentes quàm futuri, quòd ego Lodovicus Dei » gratiâ Rex Francorum, et ego Henricus eâdem » gratiâ Rex Angliæ, volumus ad omnium, tam » præsentium quàm futurorum, notitiam perve- » nire, nos, Deo inspirante, promisisse et ju- » rasse, quòd simul ibimus in servitium Chris- » tianitatis, et crucem suscipiemus ituri Jeroso- » lymam, sicut in scripto de susceptione crucis » inter nos facto continetur. Volumus etiam quòd » omnes sciant, quòd sic sumus et amodò volu- » mus esse amici; quòd uterque nostrûm alteri » conservabit vitam et membra, et terrenum » honorem suum contra omnes homines, pro » posse suo. Et si quæcumque persona alterutri » nostrûm malum facere præsumpserit, ego Hen- » ricus juvabo Lodovicum Regem Franciæ, do- » minum meum, contra omnes homines, pro » posse meo. Et ego Lodovicus juvabo Henri- » cum Regem Angliæ contra omnes homines, pro » posse meo, sicut hominem et fidelem meum, » salvâ fide quam debemus hominibus nostris, » quamdiu ipsi fidem nobis servabunt. Et neuter » nostrûm amodò retinebit inimicum alterius in » terra sua, ex quo requisitus inde fuerit. Et ut » inter nos amodò tollatur omnis materia discor- » diæ, concessimus ad invicem quòd de terris et » possessionibus et aliis rebus, quas quisque nos- » trûm modò possidet, alter adversùs alterum » inde nihil amodò petet, excepto eo de Alver- » nia unde contentio inter nos est, et excepto » feudo de Castro-Radulfi, et exceptis minutis » feodis et divisis terrarum nostrarum de Berria, si » homines nostri aliquid inde interceperint inter » se, vel adversùs alterum nostrûm. Si autem super » his quæ superiùs excepta sunt, per nosmet- » ipsos convenire non poterimus; ego Lodovicus » Rex Francorum elegi tres Episcopos, Claro- » montensem, Nivernensem, Treternensem » (*fortè* Trecensem) et tres Barones, Comitem » Theobaldum, et Comitem Rodbertum et Pe- » trum de Curteneia, fratres meos; et ego Hen- » ricus Rex Angliæ elegi tres Episcopos, Wil- » lelmum Cenomannensem, Petrum Petragoren- » sem, et R. [Robertum] Nannetensem, et tres » Barones, Mauricium de *Croum*, Willelmum » *Mangot*, et Petrum de Monte-*Rabel*, ex parte » mea : qui inquisitâ diligenter hinc inde veritate, » tam per se ipsos quàm per juramenta hominum » terrarum illarum, prædicti Episcopi in verbo » veritatis asseverabunt, et laïci jurabunt, quòd » quæcumque cognoverint de jure cujusque nos- » trûm esse, hoc inter nos dicent, et nos eorum » dicto bonâ fide firmiter stabimus. Si verò omnes » illi Episcopi, quos ego Lodovicus elegi, inte- » resse non poterunt, nihilominùs stabimus dicto » illorum duorum qui intererunt; et si omnes » Barones ex parte mea nominati non interfue- » rint, pro eo non remanebit quin stemus dicto » illorum duorum qui interfuerint. Et similiter erit » de illis quos ego Henricus elegi, tam de Epis- » copis quàm de Baronibus. Juravimus etiam quòd » nullum malum faciemus eis, propter hoc quòd » veritatem inde dixerint. Et si fortè (quod Deus » avertat) inter nos de terris nostris aliqua que- » rela modò oriatur, per eosdem bonâ fide et » sine malo ingenio, sine dilatione terminetur. » Si autem aliqua prædictarum personarum inte- » rim mortua fuerit, altera loco ipsius substitua- » tur. Si verò alteruter nostrûm ante susceptionem » crucis iter peregrinationis arripere voluerit; » alter qui remanebit, terram illius qui in pere- » grinatione erit et homines, sicut sua propria » et dominica, fideliter custodiet et manutenebit. » Postquam verò, Deo volente, crucem suscepe- » rimus, homines nostros qui nobiscum ibunt, » faciemus jurare quòd, si alteruter nostrûm in » via decesserit (quod Deus avertat) ita illi qui » superstes erit fideliter servient, sicut servirent » domino suo, si vivus esset, quamdiu in terra » Jerosolymitana morari voluerint : pecuniam » verò defuncti habebit vivus, ad faciendum ser-

Digitized by Google

Finito itaque colloquio, Rex Angliæ misit Henricum Regem filium suum A
in Berriam, ad subjiciendum sibi inimicos suos : et ipse ivit ad Vernolium. Et
ibidem intuitu Divini amoris, et prece et petitione Bonorum-hominum de
Grandi-monte motus, statuit coram Ricardo Wintoniensi Episcopo, et Hen-
rico Bajocensi Episcopo, et Ægidio Ebroicensi Episcopo, et Frogero Sagiensi
Episcopo, et coram Simone Comite Ebroicensi, et Rodberto Comite Lei-
cestriæ, et coram multis aliis Comitibus et Baronibus regni sui, ne quis pro
debito domini res hominis capere præsumeret, nisi homo ejusdem debiti de-
bitor aut plegius exstiterit; sed redditus quos homines reddere debent dominis
suis, reddantur creditori dominorum suorum, et non dominis. Cæteræ verò
res hominum propriæ sint in pace, neque eis pro dominorum debitis liceat
cuiquam nantire. Hoc statutum et consuetudinem statuit dominus Rex, et te-
neri præcepit in omnibus villis suis, et ubique in potestate sua, scilicet in B
Normannia et Aquitania, et Andegavia et Britannia, generale et ratum. Et
ut hoc statutum firmiter teneretur, et ratum permaneret, scripto commendari,
et sigilli sui auctoritate confirmari fecit. Et postea summonere fecit Comites
et Barones Normanniæ per litteras suas, quòd essent apud eum apud Argen-
tomium in festo sancti Dionysii, parati equis et armis remanendi secum in servitio
suo. His itaque gestis, venit ipse usque *Alenzun*, et misit inde Ricardum filium
suum in Pictaviam, ad inimicos suos debellandos.

An. 1177. Interim circa festum sancti Michaëlis, v Kal. Octobris *, feriâ tertiâ, dum
Gaufridus Præpositus Ecclesiæ sancti Johannis Beverlaci, nepos Rogeri Ebora-
censis Archiepiscopi, et Cancellarius Henrici Regis filii Henrici Regis, maria
sulcaret inter Angliam et Normanniam, procellosa maris tempestas navem
quæ illum gestabat, quassavit, dissolvit, et submersit. Submersi autem in ea C
sunt prædictus Gaufridus Regis Cancellarius, et Rodbertus magnus magister
scholarum Eboraci, vir siquidem omni morum honestate præditus, et circum-
spectus, et prudens; et multi alii, tam Clerici quàm laïci, numero scilicet
ccc viri, in ea submersi sunt (*a*). Eodem verò anno, tot naves perierunt in
mare Britannico, et in illo quo navigatur inter Angliam et Normanniam, quot
non perierant multis annis transactis.

Interim dominus Rex Angliæ, audiens quòd Rex filius suus minimè pro-
ficere potuisset in Berria, congregavit magnum exercitum; et statim post fes-
* An. 1177. tum sancti Michaëlis *, promovit exercitum suum in Berriam, et redditum est
* *la Châtre.* ei Castellum-Radulfi. Quo accepto, promovit exercitum suum versùs *Castre* *,
volens illud obsidere; nam dominus illius oppidi filiam Radulfi de Dolis ra-
puerat, et raptam in suam custodiam tenuit, affirmans quòd illam Regi non D
redderet. Sed cùm audisset quòd Rex in manu potenti appropinquasset, venit
ei obviam; et factâ pace cum eo, reddidit ei filiam prædicti Radulfi, et eam (*b*)
tradidit custodiendam apud Chinonem. Et profectus est inde Rex in Lemo-
vensem provinciam, et implacitavit Comites et Barones Lemovenses, et cæ-

» vitium Christianitatis, præter illam partem
» quam ante iter suum certis locis et certis per-
» sonis dandam decrevisset. Et si uterque nostrûm
» decesserit, eligemus (si nobis Deus spatium in-
» dulserit) de probis et fidelibus hominibus nos-
» tris, quibus committetur pecunia utriusque
» nostrûm ad faciendum servitium Christianitatis,
» et qui ducent et regent homines nostros. An-
» tequam etiam iter arripiamus post susceptam
» crucem, faciemus illos jurare quos custodes et
» gubernatores constituemus terrarum nostrarum,
» quòd ipsi bonâ fide cum omni posse suo, si ne-
» cesse fuerit, se invicem juvabunt ad defen-
» dendas terras nostras, cùm ab invicem requisiti
» fuerint : ita quòd illi quos ego Henricus Rex
» Angliæ præfecero ad gubernandum terras meas,
» cum omni posse suo juvabunt ad defendendum
» terras Lodovici Regis Franciæ, domini mei,
» quemadmodùm terras meas defenderent, si
» civitas mea Rotomagi obsessa esset; et eodem
» modo, quòd illi quos ego Lodovicus Rex Fran-
» ciæ præfecero ad gubernandum terras meas,
» cum omni posse suo juvabunt ad defendendum
» terras Henrici Regis Angliæ, quemadmodùm
» terras meas defenderent, si civitas mea Parisius
» obsessa esset. Volo etiam quòd mercatores et om-
» nes homines, tam Clerici quàm laïci, de terra
» Regis Angliæ cum omnibus rebus suis securi
» sint, et pacem habeant per omnes terras meas; et
» ego Henricus Rex Angliæ similiter volo, quòd
» mercatores et omnes homines, tam Clerici
» quàm laïci, de terra Regis Franciæ, domini
» mei, cum omnibus rebus suis sint securi, et
» pacem habeant per omnes terras meas. Hæc
» autem supra scripta nos firmiter observaturos
» promisimus et juravimus, in præsentia venera-
» bilis Petri tituli sancti Chrysogoni Presbyteri
» Cardinalis, Apostolicæ sedis Legati, et in præ-
» sentia Richardi Wintoniensis Episcopi, et Joan-
» nis Carnotensis Episcopi, et Henrici Bajocensis
» Episcopi, et Frogerii Sagiensis Episcopi, et
» Egidii Ebroicensis Episcopi, et Henrici Regis
» Angliæ filii, et Comitis Theobaldi, et Comitis
» Rodberti et Petri de Curteneia, et Comitis
» [Ebroicensis] Simonis, et Willelmi de *Humez*,
» et multorum aliorum, tam Clericorum quàm laï-
» corum ».

(*a*) Hovedenus : *Propè S. Walericum, in costera de* Pontif.

(*b*) Ibid. *quam Rex dedit Baldewino de* Revers *cum honore Castelli Radulfi.*

Digitized by Google

A teros comprovinciales, qui contra eum cum filiis suis tenuerant tempore guerræ; et multa gravamina eis intulit, secundùm quod unusquisque promeruit. Et postea reversus est in Berriam.

Et post festum sancti Martini *, ipse et Rex Franciæ convenerunt apud *Graszay* *, colloquium habituri de controversiis quæ vertebantur inter eos de terris et divisis Alverniæ. In quo colloquio, convocatis Comitibus et Baronibus Alverniæ, Rex Angliæ, volens per eos certificari de jure suo, quæsivit ab eis quod jus prædecessores sui, scilicet Duces Aquitaniæ, habebant in Alvernia. Et responderunt totam Alverniam de antiquo jure pertinere ad dominium Ducis Aquitaniæ, excepto Episcopatu [Claromontensi] quem dicebant pertinere ad donationem * Regis Franciæ. Sed Lodowicus Rex Franciæ noluit consentire huic definitioni, sed elegit ex parte sua tres Episcopos et tres Barones; similiter Rex An-
B gliæ elegit ex parte sua tres Episcopos et tres Barones, ad inquirendum diligenter quis illorum majus jus haberet in Alvernia. Et placuit utrique Regi stare, bonâ fide et sine malo ingenio, dicto et inquisitioni supradictorum duodecim virorum, secundùm præscriptam conventionem superiùs inter illos factam.

* An. 1177.
* *Grossai.*
* *f.* dominationem.

Itaque finito illo colloquio, Rex perrexit usque Grandem-montem; et Audebertus Comes Marchiæ veniens illuc ad eum, coram Archiepiscopo Burdegalensi et Johanne Episcopo Pictaviæ, et pluribus aliis tam Clericis quàm laïcis, vendidit prædicto Regi totum Comitatum Marchiæ, pro XV [millibus] librarum Andegavensis monetæ, et viginti palefridis, sicut in hac subscripta carta Comitis continetur (*a*).

His itaque apud Grandem-montem [gestis], Rex Angliæ recepit homagia et fidelitates et ligantias de Baronibus et militibus terræ Comitis Marchiæ, quam emerat. Et Audebertus Comes Marchiæ, acceptâ pecuniâ quam Rex ei
C debuit, cum festinatione recessit. Et Rex Angliæ inde recedens, venit in Andegaviam; et quia festum Dominicæ Nativitatis instabat, ibidem moram fecit.

Anno ab Incarnatione Domini MCLXXVIII (*b*), Henricus Rex Angliæ, filius Mathildis Imperatricis, die Natalis Domini (quæ Dominicâ evenit) curiam suam tenuit apud Andegaviam civitatem; et convocatis Principibus et Majoribus illius provinciæ, solemne festum celebravit. Similiter idem Rex Angliæ ibidem solemne festum celebravit in solemnitate Paschali. Et post Pascha in Normanniam rediit; et missis nunciis suis ad Lodowicum Regem Franciæ, ab eo impetravit (*c*) quòd ipse Rex Franciæ in manu sua et custodia recepit omnes terras suas transmarinas, scilicet Normanniam et Andegaviam, et Britanniam, et omnes alias terras suas, sicut in hoc subscripto continetur (*d*).

An. 1178.

Itaque Henricus Rex Angliæ honori suo et regni sui securitati, modis om-
D nibus quibus potuit, providens, Justitias suas et Rectores, de quorum fidelitate et prudentia confidebat, in Normannia et in cæteris terris suis transmarinis constituit. Et quia ad aures ipsius et Regis Franciæ pervenerat, quòd quædam gens perfida, quæ se Bonos-homines appellari fecerant, in terra Tolosana congregata erat, et quòd ipsi christianæ fidei contraria prædicabant, et quòd multorum animas falsâ prædicatione deceperant; noluit in Angliam transfretare (quòd jamdiu affectaverat) donec per consilium et adjutorium Regis Franciæ tales viros, tam ecclesiasticos quàm laïcos, in terram Tolosanam misisset, qui præfatam gentem perfidam, vel prædicatione suâ ad veræ fidei cog-

(*a*) « Notum sit tam præsentibus quàm futuris, » quòd ego Audebertus Comes Marchiæ, mortuo » filio meo, quem solum habebam hæredem, » devotus propriæ voluntatis arbitrio, quia Deo » in perpetuum voveram deservire, vendidi to- » tam terram meam, et quidquid me jure hære- » ditario contingebat, domino meo Henrico il- » lustri Anglorum Regi; nullo penitùs reclamante, » imò nullo penitùs existente qui de jure posset » reclamare, pro quindecim millibus librarum » Andegavensis monetæ, mihi in integrum apud » Grandem-montem persolutis, et pro viginti » malis et pro viginti palefridis. Firmavi autem » fide meâ corporaliter præstitâ in manu Willielmi » Burdegalensis Archiepiscopi, me domino Regi » et hæredi suo Pictaviæ, vel cuicumque dona- » verit eam, prædictam terram gwarantizaturum » bonâ fide et sine malo ingenio contra omnes » homines, et in tota vita mea me nihil facturum, » neque maritagio, neque alio quocumque modo, » quominùs prædicta venditio inconcussa perma- » neat. Ne autem mea hæc venditio solemniter » celebrata, aliquâ possit in posterum malignitate » divelli, eam sigillo meo munivi. Actum publicè » anno ab Incarnatione Domini MCLXXVII, mense » Decembri, apud Grandem-montem, præsenti- » bus Archiepiscopo Burdegalensi et Johanne » Pictaviensi Episcopo, et pluribus aliis.

(*b*) Hovedenus : *Qui erat annus vicesimus quartus regni Regis Henrici filii Matildis.*

(*c*) Ibid. *Impetravit ab eo litteras protectionis.*

(*d*) *Lodowicus Rex Franciæ, omnibus ad quos præ- » sentes litteræ pervenerint, salutem.* Noverit uni- » versitas vestra quòd nos recepimus in custodiam » nostram totam terram Henrici Regis Angliæ, » karissimi fratris nostri, in cismarinis partibus » sitam, si contigerit eum in Angliam transfretare, » vel peregrè proficisci : ita quòd, quando ballivi » sui de terra transmarina nos requisierint, præs- » tabimus ad ejus terræ defensionem et pro- » tectionem, bonâ fide et sine malo ingenio, eis » consilium et auxilium. Actum apud Vicenas.

Digitized by Google

nitionem converterent, vel debellationibus suis a terris eosdem et a christiana A
conversatione eliminarent. Itaque habito cum Rege Franciæ et Majoribus regni
consilio, utrique placuit quòd illuc simul irent in propriis personis, cum manu
potenti et bellicosa, ad debellandam præfatam gentem.

Elapso demùm aliquanto temporis spatio, displicuit prædictis Regibus hoc con-
* *f.* religiosos silium, et videbatur eis plus posse proficere, si viros sapientes et bellicosos*
* *subaud.* personis misissent, quàm si in propriis * essent.... Elegerunt [itaque] Petrum tituli S.
Chrysogoni Presbyterum Cardinalem, Apostolicæ sedis Legatum, et Bituricen-
sem et Narbonensem Archiepiscopos, et Reginaldum Battoniensem et Johannem
Pictaviensem, et Abbatem Henricum Clarevallensem, et multos alios eccle-
siasticos, de quorum prædicatione et doctrina confidebant (*a*). Præterea eligebant
Vicecomitem de Turrena, et Reimundum de Castro-novo, et Comitem To-
losanum, et multos alios viros potentes; et miserunt illos, ut vel ipsam gentem B
ad fidem Christianorum converterent, vel prorsùs a finibus eorum eliminarent.

Cùmque præfatus Cardinalis et Episcopi, cum Abbatibus, Comitibus et
Baronibus, qui eis associati fuerant, Tolosam civitatem venirent, invenerunt
ibi quemdam divitem duo castella habentem, unum infra civitatem et aliud
extra muros civitatis, qui ante illorum adventum se hæreticæ pravitatis sec-
tatorem profitebatur; et jam præ timore exterritus, sectam illam execrabilem
velare cupiens, Christianum se esse simulabat. Sed cùm hoc præfato Cardi-
nali innotuit, præcepit prædictum divitem coram eo adduci. Cùmque adductus
esset ut fidem suam confiteretur, in omnibus articulis inventus fuit christianæ
fidei contrarius; et ideò a prædicto Cardinali et Episcopis qui cum eo erant,
manifestus hæreticus judicatus est et condemnatus; et ab ipsis præceptum est
ut res ipsius confiscarentur, et ut turres ejus, quas proceras et pulcherrimas C
habuit, funditùs everterentur. Qui cùm vidisset se damnatum esse, et res
confiscari, venit ad Cardinalem et ad socios suos Episcopos; et prostratus
ad genua eorum, veniam petiit, [et rogavit] ut erudirent eum in fide catho-
lica, et crederet; et ipse, injunctâ sibi pœnitentiâ, nudus factus et ligatus
manus suas a tergo, per vicos et urbis plateas fustibus cæsus, ducitur. Cùm-
que ita cæsus fuisset, et christianæ fidei professionem professus, in remissio-
nem peccatorum suorum Jerosolymam ire constituit, et in eundo et redeundo,
et ibi moram faciendo, trium annorum spatium in pœnitentia recepit. Tandem
tamen, ad instantiam Cardinalis et eorum Episcoporum qui affuerant, impe-
travit a domino suo Comite Tolosano quòd, peractâ peregrinatione Jerosо-
lymitanâ, liberè liceret ei domum redire, redditis sibi possessionibus suis; ita
tamen quòd turres illæ caderent in testimonium hæreticæ pravitatis, et daret D
domino suo Comiti Tolosano quingentas libras argenti (*b*). His itaque gestis,

(*a*) Hovedenus : *Ut prædicatione suâ hæreticos illos ad fidem christianam converterent, vel rationibus probabilibus illos esse hæreticos manifestarent, et a liminibus sanctæ matris Ecclesiæ et fidelium consortio sequestrarent : qui cùm venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum Sanctum ; nondùm enim in quemquam illorum venerat. Præterea,* etc.

(*b*) Nomen hujus hæretici, quod hìc reticetur, prodit Henricus Clarevallensis Abbas in epist. de damnatione Arianæ hæresis in urbe Tolosa, ibidem pag. 275 et apud Hovedenum edita, in qua rei gestæ series uberiùs declaratur.

.... « Contigit nuper, *inquit*, ad imperium » domini Papæ et hortatu piissimorum Principum » Ludovici Francorum et Henrici Anglorum Re- » gum, dominum Petrum Apostolicæ Sedis Lega- » tum, virosque venerabiles Pictaviensem et Ba- » thoniensem Episcopos, nosque in comitatu eo » rum urbem adire Tolosam : quæ sicut erat civitas » maximæ multitudinis, ita etiam dicebatur esse » mater hæresis et caput erroris. Perreximus ergo » ad illam, ut sciremus si juxta clamorem qui » ascendit, esset dolor ejus. Et ecce inventa est » plaga ejus magna nimis, ita ut a planta pedis » usque ad verticem capitis vix esset in ea sanitas. » Verè enim tertia pars nobis nunciata non fue- » rat de omnibus abominationibus suis malis, » quas civitas illa nobilis in incredulitatis suæ » gremio confovebat. Locum in ea sibi abomi- » natio desolationis invenerat, et propheticorum » similitudo reptilium in latibulis ejus domici- » lium obtinebat. Ibi hæretici principabantur in » populo, dominabantur in Clero, eò quòd ut » populus sic Sacerdos, et in interitu gregis ipsa » configurabatur vita Pastoris. Loquebantur hæ- » retici, et omnes admirabantur : loquebatur » Catholicus et dicebant, *quis est hic ?* in stupo- » rem et miraculum deducentes, si esset aliquis » inter eos, qui de verbo fidei auderet aliquid » vel mutire. In tantum prævaluerat pestis in » terra, quòd illi sibi non solùm Sacerdotes et » Pontifices fecerant, sed etiam Evangelistas ha- » bebant : qui, corruptâ et cancellatâ evangelicâ » veritate, nova illis Evangelia cuderent, et de » corde suo nequam recentia dogmata seducto » populo prædicarent. Mentior si non erat inter » eos homo quidam ætate grandævus, rebus lo- » cuples, ornatus fratribus et amicis, et magnus » omninò inter maximos civitatis : quem ita, » peccatis exigentibus, diabolus excœcaverat, » ut seipsum Joannem Evangelistam diceret, et » Verbum quod erat in principio apud Deum, » ab alio quodam rerum principio, tanquam a » Deo altero segregaret. Hic erat in urbe illa pe- » reuntium caput et princeps hæreticorum : qui » licèt tanquam laïcus et idiota nihil saperet, » inter eos tamen velut quidam diabolicæ sa- » pientiæ fons, perditionis et mortis felleos la- » tices emanabat. Conveniebant ad eum noctibus » noctuæ tenebrosæ, et ille indumento quodam » ad instar tunicæ [Dalmaticæ] vestitus, cùm » sederet inter eos, tanquam Rex cum circums-

Digitized by Google

A multi hæretici, timentes ne simili modo tractarentur, venerunt ad Cardinalem illum, et ad Episcopos qui secum erant, et secretò confessi sunt errorem suum, et veniam meruerunt.

» tante exercitu, erat et inerat desipientium » prædicator. Totam penitùs urbem discipulis » suis repleverat, quippè cui aliquis de urbe » præ fortitudine suâ resistere non audebat. In » ipso quoque introitu nostro, tanta erat hæreticis » ubique licentia, ut nos quoque per vicos et » plateas recto itinere procedentes, subsannarent » verbo, digito demonstrarent, nos impostores, » hypocritas, hæreticos conclamantes. Verùm » procedente tempore, et datâ nobis requie die- » bus paucis, injunctum est uni de nobis verbum » exhortationis assumere, et de regula veræ fidei » coram infideli multitudine disputare. Habito » autem sermone Orthodoxæ prædicationis ad » plebem, conterriti sunt in Sion peccatores, » possedit timor hypocritas, ita ut qui priùs obs- » truebant ora loquentium, jam aperire coram lo- » quentibus non auderent. Audires illicò vel vi- » deres vulpes transfiguratas in talpas, ut quæ » priùs in publico impunè discurrebant, jam » terrarum latebris, jam sese cellulis immerge- » rent cavernosis, et plantaria sacra quæ jam » non audebant in aperto commandere, intra » terræ viscera corroderent et necarent. Ne au- » tem pardus ille discolor pellis suæ varietate se » proderet, sermonem sibi nequam callidis adin- » ventionibus firmaverunt, ut ad nostræ con- » firmationis similitudinem simulandam, tracti » ad discussionis gravamen, quidquid nos credi- » dimus se credere mentirentur. Ex illa ergo die » dominus Legatus, et nos et alii, qui cum feris » bestiis in aperto congredi putabamus, ad per- » scrutandos eos, quos timor et confusio tan- » quam ignobiles in ima terræ detruserat, stu- » dium totum convertimus et laborem, ut vel » coacti prodirent in publicum, et abjicerent in » luce opera tenebrarum. Factum est exinde, » præcipiente Legato, ut juraret Episcopus et » quidam de Clero et Consules civitatis, aliique » civitatis viri fideles, quos nondùm in aliquo » perfidiæ fama resperserat, quòd quoscumque » vel hactenùs noverant, vel nosse eos contingeret » in futuro, qui essent hujus hæresis vel complices » vel auctores, eorum nobis nomina scripto de- » promerent, nulli penitùs vel amore vel pretio, » vel cujuspiam necessitudinis ratione parcentes. » Cùmque per dies singulos innumera multitudo » in catalogum illius conscriptionis incideret, » nominatus est inter alios magnus ille Petrus » Moranus, quem Joannem Evangelistam, ut » supra diximus, nominabant. Super quo nos » omnes communicato consilio, decrevimus ab » illo inchoare judicium, ut turba in reliquis » perfida contremisceret, cùm falsi Evangelistæ » versutiam veri Evangelii simplicitas condem- » nasset. Missis ergo apparitoribus, præcepit eum » Comes S. Ægidii, qui fideliter nobis aderat, » accersiri. Sed ille in multitudine divitiarum sua- » rum et parentum numerositate confidens, » primæ citationis edictum fastuosæ dilationis » colludio declinavit. Alterâ ergo die prædictus » Comes, blanditiis magis quàm terroribus enitens, » eumdem Petrum per amicos et notos leniter » advocavit, et eum nobis tandem, post difficul- » tates plurimas veniendi, mixtis cum terrore » blanditiis præsentavit. Tunc unus qui loque- » batur e nobis, taliter eum exortus est commo- » nere : *Eia nunc, Petre, tui te concives accusant* » *quòd, sanæ fidei regulis confutatis, in Arianæ* » *hæresis deveneris pravitatem : imò per multiplicium* » *errorum devia et ducas ipse alios et ab aliis dedu-* » *caris*. Ad hæc ille de profundo suspirans, et » tactus dolore cordis intrinsecùs, se non esse » hujusmodi est primâ fronte mentitus. Et requi- » situs an hoc juramento probaret; simplici as- » sertioni suæ, tamquam fidelis viri et illustris, » credi oportere contendit. Cæterùm cùm in » exigendo juramento universi pariter instaremus; » promisit se continuò juraturum, ne in hoc ipso » deprehenderetur hæreticus, si juxta quod con- » suetudo illius erroris obtinuit, vitandi juramenti » existeret obstinatus. Mox igitur Sanctorum re- » liquiæ honorabiliter efferuntur, cum tam so- » lemni reverentiâ et devotione susceptæ, ut et » fidelis populus compungeretur ad lacrymas, et » hæreticos qui convenerant tenebræ potiùs quàm » talia spectacula delectarent. Ipsum verò Petrum » in cantu, quem ad invocandam Spiritûs Sancti » præsentiam profusis lacrymis cantabamus, tre- » mor evidens et pallor operuit vultum ejus; » ita ut ab eo et color vultûs aufugeret, et vigor » animi deperiret. Quomodò enim, adveniente » Spiritu Sancto, in adversario ejus spiritus re- » maneret? Cernere erat hominem, quasi morbo » paralytico dissolutum, nec loquelam retinuisse » nec sensum, quamvis tantæ facundiæ fuisse di- » ceretur ab omnibus, quòd omnes in dicendo » sit solitus superare. Quid plura? Jurat infelix, » astantibus universis, quòd de omnibus articulis » fidei, quos requireremus ab eo, suæ credulí- » tatis exprimeret veritatem. Res mira et in tali » spectaculo piâ jocunditate gratissimâ! Apertus » est liber in quo juraverat, et uno de circums- » tantibus religioso, quodam joco, occurrentis » litteræ prænosticum perquirente, illius scrip- » turæ textus occurrit : *Quid tibi et nobis Jesu fili* » *Dei? Venisti ante tempus torquere nos?*... Demùm » Petrus in virtute sacramenti simpliciter requi- » situs ut de sacramento altaris suam nobis fidem » sine fraude aliquâ fateretur; quod corde non » credidit ad justitiam, nec ore confessus est ad » salutem. Sed contra id quod de omnibus men- » tiri decreverat, falsitatis suæ prodidit verita- » tem, et panem sanctum vitæ æternæ Sacerdotis » ministerio in verbo Domini consecratum non » esse corpus Domini novo dogmate contendebat. » Tunc surrexerunt omnes, eum quodammodo » lacrymis obruentes, quas et sacramentorum » Christi contemptus elicuit, et habita erga mi- » serum compassio christiana prodidit. Nec plura : » dant Comiti [responsum]; reus et hæreticus » judicatus est, statimque sub diligenti pollicitâ- » tione parentum custodiæ publicæ mancipatur. » Volat facti rumor per vicos et plateas amplissimæ » civitatis....

» Interea Petrus ad se reversus, et Domino res- » piciente compunctus, cùm se dignum cerneret » tam præsenti morte quàm futurâ, missis me- » diatoribus multis, satisfactionis quærit aditum » et conversionis pollicetur effectum, ut posset » in frugem melioris vitæ ab imminentis mortis » interitu liberari. Venit, recipitur, et in cons- » pectu sistitur populi circumstantis, nudo qui- » dem corpore, veteris perfidiæ exuens pravita- » tem. Ibi se coram omnibus hæreticum reco- » gnovit, ibi dedit manus fidei, ibi renunciavit » errori : præstito coram omnibus manu dexterâ » juramento, et datis fidejussoribus tam Comiti » ipsi quàm militibus et præcipuis concivibus » suis, quòd ad omne mandatum domini Legati » se subderet et jussionem ejus in omnibus adim- » pleret. Tunc indictum est populo ut omnes pa- » riter ad Ecclesiam S. Saturnini die alterâ con- » venirent, audituri et visuri solemniter quam » pœnitentiæ formam Petrus ille susciperet ob- » servandam. Omnes igitur sequenti die, ut fue- » rant prænoniti, convenerunt; tanta utique » multitudo, tam frequens, ut vix remaneret » secus ipsa altaris cornua locus vacuus, qui do- » mino Legato Missæ solemnia celebranti sine » compressione nimiâ præberetur. Et ecce coram » illâ multitudine multâ nimis, Petrus ille jam » noster per ipsas Ecclesiæ valvas nudus et dis- » calceatus adducitur, cædentibus hinc inde » eum Episcopo Tolosano et Abbate S. Saturnini, » donec ad pedes Legati in ipsis altaris gradibus » poneretur. Ibi in facie Ecclesiæ ecclesiasticis re- » conciliatus est sacramentis, abjurata omni hæ- » resi et hæreticis anathematizatis ab eo. Mox » autem possessionibus ejus publicatis universa- » liter et proscriptis, pœnitentia illi talis injun- » gitur, ut infra quadraginta dies a patria sua exu-

Digitized by Google

Inter hæc, pervenit ad aures illorum quòd quidam falsi fratres, Raymun- A
dus videlicet de Bauviaco, et Bernardus Raymundi, et quidam alii hæresiarchæ, transfigurabant se in Angelos lucis, cùm sint Sathanæ; et christianæ fidei contraria prædicantes, multorum animas falsâ prædicatione decipiebant, et secum traxerant ad inferos. Qui cùm audissent adventum prædicti Cardinalis, et Episcoporum qui cum eo venerant, et invitati essent ut venirent ante eos, ut fidem suam confiterentur, responderunt se ad illorum præsentiam venturos, si eundi et redeundi haberent securitatem. Datâ itaque eis securitate eundi et redeundi, venerunt coram prædicto Cardinali et Episcopis, et Comitibus et Baronibus, Clero et populo qui aderant, et in medium protulerunt quamdam cartam, in qua fidei suæ articulos conscripserant. Quam cùm prolixiùs, sicut conscripta fuerat, perlegissent, quædam verba videbantur in ea suspecta existere, et nisi pleniùs exponerentur, hæresim quam prædicabant possent velare. Cùmque unus illorum B
articulos illos conscriptos exponere, et latinè loqui vellet; vix duo verba conjungere potuit, utpote qui linguam latinam penitùs ignoravit, et sic omninò defecit. Tunc necesse fuit Cardinalem illum et Episcopos illis condescendere, et propter illorum imperitiam vulgarem habere sermonem.

Itaque de articulis fidei christianæ examinati, responderunt super omnibus articulis fidei, ita sanè et circumspectè, ac si christianissimi essent. Quod cùm Comes Tolosæ, et cæteri qui priùs audierant ipsos christianæ fidei contraria prædicasse, [audissent]; vehementi admiratione commoti, et christianæ fidei zelo succensi, surrexerunt, et eos planè in caput suum mentitos fuisse manifestiùs convicerunt. Cardinalis autem et illi qui cum eo erant, cupientes animas hæreticorum illorum Domino lucrifacere, et scire volentes si ita corde crederent, et in corde et ex corde dixerint, sicut superiùs confessi fuerant; C
præceperunt illis hoc jurare coram omni populo. Sed ipsi jurare noluerunt, dicentes se non debere jurare, cùm Dominus dicat in Evangilio : *Nolite omninò jurare; sed sit sermo vester : est, est; non, non.* Itaque cùm jurare nollent, et sic velarent impietatem suam; prædictus Cardinalis et qui cum illo erant, illos manifestos hæreticos esse judicaverunt, et ex communi consilio sententiam anathematis in eos tulerunt. Unde prædictus Cardinalis, universis sanctæ matris Ecclesiæ filiis sub hac forma scripsit (*a*).

» latus abscederet, in servitio pauperum Jerosolymis triennio moraturus. Interim verò singulis » diebus Dominicis Ecclesias Tolosanæ urbis nudus et discalceatus cum disciplinalibus virgis » jussus est circuire; Ecclesiarum bona quæ abstulerat, reddere; usuras omnes quas acceperat, » restituere; damna pauperum quos afflixerat, resarcire, et castrum quoddam suum, quod hæreticorum conventiculis profanarat, ab ipsis fundamentis evertere....

» Post hæc, illo dimisso, dominus Legatus ad » alios manus misit, excommunicaturus utique » illos, quos in magno numero vel suspicio publica, vel accusatio privata notaverat. Nos autem (vix tandem cum lacrymis extortâ licentiâ » revertendi, pro eo quòd instantia Capituli nostros jam reditus exigebat) petita licentia sub » ea nobis est conventione concessa, ut Albiensem diœcesim intraremus, commonituri Principem terræ, Rogerum videlicet Biterrensem, » ut et Albiensem Episcopum, quem sub custodia hæreticorum in [illegible]culis tenebat, absolveret, » et universam terram suam juxta præceptum domini Legati, eliminatis hæreticis, emundaret. » Ingredientibus ergo nobis, unà cum supradicto » Bathoniensi Episcopo, illam perditissimam regionem, quæ velut totius sentina malitiæ, » totam in se colluvionem hæresis illùc defluentis » excepit; prædictus Rogerus in ultimos et inaccessibiles terræ suæ fines abscessit, tam malâ » conscientiâ profugus, quàm causæ suæ merito » desperatus : oderat enim lucem veritatis auctor » malitiæ, nec sustinere poterat nostræ collocutionis accessum, qui totus recesserat in opera » tenebrarum. Pervenimus tandem ad quoddam » munitissimum castrum ejus, quod propriè ac » singulariter Castri nomine incolæ nuncupabant. » Ibi habitabat uxor illius cum militia magna et » familia multa nimis. Omnes ferè habitatores » ejusdem castri vel hæretici vel hæreticorum » complices erant, licèt solâ Domini virtute » repressi, nihil contra fidem quam prædicaba» mus, præsumerent vel mutire. Quamvis enim » essemus in manus eorum positi, et velut in » eorum quasdam potentiæ suæ compedes hæ» reticâ undique multitudine circumventi, ver» bum tamen Domini non erat alligatum, quin » eos continuis invectionibus et increpationibus » feriremus. Et cùm videremus quòd nihil om» ninò præsumerent respondere; judicavimus » prædictum Rogerum proditorem, hæreticum, » et de violata Episcopi securitate perjurum, » eum tanquam publicâ excommunicatione dam» natum ex parte domini Papæ et prædictorum » Regum, in præsentia conjugis militumque suo» rum, in nomine Christi confidenter diffidantes. » Ecce amodò satis apparet, quàm grande et evi» dens ostium patet Principibus Christianis, ut » Christi ulciscantur injurias, ponantque deser» tum quasi hortum Domini, et solitudinem ejus » in delicias paradisi. Ne autem vel parùm vel » nihil fieri contra illos posse causentur, sciant » omnes generalem fuisse in urbe sententiam, » quòd, si ista visitatio fuisset adhuc triennio re» tardata, vix inveniretur in ea qui nomen Christi » ampliùs invocaret. Super hæc autem omnia præ» dictus Comes S. Ægidii, coram populo civitatis » præstito juramento, firmavit quòd amodò nec » prece nec pretio favebit hæreticis ».

(*a*) « *Petrus, Dei gratiâ, tituli sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis, Apostolicæ Sedis Legatus, universis sanctæ matris Ecclesiæ filiis, catholicam atque apostolicam fidem servantibus, in Domino salutem.* Testante Apostolo, sicut unus Deus, ita » una fides esse dignoscitur; a cujus integritate » nullus potest sine periculo deviare : cujus fundamentum, præter quod nullus aliud potest ponere, » Apostoli et Apostolici viri successores eorum, » inspirante et docente Spiritu Sancto, sanis doctrinis, tanquam vivis ex lapidibus, ita firmi-

interim

Digitized by Google

A Interim Alexander summus Pontifex misit Legatos suos per universas nationes, Deo et Ecclesiæ Romanæ subjectas; et invitavit omnes tam Archiepiscopos,

» ter et circumspectè gesserint, quòd nec so-
» nantis impetus Aquilonis, nec impiorum ma-
» chinæ, licèt crebris assultibus impugnetur, illud
» poterunt a sua firmitate movere. Unde, quamvis
» diebus istis, quidam falsi fratres, Raimundus
» de Bauviaco, Bernardus Raimundi, et quidam
» alii, transfigurantes se in Angelos lucis, cùm
» sint Sathanæ, priùs christianæ et Apostolicæ
» fidei contraria prædicantes, venenosâ prædica-
» tione multorum animas deceperunt, et secum
» traxerunt ad ruinam: novissimè tamen, ille qui
» revelat mysteria, et ad confutandos seniores
» Israel dedit spiritum Danieli, ad animas dia-
» bolicâ fraude deceptas respiciens, noluit ul-
» teriùs perfidiam illorum velari, nec christianæ
» fidei sinceritatem illorum prædicatione cor-
» rumpi; sed suâ admirabili potestate, audien-
» tibus et videntibus multis, quod priùs latuerat
» venenum perfidiæ detexit, in augmentum et
» gloriam fidei christianæ. Cùm itaque prædicti
» Raimundus et Bernardus, atque alii, venera-
» bili fratri nostro Reginaldo Bathoniensi Epis-
» copo, et nobilibus viris, Vicecomiti de Tu-
» renna, et Raimundo de Castro-novo, qui de
» consilio nostro in terram Rogeri de *Bedieres*,
» pro liberatione venerabilis fratris nostri Al-
» biensis Episcopi venerant, occurrissent, et se
» confiterentur a nobili viro Comite Tolosæ et
» aliis Baronibus, qui eos in perpetuum abjura-
» verant, injustè tractari; cùm pro defensione suæ
» fidei ad præsentiam nostram se venturos propo-
» nerent, si veniendi et redeundi securitatem ha-
» berent, memorati Episcopi et Vicecomes, ne
» corda simplicium qui illorum erant fœce im-
» buti, scandalum paterentur, et diffidentiæ ad-
» scriberent, si eis audientia negaretur, ex parte
» nostra et prædicti Comitis indulserunt, ut cum
» omni securitate se conspectui nostro præsenta-
» rent, quatinùs sub nostro et venerabilis fratris
» nostri Pictavensis Episcopi, Apostolicæ Sedis Le-
» gati, et aliorum discretorum virorum et totius
» populi examine audirentur; et si rectè et sanè
» crederent, probarentur, et postquam a nobis
» examinati fuissent, nihilominùs ad propria re-
» mearent securi, ne metu vel violentiâ quâlibet
» ad confessionem veræ fidei viderentur inducti:
» ita tamen quòd, post elapsos octo dies, juxta
» edictum quod exierat, nisi ad fidem nostram re-
» dirent, de terris Principum qui eos abjuraverant,
» deberent expelli. Nos itaque eis indulgentiam
» ab Episcopo et Vicecomite factam, quamvis a
» præfato Comite Tolosæ et aliis nobilibus viris,
» sicut diximus, jam exierat edictum ut de terris
» eorum deberent expelli, ratam habentes, eo-
» dem Pictavensi Episcopo et Comite Tolosæ,
» et aliis Clericis et laïcis quasi trecentis, in Ec-
» clesia beati Stephani nobiscum pariter congre-
» gatis, illis injunximus ut fidem suam nobis ex-
» ponerent; et ad catholicæ fidei veritatem re-
» deuntes, infamiam, quam et tota terra et ipsi
» pariter per damnabilem prædicationem incur-
» rerant, per salutiferam confessionem veræ fidei
» removerent. Ipsi verò, inter alia verba quæ
» hinc inde processerunt, cartam quamdam, in
» qua fidei suæ articulos conscripserant, in me-
» dium protulerunt, et eam, sicut prolixiùs con-
» scripta fuerat, perlegerunt. In qua cùm verba
» quædam deprehendissemus, quæ et suspecta esse
» videbantur, et nisi pleniùs exponerentur, hæ-
» resim quam prædicaverant possent velare, quæ-
» simus ut, verbis latinis respondentes, suam
» fidem defenderent, tum quia lingua eorum non
» erat nobis satis nota, tum quia Evangelia et
» Epistolæ, quibus tamen fidem suam volebant
» confirmare, latino eloquio noscuntur esse con-
» scripta. Cùmque id facere non auderent, utpotè
» qui linguam latinam penitùs ignorabant (sicut
» in verbis unius eorum apparuit, qui, cùm la-
» tinè vellet loqui, vix duo verba jungere potuit,
» et omninò defecit) necesse fuit nos illis con-
» descendere, et de ecclesiasticis sacramentis,
» propter imperitiam illorum, quamvis satis erat
» absurdum, vulgarem sermonem habere. Illi igitur
» duo principia esse penitùs denegantes, publicè
» coram nobis et prædictis viris confessi sunt,
» et firmiter asseruerunt quòd unus Deus altissimus
» omnia visibilia et invisibilia condidisset, quòd
» scripturis, sicut verum est, Evangelicis et Apos-
» tolicis comprobatur. Confessi sunt etiam quòd
» Sacerdos noster, bonus sive malus, justus vel
» injustus, et talis etiam quem adulterum aut
» aliàs criminosum esse sciebant, indubitanter
» corpus et sanguinem Christi posset conficere, et
» per ministerium hujusmodi Sacerdotis, et virtu-
» tem divinorum verborum, quæ a Domino pro-
» lata sunt, panis et vinum in corpus et sangui-
» nem Christi verè transibant. Asseruerunt quoque
» quòd parvuli vel adulti, nostro baptizati bap-
» tismate, salvantur, et nullus sine nostro baptis-
» mo potest salvari: omninò inficiantes se aliud
» baptisma, aut manûs impositionem, sicut eis
» imponebatur, habere. Affirmaverunt nihilomi-
» nùs, quòd vir et mulier matrimonio copulati,
» si aliud peccatum non impediat, licèt carnaliter
» alter alteri debitum reddat, propter bonum
» matrimonii excusati salvantur, et propter hoc
» nunquam damnabuntur. Archiepiscopos præte-
» rea et Episcopos, Presbyteros, Monachos, Ca-
» nonicos, Heremitas, Templarios, Hòspitalarios,
» affirmaverunt esse salvandos. Dignum quoque et
» justum esse dicebant, ut Ecclesias in honorem
» Dei atque Sanctorum fundatas, cum summa de-
» votione visitantes adirent, et Sacerdotibus et
» aliis eorum ministris honorem et reverentiam
» exhibentes, primitias et decimas eis persolvere
» deberent, et de omnibus parochialibus devotè
» respondere. Eleemosynas etiam, tam Ecclesiis
» quàm pauperibus, necnon et Omnipotenti esse
» tribuendas, inter cætera laudabiliter asserebant.
» Hæc omnia, licèt priùs dicerentur negasse,
» juxta sanum nostrum intellectum se intelligere
» asserebant. Postquam autem ita a nobis exami-
» nati sunt, et ea quæ diximus spontaneâ volun-
» tate confessi; Ecclesiam beati Jacobi introivi-
» mus, ubi nobiscum innumera hominum mul-
» titudo, quæ se quasi ad spectaculum præparabat,
» convenit, et confessionem fidei eorum, quæ in
» prædicta cartula conscripta fuerat, vulgari ser-
» mone audivit. Porrò cùm a nobis et omni po-
» pulo qui ibidem convenerat, cum omni patien-
» tia et sine tumultu aliquo fuissent auditi, et ipsi
» sponte finem dicendi fecissent; quia expositio
» suæ fidei satis laudabilis et catholica videbatur,
» iterùm ab eis, audiente universo populo, quæ-
» sivimus si corde crederent, quod ore fuerant
» confessi? et si aliquando in contrarium, sicut
» eis sæpiùs impositum fuerat, prædicassent? Illis
» verò respondentibus se ita credere, et nihilo-
» minùs negantibus se unquam aliter prædicasse,
» nobilis vir Comes Tolosensis, et multi alii Cle-
» rici et laïci, qui eos audierant aliter prædi-
» cantes, vehementi admiratione commoti, et
» christianæ fidei zelo succensi, surrexerunt, et
» eos planè in caput suum mentitos fuisse mani-
» festiùs convicerunt. Quidam enim constanter
» proposuerunt se a quibusdam illorum audisse,
» quòd duo Dii existerent, alter bonus et alter
» malus; bonus, qui invisibilia tantùm, et ea quæ
» mutari aut corrumpi non possunt; malus, qui
» cœlum, terram et alia visibilia condidisset: alii
» affirmaverunt se in eorum prædicatione audisse
» corpus Christi non confici per ministerium Sa-
» cerdotis indigni aut aliquibus criminibus irre-
» titi. Multi similiter testati sunt eos prorsùs ne-
» gantes audisse virum cum uxore salvari, si alter
» alteri debitum reddat. Alii in faciem illis firmi-
» ter opponebant, quòd ab ipsis audissent bap-
» tismum puerulis non prodesse, et alias quam-
» plures contra Deum, et sanctam Ecclesiam,
» atque catholicam fidem blasphemias protulisse,
» quas pro abominabili eorum enormitate tacere
» maluimus quàm proferre. Quidquid autem illi
» in sua superiori confessione, quæ satis videba-
» tur ad salutem sufficere, si ita corde crederent

Digitized by Google

quàm Episcopos et Abbates ad Concilium, statuens eis locum et terminum, A
scilicet Romæ, a proximo Capite jejunii sequente in annum. Dùm autem Henricus Rex Angliæ moram faceret in Normannia ; ecce quidam Clericus Romanæ Curiæ, qui Albertus de Sunia vocabatur, venit ad eum, missus a latere summi Pontificis, ad summonendum omnes Archiepiscopos, Episcopos et Abbates Angliæ et Normanniæ, venire Romam ad prædictum Concilium. Et acceptâ a Rege licentiâ peragendi legaciam suam, in Normannia remansit. Et Rex Angliæ in Angliam transfretavit, et applicuit apud *Dighesmutam*, Idus
* An. 1178. Julii *, Sabbato; et statim sicut mos suus erat, iter peregrinationis suæ arripuit ad beatum Thomam Cantuariensem Martyrem. Et edoctus de adventu Willelmi Remensis Archiepiscopi, qui in Angliam venire affectaverat, causâ visitandi limina beati Thomæ Martyris, circa Lundonias moram fecit. Cùmque verò prædictus Archiepiscopus in Angliam applicuisset, habuit ipsum Regem B
sibi obvium, et ab eo honorificè susceptus est. Et factâ cum Rege per aliquantulum temporis spatium morâ, reversus est in patriam suam.

Rex verò, post prædicti Archiepiscopi recessum, Gaufridum filium suum Comitem Britanniæ militem fecit apud *Wdestokam* : qui statim postquàm arma militaria susceperat, in Normanniam transfretavit, et in finibus Franciæ et Normanniæ, et in aliarum terrarum finibus, militum conflictibus aptis et statutis vires suas exercuit; et artes Martis præludens, gaudebat se bonis militibus æquiparari. Et eò magis probitatis suæ gloriam quæsivit, quò fratres suos Henricum Regem scilicet et Ricardum Ducem Pictaviæ, in armis militaribus plus florere cognovit. Et erat eis mens una, scilicet plus cæteris posse in armis; quia ars bellandi, si non præluditur, cùm fuerit necessaria, non habetur....

* Vox fortè delenda. Eodem anno, Ricardus Dux Normanniæ * et Aquitaniæ, post transfretationem Henrici Regis Angliæ patris sui, cum magno exercitu in Pictaviam pro- C
* *Acqs* vel *Dax*. fectus, ad Assiensem * civitatem venit; et invento ibi Comite Bigorniæ [Centulo] incarcerato, quem cives ejusdem civitatis incarceraverant (*a*), magno fluctuavit gaudio. Sed Amfussus Rex Arragonum, dolens quòd amicus suus Comes Bigorniæ tenebatur in vinculis, venit ad præfatum Ducem; et sollicitus ut amicus suus a carcere præfati Ducis liberaretur, fidejussor pro illo exstitit adversùs Ducem, quòd ille voluntatem Ducis et patris ipsius Regis Angliæ faceret. Et insuper prædictus Comes Bigorniæ pro liberatione sua tradidit prænominato Duci Clarum-montem et castellum de *Munbrun*.

* An. 1178. Et interim, appropinquante Natali * Domini, præfatus Dux venit Sanctonas, et ibi solemne festum tenuit. Quo peracto, magnum congregavit exercitum,
* *Pons*. et obsedit *Punce* *, castellum Gaufridi de Rancona, sed minimè potuit pro-

» ad justitiam, et in corde et corde dixerint ; » sicut homines tortuosæ mentis et intentionis » obliquæ, tandem hæresim noluerunt relinquere, » ubi crassum et supinum eorum intellectum ali- » cujus auctoritatis superficies videbatur juvare, oc- » casione verbi illius, quod Dominus in Evange- » lio dixisse legitur : *Nolite omninò jurare ; sed sit sermo*
Math. v. 34. » *vester : est, est ; non, non :* dicentes se non debere
37. » jurare, cùm ipse Dominus sæpè jurasse legatur, » sicut scriptum est : *Juravit Dominus*, etc. et alibi : » *Per memetipsum juravi, dicit Dominus*. Et Aposto- » lus : *omnis controversiæ finis est juramentum* : et » multa in hunc modum in divinis Scripturis le- » gentibus sese offerant et occurrant, quibus, » propter illorum infirmitatem quibus suademus, » jurare permittimur. Cæterùm ipsi, tanquam viri » idiotæ non intelligentes Scripturas, in laqueum » quem absconderant, ceciderunt ; quia cùm priùs » juramentum, tanquam rem execrabilem et a » Domino prohibitam abhorrerent, in ipsa con- » fessionis suæ carta jurasse convicti sunt, cùm » dixerint : *in veritate, quæ Deus est, ita credimus ;* » *et dicimus quòd hæc est fides nostra* : nescientes » quòd *veritatem et verbum Dei* in testimonium » nostræ assertionis adducere, procul dubio sit » jurare. Sicut de Apostolo legimus, cùm dicit : » *Hoc enim vobis dicimus in verbo veritatis ;* et alibi : » *Testis est mihi Deus*, et alia similia comprobant, » quæ ab illis qui divinas Scripturas intelligunt » et legunt, possint faciliùs inveniri. Cùm autem » multis et sufficientibus testibus fuissent convicti, » et adhuc multi se ad ferendum contra eos testi- » monium præpararent; quia Ecclesia consuevit » redeuntibus misericordiæ gremium non negare, » eos diligentiùs monuimus ut, hæreticâ pravitate » depositâ, ad fidei veritatem redirent : et quia a » domino Papa, et venerabilibus fratribus nostris » Bituricensi et Narbonensi Archiepiscopis, et a » Tolosensi Episcopo, et a nobis ipsis, propter » perversam prædicationem et sectam, excommu- » nicati fuerant, nisi ad nos juxta formam Eccle- » siæ reconciliandi venirent. Quod cùm illi, in » arcum pravum conversi et mente perditâ indu- » rati, facere recusarent; nos in conspectu totius » populi, qui jugiter acclamabat et in eos multâ » immanitate fremebat, eos iterùm, accensis can- » delis, unà cum prædicto Pictavensi Episcopo, » et aliis religiosis viris qui nobis in omnibus » astiterunt, excommunicatos denunciavimus, et » ipsos cum auctore suo Diabolo condemnavi- » mus. Eapropter universitatem vestram monemus » et exhortamur in Domino, atque in remissionem » peccatorum injungimus, quatinùs prædictos Rai- » mundum et Bernardum et complices eorum, » tanquam excommunicatos et Satanæ traditos » cautiùs evitetis. Et si quando aliud quàm in » audientia nostra, sicut præscripsimus, sunt con- » fessi, vobis de cætero præsumpserint prædicare, » prædicationem eorum tanquam falsam, et ca- » tholicæ atque apostolicæ fidei contrariam, res- » puatis ; et ipsos, tanquam hæreticos et Anti- » christi præambulos, a sinceritatis vestræ con- » sortio et vestris finibus longiùs expellatis ».

(*a*) Hovedenus : *Quem cives tradiderunt ei*.

Digitized by Google

A ficere. Adveniente autem Paschâ *, præfatus Dux Aquitaniæ, dimissis Constabulariis suis cum magna parte exercitùs sui circa *Punce,* ad obsidionem tenendam; in ipsa hebdomada Paschæ obsedit Rigemundæ castellum, et infra tres dies cepit et destruxit. Et statim post clausum Pascha, obsedit *Genzai,* et Martillam, et Grumvillam, et Agenvillam, et cepit, et funditùs subvertit. His itaque peractis, octo dies ante Ascensionem Domini obsedit Tailleburgum, castellum Gaufridi de Rancona, et infra tres dies cepit. Et eo capto, Gaufridus de Rancona reddidit ei *Punce,* et utrumque fecit Dux solo tenùs sterni. Et statim post Pentecosten, Bugrius * Comes de Engolismo reddidit ei civitatem Engolismi, et castellum de *Muntiniac,* et ipse mœnia eorum subvertit; et postea transfretavit in Angliam ad patrem suum.

* An. 1179.

* Wulgrinus.

Anno itaque ab Incarnatione Domini MCLXXIX (*a*) Henricus Rex Angliæ, filius
B Mathildis Imperatricis, curiam suam tenuit apud Wintoniam die Natalis Domini, Gaufrido filio suo Comite Britanniæ jam in Angliam reverso a partibus transmarinis, et cum eo moram faciente; similiter Johanne filio suo minimo, et Henrico Rege filio suo in Normannia, et Ricardo filio suo in Pictavia moram facientibus....

Appropinquante itaque jam Quadragesimâ *, Archiepiscopi et Episcopi, Abbates, viri Religiosi, cismarini et transmarini, de mandato Alexandri summi Pontificis Romæ convenerunt. Congregatis igitur universis in urbe Romana, Alexander Papa III cum universis Cardinalibus suis, et Clero et populo ibidem congregato, venit ad Ecclesiam sancti Johannis de Laterana, celebraturus ibi Concilium : cui Concilio intererant nuncii ferè omnium Imperatorum, Regum, Principum totius Christianitatis. Convenientibus itaque omnibus in præ-
C fata Ecclesia Lateranensi, summus Pontifex in eminentiori loco cum Cardinalibus suis et Senatoribus et Præfectis et Consulibus urbis constitutus, secundâ feriâ [tertiæ] Quadragesimæ hebdomadæ, quæ III Nonas Martii evenit, primum Concilii sui diem celebravit. Similiter secundò celebravit secundum diem Concilii sui, quartâ feriâ secundæ * hebdomadæ, quæ II Idus Martii evenit : in quo Concilio, Willielmus Remensis Archiepiscopus, per communem fratrum electionem, concedente Alexandro summo Pontifice, factus est Presbyter Cardinalis ad titulum sanctæ Sabinæ. Et iterùm tertiò celebravit tertium Concilii sui diem, secundâ feriâ ante Ramos palmarum, quæ XIV Kal. Aprilis evenit... In eodem verò Concilio, Henricus Abbas Clarevallensis, morum honestate et meritis exigentibùs, communi Cardinalium electione, Alexandro etiam summo Pontifice concedente, inter Episcopos Cardinales connumeratus est, factus Epis-
D copus Albanensis.

* An. 1179.

* *Corr.* sequentis.

Interim Henricus Rex Angliæ, filius Regis Henrici, filii Matildis Imperatricis, circa mediam Quadragesimam, applicuit in Angliam apud *Dovere,* locuturus cum domino Rege patre suo. Adveniente autem Pascha, dominus Rex et Rex filius suus simul fuerunt Wintoniæ in ipsa solemnitate Paschali.... Gaufridus verò, filius domini Regis, Cómes Britanniæ, statim post Pascha, per præceptum patris sui, transfretavit in Britanniam; et congregato exercitu, devastavit terram Gwienarii * de *Liuns,* et eum ad deditionem coegit.

* *Al.* Guiomari.

Eodem anno *, Lodowicus Rex Francorum Agnetem filiam suam, quam
E Ala Regina Francorum, soror Willelmi Remensis Archiepiscopi, et Theobaldi Comitis Blesensis, et Henrici Comitis de *Trois,* et Comitis Stephani, ei pepererat, misit Constantinopolim, ad maritandum Alexio, filio Manuelis Imperatoris Constantinopolis.

* An. 1179.

Adveniente autem Pentecoste, Henricus Rex et Rex filius suus curiam suam tenuerunt (*b*). Quo peracto, Rex filius Regis cum benevolentia patris sui transfretavit in Flandriam, et applicuit apud Wissandam.

Interim Lodowicus Rex Francorum, publico edicto citari fecit omnes Archiepiscopos et Episcopos, et Comites et Barones regni Francorum, ut sicut se et honorem suum diligerent, essent, omni occasione postpositâ, congregati in civitate Remensi, in ipsa die Assumptionis beatæ Virginis Mariæ, scilicet XVIII Kal. Decembris *, ad coronandum et in Regem consecrandum Philippum filium suum primogenitum, XV annorum juvenem. Facto itaque edicto publico,

* *Corr.* Septembris.

(*a*) Hovedenus : *Qui erat annus vicesimus quintus regni Regis Henrici, filii Mathildis Imperatricis.*

(*b*) Ubi ? *Bromton* habet *insimul tenuerunt,* qui neque locum expressit. Fortè Wintoniæ, ut supra.

Digitized by Google

omnes ad solemnitatem illam, prout decebat, venire præparabant se. Sed ap- A
propinquante jam termino præfixo, filius ille Regius in gravem incidit infirmitatem (*a*), quæ eum adeo contrivit vehementer, quòd multi cogerentur de vita ipsius dubitare. Rex verò pater pueri, malens vitam suam finisse, quàm videre filium suum ita torqueri, die ac nocte fletibus et continuis suspiriis indulgebat, nolens consolari.

Quâdam autem nocte, cùm ipse anxietate animi jam devictus esset, somnus irrepsit. Cui in somnis apparuit sanctus Thomas Cantuariensis Martyr, et his verbis eum aggressus est : « Dominus noster Jhesus Christus misit me servum » suum Thomam Cantuariensem Martyrem, ad te, ut scias quòd si credideris, » et animo contrito adieris servum suum Thomam Cantuariensem Martyrem, » filius tuus convalescet de infirmitate illa, quâ tenetur ». Et his dictis, nuncius ille divinus ab oculis Regis evanuit. Rex verò postmodùm expergefactus, post B
diutinam excogitationem convocavit fideles suos, quibus sollicitè narravit visionem suam, quærens ab eis consilium utrùm in Angliam transfretaret, an non, quæsiturus Martyris suffragium. Cui quidam Consiliariorum suorum ita responderunt, quòd periculosum esset ei transfretare in regnum alterius, et incidere in manus potentis. Quidam autem dixerunt, quòd hoc non esset ei timendum. Sequenti verò nocte, apparuit ei secundò et tertiò in somnis præfatus Martyr, eumdem sermonem dicens; et minas addidit, nisi celeriùs fierent hæc mandata Dei. Cùmque Rex intuitus esset eum attentè, agnovit quòd esset ille beatus Martyr. Manè itaque (*b*) facto, Rex ille Francorum fiduciam habens in Domino, contra multorum consilium, iter arripuit versùs Angliam; et sumptis
* *Guines.* secum Philippo Comite Flandriæ, et Baldewino Comite de *Chines* * et Hen-
* *Louvain.* rico Duce de *Luven* *, Willelmo Comite de Mandevillâ, et advocato Bituniæ, C
et aliis Baronibus regni Francorum, pervenit usque *Wissant,* et inde venit in
* An. 1179. Angliam, et applicuit apud *Douvere* XI Kal. Septembris *, feriâ quartâ.

Henricus verò, filius Matildis Imperatricis, Rex Angliæ, qui jam circa maritima per aliquot dies moram fecerat, illius exspectans adventum, venit ei obviam in littore maris, et cum gaudio magno et honore ipsum et suos suscepit (*c*); et in crastino duxit eum Cantuariam usque ad tumbam S. Thomæ Martyris. Quò cùm venisset, præfatus Rex Francorum obtulit super tumbam
* *Poissi.* Martyris unam cuppam auri (*d*), et centum modios vini in perpetuum, singulis annis recipiendos apud *Paissi* * in Francia, ad omnimodam expensam Regis Franciæ. Præterea idem Rex concessit, pro amore Dei et Martyris, quòd omnia quæcumque de cætero emerent in regno suo, ad usum Monachorum sanctæ Trinitatis Cantuariæ, quieta essent de Teloneo, et omnibus aliis D
consuetudinibus et exigentiis. Et hæc omnia fecit cartâ suâ confirmari Deo et beato Martyri, et Monachis ibidem Deo servientibus. Hanc autem cartam receperunt præfati Monachi ex dono Lodowici Regis Francorum, per manum Hugonis de Puteaco Cancellarii sui, filii Hugonis Dunelmensis Episcopi. Factâ autem ibi morâ duarum dierum, Rex Francorum et illi qui cum eo venerant, Rege Anglorum eos reducente ad *Douvere,* reversi sunt in crastino, scilicet VII Kal. Septembris. Rex Franciæ cum suis, ipsâ die Dominicâ, naves ascendit (*e*), et eâdem die cum gaudio applicuit apud *Wisande*.

Interim Philippus filius suus, precibus et meritis beati Thomæ Martyris, pristinam adeptus est sanitatem. Reverso itaque Rege Franciæ in terram suam, omnes comprovinciales, tam Episcopi quàm Comites et Barones regni Francorum, de adventu ipsius plurimùm gaudentes, occurrerunt ei, grates Deo E
solventes, qui eum sanum et incolumem ad propria reduxit. Ipse verò statim, convocatis consiliariis suis, publico præcepit edicto ut omnes Majores regni convenirent in Remensem civitatem, tam Clerici quàm laïci, in solemnitate

(*a*) Nempe *dum venationi insistit*, inquit Nicolaus Trivettus in chronico, *amissis sociis, totâ nocte in sylva vagabundus permansit; tandem per quemdam carbonarium inventus, reductus est ad suos. Ex sollicitudine tamen et pavore tantam incurrit ægritudinem, quòd coronatio ejus, quam pater in Assumptione B. Mariæ fieri decreverat, est omissa.* Idem habent Rigordus et alii Scriptores Franci.

(*b*) Non tam citò iter aggressus est Ludovicus; quippè, teste Hovedeno, *missis legatis ad Henricum Rgem Angliæ patrem, quæsivit licentiam et securitatem veniendi in Angliam, et sine impedimento redire : quæsivit et obtinuit.*

(*c*) Hovedenus, *sicut carissimum dominum et amicum suum, et omnia necessaria sibi et hominibus suis honorificè ministravit. Et in crastino videlicet vigiliâ B. Bartholomæi Apostoli, etc.*

(*d*) Ibid. *Valdè magnam et pretiosam.*

(*e*) Ibid. *Transfretavit de Anglia in Flandriam, et applicuit apud* Witsand.

Digitized by Google

A omnium Sanctorum *, ad coronandum Philippum filium suum in Regem; et ita factum est. Convenerunt namque ad præfatam urbem die statuto Archiepiscopi, Episcopi, Comites, Barones, Clerus et populus. In ipsa die omnium Sanctorum, Willelmus Archiepiscopus Remensis, frater Comitis Henrici, Theobaldi, Stephani, et frater prædictæ Reginæ Franciæ, præfatum Philippum, filium sororis suæ et Lodowici Regis Franciæ, coronavit et in Regem consecravit Remis, in Ecclesia Sedis Pontificalis, ministrantibus ei in illo officio, Willelmo Turonensi Archiepiscopo, et Bituricensi Archiepiscopo, et Senonensi Archiepiscopo, et ferè omnibus Episcopis regni. Henricus verò Rex Angliæ, filius Henrici Regis, filii Matildis Imperatricis, præibat illum (*a*), gestans coronam auream in manibus suis, quâ ille puer coronatus * erat. Et Philippus Comes Flandriæ præibat ante illum, ferens gladium regni. Et multi Duces B et Comites et Barones præibant et sequebantur illum, diversi diversis deputati obsequiis, prout res exigebat. Sed Lodowicus pater suus (*b*) coronationi illius interesse non potuit. Cùm enim ab Anglia rediret, et Parisius veniret, maximo fluctuans gaudio, ad sanctum Dionysium iter arripuit : in quo itinere, subitò percussus frigore, incidit in paralysim, ita quòd usum dexteræ partis corporis sui amisit....

* An. 1179.

* *Al.* coronandus.

Eodem anno, obiit Willelmus Comes Albemarliæ, et sepultus est in Abbatia sua de Tornetuna....

Anno ab Incarnatione Domini MCLXXX.... præfatus Philippus, novus Rex Franciæ, videns quòd pater suus paralytico morbo esset percussus, adhæsit consilio Philippi Comitis Flandriæ : cujus consilio, tyrannidem cœpit exercere in populo Gallicano, et omnes quos noverat patri suo fuisse familiares, sprevit C et odio habuit (*c*). Qui missi * frequenter nuncios suos ad Henricum Regem Angliæ, ut eis auxilium et consilium præstaret, contra iniquas machinationes quas Philippus Comes Flandriæ in detrimentum ipsorum et totius regni Franciæ machinabatur.

* *Leg.* miserunt.

Appropinquante mediâ Quadragesimâ *, Henricus Rex Angliæ junior, qui jam per aliquod tempus moram fecerat in Normannia, transfretavit in Angliam ad Henricum patrem suum. Et indicato ei qualiter Philippus Rex Franciæ, et Philippus Comes Flandriæ, iniquè egerant adversùs proximos suos; uterque, scilicet pater et filius, transfretaverunt in Normanniam, ante Pascha : ad quorum adventum, Regina Franciæ et Comes Theobaldus, et multi de regno Franciæ, quos præfatus novus Rex odio habuit, venerunt in Normanniam, postulantes ab eis subsidium. Quod cùm Rex Henricus Angliæ senior audisset, D petitioni eorum adquievit; et habito cum suis consilio, cepit ab eis obsides et alias securitates, quòd ab ipsius consilio non recederent. Et statim summonere fecit exercitum suum Angliæ et Normanniæ, et cæterarum terrarum suarum (*d*). Quo audito, Philippus Rex Franciæ similiter exercitum suum summonuit.

* An. 1180.

Et interim, statim post Pascha *, prædictus novus Rex Franciæ, per consilium Philippi Comitis Flandriæ, venit in Flandriam, et contra consilium omnium amicorum suorum de regno Franciæ, cepit in conjugem filiam Comitis de *Eainou* *, filiam sororis prædicti Philippi Comitis Flandriæ. Et Comes Flandriæ concessit prædicto Regi Franciæ cum nepte sua ferè totum Comitatum suum Flandriæ post decessum suum, scilicet terram de *Vermedais* usque ad *Los* (*e*). Desponsatâ itaque filiâ Comitis de *Eainou* Regi Franciæ, Comites et Barones Franciæ indignati sunt. Interim, Philippus Rex Franciæ summonere E fecit omnes Archiepiscopos et Episcopos, et Principes regni sui, tam Clericos quàm laïcos, quòd essent apud Senonem die Pentecostes, ad coronationem ipsius et uxoris suæ. Quod cùm Philippus Comes Flandriæ audisset; timens quòd casu aliquo neptis suæ unctio et coronatio posset impediri, consuluit Regi ut anticiparet præfixum terminum suæ coronationis : quod ita fac-

* An. 1180.

* *Hainaut.*

(*a*) Hovedenus : *Henricus autem Rex Angliæ filius, in progressione a thalamo usque in Ecclesiam, ibat ante illum gestans coronam auream de jure Ducatûs Normanniæ, quâ prædictus Philippus coronandus erat.*

(*b*) Ibid. *Senio et morbo laborans paralytico.*

(*c*) Ibid. *Et matrem suam adeò persequebatur, quòd a dominatione sua eam expulit, et Willielmum Remensem Archiepiscopum, et Comitem Theobaldum et Comitem Stephanum avunculos suos, persequebatur; quorum prece Henricus Rex Angliæ filius transfretavit in Angliam, et indicavit patri suo excessus et importunitates, quas Philippus Rex Franciæ faciebat matri suæ et avunculis suis, per consilium Comitis Flandriæ.*

(*d*) Hovedenus : *Habens in proposito quòd post Pascha intraret hostiliter terram Regis Franciæ, in vindictam injuriarum quas ille novus Rex Franciæ fecerat matri suæ et avunculis suis.*

(*e*) Ibid. *Usque ad aquam de* Lis.

Digitized by Google

tum est. Nam prædictus Rex Franciæ, adquiescens consilio Comitis Flandriæ, misit pro Archiepiscopo Senonensi, et fecit se et uxorem suam coronari in
An. 1180. Monasterio sancti Dionysii, in ipsa die Ascensionis Domini *, valdè mane, orto jam sole. Cùm autem Willelmus Remensis Archiepiscopus, avunculus Regis Franciæ, audisset præsumptionem prædicti Senonensis Archiepiscopi; doluit vehementer (*a*), et misit nuncios suos ad Alexandrum summum Pontificem, conquerens sibi de vindicta.

Interim Henricus Rex Angliæ, ad cujus clementiam Regina Franciæ et Comes Theobaldus, et quàmplures de nobilioribus regni Franciæ, tanquam exules et profugi, ut supra dictum est, confluxerant, colloquium cepit apud Gisortium (*b*) cum novo Rege Franciæ : in quo colloquio, præfatus Rex Angliæ senior animum novi Regis Franciæ, nunc blandis, nunc asperis, adeò emollivit, quòd contra consilium Comitis Flandriæ et Roberti *Clement*, et multorum aliorum qui inter ipsum et matrem suam et avunculos suos volebant dissidium, omnem malitiam et indignationem, quam in animo adversùs eos conceperat, remisit, et eos in debitam familiaritatem recepit : statuens quòd prædictæ Reginæ Franciæ matri suæ singulis diebus, quamdiu Lodowicus Rex pater suus viveret, septem libras Parisinorum ad quotidianum victum solveret; et post decessum patris sui, totam dotem suam, quâ Rex Francorum Lodowicus eam die desponsationis suæ dotavit, in integrum redderet, retentis tantùmmodò sibi castellis et munitionibus ejusdem dotis.

In eodem colloquio, Henricus Rex Angliæ senior, ad abundantiorem cautelam, coram Philippo novo Rege Franciæ, fidelitatem et homagium recepit a Philippo Comite Flandriæ; et conventiones inter illos factas renovavit, scilicet se singulis annis daturum prædicto Comiti Flandriæ mille marcas Ester-
* *Hov.* argenti lingorum *, recipiendas ad Scakarium : et ipse Comes conventionavit ei quòd in recompensatione illarum mille marcarum, teneret quingentos milites ad sumptus suos, in obsequium domini Regis Angliæ, singulis annis, per spatium quadraginta dierum, quandò inde summonitus fuerit. Et si dominus Rex, post illos quadraginta dies, milites illos diutiùs retinere voluerit, liceat ei eos retinere ad stipendia sua; quamdiu voluerit. In eodem autem colloquio, Comes de Claromonte fecit homagium domino Regi Angliæ, coram domino suo Rege Franciæ. Et in eodem colloquio, pax et concordia, fide et sacramentis hinc inde confirmata, facta est inter dominum Regem Angliæ et novum Regem Franciæ, in hunc modum (*c*)....

* An. 1180. Eodem anno *, Lodowicus Rex Franciæ obiit Parisius, mense Septembris, die Jovis proximâ ante festum sancti Matthæi Apostoli, scilicet XIV Kal Oc-
* *Barbeaux.* tobris, et sepultus est in Abbatia de Barbellis *. Et statim post obitum ipsius, Henricus Rex Angliæ et Philippus Rex Franciæ colloquium inter eos ceperunt, ubi pacem supradictam inter se fecerunt, et fide et sacramentis, ut dictum est, confirmaverunt...

Eodem anno, obiit Ægidius Ebroicensis Episcopus.

* *Al.* an. 1179. Eodem anno *, obiit Richardus Constantiensis Episcopus.

Eod. anno obiit Henricus Comes de *Troies*, avunculus Philippi Regis Franciæ.

Eodem anno (*d*), Philippus Comes Flandriæ maritavit duas neptes suas, filias Matthæi Comitis Boloniæ, fratris sui, unam illarum [Idam] scilicet primogenitam [Geraldo] Comiti *Gerres* *; et alteram illarum [Mathildem, Henrico] filio Ducis de *Luvain*, contra voluntatem et prohibitum domini sui Regis Angliæ, adversùs quem idem Comes Flandriæ fide et sacramentis tenebatur, quòd præfatas neptes suas nemini maritaret, nisi consilio et voluntate ipsius.

* *de Gueldre.*

(*a*) Hoved. *Indignatus est vehementer, et Alexandro summo Pontifici conquestus est de transgressione Senonensis Archiepiscopi, qui contra jus et dignitatem Remensis Ecclesiæ Regem Franciæ præsumpserat coronare.*

(*b*) Ibidem : *Inter Gisortium* et Trie.

(*c*) « Ego Philippus Dei gratiâ Rex Francorum, » et ego Henricus eâdem gratiâ Rex Anglorum, » volumus ad omnium tam præsentium quàm futurorum pervenire notitiam, quòd fœdus et » amicitiam, fide et sacramento mediantibus, » innovavimus, quam dominus meus Ludovicus » Rex Francorum et ego Henricus firmaveramus » inter nos coram *Iveri*, in præsentia Petri tituli » S. Chrysogoni Presbyteri Cardinalis Apostolicæ » Sedis Legati, et Richardi Wintoniensis Electi, » et aliorum plurimorum Episcoporum, Co- » mitum et Baronum, qui aderant : videlicet » quòd sic sumus et amodò volumus esse amici, etc. (*prout edita sunt supra p.* 171.)

(*d*) Hovedenus ad an. 1177 : *Philippus Comes Flandriæ*, inquit, *contra sacramentum quod fecerat Regi Angliæ, maritavit primogenitam filiam fratris sui Comitis Boloniæ Duci de* Saringes : *quæ, relicto Duce de* Saringes, *nupsit Comiti de Sancto-Paulo; et postea relicto Comite de Sancto-Paulo, nupsit Comiti Reginaldo de* Dammartin, *et ipse cepit cum illa Comitatum Boloniæ. Et alteram filiam Comitis Boloniæ dedit in uxorem Henrico Comiti de* Luvein.

Digitized by Google

EX RADULFI DE DICETO

IMAGINIBUS (*a*) HISTORIARUM.

Apud Rog. Twysden *inter Anglic. Rerum Script. X, Lond.* 1652. *fol.*

Anno Domini MCXLVI (*b*), Aimericus Romanæ Ecclesiæ Cancellarius nepotem habuit vocabulo (*c*) Petrum : qui suffragiis avunculi sui, citra tamen conscientiam Ludovici Regis Francorum, in Archiepiscopum Bituricensem electus, a domino Papa consecratus est. Quod Rex in injuriam regiæ dignitatis factum vehementer indignans, iracundiæ calore succensus est; et propositis publicè sacrosanctis reliquiis, in præsentia multorum juravit quòd prædictus Archiepiscopus, quoad Rex viveret, in civitatem nunquam intraret Bituricam. Sic per triennium persona Regis interdicto subjacuit : in quamcumque civitatem, castellum vel vicum intrabat, celebratio divinorum suspendebatur. Tandem Abbate Clarevallensi Bernardo persuadente, cor Regis ad hoc est inclinatum, ut reciperet Archiepiscopum, et pro transgressione perjurii se repromitteret Jerosolymam profecturum. Igitur convocatis regni Principibus in Parasceve *, Rex signo sanctæ Crucis humerum insignivit, et infiniti cum eo. Per totam Galliam fit descriptio generalis, non sexus, non ordo, non dignitas quemquam excusavit, quin auxilium Regi conferret : cujus iter multis imprecationibus persequebantur. Suggerius Abbas de S. Dionysio, deficientibus aliis regni Principibus, solus in se regni suscepit custodiam. Lexoviensis [Arnulfus], Attrebatensis [Alvisius], Lingonensis [Godefridus] Episcopi, profecti sunt Jerosolymam cum Rege Francorum.

Col. 508.

* An. 1146.

Eugenius Papa Parisius veniens (*d*) Girardum Sagiensem Episcopum, qui, sicut dicebat, in volutabro sanguinis sui fuerat consecratus, Duci Normanniæ reconciliavit circa Pascha. Postmodum in Letania majore * solemni processione dominus Papa receptus est apud S. Genovefam, præsente Rege Francorum. Clerici domini Papæ servientes etiam ibi vulnerati sunt (*e*). In ultionem excessûs tanti servientium Ecclesiæ subversa sunt ædificia, Rege jubente. Canonici Regulares positi sunt ibi tractu temporis (*f*).

* An. 1147.

(*a*) Radulfus de Diceto, Archidiaconus primùm, deinde Decanus Londoniensis S. Pauli, florebat sub Henrico II et Ricardo Regibus, uti demonstrant litteræ plures ad eum scriptæ, quæ in ipsius leguntur historia. Duplicem is edidit historiam, alteram *Abbreviationes chronicorum* inscriptam, *Imagines historiarum* alteram. In priori Henricum Huntindoniensem et Robertum de Monte imprimis secutus est, omittendamque eam idcircò duximus. In altera proprio marte scripsit res a se visas vel auditas ab an. 1147 ad an. 1199 : *qui qualis fuerit eloquentiæ, sollerti lectori satis potest liquere ex pluribus factis et dictis, quæ idem magister proprii ingenii verbis enarrando exposuit,* uti notavit ad calcem quidam amanuensis. Hinc est quòd ab an. 1157, ubi eum deficit Robertus de Monte, totam Matthæus *Paris* Radulfi scriptionem in suam transtulit historiam.

(*b*) Multa sub hoc anno congerit Radulfus, ante et post gesta, quæ ex libro *Abbreviationum* hìc recudimus.

(*c*) Petrus iste de Castra cognominatus, Haimerici consobrinus in chronico Mauriniacensi appellatur. Hunc verò Cadurco palatii Clerico, quem an. 1141, assentiente, immò promovente Rege, priùs elegerant Canonici Bituricenses, opposuit Innocentius in Haimericum plus æquo proclivis, minùsque acceptorum a Rege Ludovico beneficiorum memor.

(*d*) Anno quidem 1146 secundùm veterem stylum, hoc est, in Pascha desinente, hebdomadâ Sacrâ, Parisios Eugenius advenit. Illuc ergo priùs, ut videtur, citati, Gaufridus Andegavensis Comes et Girardus Sagiensis Episcopus Pontificem convenerunt, quibus reconciliandis operam dedit. Causa porrò jurgii inter eos hæc erat. Cùm Girardus Canonicus sæcularis anno 1144 ad Episcopatum Sagiensem evectus fuisset, repugnante regulari hujus Ecclesiæ Capitulo, præter quatuor Canonicos quos vitæ sæcularis amor et desiderium ad optandam personam sæcularem impulerat, id indignè tulit Comes Andegavensis, Ducatûs Normannici tum compos : cui gratificaturos se arbitrantes nonnulli cives Sagienses, Girardo jamjam consecrando virilia exsecuerunt, eaque in pelvi Comiti obtulerunt. Atque hinc est quòd se in volutabro sanguinis sui consecratum diceret Girardus. Comes verò scelus hoc adeò non probavit, ut illius auctores ecclesiastico permiserit arbitrio puniendos. Universam quoque Ecclesiæ dispositionem Episcoporum provinciæ consilio dimisit; Girardum tamen injuriâ quam passus fuerat, haud absolvit. Verùm datos ille sibi judices declinavit, fugiensque accusantium multitudinem Romam profectus est, quo tempore Lucio II successerat Eugenius : ad quem Arnulfo Lexoviensi Episcopo litteras dedit S. Bernardus (*Epist.* 248), ut Sagiensi Episcopo quantumvis supplici, reditum in Episcopatum molienti non annueret summus Pontifex. Eugenius tamen Episcopum non reprobavit, sed eum episcopale munus obire non permisit, donec regularium Canonicorum ordinem in propria persona professus est ; quod cùm bonâ fide servaturum se juramento præstito firmasset, cum Andegavensi Comite et cum universa Ecclesia sua reconciliatus est.

(*e*) Matthæus Paris : *Servientes Ecclesiæ Clericos domini Papæ ac ministros fustigaverunt, et intra parietes Ecclesiæ eorum sanguinem effuderunt.*

(*f*) Anno 1148. De hoc verò tumultu atque hinc secuta rerum conversione in Ecclesia S. Genovefæ, fusiùs in notis ad epistolas Sugerii hac de re scriptas differemus.

Digitized by Google

* *Corr.* MCXLIX. *Col.* 525. Anno Domini MCXLVIII, * Henricus Gaufridi *Plantegenest*, Comitis Andegavorum primogenitus, cingulo militari donatus est a Rege Scottorum David, in festo Pentecostes apud *Karliul*. A

Ludovicus Rex Francorum et Regina *Alienor* rediere Jerusalem.

* *Corr.* MCL. Anno Domini MCXLIX *, Theobaldus Comes Blesensis donavit cingulo militari Gaufridum, filium Gaufridi *Plantegenest*, Comitis Andegavorum.

* *Corr.* MCLI. Anno Domini MCL *, everso Monasteriolo quod tribus annis obsessum fuerat, Gaufridus *Plantegenest* reddidit Ducatum Normanniæ Henrico filio suo. Ludovicus Rex Francorum accepit homagium Henrici filii Gaufridi *Plantegenest* de Ducatu Normanniæ et Comitatu Andegaviæ.

Civitas igitur Andegaviensium, antiquorum industriâ montis in edito collocata consistit. (*Cætera vide Tomo* XII, *p.* 535.)

Anno Domini MCLI, dum Gaufridus *Plantegenest*, Comes Andegavorum, rediret Parisius a curia Regis Francorum, concessit in fata apud Castrum-Lidii : sepultus est autem Cenomannis in Ecclesia S. Juliani. B

Celebratum est divortium inter Regem Francorum et Reginam *Alienor* (*a*). Henricus Dux Normannorum et Comes Andegavorum duxit *Alienor* relictam Regis Francorum, et sic factus est Dux Aquitanorum (*b*)...

Ludovicus Rex Francorum, Eustachius filius Regis Stephani, Henricus Comes Campaniensis, Robertus Comes Perticensis, in Normannia castellum Novimercati cum suis auxiliariis obsidentes, dum Henrici Ducis adventum ut obsessis succurreret, intellexissent, interventu religiosorum, datis induciis, infecto negotio recesserunt. Dux verò fratrem suum Gaufridum persequens in Andegaviam, ipsum ad petendas coegit inducias....

Regina Mathildis, Regis Stephani uxor, sepelitur apud *Faveresham*.... C

* *Corr.* MCLII. Anno Domini MCLII *, Dux Normannorum intravit Angliam in manu valida infra octabas Epiphaniæ, castellum *Malmesburi* obsedit, et milites intùs obsessos ad deditionem coegit....

Eustachius filius Regis Stephani sepelitur apud *Faveresham*.

Bernardus Clarevallensis Abbas migravit ad Dominum.

Alienor Duci Normanniæ peperit Willelmum....

Evenit quod minimè credebatur... Ducem siquidem Normannorum Rex in filium arrogavit ; ei et in eum jus suum transtulit et potestatem, sibi, quoad vixerit, regiæ dignitatis solam imaginem reservavit....

Anno Domini MCLIV, Ludovicus Rex Francorum duxit uxorem [Constantiam] filiam Adelfunsi Regis Hispaniæ. Caput regni hujus Regis civitas est Toletum : quem, quia principatur Regulis Aragoniæ et Galliciæ, Imperatorem Hispaniarum appellant.... D

Rex Stephanus VIII Kal. Novembris obiit, et sepultus est apud *Faveresham*, quod Monasterium ipse a fundamentis ædificaverat. Quo audito, Dux Nor-

(*a*) Divortium Regis Ludovici atque alteræ nuptiæ Alienoris cum Henrico Normannorum Duce ad an. 1152 pertinent, nec nisi errore librarii qui annos ad marginem apposuit, anno 1151 illigantur.

(*b*) Ut superiùs Andegavensis urbis, sic Aquitaniæ descriptionem hìc interserit Radulfus : « Igitur » Aquitania, *inquit*, rerum affluens opulentiis » multiplicibus, sic orbis occidui partes distinctas » antiquitùs antecellit, ut inter Galliarum provincias felicior et fœcundior tradatur ab Historiographis. Quæ suos licèt agros cultui, suas » etiam vites propagationi, sua denique nemorosa venatui noverit optimè respondere, nihilominùs appellationis originem mutuatur ab » aquis : id solùm fortè supputans inter delicias » memorandum, quòd procreat aqua salubrior, » vel gurgiti remittendum, vel levandum in » aera. Garumnæ siquidem decurramus ad ortum, » æquoreas properantem ad undas, decurramus » etiam ad Montes Pyreneos : quidquid itaque » fuerit inventum interjacens, a fluminibus traxit » vocabulum, ab aquarum commoditatibus derivatum. Et cùm illis in partibus lubricum linguæ passim omnibus repromittat impunitatem, » an sit magis in fide stabilis, an in sermone » labilis, morem gentis ignorans poterit ignorare. Quæ cùm ad superbiam hostium edomandam instanter institerit, et post belli sudores in » bona quiete perstiterit, illicò tota defluit in » voluptatem : sic palato deserviens, ut in saporibus distinguendis, conficiendis et discernendis, privilegio gratiæ singularis effulgeat ; » sic linguæ satisfaciens, ut in salibus condiendis, » licèt mordacibus, plurimùm habeat civilitatis » annexum. Itaque Pictavienses in vulgarium esu » carnium bovinam avidiùs amplectuntur. Cùm » verò piper et allium mixtum in mortarium » detruduntur, ad condimentum utriusque caro » recens nunc succum exigit pomorum silvestrium, » nunc a viminibus pampino coætaneis jus deposcit extortum, nunc uvarum liquorem desiderat primitivarum. Cùm dies venerit indulgentior, campestria nec fastidiunt, nec nimis » appetunt affectuosè : sed anathem vel laqueolo » comprehensam, vel obvolùtam reticulo devotè » requirunt ; quam ad ignem lignorum viridium » studiosè appositam satis tractant deliciosè. Laxatis retibus piscium in capturam, si lautiora » casus obtulerit (quod quidem rarò non evenit) » nunc extrahitur sturgio regium reservandus in » cibum, nunc flumini latenter immersas muræna » labitur in insidias : quæ quamvis aliàs gustum » sui suspectissimum reddat, illis tamen in locis, » absque delectu personarum et potûs, hinc dioribus, hinc paupertinis indiferenter mensis » apponitur ».

mannorum,

Digitized by Google

A mannorum Henricus venit Barbefluvium *, et ibidem per unum mensem ventum exspectavit, et VII Idus Decembris in Angliam veniens, XIV Kal. Januarii die Dominicâ ante Natale Domini, apud Westmonasterium ab omnibus electus, et in Regem unctus est a Theobaldo Cantuariensi Archiepiscopo....

* *Barfleur.*

Ludovicus Rex Francorum orationis causâ perrexit ad sanctum Jacobum.

Anno Domini MCLV, natus est Lundoniæ pridiè Kal. Martii, feriâ secundâ, filius Henrico Regi Anglorum ex Regina *Alienor*, et vocatus est Henricus, quem Ricardus Lundoniensis Episcopus baptizavit....

Henricus Wintoniensis Episcopus absque licentia Regis recessit ab Anglia, ideòque sex castella ejus diruta sunt.

Willelmus *Peverel* de *Notingeham*, causâ veneficii quod fuerat propinatum Ranulfo Comiti Cestriæ, exhæredatus est.

B Turris Glocestriæ, castellum de *Bruges* et *Wigemor*, quæ Hugo de Mortuo-mari contra Regem firmaverat, Regi reddita sunt.

Anno Domini MCLVI, Rex Henricus transfretans apud Doveram, applicuit apud *Widzand* : ad quem venit Rotomagi Theodoricus Flandrensis Comes, et Comitissa Sybilla Regis amita....

In pago Parisiensi, Monasterio Argentoilo, cappa Salvatoris, sicut dicitur, inventa est.

Henricus Rex Anglorum cepit castellum Mirabellum et Chinonem longâ obsidione ; Losdunum verò redditum est ei (*a*).

Regina *Alienor* peperit filiam Regi Anglorum, quam vocavit Matildem.

Anno Domini MCLVII ,... Regina *Alienor* peperit filium apud *Oxenneford*, quem vocavit Ricardum.

C Henricus Rex Anglorum transfretavit in Angliam....

Terricus * Comes Flandrensis et Sybilla Comitissa perrexerunt Jerosolymam.

* Theodericus.

Anno Domini MCLVIII, Henricus Rex Anglorum coronatus apud Wigorniam, post celebrationem divinorum coronam super altare posuit, nec ulteriùs coronatus est. Regina *Alienor* peperit filium Gaufridum.

Thomas Regis Cancellarius in apparatu magno venit Parisius, Margaritam filiam Regis accepturus uxorem Henrico filio Regis Anglorum.

Gaufrido fratre Regis Anglorum mortuo, Rex statim transfretans recepit Nannetem.

Ludovicus Rex Francorum, ut apud S. Michaëlem in Normannia vota solveret orationis, transitum habuit per Normanniam, in Ecclesiis cathedralibus cum solemni processione receptus, honoratus a singulis et multis oneratus muneribus.

D Rex Anglorum iterùm invitatus a Rege Francorum venit Parisius, receptus in palatio Regis, Rege Francorum et Reginâ in claustro Canonicorum beatæ Virginis hospitantibus.

Anno Domini MCLIX, Rex Anglorum Henricus duxit exercitum versùs Tolosam, et cepit castella fortia vicina ejus, Rege Franciæ commorante interim jugiter in Tolosa; et ob reverentiam præsentiæ ipsius, dictus est Rex Angliæ ipsam civitatem Tolosam non assiluisse. Rex enim Francorum ob gratiam Comitis S. Ægidii, cujus sororem Constantiam Comes uxorem duxerat et jam ex ea liberos susceperat, a Tolosa non recedebat : unde duo Reges inimici facti sunt.

Adrianus Papa obiit. Schisma de electione duorum Paparum....

Gulielmus Comes Boloniæ, filius Regis Stephani et novissimus hæres ipsius, cui Rex totam hæreditatem patris sui in Anglia et in Normannia concessit,

E in reditu Tolosæ obiit.

Anno Domini MCLX, a Rege Franciæ et a Rege Angliæ in Alexandrum Papam consensum est. Imperator verò Alemanniæ cum Clero suo recepit Octavianum, et missis ad Reges Francorum et Anglorum nunciis, ut eumdem reciperent Papam petiit, nec impetravit.

Maria Abbatissa de *Ramesie*, filia Regis Stephani, nupsit Comiti Matthæo, ex quo sustulit duas filias (*b*).

(*a*) Hæc tria castella Gaufridus, Henrici natu-minor frater, testamento patris in hæreditatem acceperat, eâ lege primogenito impositâ, ut si quandò ad avitum Angliæ regnum perveniret, ipsi Comitatu Andegavensi cederet : quem cùm Angliæ compos effectus fratri negaret Henricus, jus suum ille armis vindicare studuit, sed adeò infelici exitu, ut omni prorsùs hæreditate caruerit. Damnum tamen istud resarciere Nannetenses, adscito, post ejectum Comitem suum Hoellum, Gaufrido et in locum ejus subrogato.

(*b*) Matthæus Paris addit : *Propter quod peccatum Thomas Regis Cancellarius, qui contrarius fuit huic contractui illicito, ad instar B. Joannis-Baptistæ, multas*

Digitized by Google

Regina Francorum [Constantia], filia Athelfunsi Imperatoris Hispaniarum, A
de partu filiæ mortua est, incolumi filiâ. Rex verò Ludovicus, non observato tempore luctûs, infra quintum decimum diem Alam, filiam Comitis Theobaldi, duxit uxorem, quam Samson Remensis Archiepiscopus ungere noluit in Reginam, quia sororem ejusdem Alæ propter consanguinitatem separaverat a Philippo fratre memorati Regis (*a*).

Henricus Rex Angliæ Margaritam filiam Regis Francorum, quam apud se habebat in custodia, Henrico filio suo desponsari fecit, et castellum de *Gisors* diu desideratum, et jam antè ex condicto duorum Regum custodiæ Militum Templi usque ad diem illarum nuptiarum commissum, obtinuit. Quod quia præproperè, ut dicunt, factum est, Rex Franciæ et fratres uxoris ejus indignati, Regi Angliæ inimici facti sunt, et adversari cœperunt. Ad dedecus itaque Regis Angliæ, Rex Franciæ et Comes Theobaldus Calvum-montem situm inter Blesim B
et Ambazium firmaverunt. Rex autem Angliæ cum suis festinus adveniens, Rege Francorum et Comite Theobaldo fugatis, castrum obsedit, et intra paucos dies ad deditionem coegit : capti sunt autem intùs quinquaginta-quinque milites Theobaldi. Celebratum est autem matrimonium inter filium Regis Anglorum septennem et filiam Regis Francorum triennem, auctoritate scilicet Henrici Pisani et Willelmi Papiensis, Presbyterorum Cardinalium et Apostolicæ sedis Legatorum. Hoc autem factum est apud Novum-burgum, IV Non. Novembris....

Anno Domini MCLXI,... Ludovicus Rex Francorum et Henricus Rex Anglorum, copiis armatorum undique congregatis, cùm jam campestre prælium inter eos imminere putaretur, propè Fretevallem amici facti sunt.

Anno Domini MCLXII, Anglorum Regina filiam peperit apud Rotomagum, C
cui nomen suum imposuit, et vocavit *Alienor*.

Episcopi et Abbates totius Angliæ mandato Regis fidelitatem juraverunt Henrico primogenito filio suo. Thomas autem Cancellarius primus omnium ei fecit homagium, salvâ fide Regis, quamdiu viveret et regno præesse vellet....

Fredericus Imperator Romanus, Ludovicus Rex Francorum propè Chrysopolim convenerunt, ut Ecclesiæ Romanæ schisma sedarent, et quis esset præferendus decernerent (*b*)....

Anno Domini MCLXIII, Henricus Rex Angliæ, finibus Normannorum, Britonum, Cenomannensium, Andegavorum, Turonensium et Aquitanorum ad voluntatem suam dispositis, in Angliam rediens apud Hamonis-portum applicuit VIII Kal. Februarii....

Robertus de *Muntfort* cum Henrico de *Essex* (*c*) singulari certamine con- D
grediens, victoriam reportavit. Henricus autem notam infamiæ simul et exhæredationis jacturam incurrens, indulgentiâ Principis habitum monachilem suscepit apud Radingum.

Alexander Papa Concilium congregavit Turonis in Ecclesia sancti Mauricii,
* *Al.* XIV. XII * Kal. Junii... Johannes Thesaurarius Eboracensis, consecratus a domino Papa Pictaviensis Episcopus in Concilio Turonensi, professionem fecit Archiepiscopo Burdegalensi...

Anno Domini MCLXV, Regina Francorum peperit filium, quem vocavit Philippum. Regina *Alienor* peperit filiam, quam vocavit Johannam.

Alexander Papa rediens in Italiam Romæ recipitur, et inde transiit Beneventum.

Rege morante apud Westmusterium, Reginaldus Coloniensis Archiepiscopus E
venit in Angliam, accepturus uxorem Henrico Duci Saxoniæ Matildem, primogenitam filiam Regis. Cui cùm Magnates regni solemniter occurrissent, Robertus Comes Legecestriæ, Justiciarius Regis, illum Archi-schismaticum in osculum non recepit. Eversa sunt passim altaria super quæ Missam illi celebrarunt Schismatici.

passus est Comitis insidias.

(*a*) Duo fuere Ludovico VII Regi fratres nomine Philippi, alter natu major in Regem, patre vivente, unctus an. 1129, acerbâque morte an. 1131 sublatus ; alter de quo Radulfus hìc agit, qui, post dissolutum matrimonium suum cum filia Theobaldi IV Trecensis Comitis, Clero adscriptus, Ecclesiæ Parisiensis Archidiaconus effectus est, atque in ejusdem Episcopum an. 1159 electus, loco cessit in gratiam Petri Lombardi, ac demùm Ecclesiæ Turonensis Decanus obiit an. 1161.

(*b*) Colloquium istud indictum fuit, non quidem propè Chrysopolim seu Vesontionem, sed citra Ararim in confinio utriusque regni Germaniæ et Galliæ, propè vicum cui nomen Lovigenna, seu Laona vel Latona, vulgò S. *Jean de Laone;* Frederici verò malâ arte habitum non fuit. Vide Hugonis Pictavini de hac re historiam Vizeliacensem T. XII. p. 329 et *seqq.*

(*c*) Addit Mat. Paris : *De proditione Regis.*

Digitized by Google

A Anno Domini MCLXVI, quidam pravi dogmatis disseminatores tracti sunt in judicium apud *Oxeneford*, præsente Rege, præsentibus et Episcopis: quos a fide nostra devios et in examine superatos, facies cauteriata notabiles cunctis exposuit, expulsos a regno. Rex Angliæ transfretavit circa initium Quadragesimæ.

Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, cùm per dies plurimos moram fecisset apud Pontiniacum, transiens inde venit Viceliacum repentè, et die Ascensionis, videntibus populis qui ad diem festum venerant, ascendens in pulpitum, consuetudinum quas in regno Anglorum avitas appellant, observatores et defensores et instigatores accensis candelis excommunicavit....

Alienor Regina peperit filium, quem vocavit Johannem.

Radulfus Felgeriarum dominus Principes Armoricorum ex maxima parte suam traxit in partem, Regem Anglorum inquietaturus. Sed cùm ipse Radulfus
B viribus esset longè inferior, et confœderati sibi Regis videntes exercitum solo metu tabescerent, cùm a Francis etiam ipse consilium et auxilium expetisset et exspectasset, sicut promiserant, nec in aliquo subvenissent, coactus est ad deditionem: turris ejus subversa est, milites intùs capti, quæ congregaverat, exercitui Regis in direptionem cesserunt.

Willelmus Papiensis, Johannes Neapolitanus, Cardinales a latere summi Pontificis destinati, Regem et Archiepiscopum convenerunt apud *Munmirail*, et licèt Archiepiscopus eos in partem Regis inclinatiores sensisset, rem tamen in judicium eâ ratione deduci concessit eis publicè residentibus, ut secundùm ordinem ecclesiasticum tam sibi quàm suis priùs fieret ablatorum in integrum restitutio; nec enim spoliatus subire judicium voluit, nec cogi potuit aliquâ ratione: quod cùm illi nec vellent nec possent, infecto negotio, redierunt ad curiam.

C Ludovicus Rex Francorum venit Pontiniacum, et ne quid in Anglia fieret in perniciem Ordinis Cisterciensis, Thomam Archiepiscopum, cui jam per biennium Pontiniacenses omnem exhibuerant humanitatem, Senonis secum deduxit, et in expendiis sufficientiam apud S. Columbam invenit per IV annos....

Collectam Jerosolymitanorum usibus destinandam, truncus in singulis deputatus Ecclesiis adactâ serâ conclusit, præstito per Angliam publicè sacramento, denarios IV a singulis marcatis emungens.

Anno Domini MCLXVII,... Matildis filia Regis nupsit Henrico Duci Saxonico. Comes de *Arundel*, Comes de *Struguil* illi præbuerunt ducatum, et alii plures....

Rex Francorum et Rex Anglorum facti sunt discordes. A Normannis Calvus-mons vicinus *Gisors* succensus est. Multi milites, multi cives ibi capti sunt. In ultionem hujus facti Rex Francorum villam campestrem Rotomagensis Ar-
D chiepiscopi, scilicet *Andeli*, combussit, et ipsâ die rediit in Franciam, amissis in itinere plusquàm mille de suis. In Pertico postmodùm multi milites Francorum capti sunt a Normannis. Tandem duo Reges pacificati sunt. Ricardus siquidem filius Regis Anglorum, Dux Aquitaniæ, filiam Regis Francorum accepit in sponsam.

Comes Patricius in Aquitania, princeps militiæ Regis Anglorum, lanceâ confossus obiit...

Anno Domini MCLXVIII... Ex quo Reges in minori Britannia desierunt præesse, duo Comites in eisdem locis principari cœperunt. Sed quoniam omnis potestas impatiens semper consortis erit, sese variis sæpè dissentionibus afflixerunt. Conanus tandem jure successorio nactus Comitatum utrumque, dum in fata (*a*) concederet, ex sorore Regis Scottorum filiam reliquit hæredem: quam Rex Anglorum filio
E suo Gaufrido uxorem accipiens, et in pace passim per Britanniam statuenda studiosus existens, Clerum terræ illius sibi conciliavit et populum....

Anno Domini MCLXIX,... *Alienor*, filia Regis Angliæ, nupsit Adelfunso Regi Castellæ... Inter Angliæ Regem et Archiepiscopum paci reformandæ multi multam multotiens operam impenderunt. Ad ultimum.... ipse Deus sic instituit animos Viviani et Gratiani, ut a primordio legationis injunctæ statim alter Regem, statim alter Archiepiscopum modis omnibus fovere proponeret: et quorum erat potestas æqualis, eosdem varius disjungebat affectus, nec finis potuit invenisse concordes, qui ab initio vota conceperant tam diversa. Sed sicut penès Regem Gratianus gratiam non invenit, sic nec penès Archiepiscopum aliqua vivit in

(*a*) Conanus IV cognomento Parvus an. 1171 vitâ functus est: sed an. 1168 Ducatu Britanniæ jam cesserat, in gratiam nuptiarum Constantiæ filiæ suæ cum Gaufrido Henrici Angliæ Regis filio.

Digitized by Google

memoria Vivianus. Cùm igitur tractaturi de pace se conspectui regio præsentassent apud Bajocas in Normannia, postque tractatus immensos pax esse in januis crederetur ab omnibus, litteras illis direxit Willelmus Senonensis Archiepiscopus, in quibus continebatur, ne sine conscientia ipsius, sicut in mandatis a domino Papa susceperant, in reconciliatione facienda procederent. Sic infecto negotio, duo Legati summi Pontificis a Regis curia recesserunt.... A

* An. 1169. In octabis S. Martini * habitum est colloquium inter Regem Francorum et Regem Angliæ proximè Parisius, ubi præsens fuit Archiepiscopus Cantuariensis; sed se Regis Angliæ minimè conspectui præsentavit. Cùmque diu tractatum esset de pace facienda inter Regem et Archiepiscopum, quoniam ad hoc qui convenerant videbantur inniti, ne prætextu regiæ dignitatis libertas Ecclesiæ deperiret, novo genere obligationis sic novam confœderationem involvere contendebant, ut simul et debita Deo reverentia impenderetur in omnibus, et jus regium nihilominùs conservaretur illæsum; cùm constet pro certo quòd in observatione regiæ dignitatis libertas vel dignitas ecclesiastica non gravetur.... Consilio itaque Regis Francorum, Episcoporum et Procerum, Archiepiscopus petitionem suam redactam in schedula Regi Anglorum porrexit, continentem hæc verba: « Hoc petimus a domino nostro Rege, juxta mandatum et con- B
» silium domini Papæ, quatenùs pro amore Dei et domini Papæ, et honore sanctæ
» Ecclesiæ, et salute sua et hæredum suorum, recipiat nos in gratiam suam,
» et concedat nobis et omnibus qui nobiscum et pro nobis exierunt de regno
» suo, pacem suam et plenam securitatem de se et suis, sine malo ingenio; et
» reddat nobis Ecclesiam Cantuariensem in ea plenitudine et libertate, in qua
» eam meliùs habuimus, postquàm facti sumus Archiepiscopus; et possessiones
» omnes quas habuimus ad tenendum et habendum ita liberè et quietè et C
» honorificè, sicut Ecclesia et nos eas liberiùs et honorificentiùs tenuimus et
» habuimus, postquàm promoti sumus in Archiepiscopum, et similiter nostris. Et
» omnes Ecclesias et Præbendas, ad Archiepiscopum pertinentes, quæ vacave-
» runt postquàm exivimus de terra, ut faciamus de eis sicut de nostris, prout
» nobis placuerit, similiter habere permittat ».

Duobus articulis plenum non præbuit assensum Rex Angliæ. Nec enim nomine restitutionis, cùm Archiepiscopum non expulerit, juxta dignitatem regni quidquam debebat exsolvere, nec bonorum vacantium possessiones, quas jam dederat certis personis, in irritum devocare. Sed ut legibus alligatum se Principem profiteretur in medium, coram Rege Francorum paratus erat Archiepiscopo per omnia satisfacere, vel si contendere decrevisset, judicium in palatio Parisiensi subire, Proceribus Galliæ residentibus, aut Gallicanâ Ecclesiâ partes suas in- D
terponente, seu scholaribus diversarum provinciarum æquâ lance negotium examinantibus. Et ita Rex Angliæ, qui priùs odium in se plurimorum conflaverat, in hoc verbo plurimum favorem adeptus est. Itaque Rex Anglorum et Archiepiscopus in quali quali convenissent concordia, nisi quia Rex Archiepiscopo dare signum pacis in osculo penitùs abnegasset et abjurasset, omnem aliam securitatem arbitratu boni viri paratus offerre, paratus præstare (*a*).

Anno Domini MCLXX, in Natali Domini Rex tenuit curiam suam apud Nannetensem urbem, præsentibus Episcopis et Baronibus totius Britanniæ, ubi fidelitatem sibi et filio suo Gaufrido communiter juraverunt. Sequenti Quadragesimâ rediens in Angliam, multis suorum subitâ maris tempestate periclitatis, ipse magno Divinæ pietatis munere evasit incolumis...

XIV Kal. Julii, Henricus primogenitus filius Henrici Regis Angliæ, consecratus E
est in Regem apud Westmonasterium a Rogero Eboracensi Archiepiscopo. Rex post coronationem filii transfretavit.

Habitum est colloquium apud *Munmirail* inter Regem Angliæ et Archiepiscopum, ubi præsens fuit Rex Francorum et Bernardus de Corilo, Prior etiam de Monte-Dei. Post multa cùm perventum est ad osculum, quia dixit Archiepiscopus, *in honore Dei vos osculor;* ab osculo quasi conditionaliter involuto recessit Rex. Nam sicut nostri majores formulas juris suspectissimas habebant in jure; sic Rex semper in verbis Archiepiscopi, conscientiam habentis purissimam, quasdam clausulas causabatur: scilicet nunc, *salvo ordine meo;* nunc, *salvo honore Dei;* nunc, *salvâ fide Dei.*

(*a*) Mat. Paris: *Archiepiscovus autem pacem inire noluit, nisi firmâ posset stabilitate gaudere.*

Digitized by Google

A Item apud Fractam-vallem Rex Francorum, W. (Willelmus) Senonensis Archiepiscopus, et Episcopus Nivernensis venerunt. Cùm autem Rex et Archiepiscopus secessissent in partem, bisque descendissent et bis ascendissent, bis stapham Rex tenuit Archiepiscopo. Item apud Ambazium, singulis ad simplicem intellectum reductis, Rex et Archiepiscopus concordiam inierunt, procurante pacem Rotrodo Rotomagensi Metropolitano.... Hac igitur securitate Archiepiscopus rediens in Angliam, Kal. Decembris appulsus est apud Sandicum portum....

Anno Domini MCLXXI,... quintâ die Natalis Domini circiter horam vespertinam, dum Archiepiscopus cum Clericis suis resideret in thalamo, Willelmus de *Traci*, Reginaldus filius Ursi, Hugo de Morevilla, Ricardus Brito, de Normannia venientes, tanquam furiâ invecti subitò thalamum irruperunt, denunciantes ex parte Regis moram in Normannia facientis, ut Episcopos Angliæ sus-
B pensos officio restitueret, excommunicatos absolveret. (*Sequitur Archiepiscopi cædes*).

Rex Angliæ tunc temporis in Normannia morabatur apud Argentonium, cùm ad ejus notitiam rumor infaustus, quibusdam perferentibus, penetravit. Qui statim in primis nefandi sermonis initiis ad omnia lamentationum et miseriarum genera conversus, regiam prorsùs majestatem quasi cilicio et cinere commutavit, omnipotentem Deum testem vocans in animam suam, quòd opus néfarium nec suâ voluntate, nec conscientiâ commissum est, nec artificio perquisitum; nisi fortè in hoc delictum sit, quòd adhuc minùs diligere credebatur Archiepiscopum. Super hoc quoque se judicio Ecclesiæ prorsùs exposuit, et humiliter suscepturum se quidquid in eo fuerit statutum salubriter repromisit. Missi sunt nuncii a domino Rege summo Pontifici, qui Regem excusarent et
C ejus innócentiam allegarent : quos nec dominus Papa videre, nec ad osculum nec ad pedes voluit admittere; nuncios qui secundò venerunt aliqui Cardinalium receperunt, sed verbo tantùm.... Instante igitur quintâ feriâ ante Pascha *, in qua de consuetudine Romanæ Ecclesiæ solet dominus Papa publicè vel absolvere, vel excommunicare;... in artissimo positi nuncii Regis, quibusdam Cardinalibus intercedentibus, significaverunt domino Papæ se accepisse in mandatis a domino Rege, quòd jurarent in præsentia ejus Regem staturum mandato suo, et hoc etiam juraturum in propria persona, Legatis suis præsentibus, scilicet Alberto Cardinali tituli S. Laurentii in Lucina et Theodino Cardinali tituli S. Vitalis, quos dominus Papa missurus erat in Normanniam. Sicut ergo nuncii Regis petierunt, sic et juraverunt, et interdicti declinaverunt sententiam....

* An. 1171.

In minori Britannia Hamo Leonensis Episcopus per Guidomarum, filium fratris
D sui Guidomari, interfectus est. Willelmus *Trencheveil* interfectus est in Ecclesia S. Mariæ Magdalenæ apud Bedercum.... (*a*).

Circa initium Augusti *, Lundoniensis Episcopus a sententia excommunicationis, in quam ipsum dominus Papa, quia novi Regis interfuit coronationi, revocaverat, a Nivernensi Episcopo, a Belvacensi Episcopo, et ab Abbate de *Pontinni* absolutus est. Hoc autem factum est propè Gisortium apud Calvum-montem; nondùm tamen Episcopali restitutus fuit officio.

* An. 1171.

Octavo Idus Augusti, Rex pater Regis appulsus est in Angliam, qui visitavit in transitu Henricum Wintoniensem Episcopum in extremis agentem, qui eum pro morte gloriosi Martyris increpavit durissimè : ob quam mortem ipsum multa prædixit adversa passurum. Episcopus itaque senex et plenus dierum IV Idus Augusti migravit ad Dominum....

E Rex pater Regis, navibus undique congregatis, intravit Hiberniam XV Kal. Novembris...

Rotro Rotomagensis Archiepiscopus et Episcopus Ambianensis susceperant in mandatis a domino Papa, quòd congruo loco et tempore diem præfinirent Eboracensi Archiepiscopo, et ejus purgationem susciperent. Eboracensis itaque, pluribus secum assumptis, in festo sancti Nicolai * apud *Albamarle* sacramento præstito purgavit innocentiam suam, quòd ante coronationem novi Regis, ut supra diximus, litteras prohibitionis a domino Papa transmissas nequaquam susceperat, et quòd Regi patri de regni consuetudinibus observandis, quas avitas vocant, se non obligaverat; et quòd mortem gloriosi Martyris Thomæ quondam

* An. 1171.

(*a*) Raimundus, non verò Guillelmus, *Trencheveil* anno 1167 neci traditus est, ex chronico Nemausensi.

Digitized by Google

A Cantuariensis Archiepiscopi, neque verbo, neque scripto, neque facto scienter procuraverat : et sic est ad officii plenitudinem restitutus....

Anno Domini MCLXXII,... dum Rex moram faceret in Ybernia, Hugo de *Sainte-More* et Radulfus de *Faie*, avunculus Reginæ *Alienor*, consilio, ut dicitur, ejusdem Reginæ, Regis filii Regis animum a patre suo cœperunt avertere, suggerentes incongruum videri quibuslibet Regem esse et dominationem regno debitam non exercere.... Cùm autem intellexissent Yberniens in quantùm circa pacem statuendam et conservandam Regis Angliæ tota versaretur intentio, qui nec indulgentiis crimina sublevabat, nec in mortem alicujus præcipitabat sententiam; sub edicto vocati convenerunt ad ipsum, rogantes quæ ad pacem sunt.... Et quoniam ipsum varia trahebant negotia, die Paschæ sub ipso diei crepusculo navem ascendit,... sicque felici navigatione transvectus B intravit Normanniam. Quòd cùm ad Regis Francorum notitiam pervenisset, vociferans ait : « Rex Angliæ modò in Ybernia, modò in Anglia, modò in » Normannia, volare potiùs judicandus est, quàm vel equum vel navem con- » scendere ».

Rotro Rotomagensis Archiepiscopus et Episcopus Ambianensis in mandatis susceperant a domino Papa, quatinùs congruo loco et tempore Lundoniensis Episcopi purgationem susciperent. Ab ipsis igitur Lundoniensis Episcopus evocatus, viris religiosis pluribus secum adjunctis, juravit quòd mortem gloriosi
* An. 1172. Thomæ Martyris neque facto, neque verbo, neque scripto procuravit scienter. Suo itaque restitutus officio apud *Albemarle*, Kal. Maii * ad suam cum gaudio remeavit Ecclesiam.

Postquam Rex Anglorum appulsus est in Normanniam, statim cum festi- C natione accessit ad dominum Albertum et Theodinum Cardinales et Apostolicæ sedis Legatos, ad partes illas a domino Papa transmissos. Post longos tandem et immensos tractatus primò habitos apud Saviniacum, post apud Abrincas, in præsentia Legatorum juravit dominus Rex mortem gloriosissimi Martyris Thomæ nec voluntate suâ, nec conscientiâ perpetratam fuisse, nec suo artificio
* An. 1172. perquisitam. (*Cætera ut in chronico Gervasii.*)

Sequenti Augusto * Rex filius Regis, et uxor ejus Margarita, filia Regis Francorum, appulsi sunt in Angliam, habentes in itinere comites Rotrodum Rotomagensem Archiepiscopum, Egidium Ebroicensem Episcopum, et Gaufridum Præpositum Carnotensem. Archiepiscopus itaque memoratus XII Kal. Septembris apud Wintoniam Margaritam Reginam Angliæ consecravit, et diadema regni capiti filii Regis imposuit, ministrantibus sibi Episcopo Ebroicensi, et aliquibus D suffraganeis Cantuariensis Ecclesiæ. Juxta petitionem et voluntatem Regis Francorum, interdictum fuerat Eboracensi Archiepiscopo, Lundoniensi et Salesburiensi Episcopis, ne coronationi vel interessent, vel eam impedire quaquâ ratione præsumerent....

Anno Domini MCLXXIII, Henricus Rex Angliæ Johanni filio suo, cognomento Sine-terra, vix benè septenni, filiam primogenitam Humberti Comitis de Moriana, quam ex relicta Henrici Saxonici Ducis sustulerat, sponsam accepit. Et quia spes masculæ prolis nulla supererat, quatuor castella Comitis, quæ vel naturâ loci vel artificio manuum munitiora reputabantur, juxta voluntatem Regis deputata sunt custodiæ.

Adelfunsus Rex Aragonum, Raimundus Comes sancti Ægidii (*a*), Girardus Comes Viennensis, Humbertus Comes de Moriana, tanquam ex condicto con- E
* An. 1173. venerunt ad curiam Regis Angliæ apud Montem-Ferrandum in Arvernia, II Idus Februarii *. Fuit et ibi Henricus Rex filius Regis Henrici; Procerum, Equitum, civium quos varia trahebant negotia, multitudo numerosa non defuit, ubi gazæ multiplices et antiquis congestæ temporibus, sumptibus regiis, affluentiâ expensarum, donariorum multiplicitate possent exinaniri, nî thesaurorum acervus quos Anglia destinaverat, excresceret in immensum. Prædictis itaque viris illustribus partes suas interponentibus, Comes sancti Ægidii fecit homagium Regi Anglorum Henrico, patri Regis Henrici, salvâ fide Lodovici Regis Francorum; sibi suisque prospicere volens in futurum hæredibus, Comitatum Tolosanum ex hoc et deinceps Aquitanico Duci in servitio militari, multisque

(*a*) *Qui inimici erant ad invicem,* ut tradit Benedictus Petroburg., *et Rex duxit eos secum usque* Limoges, *et ibi pacem fecit inter eos.*

Digitized by Google

A aliis præstationibus in scripto redactis, obnoxium futurum esse sacramento firmavit. Sed quia Ricardus Dux Aquitaniæ, cui facturus erat homagium Comes sancti Ægidii, tunc temporis præsens non erat, usque ad octavas Pentecostes negotii complementum dilationem accepit....

Henricus Rex filius Regis abiens in consilio impiorum, animum suum avertit a patre, et ab Argentonio noctu recedens, domesticis patris sui, qui necessaria ministrabant, ignorantibus, ad socerum suum Ludovicum Regem Francorum, transitu habito per Mauritaniam *, castrum scilicet Comitis Perticensis, secessit, x Kal. Aprilis *. Ipsâ nocte pater suus dormiens apud Alentium, cùm subitò expergefactus transfugium filii cognovisset, paucissimis secum assumptis, equum ascendit; et transitum habens per marchiam suam, et castellorum custodes præmuniens, equis sæpè mutatis, sub ipso diei crepusculo venit Gisortium, quod filio suo
B Regi Ludovicus Rex Francorum cum filia sua Margarita nomine dotis contulerat. Ricardus Dux Aquitaniæ, Gaufridus Dux Britanniæ, juniores filii Regis, consilio matris suæ Reginæ, scilicet *Alienor*, sicut dicitur, fratrem potiùs elegerunt sequi, quàm patrem. Fiunt undique conjurationes, fiunt rapinæ, fiunt incendia, et ut a tempore sumamus auspicium, eo tempore sumpsit arma filius contra patrem, quo quibuslibet locis ob reverentiam Dominicæ Passionis arma Christiani deponunt (*a*)....

Adulfus de Warnevilla, Rotomagensis Sacrista, Thesaurarius Eboracensis, constitutus est Angliæ Cancellarius : qui modum vivendi parùm a privato dissimilem, quem priùs semper habuerat, non immutavit, malens Waltero de Constantiis Canonico Rotomagensi vices in curia Regis committere, quàm circa latus Principis militantes, expensis profusioribus, lautioribus mensis, ad sui gloC riam nominis propagandam per dies singulos invitare.

Septies viginti Flandrenses, irruptione factâ propè Pasceium, beneficio pontis intraverunt Normanniam. Clangor lituorum, populi clamor, armatorum discursus e vestigio locum repleverunt eumdem; et sic Normanni viriliter resistentes, eos quantociùs cogitare de reditu coegerunt. Sed pons quo transitum priùs habuerant, a muliercula quadam effractus, in subsidium aquas opposuit profundissimas, quibus involuti Flandrenses universi submersi sunt. Quod audiens Ludovicus Rex Francorum, ait : « Pro Normannis elementa decertant. Nam alio tempore cùm in» trassem Normanniam, pars exercitûs mei quamplurima pro aquæ penuria periit : » nunc nimiam possumus abundantiam aquarum causari »...

Hugo de *Gornai*, tam pater quàm filius, et quater viginti milites cum eis, non tam inimicorum virtute quàm insidiis intercepti, capti sunt a Rege filio, castrum
D succensum est, burgenses ad redemptionem compulsi....

Robertus Comes Legecestriæ, mutuam accipiens undequaque pecuniam, et verba pacis habens, venit Lundoniam, transfretandi licentiam a Justiciariis impetravit; similiter et Willelmus Camerarius de Tancarvilla petiit licentiam transfretandi. Uterque, sacramento corporaliter præstito, Regis patris fidelitatem juravit : sed subitò trans mare currentes, cœlum illicò mutaverunt et animum. Nam cùm audissent quæ fiebant in terra, cœperunt et ipsi de transfugio cogitare. Johannes siquidem Comes de Soeneis (*b*), Hugo Comes Cestrensis, Robertus Comes de *Mellent*, Joscelinus *Crispin*, Gilebertus de *Tiveleres*, Robertus de Monteforti, Willelmus Patricius, Hasculfus de Sancto-Hylario, Radulfus dominus Felgeriarum, et plures mediæ manûs homines, quos ex justis et probabilibus causis Rex pater exhæredaverat, Regis filii cesserunt in partem : non quia causam ejus justiorem attenderent; sed quia Rex pater regiæ titulos dignitatis am-
E pliare procurans, superborum et sublimium colla calcaret, castella patriæ suspecta vel everteret vel in suam redigeret potestatem; bonorum occupatores quæ suam ad mensam quasi ad fiscum ab antiquo pertinere noscuntur, patrimonio proprio contentos esse debere constanter assereret, et etiam cogeret; proditionis reos damnaret exsilio, raptores sententiâ capitali puniret, fures terreret in furca, pauperum oppressores pecuniæ jacturâ mulctaret....

Ludovicus Rex Francorum ad Normanniam penitùs devastandam innumerabilem congregavit exercitum. Octabis S. Joannis-Baptistæ *, auxiliariis undique

* *Mortagne.*

* An. 1173.

* An. 1173.

(*a*) Matt. Paris subjungit : *Et sicut creditur, in ultionem B. Thomæ Martyris suscitavit Deus viscera Regis Henrici contra eum, videlicet filios suos, qui ipsum usque ad mortem persecuti sunt, sicut sequens historia declarabit.*

(*b*) Joannes Bellismensis, Comes Pontivi.

Digitized by Google

concurrentibus, primo impetu statuit delere Vernolium. Fixis circumquaque A
tentoriis, quânam ex parte primos experiretur conatus, missis exploratoribus, cœpit inquirere. Reportatum est castrum inaccessibile, utpotè fossatis circumdatum, cinctum muris, propugnaculis obfirmatum, viris bellicosis ebulliens, radiantibus armis refertum, victualibus abundans; et nisi longâ obsidio fame coarctaverit multitudinem intùs obsessam, Franci poterant inani labore consumi, vel atteri prorsùs irreparabili jacturâ. Ad sumptus igitur exercitui providendos, relatio necessaria domicilio cujusque transmittitur. Per totam Galliam fit descriptio generalis; nullus immunitate gaudebat : a sedente in solio usque ad laborantem in mola, vel in prostibulo dormientem, manum extendere videbantur regii exactores. Non sexus, non ordo, non dignitas a muneribus sordidis vacationem habebat. Persona fortunæ injuriâ miserabilis, si vel agellulum possideret vel asinum, urgebatur conferre. Hujuscemodi passim imprecabantur expeditioni, B
qui ut exercitui necessaria ministrarent, distrahere patrimonia cogebantur.

Rex [Angliæ] filius Philippum Flandrensem Comitem, Matthæum fratrem suum, Comitem Boloniensem, multis et magnis promissionibus emollitos, instigatione Regis Francorum suam traxit in partem. Qui quantociùs multitudinem armatorum sub edicto vocantes, primoribus Flandriæ renitentibus, intraverunt cum eo Normanniam in superbia magna. Castellum itaque de *Albamarle*, quod sine quorumdam ignominia dici non potest, est celeriter expugnatum. Willelmus Comes dominus ejusdem castri, Comes [Ebroicensis] Simon, et alii plures capti sunt intùs, et ad redemptionem compulsi : qui duo proditionem ab aliis, non a suis factam, captionis suæ traxerunt in culpam. Castello juxta voluntatem Comitis custodiæ deputato, obsederunt *Driencurt* castrum munitissimum, et militibus electis commissum. Sed quoniam ubi caput languidum est, membra C
robusta suum non possunt exercere vigorem, expugnatum est et ipsum armis eisdem, assultu consimili, eo infortunio quo et castellum de *Albamarle*, et similiter custodiæ deputatum. Cùm indè progrederentur versùs castrum *Arches*,
* An. 1173. Boloniensis Comes in festo S. Jacobi * a quodam Marchione vulneratur ad mortem : quod divino judicio factum esse pro certo cognovimus. Nam quia propositis et tactis sacrosanctis reliquiis, inter quas manus S. Jacobi præsentialiter habebatur, quinquennio jam transacto, in festo S. Jacobi fidelitatem patris Regis juraverat, et sicut modò apparuit, in omnium oculis dejeraverat, in ultionem tanti sceleris, in die festo S. Jacobi lethali vulnere percussus est. Philippus Comes de reditu festino sollicitus, cum victoria simul et cum gaudio remeasset ad propria, nisi quia proditionis nota suos denigraret successus, et nisi quia mors fratris, quæ imminebat, dubios belli eventus sibi repromitteret in futu- D
rum. Rediit itaque per Comitatum Aucensem, quem Rex filius potestati suæ jam totum subjecerat.

Rex pater eo tempore morabatur Rotomagi, ut populo videbatur, æquo animo ferens quæ fiebant in terra, frequentiùs solito venatui totus indulgens, venientibus ad se vultum hilaritatis prætendens, aliquid extorquere volentibus patienter respondens. Hi quos ab annis puerilibus enutrierat, hi quos donaverat cingulo militari, hi quos domesticos priùs habuerat et in consiliis familiarissimos, quotidie dilabebantur ab eo : credentes ejus dejectionem futuram in brevi, filii dominationem arbitrantes procedere juxta Regis Francorum et Principum voluntatem. Qui ut causam ejus foverent attentiùs, eum cum tanta sollicitudine, cum tantis expensis, cum tanto discrimine promovere curabant, se, sua, suosque contemplatione ipsius diversis generibus mortium, E
rapinis, deprædationibus et incendiis incunctanter exponere minimè formidantes. Ut audivit Rex pater Philippum Flandrensem Comitem a Normannia recessisse, quantum potuit subitò congregavit exercitum, ut si Regem Francorum intra fines Normanniæ reperisset, prælium iniret cum illo.

* An. 1173. Obsesso Vernolio Idus Julii *, an lignis, an lapidibus undique comportatis Franci fossatum repleverint et redegerint in planitiem, noli quærere. Ne quæras etiam an ad subvertendum castrum erexerint machinas muris altis etiam altiores, an impetus faciendo resistentes attriverint, an fundis balearibus lapides jaciendo dejecerint propugnacula. Nam quoties parati ad pugnam Franci muros appropinquare condixerant, a Normannis gravi semper affecti jacturâ repellebantur.

Intra septa Vernolii burgum quoddam, a divitibus mixtim et pauperibus inhabitatum,

Digitized by Google

A inhabitatum, alto clausum muro, certis distinctum limitibus, proprio designatum vocabulo, Burgum videlicet Reginæ, quoniam a tempore obsidionis pauperum et debilium intùs fuerat multitudo conclusa, fame cœpit periclitari. Quod cùm ad Regis Francorum notitiam pervenisset, burgi portas sibi petiit aperiri, lege propositâ, quòd, si quis intra triduum proximum subveniret burgo conclusis, (quod impossibile judicabat) ab omni læsione servarentur indemnes. Hoc observandum legitimè Robertus Comes frater Regis Francorum, Henricus Comes Campaniæ, Theobaldus Comes Blesensis, nomine Regis Francorum firmarunt.

Henricus Rex Angliæ, secum habens Rotomagensem Archiepiscopum, Episcopos plures, Comitem Willelmum de Mannavilla, Richardum Comitem de *Estriguil*, qui nuper ab Hibernia venerat, Proceres plurimos, multitudinem armatorum tam equitum quàm peditum, quos ab urbibus et castellis, salvâ ip-
B sorum custodiâ, jam evocaverat, impiger advolat ad succurrendum Burgo conclusis, et ipsâ die quâ datæ fuerunt induciæ, ipsâ die quâ Rex Francorum receptus est intra Burgum, marchionum catervis, Brebantinorum cohortibus faciem suam præcedentibus, figit tentoria loco castris idoneo, sed ab exercitu Francorum aliquantisper remoto, scilicet apud Conchas. In crastino dispositis aciebus, et quæ ad pugnam necessaria videbantur ex ordine pertractatis, nuncios dirigit in mandatis habentes verbis pacificis dicere Regi Francorum, quatenùs e Normannia cum indemnitate suorum recederet, alioquin visitaret eum ipsâ die, sed in manu robusta. Quod audiens Rex Francorum, cùm sciret Regem Angliæ fortissimum esse et amaro animo, veluti si ursa raptis catulis in saltu sæviat, fugâ suis, ne dicam sibi, consulere potiùs quàm pugnare decrevit, et sic veritus a facie Regis Angliæ, conventionis oblitus quam inierat cum Burgen-
C sibus, et immemor sacramenti, Burgum succendit, spolia diripit, captivos abducit, et equum velociorem ascendens intra Galliam se cum festinatione recepit. Impedimenta Francorum Normannis supervenientibus et obsessis data sunt in prædam; quæ esculenti et poculenti causâ fuerant ad exercitum Francorum, sive plaustris, sive quadrigis, sive bigis, sive summariis comportata, Brebantinis et marchionibus in direptionem cesserunt, v Idus Augusti*. * An. 1173.

Obsessa est (*a*) Legecestria, v Nonas Julii. Sumptibus, expensis, laboribus in obsidione consumptis, commodum inde proveniens non satis æquâ lance respondit. Fortuito casu pro maxima parte civitate combustâ, cives tractaverunt de pace. Marcis itaque trecentis a civibus numeratis et Regis thesauro appensis, data est eis licentia recedendi et abeundi quò vellent, compositis sarcinis, dummodò vel in urbibus, vel in castellis, vel in villis regiis habitandi locum assu-
D merent. Illis abeuntibus, subversæ sunt portæ civitatis, pars murorum destructa, militibus castello conclusis datæ induciæ usque ad festum S. Michaëlis; et sic soluta est obsidio v Kal. Augusti... Robertus Comes Legecestriæ, consumptâ pecuniâ quam ab Anglia secum asportaverat, reversurus in Angliam et per Flandriam transitum habens, cum uxore, cum suppellectile venit apud *Witsant*, ubi tam Normannorum quàm Flandrensium, tam equitum quàm peditum, plurimâ comitante catervâ, navem ascendit, et velis in altum expansis appulsus est in *Suthfolc* apud Waletonam, III Kal. Octobris *. Qui navibus cum festinatione * An. 1173.
remissis, ad expugnandum castrum in supercilio montis constructum diebus quatuor laboravit; et licèt Comitem Hugonem *Bigod*, et quotquot poterat congregare cum machinis, in auxilium habuisset, excelsæ turri muris fundatæ fortissimis nocere non potuit. Inde progrediens post aliquot dies, III scilicet Idus
E Octobris, castellum de *Hagenet* invasit, cepit, succendit, triginta ferè milites intùs captos ad redemptionem coegit. Regrediens ad *Fremelingeham*, cùm mora ejus onerosa Hugoni *Bigod* domino castri videretur, sed uxori ipsius Hugonis plurimùm odiosa; necessitate compulsus ad Legecestriam visitandam animum direxit et gressum. Subitum igitur iter arripiens, proposuit a læva relinquere burgum S. Edmundi: quod exercitum Regis patris, qui tunc temporis ad patriam conservandam inibi morabatur, latere non potuit. Stipatus milite multo Comes et paratus ad pugnam, in tribus millibus Flandrensium armatorum, quos viæ participes tunc habebat, confidebat non minimùm. Verùm si milites Regis militibus Comitis conferantur, regalium numerus militiam Comitis excedet in quadruplum: si verò capita capitibus sub æqua dinumeratione respondeant, si

(*a*) Matt. Paris *Rege jubente, eò quòd Comes dominus urbis, Rege patre relicto, ad Regem filium confugit.*

Digitized by Google

armatorum hinc inde copiam tam equestrem quàm pedestrem, æquâ lance quis A
colligat, multò plures erant cum Comite, quàm qui steterant ex adverso. Inito
ergo certamine, et ictibus ictuum multiplicitate repulsis, post varios belli eventus,
Comes, Comitissa, quotquot Normannorum et Francorum cum eis venerant,
* An. 1173. capiuntur XVI Kal. Novembris *; Flandrensium pars major occiditur, pars quædam
submergitur, minima pars ad vincula subeunda pertrahitur; Hugo de Castello
capitur et Walterus de *Wahelle.*

Rege patre moram faciente Rotomagi, nunciatum est electam Regis filii
Regis militiam apud Dolensem urbem a Brebantinis suis circumclusam. Qui
statim equi dorsum insiliens, et eum calcaribus urgens, primâ nocte apud *Te-*
nerchebrai paululùm dormiendo quievit. Sequenti manè in Britanniam veniens,
scilicet ad *Dol,* militiam filii per dies aliquot repugnantem insimul comprehendit.
Inimicorum suorum multitudo permaxima, priusquam veniret, a Brebantinis B
fuerat interempta. Captus est Comes (*a*) Cestrensis, Radulfus dominus Fulge-
riarum, Radulfus de Haia, Willelmus Patricius, Hasculfus de Sancto-Hilario,
et cum istis ferè quater viginti milites....

Anno Domini MCLXXIV, Rex filius Regis Comitem Theobaldum, Comitem
Perticensem [Rotrodum, Joannem] Comitem de Soenis, et cum eis milites ferè
quingentos habens in comitatu, Sagiensem urbem invasit; sed civibus etiam sine
Principe, etiam sine duce resistentibus, nihil profecit....

Rex pater dubitans ne vel Rex filius, vel quilibet alii marchiæ vicinantes,
intra suos fines irrumperent et Normanniam devastarent, eam domesticis familia-
ribus et fidelibus suis, lateri suo jugiter priùs adhærentibus, custodiendam com-
misit. Ipse verò duobus solummodò secum assumptis, scilicet Aluredo de *Vavaci,*
Gaufrido *Esturmi,* quâ fide sui stare cum eo proposuerant experiri proponens, C
* An. 1174. ingressus [est] Cenomanniam II Kal. Maii *, Cenomannicis undique confluentibus
et ad suum per omnia paratis obsequium, si vel bellum ingrueret, vel aliud im-
mineret discrimen, vel etiam mortis instaret periculum. Transiens ergo per pa-
triam, multis militum stipatus catervis, animos suorum in se corroborans, de
finibus terræ muniendis et defendendis Proceres terræ illius satis exhortans, cùm
attigisset Andegaviæ fines, universos remisit, duos quos prænominavimus, ha-
bens in comitatu. Andegavenses celeriùs et celebriùs Cenomannicis occurrerunt
Regi; multò enim devotiùs, multò alacriùs, multò instantiùs ad ea quæ Rex
proponeret, se suo submiserunt arbitrio. Omnibus inibi pro voluntate completis,
diem Pentecostes Pictavis celebravit : ubi cùm audisset Ricardi filii sui militiam
urbem Santonicam occupasse, sumptis secum Pictaviensibus, ad eam liberandam
cucurrit. Milites illi nec Deo, nec Ecclesiæ sanctæ reverentiam exhibentes, ma- D
jorem Ecclesiam cum facibus et laternis ingressi sunt, et ipsam in castellum subitò
redigentes, armis et victualibus impleverunt. Cùm autem Rex, citiùs quàm mi-
lites credidissent, urbem appropinquasset, et in tribus eam munitionibus nimis
confidere satis edoctus fuisset, ad invadendum totus incubuit. Præsidium itaque
primum, quod in ingressu civitatis fuerat ab antiquo constructum, subjugavit in
* *Corr.* Capitolium. primis. Deinde progrediens, aggressus est fortunâ consimili Capitellum *, præsi-
dium majus, sed præsidio primo multò antiquius. Ad ultimum accessit ad majo-
rem Ecclesiam, militibus multis et armatis refertam, oppressam a sagittariis, a
lenocinantibus conculcatam. Accessit, attendens quod in religionem divinam
* *f.* ferri. committitur, illud in omnium fertur * injuriam : accessit, inquam, non ut Ec-
clesiam impugnaret, non ut violaret, non ut contaminaret, sed potiùs ut eam
emundaret a sordibus. Extraxit ab Ecclesia violatores Ecclesiæ; extraxit, nam frustra E
legem invocat, qui legem impugnat. Capti sunt intùs, tam in hac scilicet mu-
nitione quàm in duabus aliis, milites circiter LX, sagittarii circiter CCCC. Præ-
scius eorum quæ fiebant in Flandria, cogitabat de reditu. Sex viris illustribus
Aquitaniam defendendam et conservandam commisit. In confinio Nannetensium
et Andegavensium præsidium quoddam vocatum *Ancenis,* opere sumptuoso
construxit, ubi quid faber lignarius et sciret et posset manifestum fecit. Ande-
gaviam, Cenomanniam et maximè castellum *Ancenis,* Mauritio de *Creun* tra-
didit custodiendum. Veniens in Normanniam, quos marchiæ suæ præfecerat, et
quos constituerat custodes castrorum, sub edicto vocavit apud Bonam-villam.

Philippus Comes Flandrensium, præsente Ludovico Rege, præsentibus regni

(*a*) Mat. Paris : *Qui nuper transfugium fecit ad filium suum dominum Regem juniorem.*

Digitized by Google

A Francorum majoribus, juraverat tactis sacrosanctis reliquiis, quòd infra xv dies post instans festum S. Johannis * intraret in Angliam in valida manu, et eam Regis filii Regis subjiceret potestati. Hâc fiduciâ tractus Rex filius II Idus Julii * venit apud *Witsand*, Radulfum *de la Haie* cum multa militia transmissurus in Angliam. Flandrensis Comes CCCXVIII, non dicam expeditos vernaculos, sed milites probatissimos et a Flandrensium multitudine selectos ad transfretandum præmisit. Qui postquam appulsi sunt in Angliam apud Airewellam, XVIII Kal. Junii *, sociis eorum pro maxima parte periclitatis, illicò Comitem Hugonem [*Bigod*] secum assumentes, invaserunt Norwicum, ceperunt, prædati sunt, infinitam inde pecuniam asportarunt, multos abduxerunt captivos, et ad redemptionem gravissimam coegerunt, XIV Kal. Julii....

* An. 1174.

* *Corr.* Junii.

* *Leg.* Julii.

Justiciarii Regis videntes mala quæ fiebant in terra, cùm multos nuncios transB misissent, nec quidquam certi de reditu Regis patris in Angliam suscepissent; ad ultimum necessitate compulsi, de communi consilio transmiserunt Ricardum Wintoniensem Electum, quem pro certo sciebant cæteris multò familiariùs, multò ardentiùs, multò instantiùs locuturum cum Rege; gentis suæ damna, necessitates, pericula fideliùs expositurum; Procerum simultates, civium instabilitatem, acclamationem vulgi frequenter in deteriora proclivem, cupidam novorum, ad motus quoslibet reprimendos difficilem, securiùs ostensurum. Electus itaque celeri navigatione transvectus invenit Regem apud Bonam-villam, generale colloquium cum Normannis habentem in festo S. Johannis *. Normanni Wintoniensis Electi adventum intelligentes et causam, dixerunt : « Cùm Angli » tot emiserunt nuncios, et istum nunc dirigunt, quid ampliùs aliud transmissuri » sunt ad Regem revocandum in Angliam, nisi turrim Lundoniæ » ?

* An. 1174.

C Rex nuncium talem cum debita veneratione suscipiens, quantam fidem verbis ejus habuerit probavit eventus. Nam ipsâ die de limitibus patriæ muniendis et conservandis, de custodia castellorum cum familiaribus suis pertractans, se cum tota domo sua præparavit ad reditum, Reginam *Alienor*, Reginam Margaritam, filium et filiam Johannem et Johannam, et uxores filiorum suorum intra paucos dies secum adducens. Comitem quoque Cestrensem, Legecestrensem Comitissam, et alios plures quos habebat in vinculis, ante faciem suam præmisit apud *Barbefleet*, ubi pluribus navibus religatis plurima turba morabatur, Regis transfretatiD nem exspectans. Brebantinorum marchionum innumera manus cum armis et impedimentis transfretavit apud Ostream. Cùm autem Rex festinasset ad portum VIII Idus Junii *, avulsis a littore navibus, summo mane navem ascendit. Velis igitur in altum expansis, visæ sunt undæ multò intensiùs intumescere; ventus enim ad horam increscens, et remissus ad horam, transitum eâ die nautis reddebat suspectum : quorum facies Regi visa suppressior aliquid innuit dubitationis subesse. Sed cùm Rex ventum ex directo venire, navem cursum in Angliam viâ rectâ dirigere, flatus creberrimos vehementer ingravescere didicisset, erectis in cœlum luminibus, palam omnibus ait : « Si quæ ad pacem sunt Cleri et populi » habeam in proposito, si pacem in adventu meo reformandam Rex cœlorum » disposuit, tunc pro sua misericordia portum mihi indulgeat salutis; si autem » fuerit aversus, et regnum in virga visitare decreverit, nunquam mihi datum sit » vel fines regionis attingere ». Orationem ejus auditam sui satis præsumere potuerunt; quoniam ipsâ die quâ navem ascenderat, horâ diei vesperascente, cum indemnitate rerum apud Hamonis portum appulsus est....

* *Corr.* Julii.

Ludovicus Rex Francorum, Henricus Rex filius, Philippus Comes FlanE drensis, viribus undequaque collectis, innumerabilem congregarunt exercitum; et a sinistris Sequanam relinquentes, a parte septentrionali Rotomagum obsederunt (*a*), XI Kal. Augusti *, id habentes in animo ut, quod anno præterito transgressio sacramenti denigraverat apud Vernolium, dum obsideretur à Francis, quod nota proditionis obfuscaverat apud *Driencourt*, dum a Flandrensibus obsideretur, totum illud subacta Rotomagus coloraret. Normanni, respectu multitudinis quæ supervenerat, pauci, viriliter restiterunt, et propug-

* An. 1174.

(*a*) Matt. Paris sequentia contrahit in hunc modum : *Cùm autem Rex Henricus* III *Idus Augusti applicuisset, invenit Rotomagum civitatem obsessam : Ludovicus enim Rex Francorum, et Henricus Rex juvenis cum Comite Flandrensi Philippo, in absentia Regis Anglorum cum exercitu copioso supervenerant, et requiem non dederant civibus obsessis. Sed Rex Francorum cùm Anglorum Regem supervenire didicisset, succensis machinis, non sine famæ dispendio recessit : atque in ejus fuga milites Regis Anglorum arma plurima et instrumenta bellica rapuerunt.*

Digitized by Google

naculis innixi murorum, hostes deforis agmine facto muris appropinquantes, A
et confidentes in machinis, modò quadratis lapidibus, modò sudibus præacutis,
modò longissimis trabibus in præcipitium ruere coegerunt. Sed ne requies ulla
daretur obsessis, et ut vires suas distinctiùs et animosiùs experirentur, nunc
vicariâ successione Flandrenses cedebant Francis properantibus ad certamen;
nunc respirantibus Francis, acriores insurgebant Flandrenses, omni nisu murum
cupientes effodere. In tali concertatione gens utraque damno semper affecta,
non illud suo, sed suorum Principum infortunio deputabat, qui præter ratio-
nabilem causam alienos irrumpere fines ausu temerario præsumebant. Nor-
manni cùm Regis patris tunc in Anglia triumphantis causari possent absentiam,
in subsidium Principis fidem, justitiam, veritatem sibi principes elegerunt, sub
quibus certum exspectantes triumphum, nec minis adversantium, nec ullo per-
turbari potuerunt incursu, crebras invasiones, congressus acerrimos constan- B
tissimè superantes. Augebatur quotidie numerus Normannorum, victualibus abun-
dantium. E contrario plures fame periclitantes per dies singulos ab exercitu di-
labebantur. Diebus multis in discrimine multo decursis, dum Rex Francorum
Regem patrem in manu valida Rotomagum adventasse certis relationibus di-
dicisset, versus est in stuporem; et metuens ne, sicut fama jam increbuerat,
Rex pater limites Francorum irrumpens obsideret Parisius, quomodò solveretur
obsidio, salvis corporibus, tractavit cum suis. Itaque de communi consilio,
tam Franci quàm Flandrenses, ignem machinis apponentes, avulsis tentoriis,
* An. 1174. mapalia succendentes et pergulas, non sine detrimento famæ, XIX Kal. Septembris *
recesserunt ab urbe, minis, jactationibus, sacramentis, de diruenda Rotomago
tam incautè toties interpositis, suspensis ad tempus. Extremam partem castro-
rum marchiones impugnantes instanter, arma plurima, necnon et impedimenta C
diripuerunt in prædam.

* Alsatiensis. Theodoricus Ausesiensis *, hæredibus aliis deficientibus, hæres ipse nactus Co-
mitatum Flandrensem, occiso Willelmo Comite Flandrensium, *Longa-Spata*,
consobrino suo ex Comitissa sua Sibylla, amita Regis Henrici Anglorum,
genuit filium vocabulo Petrum : qui post dies patris, cùm ad Ecclesiam Ca-
meracensem regendam electus annis pluribus præfuisset eidem, et redditus per-
cepisset, metuens ne, si Philippus Comes frater suus sine liberis degens a Nor-
mannis confossus occumberet, hæreditas transferretur ad exteros, ab inermi
militia transiit ad armatam; et cingulo militari donatus, donativum antecessoribus
suis a Normannis debitum, scilicet aut mortem aut vulnus, tempestivè re-
cepit. Nam sicut Baldewinus (*a*) Comes Flandrensium quondam interfectus est
a Normannis, et sicut Matthæus Comes Boloniensis, ipsius Petri frater, anno D
præterito lethale vulnus recepit apud castellum *Arches*, sic et ipse Petrus Ro-
tomagi gravissimè vulneratus, cum fratre suo recessit exterritus.

Cantuariensis Electus [Ricardus]... Papam petiit Alexandrum, tunc temporis
residentem Anagni. Nuncios quoque Regis filii Regis, qui causam appellationis
quam ipse per suas Cantuariæ litteras interposuerat, venerant prosecuturi, sibi
plurimùm adversantes invenit in curia. Qui cùm a regno Francorum originem
traxerint, ibique rerum ac fortunarum suarum summam constituerint, et in
Ludovici Regis Francorum et Ecclesiæ Gallicanæ patrocinio spem sui negotii
reposuerint, concinnabant dolos, acuebant linguas, ad convicia convolabant,
adversùs electiones factas in Anglia citra conscientiam et consensum Regis filii
Regis proponebant quàmplurima, ad infamandas Electorum personas totis viribus
inhiabant. Demùm cujus præferendus esset assensus in jam factis electionibus vel E
in posterùm faciendis, an Regis patris, an Regis filii, diutiùs actitatum est,
et in consistorio ventilatum, et sicut ex eventu apparuit, æquâ lance termi-
* An. 1174. natum in fine... His itaque peractis, IV Nonas Aprilis * ejus electio confir-
mata est...

Robertus, super cujus manum Comes incumbebat Philippus, Thesaurarius
Turonensis, Flandriæ Cancellarius, Præpositus in Ecclesiis adscriptus diversis
per Flandriam, tandem Atrebatensis, ad ultimum Cameracensis Electus, ut
obsequium Ludovico Regi Francorum præstaret, adversùs Regem Anglorum
Philippum Comitem ad pernitiem multam Flandrensium instigavit, filios Regis
Anglorum animavit in patrem. Qui, ut mala quæ fecerat etiam in vita reci-

(*a*) Balduinus cognomento Securis an. 1118 in Normannia vulneratus an. 1119 ex vulnere occubuit.

Digitized by Google

A peret, mandato Jacobi de Avennis interfectus est apud *Edenen* prope Valentinianas III Nonas Octobris *, qui vitam pro certo miserabili morte finiens, a vilissimis est detruncatus latrunculis. * An. 1174.

Franci sumptibus tædiosis affecti, Flandrenses a suorum interemptione deterriti, damna suis illata conferebant ad invicem; et tam isti quàm illi se suaque penitùs inutili labore consumi videntes, a Normannorum infestatione propositum revocarunt, a limitum incursione pedem cohibentès et manum. Et ut suæ tranquillitati prospicerent, filios Regis Anglorum ad gratiam patris reducere summopere studuerunt : filios sanè, quos si paternam maledictionem, odium Cleri, populorum imprecationem incurrisse contendas, ætatis beneficio merentur absolvi, si postquam ad viriles annos pervenerint, pœnitentia jugis, satisfactio digna, patri debitus honor exhibitus cum devotione, præterita commissa diluerit.

B Rex Anglorum Henricus, Regis pater, a discursu per patriam, ab incendio populari, pauperum a rapinis, ab injuriis viduarum, ab orphanorum pressuris, a vinculis captivorum, a virginum raptu, sed a sanguinis effusione quàm maximè revocare subjectos, regiâ dignum majestate dijudicans, a tyrannide semper oculos deflexit et animum. Illam insuper, illam humiliationem insolitam Francorum atque Flandrensium, et propositum reformandæ pacis inter ipsum et filios ex impotentia resistendi procedere minimè dubitavit. Francos igitur vel dona ferentes evitasse debuerat, et ad ulciscendas tam atroces injurias, quas frequenter intulerant, viribus totis insurgere; nisi quoniam in hostium hujuscemodi qualibet humiliatione et fœdere subornato, filios suos, quos plurimùm aberrasse totus ferè mundus agnoverat, ad frugem melioris vitæ posse revocare certâ consideratione præviderit : filios sanè, quos affectu tanto dilexerat, quos
C tantarum effecerat dominos nationum, quos ad edomandas gentes et æquo moderamine gubernandas, quos ad tyrannorum terrorem et exterminationem hostium, usque ad summi honoris fastigium sine aliqua cessatione provehere satagebat. Hostibus itaque suis verba pacis habentibus, et ad suum venire colloquium desiderantibus, inter urbem Turonicam et Ambazium, V Idus Octòbris * occurrit. Quid actum sit ibi, docebunt sequentia (*a*). * An. 1174.

Hostibus itaque profligatis, cùm milites CMLXIX in manus Regis patris Henrici Dominus tradidisset, exactâ pecuniâ nullum ad redemptionem coegit. Quin immò datis obsidibus et fidei sponsione devinctos laxavit a vinculis : paucis artiori detentis custodiâ, quorum facinus enorme, quorum perfidia detestabilis Principem mansuetissimum provocasset ad iram, et de supplicio cogitare compelleret. Rex filius e contrario jure belli captos a se, vel a suis auxiliariis modis
D quibuslibet interceptos, numerantes pecuniam relaxabat : quorum numerus centenarium excedebat in paucis...

Willelmus Rex Scotorum, in Normannia tentus in vinculis apud Falesiam, aliquam consolationem accepit in turba non modica visitatus a suis. Episcoporum igitur et Abbatum, Comitum et Baronum regni sui communiter utens consilio, in pago Constantiensi apud Valonias VI Idus Decembris * cum Rege Anglorum pacem fecit,... et datis obsidibus in Normannia, III Idus Decembris in Angliam rediit, liberæ satis deputatus custodiæ, quousque castella de quibus convenerat, et sicut convenerat, Regis Anglorum arbitrio fideli deputarentur custodiæ. * An. 1174.

Gaufridus *Plantegenest*, Comes Andegavensium, cum quadam Cenomanici generis consuetudinem habens non usquequaque licitam, filiam genuit Emmam, quam David Norwalensium Princeps, Regis Anglorum Henrici sororem intel-

(*a*) « *Rex Anglorum fidelibus suis salutem.* Noverit » dilectio vestra quòd pacem, Dei gratiâ, feci » cum Rege Francorum, et filiis meis et homi- » nibus meis, ad honorem Dei et meum. In pac- » tione autem est quòd primogenito filio meo » dabo singulis annis XX millia librarum Andega- » vensium, et duo castella in Normannia ad vo- » luntatem meam : Ricardo verò medietatem red- » dituum Pictaviæ, et duo castella unde mihi » nocere non possit; Gaufrido medietatem red- » dituum Britanniæ, exceptâ mediâ. Homines » autem mei omnes qui me dereliquerunt, re- » versi sunt, filiis meis præsentibus et illis præ- » cipientibus, in homagium et ligantiam meam, » et juraverunt mihi fidelitatem contra omnes » homines : qui et terras suas habebunt quas ha- » bebant, quandò a me recesserunt. Rex verò Sco- » tiæ et Comes Legecestriæ et Comes Cestriæ, et » alii qui mecum conventionem fecerunt et ob- » sides dederunt ante dies pacis hujus, in volun- » tate mea sunt et extra conventionem filiorum » meorum. Illi autem quos habeo, qui nec ob- » sides dederunt, nec aliquam fecerunt conven- » tionem, per bonam securitatem ad petitionem » filii mei liberabuntur. Omnia verò castella quæ » habebam, vel homines mei in omnibus terris » meis in initio guerræ, reddita sunt mihi, et » illa quæ infortiata fuerunt contra me, ad illum » redigentur statum in quo fuerunt, quandò » guerra incœpit ».

Digitized by Google

ligens, eam uxorem a fratre sibi dari summâ precum instantiâ vix tandem ob- A
tinuit . volens suæ posteritati, si filios procreaverit, fastum quemdam ex regali stirpe descendere, et terrorem incutere Walensibus aliis, affinitatis novæ prætextu. (*Eadem legere est T.* XII, *ubi vide quæ a nobis annotata sunt.*)

Anno Domini MCLXXV, eversa sunt passim per Angliam, per Normanniam castella quorumdam, quos tempore dissensionis inter patrem et filium diutiùs habitæ, pauperum oppressores fuisse Regi patri constabat, et cum acervo lapidum congestorum ad extruendas turres, insolentiam congessisse, cumulasse jactantiam, arrogantiam crevisse, et sic ex ipsis lapidibus quasi quemdam assumpsisse tumorem, et spiritum elationis traxisse.

Ut filii Regis Anglorum, quos a sacris paternis consilia pravorum extraxerant, pristinam familiaritatem reciperent et redirent in gratiam, ad omnem sinistram suspicionem penitùs amovendam, homagium atque ligantiam patri suo facere B
modis omnibus institerunt. Quod factum est primitùs Cenomannis a Ricardo
* An. 1175. et Gaufrido junioribus filiis, in Normannia postmodum a Rege filio Kal. Aprilis * apud Burum (*a*).

Ad expiandas atroces injurias, quas Anglis et Normannis sine causa Flandrenses frequenter intulerant, Philippi Comitis urgente mandato, Comes ipse, Petrus frater ejus, et innumera multitudo cum eis, signo crucis humeros insignire salubri consilio statuerunt, III Idus Aprilis, loca Dominicæ Passionis congruo tempore visitaturi : attendentes illam stragem Flandrensium, quam Comes Leicestrensis captus apud S. Edmundum memorabilem reliquit, in suum redundare discrimen, et animas interfectorum lamentis continuis ante tribunal superni Judicis injustitiam Comitis protestari.

Reges Angliæ, quos anno præterito capere latitudo regni non poterat, con- C
* An. 1175. fœderatos ad invicem navis eadem transvexit in Angliam, VIII Idus Maii *, horis ad prandendum statutis per dies singulos eadem mensa refecit, thalamus idem quiescentium artubus ministravit fomenta. Ad visitationem votivam Cantuariæ faciendam, Thomas Martyr egregius pariter invitavit utrumque, V Kal. Junii. Pariter quidem invitavit, nisi quòd Rex pater in vigiliis, in afflictionibus, in oratione pernoctans, jejunium usque in diem tertium continuasset....

Reginaldus Comes Cornubiæ, Henrici primi Regis filius naturalis, diem clausit extremum apud Radingam, Kal. Julii, ibique sepultus quiescit....

Philippus Comes Flandrensis Walterum de Fontibus cum Isabella Comitissa, sicut dicitur, in adulterio deprehensum, ictibus clavarum jussit interfici II Idus
* An. 1175. Augusti *, et ejus cadaver caput habens inversum in sella secessui deputata, pedibus religatis, ad furcas properè præparatas properavit suspendi; ut etiam nihil crude- D
litati deesset, et ut planè sæviret in mortuum, sic ignominiosè suspensum, fractis parietibus, sub edicto datum est exponi publicis aspectibus concurrentium...

(*a*) In hujus rei testimonium « Universis Angliæ » ferè majoribus, *inquit Radulfus ibidem,* apud » Westmonasterium convocatis XIII Kal. Junii, » præsente Rege filio, lectæ sunt litteræ continentes hæc verba :

» *Henricus Rex, pater Regis, fidelibus suis salutem.* » Gratias ago Deo omnipotenti et omnibus Sanctis, quorum gratia, licèt non de meis meritis, » supra id quod credi posset, me visitavit et exhilaravit. Venit ad me filius meus Rex H. apud » Burum, et die Martis proximâ ante Ramos palmarum, cum Archiepiscopo Rotomagensi, et » Bajocensi et Abrincensi et Redonensi Episcopis, » et cum Comitibus et Baronibus et fidelibus » meis quamplurimis, cum multa lacrymarum » effusione et singultis multis prostravit se ante » pedes meos, misericordiam postulans cum humilitate, et veniam de his quæ commiserat » erga me ante guerram, et in guerra et post » guerram, ut paternâ ei pietate condonarem. » Rogavit etiam cum omni humilitate et quantâ » potuit devotione, quatinùs homagium ejus et » ligantiam acciperem, sicut dominus et pater : » asserens se nunquam crediturum indignationem » meam sibi condonatam, nisi idem ei facerem, » quod et fratribus suis feceram ad eorum patientiæ et humilitatis instantiam. Ego autem » motus pietate, et intelligens eum ex corde » loqui, et tandem esse compunctum et erga me » humiliatum, iram ei remisi et indignationem » meam, et penitùs eum in gratiam paternam admisi, susceptô ab eo homagio et sacramento » super sanctas reliquias appositas, quòd fidem » mihi servabit contra omnes homines, et consilio meo in omnibus agendis suis de cætero » adquiescet; et quòd hominibus meis et suis, qui » mihi servierunt in guerra ista, nec malum inde » perquiret, quamdiu vixerit, sed eos honorabit » et promovebit, sicut fideles meos et suos; et » quòd de consilio meo totam domum suam et » totum statum suum ordinabit, et de cætero in » omnibus operabitur. De hoc autem dedit mihi » plegios et fidejussores R. Rotomagensem Archiepiscopum, H. Bajocensem, R. Abrincensem, S. » Redonensem Episcopos, et Comitem Willelmum de Mandevilla, et Barones meos quamplurimos qui præsentes erant. Promisit autem » confidenter, quòd de eodem daturus est mihi » fidejussores dominum Regem Francorum, Comitem Flandrensem, et Ricardum fratrem suum » et Gaufridum, Comitem Henricum, Comitem » Theobaldum, Archiepiscopum Cantuariensem et » Eboracensem, Episcopos, Comites et Barones » citra mare et ultra mare, eâ conditione quòd » si a prædicta conventione (quod absit) exierit, » mecum contra eum unanimiter stabunt, et nullum ei auxilium vel consilium, nisi ad me revertendi, præstabunt ».

Digitized by Google

A Henricus Remensis Archiepiscopus, Regis filius et Regum frater, II Idus Novembris * diem clausit extremum.... * An 1175.

Rex ad filiorum necessitates oculos paternos deflectens, Regem filium a debitis quibus gravissimè premebatur, exoneravit. Quidquid ministri Regis patris a præteritis tribus annis per Normanniam, per Cenomanniam, per Andegaviam in usus regios convertendum, esculenti vel poculenti causâ, receperant, venit in ratiocinium. Regis ergo thesauris ad solutionem pleniùs faciendam plenissimè reseratis, creditores dimissi sunt....

Anno Domini MCLXXVI,... Andegaviæ, Cenomanniæ finibus panis inediâ laborantibus, Rex pater Regis a Kalendis Aprilis usque ad futurarum frugum abundantiam, decem millibus hominum diebus singulis alimenta sufficienter invenit. Quidquid etiam vel in horreis, vel in cellis vinariis, vel in promptuariis
B regiis usibus insularii reservaverant, mandato Regis totum piis collegiis et pauperibus erogatum est...

Bulgarinus (*a*) Comes Engolismensis, stipatus cohorte nefariâ Brebantinorum in manu hostili Pictaviam visitare præsumpsit. Cæterùm Johannes Pictaviensis Episcopus, auxiliariis undique convocatis, stipendiariorum numerositate collectâ, juncto sibi Theobaldo *Chabot*, qui princeps erat militiæ Ricardi Ducis Aquitanorum, cum patre suo Rege tunc temporis moram in Anglia facientis, plebem sibi commissam de manibus inimicorum decrevit eripere. Nefariis igitur illis eversoribus castellorum, agrorum depopulatoribus, incentoribus Ecclesiarum, Monialium oppressoribus, ordinatis quatuor aciebus prope Berbezeacum * occurrerunt; in campestribus plures trucidarunt in ore gladii, partem non modicam cremaverunt; in arcem conclusam sibi fugâ reliqui consulentes, impe-
C dimenta reliquerunt in prædam. Pictavienses itaque non tam gladio, non tam galeâ protecti, quàm divino nutu, quatuor tantum de numero suorum percussis, hostium cuneos penetrarunt illæsi. Sicque salus in manu Clericorum data satis evidenter ostendit, plerisque non animos deesse, sed arma.... * *Barbésieux.*

Ecclesiæ Carnotensis personæ spectabiles Cantuariam in comitatu magno venerunt, XI Kal. Augusti *... Johannem namque a Saresberia, gloriosi Thomæ * An. 1176.
Martyris quondam allateralem exsilii socium, angustiarum participem, passionis testem certissimum, quem Ecclesia Carnotensis elegerat unanimiter, requirebant attentiùs, Capituli Carnotensis, Regis Francorum, Senonensis Archiepiscopi litteris publicè recitatis, fidem et auctoritatem suæ postulationi præstantibus. Quibusdam itaque vices Cantuariensis Archiepiscopi tunc absentis supplentibus, collegio Monachorum sanctæ Trinitatis in albis sedente, viris etiam pluribus
D discretis, honestis et literatis, ibidem congregatis in Domino, suum Electum ab Anglorum subjectione liberum et absolutum receperunt cum hymnis et canticis et lætitia magna, tam illinc quàm hinc in articulo temporis cursu placido navigantes, tanquam ventis imperarent et mari. Consecratus est autem Senonis a Mauricio Parisiensi Episcopo, VI Idus Augusti, Carnoti solemniter intronisatus est in Assumptione B. Virginis....

Willelmus Comitis Theobaldi filius, adhuc juvenis electus in Episcopum Carnotensem, et labentibus aliquot annorum curriculis creatus Senonensis Archiepiscopus, Ecclesiam Carnotensium indulgentiâ domini Papæ tempore longo commendatam obtinuit, auxit possessionibus. Qui postmodùm sedis insulas dignioris, ditioris, nominatioris, ut dicunt, non ambiens, ad instantem Remensium postulationem, de Celtica Gallia migravit in Belgicam. Apicibus siquidem Apostolicis perurgentibus, in B. Remigii cathedra collocatus est, VI Idus Augusti, usum pallii quod priùs habuerat, licèt locum mutans, non immutans. Eò quidem habendus translatione factâ prædicabilior, quòd ad industriam, magnanimitatem, modestiam tanti viri Romana respexit Ecclesia; nec tam generositatem parentum, vel Ludovici Regis affinitatem, seu Reginæ Francorum, scilicet Alæ sororis ejusdem Willelmi, desiderium, quàm in Archiepiscopi moribus honestatem attendit....

Johanna, junior filia Regis, Siculo Regi nuptura VI Kal. Septembris * transfretavit; sumptus et impensas et itineri necessaria, copiam quoque ministrorum * An. 1176.

(*a*) Sive Wulgrinus, hujus nominis tertius. Hic patri Guillelmo IV successit anno 1179, quippe qui, teste Gaufrido Vosiensi, *Natali Apostolorum Petri et Pauli,* anno quo Pascha incidit in Nonas Aprilis, id est anno 1181, *decessit, a morte patris biennio nondum expleto.* Illum ergo pater tribus saltem annis ante mortem, socium in regimine Comitatûs adsciverat.

Digitized by Google

providit Ricardus Wintoniensis Episcopus. Regis ex decreto viri spectabiles assignati sunt viæ comites, quidam usque ad sanctum Egidium, quidam montes Siculos et palatium ascensuri Panormitanum, nec priùs cogitaturi de reditu, quàm illam nuptialem pompam, et in consortium conjugalis thori regni diademate Siculum Regem insignitum conspexerint. A

Dux Aquitanorum Ricardus, captis jure belli pluribus adversariorum, castellis quoque duobus eversis, Engolismenses armis edomuit. Bulgarinum namque Comitem et complices suos, ut Regis Anglorum indignationem evaderent, in Angliam transfretare coegit. Ad pedes itaque provoluti Regis patris, misericordiam consecuti sunt apud Wintoniam, XI Kal. Octobris *....

* An. 1176.

Guido Præpositus Autissiodorensis, Senonensium electus Antistes, consecratus est a Johanne Carnotensi Episcopo, VI Kal. Octobris.

Willelmus Comes Glocestriæ, dum filium non haberet, ægrè ferens hæreditatem inter filias dividendam, Johannem filium Regis hæredem instituit apud *Windleshore*, IV Kal. Octobris. B

Ricardus Wintoniensis Episcopus, Regis patris tractaturus negotia transfretavit, in forensibus et in his quæ Ducis Normanniæ pertinent ad dignitatem, curâ sibi totius Normanniæ deputatâ....

Willelmus de *Aubini*, Comes de *Arundel*, IV Idus Octobris obiit apud *Waverleie*. Sepultus autem est apud *Wimundeham*, XIV Kal. Novembris....

Filia Regis Anglorum nunciis Siculi Regis, maris et fluctuum expertis sævitiam, in conspectu virorum illustrium assignata est apud S. Egidium V Idus Novembris, per manum Johannis Norwicensis Episcopi....

Sub iisdem diebus nuncium Manuelis Constantinopolitani, nuncium Frederici Romani Imperatoris, nuncium Willelmi Remensis Archiepiscopi, nuncium Henrici Ducis Saxonici, nuncium Philippi Flandrensium Comitis, quos varia trahebant negotia, tanquam ex condicto simul in curia Regis Anglorum conspiceres, II Idus Novembris apud Westmonasterium.... C

Anno Domini MCLXXVII,.... Philippus Comes Flandrensium, et Comes Willelmus de Magna-villa profecti sunt Jerosolymam....

Legatos Regis Anglorum a Sicilia redeuntes Dux Burgundiæ spoliavit, illud parùm attendens : *sanctum populis per secula nomen legatum.*

Rex pater, regno juxta voluntatem suam disposito, transfretavit XV Kal. Septembris (*a*)....

Gaufridus Regis filii Regis Cancellarius, dum ab Anglia tenderet in Normanniam, passus naufragium submersus est, et plus quàm CCC cum eo, III Kal. Octobris.... D

Anno Domini MCLXXVIII, in maritimis valla maxima de cespitibus constructa, maris ab inundatione dirupta sunt, maximè versùs Aquilonem. In colle pecudes et armenta pluribus in locis fluctibus involuta sunt, Aquilone flante, VI Idus Januarii.

Willelmus Abbas Ramesiensis, Cluniacensium curam suscipere detrectans multis diebus, ad ultimum adquievit, ditiorem non ambiens Abbatiam; nisi quòd hæc cujus erat collocandus in sede, dum Abbatias plures suæ subjici noverit dispositioni, quamdam ex hoc sibi vindicet prærogativam, ut Prælatus Cluniacensis non Abbas solùmmodò nominandus sit, sed Archi-abbas.

Ricardus Wintoniensis Episcopus, dum per annum et dimidium fiscalia diligenter recensens toti Normanniæ præfuisset, XII Kal. Aprilis * in Angliam rediit.... E

* An. 1178.

Castellum-Radulfi, quod a doloribus nominis appellationem sortitur, fundatum est in pago Biturico, Ducis Aquitanorum de prisca consuetudine mandatis obtemperans. Hujus itaque castelli dominus, dum ageret in extremis, filiam parvulam reliquit hæredem, quam Rex pater Anglorum, cum castellis et villis et omnibus ad eam spectantibus, fideli custodiæ commendatam tempore congruo nuptui congruo collocabit (*b*).

Comes de Marchia [Aldebertus] sub ditione Ducis Aquitanici constitutus, cùm liberos non haberet, cognatis ordine successorio suam aspirantibus ad hæreditatem,

(*a*) Matt. Paris subjungit : *Et confestim inter Regem Francorum, et ipsum habito colloquio, hoc modo concordiam ineunt* (ut apud Benedictum Petroburg. p. 171) *acta sunt hæc apud* Nonancourt *septimo Kal. Octobris*; quod non expressit Benedictus.

(*b*) Hæc ad an. 1176 retrahit Benedictus.

Digitized by Google

A reditatem, duriorem opposuit adversarium. Nam cùm haberet in voto visitare loca Dominicæ Passionis, et ultimos dies suos ibidem explere, patrimonium suum, multis et fortissimis munitionibus insignitum, Anglorum Regi distraxit (*a*), appensis in pretium sex millibus marcis, quadraginta vecturis itineri tanto necessariis, ad pretii quantitatem adactis *.... * *f.* adauctis.

Rex Anglorum pater, cùm per provincias omnes suæ subditas jurisdictioni, quæ vel Francorum limitibus vel montibus Pirenæis vel Britannico vicinantur Oceano, munitiones obtinuisset, et omnia disposuisset pro velle, rediit in Angliam Idus Julii *, sub ipso reditu visitans sepulcrum Thomæ Martyris gloriosi. * An. 1178.

Willelmus Remensis Archiepiscopus, ut orationum vota Thomæ Martyri glorioso persolveret, in comitatu magno venit Cantuariam VI Kal. Augusti. Rex Anglorum, Episcopi plures, multi Proceres occurrerunt, et sic maximo cum
B honore susceptus, in palatio Regis Lundoniæ sumptibus regiis triduum celebravit. Cùm autem ei Rex exeniorum nomine vasa plurima concupiscibilia transmisisset, præter Francorum consuetudinem ab omnibus manum cohibuit; quædam tamen quæ non usque ad muneris consequentiam extenderentur, in signum dilectionis a Rege recipiens.

Rex Angliæ pater Gaufridum filium suum, Ducem Britanniæ, cingulo militari donavit apud *Wdestoc*, VIII Idus Augusti....

Fredericus Imperator Romanus, varias regnorum imperio subditorum metas pro varietate linguarum distinguens, Longobardos, Bajoarios, Austrasios, Burgundiones, diligenter recensuit, et juxta numerum quatuor populorum edoctus est pleniùs quatuor sibi competere diademata, quæ simul imperio consolidata Romano, Fredericum in conspectu Regum magnificant. Cui Burgundiæ regnum,
C a multis retrò temporibus usque nunc, suppresso Regis nomine, per Comites administratum, nomine dotis non est dubium accrevisse, suis hæredibus hæreditario jure legitimè devolvendum, non per electionem, sicut imperiale culmen plerumque transfertur, in quempiam conferendum. Et licèt Fredericus in adversis hucusque semper exstiterit constantissimus; vir tamen uxorius reputatur a multis, quærens in omnibus quomodò placeat uxori. Rediens siquidem ab Italia, ne quid Imperatrici deesset ad gloriam, in terra nativitatis suæ capiti suo fecit imponi diadema Burgundiæ (*b*) die Nativitatis * B. Mariæ Virginis, in urbe Vienna: * An. 1178.
Burgundiæ quidem, quam Italiæ vicinantem intelligas, ad arcendos hostes ab ea parte, cacumina montium, præcipitia vallium in modum exceptionis opponere; Burgundiæ quidem, quam in planitie multa per intervalla spectabilem Araris atque Rodani fluenta lætificant; Burgundiæ quidem, quam aqua salu-
D brior plerisque locis alto lacu conclusa, post capturam piscium copiosam, reficiendis corporibus indulgere frequenter invitat...

Sol passus est eclipsim Idibus Septembris...

Comes Willelmus de Magna-villa Jerosolymis rediit, VIII Idus Octobris...

Anno Domini MCLXXIX, Henricus Rex filius Regis Angliæ regnum egrediens, in conflictibus Gallicis, in expensis profusioribus transegit triennium. Qui dum per id temporis circumquaque Francorum limites properus peragrasset, regiâ majestate sepositâ, totus est de Rege translatus in militem, et flexis in gyrum frænis, in congressibus variis reportavit triumphum; sui nominis celebritatem favor popularis evexit, suorum in computatione gestorum hilarior fama senem censuit admirando victorias, quem lapsum in negotio beneficium adhuc minoris ætatis in integrum restitueret. Sic igitur in negotiis militaribus
E occupato, dum nihil ei deesset ad gloriam, navem ascendens apud *Witsand*, in Angliam rediit IV Kal. Martii, cum honore debito receptus est a Rege patre....

Filiam Ludovici Regis Francorum Agnetem Alexio, filio Manuelis Imperatoris Constantinopolitani, fœdere nuptiali jungendam in comitatu magno circa Pascha transmissam audivimus....

Dux Aquitanus Ricardus, multis sæpè lacessitus injuriis, tandem ad superbiam Gaufridi de Rancuna penitùs edomandam, auxiliariis undequaque collectis, Kal. Maii * castellum de *Tailleborch* obsidione vallavit: opus desperatissimum, * An. 1179.

(*a*) Anno 1177, mense Decembri, suum Angliæ Regi Comitatum vendidit Aldebertus.

(*b*) Antea verò Fredericus, *ut sinistros Italiæ eventus*, inquit Radulfus paulò supra, *aliquo saltem elatæ mentis titulo coloraret, et posteris suis memoriale relinqueret, quousque fines imperii sui dilatarentur, ad plagam meridianam in Assumptione B. Virginis coronatus est Arelate.*

Digitized by Google

et quod suorum nullus antecessorum attentare præsumpsit. Castrum igitur supra- A
dictum ante dies istos hostium cuneis prorsùs incognitum, triplici vestitum fossato, muri triplicis incentivo rebellioni dicatum, armis, seris, repagulis instructum sufficienter, turribus per intervalla seriatim dispositis insignitum, comportato lapide manuali munitum in propugnaculis, abundans in victualibus, refertum millibus hominum ad pugnam idoneis, minimè Ducis Aquitanorum expavit adventum. Sed postquàm ipse Dux regionem hostiliter introivit, dotes prædiorum abduxit, succidit vites, succendit villas, reliqua demoliendo vastavit, in castelli confinio fixit tentoria, machinas prope murum erexit, oppidanos nihil tale præmeditatos vehementer exterruit. Quibus quia res ignominiæ plena videbatur, tot elatæ mentis, tot virtutis probatæ milites intra muros sine maxima reclamatione concludi; de communi consilio, placuit ut foràs erumperent, exercitum Ducis impeterent ex improviso. Quod cùm ad B
Ducis notitiam devenisset, in arma ruere suos edocuit, retrorsùm cedere compulit oppidanos. Illis in ingressu portarum hinc et hinc acriter confligentibus, quid equus, quid lancea, quid ensis, quid galea, quid arcus, quid balista, quid umbo, quid lorica, quid sudes, quid clava certantibus conferant, experimento cedebat. Oppidanis itaque principalis cohortis, in qua Dux præerat, assultus acerrimos sustinere non ultra valentibus, sed intra muros certatim sese recipientibus; Dux impiger, invasione factâ, se pariter intra villam immiscet
* An. 1179. cum hostibus, Rogationum feriâ tertiâ *. Nusquam locus diffugii, per plateas hinc inde discurritur, rapinis insistitur et incendiis; ab his quos fortuna benignior internecioni subtraxerat, ad principale præsidium tanquam ad asylum confugitur. Castelli dominus Ascensionis Dominicæ die solemni compellitur ad deditionem : facies universa murorum intra dies paucissimos complanatur. Alia C
passim castella per patriam conscia rebellionis, incentiva superbiæ, prædonibus receptacula, par infra mensem unum subiere discrimen. Omnibus igitur ad votum completis, Dux Aquitanorum transfretavit in Angliam, cum honore maximo receptus a patre.

[Mathildis] junior filia Matthæi Boloniensium Comitis, nupsit [Henrico] filio Ducis Lovaniæ...

Ludovicus Rex Francorum, magnificentiam prædecessorum animi liberalitate transcendens, sanctæ recordationis Thomæ, quondam Archiepiscopi Cantuariensis, exsilium pluribus annis intra Galliam Celticam cum æquanimitate decursum facultatibus suis abundantiùs relevavit, Christo sedulum exhibere sperans obsequium, dum oculos pietatis attollens respiceret Archiepiscopum. Exsulem itaque brachiis intimæ caritatis amplexus, dum viveret, jam martyrio coro- D
natum, jam triumphantem in cœlis, jam in terris patrocinantem hominibus, (sicut crebra miraculorum indicia longè latèque diffusa passim attestantur per orbem) suâ corporali præsentiâ cum omni devotione summopere venerari decrevit... Angliam igitur, quam nec ipse, nec suorum aliquis antecessorum aliquo tempore, vel hostili manu, vel ingressu pacifico visitaverat, nomen peregrinantis assumens et habitum, turbâ nobilium comitante permodicâ, devotissimè visitavit. Rex Anglorum pater Henricus, subitum ejus subitò præ-
noscens adventum, obviam progressurus cùm incessisset duplomate, Regi Francorum navem apud Doveram egredienti festinanter occurrit, XII Kal. Septem-
* An. 1179. bris *, IV feriâ. Quidquid honoris ab aliquo potuit vel excogitari, potuit vel impendi, totum Francis exhibitum est. Concurrentibus undique tam Archiepiscopo quàm Episcopis, tam Comitibus quàm Baronibus, tam Clero quàm E
populo, solemnis processio majorem Ecclesiam illustravit attentiùs, in hymnis et canticis et lætitia summa tanti Principis applaudens adventui, quintâ feriâ. Quantùm auri vel argenti Gallicanæ munificentiæ titulos in oblationibus factis evexerit, ne sit qui non credat, desit qui scribat. Centum autem vini modios a Rege vel hæredibus suis annuatim solvendos Parisius in perpetuum ob Martyris reverentiam, et in usus Cantuariensis collegii convertendos memoriæ commendemus. Cùm fama semper in deteriora proclivior Romanos notâ cupiditatis asperserit, ad aviditatem ipsorum explendam, si præsentes fuissent, Regis Anglorum gazæ multiplices et thesaurus ab antiquo congestus, in exeniis Cantuariæ faciendis expansus et expositus in commune, plenè sufficerent, si traxissent eos non orationum vota, sed lucra. Sed ne Franci viderentur aliquibus aliud quæ-

Digitized by Google

A sisse quàm Martyrem, manum cohibentes a munere, martyrium aliquod forsan pertulerunt in mente. Sic Rex in jejuniis, in orationibus, in vigiliis, cùm penès Cantuarios triduum consummasset, et exeniola quædam in signum dilectionis accepisset a Rege, VII Kal. Septembris * rursùs navem ascendit apud Doveram * An. 1179. die Dominicâ...

Ludovico Regi Francorum circa fœdera nuptiarum ultimis in diebus sors arrisit benignior, trigamiam inter contractus legitimos et pro tempore felicissimos computandam, Francorum annalibus inserendum esse recensens, dum ad suscipiendam in trigamia sobolem masculinam, Regum in solio collocandam, aspiraverit affectio conjugalis. Rex igitur ex matrimonio tam primo quàm secundo susceptis quatuor filiabus solummodò, tandem ex tertio quod cum Adela Magni Theobaldi Comitis Blesensis filia contraxit multò feliciùs, feliciter filium pro-
B creavit, desideratum a populis, a Clero devotiùs et propensiùs expetitum. Qui quartum-decimum agens annum, undique concurrentibus et occurrentibus tam Archiepiscopis, tam Episcopis quàm regni Principibus, quorum desiderandus erat assensus, more regio Remis recipitur pridiè Kal. Novembris *, et ad omnium * An. 1179. hominum hæreditario jure suo regimini subdendorum solamen, patrocinium ac moderamen, omnium in solemnitate Sanctorum, ut ab omnibus adversis ipsorum omnium mereatur protectione defendi, consecratus est in Regem per manum Guillelmi Remensis Archiepiscopi, Regis etiam ejusdem avunculi.

Philippus itaque Rex Francorum in coronatione sua, tam in gladio præferendo, quàm in regiis dapibus apponendis, Philippum Flandriæ Comitem privilegiatum habuit ministerialem, utentem duplici jure, paterno videlicet et uxorio. Henricus Rex, Henrici Regis Angliæ filius, et Philippi Regis Fran-
C corum sororius, regiæ consecrationi Remis interfuit, solius affinitatis incitatus et invitatus intuitu. Dum enim Britannia pœnè nomen orbis alterius mereatur, dum divisos orbe Britannos frequenter audieris, restat ut et id audias, quòd nullus Britanniæ vel Angliæ Rex quemquam Regem Francorum aliquâ speĉie subjectionis, aliquo tempore superiorem (*a*) agnoverit; sed is potiùs habitus sit inter eos amicitiarum nexus, ut in epistolis intercurrentibus se fratres appellare decreverint : quod etiam Karolus Magnus, postquam ei laùdes Imperatorias ac-
clamarunt Romani, legitur observasse (*b*). Prædictis ergo solemniis Rex Henricus interesse decernens, illam nobilium adunationem singulari suæ præsentiæ prærogativâ plurimùm illustravit, et in ore populorum per Gallias futuris temporibus reddidit prædicabilem. In qua nimirùm illud inventum est memoriæ commendabilius, quòd diadema capiti novi Regis impositum, ne Rex infra mi-
D norem adhuc constitutus ætatem gravaretur sub onere, manibus propriis sustentaverit Rex Anglorum, rejectâ clamyde paratior ad obsequium. Illud innuens quòd, si tempore procedente Francis necessitas incubuerit, securi debeant ejus implorare subsidium, a quo tale receperint sub ipsa sui Regis consecratione suffragium (*c*)...

Anno Domini MCLXXX, Willelmus de Magna-villa, Comes Exsexiæ, plenè gratiam Regis Anglorum adeptus, in plenitudine magna divitiarum et deliciarum sibi fœdere nuptiali conjunxit Hadewisam Comitis Albemarlæ primogenitam. Dos igitur et donatio propter nuptias, locis in pluribus æquis passibus incedentes, hinc et inde solemniter repromissæ sunt. Albermarlensis itaque Comitatus ad tuendos Normanniæ fines ab antiquo statutus, et nunc dotalibus instrumentis insertus, ne quid minùs a munificentia regali descenderet, cum

(*a*) Gentilitio morbo se laborare hìc ostendit Radulfus. Reges enim Angliæ obnoxios Franciæ Regibus fuisse constat, non quidem ratione Britannici regni, sed ob ingentes quas habebant in Francia possessiones. Unde Hovedenus de hac ipsa Philippi Regis inauguratione verba faciens : *Henricus Rex Angliæ filius,* inquit, *in progressione a thalamo usquæ in Ecclesiam, ibat ante illum gestans coronam auream de jure Ducatûs Normanniæ, quâ prædictus Philippus coronandus erat.*

(*b*) In hujus assertionis fidem profert Radulfus (*ibid.*) hanc Caroli Magni epistolam : « *Karolus* » *gratiâ Dei Rex Francorum et Longobardorum, et* » *Patricius Romanorum, viro venerando et fratri Ka-* » *rissimo Offæ Regi Merciorum, salutem.* Primò gratiàs » agimus omnipotenti Deo de catholicæ fidei sin- » ceritate, quam in vestris laudabiliter paginis » reperimus exaratam. Cognoscat dilectio vestra, » quòd aliquam dignitatem cum dalmaticis nos- » tris vel palliis ad singulas sedes episcopales regni » vestri direximus. Vestræ quoque dilectioni misi- » mus unum gladium Hunscum, et unum balteum » et duo pallia serica ». Sed hæc nihil ad rem.

(*c*) Silentio prætereundum non est quod de Francorum in Reges suos observantia hìc subjungit testimonium scriptor Anglicus. *Capaticii*, inquit, seu Capetiani, *qui postquam Majores-domûs in Francia principari cessarunt, persistentes in Christi fide fideles, fidem fidelissimam subditorum experti sunt, in tantum ut in Regio diademate Galliarum favore debito sublimati, præsentis vitæ cursum non gladio, non veneno, sed sorte communi pacificè consummaverunt.*

Digitized by Google

omnibus pertinentiis suis cismarinis et transmarinis, per internuncios Regis est A
in dotem a Rege collatus. Quia verò duorum Comitatuum, Exsexiæ scilicet et Albemarlæ, geminati fasces in unam eamdemque personam Comitis Willelmi concurrerunt, ut in fide conjugalis thori Willelmus de Magna-villa, magnâ fidei sponsione devinctus semper fideliùs perseveret; abhinc, dum ad Regis præsentiam accessurus seorsum a cæteris voce præconiâ requireretur ex nomine, jure Comes censendus est Albemarlæ. Feliciores eventus in tempora proventuros præsagio felici sufficienter commonitus, quia dies illa solemnis, dies
* Nolani. nuptialis, die plenæ lunæ, die festo beati Felicis * illuxit (*a*). Acta sunt hæc apud castellum *Pleizet* in Exsexia, XIX Kal. Februarii....

Mandato Philippi Regis Francorum, Judæi, quocumque loco per Franciam domicilium contraxissent, dum sabbatizarent et in nullo Regem offenderent,
* An. 1180. XV Kal. (*b*) Februarii * sunt artæ mancipati custodiæ; sed tandem XV millia mar- B
carum fisco solventes, quasi beneficio restitutionis in integrum respirarunt.

Quoniam sub Principe novo, sub Rege puero consilia malignantium fortiùs invalescunt, ne quid Regi Francorum Philippo Franci suggererent in injuriam Normannorum, quorum finitimis semper est suspecta potestas et per orbem terrarum gloria prædicabilis, Rex Anglorum Henricus occurrendum in tempore, maturiore consilio procuravit. Cujus rei curam ad Regis instantiam Ricardus Wintoniensis Episcopus in se suscipiens, tertio Nonas Martii transfretavit, secum habens legationis consortem magistrum Walterum de Constantiis, Sigillarium Regis. Qui venientes Parisius, Ludovicum Regem pressum senio repererunt, ægritudinis decumbentem in lecto.

Clerici Lemovicenses, citra conscientiam et assensum Henrici Regis Anglorum et Ricardi Ducis Aquitanorum, Sebrandum Ecclesiæ Pictaviensis Decanum in C
Episcopum elegerunt (*c*). In ultionem talis excessûs eorum bona confiscata sunt, domus subversæ, succisæ vites. Quod cùm ad Alexandri Papæ notitiam pervenisset, dedit in mandatis Archiepiscopo Bituricensi Guarino quatinùs de causa cognosceret, et mediante justitiâ terminaret. Venientes ad Archiepiscopum Clerici Lemovicenses eum mortuum invenerunt. Sed ne laborasse viderentur in vanum, Archipresbyter Brivatensis domini Papæ litteras adhuc clausas inseruit manui defuncti, dicens : « Quòd non potuit vivus, expleat vel defunctus ». Cujus et meritis et intercessione, sicut dicitur, pacem Regis et Ducis Episcopus Lemovicensis emeruit.

* An. 1180. Henricus Rex filius Regis venit in Angliam Kal. Aprilis *, et cum honore maximo receptus a patre, reliquiis præsentibus sacrosanctis juravit apud Radingam, quòd dispositionem paternam in omnibus sequeretur, vel in donatione D
villarum, vel castellorum, vel beneficiorum quorumlibet, quæ præsenti quadam continebantur in carta. Quo facto, Rex pater apud *Portesmut*, Rex filius apud Douram transfretaverunt. Rex autem pater in urbe Cenomannica Pascha proximum celebravit.

* Isabellam. Philippus Rex Francorum Margaritam *, filiam Baldevini Comitis Hainaucensis ex Margarita sorore Philippi Flandrensium Comitis, duxit uxorem apud Truncum (*d*); nuptiæ celebratæ sunt apud *Batpaumes*. Quid igitur in expletione matrimonii tam solemnis audivimus, memoriæ commendandum. A locorum nominibus res ibi gestæ frequenter inditos de supernis sortiuntur eventus... Nos igitur si per Truncum fœcunditatem in sobole, si per manus complosas gau-

(*a*) Hinc refelluntur qui has nuptias in annum præcedentem conjiciunt. Nam anno 1180 dies plenæ lunæ reverâ incidit in XIX Kal. Februarii seu 14 Januarii, cùm Aureus numerus III huic anno sit affixus.

(*b*) *Lege* XIV. Neque enim dies XV Kal. Februarii seu 18 Januarii incidit anno 1180 in Sabbatum, sed in feriam VI, cùm sit annus bissextilis.

(*c*) Gaufridus Prior Vosiensis, qui tum vivebat, de Sebrandi sive Saibrandi (de *Chabot*) electione sic scribit chronici c. 70 : *A cujus* (Geraldi Episcopi) *transitu die centesimo vigesimo quinto, Februarii IV Idus eligitur Sebrandus Archidiaconus de Thoarcesi, quamvis occultè, quia Regi Anglorum res displicebat... Calendis Septembris detecta est apud S. Aredium Sebrandi electio. Idcircò expulsi sunt a propria domo Canonici, extranea facta est mater a filiis suis, ac per annum ac menses novem omni caruit mysterio divino.* Et c. 71 ita pergit : *Kal. Decemb. primò in sede a quibusdam Canonicis Lemovicensibus levatur apud Solemniacum; dehinc velociùs recesserunt. Deinde Romam pergens magna in Synodo, quæ habita est sub Alexandro Papa, Præsulum penè totius orbis in Quadragesima* (anno 1179) *consecratus est a Guarino Bituricensi Archiepisc.*

(*d*) Sic dictus olim locus, ubi Aroasiæ Abbatia condita fuit, teste vulgato in appendicibus Sigeberti Roberto de Monte, ad an. 1114 ita scribente : *In civitate Belvacensi a Conone Sedis Apostolicæ Legato Concilium celebratur. Hic est Cono unus ex illis Religiosis, qui eremiticam vitam apud Truncum* Berenger *primò duxerunt, et Aroasiani Ordinis auctores exstiterunt, qui Ordo usque hodiè floret et crescit.* De situ et fundatione Monasterii Aroasiæ, vide Bollandum ad diem 13 Januarii, p. 831.

Digitized by Google

A dium maritali sub fœdere præsignari dixerimus, attonitos forsitan auditores reddemus. Henricus Silvanectensis Episcopus tam apud Truncum quàm apud *Batpaumes* celebravit divina.

Guido Senonensis Archiepiscopus Margaritam *, Philippo Regi Francorum conjugatam, unxit in Reginam apud S. Dionysium, die scilicet Ascensionis *. Astiterunt autem ei suffraganei Mauricius Parisiacensis, Manasses Aurelianensis.

* Isabellam.

* An. 1180.

Ludovicus Rex Francorum, quia jus suum et potestatem in Philippum transtulerat, ne quid in regno statueret citra filii conscientiam, sigilli sui potestate privatus est. Inter Regem Philippum et matrem suam Alam, ortis ad invicem inimicitiis, castella quæ nomine donationis propter nuptias fuerant Reginæ collata, de Regis mandato Regis invaserunt ministri, custodibus castellorum violenter ejectis; sed postmodum Rex et mater ad arbitrium Regis Anglorum con-
B cordiam inierunt, in colloquio quod habitum est inter ipsos Reges propè Gisortium, vigiliâ scilicet Apostolorum. (*Vide superiùs, p.* 182.)

Comes Cabilonensis * et Hubertus de Bello-loco * conspiraverunt adversùs Abbatem Cluniacensem, et adversùs plures in partibus illis Ecclesiarum et Cœnobiorum Prælatos. Ad quorum tyrannidem reprimendam Philippus Rex Francorum, auxiliis undique congregatis, movit exercitum. Cujus ad votum cùm omnia successissent, et paci providisset Ecclesiarum, reversus est.

* Guillelmus.

* *Leg.* de Bello-joco.

Ludovicus Rex Francorum, gravi tactus infirmitate Parisius, quidquid in auro vel argento, quidquid in gemmis vel annulis, quidquid in vestibus pretiosis vel ornamentis regalibus possidebat, coram se jussit afferri; sicque juxta consilium Episcopi Parisiensis et duorum Abbatum S. Germani et sanctæ Genovefæ pauperibus erogari præcepit. Qui quarto-decimo Kalendas Octobris *
C diem clausit extremum, sepultus in Monasterio Cisterciensis Ordinis, quod vocatur Barbellum *, quod ipse propriis sumptibus ædificaverat.

* An. 1180.

* *Barbeaux.*

EX ROGERI DE HOVEDEN

ANNALIUM PARTE (*a*) POSTERIORI.

Apud Henric. Savile, *inter rerum Anglic. Script. Francof.* 1601. *fol.*

Anno Gratiæ MCLV, qui erat primus annus regni Regis Henrici, filii Ma- *Pag.* 491.
tildis Imperatricis, idem Henricus castella inimicorum suorum in Anglia
D obsedit et cepit, et quædam illorum in manu sua retinuit, quædam autem prostravit. Deinde transfretavit in Normanniam, et homagium fecit Lodovico Regi Francorum de Normannia et Aquitania, et Andegavia, et Cenomannia et Turonica, et de omnibus earum pertinentiis.

Eodem anno *, obiit Papa Anastasius, cui successit Adrianus.

Anno Gratiæ MCLVI, qui erat annus secundus Henrici filii Matildis Imperatricis, idem Henricus rediit de Normannia in Angliam, et omnia ferè castella quæ facta fuerant in Anglia tempore Regis Stephani, demoliri fecit : et novam fecit monetam, quæ sola recepta erat et accepta in regno, et ipse pacem stabilivit in regno, et leges Henrici Regis avi sui præcepit per totum regnum suum inviolabiliter custodiri....

* *Corr. an.* MCLIV.

Anno Gratiæ MCLVII, qui erat annus tertius regni Regis Henrici, filii Ma-
E tildis Imperatricis, idem Henricus Rex, prece et consilio Theobaldi Cantuariensis Archiepiscopi, dedit Cancellariam suam Thomæ Cantuariensi Archidiacono, et multos redditus tam ecclesiasticos quàm seculares ei contulit, et eum in tantam dilectionem et familiaritatem recepit, quòd nullus par ei erat in regno, excepto solo Rege....

Anno Gratiæ MCLIX, qui erat annus quintus regni Henrici, filii Matildis Imperatricis, idem Rex Henricus tertiò fecit se et *Alienor* uxorem suam co-

(*a*) Rogerus de *Hoveden,* oppido Eboracensis provinciæ, Clericus palatii Henrici II Angliæ Regis, bis an. 1176 commemoratur a Benedicto Petroburgensi tanquam pro Rege legatione functus, pagg. 98 et 108. Scripsit Annales rerum Anglicarum inde ubi desinit Beda, duabus partibus, quarum posterior an. 1154 incipiens ad an. 1204 extenditur. In priori, cujus segmentum unum exstat Tomo nostro XI, p. 309, Florentium Wigorn. seu potiùs Simeonem Dunelmensem secutus est Hovedenus ad an. 1122. Henrici deinde Huntindoniensis vestigia premit ad an. usque 1148; sequentia verò ad an. 1154 aliundè contracta, minùs sunt accurata quàm ut a nobis debeant adhiberi.

Digitized by Google

ronari, in solemnitate Paschali apud *Wirecestre* : ubi cùm ad oblationem venirent, deposuerunt coronas suas, et eas super altare obtulerunt, voventes Deo quòd nunquam in vita sua de cætero coronarentur.... A

Eodem anno, Adrianus Papa obiit : cui successit Alexander Papa, canonicè electus et consecratus. Sed Fredericus Romanorum Imperator nolens eum recipere, erexit sibi idolum, Octavianum scilicet Antipapam, quem in execrabili Concilio et Conventiculo sanguinum adversùs Papam Alexandrum facto, cum gente sua statuit adorandum, et schisma factum est in Ecclesia, XVIII annis perdurans.

Eodem anno, Henricus Rex Angliæ, magno congregato exercitu, obsedit Tolosam; et quamvis ibi diu sedisset, et thesauros suos in variis expensis exinanisset, tamen ibi nihil proficiens, imperfecto negotio, inde recessit. In eodem verò exercitu obierunt Willelmus Comes Boloniæ, filius Regis Stephani, et B
Hamo filius Comitis Glocestriæ, et multi alii. Rediens ab hoc exercitu Malcolmus Rex Scottorum, factus est Miles Turonis a Rege Anglorum Henrico.

Anno Gratiæ MCLX, qui erat annus sextus regni Regis Henrici, filii Matildis Imperatricis, Malcolmus Rex Scottorum rediit in terram suam de exercitu Tolosæ. Cùmque venisset in villam quæ dicitur *Pert, Feretach* Comes et quinque alii Comites, irati contra Regem quia ipse Tolosam perexerat, obsederunt villam de *Pert,* et Regem capere voluerunt, sed non poterant....

Eodem anno, Rex Malcolmus dedit sororem suam Margaretam Conano Duci Britanniæ in uxorem.

Anno Gratiæ MCLXI, qui erat annus septimus regni Regis Henrici, filii Matildis Imperatricis, idem Rex et Lodoveus Rex Francorum dissenserunt propter quasdam terrarum suarum divisas, et propter castella de Gisortio et de *Neafle,* quæ C
tunc temporis erant in manu Lodovei Regis Francorum, quæ idem Rex Henricus calumniatus est suo debere adjacere Ducatui Normanniæ. Sed mox pacificati sunt in hunc modum (*a*) : quòd Rex Franciæ traderet duas filias suas, quas habebat de uxore sua filia Regis Hispaniæ, quarum una vocabatur Margareta et altera (*b*) Alesea, ad opus duorum filiorum Regis Henrici, scilicet Henrico et Ricardo adhuc puerulis minimis; et traderet prædicta castella de Gisortio et de *Neafle* in manu Templariorum custodienda, donec prædictæ filiæ desponsarentur præfatis filiis Regis Henrici : et quandocumque constaret eis, scilicet Roberto de *Pirou* et *Tostes* de Sancto-Homero, quòd Margareta filia Regis Franciæ desponsata fuisset Henrico filio Regis Angliæ, traderent Henrico Regi utrumque castellum. His itaque ex utraque parte gestis et fidei sacramento confirmatis, Rex Francorum tradidit utramque filiam suam Regi Angliæ, et præ- D
dicta castella Templariis in custodia. Et paulò post Henricus Rex Angliæ fecit Henricum filium suum desponsare Margaretam filiam Regis Franciæ, cùm adhuc essent pueruli in cunis vagientes, videntibus et consentientibus Roberto de *Pirou* et *Tostes* de Sancto-Homero et Richardo de *Hastings* Templariis, qui custodiebant præfata castella, et statim tradiderunt illa castella Regi Angliæ. Unde Rex Franciæ plurimùm iratus fugavit illos tres Templarios de regno Franciæ : quos Rex Angliæ benignè suscipiens multis ditavit honoribus.

Anno ab Incarnatione Domini MCLXII, qui erat octavus regni Henrici Regis, filii Matildis Imperatricis, idem Rex Henricus dedit Thomæ Cancellario suo Archiepiscopatum Cantuariæ.

Eodem anno, Alexander Papa venit in Galliam, expulsus a sede sua per Fredericum Romanorum Imperatorem : quem Alexandrum Lodoveus Rex Fran- E
corum et Henricus Rex Anglorum honorificè susceperunt, et pro Papa catholico habuerunt....

Eodem anno, Malcolmus Rex Scottorum dedit sòrorem suam Adam [Florentio] Comiti de *Hotland* in uxorem.

Anno Gratiæ MCLXIII, qui erat annus nonus regni Regis Henrici, filii Matildis Imperatricis, idem Rex Angliæ rediit in Angliam....

(*a*) Hoc quidem anno concordes facti sunt Franciæ et Angliæ Reges, cùm an. 1160 fuissent discordes ob celebratas, inscio Ludovico Rege, nuptias filiæ ipsius Margaretæ cum Henrico Angliæ Regis filio. Verùm conditiones pacis quas recitat Hovedenus, non tunc, sed an. 1158 gratiâ futuri matrimonii sancitæ fuerant : quare nedum vinculum pacis exstiterint, e contrario subortæ fuerunt seminarium discordiæ.

(*b*) Alesia nonnisi an. 1167 Richardo Angliæ Regis filio in futuram uxorem destinata est, ex Radulfo de Diceto.

Digitized by Google

A Eodem anno, generale Concilium tenuit Turonis Alexander Papa, in quo excommunicavit Octavianum Antipapam....

Anno Gratiæ MCLXIV, qui erat annus decimus regni Regis Henrici, filii Matildis Imperatricis, idem Henricus dedit Henrico Duci Saxoniæ Matildem filiam suam in uxorem.

Eodem anno, Rex, magno congregato Concilio, et omnibus Archiepiscopis et Episcopis Angliæ in unum coram illo congregatis, petiit ab eis ut ipsi pro amore et servitio suo, et pro stabilitate regni, reciperent leges avi sui et eas fideliter custodirent. Cui Thomas Cantuariensis Archiepiscopus pro se et pro aliis respondit, quòd ipsi leges illas, quas Rex avitas vocabat, reciperent et bonâ fide servarent, salvo in omnibus ordine suo et honore Dei et sanctæ Ecclesiæ. Sed conventio illa plurimùm displicuit Regi, et nitebatur
B modis omnibus efficere ut Episcopi promitterent ei, se leges illas servaturos sine aliqua exceptione : sed Cantuariensis Archiepiscopus hoc nullo modo concedere voluit. Deinde post multum tempus Ernaldus Lexoviensis Episcopus venit in Angliam, et sollicitè laboravit die ac nocte ut pax fieret inter Regem et Archiepiscopum ; sed ad plenum fieri non potuit.... Deinde venit in Angliam quidam vir religiosus dictus Philippus de Eleemosyna, missus a latere Alexandri summi Pontificis et Cardinalium omnium, ad pacem faciendam inter Regem et Archiepiscopum Cantuariensem, per quem summus Pontifex et omnes Cardinales mandaverunt Cantuariensi Archiepiscopo, ut ipse pacem cum domino suo Rege Angliæ faceret, et leges suas sine aliqua exceptione custodiendas promitteret. His et aliis magnorum virorum consiliis acquiescens Thomas Cantuariensis Archiepiscopus venit ad Regem apud *Wodestoke*, et ibi promisit Regi
C et concessit se bonâ fide et sine malo ingenio leges suas servaturum. Et paulò post, congregato Clero et populo regni apud *Clarendun*, pœnituit Archiepiscopum quòd ille concessionem illam fecerat Regi ; et volens resilire a pacto, dixit se in illa concessione graviter peccasse, et quòd in hoc ampliùs non peccaret : unde Rex plurimùm in ira adversùs eum commotus, minatus est ei et suis exitium et mortem.... Deinde venit in Angliam Rotrodus Rotomagensis Archiepiscopus ex parte domini Papæ, ad pacem faciendam inter Regem et Archiepiscopum Cantuariensem : quod Rex nullo modo concedere voluit, nisi dominus Papa bullâ suâ leges illas confirmaret....

Eodem anno, Willelmus frater Henrici Regis Angliæ obiit.

Eodem anno, Octavianus Antipapa obiit : cui successit Wido Cremensis Antipapa....

D Anno Gratiæ MCLXV, qui erat annus undecimus regni Henrici Regis, filii Matildis Imperatricis, idem Rex Henricus magnum congregavit Concilium apud *Northamtun*, ubi Rex tædium magnum fecit Thomæ Cantuariensi Archiepiscopo.... Archiepiscopus verò habitum suum mutavit, et mutato nomine fecit se appellari *Dereman*; et ita a paucis cognitus et per ignotas vias et semitas ad mare properavit. Et equitaverunt noctibus, et in diebus latuerunt inter amicos et notos, et sic tandem pervenerunt ad mare usque ad Sandicum portum. Et ille navem clam intravit, clamque recessit, et manè in Flandriam applicuit, et statim perrexit in Franciam. Sed antequam ipse ad Lodowicum Regem Francorum veniret, Gilebertus *Foliot* Londoniensis Episcopus et Willelmus Comes de *Arundel* prævenerunt ex parte Regis Angliæ ad prohibendum Regi Franciæ, ne ipse illum Cantuariensem Archiepiscopum in regno suo re-
E ciperet, et ut ipse mandaret domino Papæ ne pro amore illius Cantuariensem Archiepiscopum in familiaritatem susciperet. Sed quantò magis præfati nuncii Regis Angliæ plus laborarent ut Cantuariensis Archiepiscopus a regno Franciæ expelleretur, tantò magis Rex Franciæ illum et causam fovebat suam. Præterea Rex Franciæ misit Franciscum Eleemosynarium suum ad Alexandrum Papam, qui tunc morabatur in Francia : mandans ei ut, sicut honorem Romanæ Ecclesiæ diligebat et auxilium regni Franciæ, sic in omnibus manuteneret Thomam Cantuariensem Archiepiscopum et causam ejus contra tyrannum Angliæ. Et ex illo tempore dominus Papa recepit Cantuariensem Archiepiscopum in magnam familiaritatem....

Eodem anno, Papa Alexander Romam rediens a Romanis honorificè susciptur....

Digitized by Google

Eodem anno, Henricus Rex Anglorum transfretavit de Anglia in Normanniam, faciens grave edictum et execrabile contra Alexandrum Papam et Thomam Cantuariensem Archiepiscopum.... A

Anno Gratiæ MCLXVI, qui erat annus duodecimus regni Regis Henrici, filii Matildis Imperatricis, idem Rex Henricus expulit ab Anglia et ab omnibus terris suæ dominationis omnes homines et fœminas, quoscumque invenire potuit, de cognatione B. Thomæ Cantuariensis.... Et vix per duos annos moram fecerat in Abbatia de *Pontenie* * cum Gwarino Abbate et Monachis ibidem Deo servientibus, quibus commendatus fuerat in custodia ab Alexandro summo Pontifice; et ecce Rex Angliæ mandavit prædicto Abbati de *Pontenie*, quòd si ille ulteriùs retineret Cantuariensem Archiepiscopum in domo suâ, ipse fugaret ab Anglia omnes Monachos sui Ordinis. Unde factum est ut B. Thomas sponte suâ alienatus est a domo illa, ne causâ illius tot domus Religiosorum perirent. B Transtulit ergo se ad beatum Regem Francorum Lodowicum : a quo benignè susceptus, missus est ad Abbatiam S. Columbæ juxta Senonem civitatem....

* *Pontigni.*

Eodem anno, Henricus Rex Angliæ.... transfretavit de Anglia in Normanniam....

Anno Gratiæ MCLXVII, qui erat annus decimus-tertius regni Regis Henrici, filii Matildis Imperatricis, obiit Matildis quondam Romanorum Imperatrix, mater prædicti Regis Henrici Angliæ, et sepulta est apud Rotomagum, in Abbatia quæ dicitur sancta Maria de Pratis...

Anno Gratiæ MCLXVIII,... obiit Wido Cremensis secundus Antipapa : successit Johannes Abbas de *Strume*, qui appellatus est Papa Calixtus.

Eodem anno, obiit Robertus Comes Leicestriæ, summus Angliæ Justitiarius....

Eodem anno Gwido de *Leszennam* * interfecit Patricium Comitem Salesbiriensem, redeuntem in peregrinatione a sancto Jacobo. Unde Rex Henricus plurimùm iratus expulit eum de Pictavia. Qui, acceptâ cruce, peregrè profectus est Jerosolymam, et ibi remansit in obsequio Baldwini leprosi Regis Jerusalem, et propter probitatem illius a Rege et principibus regni plurimùm dilectus est et honoratus.... C

* *Lesignan.*

Anno Gratiæ MCLXIX, qui erat annus decimus-quintus regni Regis Henrici, filii Matildis Imperatricis,... Henricus Rex Angliæ timens quòd B. Thomas Cantuariensis Archiepiscopus in personam ipsius excommunicationis sententiam, et in regnum ejus proferret interdictum, appellavit pro se et regno suo ad præsentiam summi Pontificis; et missis ad eum legatis, petiit mitti in Angliam a latere suo unum vel duos Legatos, ad cognoscendam causam quæ vertebatur inter ipsum et Thomam Cantuariensem Archiepiscopum, et ad eam determinandam ad honorem Dei et sanctæ Ecclesiæ.... D

Cùm igitur Thomas Cantuariensis Archiepiscopus et nonnulli de coexulibus suis in octavis B. Martini inter Gisortium et *Trie* ad colloquium Legatorum accederent, Legati multa proposuerunt ipsi Archiepiscopo de caritate domini Papæ, de sollicitudine Ecclesiæ Romanæ quam attentiùs circa eum hucusque gesserat, de laboribus ipsorum et itineris sui periculis, de magnitudine Regis Angliæ et de necessitate Ecclesiæ, de malitia temporis, de amore et beneficiis quibus Rex Angliæ prævenerat eum, et de honore quem Rex ei semper exhibuit. Adjecerunt etiam querelas et injurias, quibus Rex Angliæ se ab ipso læsum esse conquestus est, imponens ei etiam inter cætera quòd ei excitaverat guerram Regis Franciæ : quærentes consilium quomodò tantam indignationem placare possent, quia sine multa humilitate et moderatione et honoris exhibitione, noverant tantis periculis remedium adhiberi non posse. Cantuariensis autem in omni humilitate et mansuetudine spiritûs, post gratiarum actionem domino Papæ et illis debitam, respondit ad singula rationibus veris et probabilibus, querelas Regis evacuans et injurias Ecclesiæ et damna intolerabilia patenter exponens.... E

Ea tempestate (*a*) Lodowicus Rex Francorum, magno exercitu congregato, intravit Normanniam, et combussit *Andeli* villam Rotrodi Rotomagensis Archiepiscopi, non resistente Henrico Rege Angliæ, in vindictam Calvimontis nobilis castelli Regis Franciæ, quod prædictus Rex Angliæ anno præcedenti combusserat per Wallenses suos.

(*a*) Anno 1167, ea quæ sequuntur gesta fuisse narrat Robertus de Monte.

Eodem

Digitized by Google

A Eodem anno, Henricus Rex Angliæ cepit per vim fortissimum castellum quod dicebatur *Fanuel*, et demolitus est illud.

Item eodem anno, ex quo Reges in minore Britannia desierunt præesse (*ut apud Radulfum de Diceto*).

Anno Gratiæ MCLXX, qui erat annus decimus-sextus regni Regis Henrici, filii Matildis Imperatricis, idem Henricus tenuit solemne festum apud Nannetim in Britannia, die Natalis Domini etc. (*ut apud Benedictum Petroburgensem, ex quo deinceps sunt mutuata. Si quid tamen in Hovedeno occurrat discriminis, ibidem notis appositum est*).

B

EX SILVESTRI GIRALDI CAMBRENSIS

HIBERNIÆ (*a*) TOPOGRAPHIA.

Apud Guill. Camden, *inter Angl. Norman. etc. script. Francos.* 1603.

E PARTE TERTIA.

GENS Hibernica, a primo adventûs sui tempore... usque ad hæc nostra tempora, ab omni aliarum gentium incursu libera permansit et inconcussa, donec per vos, Rex invictissime (*Henricum* II *Angliæ Regem alloquitur*) et C vestræ animositatis audaciam, his denuò nostris diebus est subjugata, anno videlicet ætatis vestræ XLI, regni vestri XVII, ab Incarnatione MCLXXII... Adeò, inquam, felices fœcundans eventus, cunctis propemodùm in actibus tibi divina benignitas illa semper arrisit (et utinam in finem perseveraverit) ut tanquam ad vivum resecans et medicina modum excedens, piè sæviens et impiè fovens, propriis in patrem furentibus filiis et patrios ante diem annos inquirentibus, patri tamen plus ferè quàm patri carissimis, ob patris favorem non pepercit. *Pag.* 750. *Pag.* 752.

Quorum omnium præcipuus et uno dempto primævus (Henricus III) paterno tam nomine fungens quàm honore, de magno major, de luce lucidior, et tanquam alter Priameius Hector, suis honor, hostibus terror, omnibus amor; inter armatas acies tanquam de igne fulgur egrediens, cunctorumque mentibus vel unica spes vel metus existens... Inermis siquidem privatusque, lenis et affabilis, D mitis et amabilis, injuriarum quarumlibet datâ occasione pius indultor, quantumlibet reos longè pronior absolvere, quàm condemnare. Qui et animum sic instituerat, ut nihil unquam dono dignum denegaret, neminem tristem, neminem voti non compotem a se discedere dignum ducens : illum sibi denique diem perditum iri reputans, quo non sibi multos alliceret multimodâ liberalitate, multorumque tam corda quàm corpora multiplici beneficiorum largitione compararet. In armis verò rebusque militaribus, galeato jam capite, sublimis, effrenis, atrox, longèque ferâ ferocior omni : ubique ferè virtute magis quàm fortunâ triumphans, et Hectorea Priamidem expressè repræsentans, nisi quòd ille pro patre patriaque, hic verò pravorum consilio, proh dolor! contra militabat. Hoc enim unum et votum et desiderii caput exstiterat, tantæ strenuitatis exercendæ materiam et tempus assequi posse, quo viri virtus dignè valuerit E enitere. Unde et quoniam nihil humanum omni ex parte perfectum esse potest, tantam naturalem bonorum gratiam in unum congeri livida natura detrectans, tandem tamen niveo candori nævum adjecit, splendidissimum virum solius ingratitudinis vitio et optimi patris vexatione notabilem reddens. De quo inter cætera sui prodigia et hoc pro miraculo duci potuit, quòd hominem terris et thesauris ex toto carentem totus ferè mundus sequebatur. Qui et in brevi,

(*a*) Silvester Giraldus Cambrensis, Archidiaconus primùm S. Davidis, electus deinde Menevensis Episcopus an. 1198, vixit ad an. 1220 suptuagenario major. Refert ipse in libro *de Instructione Principis* inedito, Parisiis se litterarum studia excoluisse anno ætatis circiter vicesimo, quando Philippus Augustus in lucem editus est, an. scilicet 1165. *Silvestris* prænomen sibi ab æmulis contumeliæ causâ inditum fuisse queritur, fortè ob agrestes et gentilitios mores. Varia scripsit apud Guill. Camdenum et T. II. Angliæ sacræ edita. Ex his ad rem nostram pauca excerpsimus, ad supplendum Rogeri de *Hoveden* ultimum decennium a nobis spontè prætermissum.

Digitized by Google

ut sperabatur, et mundi monarchiam reformasset, si non tam præproperè, tam præ- A
maturè, tam inopinatè vernantem florem verno in tempore invida fatorum series rapuisset, tempore scilicet ætatis suæ triateride nonâ, coronationis anno XIV,
* *Corr.* MCLXXXIII. ab Incarnatione Domini MCLXXXII *.

Sequens verò (Richardus) cujus digna laudum præconia vox præconis non silebit, providâ patris dispositione paternæ nomen, maternæ stirpis honorem statim adeptus, terram hactenùs indomitam in tenera ætate tantâ virtute rexit et domuit, ut non tantùm ipsam per omnes ejus anfractus longè pleniùs et tranquilliùs solito pacificaret; verùm etiam mutilata dudùm et dispersa redintegrans, strenuâ virtute pristinos in status singula revocaret. In formam igitur gentem informem redigens, in normam enormia quæque reducens, fortia confundens et aspera complanans, antiquos Aquitaniæ terminos et jura reformavit. Fortunam siquidem urgens et se in anteriora protendens, tempora sibi con- B
temperans et semper successibus instans, Cæsarque secundus nil credens actum cùm quid superesset agendum, rebusque in bellicis furibundus in arma, nec ullas nisi sanguine fuso gaudens incedere vias : cujus quoque nec prærupta montium latera, nec aereæ turres, arte situque inexpugnabiles, tam artificiosos quàm virtuosos, nunc arduos et sublimes, nunc subterraneos animositatis impetus prævalerent impedire. Sed quoniam mala semper sunt vicina bonis (errore sub ipso pro vitio virtus crimina sæpè tulit) pacis et justitiæ zelo defervens, ut in primis gentis indomitæ reprimeret audaciam, tutamque inter nocentes redderet innocentiam, in malè meritos juris rigore desæviens, unde non indignam laudem a dignis promereri debuerat, inde lividorum latratibus cœpit in commune a crudelitate notari. Quam quidem et ob hoc constat sine causa notam incurri, quòd residentibus paulisper causis, mansuetudinem induens et C
clementiam, citrà rigidum longèque trans remissum, ad aureum illud medium
Pag. 753. accedens paulisper rigor ille resedit. Præterea qui contulit naturam, contulit et naturæ passionem. Ad reprimendos namque ferocissimos animi motus, hic leo noster et plusquàm leo, quartanæ stimulo, leonino more, vexatur; quo sic continuò ferè tremit ac trepidat, ut et sui tremore mundum universum tremere faciat et timere. Inter varias igitur quibus præeminet virtutes, peculiari quâdam prærogativâ trina hunc insignia incomparabiliter reddunt illustrem; strenuitas et animositas eximia, largitas et dapsilitas immensa, superlaudabilis in Principe cæterasque virtutes adornans, tam animi quàm verbi constantia firma : et ut brevi eloquio laudis ad cumulum multa concludam, egregio fratri solâ est ætate, et non virtute secundus.

Diversis igitur tam moribus quàm studiis, eodem ex germine eâdemque ra- D
dice duo cùm fuerint, perpetuæ tamen laudis gloriam æternitatisque memoriam promeruerunt. Ambo igitur staturæ grandis, paulòque plusquàm mediocris, et formæ dignæ imperio : strenuitas illis et animi magnitudo ferè par, sed via virtutis valdè dispar. Ille lenitate laudabilis et liberalitate, iste severitate spectabilis et stabilitate : ille suavitate commendabilis, hic gravitate : illi facilitas, huic constantia laudem peperit : ille misericordiâ conspicuus, iste justitiâ : ille miserorum refugium et malè meritorum, iste supplicium : ille malorum clypeus, iste malleus : Martiis ille ludis addictus, hic seriis : ille extraneis, iste suis : ille omnibus, iste bonis : ille magnanimitate mundum ambiebat, iste sibi de jure competentia non inefficaciter appetebat. Sed quid per singula curro? Tantos ab uno Principe duos et tam diversos, nec præsens ætas nec ulla recolit antiquitas. Tanta nimirùm et tam varia virtutum incrementa, longèque, si fieri E
posset, ampliora diversi diversâ planè et abundè nobili poterant a stirpe contrahere. Quidquid enim in utroque ferè virtutis invenias, noveris in ramos a radice transfusum. Quis enim nobilissimo patre vel piis clementior, vel sævis crudelior? Longè tamen in clementiam pietate proclivior, in omni ferè victoria pro summa reputans vindicta vindicare potuisse. Quis in armata militia strenuior? Quis in togata subtilior? Quis unquam vel leni jucundior, vel gravi maturior? Et ut veris historia non fraudetur (quamvis tamen interdùm noceat omnia vera loqui; periculosum quippè est quantâlibet occasione in illum scribere, qui potest proscribere; meticulosa res est in illum allegare, qui potest relegare) quis ignobilibus nobilior? Quis nobilibus ignobilior? Quis humiliatum magis elevat? Quis elevatum magis humiliat? Item quis externis honoratior? Quis suis onerosior?

Digitized by Google

A Quis, inquam, vel amicis alienior, vel alienis amicior? Sic etenim nunc aliena simulans, nunc propria dissimulans, tam flexibilem ex summa prudentia reddidit naturam, ut multis multiformis et omnibus omnis effectus, pro locis et temporibus omnibus omnia sibi conformaret.

Dignas quoque duorum sequentium (Gaufridi et Joannis) laudes Armorica, Britannica et Hibernica regna proclamant. Ambo hi staturæ modicæ, paulòque mediocri plus pusillæ, et formæ pro quantitatis captu satis idoneæ. Horum igitur alter virtutibus insignis, titulisque jam summus et alter erit. Ille militaribus negotiis plenè instructus, hic instruendus: ille in spica, hic messis in herba: ille in re magnus, hic in spe magnificandus: ille stirpe ab inclyta non degener, nobilissimos fratres virtute pro viribus æquiparavit, huic ab utroque vel parente vel pariente * virtus originaliter inserta suo in tempore degenerare non potuit.

* *Ed.* pariete

B Ille vir eloquens et astutus, et quia de facili falli non potuit, fallere si nollet * prudentissimus, duabus militiis diversisque naturis tam Ulyssem præferens quàm Achillem, proh dolor! in patrem semper ingratus existens, magnique fratris vestigia nimis in hoc expressa sequens, plus aloes intùs quàm mellis habens, in facie verò mollito super oleum effluens sermone, suavi quoque suadâque facundiâ diffœderare valens conjunctissima, linguâque potens duo regna corrumpere, mirabili industriâ rerum omnium simulator varius et dissimulator; sed quoniam vir linguosus non dirigetur in terra, Dominus non direxit vias ejus, nec multiplicavit dies ejus. Hic verò fluxæ ferventisque juventæ tam laqueis illectus, quàm stimulis irretitus, cereus in vitium flecti, monitoribus asper, tempori se conformans, et naturæ motibus non repugnans.... Ille [quasi] arbor in radicem ramos convertens, radices altas facere nequivit; ultimus hic fratrum C (et utinam futurus virtute non ultimus) utrique parenti ferè semper obtemperans, longævus in terris et felix esse promeruit....

* *f.* vellet.

Pag. 784.

Dii boni! Si tanti fratres fraterno se invicem fœdere, filialique affectu patrem filii respexissent, duplicique simul, tam benevolentiæ scilicet quàm naturæ, vinculo astricti fuissent; quanta et quàm inæstimabilis, quàm inclyta et incomparabilis in ævum et patris fuisset gloria, et prolis victoria? O quàm digna memoriâ et Maronis ingenio dignè explicanda historia! Quænam virtus his viribus, quive Reges his Regibus, tantisque belli ducibus quæ regna resisterent? Ad tantæ virtutis exercendæ materiam mundus ipse minor est, ad explicandos triumphales tantæ virtutis titulos terræ superficies vix sufficeret. In quantum igitur et quàm arduum robur, ramis naturaliter sibi cohærentibus succumque a stirpe trahentibus, arbor excrevisset, ipsa præcisorum tanta et tam D præmatura ruina declarat. Sicut enim rami a stipite præcisi per se non coalescunt, sic et mutilata frondibus arbor cum læsæ majestatis dispensio, tam dignitate minuitur quàm decore.

EX EJUSDEM GIRALDI CAMBRENSIS

DE HIBERNIA EXPUGNATA LIBRO I.

Anno Dominicæ Incarnationis MCLXXII, primo autem anno quo illustrissimus Anglorum Rex et Hiberniæ triumphator ipsam insulam acquisivit,.... post mediam verò Quadragesimam, tam ex Anglicanis quàm Aquitaniæ partibus, tandem Euro E spirante, naves adveniunt tam gravitatis nunciæ quàm pravitatis. Venerant enim in Normanniæ partes a summo Pontifice Alexandro III transmissi Cardinales duo, quorum nomina Albertus et Theotimus, de morte Martyris nostri Cantuariensis scrutinium facturi, viri, ut putabantur, justi et boni, et ad hoc fideliter electi, sed tamen Romani: nisi citiùs eis Rex occurrerit, toti regno cæterisque terris universis suæ ditioni subditis interdicti sententiam acriter interminantes. Accessit et aliud incommodum longè gravius et periculosius (quonam soli solent accidere fortunæ favores, sed infortunia nunquam) filii Regis, primævus scilicet quem tantâ diligentiâ regio insigniri diademate procuraverat, aliique duo fratrem puerili levitate secuti, pravissimo consilio multos habentes complices, tam Anglicos Proceres quàm transmarinos, in Regem absentem unanimi conspiratione conjuraverant. Quibus auditis, tantâque et tam inopinatâ malitiâ jam detectâ,

Cap. 34 et 36. *Pag.* 778.

Digitized by Google

multiplici Rex anxietate desudat. Dolet in primis se tantâ tam immeritò suspicione notari, timet etiam regnum terrasque adjacentes tam pravis machinationibus perturbari; dolet quoque perplurimùm se regnum Hibernicum, quod æstate proximâ tam incastellare quàm firmâ stabilire pace statuerat, et in formam omninò redigere, tam intempestivè relicturum.... A

Cap. 38. Littoris itaque maritimi viâ rediens, quâ venerat, a Cambria in Angliam, ab Anglia quoque cum summa festinatione in Normanniam navigio transvectus, Romanis Cardinalibus se incontinenti, laudabili in Principe devotione, apud Custantiam præsentavit. Ubi et post varias hinc inde altercationes demùm innocentiâ suâ sacramento purgatâ, pœnitentiâ quoque sibi injunctâ (quoniam licèt per ipsum minimè, propter ipsum tamen interemptum Martyrem non diffitebatur) Legatis cum honore remissis, ipse statim ad marchiam cum Francorum Rege Ludovico colloquium habiturus accessit. Ubi et interventu proborum virorum, et præcipuè Philippi Flandrensium Comitis a sancto Jacobo jam tunc reversi, reformata inter Reges concordia super offensa quam Francorum Rex ob prædictam Martyris mortem contraxerat: puta quem Anglorum Rex Archipræsuli in Angliam redituro cum aliis magnis et potentibus viris fidejussorem donaverat. Cujus miræ pacis occasione tam filiorum quàm complicum suorum tanta in animo et tam clandestina concepta malitia usque in annum sequentem conquievit.... B

Cap. 43. Sequenti verò Aprili *, Anglorum Rex junior, Henricus scilicet Henrici
* An. 1173. Regis filius, nequitiam erga patrem pravorum consiliis olim conceptam amplius occultari non perferens, cum duobus fratribus suis, Pictaviæ scilicet et Britanniæ Comitibus, ad Ludovicum Francorum Regem, cujus filiam maritali copulâ junctam habuerat, in Franciam secessit, ut soceri fultus auxilio, proh dolor! ante diem patrios inquirat in annos; multos quoque Proceres tam Anglicanos quàm transmarinos manifestè, multò plures occultè habens complices et fautores. Rex Regis junioris pater, ob inopinata quæ sibi undique emergunt incommoda, non mediocriter anxius existens, vultu tamen hilari et elato ex summa industria solatium simulans et spem præferens, omni ex parte quæcumque potuit modis omnibus auxilia conquisivit. Directis itaque nunciis, et optimâ quam in Hibernia reliquerat familiâ revocatâ apud urbem Rotomagensem, Comiti [Pembrochiæ] Richardo Hibernici regni custodiam ex toto commisit.... C

Cap. 44. Rex verò tam in Anglicanis quàm Aquitanicæ Galliæ partibus bella plusquàm civilia per biennium sustinens, tot maturationibus tantisque vigiliis, tantâ quoque et tam laboriosâ diligentiâ, tantorum simul et tot hostium invictâ virtute conatus elusit, ut ob innaturalem filiorum in patrem injuriam, divinâ potiùs quàm humanâ potentiâ victor ubique videretur. Sed quoniam inimici hominis domestici ejus, et inter pestes pessima familiaris semper inimicitia, hoc ei ad cumulum doloris et desperationis accessit, quòd illi quoque quos cubicularios sibi milites elegerat, in quorum manibus mortem simul et vitam commiserat, quâlibet ferè nocte ad filios hostili animo se transferentes, manè requisiti non comparebant. Bellum tamen tam desperabilis initii, tam triumphali fine melior fortuna conclusit, tantoque favore Regis gloriam et tam feliciter augmentavit, ut sicut in primis indignatio divina vindictam accelerasse omnium æstimatione putabatur, sic eâdem conversione magis gaudens quàm eversione, processu dierum dignâ demùm complacatione misericorditer resedisse videretur. D

Post gravem itaque Dolensis capturæ dolorem, post sancti Edmundi inundantis regna favorem, post Cantuariæ nocturnam Principis peregrinationis pœnitentiam, propitiante nobili Martyre Thomâ, lacrymis et devotione jam
* *Alnewic.* placato, in crastino apud Amoytense * castrum, præsidente probo prudentique viro, et inter utramque fortunam fidelissimo, Randulpho Glanvillensi, diurnam
* Scotiæ. adepta est Anglia pacem, diurnamque lætitiam. Captus igitur Albaniæ * Rex, capti Cestriæ Comites et Leicestriæ. Præterea ex utraque Gallici maris parte sorte consimili tot Proceres capti, tot duces, tot viri militares, ut vix vinctis vincula, vix captis carceres invenirentur. Sed quoniam Princeps, donec de se ipso triumphet, obscurè de hostibus triumphabit; (quippè nihil est unde non triumphet animi triumphator) inter tot rerum aliarum victorias, fortunâ E

Digitized by Google

A ubique spirante favorem, egregiæ virtutis et inauditæ pietatis exemplo sibi Rex imperans, deque se ipso triumphans, vincens animos iramque suam, qui cætera vicit, hostibus undique victis et triumphatis vitam reddidit et honorem; quodque rebus in secundis rarum esse solet, æquâ ferens commoda mente, inter ipsos triumphales eventus summamque clementiam, summam inter prospera modestiam conservavit. Post varias igitur belli biennalis vexationes et inanes omninò fatigationes, sub pacis demùm osculo, umbratilique magis quàm verâ, sicut ex post facto claruit, ad patrem filii sunt reversi *. * An. 1174.

Expressam verò Regis naturam, et tam interioris hominis quàm exterioris *Cap.* 45. proprietatem, æternitati depingere non indignum reputavi, ut qui insignia ejusdem gesta in posterum audire gestierint, imaginarium quoque vultum ejusdem præ oculis gerant. Tantum quippè temporis nostri decus transitoriè perire, præ-
B sens historia non permittit. Impetratâ tamen veritatis explicandæ veniâ, citra quam omnis historia non solùm auctoritatem, sed et nomen historiæ demeretur.... Arduum opus et periculosum magis quàm fructuosum arripui, multis illum verbis describere, qui uno potest verbo proscribere. Gratiosum quippè foret et nostras longè vires excedens, veritatem in singulis non supprimere, et nullo tamen Principis animum exasperare.

Erat igitur Anglorum Rex Henricus secundus vir rufus, cæsius, amplo *Pag.* 783. capite et rotundo, oculis glaucis ad iram torvis et rubore suffusis, facie igneâ, voce quassâ, collo ab humeris aliquantulùm demisso, pectore quadrato, brachiis validis, corpore carnoso, et naturæ magis quàm gulæ vitio, citra tumorem enormem et torporem omnem, moderatâ quâdam immoderantiâ ventre præamplo. Erat enim cibo potuque modestus ac sobrius, et parcimoniæ quoad Principi li-
C cuit per omnia datus. Et ut hanc naturæ incuriam industriâ reprimeret ac mitigaret, carnisque vitium animi virtute levaret; bello plusquàm intestino tanquam in se conjurans, immoderatâ corpus vexatione torquebat. Nam præter bellorum tempora quæ frequenter imminebant, quibus quod rebus agendis supererat vix id tantillum quieti dabat, pacis quoque tempore sibi nec pacem ullam nec requiem indulgebat. Venationi namque trans modestiam deditus, summo diluculo equo cursore transvectus, nunc saltus lustrans, nunc sylvas penetrans, nunc montium juga transcendens, dies ducebat inquietos : vesperè verò domi receptum, vel ante cœnam vel post, rarissimè sedentem conspexeris. Post tantas namque fatigationes, totam statione continuâ curiam lassare consueverat. Sed quoniam hoc ad vitam in primis utile, ut ne quid nimis, nullumque remedium simpliciter bonum, cum tibiarum pedumque tumore fre-
D quenti, recalcitrantium ad hoc jumentorum ictibus auctâ læsione, cæteras ad ipsum corporis incommoditates accelerabat, et si non aliam, matrem incommodorum atque ministram certè vel senectutem. Staturæ vir erat inter mediocres [magnæ], quod nulli filiorum contingere potuit, primævis ambobus paulò mediocritatem excedentibus, minoribus verò duobus infra subsistentibus. Citra animi turbationes et iracundiæ motus Princeps eloquentissimus, et quod iis temporibus conspicuum est, litteris eruditus. Vir affabilis, vir flexibilis et facetus, nulli prorsùs hominum, quidquid intùs palliaverit, urbanitate secundus. Princeps adeò pietate spectabilis, ut quoties armis vicerat, ipse quoque magis pietate vinceretur. In armata militia strenuus, in togata improvidus, semper tamen in rebus Martiis ambigua bellorum fata reformidans, et ex summa prudentia, juxta comicum illud, omnia priùs quàm arma pertentans : amissos in
E acie plus Principe plangens, et humanior extincto militi quàm superstiti, longèque majori dolore mortuos lugens, quàm vivos amore demulcens : urgentibus incommodis nemo benignior, resumptâ securitate, nemo rigidior : acer in indomitos, clemens in subactos, durus in domesticos, effusus in extraneos, largus in publico, parcus in privato. Quem semel exosum habuerat, vix in amorem; quem semel amaverat, vix in odium revocabat : avium quarum victus ex præda volatu plurimùm, canumque feras narium sagacitate persequentium tam voce sonorâ et consonâ, quàm cursu veloci ultra modum delectatus, et utinam tam devotioni deditus quàm venationi! Post gravem matris, ut fertur, instinctu filiorum in patrem offensam, publicus legitimi fœderis violator. Naturali quâdam inconstantiâ verbi plerumque spontaneus transgressor : nam quoties res in arctum devenerat, de dicto malens quàm facto pœnitere, verbumque faciliùs

Digitized by Google

quàm factum irritum habere. Ideò in cunctis agendis prospector providus et moderator, ut ob hoc etiam, medicinâ ex parte modum excedente, juris et justitiæ dilator exstiterit; et non absque suorum enormi gravamine morosus ad cuncta responsor. Denique gratis exhibenda quæ Deus et justitia vult, dùm pretio provenit impreciabile, et in quæstu prostat omnia præstans, magnos Giezi tam regno quàm Sacerdotio reliquit hæredes. Auctor pacis diligentissimus et observator, incomparabilis eleemosynarum largitor, et præcipuus terræ Palestinæ sustentator : humilitatis amator, nobilitatis oppressor, et superbiæ calcator; esurientes implens bonis, et divites dimittens inanes : exaltans humiles, ponens de sede potentes. Detestandis in ea quæ Dei sunt usurpationibus multa præsumens, zeloque justitiæ, sed non ex scientia, regni sacerdotiique jura conjungens, vel confundens potiùs, et omnia solus existens. Ecclesiæ filius et ab illa sceptri nactus honorem, sacramentalis delibutionis vel immemor vel dissimulator acceptæ, sacræ vix horam hostiæ mittendæ divinis accomodans, et id ipsum temporis, ob regni fortè negotia tanta, reique publicæ causâ, plus consiliis et sermone quàm devotione consumens. Vacantium proventus Ecclesiarum in fiscale ærarium mittens, et modico fermenti massâ corruptâ, dùm aufert fiscus quod sibi vindicat Christus, novis semper emersis incommodis et guerris maximis thesauros universos profundebat, dans impio militi quæ dari debuerant Sacerdoti. Ex summa prudentia multa machinans, multa providè disponens, quæ tamen eventus non sortita secundos, in contraria plerumque vergere videbantur : nec unquam ingens emersit incommodum, quod originem familiaribus ex causis
Pag. 784. non contraxerit. Legitimæ prolis pueritiam naturali affectu plusquàm pater amplectens, provectiores ejusdem annos plusquàm vitricus obliquè respiciens; et quamquàm filios tam inclytos habens, tam illustres, magno tamen absolutæ felicitatis impedimento, forsan ex meritis, semper odio persequens successores : et quoniam humana prosperitas, sicut nec perpetua, sic nescit esse perfecta; exquisitâ quâdam fortunæ malitiâ, unde habere debuerat gaudium, inde gladium; unde securitatem, inde securim; unde pacem, inde pestem; unde fortitudinem, inde ingratitudinem; unde quietem et tranquillitatem, summa cum inquietudine suscipiens turbationem. Unde vel aliquo maritalis copulæ vinculo, vel parentum criminis cujuslibet vindictâ videtur accidere, quòd nec patris in filios, nec filiorum in parentem, nec fratrum inter se est vera concordia. Sublatis statim tam regni detentoribus quàm pacis ejusdem perturbatoribus, tam fratribus et filiis quoque quàm alienis, tam domesticis quàm extraneis, diu ad votum succedentia cuncta suscipiens, et utinam finalem sibi hunc divinum favorem dignis operum meritis vel in finem recognoscens ! Quemcumque vel semel in facie attentiùs inspexerat, quamquàm in tanta quotidie multitudine constitutus, nunquam ampliùs ignotum habebat. Quidquid aliquandò memoriâ dignum audierat, nunquam a mente decidere poterat. Unde et historiarum omnium ferè promptam notitiam, et cunctarum rerum experientiam propemodùm ad manum habebat. Et ut paucis plurima concludam : si a Domino finaliter electus fuisset, et ad ejus obsequia se converterit, inter mundi Principes multis etiam naturæ dotibus incomparabilis (*a*). Sed hæc hactenùs, nec præter rem tamen, cursim et breviter hìc delibasse sufficiat.

(*a*) De eodem Joannes *Bromton* hæc habet apud *Twisden* col. 1151 : « Sanè idem Rex Henricus, » *inquit*, quamquàm multis virtutibus fuerat ornatus, aliquibus tamen vitiis involutus personam regiam deturpavit. In libidinem namque » pronus, conjugalem modum excessit : Reginâ » enim suâ Elianorâ jamdudùm incarceratâ, factus est adulter manifestus, palam et publicè » puellam retinens Rosamundam. Huic nempè » puellæ fecerat Rex apud *Wodestoke* mirabilis architecturæ cameram, operi Dedalino similem, » ne forsan a Regina facilè deprehenderetur.... » Hic etiam filiam Regis Franciæ in custodia sua » dudùm receperat, ut eam Richardo filio suo » Comiti Pictavensi copularet, quam post mortem » Rosamundæ defloravit : unde Richardus postea » matrimonium recusavit. Proinde proposuit Rex » illam puellam duxisse, qua de causa Hugotionem Cardinalem ad divortiandum inter ipsum » et Reginam Elianoram invitavit; ut sic majori » favore Francorum fretus, filios proprios exhæredaret. Regina quoque parere desinente, spurios multos fecit.

» Venationis delicias plus justo diligens, in puniendis tamen venationis suæ transgressoribus » mitior avo fuit. Ille enim homicidarum et fericidarum voluit distantiam parvam esse; hic » tamen hujusmodi transgressores carcerali custodiâ sive exilio pro tempore castigavit. Judæos » fœnerantes plus justò fovit; et vacantes Episcopatus, ut provenientia reciperet, diu vacare » voluit. Contra hæc, fuit Rex in pace tuenda » et fovenda studiosissimus, et ecclesiasticarum » libertatum, post mortem S. Thomæ, conservator » præcipuus. Viros religiosos specialiter honoravit, et res eorum æquè cum dominicis suis » conservari mandavit. Pupillorum, viduarum » et pauperum curam habens, locis pluribus eleemosynas largas impendit. Naufragorum perditionem eximiâ pietate correxit; et eis humanitatis officium exhiberi præcipiens, graves in » eos pœnas sanxit, qui fortè illis in aliquo mo-

Digitized by Google

A

EX LIBRO SECUNDO EXPUGNATÆ HIBERNIÆ.

Notabiles igitur nostri temporis in Angliam adventus, et memoriâ dignos eventus occasionaliter interserere, et quasi sub epilogo in medium deducere non indignum reputavi. *Cap.* 30. *Pag.* 803.

In primis itaque detentio Anglicani regni contra legitimum hæredem Henricum, Henrici primi Regis ex filia Mathilde nepotem. Inopinatus accidit casus, et primò tam militis insignis Eustachii Stephani Regis filii, et generi Francorum Regis Ludovici, quàm matris ejusdem Reginæ Matildis et Comitissæ Boloniensis subita in fata concessio *. Deinde Stephani Regis Angliæ et Hen- * An 1153.

» lestos esse præsumerent, vel de rebus quidpiam » usurpare. In regno suo Angliæ, vel in terris suis » transmarinis grave onus nunquam imposuit, » nec tributum Ecclesiis vel Monasteriis unquam » indixit. Discrimen sanguinis et mortem hominis » exhorrescens, pacem curavit armis, cùm aliter » eam non potuit, observare. »

Similiter col. 1044, post adumbratam Principis imaginem, ut apud Giraldum Cambrensem, subdit: « Si tamen excursuum suorum metæ quærantur, priùs deerit orbis, quàm aderit finis. Animoso quippè pectori cessare poterunt terræ, cessare nesciunt victoriæ; nec deerunt triumphi, si materia triumphandi. In utraque militia, Martis scilicet et Minervæ, singulariter effulsit; terras quippe hæreditarias potenter pacificavit, Hiberniam potenti classe subjugavit, Scotiæ regnum, capto Rege Willielmo, suo regno adjiciens, ab Australi Oceano usque ad Boreales Orcadum insulas quasi sub monarchia terras concludens, imperium suum egregiè dilatavit: quod quidem post tempora Julii Cæsâris nulli legitur contigisse. In transmarinis partibus, præter Normanniam, Aquitaniam, Andegaviam et Cenomanniam, quæ eum paternali jure contigerant; Pictaviam quoque et Gasconiam usque ad Pyrenæos Hispaniæ montes, quæ ei matrimonialiter obvenerant, Alverniam cum quibusdam aliis terris suo dominatui subegit. Solebat quoque inter confabulandum dicere: *Totum mundum uni potenti viro satis parùm esse*..... Et quamvis in nonnullis ejus successibus cuncta quietis obstacula, felicis ominis auspicio, quasi exquisito fortunæ favore ad vota fuerant summota; nonnulla tamen quasi fato infausto sibi contigerunt: ad ejus quidem humilitatem, si tamen pœnitens fieret; sin autem obstinatus, carne propriâ carnifex cruciaretur.

» Imprimis nempè Elianoram Francorum Reginam domino suo Lodowico indebitè subtraxit, sibique de facto, cùm jure non posset, copulavit: de qua pater suus Galfridus eum prohibuerat ne eam tangeret, pro eo quòd, dum Senescallus Regis Franciæ fuerat, eam cognovisset. Ex ea tamen Henricus iste tres filias et sex inclytos filios suscitavit: quarum primam Matildem Duci Saxoniæ, secundam Alianoram Regi Hispaniæ, tertiam Johannam Willielmo Regi Siciliæ copulavit. Duobus quoque filiis suis præmaturè sublatis, in reliquis quatuor meruit perturbari. Ac cùm XXXV annis penè regnavit, sex lustra data sunt ei ad mundanam gloriam, ad conversionis tolerantiam, ad devotionis experientiam; septimum verò lustrum, tamquam reprobo et ingrato, inflictum est ad vindictam. Secundo namque septimi lustri anno, evanuit conatus ejus, quem circa Johannis filii sui in Hiberniam missionem paravit. Tertio anno, qui nunquam priùs quidquam amiserat, jam Alverniam contra Regem Franciæ perdidit; quarto anno, Bituricam; quinto, urbes Cenomannicam et Turonensem, cum castellis multis, et seipsum.

» Consueverat quoque Rex iste religiosos Episcopos ad colloquia sua, etiam in transmarinis partibus et in martiis negotiis, secum circumducere, et eorum magis quàm militum consiliis uti. Quod et fecit duplici de causa. Primò, ut curia sua adventantibus legatis venerabilior appareret. Secundò, quia priùs semper tentabat pacem quàm arma, idcircò tales cum adjectione pecuniæ suos fecit mediatores. Verùm quia ecclesiasticas dignitates aliquando indignis contulerat, ut famam suam quodammodo redimeret, Baldewinum Cisterciensis Ordinis Monachum ad Cantuariensem sedem, Hugonem Cathusiensis Ordinis Priorem ad sedem Lincolniensem promovit.

» Ut autem lector quisquam tam hujus Regis, quâm filiorum suorum infaustos exitus minùs obstupeat; consideretur origo hujus Regis ex parte utriusque parentis, necnon et uxoris suæ conditio, de qua filios suscitavit: Comitissa namque quædam Andegaviæ, de cujus sobole Galfridus *Plantegenest* processit, ob solam corporis speciem fuerat desponsata; rarò tamen ad Ecclesiam processit, sed et tunc vix usque ad secreta Missæ moram faciebat. Hoc dum a Comite marito suo notaretur, die quadam detenta est in Ecclesia a quatuor militibus. At illa, rejecto pallio per quod tenebatur, relictis ibidem dŭobus filiis suis, quos sub dextro angulo pallii tunc fovebat, cum reliquis duobus filiis quos ad sinistrum tenebat, per fenestram Ecclesiæ cunctis intuentibus evolavit, nec usquam comparuit. (*fabulæ*)

» Istud postmodùm Richardus Rex Angliæ referre solebat: asserens non esse mirandum, si de tali genere procedentes mutuò sese infestent, tamquam de Diabolo venientes, et ad Diabolum transeuntes. Unde et Clericus quidam a Rege Henrico ad filium suum Comitem Britanniæ Galfridum pro pace reformanda missus, hoc a filio audivit: *Utquid venisti exhæredare me de jure meo nativo? Num ignoras hoc nobis naturaliter fore proprium, et ab atavis insertum ut nullus nostrum alterum diligat? Noli ergo frustra laborare, ut naturam expellas.* Item mater hujus Henrici, vivente priori marito (*falsum*) Imperatore scilicet Henrico heremiticè peregrinante, nupsit alteri, scilicet Galfrido *Plantagenest*, de quibus iste Rex processit. De isto quoque Rege Henrico quondam infantulo, et in curia Regis Franciæ nutrito, B. Bernardus Abbas, Rege præsente, sic prophetavit: *de Diabolo venit, et ad Diabolum ibit:* notans per hoc tam tyrannidem patris sui Galfridi, qui Sagiensem Episcopum eunuchaverat, quàm etiam ipsius Henrici futuram atrocitatem, quâ in B. Thomam desæviret. Ad hæc Galfridus, pater hujus Regis, illâ Elianorâ abusus fuerat, quam iste Henricus filius suus postmodùm duxerat.

» Pater etiam hujus Elianoræ, Comes Pictavensis, uxorem Vicecomitis sui vi rapuit, et marito vivente, in uxorem duxit. Quem dum quidam vir sanctus pro hac re increpasset et minimè profecisset, adjecit dicens: *Nusquam proles de vobis veniens fructum faciat felicem.* Contigerat aliquándo, in camera hujus Regis Henrici Wintoniæ multipliciter picturata, locum vacuum jussu Regis relinqui; ubi Rex postmodum aquilam cum quatuor pullis insidentibus depingi fecit, quorum tres unguibus et rostris parentem lacerabant, sed quartus paternis oculis eruendis acriùs insistebat. Requisitus Rex quid hoc portenderet, ait: *Hi quatuor pulli filii mei sunt, qui me usque ad mortem persequi non cessabunt; sed potissimè ille novissimus Johannes, quem modo cariùs amplector, neci meæ acriùs insudabit.* »

Digitized by Google

rici Ducis Normanniæ concors ad invicem facta est adoptio, et subsequenter A
* An. 1154. Stephani Regis e rebus humanis exemptio *. Reginæ Alienoræ desponsatio (*a*), et de corona in coronam translatio. Gloriosa statim Ducis in Regem sublimatio, et Henrici secundi coronatio. Nobilis castri Brugensis supra Sabrinum fluvium obsidio, et militis egregii Hugonis de Mortuo-mari terribili cunctis exemplo ad deditionem compulsio. Quid plura? Ad aspera complananda et fortia confundenda prosperis ubique casibus, sicut regni detentorum, sic subita pacis ejusdem turbatorum omnium, et tam fratrum primò quàm postea filiorum, eversio.... Quamquam inutilis, sumptuosa tamen et nobilis apud Tolosam ex-
* An. 1159. peditio *. Inter Ludovicum Francorum Regem et Henricum Anglorum Principem, variâ utriusque partis deliberatione, frequens bellici certaminis altercatio... Reginaldi Coloniensis Archiepiscopi et Imperatoris Cancellarii ab Imperatore
* An. 1165. Frederico ad Anglorum Regem transmissio *, qui inter nepotem Imperatoris, Hen- B
ricum scilicet tam Saxoniæ Ducem quàm Bavariæ, et primævam Regis filiam Mathildem, matrimonii contrahendi suasor efficax factus est et persuasor, schismatis quoque quo tunc Alemannica exorbitabat Ecclesia, factus incentor, non obtentor. Contra Petri tamen cathedram Cantuariæque Præsulem non longè post
* An. 1167. regio edicto publica per regnum pejeratio. Nec mora *, nuncii Ducis, tam Comes scilicet Guncelinus quàm alii præpotentes Saxoniæ viri, propter filiam Regis in Angliam venerunt. Henrici III filii Henrici in Cantuariensis Ecclesiæ
* An. 1170. præjudicium celebrata Londoniis ab Eboracensi coronatio *. Nuncii de Hispania filiam Regis Alienor, Anfulso Regi Toletæ et Castellæ legitimè copulandam, obnixè postulantes et impetrantes advenêre.... Martyrium Thomæ : cre-
* An. 1171. bra miraculorum coruscatio *. Nobilissimi viri et in utrumque simul tam genii
* *f.* avi. quàm ingenii, tam animi * quàm atavi nobilitate prædíti et regiâ stirpe præ- C
* An. 1171. clari, Henrici Gwyntoniensis Episcopi apud Gwyntoniam felix decessio *. Regis in Hiberniam excursus. Conspiratio tam Procerum in Principem quàm filiorum in parentem. Duorum Cardinalium in Normanniam adventus, ut de Martyris morte
* An. 1172. scrutinium facerent *. Regis reversio et tam subita.... in Normanniam transvolatio, et repentina tam Cardinalium quàm Francorum Regis complacatio.
* An. 1173. Prima Regis junioris cum duobus fratribus suis in Franciam a patre discessio *. Belli biennalis et plusquàm civilis inaudita Regis et inopinata tam de hostibus victoria quàm de victis injuria, sicut in fine prioris libri ante Regis descriptionem, de captis tam Cestriæ Comite quàm Leicestriæ, necnon et Albaniæ Rege dilucidâ brevitate declaravimus.... Nuncii Guillelmi Regis Siciliæ, tam Episcopus scilicet Capuanus quàm Diaferus Electus Trojanus, necnon et Comes Florius propter Joannam Regis filiam juniorem suo Principi copulan- D
* An. 1176. dam advenêre *.... Adventus Ludovici Francorum Regis in Angliam * : qui
* An. 1179. Cantuariam peregrè profectus, Martyris egregii, quem in vita suffragiis exilii tempore tantâ diligentiâ sustentaverat, ejusdem in morte suffragia devotè postulaturus accessit; et scypho aureo tam artis quàm materiæ majestate non infimo, in loco ubi sacrum corpus reconditum erat decenter oblato, cùm ad Martyris tumbam prostratus aliquantulùm declinasset, et in dextro lateralis mar-
* *f.* opertum moreique lapidis foramine apertum * coronæ caput diutiùs apposuisset, demùm ab oratione resurgens, ut peregrinationis suæ memoriam perpetuâ largitione muniret, astantibus Anglorum Rege, Flandrensium Comite, necnon et loci ejusdem tam Archipræsule quàm Conventûs Priore, cum aliis viris magnis,
* An. 1183. Cantuariensi Cœnobio centum vini modios annuatim impendit. Secunda discessio * Regis Henrici III et Comitis Gaufridi, et mors inopinata Regis junioris apud E
* *Corr.* Martellum. Marsiliam *. Adventus Coloniensis Archiepiscopi Godefridi cum Philippo Flan-
* An. 1185. drensium Comite, Cantuariam peregrè profecturi. Mors Comitis Gaufridi *. Adventus Heraclii Patriarchæ [Jerosolymitani], et prima Joannis filii Regis in Hiberniam transfretatio. Hæc igitur ferè omnia, sicut per ordinem sunt hìc disposita, sic non longis ab invicem temporum interstitiis nostris rebus acciderunt, et annorum spatio quasi XXXIII.

(*a*) Alienoram an. 1152 in uxorem sibi ascivit Henricus.

Digitized by Google

EX RADULFI COGGESHALE ABBATIS

CHRONICO (*a*) ANGLICANO.

Apud Martenium T. V. Amplissimæ Collectionis. col. 801.

ANNO ab Incarnatione Domini MLXVI, Wilhelmus Dux Normannorum, contracto a partibus transmarinis innumerabili exercitu, in Angliam applicuit apud *Hastinges*, ac justo Dei judicio, die S. Calixti Papæ Regem Haroldum, qui imperium Angliæ injustè usurpaverat, regno simul et vitâ privavit...

MLXXXVII, Rex Wilhelmus in Franciam cum exercitu venit, atque oppidum quod Mantua * dicitur, cum Ecclesiis combussit, ubi et duo reclusi combusti sunt, indeque cum gravi viscerum cruciatu Normanniam rediens, Wilhelmo filio suo regnum Angliæ tradidit. Sicque defunctus est V Iduum Septembrium die, et Cadomi sepultus, postquàm XX annos et mensibus X et XXVIII diebus genti Anglorum præfuit : cui successit in regnum Wilhelmus filius ejus, et Robertus *Curte-hose* primogenitus in Ducatu Normanniæ... * *Mante.*

MXCV, Urbanus Papa Concilium tenuit apud Clarum-montem, hortatusque est Christianos proficisci in Jerusalem ad debellandos Paganos. Cujus hortatu quàmplurimi cruce Christi signati ad illud iter aggrediendum se paraverunt, quorum duces primates erant, Podiensis Episcopus, Comes sancti Ægidii Raimundus, Hugo Magnus Philippi Regis Francorum germanus, Dux Lothariensis Godefridus et Baldewinus frater ejus, Comes Stephanus Blesensis, Robertus Comes Flandrensis, Robertus *Curte-hose* Dux Normannorum et Boamundus Roberti Wiscardi filius...

Hoc anno * fuit motio Christianorum euntium in Jerusalem super Paganos. Guillelmus Rex Cenomanensem civitatem suæ ditioni subjecit *. * An. 1096. * An. 1098.

MC. Wilhelmus Rex junior in Nova-foresta cùm fuisset venatu occupatus, a quodam Franco Gualtero, cognomine *Tirel*, sagittâ percussus vitam finivit IV Nonas Augusti, feriâ quintâ, cùm regnasset XIII annis, XXXVIII diebus minùs. Cui successit frater ejus Henricus in regnum, et mox Nonis Augusti, die Dominicâ, in Westmonasterio a Mauritio Londoniensi Episcopo in Regem est consecratus. Die verò S. Martini consecrata est Mathildis, filia Regis Scottorum Malcolmi, in Reginam ab Anselmo Archiepiscopo.

MCI, Robertus *Curte-hose* Dux Normanniæ, rediens ab Jerusalem, cum navali exercitu applicuit apud *Portesmuthe*, Regem Henricum fratrem suum expugnaturus; sed mediantibus utrorumque Baronibus, locuti sunt ad invicem Rex et Dux de pace et concordia. Iterùm motio facta est euntium Jerusalem....

Henricus Rex Angliæ transiens mare * Bajocensem civitatem cum Ecclesia B. Mariæ quæ intus erat, combussit. Tunc etiam Roberto fratri abstulit Cadomum. * An. 1105.

MCVI, Robertus Dux Normanniæ apud *Tenerchebrai*, vigiliâ Sancti Michaëlis, a fratre suo Henrico capitur, et cum eo Comes Wilhelmus de Moretonio et Robertus de *Stutevile*, et plures alii, et sic ab illa die tota Normannia Regi Henrico subjecta est. Dux verò Robertus in quadam turri relegatus est usque diem obitûs sui....

Philippus Rex Francorum obiit *, cui successit Ludovicus filius ejus, qui genuit VII filios et unam filiam; Philippum qui fuit inunctus in Regem, de quo inauditum contigit infortunium. Cùm enim quâdam die per Parisios equitaret, ab uno porco diabolico offensus equus cecidit, et sessorem suum ad silicem contrivit et nocte sequenti spiritum exhalivit, et statim Ludovicus frater ejus ab Innocentio coronatur petitione patris. Tertius filius Regis fuit Henricus Monachus Clarevallensis, et postea Remensium Archiepiscopus. * An. 1108.

(*a*) Radulfus *Coggeshale* Ordinis Cisterciensis in Essexia Cœnobii Abbas, præter chronicon Terræ Sanctæ, *ad Radulfi Nigri chronicon de Imperatorum, ac Regum tam Franciæ quàm Angliæ, factis insignioribus appendices fecit*, inquit Baleus Centuriâ III cap. 88, nimirùm ad an. 1199, quibus subjicitur *libellus de motibus Angliæ sub Rege Johanne.* Chronotaxis sanè in editione Martenii absurda foret, si rerum eventus ad eos annos referendi essent quibus subjiciuntur. Sed vitio Amanuensium, ut sæpè contingit, id factum fuisse credimus, ideòque genuinos ad marginem annos adhibuimus.

Digitized by Google

Quartus Robertus Comes Drocensium, pater Roberti Comitis de *Parthe* et Episcopi Belvacensis, et Episcopi Aurelianensis. Quintus filius Philippus Clericus. Sextus [Petrus] qui duxit filiam Reginaldi de *Curtenay* cum terra ipsius. Soror istorum Regis filia Constantia, quæ primò tradita est Eustachio Comiti Boloniensi, filio Regis Stephani, ac postmodum Raymundo Comiti S. Ægidii, quam postmodum repudiavit (*a*). A

* *Corr.* MCXIII MCX *, Beatus Bernardus annos natus circiter XXII, Cistercium ingressus cum sociis amplius quàm triginta, sub Abbate Stephano suavi jugo Christi collum submisit, anno a constitutione domûs Cisterciensis quinto-decimo.

MCXVIII, Mathildis Regina Anglorum apud Westmonasterium Calendis Maii obiit, et in ipso Monasterio est sepulta....

MCXIX.... Calixtus Papa Gisortium veniens, Rex Henricus occurrit, impetravitque ab eo omnes consuetudines quas pater suus in Anglia et Normannia habuerat.... B

MCXX, rupis allisio maris unam demersit navem apud *Barbefleot*, in qua penè tota propago omnium nobilium Normannorum, unà cum Wilhelmo filio Regis Henrici et alio notho [Ricardo]; cum duabus filiabus Regis et una ejus nepte, aliique quamplures ferè CCC homines perierunt....

* *Corr.* MCXXV. MCXXVII *, obiit Henricus Imperator, reversaque est Mathildis Imperatrix ad patrem suum, qui tradidit eam Galfrido *Plantegenest*, filio Fulconis Comitis et Regis Jerosolymitani: qui Galfridus genuit ex ea Henricum, Gaufridum, et

* An. 1127. Willelmum *Longe-espée*. Occisus est Carolus Comes Flandrensis *....

* An. 1133. Eclipsis solis facta est IV Nonas Augusti *, lunâ XXVII existente, et apparuerunt stellæ, et obtenebratus est dies horâ sextâ. Rex Henricus eâdem die mare ingrediens transfretavit, ad Angliam postmodum vivus nunquam reversurus... C

* An. 1135. Obiit Rex Henricus IV Nonas Decembris *, cujus corpus exenteratum et sale conditum delatum est in Angliam, et apud Monasterium de *Radinges*, quod ipse fundaverat, delatum est. Cui successit Stephanus nepos ejus ex sorore, filius Stephani Comitis Blesensis, qui illum et Comitem Theobaldum ex [Adela] filia Willelmi Bastardi genuerat. Porrò Rex Stephanus duxerat uxorem Mathildem, cujus mater dicebatur Maria, soror Reginæ Mathildis, quarum pater Rex Malcolmus, filiam Eustachii Comitis Boloniensis, cum honore Boloniæ. Hic Eustachius frater exstitit Godefridi Ducis Lothariæ et postmodum Hierosolymitani Regis, et frater Baldewini Comitis de *Roheise*, qui postea Rex Hierosolymitanus post fratrem suum Godefridum effectus est. De ista Regina Mathilde et pio Rege Stephano natus est Eustachius Comes Boloniæ et Willelmus Comes Warennæ. Quamdam etiam filiam habuerunt [Mariam], quæ de Monasterio Sanctimonialium [Ramesiensium] postmodum abstracta, Comiti Matthæo fratri Philippi Comitis Flandrensis traditur in uxorem; ex qua duas habuit filias, quarum una data est Duci Luvaniæ, alia verò post tertium maritum nupsit filio Comitis de *Dammartin*.... D

MCXXXVII, Ludovicus, Ludovici filius, petitione patris ab Innocentio Papa in Regem consecratus [an. 1131], accepit uxorem Alienordem filiam Willelmi Comitis Aquitaniæ, ex qua habuit duas filias, Mariam et *Aaliz*. Maria nupsit Henrico Trecensi Comiti, filio Theobaldi Comitis, fratris Regis Stephani. Aaliz soror Mariæ tradita est Comiti Theobaldo Blesensi, fratri supradicti Henrici. Ex Comite Henrico et Maria ortus est Henricus Comes, qui cum Rege Philippo profectus est Hierosolymam, cui et Rex Richardus regnum illud concessit.... E

MCXLVII, Rex Ludovicus cum Regina Alienor et cum Proceribus regni

* *Leg.* Sucvorum. * Fredericus. Francorum profectus est Jerosolymam, et Dux Saxonum * Frethericus * postea Imperator, et Damascum obsederunt; sed jam cùm capienda esset civitas, ab obsidione moti sunt per fratres Templi, qui, ut dicitur, pecuniam a Noradino acceperant. Civitas Ulixis capta est....

MCXLIX, Rex Ludovicus ab Hierosolyma regreditur. Post cujus regressionem Galfridus Comes Andegavensis et Henricus filius ejus conquesti sunt Regi de Stephano Rege Anglorum, qui eis regnum Anglorum et Ducatum Norman-

(*a*) Raimundi et Constantiæ divortium neque ante an. 1164, neque post 1165 contigisse, demonstrat Vaissetius.

Digitized by Google

A niæ injustè auferebat. Rex verò Ludovicus Normanniam aggrediens, manu forti eam cepit, et Henrico tradidit, et eum pro eadem terra in hominem ligium accepit. Ille verò pro collato adjutorio Vilcassinum Normanniæ, quod est inter Etam et Andelam Regi Ludovico totum immune dedit : in qua terra continetur Gisortium, *Neofle* et Stripiniacum. Nec multò post * Rex Ludovicus repudiavit * An. 1152.
Alienordem conjugem suam, lineâ consanguinitatis inter eos juratâ : quam sine mora Henricus Dux Normanniæ accepit in uxorem cum Comitatu Aquitaniæ. Postea* verò Ludovicus duxit Constantiam filiam Imperatoris Hispaniæ, ex qua * An. 1154.
habuit filiam nomine Margaritam, quæ Henrico juniori filio Regis Henrici in matrimonio juncta est. Vilcassinensem autem terram dedit Rex Ludovicus filiæ suæ in matrimonium. Deinde Rex genuit aliam filiam de Constantia nomine Adelaïdis, in cujus partu mater clausit extremum diem. Postmodum * Rex Lu- * An. 1160.
B dovicus duxit Alam, filiam Theobaldi Comitis Blesensis, sororem Henrici Comitis Trecensis, et Theobaldi Comitis, et Willelmi Remorum Archiepiscopi, ex qua unum habuit filium nomine Philippum. Anno Incarnationis MCLXV, hæc nobilissima proles processit ad ortum....

MCLIII, Beatus Bernardus Claræ-vallis Cœnobii primus Abbas, aliorum quoque ampliùs quàm CLX Monasteriorum pater, annis circiter LXIII expletis, XIII Kalendas Septembris, inter filiorum manus obdormivit in Domino : eodem videlicet anno quo B. Papa Eugenius III, ejusdem Patris sancti in sancta conversatione filius ab hac luce migravit ad veram lucem, regnante in Francorum regno piissimo Ludovico Ludovici filio...

MCLIV, obiit piissimus Rex Stephanus IX Calendas Novembris, sepultusque est in Ecclesia de *Faversham*, quam ipse fundaverat cum Regina sua Mathilde.
C Cui successit in regnum Henricus filius Imperatricis, Dux Normanniæ et Comes Aquitaniæ et Andegaviæ, consecratusque est in Regem apud Westmonasterium a Theobaldo Archiepiscopo, eodem anno, Dominicâ ante Natale Domini : qui ex Alienoride conjuge sua genuit quatuor filios, videlicet Willelmum qui in puerili ætate mortuus est : Henricum Regem, Richardum Pictavinum et Regem, Galfridum Comitem Britonum, Johannem Regem, priùs Comitem Glocestriæ et Moretaniæ. Habuit etiam ex ea tres filias, quarum una tradita est Willelmo Siciliæ, alia Regi Hispaniæ, tertia Henrico Duci Saxoniæ. Qui Dux postmodum rebellans contra Imperatorem Frithericum avunculum suum, Ducatum amisit; sed filius ejus postea recuperavit...

MCLVII,... Willelmus frater Henrici Regis moritur (*a*).

Rex Henricus cum exercitu maximo adiens Tolosam diu eam obsedit *. * An. 1159.
D Sed Rex Ludovicus cum suo exercitu superveniens, ut auxilium præberet Raimundo Comiti sancti Ægidii, cujus sororem Constantiam idem Comes habuit in uxorem, illum ab obsidione amovit...

MCLXXIII, orta est magna dissentio inter Henricum Regem Angliæ et Henricum filium ejus et Ludovicum Regem Franciæ. Nam Rex Ludovicus, cujus filiam idem Henricus junior in uxorem duxerat, Comesque Flandrensis Philippus, et reliqui proceres regni Francorum, suggestione ac petitione ejusdem Henrici (qui juvenili ductus levitate et quorumdam malignantium adulatorio adquiescens consilio, pro patre, adhuc eo vivente, regnare volebat) contra Regem Henricum unanimiter insurrexerunt, ejusque terram transmarinam rapinis et incendiis devastantes, Rotomagum etiam diutiùs obsederunt. Eodem anno Comes S. Ægidii fecit homagium Regi Henrico de Comitatu Tolosano,
E salvâ fide Regis Francorum. Robertus etiam Comes Leicestriæ cum multitudine Flandrensium in Angliam eodem tempore applicans, a Comite Hugone *Bigod* recepti sunt... Willelmus etiam Rex Scotiæ, qui cum Henrico juniore contra Regem conspiraverat, eodem tempore Northumbriam depopulans, a Ranulfo de Granvilla et Roberto de *Stuteville*, qui contra eum exercitum duxerant, apud *Alnewic* captus est.... Episcopus similiter Dunhelmensis et Rogerus de *Moubrai*, Comes Willelmus de *Albemare*, Comes Cestriæ, Comes Glocestriæ, et alii quamplures nobilium, unanimiter conspiraverant contra Regem. Sed de his omnibus lætâ potitus victoriâ, castella et munitiones eorum funditùs evertit, muros antiquos Leicestriæ dissipavit; Reginam insuper suam, quæ cum filiis suis in eum insurgere voluit, per multos annos inclusam tenuit.

(*a*) Anno 1164 Guillelmus Henrici Regis frater morti debitum solvit, ex Roberto de Monte.

Digitized by Google

EXTRAIT DE LA CHRONIQUE

OU HISTOIRE MANUSCRITE DE NORMANDIE.

A et forteresses, s'enfuit en France au Roy Lois le Gros et ailleurs; et tant ala que la Conté de Flandres lui echei * par prochaineté de lignage, à cause de Mehault son ayeule, mere de son pere, qui fut fille de Baudouin Conte de Flandres et femme du Duc Guillaume le Bastart qui conquist Angleterre, son ayeul. Cestui Guillaume fut Conte de Flandres et estoit appellé Guillaume de Northmandie, et fut occis par traïson en oyant la messe (*a*). * An. 1127.

Quant ceulx de Rouen virent que le Duc leur seigneur estoit ainsi pris, et le Duc Guillaume son filz fugitif, et les Barons tournez de la patrie du Roy Henry, et qu'il avoit la possession de la plus grant partie du païs; considerant aussi qu'il povoit estre son hoir, et que en la delivrance du Duc n'avoit nul remede, se n'estoit par ledit Henry, si lui rendirent les clefs de la cité de Rouen : et ainsi eut le Roy Henry d'Engleterre filz Guillaume le Bastart
B toute la saisine de la Duchie de Northmandie, et la tint tant comme il vesqui. L'Empereur Henry d'Allemaigne qui avoit espousé Mehault la fille au Roy Henry d'Engleterre, se partit d'Allemaigne, et ne sceut l'en qu'il devint, et oncques puis ne revint. Si envoya le Roy d'Engleterre querre Mehault sa fille, et fist à tous les Barons d'Engleterre et de Northmandie jurer feaulté à la dite Mehault; et puis la donna à mariage à Geoffroy Martel Conte d'Anjou, de Touraine et du Maine, filz au Conte Foulques. L'Empereis Mehault eut de lui trois fils, Geffroy Plantegenest, Guillaume Longue-espée, et Henry qui puis fu Roy d'Engleterre et Duc de Northmandie.

Quant la Royne Mehault d'Engleterre fut morte, le Roy print à femme la fille du Conte Godeffroy de Louvain, cousine du Conte Eustace de Boulongne. Mais il n'en eut nul enffant. Si eust-il de bastars VII filz et VII filles.
C L'aisné des filz fut Robert, à qui il donna à femme Sebille qui estoit heritiere de grant terre, fille Robert Hamon et niepce Robert de Mongomery, et estoit le chief de son héritage Thorigny et la marche de Bessin et de Coustantin. Encores donna le Roy à ce Robert la terre Hamon le Despensier, qui estoit oncle de sa femme, et pardessus lui donna la terre au Conte de Glocestre. Cil Robert eut de ladite Sebille sa femme cinq filz et une fille, dont ung nommé Guillaume fut l'aisné.

Le second filz bastart du Roy Henry si fut noyé o Guillaume son frere, comme dit est. Renault, Guillaume et Robert si furent sans terre; le VII^e^ fut Guillaume de Tracy, lequel morut tantost après son pere.

Une des filles eut nom Mehault et fut femme Rotrou le Conte du Perche et fut noyée o ses freres : mais le Conte en ot une fille. La seconde fu femme
D Conen le Conte de Bretaigne, qui en eut Hoel son fils et deux filles. La tierce nommée Juliane, qui fut donnée à Eustace de Pacy, de qui il eut Guillaume et Rogier ses filz. La quarte fille fut mariée à Guillaume Goyet. La V^e^ à Guillaume Viconte de Beaumont. La VI^e^ à Mahieu filz Bochart de Montmorency. La VII^e^ fille Ysabelle, fille le Conte Gallerant de Meullent, ne fut pas mariée.

En ce temps * Geffroy Arcevesque de Rouen moru, et Hue Abbé de Radingues fut fait Arcevesque de Rouen. Le Roy Henry fist en Engleterre pluseurs chasteaulx; en Northmandie fist faire le Neufchastel de Lincourt *, Verneul, Nonancourt, Mollins et Bommolins, Colmemont et Pontorson et aultres... A Rouen [fist l'Abbaye] N. D. sainte Marie du Pré que sa mere ot commencie. Il aida moult à faire l'Abbaye de Clugny, et celle de S. Martin des Champs de Paris. Il fist faire l'hospital S. Bernard des mons de Montgieu *; à l'ostel
E du Temple à Avranchin donna une ville. Il fist refaire l'Esglise d'Evreux qui avoit esté destruite par la guerre. * An. 1129. * *Drincourt.* * Montjeu.

Icellui Roy eut pluseurs seurs : Secille fut l'aisnée, et fut Nonnain, et puis Abbesse de Kaen : l'autre Constance qui fut mariée à Alain Fergant Conte de Bretaigne, pere Conen, dont yssi Houel, qui espousa une des filles bastarde au Roy Henry, comme dit est. Quant le premier Geffroy Martel, qui fut aisné filz au Conte d'Anjou, fut occis par traïson, Foulques son frere de pere fut son hoir : et fut cil Foulques né de Berthe seur le Conte Almaury de Roucy *. Il print à femme la fille au Conte Helye du Mans, par quoi il eut la Conté, et eut d'elle deux filz, Geffroy Martel * et Helie. Cest Geffroy Martel espousa Mehault l'Empereis, comme dit est : et eut encores Foulques deux filles, dont * *d'Evreux.* **Plantegenet.*

(*a*) C'étoit Charles le Bon qui fut tué en trahison, et non Guillaume.

Digitized by Google

l'une fut mariée au Conte de Provins (*a*), et l'autre à Thierry Conte de Flandres. A
Quant la femme Foulques fut morte, il ala en Jherusalem et print à femme la fille au second Bauduin Roy de Jherusalem qui estoit trepassé, et fut le tiers Roy de la terre puis le conquest. Car quant la terre fut conquise, Godefroy de Buillon frere au Conte de Boulongne Eustace en fut sire : mais il n'y volt porter couronne d'or, pour tant que N. S. J. C. y avoit porté couronne d'espines... Bauduin son frere fut le premier Roy après la conqueste, et son filz Bauduin fut le second; et puis Foulques d'Anjou fut le tiers, qui prist la fille au second Bauduin.

La tierce seur au Roy Henry fut promise au traitre Herault, qui fut occis en la bataille de la conqueste d'Engleterre, et elle moru vierge.

La quarte nommée Ade, fut mariée au Conte Estienne de Blois, et de lui eut quatre filz, Guillaume, Thibault, Henry et Estienne. Guillaume surnommé B
* Sully. de Soly * fut pere Henry l'Abbé de Fescamps, qui en son temps fist lever de terre les deux Richards de Nortmandie : et y fut pour le temps qu'ilz furent tenus et levez Henry filz de Mehault l'Empereis, lequel pour lors estoit Roy d'Engleterre et Duc de Northmandie, et donna au jour de ladite levacion à icelle Abbaye de Fescamp une forest sur la mer, nommée Hogues. Le Conte Henry [d'Eu] prist à femme une fille de ce Guillaume de Soly, et si estoit-elle sa cousine. Il en eut trois filz et une fille. Thibault eut la Conté de Blois et achetta à Huon son oncle la Conté de Troies, et eut encores celle de Chartres, et print à femme la fille du Conte Bauduin, et en eut filz et filles. Henry fut fait Moine de Clugni et après Abbé de Glatingbery, et puis Evesque de Vincestre. Estienne fut Conte de Mortaing par le don du Roy Henry son oncle; et puis par son aide prist-il à femme la fille au Conte Eustace de Boulongne son heri- C
tiere. Mehault eut nom et fut niepce Mehault la Royne d'Engleterre, fille de Marie sa seur. Ainsi eut cellui Estienne en Northmandie tant de par lui, comme de par sa femme en Boullenois, grans heritages qui avoient esté au Conte Eustace. Cilz Estienne eut de sa femme filz et filles, dont nous parlerons cy-après.

Mehault l'Empereis se partit de Northmandie d'avec son pere ainsi comme par mal talent, pource que à sa priere il ne volt concorder à Guillaume Tallevas, filz Robert de Belesme de la fille le Conte Guion de Pontieu. Le Roy Henry fist ce Talvas mourir en ses prisons pour ses cruautés, et donna
* Corr. Ives. le chastel de Belesme à Rotrou Conte du Perche, son gendre. Hue * de Belesme son ancestre fut moult vaillant chevallier et preudomme. Il eut à filz Guillaume de Belesme; et Guillaume eut ung filz nommé Guillaume Talevas, et Guillaume Talvas eut une fille son heritiere, que Rogier de Montgomery D
eut à femme o tout l'heritage Guillaume Talvas son pere, tant en Belesmois, en Seonnois, comme oultre l'eaue de Sarte grant heritage : et le Conte Rogier fut né d'une des niepces de la Duchesse Gonnor, de par qui il avoit en Northmandie grans heritages. Il eut de Mabille sa femme grant heritage, et quatre filz et cincq filles. Robert de Belesme le cruel fut son hoir, qui eut de sa femme fille au Conte Guion de Pontieu, comme dit est, Guillaume Talvas
* Corr. la fille. second, son hoir. Cil Talvas si print à femme la femme * qui fu le Duc de Bourgongne, dont il eut deux filz et deux filles. L'aisné qui eut nom Gui, fut au vivant de son pere Conte de Pontieu. L'une des filles fut donnée à Ghyhel filz Gauthier de Mayenne, dont il eut pluseurs filz : l'autre fut donnée au tiers Gauthier Conte de Warenne. Le devantdit Rogier de Montgomery fut au conquester Engleterre; et lui donna le Roy Guillaume la Conté d'Arondel, E
* An. 1135. et la Conté de Salosbiere. Le Roy Henry regna XXXVI ans et puis morut * à S. Denis en Lions en Northmandie : si fut porté en Engleterre et mis en sepulture à sainte Marie de Radingues, qu'il avoit très-honorablement fondée.

Du Roy Estienne.

Estienne son nepveu, qui estoit Conte de Mortaing et de Boulongne, estoit en Boullenois, quant il sceut la mort du Roy Henry son oncle, si passa tost et hastivement la mer et ala en Engleterre, et fist tant qu'il eut le royaume, et fut couronné à Roy par son frere Henry Evesque de Vincestre. Toutesvoies Robert Conte de Leecestre et autres Barons se tenoient contre lui pour Mehault

(*a*) Mathilde, dont il s'agit ici, fut mariée à Guillaume, fils de Henri Roi d'Angleterre.

Digitized by Google

A l'Empereis, fille au Roy Henry qui estoit trespassé, qui hoir en estoit. Ceste Mehault estoit en Anjou, quant son pere moru; et quant elle en oït nouvelle, elle s'en vint o Henry son fils en Northmandie, et donna Danffron, Argenteon, et les chasteaulx de Huymois à Gyhel de Maienne, pour avoir son aide. David Roy d'Escoce estoit oncle ceste Mehault, frere sa mere, qui pour lui guerroioit en Engleterre tousjours, o le Conte de Leecestre, contre le Roy Estienne. Mehault l'Empereis fist tant, qu'elle eut en son aide Loys Roy de France, et pour ce lui promist Gisors et les appartenances, qui fut mis en la main des Templiers. Puis fist Mehault de Henry son filz Duc de Northmandie, et passa o Nortmans en Engleterre, et guerroia le Roy Estienne. Là se combaty contre lui, et fut icellui Roy prins *. Mais Henry Evesque de Vincestre, frere du Roy, mist paix entre eulx en telle maniere que le Roy Estienne seroit Roy sa vie durant, B et après sa mort seroit Roy Henry Duc de Northmandie, filz Mehault l'Empereis *; mais Guillaume qui estoit filz le Roy Estienne auroit en Engleterre grans terres, et en Northmandie la Conté de Mortaing, et si auroit en Caux tout le domaine du Roy, qui appartient à Lislebonne. Encore fut faitte la paix en telle maniere, que le Roy Henry feroit justice ouverte par toute Engleterre, et recevroit toutes les revenues, et rendroit compte des yssues à l'Eschiquier; et après la mort du Roy Estienne laisseroit aux Anglois les dons que le Roy Estienne avoit fais. Ainsi vesquirent puis en bonne paix XIII ans (*a*); et puis morut le Roy Estienne, et fut mis en une Abbaye qu'il avoit fondée.

* An. 1141.

* An. 1153.

Du second Henry.

Après la mort * du Roy Estienne Roy d'Engleterre, Henry fils Mehault l'Em- C pereis fut couronné Roy d'iceluy Royaume sans aucun contredit. Cestuy Roy Henry fut moult sage pour terre tenir, et bien garda justice. Moult tint le Roy Louis de France en son amor. Il entra dedens Gésors comme s'il feust Templier, et ainsy ost la possession de son chastel paisiblement, et puis s'accorda au Roy de France. Il prinst à femme Alienor Duchesse d'Aquitaine, qui Dame estoit de Poictou et de Gascongne, qui du Roy Louis de France se fist départir à Estampes *, pour le lignage d'entre eux. Et là furent ses hommes les Poictevins, qui l'emmenerent. Mais elle avoit ja eu de son Seigneur le Roy Louis deux filles, dont l'ainsnée fut mariée au Comte Henry de Champagne, et la puisnée fut femme au Comte Thibault de Chartres. Le Roy Henry espousa celle Dame Alienor à Tours. Si ost paisiblement de par son pere Anjou, Touraine et le Maine; et de par sa mere l'Empereis Mehault le royaume d'Engleterre et la D Duchie de Northmandie; et de par sa femme Poictou, Aquitaine, Gascongne et Auvergne. Le Roy Henry ost de ceste Dame cinq filz et quatre filles. Le premier des filz ost nom Guillaume qui trepassa jeune, et fut enterré à Radinghes; le second ost nom Henry; le tiers Richart; le quart Gueffroy; et le cinquieme Jehan. L'ainsnée fille du Roy Henry nommée Oyne * fut mariée au Duc de Soissongne *, dont il ost Henry qui après lui fut Duc, et Othes qui fut Empereur de Rome, et Guillaume de Wincestre qui prinst à femme la suer au Roy de Dannemarche, dont il ost Thomas son hoir. La seconde fille au Roy Henry fut mariée au Roy de Castelle, dont il ost filz et filles. L'une des filles fut mariée au Roy de Galice, l'autre * a Louis filz Phelippe le Roy de France. La tierce fille du Roy Henry fut mariée au Roy Guillaume de Cecile; mais il n'en ost nul enfant: et après la mort du Roy Guillaume E elle fut mariée au Comte Raymond de S. Gilles, et en ost Raymond ung filz, puis morut en mal d'enfant à Rouen, et fut enterrée au cueur de l'Eglise de S. Ouen de Rouen, devant le maistre autel.

* An. 1152.

* *Corr.* Beaugenci.

* *Mathilde.*

* Saxe.

* *Blanche.*

Henry ainsné du Roy Henry d'Engleterre, par sa voulenté et conseil de son pere, prinst à femme une des filles au Roy Louis de France. Car quant il fut departi d'Alienor sa femme à Estampes, comme dist est, et qu'il en ost eu ses deux filles, Comtesses de Champagne et de Chartres, il prinst à femme la suer au Roy d'Espaigne, dont il ost deux filles: la premiere fut mariée à cestuy Henry, et lui fut quittée et clamée la calenge de Gisors. La tierce fille du Roy de France fut couvenancée à Richart tiers filz du Roy Henry d'Engleterre, et lui donnerent son pere et sa mere toute la seigneurie d'Aqui-

(*a*) Cet accord est de l'an 1153, un an par conséquent avant la mort du Roi Etienne.

Digitized by Google

taine, et pour ce que les enfans estoient soubzaagez, ilz furent mis en la garde A
du Roy Henry d'Engleterre pere de Richart. Le jeune Roy Henry d'Engleterre si ne ost point de terre après son couronnement, fors la feauté des Prelats et des Barons, par le consentement du pere, à succéder au royaume d'Engleterre et à la Duchie de Northmandie après la mort de son dit pere. Geuffroy quart filz au Roy Henry ost à femme la fille Conam (Conan) de Bretaigne, hoir de la terre, dont il ost ung filz nommé Artus et une fille nommée Alienor. Jehan le puisné du Roy Henry ne ost point de terre; mais son pere à tout grant gent l'envoya en Irlande où il conquist assez; et après lui fist son pere espouser la puisnée aux filles du Conte de Glocestre pour avoir l'heritage, et si estoit elle sa cousine; et puis lui donna en Northmandie la Comté de Mortaing et son domaine de Caux, qui avoit esté au Conte de Boulongne son cousin. B

Le jeune Roy Henry d'Engleterre, pource qu'il n'avoit point de terre s'en
* An. 1173. alla au Roy de France, et par son ayde commença * à guerroyer Northmandie, dont grant partie des nobles se tournerent à luy pour sa bonté et par la paour de luy; car moult estoit vaillant, et l'attendoient à seigneur : et si lui avoient une feaulté. A son pere le Roy Henry qui estoit en Engleterre vint en connoissance, et lui fut dict que le Roy de France et son filz Henry avoient assiegé Rouen. Si vint incontinent et passa la mer, et arriva à Harfleu, et
* An. 1174. vint et entra à Rouen par le costé des terres *. Et tant besongna qu'il fit paix à son filz, en tele maniere que il donneroit à son dict filz pour ses depens pour chascun jour cent livres tournois, et fut ceste paix ansi longtems tenue. Cestui jeune Roy Henry estoit moult bon chevalier et bien aymoit bons chevaliers, et leur faisoit de grans biens. Moult estoit larges de faire honeur à toutes bonnes C
gens; et pource qu'il estoit ainsi larges, ne lui osoit le pere terre donner ne bailler, qu'il ne la gastast. Il ne ost nul enfant de sa femme. Par toutes terres alloit tournoyer avec ses hommes, qui tous estoient prisiés d'armes. Beau, bon et debonnaire estoit, par quoy il estoit prisié et amé par toutes les terres où il alloit et où l'en oyoit parler de luy. Richart son frere qui Conte estoit de Poictiers, aussi estoit tant bon chevalier que c'estoit merveilles. Quant le Roy Louis de France fut mort, Phelippe son filz fut Roy.

EX SIGEBERTI GEMBLACENSIS MONACHI D

CHRONOGRAPHIA (*a*) AD ANNUM MCXII,

Edita ab Auberto Miræo, Antuerpiæ. 1608. *in*-4°.

Pag. 159. Anno Domini MLXXIII,... Hildebrandus Archidiaconus Romanorum, qui et Gregorius, Romanæ Ecclesiæ CLXI præsidet...

Herimannus [Præpositus] Leodiensis fit Metensium Episcopus...

Anno MLXXIV, Gregorius Papa, celebratâ Synodo, simoniacos anathematizavit, uxoratos sacerdotes a divino officio removit, et laïcis missam eorum audire interdixit, novo exemplo, et ut multis visum est, inconsiderato præjudicio, contra sanctorum Patrum sententiam : qui scripserunt quòd sacramenta E
quæ in Ecclesia fiunt, baptismus scilicet, chrisma, corpus et sanguis Christi, Spiritu Sancto latenter operante eorumdem sacramentorum effectum, seu per bonos seu per malos intra Dei Ecclesiam dispensentur... Ex qua re tam grave

(*a*) Chronographiæ Sigeberti Gemblacensis Monachi, toties a nobis adhibitæ superioribus tomis, ac novissimè T. XI, pag. 162, ultimum segmentum hìc subjicimus. Quantæ apud posteros existimationis ea fuerit, hinc elucet quòd plures et insignes habuerit continuatores, collectionem nostram suo quemque ordine locupletaturos : quibus porrò id curæ fuit, antequam mantissam suam aggrederentur, ut ipsius Sigeberti textui res instituto suo congruas intexerent; unde nata quæ in plerisque Sigeberti codicibus occurrit discrepantia. Præter Robertum de Monte, qui res Anglicas et Normannicas interseruit, ab Acherio sub titulo Accessionum ad chronicum Sigeberti editas, Anonymus Afflighemensis et alter Aquicinctinus rebus sui potissimùm Monasterii illud infarciere. Horum interpolationes mutato caractere post Miræum repræsentat editio Pistorii Struviana, anni 1726 : quas plerumque, ubi operæ pretium visum est, signando codicem unde haustæ sunt, admisimus.

oritur

Digitized by Google

A oritur scandalum, ut nullius hæresis tempore sancta Ecclesia graviori schismate scissa sit, his pro justitia, illis contra justitiam agentibus; aliis a simonia non declinantibus, aliis notam avaritiæ honesto nomine prætexentibus, dum hoc quod se gratis dare jactitant, sub caritatis nomine vendunt, ut de Montanis dicit Eusebius, sub nomine oblationis artificiosiùs munera accipiunt. Porrò continentiam paucis tenentibus, aliquibus eam modò causâ quæstûs ac jactantiæ simulantibus, multis incontinentiam perjurio aut multipliciori adulterio cumulantibus; ad hoc, hac opportunitate laïcis insurgentibus contra sacros ordines et se ab omni ecclesiastica subjectione excutientibus, laïci sacra mysteria temerant et de his disputant, infantes baptizant, sordido humore aurium pro sacro oleo et chrismate utentes, in extremo vitæ viaticum dominicum et usitatum Ecclesiæ obsequium sepulturæ a Presbyteris conjugatis accipere parvipen-
B dunt, decimas Presbyteris deputatas igni cremant; et ut in uno cætera perpendas, laïci corpus Domini a Presbyteris conjugatis consecratum sæpè pedibus conculcaverunt, et sanguinem Domini voluntariè effuderunt, et multa alia contra jus et fas gesta in Ecclesia sunt, et hac occasione multi pseudo-magistri exurgentes in Ecclesia, prophanis novitatibus plebem ab ecclesiastica disciplina avertunt.

Anno MLXXV,... Deoduinus Episcopus Leodicensium obit, cui Henricus vitâ et genere nobilis succedit. Anno Archiepiscopus Coloniensis obiit....

Anno MLXXVI, Gregorius Papa totus in Henricum Imperatorem invehitur, et quoscumque potest ab eo verbis et scriptis avertit, animum etiam Agnetis matris ipsius ab eo alienat...

Sicarius (*a*) in Frisonia Godefridum Ducem peremit.

C Lietbertus Episcopus Cameracensis obit, cui Gerardus succedit. (*Ex ms. Ortel.*) Balduinus puer, frater Arnulphi occisi, ad Donengium * bellavit contra exercitum patrui sui Roberti, quem pugnando devicit. (*Ibid.*) * *Denain.*

Wilhelmus Ultrajectensis Episcopus moritur : succedit Conradus, Moguntini Archiepiscopi Camerarius. (*Ibid.*)

Anno MLXXVII, Henricus Imperator, coacto Wormaciæ Concilio XXIV Episcoporum et multorum Primatum regni, decerni jubet omnia decreta Hildebrandi Papæ irrita esse debere, ibique omnes præter paucos Hildebrandum abjurant, eumque Papatu abdicandum esse judicant. Hildebrandus contrà Imperatorem Romæ excommunicat, sub hoc obtentu ut Primates regni, quasi justa ex causa excommunicato Regi contradicant.... Omnes enim qui priùs Hildebrandum abjuraverant, perjurium perjurio cumulantes Imperatorem abjurant, et Rodulfum
D Ducem Burgundionum super se Regem statuunt, coronâ ei a Papa missâ, cui erat inscriptum : *Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodulpho....*

Romæ moritur Agnes Imperatrix, mater Henrici Regis. (*Ex eod. ms.*)

Anno MLXXVIII,... Hermannus Episcopus Hildebrando Papæ ad animam confœderatur, ac per hoc Imperatori rebellis Metensi urbe pellitur.

Ab hoc tempore cœpit reflorere in Ecclesia B. Quintini Belvacensi Canonicus ordo, primùm ab Apostolis, postea a B. Augustino Episcopo regulariter institutus, sub magistro Ivone venerabili ejusdem Ecclesiæ Præposito, postea Carnotensium Episcopo. (*E vett. edd.*)

Anno MLXXIX. Hoc anno incœptum est Cœnobium S. Salvatoris in insula quæ dicitur Aquicinctus, a viris illustribus Sichero videlicet atque Gualtero, qui Anselmum de Ribodimonte nobilissimum virum adeunt, et ab eo insulam,
E quia sui erat juris, deposcunt : at Anselmus sine dilatione gratis, quod petebatur, concessit. (*Ibid.*)

Henricus Imperator, in Pentecoste conventu habito Moguntiæ, decrevit Hildebrandum a Papatu esse deponendum, et Longobardiam petens, Guibertum Ravennæ Episcopum pro Hildebrando Papam designat.

Anno MLXXX, Hildebrandus Papa quasi divinitùs sibi revelatum prædixit, hoc anno falsum Regem esse moriturum. Et verum quidem prædixit; sed fefellit eum de falso Rege conjectura, secundùm suum velle super Henrico Rege interpretata.

(*a*) Ed. *Richarius,* malè, ex cod. Orteliano, in quo habetur : *Godefridus Gibbosus Dux Lotharingiæ, Antwerpiæ a Sicario per insidias graviter læsus, moritur. Henricus Imperator Conrado filio suo Ducatum Lotharingiæ, Marcham verò Andoverpensem Godefrido Eustachii Comitis Bononiæ filio, Godefridi Gibbosi ex Ida sorore nepoti, acri adolescenti tradidit.*

Digitized by Google

Rex enim Henricus Saxonibus gravi prælio congreditur, et in congressu falsus A
Rex Rodulfus cum multis Saxoniæ Principibus extinguitur....

Claret in Anglia Lanfrancus, doctrinâ et probitate conspicuus, ex Abbate Cadomensi ordinatus Cantuariæ Archiepiscopus. Eo tempore florebat in Normannia Anselmus, Beccensis Monasterii Abbas eximius, et pro sua sanctitate et sapientia plurimùm nomiñatus. (*E vett. edd.*)

Hoc etiam tempore, in Cœnobio S. Medardi pollebat signis et virtutibus vir beatissimus Arnulphus, qui pro miro sanctitatis fervore propositum reclusionis eligens, et arctâ nimis abstinentiâ se ipsum affligens, prophetiæ gratiam divinitùs accepit; et ex recluso Abbas hujus Monasterii factus, ad ipsam reclusionem pro contemptu mundi a desiderio internæ quietis postmodùm rediit. Suessonico autem Pontifice defuncto, electus est (*a*) ad Episcopatum, et jussu Papæ Gregorii a sedis Apostolicæ Legato, Hugone Lugdunensi Archiepiscopo, in Præsulem est B consecratus. (*Ibid.*)

In Gallia Herimannus, miles Herimanni [Metensis] Episcopi, coronâ sibi impositâ, post Rodulfum in Saxonia tyrannidem exercet....

Anno MLXXXIII, Henricus Imperator, Româ Leoninâ captâ, Romam obsidet. Condictâ inter Imperatorem et Papam die ad causam inter eos discernendam, cùm pax, dissimulante Papâ, inter eos non conveniret, Romani et multi Italiæ Episcopi a Papa desciscunt: qui fugiens ad Normannos se contulit.

Affligemense Cœnobium tale, auxiliante Deo, sumpsit exordium. Prædicante Wetherico servo Dei, qui quasi stella matutina in medio nebulæ effugandis obscuritatibus erroris apparuit, conversi quinque milites suis integrè renunciant. Inter quos Gerardus Niger, qui cæteris excellentior videbatur, doctoris sui consilio animatus, cum sociis locum *Afflighem* dictum, sicut nomine sic omni barbarie C incultum (quippe qui latrocinantium tantùm conventiculis aptus erat) ædificare et claustrum in eo exstruere aggreditur. (*Ex ms. Lips.*)

Anno MLXXXIV, Romani Imperatorem Henricum urbe recipiunt, et eorum judicio Hildebrandus Papa abdicatur, et Guibertus Ravennorum Archiepiscopus in sedem Apostolicam inthronizatus, Clemens nominatur: his qui pro Imperatore erant, contendentibus justè Hildebrandum esse depositum, tanquam majestatis reum, qui contra Imperatorem alium Regem ordinaverit, et rebellandi audaciam adsumserit; his autem qui contra sentiebant, reclamantibus universalem Papam non universali Concilio, paucorum judicio, laïcali censurâ, imperiali potentiâ non posse a Pontificatu amoveri; et quod gravius est, in loco viventis Episcopi aliquem suffectum contra canonicam auctoritatem agere, et cætera id genus. Henricus Rex Patricius Romanorum constituitur, et a Clemente in Impe- D
ratorem benedicitur.

Bruno, natione Teutonicus, ex urbe Colonia, litteris apprimè eruditus, Remensis Ecclesiæ Canonicus et scholarum magister, relicto sæculo, eremum Cartusiæ fundat, propositumque monasticæ conversionis satis arduum instituit. Hujus sancti propositi cooperator et æmulator, Episcopus beatæ memoriæ Hugo Gratianopolitanus Episcopus, ab eodem Brunone habitum monachicum sumpsit, cunctisque ibi habitantibus insigne exemplum præbuit. (*E vett. edd.*)

Comes Montensis Balduinus uxorem duxit Idam (*b*).

Anno MLXXXV, Henricus Imperator, Moguntiæ regali et synodali conventu coacto, exigit ab omnibus ut Hildebrandi depositionem et Guiberti ordinationem subscripto approbent: cui aliqui manu et ore faventes, corde tamen Hildebrando adhærebant. Herimannus Metensis, sibi absenti abjudicato Episcopatu, E
iterùm urbe pellitur. Imperator in Episcopatu Metensium alterum mercenarium supposuit, sed oves Christi non audiverunt voces alienorum....

Hildebrandus Papa, qui et Gregorius VII, apud Salernum exsulans moritur....

Anno MLXXXVI,... Hoc anno consecrata est Ecclesia Aquicinensis Cœnobii a Gerardo Cameracensi Episcopo. (*Ex. mss. Ortel. et Aquicin.*)

Cassinensium Abbas Desiderius, qui et Victor, CLXII contra Clementem fit Papa; sed disenteriâ dissolutus, non multò post moritur....

Richildis Flandrensium Comitissa obiit. Rotbertus Junior in partem regni a patre suo adsciscitur. (*Ex ms. Lips.*)

(*a*) Ab Episcopis Meldis congregatis, in locum Ursionis auctoritate regiâ assumpti.

(*b*) *Filiam Henrici Lovaniensis*, inquit Albericus.

Digitized by Google

A Affligemensis Cœnobii fundatores, qui, omnibus abjectis, ita nudi ad ædifi candum claustrum convenerant, ut nihil secum præter panes tres, dimidium caseum et pauca ferramenta detulerint, vix tribus annis exactis, a Gerardo Cameracensi Episcopo in honore Apostolorum Petri et Pauli Ecclesiam dedicari faciunt. Comitissa [Lovaniensis] Adela cum duobus filiis suis, Henrico et Godefrido, ad ædificandum inibi Cœnobium eumdem locum libertate donavit. (*Ex eod. codice.*)

Anno MLXXXVII,.... Sanctus Arnulphus, ex Abbate S. Medardi postmodùm etiam ad Pontificatum civitatis Suessonicæ promotus, pro pacis reintegratione inter Flandrenses Flandriam venit, atque in vico nomine *Aldenburch*, Ecclesiam S. Petri jam divinis miraculis illustratam, Cœnobium Monachorum fecit, ordinem regularis vitæ instituit, tandemque in eodem Monasterio et finem vitæ et sepulturam, secundùm quod ipse prædixerat, accepit. (*E vett. edd.*)

B Domnus Fulgentius Affligemensis Cœnobii primus Abbas hoc anno electus est in festivitate S. Martini. (*Ex ms. Lips.*)

Hugo Abbas Cluniacensis, pietate insignis, discretione præcipuus, sanctitate et religione clarus habetur. (*Ex eod. codice.*)

Obiit Alardus primus Abbas Aquicinensis Ecclesiæ: cui successit Alelmus ex Normannia de Cœnobio Becci. (*Ex ms. Aquic.*)

Anno MLXXXVIII,... Odo, ex Monacho Cluniacensi Episcopus Ostiensis, contra Imperatorem et Guibertum CLXIII fit Papa, et Urbanus nominatur. Hinc in Ecclesia scandala et in regno augescunt dissidia, dum alter ab altero dissidet, dum regnum et Sacerdotium dissentit, dum alter alterum excommunicat, alter alterius excommunicationem aut ex causæ aut ex personæ præjudicio contemnit; dumque alter in alterum excommunicandi auctoritate, magis ex suo libitu quàm ex justitiæ
C respectu abutitur, auctoritas illius qui dedit potestatem ligandi ac solvendi omninò despicitur. Nimirùm (ut pace omnium bonorum dixerim) hæc sola novitas (non dicam hæresis) necdum in mundo emerserat, ut Sacerdotes illius qui dixit Regi *Apostata*, et qui regnare facit hypocritam propter peccata populi, doceant populum quòd malis Regibus nullam debeant subjectionem; et licèt ei sacramentum fidelitatis fecerint, nullam tamen debeant fidelitatem, nec perjuri dicantur qui contra Regem senserint: imò qui Regi paruerit, pro excommunicato habeatur; qui contra Regem fecerit, a noxa injustitiæ et perjurii absolvatur.

Hoc anno Domnus Fulgentius primus Affligemensis Cœnobii Abbas consecratus est, in festivitate S. Gregorii. (*Ex ms. Lips.*)

Monasterium S. Joannis in Florinis concrematur, anno LXXII suæ consecrationis. (*Ibid.*)

D Obiit Alelmus secundus Abbas Aquicinensis Cœnobii: cui successit Haimericus Atrebatensis Monachus, litteris eruditus. (*Ex ms. Aquic.*)

Anno MLXXXIX, Godefrido, Godefridi Gibbosi ex sorore nepoti, tandem datur Ducatus Lotharingiæ.

Coloniæ post Siguinum Herimannus ordinatur Archiepiscopus.

Annus pestilens, maximè in occidentali parte Lotharingiæ, ubi multi sacro igne interiora consumente computrescentes, exesis membris instar carbonum nigrescentibus, aut miserabiliter moriuntur, aut manibus ac pedibus putrefactis truncati, miserabiliori vitæ reservantur, multi verò nervorum contractione distorti tormentantur.

Anno MXC, Herimannus tyrannus a Saxonia Lotharingiam repetens, ad concitandos regni motus laborat: qui dum muro castelli cujusdam incautè approxi-
E mat, jacto de turri saxo in capite percutitur, et moritur (*a*). Metis corpus Sancti Clementis, primi Episcopi ab Apostolis illic ordinati, inventum levatur.

(*a*) Hermanni Anticæsaris obitum ad annum 1087 retrahunt Helmoldus in chronico Slavico et Albertus Stadensis. Prioris hæc verba sunt. : *Saxones quoque, postquam de cæde vires recuperaverunt, statuerunt sibi Regem Hermannum quemdam cognomento* Clufloth, *et instauraverunt prælium adversùs Henricum Cæsarem; cùmque Saxonum novus Princeps, secundò potitus victoriâ castrum quoddam victor ingrederetur, contigit, miro Dei judicio, ut porta cardinibus avulsa Regem cum aliis quamplurimis attriverit, conatusque Saxonum etiam tum frustratus concidit, nec adjecerunt ultra novum creare Regem, nec arma ferre adversùs Henricum Cæsarem: videntes regnum ei conservari divinâ voluntate, approbante, sivepermittente.* Hæc Helmoldus, cujus phrasim de verbo ad verbum repetit Albertus Stadensis ad eumdem annum 1087. Bertholdus verò, cui concinunt auctor additionum ad Lambertum Schafnaburgensem, necnon plerique omnes Historici Germani, mortem Hermanni anno 1088 consignat his verbis : *Saxones a fidelitate S. Petri discedentes, Henricum, quem multoties abjuraverant, receperunt. Unde Hermannus Rex catholicus ab eis in Lotharingiam secessit, ibique non multò post viam universæ carnis arripuit, anno Dom. Incarn.* MLXXXVIII, *regni verò* VII, *Indict.* XII.

Digitized by Google

Herimannus Episcopus, permissu Imperatoris a Metensibus receptus, dum post prandium liberaliter celebratum in lecto se reclinasset, mortuus invenitur... A

Sterilitas frugum terræ augescit, et fames paulatim irrepit.

Eâ tempestate venit Aquicinctum quidam nomine Gelduinus, qui ex Monacho Laudunensi Abbas S. Michaëlis de Terrascia, relictâ Abbatiâ, ob amorem Domini reclusus efficitur Aquicincti. Sanctus Bernardus, postea primus Abbas Clarevallensis, nascitur in Burgundia. (*Ex ms. Aquic.*)

Anno MXCI,... bonæ memoriæ Henricus Leodicensium Episcopus, amator pacis et religionis, obiit, eique Otbertus ex Clero ejusdem Ecclesiæ succedit.

Anno MXCII,... domnus Ivo, S. Quintini Belvacensis Præpositus, a Papa Urbano consecratus fit Carnotensis Episcopus. (*E vett. edd.*)

Guillelmus Anglorum Rex, vir singularis censuræ et severitatis, obit (*a*) : Guillelmus filius ejus ei succedit. B

Westphali Fresoniam aggressi, omnes penè a Fresonibus perimuntur.

Obiit Tietmarus Abbas Gemelacensis : succedit Lietardus. (*Ex ms. Aquic.*)

Gerardus Episcopus Cameracensis obiit : Gualtherus ei succedit. (*Ibid.*)

Anno MXCIII, Conradus filius Imperatoris Henrici in Italia se ad patris sui adversarios contulit, et multis se a patre ad filium vertentibus, hæc res priores patris victorias multùm offuscat, et vires ejus attenuat....

Ecclesia S. Georgii Hesdiniensis traditur Ecclesiæ Aquicinctensi. (*Ibid.*)

Eodem anno, III Idus Octobris, obit Rotbertus primus hujus nominis, Flandriæ Marchisus : succedit filius ejus Rotbertus. (*Ex ms. Lips.*)

Lanfrancus Cantuariensis Ecclesiæ Archiepiscopus diem ultimum claudit : cui succedit Anselmus (*b*) vitâ et doctrinâ præcipuus, flos Præsulum, lux patriæ, per omnia imitator magistri, qui et diversa opuscula conscripsit. (*Ibid.*) C

Anno MXCIV, domnus Girardus Cameracensis Ecclesiæ Episcopus obiit : cui Gualcherus succedit ; sed ipso postea ab Episcopatu expulso, Manasses ordinatur Episcopus. (*E vett. edd.*)

In Gallia et Germania gravis hominum mortalitas facta est...

Anno MXCV, Elinandus bonæ memoriæ Laudunensis Episcopus obiit. Ingelrandus succedit Elinando. (*E vett. edd.*)

Fames diu concepta gravissimè ingravatur, et fit annus calamitosus, multis fame laborantibus, pauperibus per furta et incendia ditiores graviter vexantibus....

Henricus Comes Lovaniensis perimitur. (*c*)....

Urbanus, per Burgundiam et Franciam habitis Conciliis, Hildebrandi decreta renovat et confirmat, Philippum Regem Francorum, qui, vivente uxore suâ, superduxerat alterius viventis uxorem, excommunicat. D

Expulso ab Episcopatu Cameracensi Gualthero, Manasses ei succedit. Obiit Rainoldus Remensis Archiepiscopus. (*Ex ms. Aquic.*)

Hoc anno, sacro igne multi accenduntur, membris instar carbonum nigrescentibus. (*E vett. edd.*)

Anno MXCVI, Eclipsis lunæ facta est, III Idus Februarii : rursùm VII Idus Augusti, eclipsis lunæ facta est.

Occidentales populi, dolentes loca sancta Hierosolymorum a gentibus prophanari, Turcos etiam terminos Christianorum jam multa ex parte invasisse, innumerabiles unâ inspiratione moti, et multis signis sibi ostensis alii ab aliis animati, Duces, Comites, potentes, nobiles et ignobiles, divites, pauperes, liberi et servi, Episcopi, Clerici, Monachi, senes et juvenes, pueri et puellæ, omnes uno animo, nullum ullo angariante, undique concurrunt, ab Hispania, E a Provincia, ab Aquitania, a Britannia, a Scotia, ab Anglia, a Normannia, a Francia, a Lotharingia, a Burgundia, a Germania, a Longobardia, ab Apulia, et ab aliis regnis, virtute et signo sanctæ crucis signati et armati (*d*), ultum ire

(*a*) Rex Anglorum Guillelmus I, an. 1087 vitâ functus est.

(*b*) Hoc quidem anno Anselmus ad Cantuariensem Archiepiscopatum assumptus est. Lanfrancus verò an. 1089 e vivis excesserat.

(*c*) Albericus in chron. *Henricus Comes Lovaniensis, secundus hujus nominis, Tornaci perimitur. Succedit frater ejus Godefridus.*

(*d*) Baldricus Burguliensis Abbas : *Excessit*, inquit, *et medicina modum ; quia plus quàm debuit in quibusdam voluntas eundi Hierusalem subrepsit. Nam et multi Eremitæ et reclusi, domiciliis suis non sapienter relictis, viam perrexerunt ; quidam tamen orationis gratiâ, ab Abbatibus suis acceptâ licentiâ, profecti sunt, plures verò fugiendo se subduxerunt. Multi enim de gente plebeia crucem sibi divinitùs innatam jactitando ostentabant, quod et idem quædam de mulierculis præsumpserunt; quod omninò falsum fuisse deprehensum est. Alii verò ferrum calidum instar crucis sibi adhibuerunt, vel peste jactantiæ, vel bonæ voluntatis ostentatione.*

Digitized by Google

A parant injurias Dei in hostes Christiani nominis. Et quantò quisque hactenùs ad exercendam mundi malitiam erat pronior, tantò nunc ad exercendam ultrò Dei militiam fit promptior, firmissimâ pace interim ubique compositâ. Et primò Judæos in urbibus in quibus erant, aggressi, eos ad credendum in Christum compellunt, credere nolentes bonis privant, trucidant, urbibus eliminant. Aliqui Judæorum, zelo tenendæ patriæ legis ducti, se mutuò trucidant; alii ad tempus se credere simulantes, post ad judaismum revolvuntur. Eminebant in hoc Dei hostico Dux Lotharingiæ Godefridus et fratres ejus, Eustachius et Balduinus, Anselmus de Ribodimonte, Balduinus Comes Montensis, Robertus Comes Flandrensis, Stephanus Comes Blesensis, Hugo Magnus frater Philippi Regis Francorum, Robertus Comes Normannorum, Raymundus Comes S. Ægidii, Boiamundus Dux Apuliæ, et Tancredus nepos ejus (*a*). Horum omnium curam
B Apostolicâ auctoritate suscepit vir eximius Hamarus Podiensis Episcopus, eisque consilio et doctrinâ usque ad captam Antiochiam plurimùm proficuus fuit. Hujus etiam viæ incitator Petrus quidam Eremita fuit, qui usque ad captam Hierusalem in multis utilis cum exercitu Dei perseveravit.

Ida Boloniensium Comitissa, tradidit Affligemensibus Ecclesiam quæ est in villa Genapia, cum decimis et universis ejus reditibus, consentientibus filiis ejus Godefrido Duce, Eustachio et Balduino. Idem Godefridus Dux filius ejus, in eadem villa quinque mansos terræ Affligemensibus donavit, ad quos ipsa postea quasdam partes circumjacentes, planè unum continentes, in augmentum concessit. (*Ex ms. Lips.*)

Anno MXCVII, Cometes in Occidente apparuit totâ primâ hebdomadâ Octobris. Nimiâ aquarum inundatione Autumnalis satio impeditur, et sterilitas fru-
C gum terræ sequitur....

Anno MXCVIII,... Conradus Ultrajectensis Episcopus, feriâ quartâ Paschæ, post Missam a se celebratam a quodam suorum in domo sua perimitur.

In Episcopatu Lingonensi situm noscitur esse Cœnobium nomine Molismus, famâ celeberrimum, religione conspicuum. Hoc a sui exordio magnis sub brevi tempore divina clementia suæ gratiæ muneribus illustravit, viris illustribus nobilitavit, nec minùs amplum possessionibus quàm clarum virtutibus reddidit. Cæterùm possessionibus virtutibusque diuturna non solet esse societas. Hoc quidam ex illa sancta Congregatione viri nimirùm sapientes altiùs intelligentes, elegerunt potiùs studiis cœlestibus occupari, quàm terrenis implicari negotiis. Unde et mox virtutum amatores de paupertate fœcunda virorum cœperunt cogitare : simulque advertentes ibidem, etsi sanctè honestèque viveretur, minùs tamen pro
D sui desiderio atque proposito ipsam, quam professi fuerant, regulam observari, loquuntur alterutrum quod singulos monet, pariterque inter se tractant, qualiter illum versiculum adimpleant : *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.* Quid plura ? Unus et viginti Monachi, unà cum patre ipsius Monasterii, beato scilicet Roberto, egressi, communi consilio, communi perficere nituntur assensu, quod uno spiritu conceperant. Igitur post multos labores ac nimias difficultates, quas omnes in Christo piè vivere volentes pati necesse est, tandem desiderio potiti Cistercium devenerunt, locum tunc scilicet horroris et vastæ solitudinis. Sed milites Christi loci asperitatem ab arcto proposito, quod jam animo conceperant, non dissidere judicantes, ut verè sibi divinitùs præparatum tam gratum habuere locum, quàm carum propositum. Hoc igitur anno ab Incarnatione scilicet Domini MXCVIII, venerabilis Hugonis Lugdunensis Ecclesiæ Archiepiscopi, Apos-
E tolicæ sedis tum Legati, et religiosi viri Walterii Cabilonensis Episcopi, necnon et clarissimi Principis Odonis Burgundiæ Ducis freti consilio, auctoritate roborati, inventam eremum in Abbatiam construere cœperunt, præfato Abbate Roberto ab illius diœcesis Episcopo, videlicet Cabilonensis, suscipiente curam virgamque pastoralem, cæteris sub ipso in eodem loco firmantibus stabilitatem. At verò post non multùm temporis, factum est ut idem Abbas Robertus, requirentibus eum Monachis Molismensibus, Papæ Urbani secundi jussu, Walterii Cabilonensis Episcopi licentiâ et assensu, Molismum reduceretur, et Albericus, vir

(*a*) *Cum istis fuerunt*, inquit Albericus, *Rotroldus Comes de Pertico, Arpinus Comes Bituricensis, Renardus Comes Tullensis, Ludovicus Comes de Montione, Cono Comes de Monte acuto Leodiensis diœcesis, et Lambertus filius ejus Comes de Claromonte; Hiscellinus Comes de Grandi-prato, frater Rogerii Comitis Porcensis, Anselmus de Ribodimonte, Thomas de* Coci.

Digitized by Google

religiosus et sanctus, in ipsius loco substitueretur : hoc sanè inter utramque Ecclesiam sequestro pacis gratiâ retento et Apostolicâ auctoritate confirmato, ut ex eo jam tempore neutra earum utriuslibet Monachum ad habitandum sine commendatione regulari susciperet. Quo facto, novum Monasterium novi patris sollicitudine et industriâ in brevi et non mediocriter, Deo cooperante, in sancta conversatione profecit, opinione claruit, rebus necessariis crevit. (*E vett. edd.*) A

Multis in locis, v Kal. Octobris, cœlum quasi ardere visum est nocturno tempore, et secuta est animalium gravis pestilentia, et segetes nimio imbre et ærugine corruptæ sunt....

Anno MXCIX, Coloniæ post Herimannum (*a*) Fridericus ordinatur Archiepisc.

Christianis Turcas fortiter debellantibus, eorumque urbes et castella sibi bellando vendicantibus, contigit apud quoddam munitissimum castrum nomine Archas, a Hierusalem octo mansionibus situm, multos eorum perire, cum quibus et Anselmus de Ribodimonte lapide percussus in capite occubuit, hoc solùm post acceptum vulnus ter verbum repetens, *Deus adjuva me.* Erat autem vir prudentissimus et exercitui satis utilis, atque erga B. Martyrem Quintinum adeò devotus, ut singulis annis solemnitatem ejusdem Martyris die suo, Clericis undecumque congregatis, contra se celebrari faceret, eisque post peractum officium copiosam refectionis mensam pararet.... (*E vett édd.*) B

Sanctus Guibertus in Cœnobio Gemmelacensi a se fundato, ad sepulcrum suum magnis clarescit miraculis....

Anno MC, Guibertus et Urbanus (*b*), qui de Papatu Romano contendebant, moriendo finem faciunt suæ contentionis. Raginerus, qui et Paschalis (*c*), Romanæ Ecclesiæ CLXIV præsidet.

Godefridus Dux Lothariensium et Princeps Hierosolymitanorum moritur : Balduinus frater ejus in Principatu ei succedit. C

Guillelmus Rex Angliæ moritur, eique succedit in regno frater ejus Henricus.

Robertus Comes Flandrensis ab Hierosolymis repatrians (*d*), detulit secum brachium S. Georgii Martyris, quod Ecclesiæ Aquicinensi transmisit [per venerandum Haimericum Abbatem ipsius loci, illatum Aquicincti XII Kal. Julii].

Anno MCI, Conradus filius Henrici Imperatoris, adhuc patri rebellis, in Italia moritur. Henricus Imperator Henricum Lemburgensem adversantem sibi debellat, et expugnatis ejus castellis, eum ad deditionem cogit; sed Imperator ei multâ summâ gratiam suam redimenti, etiam Ducatum Lotharingiæ donat (*e*).

Anselmus Laudunensis, doctor doctorum, præclarus habetur : qui non sibi soli

(*a*) Herimanni obitum ac Frederici successoris ordinationem eidem anno cum Sigeberto Dodechinus, chronicon Wirtzeburgense, necnon Magnum Chronicon Belgicum assignant. Morkens verò (*Conat. chronol. ad catal. Archiep. Coloniensium*) sedem Coloniensem, Herimanno Augusti die 22 an. 1099 demortuo, ad an. usque 1101 propter electorum dissidia vacasse, nullâ quam quidem proferat auctoritate fultus, asserit.

(*b*) Urbanus II, quem constat legitimum fuisse Pontificem, an. 1099, IV Kal. Augusti, vitæ finem imposuit.

(*c*) Ibidem ad an. 1105, excerptum exhibetur epistolæ Henrico Imp. directæ a Guarnero Principe Anconitano, quâ Paschalis electio simoniæ labe aspergebatur invidiosè : « Ob hoc Romani se subtrahentes ab ejus communione, factis inter se Conciliis cum Episcopis et Cardinalibus, monebant eum ut de tanta infamia se spontè purgaret. Quod cùm Rainerus ferret indignè, et se magis ad furorem quàm ad satisfactionem accenderet, et accusatoribus tormenta et mortem intentaret ; Romani eum verè hæreticum et schismaticum protestantes, protulerunt in eum sententiam justæ damnationis. Præeminebat inter Romanos quidam Maginolfus Archipresbyter, qui, quia erat laudabilis vitæ et in utraque scientia apprimè eruditus, longo tempore prælatus Romano Clero, diligebatur a cuncto Romano populo, tanquam pater a filiis. Cùm etiam hic zelo Dei accensus contestaretur publicè Rainerum esse hæreticum, tunc verò omnes ferè Romani conclamabant, Rainerum ut simoniacum esse deponendum, Maginolfum verò ut veritatis testem esse substituendum in sede Apostolica. At Maginolfus et insidias hominum et onus Apostolici honoris fugiens, in munitissimum locum se contulit. Berto verò, caput et rector Romanæ militiæ, quasi causâ audiendi verbi vitæ ad eum accedens, cum expeditione Cleri et populi eum inde extraxit, et ad Warnerum Principem Anconæ, in Tiburtinam urbem adduxit, et sic electus III Nonas Novembris in sedem Apostolicam promotus, et Silvester IV appellatus est. (*hic tertius Paschali Papæ, duobus de medio factis, oppositus est.*) Paschalis Papa interim transiens ad Gallias (an. 1106) exercet Synodales causas ; et non apparente notâ simoniæ a Romanis sibi injustè injectâ, honoratur Apostolicâ dignitate. At Maginulfus invasionis reus, non multò post reprobatur a Romanis, et fama nominis ejus evanuit ».

(*d*) Codex Lips. *Rotbertus Comes Flandriæ, desideratus a multis, acquisitâ sibi multâ laude sæcularis militiæ, redit de via Domini. Multi similiter ante eum et post redierunt, plurimis cum Rege supradicto Hierosolymæ vel Antiochiæ, et in cæteris civitatibus Deo acquisitis, remanentibus.*

(*e*) *Iste Henricus Lemburgensis*, inquit Albericus, *filius fuit illius Galleranni, de quo supra an.* 1064. Ad eum nempe annum sic habet : *Adala Comitissa Arelunæ vel Arelensis, id est castrum de* Erlans, *quod tempore paganorum fuit civitas, soror Sigisfridi fuit, filia scilicet Ducis Theodorici. Hæc autem Adala Comitissa duos habuit filios, Fulconem et Galerannum. Fulco verò genuit Comitem Fredericum et Beatricem, qui ambo mortui sunt sine liberis, et jacent apud S. Hubertum in Ardenna. Galeranus verò per uxorem suam cœpit habere dominium ultra Mosam prope Leodium, et inchoavit ædificare castrum de* Lemborch.

Digitized by Google

A laboravit, sed in vita sua multos erudiens, post mortem posteros beatos fecit, quos scriptis suis ditavit. (*Ex ms. Lips.*)

Bruno, Cartusiani Ordinis institutor, moritur in Calabria. (*Ibid.*)

Anno MCII, Roberto Flandrensium Comite inquietante urbem Cameracum, Henricus Imperator contra eum proficiscitur, et aliquibus ejus castellis expugnatis, asperitate instantis hyemis redire compellitur.

Obiit Haimericus, tertius Abbas Aquicinensis, cui successit Gelduinus. (*Ex ms. Aquic.*)

Anno MCIII,... Legiæ generali conventu habito, Robertus Comes Flandrensium in gratiam Imperatorum recipitur....

Anno MCV,... filius Imperatoris Henrici a patre aversus, quoscumque potest ab eo avertit, et sub obtentu meliorandæ Reipublicæ et restaurandæ Ecclesiæ in
B eum insurgit....

Manasses Cameracensis Episcopus cùm accepisset Monachicum habitum, Odo primus Abbas ex Cœnobio S. Martini Tornacensis Ecclesiæ in Episcopatu ei successit. (*Ex mss. Aquic. et Ortel.*)

Immunitas Affligemensis Ecclesiæ etiam Apostolicâ auctoritate a Paschali Papa corroboratur, anno VI Pontificatûs ejus. (*Ex ms. Lips.*)

Anno MCVI,... Henricus Imperatoris filius, contra jus naturæ et fas legum in patrem insurgens, quàm indignè eum tractaverit, declarat epistola (*a*) ex ore ipsius patris scripta ad Philippum Regem Francorum....

Toto tempore mensis Februarii cometes apparuit. Imperatore Henrico morante Leodii, filius ejus Aquisgranum venit, et volens venire Leodium contra patrem suum, quintâ feriâ Dominicæ Cœnæ præmisit suos præoccupare
C pontem apud Vuisatum *, ne quis venienti sibi obstaret. Sed militibus patris concurrentibus ad occupandum pontem, milites filii a ponte repelluntur, aliis eorum captis, aliis in Mosam demersis, aliis occisis, inter quos Bruno Comes occisus est : sicque filius contra patrem veniens rediit inglorius. Coloniensibus fidem Imperatori servantibus, et eorum Archiepiscopo filium Imperatoris contra patrem suum animante, Colonia obsessa oppugnatur, sed non expugnatur. Interim Henricus Imperator Leodii moritur, eique succedit filius æquivocus ejus.

* *Viset.*

Dux [Lotharingiæ] Henricus, qui ab Imperatore ad filium ejus animo transiens, eum contra patrem suum consilio suo armavit, et a filio ad patrem rediens partes filii debellavit, mortuo Imperatore, se ut reum majestatis filio Regis dedit, et ab eo captus custodiæ traditur, de qua ipse per industriam suam evasit. Ducatus ejus datur Godefrido Lovaniensi Comiti.

D Mense Septembri, Robertus Comes Nortmanniæ, fratrem Henricum Regem Angliæ dum bello aggreditur, multis utrimque interfectis, idem Robertus a suis traditus et captus in Angliam ducitur, et carceri includitur. (*Ex ms. Lips. vulgatis accuratiore, qui hæc ad an.* 1107 *retrahunt.*)

Anno MCVII, Henricus Exdux [Lotharingiæ] affectans repetere Ducatum, occupat oppidum Aquisgrani contra Godefridum Ducem. Sed hoc non ferens Godefridus, oppidum Aquense violenter irrupuit, oppidanos a facie Henrici exterruit, aliquos potentes Comites et multos nobiles cepit; ipse Henricus cum filiis suis vix fugâ evasit (*b*), uxorem ejus capere Dux indignum duxit, Comites et honoratiores eorum quos ceperat, per conditionem sub se militandi sibi conciliatos, ad fidelitatem suam adduxit...

Albericus Abbas Cistercii supernæ vocationis bravium, ad quod ibidem
E per novem annos non in vacuum cucurrit, decimo apprehendit (*c*). Cui successit domnus Stephanus, homo natione Anglicus, religionis, paupertatis, disciplinæque regularis ardentissimus amator, fidelissimus æmulator... (*E vett. edd.*)

Anno MCVIII, Henricus Imperator contra Robertum Flandrensium Comitem vadit, et pacto pacis magis utrimque simulato quàm composito, penè inefficax redit....

(*a*) Eam epistolam olim edendam curabimus.

(*b*) Subjungit Albericus : *Iste Henricus Lemburgensis qui Ducatum perdidit, filius fuit antiqui Valeranni* (ut supra dictum est) *et filium habuit Paganum nomine, qui similiter pro Comitatu contra Lovanienses decertavit. Similiter filius ejusdem Pagani Henricus, qui tandem filiam suam dedit tertio Godefrido de Lovanio, et ita discordia temporum quievit.*

(*c*) Duobus annis Sigebertus Alberici obitum antevertit, quem an. 1109 contigisse sic demonstrat Mabillonius. (*Annal. Bened.* L. 71. n°. 76.) Cisterciensi Monasterio mense Martio an. 1098 inchoato, unum annum præfuit Robertus Molismensis Abbas. Albericus ejus successor annos ferè decem, id est, *novem annos et dimidium*, ut habet *Exordium parvum Cisterciense* cap. 18, mortuus die 26 Januarii ex libro 6. cap. ultimo *Exordii magni*, adeòque an. 1109 ineunte.

Digitized by Google

Anno MCIX,.... Philippus Rex Francorum (*a*) obiit. Ludovicus filius ejus post eum regnat annis XXVIII. A

Obiit etiam Anselmus Archiepiscopus Cantuariæ, qui nonnulla opuscula scripsit utilia, sicut descriptio vitæ ejus commemorat.

Obiit etiam Hugo vir sanctus, Abbas Cluniacensis, cui successit Pontius.

Hoc anno sacro igne multi accenduntur, membris instar carbonum nigrescentibus. (*E vett. edd.*)

Hoc etiam anno Gelduinus, quarto loco Aquicincti Abbas, fastidiens onus regiminis, potiùsque eligens otium olim actæ reclusionis, reliquit curam animarum, et iterùm effectus est reclusus apud S. Bertinum : cui successit in cura pastorali Rotbertus, ejusdem Cœnobii Monachus. (*Ex ms. Aquic.*)

Anno MCX,... in mense Julio cometes apparuit, radios dirigens ad Austrum, multis conjicientibus hoc signo portendi futuram Regis Henrici V expeditionem Italiam versùs... B

Anno MCXI, Henricus quintus hujus nominis Rex, Romam vadit propter sedandam discordiam quæ erat inter regnum et sacerdotium : quæ cœpta a Papa Gregorio VII, qui et Hildebrandus nominatus est, et exagitata a successoribus ejus Victore et Urbano, et præ omnibus a Paschali, magno scandalo erat toti mundo....

Quid vel quomodo inter Papam et Regem convenerit, cùm multa a multis dicantur, hoc tantùm a nobis dicetur, quod in epistola (*b*) ab ipso Rege scripta

(*a*) An. 1108, die 29 Julii, Philippus I Rex Francorum obiit.

(*b*) Apologeticam Regis epistolam, cujus hìc habes summam, recitat Dodechinus ad an. 1110, apud Pistorium, his verbis :

« *Henricus Dei gratiâ Romanorum Imperator Augustus, omnibus Christi fidelibus in Ecclesia.* Notum » esse volumus dilectioni et discretioni vestræ ea » quæ inter nos et dominum illum Paschalem » erant, quomodò incœpta tractata sint, scilicet » de conventione inter me et ipsum, de traditione Romanorum in me et meos, ut audita intelligatis, intellecta examinetis, examinata dijudicetis. Igitur cùm in eo totus essem, ut me » ad Ecclesiæ utilitatem et ipsius votum, si justum esset, componerem, cœpit exaltationem et » dilatationem regni super omnes antecessores meos » promittere. Studebat tamen subdolè quomodo » regnum et Ecclesiam a statu suo discinderet, » tractare : quod sic facere aggressus est. Regno » quidem jam a Carolo 400 et ampliùs annis, et » sub 63 Apostolicis investituras Episcopatuum, » eorumdem auctoritate et privilegiorum firmitate tenenti, absque omni audientia auferre » volebat. Et cùm per nuncios nostros ab eo quæreremus, quid de nobis fieret, in quo regnum » nostrum constat, quomodo ferè omnia antecessores nostri Ecclesiis concesserunt et tradiderunt ? respondit : *Fratres, Ecclesiæ decimis et oblationibus contentæ sint; Rex verò prædia et regalia, quæ a Carolo et Ludovico, Othone et Henrico Ecclesiis collata sunt, sibi et successoribus suis recipiat et detineat.* Ad hoc cùm nostri responderent, nos quidem nolle violentiam Ecclesiis inferre, nec ista subtrahendo tot sacrilegia incurrere : fiducialiter promisit et sacramento pro eo » firmavit, Dominicâ, *Esto mihi*, se omnia hæc » cum justitia et auctoritate Ecclesiis auferre, nobisque et regno cum justitia et auctoritate reddere ; nostris itidem firmantibus, si hoc ut promissum est ita complesset (quod tamen nullo » modo fieri posse sciebat) me quoque, uti quærebat, investituras Ecclesiarum resignaturum, » sicut in charta conventionis plenius poteris » videre.

» Hæc est charta conventionis ejus ad me : *Dominus Papa præcipiet Episcopis præsentibus in die coronationis Regis, ut dimittant regalia regno, quæ ad regnum pertinebant tempore Caroli, Henrici et aliorum prædecessorum ejus, et scripto firmabit sub anathemate, ne quis eorum vel præsentium, vel absentium, vel successorum eorum, intromittant se ullo modo vel invadant eadem regalia, id est civitates, Ducatus, Marchias, Comitatus, Monetas, teloneum, mercatum, advocatias, omnia jura Centurionum, id est, villicorum turres et villas quæ regni erant, cum omnibus pertinentiis suis, militiam et castra. Nec ipse Regem et regnum super his ulteriùs inquietabit, sed privilegio suo sub anathemate confirmabit, ne posteri sui inquietare præsumant; Regem benignè et honorificè suscipiet, et more prædecessorum suorum catholicorum scienter, non subtracto coronabit, et ad tenendum regnum cum his omnibus officii sui auxilio adjuvabit. Si dominus Papa hæc Regi non adimpleverit, ego Petrus Leonis juro quòd totâ potentiâ meâ tenebo ad dominum Regem; obsides autem, nisi effugerint, reddemus altero die post coronationem Regis. Si per Papam remanserit ut non coronetur, similiter reddemus Dominico die, cùm Rex ad processionem venerit. Obsides dabo Gratianum filium meum, et filium Vizonis filii, et filium sororis meæ, si eum habere potero.*

» Hæc sunt sacramenta ex parte domini Papæ ; » *Ego Petrus Leonis juro vobis, quòd dominus Papa proximo die Dominico adimplebit Regi quod in charta conventionis scriptum est.*

» Hæc sunt sacramenta ex parte Regis : *Ego Comes Hermannus, ego Comes Gotfridus, ego Volmarus, ego Adelbertus, juro vobis quia dominus Rex proximâ quartâ vel quintâ feriâ, ita Principes jurare faciet et obsides dabit, sicut in charta conventionis scriptum est; et sic observabunt domino Papæ, eo tenore, si dominus Papa proximo die Dominico sic adimpleverit Regi per omnia, sicut in charta conventionis scriptum est.*

» Ego verò, ut ostenderem nullam Ecclesiarum » Dei disturbationem ex velle nostro procedere, » in cunctorum oculis adstantium et auribus hoc » decretum promulgavi : *Ego Henricus Dei gratiâ Romanorum Imperator Augustus, affirmando B. Petro, omnibus Episcopis et Abbatibus, et omnibus Ecclesiis, omnia quæ antecessores mei Reges, vel etiam Imperatores eis concesserunt vel tradiderunt, et quæ illi pro spe æternæ retributionis obtulerunt, do. Ego peccator pro timore terribilis judicii ullo modo subtrahere recuso.*

» Hoc decreto a me lecto et subscripto, petii » ab eo ut, sicut in charta conventionis ejus » scriptum est, mihi adimpleret. Quum ergo supradictæ postulationi insisterem, scilicet ut cum » justitia et auctoritate promissa mihi conventione » firmiter (*fortè* firmaret) ; universis in faciem » ejus resistentibus, et decreto suo palàm hæresim » inclamantibus, scilicet Episcopis, Abbatibus, » tam suis quàm nostris, et omnibus Ecclesiæ filiis, hoc, si salvâ pace Ecclesiæ dici potest, » privilegium proferre noluit. (*Sequitur privilegium juxta pacta conventa digestum.*)

» De traditione verò in nos vel in nostros, sic » se res habet. Vix portas civitatis ingressi sumus,

legimus

Digitized by Google

A legimus. Instabat omnimodis Papa ut averteret Regem a potestate dandi Episcopatus vel Abbatias, nec per annulum, nec per virgam. Regi quærenti per internuncios a Papa, his omnibus sibi ablatis, quomodo constaret regnum, quoniam ferè omnia regalia antecessores sui concesserant et tradiderant Ecclesiis; respondit : « Sacerdotes decimis Ecclesiæ et oblationibus contenti sint; Rex » verò omnia prædia et regalia, quæ a Regibus collata sunt Ecclesiis, recipiat, » et detineat sibi et successoribus suis ». Rege per internuncios respondente, se nolle violentiam et injustitiam inferre Ecclesiis; promisit Papa, et suis pro se jurantibus affirmavit, se Dominicâ instantis Quinquagesimæ omnia regalia, cum justitia et auctoritate Apostolica, ab Episcopis et Ecclesiis auferre, et regno reddere, id est, civitates, Ducatus, Marchias, Comitatus, monetas, telonea, advocatias, omnia jura centurionum vel villicorum, curtes et villas cum om-
B nibus pertinentiis suis quæ regni erant, militiam et castra. Hanc conventionem in charta descriptam Regi dedit, hoc addens quòd ipse Regem et regnum ampliùs non inquietaret, et privilegio sub anathemate confirmaret, ne posteri sui eum inquietare præsumant; Regem benignè et honorificè susciperet, eumque in Imperatorem coronaret, et ad tenendum imperium auxilio officii sui adjuvaret. Pro his omnibus implendis Papa Regi obsides dedit. Internuncii Regis, quamvis scirent hoc nullo modo posse fieri, affirmaverunt, si Papa hæc compleret, Regem quoque investituras Ecclesiarum, uti quærebat, refutaturum.

Hac spe promissionum Regi Romam tendenti Paschalis Papa primò per suos, postea ipse cum primoribus Romanorum extra urbem occurrit, nullamque causam resistendi ostenderunt. Vix civitatis portas ingressus erat, cùm, militibus ejus intra civitatis mœnia securè vagantibus, alii vulnerati, alii occisi, omnes verò
C penè capti aut spoliati sunt. Rex tamen quasi pro levi causa non motus, tranquillâ mente usque ad januas Ecclesiæ B. Petri Apostoli cum processione pervenit. Ubi volens ostendere nullam Ecclesiarum Dei disturbationem ex suo velle procedere, in oculis et auribus omnium adstantium hoc decretum promulgavit : « Ego Henricus, Imperator Augustus, adfirmo Deo et S. Petro, et omnibus » Episcopis et Abbatibus, et omnibus Ecclesiis, omnia quæ antecessores mei » Reges vel Imperatores concesserunt; vel quoquo modo tradiderunt Deo, » ego nullo modo subtrahere volo ».

Hoc decreto lecto et subscripto, petiit a Papa ut adimpleret ei quod in charta conditionis scriptum erat. Ipse etiam Rex conventionem suam ad Papam firmavit, jurantibus quatuor Comitibus, quòd proximâ IV vel V feriâ Rex Principes suos amicitiam jurare faceret, et obsides daret, eo tenore, si Papa
D proximo Dominico die adimpleret Regi per omnia, quod in charta conventionis ejus scriptum erat. Cùm ergo Rex insisteret, ut Papa cum justitia et auctoritate promissam sibi conventionem de reddendis sibi regalibus confirmaret; universis tam suis quàm nostris, scilicet Episcopis, Abbatibus, et universis Ecclesiæ filiis in faciem ei resistentibus, et decreto suo plenam hæresim inclamantibus, voluit Papa, si salvâ pace Ecclesiæ potuisset, hoc privilegium proferre, ne Sacerdotes, Abbates aut Clerici sæcularibus occupentur, neve ad Comitatum accedant, nisi pro damnatis eruendis; neve militiam exerceant, quæ vix aut nullo modo sine rapinis, sacrilegiis, incendiis et homicidiis exhibentur, neve ministri altaris fiant ministri curiæ, neve accipiant a Regibus ad regnum pertinentia. Regi autem sive Imperatori censuit esse dimittenda omnia ad regnum pertinentia, a tempore Karoli Magni et cæterorum Imperatorum, interdicens
E sub anathemate, ne quisquam Episcoporum invadat ad regnum pertinentia. Interdixit etiam sub anathemate, ne illi qui post eum in Apostolica sede sessuri sunt, audeant Regem aut regnum ejus inquietare super hoc negotio.

In reconciliatione autem quæ facta est inter Imperatorem et Papam (nam ipsum Papam cum Episcopis et Cardinalibus ceperat) die Paschæ Henrico, in Imperatorem coronato, post lectum Evangelium, tradidit ei Papa ante altare Apostolorum Petri et Pauli, in oculis omnium Principum, privilegium de investitura Episcopatuum et Abbatiarum tam per annulum quàm per virgam,

» cùm nostris infra muri mœnia securè vagantibus, quidam vulnerati, alteri interfecti, omnes verò spoliati aut capti sunt. Ego tamen quasi pro levi causa non motus, bonâ et tranquillâ mente usque ad Ecclesiæ B. Petri januas cum processione perveni. Quod sic gestum fuisse rei veritas, multorum astipulata testimoniis qui interfuere, protestatur ».

Digitized by Google

scilicet ut Regni ejus Episcopis vel Abbatibus, liberè præter violentiam et simoniam electis, investituram virgæ et annuli conferat; post investitionem verò canonicè consecrationem accipiant ab Episcopo ad quem pertinuerit. (*E vett. edd.*) A

Robertus secundus Flandrensium Comes, in expeditione Ludovici Regis Francorum mortuus Atrebati sepelitur. Succedit filius ejus Balduinus. (*Ex ms. Lips.*)

Robertus Aquicinensis Cœnobii quintus Abbas, ægrè ferens insectatione quorumdam sæcularium vexari Ecclesiam sibi creditam, simul quia hoc ei imputabatur, consilio accepto, dimisit Abbatiam, succedente ei Domno Alviso. (*Ex mss. Aquic. et Ortel.*)

Anno MCXII, Deo peccatis hominum offenso, multa eveniunt hoc anno. In monte Castriloci Ecclesia S. Waldetrudis, cum aliis duabus Ecclesiis minoribus et cum toto penè oppido crematur. Ecclesia S. Michaëlis de Periculo maris fulgurata divinitùs arsit cum ædificiis appendentibus sibi. B

Waldricus Episcopus Laudunensis, cives ipsius urbis a sacramento perperam juratæ communitatis revocare nisus, a seditiosis ad arma concurrentibus (quod dictu nefas est) gladio confossus interiit, feriâ quintâ hebdomadæ Paschalis, VII Kal. Maii, in Litania majore. Tumultuante etiam impetu confusæ multitudinis, domus Episcopi succenditur : unde etiam ipsa mater Ecclesia S. Mariæ et Ecclesia S. Joannis Baptistæ in Abbatia Monialium, cum aliis Ecclesiis omnibus ex vicino appendentibus concremantur. In auctores seditionis a Rege Francorum tam severè est vindicatum, ut tam præsentes quàm futuros a simili scelere deterrere possit exemplum. [Sed et antequam ista gererentur, violata fuerat eadem Ecclesia sanctæ Dei genitricis proditione et homicidio cujusdam nobilissimi militis, nomine Gerardi, qui erat dominus castri quod vocatur Charisiacus, quem in oratione positum ante sacram Christi imaginem homines ipsius Episcopi, factâ conjuratione, occiderunt. *E vett. edd.*] C

Mense Maio, siligines et arbores sacro igne adustæ, fructus sui spem sunt mentitæ, et quædam silvæ insuper arefactæ. Subsecuta est hominum valetudo gravis et diuturna, cum profluvio ventris et mortalitate.

Domnus Sigebertus venerabilis Monachus Gemblacensis Cœnobii, vir in scientia litterarum incomparabilis ingenii, descriptor præcedentium in hoc libro temporum, III Nonas Octobris obiit : qui etiam librum illustrium virorum, et multa alia doctrinæ suæ et librorum monumenta nobis reliquit. (*Ex ms. Gemblac.*)

EX ANSELMI (*a*) GEMBLACENSIS ABBATIS D

CHRONICO SEU APPENDICE AD SIGEBERTUM.

ANNO MCXIII, domnus Abbas Lietardus, II Nonas Februarii obit : cui Anselmus octavo loco in Gemblacensi Cœnobio succedit. Feriâ tertiâ hebdomadæ Paschalis, VI Idus Aprilis, Monasterium Prumiæ arsit cum officinis suis, thesauro et bibliothecâ Ecclesiæ per Dei providentiam durantibus illæsis. In pago Bracbatensi IX Kal. Maii circa Tornacum nix tanta cecidit, ut et silvas fregerit....

Anno MCXIV, Henricus Imperator Moguntiæ uxorem ducit [Mathildem] filiam Henrici Regis Anglorum.

Concilium a Conone Prænestino Episcopo et Romanæ Ecclesiæ Legato, Bellovaci celebratum est. (*E ms. Ortel. seu Valcellensi.*) E

Anno MCXV,... Tanchelinus hæreticus, qui Andoverpiam, Walacriam, et circumjacentes insulas et maritima loca in partibus illis, multis hæresibus infecerat, occiditur. (*Ibid.*)

Castrum *Encres,* Hugone Camdavenâ pulso, qui illud usurpaverat, Balduinus Comes Flandriæ cepit, et Karolo consobrino suo dedit. (*Ibid.*)

Lambertus Episcopus Atrebatensis moritur. Petrus Eremita ex Siria reversus apud Huyum moritur, et sepelitur in Monasterio a se fundato ad Mosam fluvium. Clara-vallis fundatur, cujus primus Abbas fuit Sanctus Bernardus. (*Ibid.*)...

(*a*) Obiit Anselmus anno 1136. Ejus chronicon simul cum Auctariis sequentibus edidit Miræus Antuerpiæ, *in*-4°. an. 1608.

Digitized by Google

A Anno MCXVII,... Tertio Idus Decembris ad mediam noctem, lucentibus stellis, cœlo sereno, XIII luna eclipsim passa est, et contracto orbe, multis coloribus, sed maximè sanguineo, penè integrâ horâ suffusa est....

Balduinus Comes Flandrensis, quia Hugo Camdavena terram ejus, ubi poterat, rapinis et incendiis vastabat, castrum S. Paulli obsedit : et Eustachio Comite Boloniæ mediante, Hugoni reconciliatus rediit. (*E ms. Ortel.*)

Anno MCXVIII, Balduinus II Rex Hierusalem moritur, frater Godefridi Ducis Lotharingorum et primi Regis Hierosolymitarum. Fuerunt autem filii Eustachii Comitis de Bolonia, ex Ida sorore Godefridi Gibbosi Ducis Lotharingorum : quibus de medio factis, tertius regnat Balduinus, filius Hugonis Comitis de Reitesta *. * Rhetel.

Paschalis Papa moritur, succedit Joannes Cajetanus qui et Gelasium se nominat.... At Imperator, quia electioni non interfuerat, nec ordinationi consensit;
B sed aliquibus Romanorum adnitentibus, Hispanum quemdam, Burdinum nomine, Clericum (*a*) ei superordinari fecit. Joannes interim transiens ad Gallias per Burgundiam et Gothiam, quæ provincia S. Ægidii dicitur, agit synodales causas.

Anno MCXIX, Joannes Cajetanus, qui et Gelasius Papa, Cluniaci moritur et sepelitur. Consensu omnium Episcoporum, tam Germanniæ quàm Galliæ, cum Romanis habito, domnus Guido Viennensis Archiepiscopus in Papam eligitur, et Callistus nomine designatus, Cluniaci benedicitur. Postea mediante Octobri mense, Remis synodum congregans, multos in utroque regno Episcopos consecrat : inter quos etiam domnus Fredericus in Episcopum Leodicensium inungitur. Interim Henricus Imperator Ivosium (*b*) venit, et dum pro reconciliatione regni et Sacerdotii, legatio nunc a Rege ad Papam vadit, nunc a Papa ad Regem vicissim redit, dissensu quorumdam invidorum lux pacis turbatur, et Imperator
C cum suis faventibus excommunicatur.

Balduinus Comes Flandriæ, Callisti Papæ ex sorore nepos, obiit (*c*).

Cono Prænestinus Episcopus et Legatus Apostolicus synodum Coloniæ celebrat, et Henrici Imperatoris excommunicationem promulgat. Huic synodo interfuit Norbertus, postea Præmonstratensis Ordinis institutor, tunc recenter conversus, in peregrino habitu. (*E ms. Ortel.*)

Anno MCXX, domnus Papa Callistus Romam proficiscens, ab omni Senatu et populari turbâ gloriosè excipitur, et in sede Apostolica confirmatur....

Henricus Rex Anglorum Ducis Godefridi filiam Atheleidam sibi conjugio sociat, et Reginam in Anglia constituit : qui Rex magnâ prudentiâ rexit imperium suum, omnes quoque tyrannorum motus miro ingenio compescuit, et largâ manu Dei Ecclesias ditavit. (*Ex ms. Lips.*)

D Anno MCXXI, domnus Fredericus Leodicensium Episcopus obit *. Ad cujus * 21 Maii.
sepulcrum multa signa a plerisque conspiciuntur....

Bartholomæus Laudunensis Episcopus et Norbertus Abbas Præmonstratam Ecclesiam fundant. Norberto Coloniâ cum Sanctorum reliquiis redeunti Ermensendis Comitissa Namurcensis offert Ecclesiam in villa sua Floreffia, ad Fratres in ea collocandos. (*Ex cod. Ortel.*)

Anno MCXXII,... Heinricus Imperator Pascha Domini Aquisgrani celebrat, deinde Leodium contendit. Hic querelâ apud eum factâ de insolentiis cujusdam Gothuini, castrum ejus quod Mons-Falconis dicitur, adnitente sibi Godefrido Duce, obsidet, capit, incendit et destruit.

Ecclesia Hannoniensis cum omnibus appendiciis suis, seditione Advocati sui, cum tota villa crematur, salvo tamen thesauro et bibliothecâ. Turonis etiam
E contentione ortâ inter Clericos et laïcos, Ecclesia S. Martini penitùs est combusta....

Anno MCXXIII, domnus Adelbero, ex Clero S. Stephani Mettensis electus, Leodicensium ordinatur Episcopus....

Anno MCXXIV, hiems solito acerbior, et aggestu nivis sæpiùs decidentis nimis horrida et importuna. Multi enim pauperum infantes et mulieres asperitate frigoris defecerunt. Mortalitas quoque animalium maxima....

(*a*) Imò Bracarensem Archiepiscopum.

(*b*) *Ivois* propè Mosonem (*Mouson*) quò Callisti Legatos e Remensi Concilio ad Imperatorem accessisse compertum est, ex Sugerio, Orderico Vitali, et ipso Mosomensi chronico.

(*c*) Ms. cod. Lipsianus ad an. 1118 habet : *Balduinus Comes, Roberti junioris et Clementiæ filius, XXVI ætatis suæ anno Monachus effectus, absque hærede moritur et apud S. Bertinum sepelitur. Cui succedit consobrinus ejus Karolus, filius scilicet amitæ illius, Athelæ nomine, quem suscepit de Kanuto Rege Daniæ.*

Digitized by Google

Callistus Papa, qui et Guido, moritur : succedit Lambertus, qui et Honorius, A
Ostiensis Episcopus.

Canonici Andoverpenses a Godefrido Bullonio, Duce Lotharingiæ et Marchione Andoverpensi fundati, Norberto et sociis ejus templum S. Michaëlis cedunt, et inde ad ædem B. Mariæ Virginis migrant. (*E ms. Ortel.*)

Anno MCXXV,... Ecclesia S. Dionysii in Brocorensi silva, VII Kal. Maii, in festo S. Marci, primo crepusculo noctis cum omnibus appendiciis et tota villa penitùs concrematur, salvo tamen thesauro et armario.

Henricus Imperator Leodii Pascha Domini celebrat : inde Aquas contendens, morbo dracunculi qui sibi erat nativus, molestari cœpit, propter quod et ibi aliquot dies remoratus est. Deinde Noumaiam * venit, postea quasi Pentecosten celebraturus Ultrajectum ; sed cùm per dies languor ingravesceret, tandem feriâ v in Pentecoste vitam cum regno amisit.... B

*Neumagum.

Viconiense Monasterium apud Valentinianas inchoatur, quod inter Præmonstratensia est pulcherrimum. (*E. ms. Ortel.*)

Anno MCXXVII, Rex Lotharius.... Aquas-grani venit in Theophania. Ibi legati Comitis Morinorum Karoli, scilicet Castellanus Gandæ et Abbas S. Petri ad eum venerunt, nunciantes dominum suum Comitem subjectionem se ei facturum. Verumtamen Lotharingi Principes ab ejus præsentia abstinuerunt ; sub nova enim potestate semper res novæ convertuntur : quod illicò et ibi patuit; nam Aquenses oppidani et Rex non benè assenserunt, sed satis injuriosè se tractaverunt. De Rege autem et Frederico Duce, quomodo se habeant, non satis compertum ; quia pro voluntate faventium et contradicentium res extenuantur aut extolluntur. (*Ex mss. Gemblac. et Aquic.*)

Anathema in medio terræ, facinus audax et indignum, omnibus sanctis vindi- C
candum : ecce enim solutus Satanas terras perambulat. Flandria et Burgundia longo terrarum situ disjectæ conjurant in apostasia proditoris Judæ. Quidam Flandrensium Proceres dominum suum Carolum Comitem Morinorum, Brugis in templo S. Donatiani psalmos canentem, jugulant. Unus atque idem Satanas uno eodemque die simile nefas præsumit in Burgundia. Damnaticii quidam, dum diffidunt suæ saluti, utpotè rei majestatis, dominum suum Guilielmum Comitem Sedunensium gladiis confodiunt, in quadam Ecclesia ante altare orantem. Actum secundâ hebdomadâ Quadragesimæ, feria III, Kal. Martii (*a*). Homicidæ hac illac diffugientes, diversis injuriis et digno sibi satis fine perierunt (*b*). Comitatus Morinorum a Ludovico Rege Francorum datus Guilielmo filio Rotberti Comitis Northmanniæ, fratris Guilielmi Regis Anglorum. Hunc Rotbertum olim ab Hierosolymis redeuntem, eò quòd præstitam pecuniam rehibere nequibat, D
idem frater suus Guilielmus Rex Anglorum Northmanniâ expulerat, et eam sibi subjugaverat, fratremque in Anglia in custodiam liberam redegerat (*c*)....

Cœnobium S. Hugberti in Arduenna Nonis Julii, primo conticinio noctis, cum omnibus appendiciis combustum est, salvo tamen thesauro et armario....

Balduinus Gandensis, inter primos Flandriæ et Brabantiæ Princeps, sæculo renuncians tonsuratur, defunctusque in templo Affligemi sepelitur. (*Ex ms. Lips.*)

Anno MCXXVIII, domnus Adelbero Episcopus Leodicensium obiit.... Domnus Alexander Archidiaconus ex Clero S. Lamberti, XV Kal. Aprilis, Leodicensium consecratur Episcopus....

Ortâ seditione et dissidio inter Guilielmum Comitem et Morinos, annitentibus Equitio et Daniele Majoribus Flandriæ, accersitur Theodericus filius Theoderici Ducis Alsatiæ, nepos Rotberti Comitis Flandriæ ex sorore Gertrude. Sed E
dum Godefridus Dux Lovaniensis Guilielmo Comiti auxiliaretur, congressio facta est utriusque exercitûs ante castellum quod dicitur *Alost*. Ibi Guilielmus Comes quemdam militem aggrediens monomachiâ, in dextro brachio lanceatur, et

(*a*) Guillelmus III, cognomine *Puer*, Burgundiæ superioris Comes, quæ provincia tunc temporis a Rheno versùs Basileam ad Isaram usque flumen Allobrogum protendebatur, maximamque complectebatur Helvetiorum partem, Paterniaci (*Payerne*) uno ante Carolum Flandriæ Comitem die interfectus est. Hunc enim feriâ IV secundæ hebdomadis Quadragesimæ neci datum esse testantur cæteri scriptores, unum si excipias Andrensem chronographum, qui Anselmum hoc loco ad verbum descripsit.

(*b*) Addit chronicon Andrense, *per industriam Ludovici Regis Francorum*.

(*c*) Guillelmus Angliæ Rex, cui Robertus frater Normanniæ Ducatum in Palestinam profecturus oppignoraverat, ante hujus reditum e vivis fuerat ereptus. Henricus, Guillelmi successor alterque Roberti frater, hunc in prælio Tenerchebraico victum Ducatu ac libertate privavit.

Digitized by Google

A subrepente dracunculo, quinto die moritur (*a*). Comitatus Morinorum Theoderico datur a Rege Francorum Ludowico ; quia cognatus ejus erat ex matertera Gertrude....

Hoc anno Cœnobium de Dunis in Flandria construi cœpit a domno Fulcone, primo ipsius loci Abbate. (*Ex. ms. Lips.*)

Anno MCXXIX.... Prælium apud Duratium inter Alexandrum Leodicensem Episcopum et Godefridum Lovaniensem Comitem, in quo tanta strages fuit, ut peditum utrimque octingenti et viginti quatuor numero insimul oppetierint, exceptis his qui fugientes, in segetibus vel in silvis vulnerati perierunt, et his qui in aquis præfocati sunt, et his qui ad sua regressi, incertis horis et diebus mortui sunt. Horum summa non potuit colligi. Actum VII Idus Augusti, feriâ IV.

Remis hoc anno in Pascha Ludowicus Rex Francorum elevavit in Regem
B filium suum post se, in præsentia omnium Episcoporum et Abbatum regni sui....

Hoc anno plaga ignis divini Carnotum, Parisios, Suessionem, Cameracum, Atrebatum, et alia multa loca mirabiliter pervadit; sed mirabiliùs per sanctam Dei genitricem Mariam exstinguitur. Juvenes etenim, senes cum junioribus, virgines etiam teneræ, in pedibus, in manibus, in mamillis, et quod graviùs est, in genis exuruntur, et celeriter exstinguuntur (*b*)....

Anno MCXXX,... Lambertus, qui et Honorius Papa, moritur : Romanæ Ecclesiæ pax interpolatur, altercantibus duobus de sede Apostolica, quodam Gregorio, et altero Petro-Leonis, gente Romano, Monacho Cluniacensi. Gregorius privilegium electionis ab Honorio Papa adhuc vivente, consensu quorumdam Cardinalium sibi usurpat: Petrus altitudine sanguinis glorians, domum Crescentis invadit, cædibus hominum, rapinis, incendiis grassatur. Gregorius
C [seu Innocentius] veritus potentiam Petri, profugus a S. Paulo in Spoleto, emenso mari, tandem apud S. Ægidium appulit. Postea venit in Burgundiam, et a Cluniaco excipitur, et favore omnium Francorum celebratur. Deinde Lotharius Rex Alemanniæ quorumdam suorum Episcoporum ambitione delinitus, legationem a Francis de Gregorio benignè honorat, et in ejus electione conjurat.

Peronæ Ecclesia S. Fursei penitùs comburitur. Fulco Comes Andegavensis fit Rex Hierusalem. Ecclesia S. Petri in Lovanio crematur cum toto oppido.....

Anno MCXXXI, Gregorius multo comitatu Episcoporum et Abbatum a Francia exiens in Lotharingiam transiit, et Dominicâ tertiâ Quadragesimæ, quæ est XI Kal. Aprilis, Leodium venit. Ibi a Lothario Rege Alemanniæ et multis Episcopis et Abbatibus, tam Lotharingis quàm trans-renensibus, muneribus honoratur, tota civitas in obsequio fervet, salutationibus et epulis vacat. Dominicâ
D in medio Quadragesimæ, Gregorius cum curribus et rhedis ab Ecclesia S. Martini in publico monte, quasi Romæ viâ triumphali, usque ad Capitolium sancti Lamberti ascendit, Missam celebrat, Regem et Reginam coronat, Presbyteros conjugatos excommunicat. Existimati sunt a quibusdam XXXII Episcopi adfuisse, et Abbates LIII.

Civitas Ultrajectum ex maxima parte concrematur, scilicet palatium Episcopi, et major Ecclesia S. Martini, et altera S. Bonifacii, et tertia S. Mariæ.

Hugo Candavena, exortis inimicitiis contra oppidanos S. Richarii in pago Pontivo, totum oppidum cum Ecclesia S. Richarii penitùs combussit: in qua Ecclesia aliquot Monachi, et inæstimabilis multitudo promiscui sexûs (quod dictu nefas est) simul concremata periit.

Gregorius, qui et Innocentius Papa, Remis post festum S. Lucæ Evangelistæ
E Concilium habuit cum Episcopis et Abbatibus trecentis, mediante Francorum Rege Ludovico, cum filio qui secundus erat natu. Nam primus antea coronatus tunc fortè Parisius venerat, et, ut fertur, a dæmone in specie porci ludificatus,

(*a*) Albericus : *malè (ut putatur) a medio potionatus repentè moritur : sed unde, nescitur.*

(*b*) Hugo Farsitus, ab Alberico citatus : « In » pago Suessionensi, *inquit*, potestati adversæ » concessum est percutere plagâ invisibili multos » diversæ ætatis et sexûs, ita ut semel succensa » eorum corpora cum intolerabili cruciatu arderent. Est autem morbus hic tabificus ; sed extensâ liventi cute, carnem ab ossibus separans » et absumens, et morâ temporis augmenta doloris et ardoris capiens, per singula momenta » cogit miseros mori, sed desiderantibus mortem » non venit, donec depastis artubus, ignis ille » celer et pestifer invasit membra mortalia. Et » quod valdè mirum est, ignis hic sine calore » validus ad consumendum, tanto frigore velut » glaciali perfundit miserabiles, ut nullis remediis possint calefieri. Item quod non minùs mirum est, ex quo divinâ gratiâ restinctus fuit, » fugato mortali frigore, tantus calor in eisdem » partibus ægros pervadit, ut morbus cancri eidem calori persæpè se societ, nisi medicamentis » occurratur ».

Digitized by Google

dum hac illac equum girat, subitò corruit exanimis. Unde pater valdè mœstus A
Remos adveniens, secundum natu filium secum advexit, et a Papa inungi et benedici et coronari in Regem impetravit.

Defuncto Roberto Atrebatensi Episcopo, successit ei in Pontificatu Alvisus Aquicinensis Ecclesiæ sextus Abbas, vir magnæ religionis et singularis severitatis : cui in Aquicinensi Ecclesia substituitur Gotuinus * septimus Abbas. (*Ex ms. Aquiç.*)

* Gozuinus.

Milo Abbas S. Judoci in nemore, Ordinis Præmonstratensis, xv Kal. Martii consecratur Teruanensis Episcopus. (*Ibid.*)

Hoc anno inceptum est Monasterium S. Mariæ Valcellensis Ecclesiæ in agro Cameracensi. In Aurea-valle apud Treveros B. Bernardus sui Ordinis Monachos collocat. (*Ex ms. Ortel.*)

Anno MCXXXII,.... Rex Lotharius, collectis viribus, Romam vadit cum In- B
nocentio Papa....

S. Hugo Gratianopolitanus Episcopus transiit : cujus vitam virtutibus plenam Guigo venerabilis Cartusiæ Prior, præcepto Innocentii Papæ, eleganti stilo descripsit. (*Ex ms. Ortel.*)

Conventus Monachorum cum Abbate suo Radulfo ex Anglia oriundo, venit ad locum qui vocatur *Valcelle* (*a*) Kalendis Augusti : hos adduxit B. Bernardus Abbas Clarevallensis. (*Ibid.*)

Anno MCXXXIII, quarto Nonas Augusti, lunâ XXVII, meridie, facta est eclipsis solis ferè dimidiâ horâ, et stellæ visæ sunt in cœlo....

S. Mariæ Ecclesia Teruanensis dedicata est a quatuor Episcopis, scilicet Milone ipsius civitatis Episcopo, Guarino Ambianensi, Simone Noviomensi ac Tornacensi, et Alviso Atrebatensi. (*Ex ms. Ortel.*) C

Anno MCXXXIV,... Iste annus præ nimia siccitate satis calamitosus, quia avenæ, hordea et legumina proventum suum nimis sunt ementita.

Theobaldus Comes Blesiensis sive Carnotensis, præ cunctis Principibus Galliæ magno pondere justitiæ eminet in Francia; religiosis Monachis et Clericis pius ac familiaris, Ecclesiæ defensor, pauperum adjutor, mœrentium consolator, in commerciis negotiatorum cautus et discretus, in reis et a recto deviantibus ultor et vindex.

Kalendis Octobribus, intempestæ noctis silentio, motus magnus factus est in mari, ita ut littora sua præteriret, et tamen in se iterùm resideret. Sequenti verò nocte, primo crepusculo, cum omni impetu terminos egrediens, omnia circumquaque, id est, villas, castella, Ecclesias ita pessumdedit, ut tres Comitatus, id est, Walecras et *Wales* et *Brebant* * cum homine et pecore, penitùs D
exterminaret.

* Bebant.

Hoc anno cœpit ædificari Eremus Montis Dei, x Kal. Junii....

Anno MCXXXVI, Cœnobium S. Vedasti Atrebatensis concrematur, cum claustro et officinis et magna oppidi parte : nec meminit aliquis nostrâ ætate, tot villas, tot civitates, tot castra, oppida vel municipia concremata fortuito igne, quot in hujus anni spatio combusta esse referuntur.

Domnus Alexander Leodicensium Episcopus moritur.

(*a*) In compendio ms. fr. Gaspardi de *Soif* super Abbatum Valcellensium gestis, a D. *Mutte* Decano Cameracensi communicato, idem legitur in hunc modum : « Anno Incarnationis Verbi MCXXXII, » Indict. X, Innocentio Papa II sedi Apostolicæ » præsidente, Lothario Augusto æquè II Roma- » num imperium gubernante, Ludovico Philippi » filio in Francia, Henrico Willelmi Regis filio » in Anglia regnantibus; Rainaldo Archiepiscopo » Remensem, Lietardo Cameracensem regenti- » bus; Radulfo in Viromandia, Theoderico in » Flandria Præsidatum agentibus, sub die I Ka- » lendarum Augustarum, quando videlicet solem- » nitas B. Petri ad Vincula celebratur, venit con- » ventus Monachorum cum Abbate suo nomine » Radulfo, a Claravalle ad hunc locum qui vo- » catur *Vacelle*; quos adduxit beatæ memoriæ » domnus Bernardus primus Abbas Clarevallensis » Cœnobii.... Occurrerunt autem eis ad eumdem » locum fundatores istius Cœnobii et eos cum » magno gaudio susceperunt : Hugo (d'*Oisy*) sci- » licet vir illustris, Castellanus Cameracensis, et » honorabilis conjux illius nomine Heldiardis, » et filius eorum Simon cum sororibus suis Cle- » mentia, Mathilde, Ermengarde, Adelina at- » que Maria. Isti multique alii, inter quos Radulfus » de *Rumelli* et Ada uxor ejus, Gerardus de Bu- » signiis maritus præfatæ Ermengardis, et Egidius » filius eorum, Hugo quoque de *Hununcurt* et » Walterus filius ejus; sed et Robertus Lupus de » *Bantusiel*, præ omnibus autem excellentiùs et » affectuosiùs Domnus Nicolaus Cameracensis » Episcopus, suprascripti Episcopi Liethardi de- » positi successor, locum istum amare, honorare » atque... ditare studuerunt ».

Digitized by Google

A

EX AUCTARIO (*a*) GEMBLACENSI

Ab anno 1136 *ad annum* 1149.

Anselmus VIII Abbas Gemmelacensis Cœnobii obiit * : qui adhuc juvenis, etsi corpore invalidus, tamen erga Dei cultum et scripturarum exercitium erat strenuus. Hic chronicam istam a fine chronicæ a Sigeberto Gemblacensis Ecclesiæ Monacho descriptæ ad hunc usque annum produxit, et visa vel a fidelibus relatoribus audita posterorum notitiæ dereliquit. * An. 1136.

Discordiæ malum quia perniciosum sit omnibus, plus jam nostris tribulationibus quàm in codicibus legimus. Cùm enim Monachi cum oppidanis, oppidani cum Monachis non concordarent in substituendi Abbatis electione; ad hoc usque processit malum discordiæ, ut Godefridus Dux Lovaniensis et Comes Namucensis [itidem Godefridus], rupto pacis fœdere, hostiliter inter se concertarent multo tempore. Erat autem cernere miseriam, et omnium rerum deprædationem violentissimam, homicidia sæpissimè fieri, villas cum habitatoribus concremari, in tantum ut Gemblacensi oppido cum parochiana Ecclesia combusto, cum maximo inhabitantium periculo, Dei clementia majus Monasterium, quod est contiguum, undique grassante incendio, jam succensum miro restinxerit modo. Vicini enim fluminis alveus rivo suo magna ex parte subitò est evacuatus, ita ut arenæ ejus cernerentur a circumcursantibus, et his qui resistebant hostibus: ejusque aqua superfusa Monasterio in modum pluviæ, incendium omne restinxit Dei virtute. Ne cui autem videatur hoc incredibile, multæ hoc hodièque attestantur non solùm laïcales, sed ecclesiasticæ personæ.

Ludovicus Rex Francorum obiit *; filius ejus æquivocus succedit.... * An. 1137.

Mons Castrilocus cum templo S. Waldetrudis et toto pœnè oppido concrematur. Domnus Adelbero, ex Clero Mettensi assumptus, datur Leodicensium Episcopus (*b*).

Monasterium S. Dionysii in *Brokoroth* * comburitur, cum claustro et omnibus appendiciis et oppido, vix anno XII anterioris combustionis expleto.... * *Broqueroi.*

Anno MCXXXVII,... Petrus Leonis decessit ex hac vita, qui sedem Apostolicam retinere conabatur cum violentia. Ecclesiæ Dei et Gregorio Papæ pax est reddita, et cessarunt seditiones et prælia.

Arnulfus ex Monacho S. Nicasii Remensis datur Abbas Gemblacensis....

Guilelmus Dux Aquitaniæ et Comes Pictavensis, filiam quam hæredem habebat, Ludovico filio Regis Francorum moriens sponsam dereliquit: ad quam ducendam filius Regis profectus, interim patre Rege defuncto, in regno stabilitur, et regnum Franciæ et Ducatus Aquitaniæ copulantur. (*Ex ms. Ortel.*)

Abbas Fulco domum suum de Dunis et domum de *Claromaresch* *, quam sibi inchoaverat, in Capitulo Clarevallensi sub manu domni Bernardi, Ordini Cisterciensi die S. Petronillæ virginis tradidit. (*Ex eod. cod.*) * *Clairmarais.*

Anno MCXXXVIII,... Rainaldus Remensis Archiepiscopus obiit. (*Ibid.*)

Fulco Abbas Dunensis officium Abbatis dimisit, et domnus Robertus Brugensis Abbas Dunis constituitur. (*Ibid.*)

Anno MCXXXIX, Godefridus Lovaniensis, Dux Lothariensium, magnum patriæ suæ decus, vir suo tempore et temporĩ et honori sciens se decenter conformare, moritur (*c*), et Affligemensis templi sepulturâ honoratur. Conradus tertius Rex hujus nominis Godefridum, filium Godefridi Ducis, facit paterni honoris successorem, ea maximè pro causa, quia suæ conjugis sororem ei dederat uxorem....

Dejecta est vetusta Einhamensis apud Flandrenses Ecclesia, et incœpta est

(*a*) Hujus Auctarii scriptor Monachus est Gemblacensis, illorum temporum æqualis, cujus hæc ad lectorem præfatiuncula legitur ad an. 1137. *B. Gregorius dicit inconveniens esse, ea quæ carent gravitatis soliditate, in libris congerere... Hoc exemplo nos de multis quæ contingunt, conscribimus pauca, sed eminentiora: ut habeatur secundùm legem chronicæ rerum gestarum breviter digesta veritas, et caveatur inutilis et undecumque congesta prolixitas.*

(*b*) *Anno* MCXXXV, inquit breve chronicon Leodiense, *Albero Metensium Primicerius Leodiensis Episcopus eligitur*; quod de anno 1136 a Januarii Kalendis inchoato accipiendum est, si Leodiensem sedem vacasse annum propè ab obitu Alexandri præcedentis Episcopi, anno 1135, die VI Julii demortui, vel ab ejus recessu, qui paulò ante contigit, Fiseno et Fullonio concedatur.

(*c*) Anno 1140 a Januarii Kalendis inito, die 15 hujus mensis, e vivis excessit Dux Godefridus cognomento magnus.

Digitized by Google

nova a Snellardo Abbate. Ab isto anno cœpit fames, duodecim annos perdurans. A (*E ms. Ortel.*)

Anno MCXL, Eclipsis solis facta est IV Nonas (*a*) Aprilis : advesperascente jam die, et cœlo serenissimo existente, sol quasi tetro velamine, videbatur circumfusus eclipsicâ caligine.

Exortâ discordiâ inter Adelberonem Episcopum Leodicensem et Heinricum Comitem Namucensem, multa hinc inde contigerunt mala, prædæ et incendia, cædes et homicidia. Caussa hujus discordiæ : Comes Namucensis ex improviso aggressus oppidum quod Fossis * dicitur, quia nomen tale sibi dat situs ipse loci, multis captis aut occisis, multâ prædâ abductâ, oppidum totum cum Monasterio B. Foillani combussit, ædificia lapidea quæcumque eminentiora erant, destruxit.

* Fossæ vel Vossua in Lomacensi pago.

Heinricus Comes Lemburgensis dolens se privatum honore Ducatûs, quem pater suus habuerat, Godefrido Duci rebellis erat, contiguos sibi possessionum B ejus' reditus invadebat, et sicubi prævalebat, nulli amicorum ejus parcebat. Godefridus Dux graviter ferens insolentiam ejus, oppidum S. Trudonis cum multo equitum peditumque exercitu obsedit, cives ad deditionem coegit, obsides promissæ sibi fidelitatis accepit. Deinde cum eodem exercitu progressus, et Aquas-grani oppidum ingressus, cum multo potentatu per biduum in sede judiciaria resedit; exactiones, quas Ducem Lotharingiæ exigere decebat, exegit, oppidanos suæ fidelitati astrinxit, et ne Heinrici Comitis fautores essent, ostentatione potentiæ suæ deterruit.

Heinricus Comes, filius Godefridi Ducis superiore anno defuncti, militiæ cingulo deposito, Affligemensis Monachus factus, cœlestis militiæ signaculum accepit, et citò vocatus a Deo, migravit. (*Ex ms. Lips.*)

Samson Carnotensis Ecclesiæ Præpositus, Remorum ordinatur Archiepiscopus. C (*E ms. Ortel.*)

Anno MCXLI,... Adelbero hujus nomine II Leodicensium Episcopus, dolens fraudulentâ invasione Comitis Raginoldi [Barrensis Comitis] jam per VII annos violenter retineri castrum Bullonium, quod cum omnibus appendiciis suis Otbertus Episcopus multâ summâ argenti acquisierat Episcopio Leodicensi; nec ferens tantum honoris et commodi ad præsens sibi et in posterum auferri Ecclesiæ Dei, opportunitatem exspectabat, quâ justè repeteret quod Ecclesia injustè amiserat. Deus autem, qui ei ad hoc dederat affectum, bonæ voluntati ejus dedit effectum. Inspectâ enim opportunitate, castrum obsedit cum multa equitum peditumque multitudine : plus tamen de divino quàm de humano confidens auxilio, corpus B. Lamberti ad locum obsidionis jussit deferri, sic sperans quod inchoaverat prosperari et accelerari. Nec frustratus est spe suâ. In paucis enim D diebus castrum recepit cum Dei et S. Lamberti auxilio, quod multo tempore, multorum labore nimio, vix longa reddidisset obsidio (*b*)....

Hugo, Prior Ecclesiæ S. Victoris Parisiensis, multa Ecclesiæ sanctæ utilia scripta relinquens, diem obiit. (*Ex ms. Ortel.*)

Anno MCXLII,... Rex Francorum frequenter admonens, et per se et per legatos suos, Thietbaldum Comitem Blesiensium, ne violenter invaderet et retineret aliena, cùm ei satis superque possent sufficere propria, animadvertit ea quæ admonendo dicebat, surdis auribus audiri, decrevitque pugnando agere, ne posset contemni. Denique cum multo comitatu aggressus castrum ejus quod Vitreiacum dicitur, oppidanos et milites sibi resistentes aut cepit aut occidit. Oppido succenso, in tantum ignis excrevit, ut etiam castrum quod in eo erat valdè munitum, cum multo inhabitantium periculo concremarit. In hoc prælio E vel incendio capti, cæsi aut concremati, ad mille quingentos sunt æstimati (*c*)....

Godefridus Junior II Dux Lotharingiæ, quarto anno sui Ducatûs immaturâ morte præripitur; hepaticâ passione consumptus, Lovanii in templo tumulatur. Succedit filius ejus æquivocus, primum adhuc agens ætatis annum (*d*).

(*a*) Imò XIII Kal. Aprilis, seu die 20 Martii, contigit hæc solis Eclipsis.

(*b*) « Non est prætereundum, *inquit Albericus ad* » *an.* 1142, quòd prædictus Comes Barrensis Rai» naldus Papam per Henricum Cancellarium, et Im» peratorem per domesticos suos ad partem suam » ita attraxerit, ut ab omni genere humano, tam se» culari quàm ecclesiastico, causa Leodiensis Eccle» siæ fuerit destituta; et ita miraculosè in adventu » B. Lamberti castrum recepit Episcopus, quòd » unus de duobus filiis Ducis, qui erat in » castro, in insaniam versus mortuus est; alter verò » Rainaldus minor, Deo permittente, evasit inco» lumis ».

(*c*) Addit chronicon Andrense : *Quo facto Theobaldus Comes valdè exacerbatus, Principes Francorum quos poterat a Regis avertebat amicitia.*

(*d*) Cùm Quadragesimæ tempore, ut aliàs ostendemus, Godefridi junioris mors contigerit, ad an. 1143 more nostro computatum referenda est.

Anno

Digitized by Google

A Anno MCXLIII, regnum Francorum magnam patitur perturbationem bellorum per discordiam Regis et Principum, inter quos eminebat Thietbaldus Comes Blesiensium.

Conradus Rex concessit filio Godefridi Ducis junioris adhuc parvulo, quidquid beneficii vel honoris antecessores ejus habuerant de manu Imperatoris....

Gregorius Papa, qui et Innocentius, obiit : Wido, qui et Cœlestinus Papa, succedit.

Anno MCXLIV,.... Wido, qui et Cœlestinus, Romanæ Ecclesiæ præsidens obiit : Gerardus, qui et Lucius Papa, successit.

Fames gravissima hoc anno multos afflixit, et multos panis penuria pauperavit... Triticæ messis maturitas et collectio provenit tardiùs solito; quia, nimietate pluviæ impediente, vix potuerunt messores VIII Kal. Septembris metere, quod ali-
B quoties vidimus eos VIII Kal. Augusti messuisse....

Rex Francorum sciens quia perturbatio capitis perturbatio est membrorum, ut sedaret perturbationes regni sui, acquievit confœderari Thietbaldo Blesiensium Comiti (*a*)....

Anno MCXLV,... Gerardus, qui et Lucius Papa, obiit : Bernardus, qui et Eugenius, ei successit.

Remis in Cœnobio B. Remigii B. Gibrianus Scottus multis claret virtutibus, et multo populi concursu frequentatur.

Adelbero Leodicensis Episcopus vitâ decessit. Heinricus assumptus ex Clero S. Lamberti, secundus hujus nominis Præsul, ei succedit....

Northmanni, qui subditi fuerant Heinrico Regi Anglorum, parvipendentes successorem ejus Stephanum, subdunt se regimini Comitis Andegavensium....

C Obiit Iwainus de *Alost.* (*Ex ms. Ortel.*)

Anno MCXLVI, hæresis Eunitarum intra Britannias pullulat. Horum Princeps erat quidam perversæ mentis, Eunus * nomine : qui cùm esset idiota, et ipsos apices litterarum vix agnosceret, tamen polluto ore de divinis tractabat et disputabat. Hic nefario ausu, absque sacris ordinibus, Missas celebrabat indignè, ad errorem et subversionem perditorum hominum : Episcopos etiam et Archiepiscopos suis, qui sibi adhærebant, ordinabat. Multa quoque alia faciebat scelerata et divinæ legi contraria. Ad postremum diabolico spiritu completus, in tantam prorupit insaniam, ut diceret et credi cogeret se esse filium Dei, affirmans se esse eum, per quem Sacerdotes in Ecclesia generalem collectam solent terminare dicendo : *per eumdem Dominum nostrum.* Quanta autem turpia et execrabilia agant in abscondito hæretici isti, qui vocantur Eunitæ, id est sequaces Euni, bonum
D est silentio tegere, ne horrorem incutiant, vel etiam errorem generent infirmis auditoribus.

* *Eon.*

Fames gravissima jamdiu concepta in tantum longè latèque prævaluit, ut excrescentem pauperum multitudinem nullatenùs sine magno gravamine sustentare possent hi, qui respectu Dei vel pietatis affectu manum misericordiæ porrigebant eis. Multos etiam qui victu et aliis necessariis abundabant, malum famis ad mendicitatem deduxit.

Occidentales Christiani dolentes de subversione urbis Edessæ, quæ et *Rohaiz* dicitur, quam Pagani superiore anno vastantes, cultum Christianitatis in ea omni spurcitiarum genere contaminaverant; pro his, inquam, omnibus justo dolore commoti, uno animo, pari consensu, ad debellandos eos proficisci deliberant. In tantum autem erant omnes prompti et alacres ad hanc profectionem, ut et
E Conradus Rex Teutoniæ et Ludovicus Rex Franciæ, religiosorum virorum et præcipuè Bernardi Abbatis Clarevallensis monitis animati, et ipsi prompto animo ad hanc expeditionem sese accingerent.

Tornacensis Ecclesia, quæ per quingentos et ampliùs annos Episcopis Noviomensis Ecclesiæ commendata fuerat, proprium Episcopum Anselmum nomine ab Eugenio III Papa recepit, Bernardo Abbate Clarevallensi inter alios procurante. (*Ex ms. Ortel.*)

Anno MCXLVII,... Multi Christianorum per mare Anglicum profecti ad debellandos Saracenos, tandem emenso mari, in Gallitiam apud S. Jacobum applicuerunt : et inde moventes exercitum, pervenerunt ad urbem Saracenorum potentissimam, quæ Ulissibona dicitur. Ubi vario eventu cum Saracenis dimi-

(*a*) Albericus : *Sic mediante Bernardo Abbate pacificati sunt.*

Digitized by Google

cantes, adjuvante Domino, potiti sunt victoriâ; et occisis vel exterminatis A
Saracenis, urbem ipsam et omnem in circuitu viciniam quietè possederunt.

Eclipsis solis facta est circa horam tertiam diei, VII Kal. Novembris : necdum quoque ad purum redintegrato solari lumine, sed adhuc circumfuso eclipsicâ caligine, stellam in aëre conspicabilem multi suspexerunt. Fuerunt et alii qui dixerunt se in ipso orbe solis majestatem divinam vidisse, eo modo quo a pictoribus in libris depingi solet....

Anno MCXLVIII, Conradus et Ludowicus Reges, qui superiore anno cum infinito exercitu fuerant trans mare, ut Paganos debellarent, nihil prosperè fecerunt; sed tantis exercitus eorum attritus est infortuniis, tum fame, tum mortalitate, tum ferro hostium, ut de tot millibus tam copiosæ multitudinis vix pauci repatriaverint. Et quamvis occulto, quo nescitur, Dei judicio hæc acciderint, constat tamen quia in hostico illo multa scelera, multa illicita et flagitiosa patrata sunt B
ab eis, et ob hoc irâ Dei ascendente super eos, omnis conatus eorum in vacuum cessit. Nec facilè invenies sive in historiis, sive in annalibus, quòd ab exordio Christianitatis usque ad tempus istud tanta multitudo populi Dei tam subitò et tam miserabiliter deperierit, sicut nunc factum est.

Eugenius Papa, collectâ generali Synodo Remis, multa super statu Ecclesiæ tractavit et confirmavit. Inter alia statuit ut decreta Innocentii Papæ prædecessoris sui rata et inconvulsa permanerent : quidquid autem Petrus Leonis Pseudopapa statuerat vel ordinaverat, irritum haberetur, promulgans sententiam sic : *Ordinationes factas a filio Petri Leonis et ab aliis schismaticis et hæreticis evacuamus, et irritas esse censemus.* In hac Synodo adductus est supradictus hæreticus Eunus, et præsentatus Papæ a quodam catholico Britanniæ Episcopo. Hic igitur in audientia omnium de sua perversa hæresi discussus et convictus, vitam C
quidem et membra, Episcopo qui eum adduxerat expostulante, retinuit : sed tamen præcepto Papæ in custodia relegatus, et ibi post non multum temporis mortuus est. In hac Synodo Archiepiscopi, Episcopi et Abbates usque ad mille centum resedisse dicuntur....

Cameracus civitas ex magna parte sui incendio conflagravit, et principalis Ecclesia cum claustro et palatio Episcopi, Monasterium etiam B. Autberti. Hoc etiam anno combustum est Cœnobium S. Sepulcri in eadem urbe, paucis annis a priore ejus combustione transactis....

Camberonense Monasterium Ordinis Cisterciensis in Haginoia fundatur. Alnæ ad Sabim fluvium Monachi item Cistercienses per B. Bernardum collocantur, petente Henrico Episcopo Leodicensi. (*E ms. Ortel.*)

D

EX AUCTARIO AFFLIGEMENSI.

Ab anno 1149 *ad annum* 1168.

Anno MCXLIX, Imperator Conradus et Rex Franciæ Ludovicus sine ullo effectu procinctum solvunt, et ab itinere Hierosolymorum revertuntur (*a*), nunquam auditâ tantâ infelicitate tanti exercitûs....

Hoc anno consecrata est Ecclesia S. Mariæ Valcellensis Cœnobii (*b*) a Samsone Remorum Archiepiscopo, VII Kal. Junii. (*Ex ms. Ortel.*)

Anno MCL, orta est contentio inter Henricum Episcopum Leodicensem et Henricum Comitem Namucensem : Comes quidem ut dominaretur intendebat; E
Episcopus ut sui ab ejus dominatione et gravi oppressione liberarentur, satagebat.
* *Huy.* Milites Comitis in quadam villa, quæ vocatur *Hoylon* *, convenerant; quorum unus qui potior videbatur, manus in Episcopum ut caperet injecit : sed ipse se

(*a*) In ms. Orteliano : *Ludovicus Rex Francorum cum* XXX *millibus equitum et magna multitudine peditum, postquam præscriptum mare transiit, fraude Manuëlis Imp. Constant. et penuriâ famis, et persecutione hostilis exercitûs, majore parte exercitûs amissâ, Salaminam venit, et inde navigio Antiochiam petiit.*

(*b*) In eodem compendio Gaspardi de *Soif*, de quo supra : « Anno Incarnati Verbi MCXLIX, Indictione XII, Eugenio Papa III sedi Apostolicæ Præsidente, Conrado æquè III Rege Romanorum Imperatore, Nicolao Episcopo Cameracensem Ecclesiam gubernante, Simone (de *Oisy*) filio Hugonis et Heldiardis fundatorum Cœnobii Valcellensis, Castellano (Cameracensi) existente, beatæ memoriæ Radulfo I Abbate præfatum Cœnobium regente, consecrata est Ecclesia ejusdem loci, VII Kal. Junii, V feriâ hebdomadæ Pentecostes : quam consecravit Samson Remorum Archiepiscopus et alii IV Episcopi cum eo, Nicholaus scilicet Cameracensis, Joslenus Suessionensis, Geraldus Tornacensis atque Milo Morinensis.

Digitized by Google

A ab eo subripiens, iratus suos ad eorum subversionem fortiter incitavit. Tandem, nescio quo infortunio, Ecclesia succensa est, et omnes qui in eam confugerant combusti sunt, miserabiliterque perierunt. Tandem congregato utrimque exercitu, congressi sunt : Episcopus superior factus est, Comitem fugavit, de suis potentiores cepit ; sed cum miserabili cæde multorum victoriâ potitus est.

Theodericus Comes Flandrensis revertit ab Hierosolymis. (*Ex ms. Aquic.*)

Anno MCLI, fructus terra uberes habuit ; sed pluviarum inundatione a festivitate S. Joannis usque ad medium Augustum omnia vastante, vix ad maturitatem perduxit. Nam vinum et cæteri fructus magna ex parte defecerunt ; et quod de uvis collectum est, in acorem versum est.

Radulfus primus Abbas hujus Cœnobii Valcellensis, III Idus Januarii migravit e mundo (*a*) : cui successit Riquardus et ipse de Claravalle sumptus, moribus
B maturus et temperatus in omnibus. (*Ex ms. Ortel. seu Valcel.*)

Ludowicus Rex Francorum Leonoram uxorem suam repudiavit (*b*), et Ducatum Aquitaniæ amisit ; erat enim filia Guilelmi Ducis Aquitaniæ. Ipsa verò nupsit Henrico Duci Normanniæ, filio Gaufridi Ducis Andegavorum, qui postea in Anglia regnavit. Ludovicus autem secundam duxit uxorem * Constantiam, filiam * An. 1154.
Alfonsi Regis Hispaniæ. (*E ms. Aquic.*)

In civitate Atrebatensi post Alvisum Episcopum, qui in expeditione Hierosolymitana obierat, ordinatur Godescalcus quartus Episcopus. (*Ibid.*)

Anno MCLII,... Ecclesia S. Bertini cum omnibus appendiciis suis combusta est in ipso festo S. Bertini, dum matutinorum solemnia agebantur.

Anno MCLIII, eclipsis solis facta est VIII Kal. Februarii in secunda feria....

Eugenius Papa diem ultimum claudit : succedit ei Conradus S. Sabinæ Epis-
C copus, Anastasius appellatus, Vicarius domini Papæ prædecessoris sui. Domnus quoque Bernardus Abbas Clarevallensis, qui quasi lucifer exortus, Ordinem nostrum illustrabat, migravit ad Dominum : cujus vita et doctrina in tantum excellit, ut minùs sit quidquid in ejus laude dictum fuerit.

Hoc anno tanta sterilitas agris nostris incubuit, quòd vix ad duorum vel trium mensium nobis victum suffecit omnis copia messis nostræ....

Bernardo in Claravalle successor datus est Robertus Brugensis, Abbas Dunensis in Flandria, ab ipso præelectus. Tunc domus Dunensis quatuor mensibus absque pastore vacabat, donec Albero ab ipso Roberto transmissus, ipsi in regi-
mine successit, quod duobus annis tenuit. (*Ex ms. Ortel.*)

Pax inter Stephanum Regem Anglorum et Henricum Comitem Andegavensem restituta est ; conditione interpositâ ut, Stephano mortuo, ipse Henricus in regno
D succederet. Ipse siquidem Henrici Regis Anglorum ex filia nepos, et regnum Angliæ hereditario jure repetens, tam per se quàm per coadjutores suos terræ multa intulerat mala, cùm Dux esset Normanniæ et Aquitaniæ. Filiam enim Guilelmi Ducis Aquitaniæ, a Ludowico Rege Francorum titulo consanguinitatis opposito relictam, duxerat : ex cujus parte Ducatum illum habebat. (*Ibid.*)

Anno MCLIV, Anastasius Papa ex hac vita decessit : succedit ei Adrianus, antea Nicolaus dictus, Episcopus Albanensis.

Rex in Anglia constitutus est Heinricus, cujus avus fuit ille magnus et famosus

(*a*) De Radulfo Valcellensi Abbate hæc habet Gaspardus de *Soif*, in compendio superiùs laudato : « Pater Radulfus temporalem mercedem eleemosynas suas nobis largientibus retribuere nolebat, » sed tantùm spiritualem.... Unde et Simoni Castellano cum Imperatore Conrado et Rege Francorum Ludovico Iherosolymam profecturo, qui » nimirùm ab aliis Ecclesiis non parùm argenti » acceperat, tres solummodò penes et unum caseum » pro benedictione dedit, et ita in pace abire » dimisit.

» Hugoni quoque patri ipsius (Simonis) hujus » Ecclesiæ fundatori, dum guerram contra Cameracenses haberet, per nuncium roganti ut sibi stramen ad pastum equorum præberet, Abbas omninò » denegavit : dicens se illi nihil daturum, quamdiu » urbem impugnaret. Respondente verò nuncio et » dicente : *Cras et sequenti cras erit pax*, (erat autem tunc, nî fallor, vigiliâ parentesis (*id est, solemnitatis*) Omnium Sanctorum) respondit Abbas et » dixit : *Nihil dabo ipsi, ne participes peccati ejus efficiar...*

» Quâdam die in præsentia Regis Francorum, » magno Procerum et Pontificum, aliarumque » personarum cœtu congregato, contigit et Radulfum Abbatem Valcellensem interfuisse. Surgens autem Radulfus Comes Vermandensis, conquestus est de Radulfo Abbate dicens : *Domine mi Rex, querelam habeo adversùs Abbatem de Valcellis.* Quod cùm audisset Samson reverendus Remorum Archiepiscopus, obstupefactus dixit : *O ! nullus de Abbate Valcellensi conqueritur, nisi tu solus. Verumtamen quam causam contra illum habes ?* Respondens Comes ait : *Rogavi eum ut mihi boves suos cum carro ad devehendum vinum meum commodaret, et nullatenùs voluit.* Respondens autem Abbas dixit : *Non est consuetudo Ordinis nostri vecturas Monasterii sæcularibus præstari... Ego contra conscientiam meam fecisse me pœnitet, quando ad muniendum castrum vestrum de* Vilers, » *dedi ligna saltûs Monasterii* ».

(*b*) Annus erat 1152 his qui initium anni ducebant a Nativitate, vel a Kalendis Januarii.

Digitized by Google

AngliæRex Heinricus. Filia namque ejus, quæ Imperatori nupta, Imperatrix dicebatur et erat, Comiti Andegavensi in conjugio post ejus excessum copulata, hunc qui modò regnat, de eo suscepit et fratres ejus. Qui cùm adhuc lactens sub ubere nutricis esset, defuncto * avo ejus Heinrico Rege, cum cunabulo in Angliam deportatus est, et ibi electione omnium Principum, datis juramentis, in regno confirmatus est. Et quia sub manu procuratoris usque ad legitimos annos eum servari oportebat; electus est Comes Stephanus cognatus ejus, qui regnum regeret et eum educaret. Qui Stephanus a Principibus persuasus, et eorum adulationibus nimis prono favore se inclinans, supplantator et perditor factus, regnum invasit et tenuit. Hoc comperto, mater supra modum mulieris animo attollitur et effertur, nec morâ intercedente, Angliam cum exercitu ingreditur; multis et gravibus prœliis commissis, multa audacter opera patravit. Ad ultimum post plurimos annos, jam adulto illo juvene filio suo, Stephano etiam subitò nec satis notâ morte defuncto, filium suum Henricum in regno constituit (*a*). A B

* *Imò* vivente.

Anno MCLV,... multis annis sterilitate terræ et necessariorum penuriâ nobis laborantibus, hoc anno tritico omninò deficiente, in ultimo discrimine quid agendum esset, vix anxiis potuit occurrere. In hoc tamen ad ultimum stetit sententia, ut pecuniâ mutuò amicorum fide sumptâ emeremus victui necessaria...

Godefridus junior, Dux Lotharingiæ, Margaritam filiam Henrici Comitis Lemburgensis in conjugio sortitus est : per quod tandem rebus omnibus pace compositis, contentio longo tempore protracta eâ conditione finita est, ut Godefridus confirmatum sibi Ducatum sine ulla conditione, Advocatiam sancti Trudonis, castellum *Rode* obtineat, atque omnium quæ possidet idem Comes, post decessum ejus medietatem accipiens, hereditario jure successor fiat.... C

Anno MCLVI, Fredericus Imperator, relictâ uxore suâ, duxit Agnetem * filiam Comitis Burgundionum, Rainaldi nomine, ultra Saonam; quam patruus suus Comes Wilhelmus artæ turris custodia diu clausam tenuerat : sed de manibus ejus liberata, Imperatori copulata est.

* *seu* Beatricem.

Heinricus junior Rex Anglorum exercitum copiosum et magnum belli apparatum, quem proposuerat ducere in Hiberniam, ut eam suo dominio subjugaret, fratremque suum consilio Episcoporum et religiosorum virorum illi insulæ Regem constitueret, convertit contra Regem Francorum, hac scilicet de causa, quia uxorem ejus ab eo relictam in matrimonium duxerat : cujus patrimonium satis magnum et amplum, Ducatum scilicet Aquitaniæ et omnia ipsi subjacentia, Rege contradicente, possidere contendebat. Inde gravis et longa contentio inter eos exorta est, ita ut in partibus utriusque regni viderentur urbes destrui, villæ et oppida cremari, homicidia, deprædationes rerum omnium violenter fieri, et a Pyrenæis montibus penè ad fines Flandriæ, hoc malum quasi pestis gravissima intolerabiliter grassari. D

Philippus, filius Theoderici Comitis Flandrensium, filiam Rodulfi Viromandensium Comitis Elizabeth uxorem ducit Bellovaci. (*Ex ms. Aquic.*)

Fredericus Imperator a Papa Adriano et Rollando Cancellario pro uxoris suæ primæ divortio vehementer arguitur : quod ille ægrè ferens, Cardinalibus Romanis introitum civitatum et Ecclesiarum regni sui interdixit. (*Ex cod. eod.*)

Anno MCLVII, Theodericus Comes Flandriæ, jam tertiò profectus [est] cum quibusdam Principibus terræ suæ, ductâ etiam uxore suâ Sibyllâ, zelo pio devotionis accensâ, cum quadringentis militibus et copioso belli apparatu Hierosolymam : Philippus filius ejus Comitatum suscepit.... E

Cœnobium Gemblacense, quod ante annos circiter XX succensum, sed Dei clementiâ et suffragio Sanctorum, quorum reliquiæ in illa continentur Ecclesia, aquis de alveo vicini fluminis elevatis et Monasterio superfusis restinctum, modò tali præsidio destitutum, occulto Dei judicio, cum claustro et cæteris officinis totoque oppido combustum est.

Post Theodorici Comitis Flandriæ et Sibyllæ ejus conjugis discessum versùs Hierusalem, Philippus filius eorum adversùs Simonis de *Oisi*, sibi subjici nolentis, contumaciam edomandam exercitum ducit, et *Inci* castellum obsidet et capit. (*Ex ms. Ortel.*)

(*a*) Ms. codex Ortel. superiora sic contrahit : *Stephanus Rex Anglorum obiit : Heinricus supra nominatus absque difficultateet contradictione successit.*

Digitized by Google

A Anno MCLVIII,.... dòmnus Robertus Brugensis, secundus Dunis et in Claravalle Abbas, e mundo migravit. Viginti annos præfuit, quindecim annos et penè quinque menses Dunensibus, quatuor annos et octo menses Clarevallensibus : cui domnus Fastradus, Camberonensis in Hannonia Abbas, in regimine successit. (*Ex ms. Ortel.*)

Adrianus Papa, cum Cardinalibus suis habito consilio, Fredericum Imperatorem, qui, vivente uxore suâ, aliam superduxerat, excommunicat. (*Ex ms. Aquic.*)

Milo (*a*) Morinorum Episcopus, olim Abbas S. Judoci in nemore, Ordinis Præmonstratensis, postquam sedem Morinensem annis XXVII rexerat, ad Dominum migrat : cui successit Milo secundus ejus Archidiaconus, natione Anglus, S. Mariæ de Bosco sive de Nemore Regularis Canonicus. (*Ibid.*)

Anno MCLIX, Adrianus Papa diem ultimum claudit. Rolandus Cancellarius
B et Octavianus Presbyter Cardinalis ad Papatum adspirant.

Bellum gravissimum ortum erat ante annos circiter XX, inter Ducem Lovanii Godefridum juniorem et Walterum cognomento Bertoldum. Puer quidem Godefridus adhuc in cunis jacebat : turba autem seditiosorum utriusque partis pacem turbabat. Unde magnum malum processit, et quasi quoddam contagium terram utriusque invasit. Agricolæ enim bonis suis spoliati, miseri et exsules de finibus suis sunt egressi ; terra deserta habitatoribus inculta remansit. Erat cernere miseriam, incendia, homicidia, rerum omnium deprædationes violenter fieri ferè per annos XX, donec hoc anno, quarto bello Grimbergensis urbs antiqua ruit, multos dominata per annos ; castrumque magnum et famosum, quod humanâ virtute vix poterat, justo Dei judicio combustum, et ad solum usque dirutum est. Accidit hoc in festo S. Remigii. Itaque omni auxilio destitutus [Bertholdus]
C a Comite Flandriæ derelictus, cui soli innitebatur, cum Duce, serò tamen, in pacem rediit....

Henricus Rex Anglorum, congregato exercitu, Aquitaniam transiit et Tolosam obsidione cinxit. Ludowico autem Rege Francorum urbem potenter ingresso, Rex Anglorum inefficax rediit. (*Ex ms. Aquic.*)

Theodericus Comes Flandriæ tertiâ vice Hierosolymis revertitur. Sibylla autem Comitissa ibi remansit ; et habitu Religionis apud S. Lazarum assumpto, ibidem sancto fine quievit. (*Ex cod. eod.*)

Anno MCLX, Henricus Rex Anglorum filiam Stephani neptem suam, sanctimonialem et Abbatissam in claustro consecratam, contra fas legum Matthæo filio Comitis Flandriæ dedit uxorem, ut per eam Comitatum retineret Boloniensem. Et quia sponsa Deo dicata non sponsum, sed adulterum summo Regi
D superduxit, bella et seditiones inimicus inter patrem et filium, inter fratrem et fratrem concitavit (*b*)....

Anno MCLXI,... post generale Capitulum, Lambertus Abbas Cistercii officio cedens, dimisit Abbatiam : et Cistercienses domnum Fastradum Clarevallensem fecerunt sibi patrem, et Clarevallenses acceperunt domnum Gaufridum Igniacensem Abbatem. (*Ex ms. Ortel.*)

Samson Remorum Archiepiscopus obiit, et sepelitur in Cœnobio Igniacensi : cui succedit Henricus Episcopus Bellovacensis, frater Ludowici Regis Francorum. In Episcopatu Bellovacensi substituitur Bartholomæus, Ecclesiæ Remensis Archidiaconus. (*Ex ms. Aquic.*)

Alexander Papa, veritus potentiam Frederici Imperatoris, profugus ab Italia, emenso mari, venit in Franciam : qui a Ludowico Rege et Optimatibus ejus
E gloriosè excipitur. (*Ibid.*)

Petrus Lombardus fit Episcopus Parisiensis (*c*). Hunc vulgò Magistrum sententiarum vocant. (*Ibid.*)

Anno MCLXII,... fames gravissima in tantum prævaluit, ut modius tritici venderetur XXX et eo ampliùs solidis Lovaniensis monetæ, multaque millia hominum fame perissent, nisi dominus pauperis populi afflictionem respexisset....

(*a*) Codex Ortel. Milonis obitum ad an. 1159 rejicit.

(*b*) In cod. Aquic. additur : *Obiit Guillelmus filius Stephani Regis Angliæ, Comes Boloniæ, et Dapifer Regis Angliæ, sine hærede. Matthæus verò, filius Theoderici Comitis Flandriæ, filiam Stephani Regis Anglorum, Abbatissam raptam de Monasterio, ubi erat Deo sacrata, per violentiam Regis Anglorum, duxit uxorem, et per eam obtinet Comitatum Bolonien-sem. Qua de causa a Samsone Remorum Archiepiscopo ejusque suffraganeis Episcopis excommunicatus est, et a patre suo Theoderico et a fratre Philippo propter castellum* Lens, *quod adversùs eos jure hæreditario repetebat, est injuriatus.*

(*c*) Vide ad pag. seq. notam (*b*).

Digitized by Google

Imperator Fredericus a Rege Francorum invitatus, ut sublato schismate, A Romanæ Ecclesiæ pax firma redderetur, Concilium in territorio Vesuntionum, in Dola villa super Saonam fluvium, in Decollationem S. Joannis-Baptistæ convocavit (*a*) : sed Rege Franciæ ab Imperatore averso, quique sine effectu, eâdem et adhuc graviore permanente discordiâ, in sua redierunt.

Desponsatâ [Margaritâ] filiâ Regis Francorum filio Regis Anglorum, contentio conquievit, et pax plena inter eos convenit....

EX AUCTARIO AQUICINCTINO

Ab anno 1163 *ad annum* 1200.

Anno MCLXIII, decimo quarto Kal. Junii, Fastradus Abbas Cistercii Parisiis B obiit, Cistercium translatus ante Ascensionem : cui subrogatus est domnus Gislebertus Abbas Ursi-campi, post Concilium Turonense. (*Ex ms. Ortel.*)

Theodericus Comes Flandrensium quartò Hierosolymam petit....

Anno MCLXIV, Fredericus Imperator Natale Domini in palatio suo celebravit Aquis; ad cujus curiam omnes Primates regni, sive ecclesiastici seu sæculares, ab ipso submoniti convenerunt, et corpus domini Karoli Magni Imperatoris, qui in basilica beatæ Mariæ semper Virginis quiescebat, de tumulo marmoreo levantes, in locello ligneo in medio ejusdem basilicæ reposuerunt. Ibi Philippus Comes Flandriæ cum magno militum exercitu adfuit, et ab Imperatore Cameracum suscipiens, homo ejus effectus est, et magnam pacem Flandrensibus per terram Imperatoris eundi ac redeundi obtinuit. Idem a curia revertens, statim patri suo Theoderico Comiti, ab Hierosolyma revertenti, obviam proficiscitur.... C

Heinricus Rex, Ecclesiarum regni sui jura auferendo, in Anglia tyrannizat : contra quem Thomas Archiepiscopus Cantuariensis pro libertate Ecclesiæ decertans, ab ipso exsiliatur; qui mare Britannicum transiens, a Ludowico Rege Francorum tam devotè quàm benignè suscipitur.

Godescalcus Atrebatensis Episcopus infirmitate capitis gravatus, Episcopatum dimisit : cui successit Andreas quidam Abbas de Ordine Cisterciensi, agente Heinrico Remensi Archiepiscopo (*b*).

Anno MCLXV, Alexander Papa, Franciâ relictâ, in Italiam revertitur.... Paschalis, qui et Guido Antipapa, in civitate Italiæ quæ Viterbium dicitur, sedem sibi episcopalem statuit, et potentiâ Imperatoris fultus, peregrinos seu mercatores, de terra Francorum in Italiam transeuntes, turbat et deprædatur....

Philippus Comes Flandriæ, et Matthæus frater ejus Comes Boloniæ, et Go- D defridus Dux Lovaniensis, cum septem ferè millibus navium expeditionem movent adversùs Theodericum * Comitem Hollandiæ; quem in deditionem venientem cum suis Comes Flandriæ diutiùs tenuit in captivitate (*c*)....

* *Leg.* Florentium.

Obiit domna Sibylla Flandrensium Comitissa, piæ memoriæ, postquam decem annis Hierosolymis apud S. Lazarum servierat.

Anno MCLXVI,... bellum inter Ludowicum Regem Francorum et Henricum Regem Anglorum pro regni sui terminis. Ludowicus Rex, auxilio Philippi Flandrorum Comitis, Regem Anglorum fugat : et pax inter eos usque in Pascha sequentis anni firmatur....

Piæ memoriæ domnus Gozuinus Abbas Aquicinensis septimus, caritate illustris, amator pacis et religionis, VII Idus Octobris circa mediam noctem, die Dominicâ, luna XI, Indict. XIV, de hoc sæculo transiit : quo in Ecclesia beatæ E

(*a*) Dubis, non Saona sive Araris, Dolam alluit. Porrò non ad hanc urbem, sed ad Laonam (*S. Jean de Lône*) congressum Frederici Imperatoris et Ludovici Regis indictum fuisse, in notis ad Vizeliacensem Hugonis Pictavini historiam demonstravimus T. XII, p. 329. De eodem verò congressu ms. cod. Ortel. *mense Septembri Fredericus Imp. cum Octaviano juxta Saonam flumen consedit, et Rex Ludowicus Divione, congregatis ex utraque parte multis Episcopis, Abbatibus, Clericis, laïcis, tam Principibus quàm popularibus, ut schismati Ecclesiæ finem facerent, si possent, et non potuerunt; sed cum magna dissensione et simultate ab invicem discesserunt.*

(*b*) Additur alia manu : *Petrus Lombardus, Episcopus Parisiensis, cognomento Magister sententiarum, moritur.* Eidem anno dieique XIII Kal. Aug. Petri Lombardi obitum illigat ejus epitaphium quod legitur Parisiis in suburbana S. Marcelli Ecclesia. Verùm Petro Lombardo in Episcopatu an. 1160 successisse Mauritium varia demonstrant instrumenta quæ recenset Gerardus *Dubois* in historia Parisiensis Ecclesiæ T. II, p. 122 : quorum instar sit charta quâ Willermus de Mathiaco Miles domno Episcopo terram apud Victoricium vendit. Hæc sic incipit : *Mauricius Dei gratiâ Episcopus Parisiensis;* et his verbis desinit : *Actum Paris. anno Domini* MCLXX, *Episcopatûs verò nostri anno* X.

(*c*) Ad usque 27 Februarii diem anno 1168.

Digitized by Google

A Mariæ semper Virginis, in loco ubi orare consueverat, cum magno filiorum suorum gemitu, tumulato, Alexander Prior ejusdem Ecclesiæ ei octavus succedit.

Anno MCLXVII,... Ludowicus Rex Francorum et Philippus Comes Flandrorum iterùm movent expeditionem adversùs Heinricum Regem Angliæ. Francis irridentibus et detrahentibus frequentibus benè gestis Philippi Comitis, sine laude revertitur.

Obiit Nicolaus Cameracensis Episcopus : Petrus filius Theoderici Comitis Flandrensium loco ejus eligitur.

Ecclesia S. Bertini valdè infestatur a Theoderico Comite Flandrensi, astu et persuasione Roberti Ariensis Præpositi, ejusdem Comitis Cancellarii. Unde Godescalcus Abbas et fratres ejusdem Ecclesiæ, animo consternati et humano auxilio destituti, bis in die pro tribulatione illa clamorem ad Deum faciebant prostrati,
B ad Missam scilicet et in fine Completorii.

Anno MCLXVIII, obiit (*a*) Comes Theodericus Flandrensis in villa illa, quam S. Bertino abstulerat per violentiam Roberti Præpositi. Succedit ei in Comitatu Flandrensi filius ejus Philippus; qui ante mortem patris sui, defuncto Radulfo Comite Viromandensi, eumdem Comitatum per uxorem sibi debitum obtinuerat.

Balduinus Comes Montensis et Philippus Comes Flandriæ confœderantur....

Anno MCLXIX,... Balduinus junior filius Balduini Comitis Haginoensium, uxorem duxit Margaretam sororem Philippi Comitis Flandrensium (*b*).

Anno MCLXX,... Ludowicus Rex Francorum et Heinricus senior Rex Anglorum ad mutuum convenerunt colloquium; ubi Thomas Archiepiscopus Cantuariensis cum utriusque regni Proceribus adfuit : et pax inter ipsum et Regem Angliæ magis palliatur quàm confirmatur.

C Obiit Balduinus IV Comes Haginoensis, VI Idus Novembris, in monte Castriloco, et in Ecclesia S. Waldetrudis ab Alexandro Aquicinensi Abbate sepelitur. Successit ei Balduinus filius ejus, hujus nominis Comes V....

Thomas Archiepiscopus Cantuariensis, ab Henrico Rege septenni exsilio injuriatus, tandem ipsius Regis permissu, ante Natale Domini, ad suam sedem revertitur, (Philippo Flandriæ Comite per Flandriam usque in Angliam ipsum comitante : in ipso transitu Præsul capellam in *Male,* hospitio Flandriæ Comitis, consecravit.)

Anno MCLXXI,... Alexander Papa et omnes Episcopi Franciæ interfectores Archiepiscopi [Cantuariensis] anathematizant. Henricus Rex Angliæ pro interfectione beati Thomæ ab omnibus exosus habetur....

Anno MCLXXII,... Alexander Papa Legatos in Normanniam ad Henricum
D Regem dirigit, Autbertum videlicet Presbyterum Cardinalem S. Laurentii in Lucina, et Theotimum Presbyterum Cardinalem tituli S. Vitalis : in quorum præsentia, adstantibus Episcopis et regni sui Optimatibus, de interfectione beati Thomæ, tactis Sanctorum reliquiis, præfatus Rex se purgavit (*c*)....

Anno MCLXXIII,... contra Henricum Regem conjuratione uxoris et filiorum ejus, quorumdam etiam Optimatum ejus exortâ, filii ejus ad Ludowicum Regem Francorum, contra patrem auxilium petentes, confugiunt. Rex verò, assumpto secum Philippo Comite Flandrensi, in Normanniam expeditionem ducit. Exercitu autem eorum in duas partes diviso, Philippus cum suis Flandrensibus tres munitiones summa cum festinatione cepit. Matthæus verò Comes Boloniæ frater Philippi Comitis sagittâ lethaliter vulneratus, ibi non multò post obiit*, et se- * 25 Julii.
pultus est in Monasterio S. Judoci. Rex autem Francorum cum suis Francis
E quoddam castrum (Vernolium) cum magna difficultate cepit : sed his, qui in arce ejusdem castri erant, viriliter resistentibus, eam capere non potuit. Rex itaque, relictâ obsidione castelli, penè inefficax rediit. Heinricus Rex Angliæ adversantes sibi, alios exauctorizavit, alios bonis privavit, ac per hoc amicos etiam suos magis contra se exacerbavit....

Obiit Andreas Atrebatensis Episcopus : Robertus Ariensis Præpositus loco ejus

(*a*) 17 Januarii, adeòque an. 1169 ab hujus mensis Kalendis inchoato.

(*b*) Additur recentiori manu : *Ex qua genuit Balduinum, postea Flandriæ Comitem et Constantinop. Imperatorem. Et hâc viâ successio Flandriæ rediit ad verum hæredem et rectam lineam. Maria filia Stephani Regis Angliæ habitum religionis resumpsit. Milo II Morinorum Episcopus obiit. Desiderius Tornacensis Episcopus ei in Pontificatu succedit.*

(*c*) Ad annum MCLXXII additur aliâ manu : Obiit *Godescalcus, quondam Atrebatensis Episcopus, in Monte S. Martini, Ordinis Præmonstratensis Monasterio, apud Laudunum sito, cujus loci ante Episcopatum Abbas fuerat.*

Digitized by Google

eligitur. Alexander Papa domnum Bernardum Clarevallensem Abbatem in nu- A
mero sanctorum Confessorum in Ecclesia decrevit honorandum.

Hiems solito asperior: hiemi accedit intemperies aëris. Nam corrupto aëre mense Decembri, homines succumbunt infirmitatibus diversis: multi etiam infirmitate illâ moriuntur, quam medici vocant catarrhum et tussim.

Anno MCLXXIV, obiit Alexander Aquicinensis Ecclesiæ Abbas octavus. Succedit ei Simon Monachus ejusdem Ecclesiæ, Abbas IX.

Petrus Cameracensis Electus, frater Philippi Comitis Flandriæ, assensu ejusdem fratris sui, relicto Episcopatu et clericali coronâ, in hebdomada Pentecostes Sabbato armis militaribus accingitur. Sequenti anno uxorem duxit relictam Comitis Nivernorum, eodemque anno diem clausit ultimum.

Robertus Atrebatensium Electus, industriâ Philippi Comitis Cameracensium Episcopus eligitur. In Episcopatu autem Atrebatensi Frumaldus Archidiaconus B
Ostrovandiæ, ipso Roberto annitente, substituitur...

Ludowicus Rex Francorum, Heinricus et Richardus filii Regis Angliæ, cum Philippo Comite Flandriæ contra præfatum Regem iterùm insurgunt: qui in Normanniam profecti, civitatem Rotomagum obsederunt. Pars verò quædam exercitûs Flandriæ, instinctu Roberti Cameracensis Electi, Angliam deprædatura trans mare mittitur: quorum alii marinâ tempestate quassati, alii verò ab Anglis militibus viriliter suscepti et ignominiosè repulsi, cum dedecore ad propria sunt reversi.

Heinricus Rex Angliæ, cernens se ab omnibus impeti, in se reversus tandem hoc suis imputavit peccatis, et suis viribus diffidens divinum poscit auxilium. Qui Cantuariam veniens, beatum Thomam Archiepiscopum olim a se injuriosè tractatum, humili et devotâ satisfactione, ad sanctum tumulum ejus uberrimè C
flendo placavit: quæ res ei, ut credimus, victoriam contulit.... Post hoc in Normanniam reversus, civitatem Rotomagum, a Rege Francorum obsessam, circa mediam noctem est ingressus. Jacobus de Avesnis, quidam miles dives, in obsidione Rotomagensi a Roberto Cameracensi Electo contumeliis verborum afficitur. Rex Francorum et Comes Flandrorum de obsidione illa inefficaces redierunt. Sic filii contra patrem venientes, reversi sunt inglorii.

Robertus Cameracensium Electus, a servientibus Jacobi de Avesnis ignominiosè apud Condatum in Hannonia perimitur. Duo Cameracenses Archidiaconi ad Episcopatum per contentionem eliguntur, Rogerus scilicet et Alardus. Sed Rogero a Philippo Comite Flandrorum et saniori parte abdicato, Alardus substituitur. Uterque Episcopatum desiderans, transcensis Alpibus, certatim ad Imperatorem Fridericum in Italiam pergit. Imperator itaque, visis personis, auditâque D
ratione electionis, visis etiam litteris Philippi Comitis pro Alardo petentibus, communicato cum Episcopis, qui ibi aderant, consilio, illi Episcopatum dedit.

Philippus Comes Flandrorum contra Jacobum de Avesnis, pro interfectione Roberti Cameracensis Electi cum exercitu vadit: sed interventu Heinrici Remensis Archiepiscopi detentus, pacto pacis magis utrimque simulato quàm composito, in Flandriam rediit....

Anno MCLXXV, Heinricus Rex Angliæ et filii ejus, mediante Ludowico Francorum Rege, pacificantur.

Heinricus Remorum Archiepiscopus, Natale Domini apud Aquicinctum celebravit: deinde profectus est in Flandriam ad curiam Philippi Comitis, ibique Jacobus de Avesnis de morte Roberti Cameracensis Electi, facto secundùm judicium curiæ juramento, se immunem ostendit. E

In die sancto Parasceve, Philippus Comes Flandrorum, cum multis aliis in Hierusalem profecturus, crucem accepit.

Æstas pluviosa et damnosa messem Augusti mensis et autumnalem vindemiam protelavit. Per Galliam et Germaniam panis inopia multos affligit. Sub hac tempestate multi Monachi et milites in hac nostra regione eleemosynas largas tribuebant: inter quos Valcellenses Monachi eminebant.

* die 14 Novembris. Obiit * Heinricus Remensis Archiepiscopus, frater Ludowici Regis Franc.

Magna circa Nativitatem Domini fluviorum redundantia, in tantum ut Sequana, Axona et Lisa alveos suos egressi, unâ nocte magnum circummanentibus damnum inferrent, multos etiam necarent....

Anno MCLXXVI,.... Heinricus Rex Anglorum, missis nunciis ad Philippum Comitem

Digitized by Google

A Comitem Flandrorum, nescio quibus verbis (*a*) aut promissionibus illectum, ab itinere Hierosolymitano detinuit hoc anno. Jacobus de Avesnis, satis superbus et insolens, contra dominum suum Comitem Haginoensem rebellat : at Balduinus Comes contumaciam ejus ægrè ferens, castellum ejusdem Jacobi Condatum obsidione cingit, auxilio Philippi Flandrorum Comitis. Jacobus verò suis diffidens viribus, claves castelli invitus Comiti reddidit : Comes verò, accepto castello, murum et turrim solo tenùs æquavit.

Obiit Petrus frater Philippi Comitis apud Hilseldunum *. Ortâ iterùm inter Philippum [Flandriæ] Comitem et Jacobum de Avesnis simultate, post messem Augusti, assumpto secum Comite Hagionensi, duas ejusdem Jacobi munitiones, sitas in Comitatu (*b*) Viromandensi, Comes Flandrorum cum summa festinatione cepit : quarum alterâ destructâ, alteram sibi retinuit. * *Issoudun.*

B Magna panis et vini abundantia. In civitate Cameraco et castro S. Quintini, in Gandavo et in Betunia multæ Ecclesiæ et domus sunt incensæ.

Willelmus Senonensis Archiepiscopus, frater Elizabeth Reginæ Francorum, de Senonensi Ecclesia in Remensem Ecclesiam transmutatur....

Anno MCLXXVII... Philippus Comes Flandrorum circa Pentecosten Hierosolymam petit....

Alexander Papa de pace recepta et de honore a Deo sibi collato gaudens, epistolas ad omnes Episcopos Galliarum dirigit, continentes seriem hujusmodi : « *Alexander Episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, Wilhelmo* » *Remensi Archiepiscopo, Apostolicæ Sedis Legato, et suffraganeis ejus, et di-* » *lectis filiis Abbatibus in Remensi provincia constitutis, salutem et Apostolicam* » *benedictionem.* Cùm per auxilium, potentiam et favorem carissimi in Christo
C » filii nostri, Ludowici illustris Francorum Regis et regni sui, sacrosanctæ Ro-
» manæ Ecclesiæ ac nobis recognoscamus gloriosa et magnifica beneficia pro-
» venisse ; dignum est et consentaneum rationi, ut illi et vobis, quorum auxilio
» potenter sumus in necessitatibus nostris adjuti, prosperos et felices pacis
» successus significemus ; indubitatâ veritate tenentes quòd post Deum idem Rex,
» simul cum regno suo, cooperatus est honori et exaltationi sanctæ Ecclesiæ,
» et ei magnum contulit incrementum. Quod quidem sicut verbo recognosci-
» mus, ita opere et sermone omni tempore, auctore Deo, recognoscemus.
» Notum sit autem sollicitudini vestræ quòd carissimus in Christo filius noster
» Fredericus, illustris Romanorum Imperator, per inspirationem divinæ gratiæ,
» deposito vanitatis errore, ad viam veritatis conversus, ad obedientiam Ecclesiæ
» et nostram reverenter et devotè, sicut decuit, rediit, et illam B. Petro in nobis
D » reverentiam et devotionem exhibuit, quam antecessores ejus nostris consue-
» verunt antecessoribus exhibere, et se de cætero exhibiturum promisit. Super
» quo utique laudes Altissimo agimus, et consequenter Regi et regno gratias
» copiosas referimus, de eo quòd Ecclesiam et nos ipsos in tribulationibus et
» persecutionibus nostris nequaquam deseruit : sed usque in finem magnificè juvit
» et defendit. Monemus itaque dilectionem vestram et hortamur attentiùs, qua-
» tenùs Ecclesiæ et nobis in prosperitatibus congaudentes, in devotione beati
» Petri et nostra, sicut hactenùs firmiter perstitistis, perseveretis, et Regem,
» ut in eodem cum regno suo persistat, monere propensiùs et inducere studeatis.
» Data Venetiæ in Rivo-alto, VI Kal. Augusti ».

Nono Kal. Augusti, die Dominicâ, ipso die quo pax inter Imperatorem et Papam facta est, dedicata est Marcianensis Ecclesia in honore SS. Apostolorum
E Petri et Pauli, a Wilhelmo Remensi Archiepiscopo, Apostolicæ Sedis Legato, et duobus Episcopis ipsius suffraganeis, Frumaldo scilicet Atrebatensi et Everardo Tornacensi....

Ludowicus Rex Francorum et Heinricus senior Rex Anglorum magnificè confœderantur. Heinricus Comes Trecarum, cum multis aliis in Hierusalem

(*a*) Nempè, ut ait Benedictus Petroburgensis supra p. 164 : « Amauricus Rex Jerosolymitanus, » patruus Regis Angliæ, paulò ante obiit, et Baldewinus filius ejus loco ipsius Rex efficiebatur ; » sed paralyticus erat, et exinde brachium amiserat. Et intimatum erat Regi Angliæ, quòd » prædictus Comes Flandriæ hac de causa Jerosolymam ire proposuit, ut ibidem in Regem sublimaretur. Et ideò fecit Rex Angliæ iter ipsius » differri usque ad præfixum terminum, (*id est*, » post proximum Pascha) ; quia ipse tunc Jerosolymam in propria persona ire proposuit, vel » milites et servientes illuc mittere, ad defensionem Regis Jerosolymitani consanguinei sui ». Promisit autem ei, *quòd si ipse differret iter suum usque ad prædictum terminum, Rex faceret ei talem succursum, unde honor esset ei.*

(*b*) Guisam scilicet et *Leschieres*, auxilio Balduini Hannoniæ Comitis, ut tradit Gislebertus Montensis in Hannoniæ chronico a nobis inferiùs edendo.

Digitized by Google

profecturus, crucem accipit. Philippus Comes Flandriæ a transmarinis Principibus seu militibus cum magno honore suscipitur. Paucis autem postquam illuc venerat evolutis diebus, inter ipsum et Templarios pro quibusdam regni negotiis ortâ simultate, Palestinâ relictâ, Antiochiam Syriæ, a Principe ipsius civitatis invitatus, proficiscitur.... A

Obiit Alardus Cameracensis Episcopus, et Valcellis sepelitur. Electio Episcopi, factâ ad Apostolicam sedem appellatione, in sequentem annum differtur.

Anno MCLXXVIII. Circa finem Januarii mensis, cùm gelu et nix liquarentur, inundatio fluminum per totas Gallias talis erupit, quæ sclusas vivariorum et structuras molendinorum rapido impetu secum ferret, domos everteret, multos etiam necaret.

Rogerus Cameracensis Archidiaconus, dono ab Imperatore Frederico accepto, ipsius urbis donatur Episcopio. B

Eclipsis lunæ facta est III Nonas Martii, die Dominicâ, primâ noctis horâ sequentis secundæ feriæ. Eodem die, Rogerus Laudunensis Episcopus, cùm pagenses Episcopii sui a communione inter se, assensu Ludowici Regis, perperam jurata, minimè retrahere posset, malo accepto consilio, militum auxilia undecumque contrahens, II Nonas Martii, in diebus scilicet Quadragesimæ, eos aggressus est : ubi quidam interfecti, multi etiam capti, quidam autem eorum, dum fugerent, in quodam flumine necati sunt....

Eclipsis solis facta est Idibus Septembris, ante sextam horam.

Philippus Comes Octobri mense reversus, a suis Flandrensibus favorabiliter est susceptus. Inter quos Brugenses oppidani piscem monstrosum, jampridem a piscatoribus captum et sale conditum, ei obtulerunt. Habebat enim ad similitudinem avis rostrum permaximum, et super caput cartilaginem gladio simillimam. C

Anno MCLXXIX.... Generale Concilium apud Romam in Patriarchio Lateranensi Alexander Papa celebravit : in quo plusquam CCC. Episcopi cum quibusdam transmarinis adfuerunt. Quidam etiam Episcopi de Græcia legatos suos eòdem transmiserunt. Abbatum etiam interfuit penè innumera multitudo. Simon Abbas Aquicinensis in reditu a Concilio Clarevallem divertit, et reliquias domni Bernardi ejusdem Cœnobii Abbatis petitas obtinuit, et in hoc Aquicinensi Monasterio decenter reposuit....

Ludowicus Rex Francorum, assumpto secum Philippo Comite Flandrensium, mare transnavigans, Cantuariam pergit, sanctumque Martyrem Thomam diversis muneribus honoravit : Autumnus perpulcher et calidus usque ad V Nonas Octobris exstitit. Ludowicus Rex Francorum filium suum Philippum in Regem sublimat Remis in festivitate Omnium Sanctorum. Sequenti Dominicâ, Guilhelmus D
Remensis Archiepiscopus, Cardinalis Presbyter tituli S. Sabinæ, et Apostolicæ Sedis Legatus, convocatis Episcopis et totius secundæ Belgicæ personis, Concilium tenet, tractans cum suis Coepiscopis de rebus sibi vel Ecclesiæ necessariis....

Anno MCLXXX,... Philippus filius Ludowici Regis Francorum uxorem duxit Elisabetham, filiam Balduini Comitis Montensis, quæ fuit filia Margaretæ sororis Philippi Flandrensium Comitis. Celebratæ sunt hæ nuptiæ Bapalmis a Rogero Laudunensi Episcopo : ubi adfuerunt Comites Philippus Flandrensis, Balduinus Montensis, Heinricus Namucensis, Clarimontis, Suessionensis, Pontivensis et sancti Pauli.

Lodowicus Rex senior Reginam in die Ascensionis Domini, in Basilica sancti Dionysii Martyris, per [Guidonem] Archiepiscopum Senonensem ejusque suffraganeos coronari fecit.... E

Heinricus Comes Campanensis a partibus transmarinis per Asiam minorem et Illyricum repatrians, insidiis quorumdam magnum passus est detrimentum, amissis non solùm facultatibus, sed etiam suis interfectis, seu captis omnibus penè hominibus.

Ludowicus Rex Francorum VII, per annum paralysi dissolutus, tandem mense Septembri morbo et vitâ caruit, *et in Monasterio* (a) *Cisterciensis Ordinis, nomine* Barbel, *ad Sequanam fluvium est sepultus,* qui regnum Francorum per XLIV annos satis justo moderamine gubernavit : cui successit filius ejus Philippus, hujus nominis Rex secundus.

(*a*) Hæc aliâ manu adjecta sunt.

Digitized by Google

EX ROBERTI ABBATIS DE MONTE

APPENDICE AD SIGEBERTUM

Ad calcem operum Guiberti Novigenti Abbatis, p. 742.

MONITUM.

INTER *Appendices Sigeberti celebris illa est quæ a Roberto Montis S. Michaëlis sive de Periculo maris Abbate concinnata fuit. Sed hæc duplex occurrit. Prior in vulgatis ante Miræanam Sigeberti editionibus exstat, estque tripartita. Prima ejus pars terminatur an.* 1155, *secunda est ipsissimus Roberti de Monte textus ad an.* 1184; *tertia verò quæ ad an.* 1210 *decurrit, auctorem habet monachum Gemmeticensem anonymum, uti suo loco demonstrabimus.*

Altera Roberti de Monte ad Sigebertum Appendix ea est quam Acherius an. 1651 *post Guiberti Noviginti Abbatis opera edendam curavit. Hæc genuina, cui nunc operam damus. Præter eam verò Robertus Accessiones seu additamenta chronico Sigeberti inspersit, ab Acherio itidem vulgata. Nempè cùm auctorem voluntas incessisset res Anglo-Normannicas annuatim instar Sigeberti describere, prætermissa ab eo quæ sui erant instituti, antequam continuationem aggrederetur, placuit interserere. Sed ut fateamur quod res est, nihil de suo præstitit, quippè Henricum Huntindoniensem totum exscripsit, additis nonnullis ex libro VIII historiæ Normannorum Guillelmi Gemmeticensis, cujus parentem fuisse Robertum perspicuis evicimus argumentis T. XII, Præf. pag. xlvj et seqq.*

Non solùm autem in suis ad Sigebertum Accessionibus Huntindoniensem expilavit Robertus, sed et Appendicem ipsius verbis confecit ad obitum usque Henrici I Angliæ Regis, paucis admodùm superadditis. Dehinc ad obitum Stephani Regis suam cum Henrici Huntind. scriptura lucubrationem miscet. Id porrò semel monuisse lectorem sufficiat, ut quoties aliquid a nobis prætermissum animadvertet, toties Huntindoniensem consulendum intelligat.

Erat Robertus de Torinneio Prior Beccensis Asceterii, cùm primam huic operi manum admovit, atque Henrico Huntind. notus, ut constat ex istius epistola Appendici Roberti præfixa. Factus verò Abbas S. Michaëlis de Periculo maris anno 1154, *opus suum haud intermisit, sed proprio marte illud ad obitum usque continuavit. Hinc nata mss. codicum discrepantia; aliis, ut codex Reg.* 4862, *anno* 1154 *desinentibus, aliis an.* 1168, *ut Victorinus Paris. quo usus est Chesnius in edendo Normanniæ chronico, quod ipsa est Appendix Roberti ab an.* 1139 *deducta, quo anno Huntind. Archidiaconum Monachus tum Becci Robertus excepit.*

Restat ut de chronologia dicamus. Hæc tam apud Acherium quàm in editione Chesniana mirum in modum perturbata est. Sed eam ope duorum mss. codicum optimæ notæ, n° 4861 *et* 4992 *Regiæ Bibliothecæ restituimus, quamquam et ipsi medicam manum postularunt ab an.* 1178 *ad* 1182, *ubi desinunt. Codex* 4992 *antiquior est et copiosior, alter in multis decurtatus.*

ANNO Domini MCII,... occisus est Stephanus Comes Blesensis XV Kal. Augusti apud Ramulam. Mortuus est et Hugo Magnus apud Tharsum, et successit ei Rodulfus filius ejus....

Digitized by Google

Anno MCVII,.... Boamundus remeavit de Gallia in Apuliam cum magno exercitu, A et cœpit vastare terram Alexii Imperatoris Græcorum....

Anno MCX,... obiit Guillelmus Rotomagensis Archiepiscopus, et succedit Gaufridus Cenomannensis Decanus....

Anno MCXIV,.... Decedente etiam in Normannia Gisleberto viro religioso, Ebroicensi Episcopo, successit ei Audoenus vir magnæ sanctitatis....

Anno MCXVI,... cùm autem Rex Henricus ad Pascha transfretasset in Normanniam, fuit maxima inter eum discordia et Regem Francorum Ludovicum. Causa autem hæc erat (*a*) : Theobaldus Consul Blesensis, nepos Regis Anglorum Henrici, contra dominum suum Regem Francorum arma promoverat, in cujus auxilium Rex Anglorum duces suos militiamque misit, et Regem non mediocriter afflixit.

Anno MCXVII. Henrico Anglorum Rege gravissimus labor insurrexit. (*Ut apud* B *Henricum Huntind. hoc et quinque sequentibus annis.*)

Domnus Pontius Abbas Cluniacensis, cùm vellet ad unguem corrigere excessus et in cibo et in vestitu quorumdam Monachorum, qui exteriora ejusdem Monasterii negotia tractabant, insurrexerunt in eum, et crescente simultate, accusaverunt eum in præsentia Paschalis Papæ (*b*) de quibusdam gravissimis capitulis, licèt falsis. Quibus cùm dedignaretur respondere, dicens nec de accusatione eorum se curare, nec de Abbatia (confidebat enim et in bona conscientia, et in genere, utpotè filius Comitis Mergulensis) invito Papa Abbatiam relinquens, Jerosolymam perrexit. At illi durantes in malitia sua, elegerunt in Abbatem Hugonem, Priorem Marciniaci. Quo defuncto infra primum annum sui regiminis, elegerunt quemdam strenuæ nobilitatis juvenem, nomine Petrum. Quomodò autem prædictus Pontius de Jerosolymis rediens, iterùm Abbatiæ, cui renunciaverat, C præesse voluit, et quomodò schismate facto in eodem Monasterio, multùm humani sanguinis effusum est, pudet dicere. Remansit tamen venerabili Petro regimen Monasterii Cluniacensis, quod adhuc disponit, transactis exinde triginta duobus annis : Pontius verò in Monasterio, quod vocatur Cavea, ad ultimum mortuus est.

Mortuus est autem etiam hoc anno vir religiosus et magnæ litteraturæ, Ivo Carnotensis Episcopus. Hic dum esset juvenis, audivit magistrum Lanfrancum Priorem Becci, de sæcularibus et divinis litteris tractantem in illa famosa schola quam Becci tenuit : in qua multi et nobilitate sæculari, et honestate morum convenerunt viri præditi, et qui postea ad summum apicem ecclesiasticæ dignitatis et religionis attigerunt. Postea verò idem Ivo aliquandiu præfuit Conventui Canonicorum S. Quintini Belvacensis : ad ultimum Episcopus factus, rexit Ec- D clesiam Carnotensem viriliter et religiosè ferè per annos XXIII. Reliquit autem multa monimenta industriæ suæ, religionis et sapientiæ, ædificando scilicet Monasterium Canonicorum S. Joannis de Valle, in quo et sepultus est ; et domos

(*a*) Causa discordiæ (*inquit Petrus Blesensis in historiâ Croylandensis Cœnobii, apud Joan. Fell inter Anglicæ Hist. Script. pag.* 129.) « dominus » meus inclytus Comes Blesensis Theobaldus » exstiterat, Regi Francorum Ludovico pro suâ » sanctitate contemptui habitus, et derisoriis » injuriis sæpenumero a regiis tyronibus lacessi- » tus. Quod Regi Anglorum non latuit : qui suæ » cognationis generosam parentelam sic anga- » riari compatiens, ad eumdem præclarissimum » Comitem semper dicendum dominum meum » Theobaldum nuncios direxit, videlicet Gil- » bertum Westmonasterii et Joffridum Croylan- » diæ Abbates, ambos Franciâ genitos et nu- » tritos, ambos in septem liberalibus artibus in- » signes Doctores, sensu celebres, senio reveren- » dos, præfato domino meo carissimos, et om- » nibus Belgicæ Franciæ notissimos et amatos. » Donati magnis sumtibus a Rege, non tanquam » regales nuncii procedunt, sed tanquam indi- » genæ suos contribules visitaturi, et contem- » poraneos Magistros Parisiis et Aurelianis salu- » taturi, subitò per itinerandum ad Comitem » divertunt sine strepitu et pompa. Negotio ci- » tiùs nunciato, discedunt, ... Regi in responsis » referunt ipsum in Normanniam Comitem Regis » colloquio festinantiùs accessurum ». Hæc ille ; sed veram dissidii causam præstat audire ab ipso Ludovico Rege ad Patres Remensis Concilii conquerente : *Theobaldus Comes,* inquit, *homo meus est ; sed instinctu avunculi sui contra me nequiter erectus est : ejus enim divitiis et potentiâ inflatus, in me rebellavit, et infidus mihi atrocem guerram fecit, regnumque meum ad detrimenta multorum conturbavit. Legitimum bonumque virum Guillelmum Comitem Nivernensem, quem benè nostis, remeantem de obsidione castelli cujusdam excommunicati furis, ubi verè spelunca latronum et fossa Diaboli erat, comprehendit, et usque in hodiernum diem carceri mancipavit. Religiosi Præsules Thomam de Marla seditiosum prædonem totius provinciæ meritò adversati sunt : ideòque mihi generalem inimicum peregrinorum et omnium simplicium obsidere præceperunt, et ipsi mecum legitimique Barones Galliæ ad comprimendos exleges convenerunt : et cum communi collectione christiani exercitûs pro zelo Dei certaverunt. Inde præfatus heros cum mea licentia pacificè regrediens captus est, et a Theobaldo Comite usque hodie retentus est : licèt eum multitudo Procerum ex parte mea sæpè pro liberatione Comitis suppliciter requisierit, et tota terra ejus ab Episcopis anathematisata sit.* Ita Ordericus Vitalis Lib. XII.

(*b*) Anno 1121 vel seq. Pontius apud Calistum II, non verò Paschalem, accusatus, Abbatiâ indignabundus se abdicavit.

Digitized by Google

A Episcopii faciendo, et a malis consuetudinibus et exactionibus Comitis Carnotensis idem Episcopium liberando, et multa utilia scribendo....

Anno MCXXIII,... Hugo de *Montfort* perfecerat quoddam castellum validissimum in eodem loco, quod cùm Rex interrogaret, noluit dare, monitu uxoris suæ, sororis Galeranni Comitis Mellenti, qui jam discordiâ propalatâ a Rege discesserat. Quod castrum Rex obsidens cepit : deinde *Pontaldemer* obsidens castellum Comitis cepit; deinde Brionnium, sed non tam facilè, cepit. Posueratque Rex Proceres suos cum magna militum copia pluribus locis in Normannia, quæ guerra plurimùm patriam afflixit.

Callixtus Papa tenuit Concilium (*a*) Remis, cui interfuit Ludovicus Rex Francorum. Postea in eodem anno idem Papa venit in Normanniam loqui cum Henrico Rege Anglorum, et locuti sunt insimul in castello *Gisorth*, magnus
B Rex et magnus Sacerdos.

Henricus Rex circa turrem Rotomagi, quam ædificavit primus Ricardus Dux Normannorum in palatium sibi, murum altum et latum cum propugnaculis ædificat, et ædificia ad mansionem regiam congrua infra eumdem murum præparat : ipsi verò turri propugnacula, quæ deerant, addit. In qua turre fenestra est, quæ vocatur *Conani saltus*, quia ex ea idem Henricus fecerat præcipitari quemdam traditorem Rotomagensis urbis prædivitem, nomine Conanum, qui ipsam urbem volebat tradere hominibus Guillielmi Regis Anglorum (*b*); sed præventus est a fidelibus Roberti Ducis, et maximè ab Henrico fratre ipsius, qui tunc partes Ducis juvabat : unde et ipsum dignâ morte mulctavit. Turrem nihilominùs excelsam fecit in castello Cadomensi, et murum ipsius castelli, quem pater suus fecerat, in altum crevit : murum verò circa burgum, ita ut a Guillielmo Rege patre
C suo factus fuerat, intactum reliquit. Item castellum, quod vocatur Archas, turre et mœnibus mirabiliter firmavit. Sic etiam fecit castellum *Gisorth*, Falesiam, Argentomagum, Oximum, Damfrontem, Ambreras, castellum de Vira, *Waure*, turrem Vernonis similiter fecit....

Anno MCXXIV. Rex Anglorum Henricus fortunatè glorificatus est. Guillielmus namque de Tancarvilla Camerarius ejus, cum aliis pluribus Baronibus, aciebus statutis confligens, cepit Comitem Mellenti, VII Kal. Aprilis, Galerannum, tunc satis juvenem, militem tamen armis fortem, et Hugonem de *Montfort* sororium ejus, et Hugonem filium Gervasii, et alios multos magnæ probitatis et magni nominis viros, in valle videlicet juxta *Bortoroud*, in itinere munitionis castelli de Watevilla. Rex Henricus tunc erat apud Cadomum; quod audiens credere non potuit, donec oculis suis vidit. Traditi igitur Regi, positi sunt in
D carcerem, et sic magna illa patriæ dissensio finem accepit et destructio....

Obiit domnus Willielmus piæ memoriæ, tertius Abbas Beccensis Ecclesiæ :... quam cùm XXX annis et dimidio, sex diebus minùs, strenuè gubernasset, LXX ætatis suæ circiter anno, Monachatûs verò ferè XLVI, migravit a sæculo, XVII Kalendas Maii.... Huic successit pius Boso....

Anno MCXXVIII,... obiit Gaufridus Rotomagensis Archiepiscopus, mense Decembris. Successit Guillelmo Comiti Flandrensi *Terri* de Auseis *....

Anno MCXXIX.... Ludovicus Rex Francorum eodem anno fecit sublimari filium Philippum in Regem.

* Theodericus de Alsatia.

Dicam quod forsitan placeat lectori de successionibus Apuliæ. Primus in Apulia præfuit Normannis, dum adhuc ut advenæ Wimachi Ducis Salerni stipendiarii essent, Tustinus cognomento Scitellus. Quo mortuo per venenum serpentis,
E quem ipse occiderat, successit ei in principatum Ramnulfus, qui condidit Aversam urbem. Huic successit Ricardus filius ejus Princeps Capuæ, qui filio suo Jordani reliquit moriens eumdem principatum, et Jordanis filio suo Ricardo juniori. Post aliquantum temporis Constantiniensis Drogo, filius Tancredi de Altavilla, Princeps Normannorum in Apulia factus est. Hunc Warzo Comes Neapolis pef traditionem in Ecclesia S. Laurentii occidit. Huic successit Humfredus frater ejus, totamque Apuliam Normannis subegit. Hic moriens Abailardum filium suum Roberto fratri suo, quem pro versutiis Wiscardum cognominaverat, cum Ducatu Apuliæ commendavit. Robertus fratres suos, qui omnes Duces vel Comites fuerunt, virtute et sensu ac sublimitate transcendit. Nam totam Apuliam,

(*a*) Remense Concilium a Calixto Papa celebratum anno 1119 assignat, et quidem rectè, Henricus Huntind. cujus verba Robertus hic repræsentat.

(*b*) An. 1090, ut videre est apud Ordericum Vital.

Digitized by Google

Calabriam, Siciliam sibi subjugavit, et transmeato mare, maximam partem A
Græciæ et Africæ invasit. Hic multa bona fecit, Episcopatus et Abbatias plures restauravit. Hic, relictâ priore uxore Normanigena propter consanguinitatem, de qua susceperat filium, Boamundum nomine, duxit primogenitam filiam Gaumarii Principis Salernii, favente Gisulfo fratre prædictæ puellæ. Minor verò soror ejus nupsit Jordani Principi Capuæ. Roberto morienti successit in Ducatum Apuliæ Rogerius filius ejus, natus ex secunda uxore, ex qua genuerat tres filios et quinque filias. Hoc etiam Rogerio deficiente et filiis suis, post ipsum Rogerius patruelis ipsius, filius Rogerii Comitis Siciliæ, fratris Roberti Wiscardi, solus tam Apuliam quàm Siciliam obtinuit. Hic factus est Rex anno ab Incarnatione Domini MCXXX, causâ altercationis duorum Apostolicorum, qui tum Romæ electi erant : quorum Anacletus, qui Romæ erat, concessit ei ut regio diademate decoraretur. B

Anno MCXXX, Honorius Papa decessit : cui successit Gregorius Cardinalis Presbyter Romanæ Ecclesiæ, vocatus Innocentius. Electus est etiam cum eo, imò intrusus per seditionem populi furentis et per violentiam parentelæ suæ, alius Cardinalis, videlicet Petrus-Leonis, vocatus a populo Anacletus, et vixerunt ambo ferè octo annis. Remansit autem Anacletus in urbe propter fratres suos, qui erant potentes viri et habebant principatum castelli Crescentionis. Innocentius verò ad Cismontanos transiit : unde dictus est ille monosticon,

Romam Petrus habet, totum Gregorius orbem.

Rex Anglorum Henricus.... mense Septembris transiit in Normanniam, et ad Nativitatem S. Mariæ fuit Becci, et adduxit secum Hugonem noviter electum Rotomagi Archiepiscopum, qui fuerat Abbas Radingensis. Qui etiam sacratus est in festo S. Crucis, die Dominicâ, Archiepiscopus Rotomagensis quinquagesimus; C
quem consecravit Ricardus Bajocensis Episcopus cum Coepiscopis suis in Ecclesia S. Audoeni....

Anno MCXXXI, Rex Anglorum Henricus apud Carnotum post Natale recepit Papam Innocentium, Anacleto subjici recusans. Post Pascha venit idem Papa Rotomagum, et receptus est a Rege Henrico honorificè, et ejus auxilio receptus est per totas Gallias. Post in æstate Rex Henricus rediit in Angliam, secum filiam suam adducens, etc. (*Ut apud Huntind.*)

Eodem anno mense Octobris, contigit etiam quòd filius Regis Francorum Philippus jam Rex factus, dum cornipedem ludens agitaret, obvium suem habuit : cui cùm pedes equi currentis offenderent; occidit Rex novus, et fractis cervicibus exspiravit. Ecce res insolita et admiratione digna ! ecce quanta celsitudo quàm leviter et quàm citò adnihilata est ! Eodem mense, Innocentius Papa sa- D
cravit fratrem ejus Ludovicum Remis in Regem, satis parvæ ætatis infantem, cùm idem Papa ibi teneret Concilium in festo SS. Crispini et Crispiniani, die Dominicâ. Qui Deum diligens et Ecclesiam, plurimùm vixit honestè...

Anno MCXXXIII,... passus est sol eclipsim IV Nonas Augusti. Eodem die Rex Henricus transfretavit in Normanniam non rediturus, multis hoc propter signum quod acciderat, mussitantibus.... Mense Martii natus est Cenomannis Henricus primogenitus filius Gaufridi Comitis et Matildis Imperatricis.

Anno MCXXXIV, natus est Gaufridus, secundus filius Comitis Andegavensis, mense Maio in Pentecoste, Rotomagi. Et infirmata est mater ejus Matildis Imperatrix, propter difficultatem partûs, usque ad desperationem : ubi prudentia ejus evidentibus indiciis manifestata est. Nam thesauros suos orphanis, viduis et reliquis pauperibus, et maximè Ecclesiis et Monasteriis, manu sicut largâ, ita E
devotâ distribuit. Monasterium verò Beccense abundantiori benedictione in auro et argento et lapidibus pretiosis et multiplici ornatu Ecclesiæ, quàm reliqua Monasteria cumulavit. Poposcit etiam patrem suum ut ibidem sepeliretur : quod cùm ille priùs renueret, dicens dignius esse ut Rotomagi sepulta conderetur, ubi et antecessores ejus (Rollonem et Guillelmum filium ejus dico) requiescerent; dixit animam suam nunquam esse lætam, nisi compos voti in hac parte duntaxat fieret. Concessit pater quod petebat; sed Domino volente, sanitati restituta est.

Hoc anno toto Henricus moratus est in Normannia pro gaudio nepotum suorum Henrici et Gaufridi. Eodem anno Rex Henricus donavit Episcopatum Bajocensem Ricardo filio Roberti Comitis Gloecestriæ; Episcopatum verò Abrincensem Ricardo de *Belfou*. Obiit Robertus Dux Normannorum, filius Guillelmi Regis,

Digitized by Google

A qui Angliam sibi subdidit, primogenitus, et sepultus est apud *Gloecestrie*.

Anno MCXXXV, luna passa est eclipsim IV Nonas Januarii....

Hoc etiam toto anno Rex Henricus continuè moratus est in Normannia, et sæpè, non rediturus, in Angliam redire proponebat, etc. (*ut apud Huntind.*)

Decessit Rex magnus, cùm regnasset XXXV annis et IV mensibus, in prima die Decembris. Nomina castellorum, quæ in Normannia ex integro fecit Rex Henricus in margine ipsius provinciæ, hæc sunt : Drincurtis, Novum-castrum super Eptam, Vernolium, Nonnanticurtis, Bonummolinum, Colmiæ-mons, Pons-Ursonis, Castrum S. Dionysii in *Lions*, Vallem-Rodulii, * turrem Ebroicarum, turrem Alenconii, turrem Constantiarum, turrem S. Johannis juxta Montem S. Michaëlis, et alias plures quas supra commemoravimus. Fecit etiam in Anglia et in Normannia Monasteria plurima, scilicet Monasterium Rádingarum, Mo- * *Vaudreuil.*

B nasterium Canonicorum Regularium apud *Cirecestre*, Monasterium de Prato apud Rotomagum, Monasterium de Mortuo-mari. Fecit etiam alia multa pietatis opera, quæ in libro de vita ejus pleniùs enumeravimus (*a*).

Defuncto Rege Henrico apud S. Dionysium in Sylva Leonum IV Nonas Decembris *, allatum est corpus ejus in civitatem Rotomagum ab Archiepiscopo et * An. 1135.
Episcopis et Comitibus et Baronibus, qui multi convenerant, et in Ecclesia S. Mariæ apertum : et cor et lingua et viscera ejus in Monasterio Prati ante altare tumulata sunt. Corpus verò reliquum, sale multo aspersum, coriis est involutum et translatum Cadomum, et juxta tumulum patris sui in Monasterio S. Stephani positum, usquequò ventum ad transfretandum convenientem executores exequiarum ejus haberent. Infra ergo XII dies Natalis Domini sepultum est in Monas-

C terio S. Mariæ Radingensis, quod a fundamentis ipse ædificaverat, et ornamentis et possessionibus ditaverat. Interfuit exequiis ejus Stephanus jam Rex nepos ejus, et Archiepiscopus Cantuariensis Guillielmus et alii Proceres regni. Siquidem prædictus Stephanus cùm esset in Comitatu suo Boloniæ (*b*), auditâ morte avunculi sui, transfretavit citissimè in Angliam, vir magnæ strenuitatis et audaciæ; et quamvis promisisset sacramentum fidelitatis Anglici regni filiæ Regis Henrici, fretus tamen vigore et prudentiâ, regni diadama audaciâ suâ invasit....

Auditâ morte Regis Henrici, Comes Andegavensis et uxor ejus Mathildis, filia ejusdem Regis, absque ulla difficultate castella Normanniæ obtinuerunt, vide-

D licet Damfrontem, Argentomagum, Oximum, Ambreras, Gozram, Colmiæmontem. Ista tria ultimò nominata interim Comes concessit Gihello de Meduana, hâc conditione ut ipse eum fideliter adjuvaret in acquirendo hæreditatem uxoris suæ et filiorum suorum : dicebat enim idem Gihellus illa oppida esse in terra sua. Redditæ sunt etiam prædicto Comiti omnes firmitates Guillelmi Talevatii Comitis Pontivi, quas habebat in Normannia, quas Rex Henricus habebat in manu ante mortem suam, et a quibus exsulaverat eumdem Guillielmum. Et ideò aliquanta discordia fuerat inter Regem et Comitem et Imperatricem ante ipsius Regis mortem; quia nolebat reddere Guillielmo casamentum suum. Erat et alia causa ipsius discordiæ major, quia nolebat reddere securitatem filiæ suæ, et marito ejus idem requirenti, de omnibus firmitatibus Normanniæ et Angliæ : hoc enim requirebant propter filios suos, qui erant legitimi hæredes Regis Henrici. Comes verò Gaufridus benignè reddidit easdem firmitates prædicto Guillielmo.

Mortuo Rege, ut prædictum est, Optimates Normanniæ confestim miserunt propter Comitem Tebaldum, ut veniens reciperet Normanniam. Venit itaque Rotomagum, et postea Lexovias in Sabbato jejunii decimi mensis *. In crastino, * *id est* Decembris.

E dum colloqueretur ipse et Comes Gloecestriæ Robertus, venit nuncius de Anglia dicens Stephanum fratrem suum jam esse Regem. His auditis, Comes Gloecestriæ reddidit castrum Falesiæ quod habebat, asportatâ priùs magnâ parte thesauri Regis Henrici, quod nuper allatum fuerat de Anglia.

Anno MCXXXVI,... mense Augusto apud Argentomagum natus est Guillielmus, tertius filius Comitis Gaufridi.... Interim mala multa multiplicata sunt, non solùm in Anglia, sed etiam in Normannia, et multis aliis locis.

Obiit piæ memoriæ domnus Boso, quartus Abbas Beccensis Monasterii, vir magnæ auctoritatis, orbi clarus, sapientiâ, prudentiâ, præcipuèque spiritu consilii pollens. Hic anno ætatis suæ circiter XXIII, factus est Monachus Becci sub S. Anselmo ejus loci Abbate : annis XXVI Monachus sine prælatione fuit : deinde Prior

(*a*) Nempè Lib. VIII, Guillelmi Gemmet. (*b*) Cod. R. 4992 : *Cùm esset Comes Moretonii et Boloniæ.*

Digitized by Google

sub domno Guillelmo Abbate, prædicti Anselmi successore, IX annis : post quem elec- A
tione totius congregationis Abbas constitutus, rexit eamdem Abbatiam annis XII, diebus XII. Transiit autem nocte Nativitatis S. Johannis-Baptistæ, hoc est VIII Kal. Julii, anno ætatis suæ LXXI, Monachatûs verò XLVII. Paucisque interpositis diebus, electus est Abbas domnus Tebaldus vir nobilis et probus, qui tunc erat Prior.

Comes Tebaldus nepos Regis Henrici, conductus a Roberto Comite Leicestriæ, obsedit (*a*) Pontem S.Petri, et cepit eum super Rogerium de Toeneio.

* An. 1136. Eodem anno * obierunt plures ex Principibus Angliæ;... Ricardus filius Gisleberti [Brionnæ Comitis]; Robertus filius Ricardi, patruus ejus; Ricardus filius Balduini [de Molis] consobrinus ejus; secundus Guillelmus de Warenna Comes Surreiæ.

Mense Septembris, Gaufridus Comes Andegavensis adduxit maximum exercitum in Normanniam usque Lexovias, quando combusta est eadem civitas. In B
redeundo cepit Sapum. Eâdem Septimanâ Galeranus Comes Mellenti cepit apud Achinnum Rogerium de Toeneio, rapinæ et incendio vacantem.

Anno MCXXXVII, Stephanus Rex Anglorum in Quadragesima transiit in Normanniam, et obsedit Lislebonam et cepit, quam tenebat Rabellus Camerarius. Inde obsedit Grantsilvam. Locutus est etiam apud Ebroicas cum fratre suo Comite Tebaldo, et pepigit ei duo millia marcas argenti per annum; quia Comes Tebaldus indignabatur quòd idem Stephanus, qui junior erat, acceperat coronam quæ sibi, ut dicebat, debebatur. Redditâ igitur firmitate Grantsilvæ, concordatus est Stephanus cum Rege Francorum, et Eustachius filius ejus fecit ei hominium de Normannia, quæ adjacet regno Francorum.

Exinde cùm Rex Stephanus vellet ire in terram Comitis Andegavensis, facta est discordia magna in exercitu ejus apud *Livarrou* propter unam (*b*) hosam vini, C
quam abstulerat quidam Flandrensis cuidam armigero Hugonis de *Gornai*. Facta est itaque magna dissensio inter Normannos et Flandrenses. Rediit ergo Rex infecto negotio. Nec mora exinde, quòd Comes Andegavensis adduxit exercitum multò majorem illo quem anno præterito adduxerat. Intercurrentibus tamen nunciis inter ipsum et Regem Stephanum, idem Dux dedit trevias usque ad tres annos, hâc conditione, ut Rex singulis annis daret ei duo millia marcas argenti : et de primo anno statim debitam summam accepit. Istæ treviæ uno anno utrimque duraverunt, id est usque ad festum S. Johannis anni futuri. His itaque gestis, Rex Stephanus in Adventu rediit in Angliam.

Obiit Ludovicus senior Rex Francorum, et successit ei filius ejus Ludovicus, qui accepit filiam Ducis Aquitanorum, *Alienor* nomine, ex qua genuit duas
* An. 1137. filias... Kalendis Augusti *, quando Rex Ludovicus decesserat, combustum D
est ipsâ nocte Corbeiæ Monasterium.

Ipso anno tanta siccitas fuit, ut etiam stagna et flumina multa siccarentur, terra in multis locis diutissimè arderet, arbores plurimæ in sylvis et virgultis arescentes morerentur et arderent, nullo incendente.

Tebaldus electus Beccensis Ecclesiæ, vir magnæ bonitatis et scientiæ, benedictus est Abbas ejusdem Ecclesiæ, omni Conventu animo libenti concedente, apud Rotomagum a domno Hugone Archiepiscopo.

Anno MCXXXVIII, Stephanus Rex Anglorum in Natali obsedit *Bedefort*, etc.

Adnitente Rege Stephano et Reginâ, Tebaldus Abbas Beccensis Ecclesiæ, vir admodùm venerandus, Cantuariensis Ecclesiæ Archiepiscopus effectus est, transactis duobus annis et dimidio postquam Abbas constitutus fuerat. Consilioque ejus fuit Abbatia Becci sine Abbate sub Ricardo Priore de *Belfou*, a Nativitate E
Domini, vel paulò antè, usque ad Pentecosten, quousque videlicet ipse Româ rediret.

* An. 1138. Hoc eodem anno * mense Octobri, Gaufridus Comes Andegavensis obsederat Falesiam per XV dies cum magno exercitu, et Robertus Comes Gloecestriæ cum eo; qui circa præteritum Pascha concordiam cum eo fecerat. Hoc etiam anno Oximenses et Baiocenses subditi sunt ei.

Anno MCXXXIX,... electus est et constitutus Abbas Beccensis Ecclesiæ ab omni æqualiter congregatione, vir magnæ sanctitatis et scientiæ domnus Letardus, de Beccensi prosapia natus :... qui pro qualitate temporis gregem sibi commissum optimè rexit, licèt in suo tempore assiduâ tempestate patria turbaretur.

(*a*) Tertiâ Junii hebdomadâ, ex Orderico. (*b*) Id est ocream vino plenam.

Anno

Digitized by Google

A Anno MCXL (*a*),... obiit Comes Ebroicensis Amauricus, et successit frater ejus Simon. Obiit Rabellus Camerarius, et successit filius ejus Guillielmus. Obiit Henricus Comes de *Ou*, et successit Johannes filius ejus....

Obiit Audoenus Episcopus Ebroicensis in Anglia, et successit Rotrodus vir religiosus, bonis ornatus moribus, et dilectus ab omnibus, filius Henrici Comitis de *Warvic*.

Gaufridus Comes Andegavensis obsedit, et postea destruxit in Oximensi pago castellum Fontanetum, munitissimum et arte et naturâ, quia Robertus Marmium, dominus ipsius castelli, tenebat contra eum Falesiam. Henricus [de Soleio] fit Abbas Fiscanensis, nepos Regis Stephani.

Anno MCXLI,... in Octava Paschæ, Episcopus Lexoviensis Johannes subdidit se Gaufrido Comiti Andegavensi, et reddidit ei civitatem, quam aliquandiu contra
B eum tenuerat. Subditi sunt etiam ei omnes potentes Lexoviensis Comitatûs.

Circa Pentecosten obiit prædictus Johannes Episcopus. Hic multùm episcopalem sedem ædificiis et ornamentis accrevit : urbem quoque, cujus muros Herbertus Episcopus propter Ecclesiam ædificandam destruxerat, mœnibus ambivit. Successit ei Arnulphus nepos ejus, Sagiensis Archidiaconus, vir admodùm callidus, eloquens, litteratus.

Walerannus Comes Mellenti, qui omnibus Normanniæ Primatibus, et firmitatibus et redditibus et affinibus præstabat, concordiam fecit cum Comite Gaufrido Andegavensi, et concessum est ei castellum Montis-fortis, quod ex tempore mortis Henrici Regis possederat. Subdiderunt itaque se nobili Principi et omnes Rotomagenses, non cives urbis, sed videlicet ii qui commanent circa fluvium Sequanæ usque ad flumen *Risle*. Reddita est Falesia Comiti Gaufrido Andegavensi.
C Inceptum est Capitulum Becci, tam consilio quàm auxilio Roberti Noviburgensis.

Anno MCXLII, Robertus Comes Gloecestriæ in æstate transfretavit in Normanniam, ducens secum obsides, filios scilicet Comitum et Magnatum Angliæ, qui Imperatrici favebant, petentium quatenùs illos Comes Gaufridus retineret, et ad regnum Angliæ subjugandum transfretans se præpararet : quod Comes ad tempus renuit, quia rebellionem Andegavensium et aliorum hominum suorum timebat. Tradidit tamen illi Henricum primogenitum filium suum, ut eum secum duceret. Nec mora, præsente Comite Roberto, obsedit castellum Alnei et cepit. Et majori exercitu congregato, pergens ad Moritolium, redditum est ei, et *Tenerchebrai*, Cereces (*b*), Tiliolum, scilicet quatuor castella propria Comitis Moritoliensis. Inde Abrincatenses subdiderunt se eidem Duci, et Constantienses (*c*).
D Rex Francorum Ludovicus afflixit Comitem Tebaldum, et vastavit terram suam, maximè in Campania, ubi combussit castellum optimum, Vitreium scilicet : ubi multitudo maxima diversi sexûs hominum et ætatis concremati sunt. Innocentius Papa interdixit tunc terram dominicam ipsius Regis, quia nolebat recipere Archiepiscopum Bituricensem, quem tamen postea recepit : et Papa absolvit eum de sacramento quod irrationabiliter fecerat.

Ecclesia de Bello-monte datur Ecclesiæ Beccensi....

Anno MCXLIII, obiit Ricardus Baiocensis Episcopus : cui successit Philippus de Haricuria. Obiit etiam Ricardus Episcopus Abrincensis, et successit Ricardus ejusdem Ecclesiæ Decanus.

Eodem anno Comes Andegavensis obsedit Cæsaris-burgum, donec ei redderetur. Redditum est ei etiam Vernolium et Vallis-Rodolii *. Gauterius etiam Gifardus * *Vaudreuil.*
E Comes [Bukinghamiæ], et alii Caletenses pacem ejus adepti sunt.

Mense Septembri eodem anno obiit Innocentius Papa, et successit Guido de *Castelle*, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, vocatusque est Cœlestinus. Sedit autem v menses et v dies....

Decessit piæ memoriæ Hugo (*d*) Canonicus S. Victoris Parisius, vir religiosus, et admodùm tam sæcularibus quàm divinis litteris eruditus, relinquens multos libros in monumento suæ scientiæ.

(*a*) In editis exemplaribus hoc loci continuatur an. 1139, quæ causa fuit perturbatæ ad an. 1154 chronologiæ : sed in codd. mss. quibus usi sumus, ponitur hìc et meritò annus 1140, et sic deinceps monade augescunt anni Imperatorum et Regum.

(*b*) Fortè Carentias, quam munitionem eo anno Gaufridum occupasse constat.

(*c*) Abrincatenses et Constantienses Andegav Comiti an. 1143 se suddidere, ex chronico Andega vensi.

(*d*) Hugonis Victorini obitum an. 1141 statuun accuratiores Historici.

Digitized by Google

Anno MCXLIV,... Gaufridus Comes Andegavensis, congregato magno exer- A
citu, post festum S. Hilarii transiit Sequanam apud Vernum; et metatis castris apud S. Trinitatem de Monte Rotomagi, sequenti die, videlicet in festo SS. Fabiani et Sebastiani, receptus est a civibus Rotomagi solemniter. In ipso tamen suo introitu, et per totum diem usque post Nonam, fuit ventus vehementissimus, silvas eradicans et domos prosternens. Redditâ urbe, homines Comitis Warennæ, qui Regi Stephano favebant, noluerunt turrem reddere. Obsedit ergo eam Comes Gaufridus, Galerannus Comes Mellenti, et cæteri Principes Normanniæ, qui jam cum Duce concordati erant. Factis igitur machinis multis, non potuerunt eam expugnare propter situm loci, et ipsius arcis fortitudinem. In ipsa obsidione mortuus est Comes Perticensis Rotrodus, relinquens duos filios parvulos, Gaufridum et Rotrodum (*a*). Uxorem verò suam postea Ludovicus Rex Francorum dedit Roberto fratri suo. Tandem deficiente alimoniâ intra B
arcem Rotomagi obsessis, reddiderunt se et turrem, videlicet Gaufrido Comiti Andegavensi, jam exinde Normannorum Duci. Anno præterito quædam pars ejusdem turris corruerat, ex ea parte videlicet, per quam Dux Gaufridus intraverat urbem, cùm ei reddita est, et in qua machinas suas posuit ad eamdem turrim expugnandam.

Ordinatis igitur in turre et in urbe quæ necessaria fuerunt, Dux impiger ad anteriora se extendens, congregato magno equestri exercitu, non solùm suorum, sed etiam amicorum et dominorum (venerat enim Comes Flandrensis sororius ejus cum mille quadringentis equitibus, venerat et Ludovicus Rex Francorum cum copiis suis) aggressus est expugnare castellum Drincurtis, quod adhuc tenebant ei resistendo stipendiarii Comitis Warennæ : qui videntes se non posse ei resistere, reddiderunt prædictum castellum, licèt inviti. Hugo etiam de Gornaco reddidit C
castellum de *Leons*, timens ne Comes omnem terram suam exterminaret. Pacificatis itaque omnibus in Normannia, excepto castello de Archis, quod Guillelmus Monachus Flandrensis adhuc tenebat propter fidelitatem Regis Stephani, licèt homines Ducis Gaufridi illud sine intermissione obsiderent, redierunt quique in sua.

Obiit Johannes Sagiensis Episcopus : cui successit Girardus Canonicus ejusdem Ecclesiæ, vir jucundus et admodùm litteratus. Iste Johannes rem dignam memoriâ tempore Henrici Regis effecit. Canonicos enim sæculares suæ Ecclesiæ regulariter, et secundùm S. Augustini institutionem, vivere fecit, additis officinis congruentibus et claustro. Hoc idem Johannes Lexoviensis avunculus ejus, et Gaufridus Carnotensis Episcopi, tentare in suis Ecclesiis voluerunt; sed in ipso conatu defecerunt.

Mense Martio, obiit Cœlestinus Papa; cui successit Girardus civis Bononiensis, D
Canonicus Regularis et Cancellarius Romanæ Ecclesiæ, et Cardinalis tituli S. Crucis vel Jerusalem (quod idem est) vocatus postea Lucius II, qui sedit uno anno.

Anno MCXLV,... in æstate redditum est castellum Arcense Duci Gaufrido, occiso Guillelmo Monacho fortuitu in turre sagittâ, qui illi præerat....

Hoc eodem anno, cœperunt homines priùs apud Carnotum carros lapidibus onustos et lignis, annonâ et rebus aliis, suis humeris trahere ad opus Ecclesiæ, cujus turres tunc fiebant; quæ qui non vidit, jam similia non videbit, non solùm ibi, sed etiam in tota penè Francia et Normannia et aliis multis locis. Ubique humilitas et afflictio, ubique pœnitentiæ et malorum remissio, ubique luctus et contritio. Videres fœminas et homines per profundas paludes genibus trahere, verberibus cædi, crebra ubique miracula fieri, Deo cantus et jubilos reddi. Exstat enim hac de re priùs inaudita, Hugonis epistola Rotomagensis Archiepiscopi ad E
Theodoricum Episcopum Ambianensem, super hac re sciscitantem. Diceres pro-
Ezechiel. 1.20 phetiam impleri, *Spiritus vitæ erat in rotis.* (*a*)

Gaufridus Dux pontem Rotomagensem reficit firmissimum.

Obiit Lucius Papa mense Martio; cui successit Bernardus Abbas Monasterii S. Anastasii, quod est extra muros Romæ, ubi Innocentius Papa, qui quartus ante istum fuerat, Abbatiam noviter fecerat de Ordine Monachorum de *Cistelch*, et Bernardus Abbas de Claravalle, quandò illuc misit Conventum, hunc præ-

(*a*) Duobus hisce filiis adjungendus est tertius, nempè Stephanus, quem e Galliis accitum anno 1166 Margarita Perticensis, vidua Guillelmi I Siciliæ Regis, regnique, dum in ephebis esset filius ejus Guillelmus II, gubernatrix, Archicancellarium regni primò creavit, ac postmodùm, magno ipsius damno, ad Archiepiscopatum Panormitanum evexit.

(*b*) Hanc epistolam dabimus suo loco cum alia Aimonis Monachi Divensis de eodem argumento.

Digitized by Google

A fecerat; maximè quia Papa Romanus aliquando, antequam ad Monachatum iste veniret, ad sacrum ordinem illum promoverat; erat enim Transmontanus, utpotè civis Pisensis. Fuit autem ordinatus primâ hebdomadâ mensis Martii, et vocatus est Eugenius.

Incœptum est caput Monasterii Beccensis Ecclesiæ pridiè Idus Augusti, præsente piæ memoriæ domno Letardo Abbate.

Anno MCXLVI,... visis miraculis quæ fiebant in locis religiosis, et afflictione cum humilitate multimoda, carris venientibus; auditâ etiam conquestione Christianorum de sanctis locis venientium, super irruptione Paganorum; prædicatione etiam Bernardi Abbatis de Claravalle, viri non contemnendæ auctoritatis, cui Papa Eugenius injunxerat hoc officium, commoti Ludovicus Rex Francorum, Conradus Imperator Alemannorum, Fredericus etiam nepos ejus, Dux Suevorum,
B Galerannus Comes Mellenti, tertius Guillielmus de Warenna Comes, frater ejus (*a*), Theodoricus etiam de Auseis Comes Flandrensis, et alii multi magnæ auctoritatis et dignitatis viri, Franci, Normanni, Angli, et de aliis regionibus innumerabiles, non solùm milites et laïci, sed etiam Episcopi, Clerici, Monachi, crucem in humeris assumentes ad iter Jerosolymitanum se præparaverunt. Rex autem Francorum et Robertus frater ejus et Galerannus Comes Mellenti, et alii multi juxta Vigiliacum * die Dominicâ in Ramis Palmarum crucem assumpserunt.

* Vezeliacum.

Tornacensis Ecclesia cœpit habere proprium Pontificem, cùm a tempore S. Eligii sub Noviomagensi Episcopo egisset.

Dux Gaufridus sartatecta turris Rotomagensis et castelli, quæ per obsidionem corrupta fuerant, decenter restaurat.... Facta est eclipsis solis v Kal. Novembris (*b*).

Anno MCXLVII,... Henricus, filius Ducis Gaufridi et Imperatricis, de Anglia
C in Normanniam veniens, susceptus est a Conventu Becci solemni processione die Ascensionis Domini. Controversia inter Monachos Becci et Canonicos de *Oxineford* pro Ecclesia de Bello-monte, Parisius in præsentia Papæ Eugenii terminata est.

Eodem anno Canonici regulares auctoritate Papæ Eugenii positi fuerunt in Ecclesia S. Genovefæ Parisius, quoniam seculares Canonici injuriam fecerant hominibus Papæ in quadam processione : et habuerunt iidem Canonici primum Abbatem Henricum * Priorem Ecclesiæ S. Victoris; de qua Ecclesia ordinem susceperunt.

* *Corr.* Odonem.

Ludovicus Rex Francorum et Regina Alienor, et socii sui quos supra memoravimus, præsente Papâ Eugenio, in expeditionem Jerosolymitanam ituri a Parisius recesserunt. Quas tribulationes et miserias in ipso itinere, dum per terram Imperatoris Constantinopolitani transirent, a fame, pestilentia, incursione Paga-
D norum perpessi sunt, non est nostri studii enarrare. Quia enim de rapina pauperum et Ecclesiarum spoliatione illud iter ex majori parte incœptum est, nec in eos qui se inhonestè habebant, vindicatum est; ferè nihil prosperum, nihil memoriâ dignum in illa peregrinatione actitatum est. (*c*)....

Anno MCXLVIII.... Rex Gallicæ fretus auxilio Normannorum et Anglorum et aliorum multorum qui navali exercitu Jerusalem petebant, Lexobonam urbem Agarenis abstulit, sicut aliam civitatem *Samtarein* scilicet, anno præterito super eosdem ceperat. Comes etiam Barcinonensis Tortosam urbem eodem anno cepit....

Eugenius Papa in Quadragesima Concilium congregavit Remis, ad quod venit latenter et contra prohibitionem Regis Stephani Tebaldus Archiepiscopus Cantuariensis : unde et favorabiliter susceptus est a Papa....

Circa Adventum Domini, Dux Gaufridus obsedit in Comitatu Lexoviensi cas-
E tellum Roberti Bertranni *Fag.* et destruxit.

Mira miranda Eudonis * pseudo-prophetæ et hæretici patrata sunt : qui in Concilio Remis damnatus, et in turre Archiepiscopi retrusus, ut malè cœpit, ita deperiit. De cujus incantationibus et phantasiis, et factis et dictis, melius est silere quàm loqui.

* Eonis.

Anno MCXLIX. Obiit sanctæ recordationis domnus Letardus, VI Abbas Beccensis Ecclesiæ. Vir quidem iste venerabilis, Beccensis indigena, Monachatum suscepit sub domno Guillielmo Abbate venerando, strenuèque in eo vivens,

(*a*) Nimirùm uterinus. Ambo quippè filii erant Elizabethæ, uxoris primùm Roberti Mellentici Comitis, ex quo Valerannum edidit; deinde Guillelmi II de Varenna, cui Guillelmum III, de quo hìc sermo, peperit.

(*b*) Hæc solis eclipsis ad an. 1147 retrahenda, non quidem V Kalendas, sed VII Kal. Novembris, seu die 26 Octobris, ex tabulis astronomicis.

(*c*) Cod. Reg. 4861 addit : *Obiit piæ memoriæ D. Hilcherius,* IX *Abbas S. Mariæ Lyræ.*

Digitized by Google

laudabilis vitæ senex virgo, cursum finivit VI Nonas Julii, Sabbato infra Octavas Apostolorum Petri et Pauli, circa decimam horam diei, anno ætatis LXV, Monachatûs verò L. Rexit autem Abbatiam sibi commissam prudenter, utpotè filius religionis, et posteà pater et pius amator, annis X et diebus XXIII.... Huic sancto viro successit domnus Rogerius * Prior secundus, in utroque Testamento apprimè eruditus, necnon clericali ac seculari scientiâ decenter ornatus, et ab omni communiter Congregatione electus, in ipsis videlicet Octavis Apostolorum Petri et Pauli : qui benedictus apud S. Wandregesilum in die festivitatis S. Jacobi Apostoli a venerabili Hugone Rotomagensi Archiepiscopo, ab eodem coram Conventu Beccensi in sede sua collocatus est, extunc supra gregem sibi commissum pro posse suo die ac nocte decenter vigilans....

* *de Bailleul.*

Eodem anno post Pascha obierat domnus Bernardus Abbas Montis Sancti Michaëlis, Monachus Beccensis, qui multùm intùs et foris idem Monasterium emendavit.

Dux Gaufridus castellum Monasteriolum in pago Pictavensi obsedit, et fecit ibi tria castella lapidea : et duravit illa obsidio per tres annos, usquequò [Giraldus] *Berlai* dominus castelli reddidit se Comiti. Tunc etiam Comes turrem et castellum evertit....

In festivitate Pentecostes, David Rex Scotorum accinxit armis militaribus Henricum primogenitum filium Ducis Gaufridi et neptis suæ Mathildis Imperatricis, qui anno præterito de Normannia in Angliam transfretaverat.

Eodem anno circa Augustum rediit Ludovicus Rex Francorum de Jerusalem.

Anno MCL, fuit hyems maxima, tribus mensibus continua, tam horribilis ut quidam hominum præ nimio frigoris dolore in membris suis læderentur ; quâ etiam remansit ex maxima parte vernalis agricultura : et inde subsecuta est magna sterilitas. Iterùm combustum est Monasterium Corbeiæ (*a*).

Anno MCLI, Tebaldus Comes Blesensis Gaufridum, filium Ducis Gaufridi, armis militaribus decoravit. Everso castro Monasteriolo, a Duce Gaufrido obsessis tribus castellis lapideis per tres annos, quòd inauditum est post Julium Cæsarem ; capto etiam [Giraldo] *Berlai* domino castelli contra voluntatem et prohibitionem etiam Regis Ludovici, facti sunt inimici ad invicem Rex et Dux Normanniæ Gaufridus. Jam anno præterito Henricus filius Ducis de Anglia redierat, et pater suus reddiderat ei hæreditatem suam ex parte matris, scilicet Ducatum Normanniæ. Factâ itaque discordiâ inter Regem et Comitem, venit Rex cum magna militia, et Eustachius filius Regis Stephani cum eo, in Normanniam ante castellum Archas. Adfuit et ibidem Henricus e contra Dux Normanniæ, cum admirabili exercitu Normannorum, Andegavensium, Britonum : sed Principes exercitûs ejus, qui maturiores eo erant et consilio et ætate, non permiserunt ut cum Rege domino suo congrederetur, nisi ampliùs illum in aliquo, quàm antea fecerat, opprimeret.

Eodem anno, paulò antè, idem Dux obsederat castellum Torinnense; sed propter adventum Regis infecto negotio discesserat, combustis tamen domibus infra muros usque ad turrem, et parvum castellum circa eam.

Gaufridus Comes Andegavensis cepit castellum de Nube super Robertum Comitem Perticensem, quod anno præterito perdiderat per traditionem Johannis filii Willelmi Talevatii. Unde Rex Ludovicus iratus, et Robertus frater ejus, congregato exercitu, venerunt usque Sagium civitatem Guillelmi Talevatii ; et eam combusserunt. Interim Ludovicus congregans exercitum de omni potestate sua, mense Augusto * fecit illum deduci super ripam Sequanæ inter Mellentum et Medantam. Nec segniùs Gaufridus Comes Andegavensis et Henricus filius ejus Dux Normanniæ suas catervas ordinantes, in margine Ducatûs Normanniæ, sua defensuri consederunt. Interim, credo dispositione divinâ, quæ videbat negotium illud non posse finiri sine multa effusione humani sanguinis, si uterque exercitus hinc inde conveniret, Rex Ludovicus in civitate Parisius acutâ febre correptus, in lecto prosternitur. Hac de causa sapientibus viris ac religiosis intercurrentibus, ex utraque parte dantur et accipiuntur induciæ, donec Rex convalesceret. Quo convalescente, Dei misericordiâ serenitas pacis refulsit, reddito Giraldo *Berlai*, pro quo in maxima parte discordia erat, et Rege assumente hominium de Ducatù Henrici Ducis Normanniæ.

* An. 1151.

(*a*) Addit codex Regius 4862 : *Obiit Henricus Fulgeriarum dominus, in Ecclesia Savignei factus Monachus.*

Digitized by Google

A Cùm igitur a civitate Parisius uterque, scilicet pater et filius, læti discessissent, et Dux Henricus jussisset congregari omnes Optimates Normanniæ apud Lexovias in festo Exaltationis S. Crucis proximè venturo, quatenùs de itinere suo in Angliam cum eis tractaret, apud Castrum-Ledi pater ejus pluribus diebus gravi febre vexatus, viam universæ carnis ingressus est VII Idus Septembris, vir magnæ probitatis et industriæ, suis indefinitè plangendus. Hic solus omnium mortalium intra muros civitatis Cenomannicæ sepultus est; conditus est enim in Ecclesia S. Juliani ante Crucifixum... Hic ante mortem suam Henrico Duci Normanniæ primogenito suo concessit Comitatum Andegavensem, Gaufrido verò secundo filio dedit quatuor castella.

Eodem anno mortuus fuerat Sugerius (*a*) Abbas S. Dionysii Areopagitæ, qui idem Monasterium ornamentis, possessionibus et ædificiis plurimùm auxerat.
B Successit ei Odo Monachus ejusdem loci, qui anno præterito fuerat Abbas constitutus in Ecclesia Compendii, quandò Rex Monachos S. Dionysii ibidem posuerat.

Decessit etiam Algarus Episcopus Constantiensis, vir admodùm religiosus, qui Canonicos regulares posuit in Ecclesia S. Laudi de Constantia, et in Ecclesia S. Laudi Rotomagensis, et in Ecclesia de Cæsaris-burgo. Cui successit Ricardus Decanus Baiocensis.

Fames penè inaudita tempore præterito, mortalitas, sacer ignis humanum genus, et maximè pauperiores, admodùm vexat.

In Adventu Domini inundaverunt flumina ultra solitum, dejicientes pontes etiam lapideos, et domos vicinas....

Henricus Dux Normanniæ receptus est in pace ab Andegavensibus, fidelitatem sibi facientibus : et sic factus est Dux Normannorum, et Comes Andega-
C vensium.

Anno MCLII, obiit venerabilis Comes Blesensis Tebaldus, nepos Regis Henrici, et frater Stephani Anglorum Regis, Princeps magnæ sanctitatis et largitatis in pauperes. Huic successerunt tres filii sui : Henricus primogenitus habuit Comitatum Tricassinum et Campaniensem, et quidquid pater ejus habuit trans Sequanam; Tebaldus filius secundus Comitatum Carnotensem, Blesensem, et pagum Dunensem; Stephanus tertius filius hónorem Sincerii * in pago Bitu- * *Sancerre.*
ricensi...

Ortâ simultate inter Regem Francorum Ludovicum et uxorem ejus, congregatis religiosis personis in Quadragesima apud Balgenceium, dato sacramento coram Archiepiscopis et Episcopis, quòd consanguinei essent, separati sunt auctoritate Christianitatis. Post clausum Pascha Henricus Dux Normannorum et
D Comes Andegavensis, apud Lexovias congregatis Comitibus Normanniæ et aliis primoribus, de itinere suo in Angliam cum illis tractavit. Venerat enim in Quadragesima pro eo Rainaldus avunculus ejus, Comes Cornubiæ (*b*). Circa Pentecosten Henricus Dux Normanniæ, sive repentino sive præmeditato consilio, duxit Alienor Comitissam Pictavensem, quam paulò antè Rex Ludovicus propter consanguinitatem dimiserat. Quo audito, Rex Ludovicus commotus est contra eumdem Ducem : habebat enim duas filias de ea, et ideò nolebat ut ab aliquo illa filios exciperet, unde prædictæ filiæ exhæredarentur.

Post festum S. Johannis * cùm Dux Henricus esset apud Barbefluvium, et * An. 1152.
vellet transire in Angliam, convenerunt in unum Ludovicus Rex Francorum, Eustachius filius Stephani Regis Anglorum, Robertus Comes Perticensis, Henricus Comes Campaniensis filius Tebaldi Comitis, Gaufridus etiam frater
E Ducis Normanniæ, ut ei Normanniam et Andegavensem Comitatum, et Ducatum Aquitaniæ, quem cum uxore sua acceperat, imò et omnem terram suam auferrent : quam etiam hi quinque diviserunt inter se. Hac re cognitâ, auditâ etiam obsidione Novi-mercati, ubi omnes prædicti Principes convenerant, excepto Gaufrido fratre suo, qui eum in Andegavensi Comitatu pro posse impugnare debebat, XVII Kal. Augusti Dux Henricus recessit a Barbefluvio, castello scilicet pro viribus subventurus obsesso. In ipsa nocte fulgor nimius, et postea quasi draco ingens visus est in cœlo discurrere ab Occidente in Orientem. Interim dum Dux ingentem exercitum electorum militum et peditum contraheret, redditum est castellum fraude observantium, quasi esset vi præreptum. At Dux Hen-

(*a*) Hoc est anno 1152 a Januarii Kalendis inchoato; obiit enim Sugerius 13 Januarii die anni 1152, ut superiùs probatum est, T. XII, p. 111.
(*b*) Spurius Henrici I filius.

Digitized by Google

ricus, quem etiam omnes ferè Normanni existimabant omnem terram suam in A
brevi amissurum, sapienter se habens, sua viriliter defendendo, ab omnibus, etiam ab inimicis laudatus est. Circa verò finem mensis Augusti, collocatis militibus ad custodiam Normanniæ, ipse in Andegavensem Comitatum pergens, tamdiu fratrem suum Gaufridum afflixit, donec cum eo concordatus est. Indè datis induciis inter eum et Regem, præparavit se ad transfretandum in Angliam; in qua re potest admirari audacia ejus...

Michaël Monachus Becci factus est Abbas Pratelli in festo S. Thomæ Apostoli...

Eodem anno mortua est Mathildis, uxor Stephani Regis Anglorum...

Mortuus est etiam Radulfus de Parrona Comes Viromandorum, relinquens parvulum filium, nomine Hugonem, (*a*) et unam filiam sub tutela Galeranni Comitis Mellenti nepotis sui. Hos infantes susceperat ex uxore sua [Petronilla] juniore, B
filiâ Guillielmi Ducis Aquitanorum : primogenitam namque Ludovicus Rex Francorum duxerat, ex qua genuit duas filias...

Moritur et junior Guillielmus de Romara, superstite adhuc Guillielmo patre suo, relinquens duos filios natos ex sorore Guillelmi Comitis de Albamarla.

Anno superiore fuit vindemia rara et valdè sera : unde et vinum nimis carum
* An. 1152. et duri saporis fuit. Hoc autem anno * fuit vindemia temporanea, sed vinum carius quàm anno præterito. Idcircò fiebant vulgò, etiam in Francia, tabernæ cervisiæ et medonis : quod nostræ memoriæ in retroactis temporibus non fuit auditum...

Pullulante perniciosâ doctrinâ Henrici hæretici, maximè in Guasconia, suscitavit Dominus spiritum puellæ junioris in illa provincia, ad hæresim confutandam. Per triduum namque in unaquaque septimana jacebat absque voce, sensu, C
et etiam absque flatu; et rediens postmodùm ad se, dicebat B. Mariam orare pro populo Christiano, et B. Petrum docuisse se orthodoxam fidem. Exinde de fide nostra sapienter et catholicè disserebat; et præcipuè hæresim Henrici convincens, plurimos ab eo seductos ad sinum sanctæ matris Ecclesiæ revocabat.

Traditâ, ut prædictum est, munitione Novi-mercati Ludovico Regi Francorum, idem Rex exercitum suum usque ad Calvum-montem revocavit. At Henricus Dux Normanniæ, collectâ non minimâ manu electorum militum et peditum, castrametatus est juxta fluvium Andellæ; ubi residens aliquandiu, afflixit illam partem Wilcassini, quæ est inter Andellam et Ittam flumina, quæ ad Ducatum Normanniæ pertinet. Sed Gaufridus Comes Andegavorum post mortem Henrici Regis Anglorum concessit eam ad tempus Ludovico Regi Francorum, sicut et multa alia de dominicis terris Ducatûs Normanniæ concesserat quibus- D
dam Magnatibus ejusdem provinciæ, ut eos faceret hoc modo promptiores ad ferendum sibi auxilium in subjiciendo suæ ditioni prædictum Comitatum. Quotidiè itaque Dux Henricus in eam populatores mittebat, ad quærendum victualia hominibus et jumentis sui exercitûs. Destruxit etiam ibi et igni tradidit castellum *Bascherville;* et duo alia castella Chitreium et Strinpenneium combussit : hoc idem significante fumo Francis, qui ex altera parte Ittæ fluminis castra posuerant, nec aliquod suis auxilium ferentibus. Munitionem etiam Hugonis de Gornaco, quam Feritatem nominant, assultu capiens, igni tradidit, exceptâ turre quæ in alto monte sita est. Denegabat enim idem Hugo prædicto Duci debitum famulatum, et inimicos ejus extra castrum Gornaci fovebat.

* An. 1152. Mediante autem mense * Augusto, Ludovicus Rex exercitum suum fecit transire Sequanam apud Mellentum : quod Dux audiens, et ipse copias suas per E
pontem Vernonis traducens, concito gradu cum aliquantis expeditis militibus ad Vernolium, ad quod Regem festinare ab exploratoribus audierat, tendebat; cùm subitò Guillielmus de Paceio mandavit ei quatenùs Paceium rediret, ad quod Rex cum exercitu maximo veniebat. Ille impiger et nescius moræ in subveniendo suis, retroacto capite equi, tantâ festinatione cum sociis remeavit, ut antequam Paceium pervenirent, plurimi equorum suorum aut mortui, aut penè mortui in via remanerent. Audito Ducis adventu, Rex maturiore consilio usus, noluit terram ejus intrare; sed ipso die Medantam rediit. Dux verò vocatus a Gisleberto de Tegulariis, combussit *Brueroles* castrum Hugonis de Novo-castello, et alteram quamdam munitionem, Maculfi-villam cognominatam, sitam in Dor-

(*a*) Filius Radulfi patri cognominis erat ex cæteris Historicis aliisque monumentis.

Digitized by Google

A cassino pago. Exinde rediens in Normanniam, et affligens Richerium de Aquila, qui hostibus ejus subsidium ferebat, coegit eum de pace tenenda dare obsides, et munitionem Bonmolini, ubi raptores et excommunicatos receptabat, igni tradidit. Circa verò finem Augusti, collocatis militibus ad custodiam Normanniæ, ipse in Andegavensem Comitatum pergens, obsedit munitionem Montissorelli, ubi jugi obsidione coarctans inclusos, Guillelmum dominum ipsius castri, qui partes fratris sui juvabat, cum aliis pluribus militibus cepit. Hoc itaque infortunio et aliis pluribus Gaufridus frater ejus coactus est cum illo reconciliari.

Interea Rex Francorum de absentia Ducis nactus opportunitatem, instigante eum maximè Roberto fratre suo, qui duxerat relictam Rotronis Comitis Moritoniæ, et cui idem Rex dederat castrum Dorcassinum, partem burgi Tegulariensis et quemdam vicum castri Vernolii voracibus flammis tradidit : castrum etiam
B Nannetis-curtis apparatu bellico cingens, nihil ei nocuit. Paucis exinde diebus evolutis, datis induciis inter Regem et Ducem, Dux præparavit se ad transfretandum : sed antequam transiret, Rex fecit reddi trevias. Nihilominùs tamen Dux propositum transfretandi deserens, auram ad transeundum aptam juxta navalia opperiebatur : in quo potest animadverti probitas et audacia ejus.

In Capitulo Cisterciensi statutum est ne ampliùs aliquam novam Abbatiam construerent; quia numerus Abbatiarum de illo Ordine usque ad quingentas ferè Abbatias processerat.... (*a*).

Anno MCLIII, Henricus Dux Normannorum infra Octavam Epiphaniæ transiit in Angliam cum XXXVI navibus.

Facta est eclipsis solis VII Kal. Februarii circa octavam horam (*b*), luna XXVII.

Dux Normannorum obsidens castrum munitissimum Mammesberii, et homi-
C nes Regis Stephani in eo ad deditionem coegit; licèt idem Rex cum pluribus millibus armatorum in proximo esset.

Obiit Gillebertus filius Ricardi, et sepultus est apud Claram, in Cella quam Gillebertus avus ejus dederat Monachis Becci. Successit autem ei Rogerius frater suus.

Post Octavam Paschæ * Ludovicus Rex Francorum cum magno exercitu summo manè veniens de Medanta ad Vernonem, burgum extra muros positum combussit, et villam optimam et vinearum fertilem, quam Longam-villam nominant. Irritaverat enim iram ejus Ricardus filius Willelmi de Vernone, non veritus deprædari mercatores in conductu ipsius. * An. 1153.

Gondreda Comitissa Warvicensis ejecit custodes Regis Stephani de munitione civitatis *Warvic*, et tradidit eamdem munitionem Henrico Duci Norman-
D norum.

Mortuo Rogerio Comite Warvicensi, successit ei Henricus filius, natus ex Gundreda sorore uterinâ Galeranni Comitis Mellenti. Mortuo etiam Simone Comite Huntindoniæ, successit ei Simon filius ejus, quem genuerat ex filia Roberti Comitis Legecestriæ...

Mense Julio, circa Idus ejusdem mensis, viam universæ carnis ingressus est venerabilis memoriæ Eugenius III Papa : .... successit ei Conrardus Sabinensis Episcopus,... exinde vocatus Anastasius IV....

Circa finem Julii mensis * Ludovicus Rex Francorum congregans maximum exercitum ex omni potestate sua, obsedit castrum Vernonis ferè per XV dies. Cùmque nihil proficeret, nec crebris assultibus, nec diversi generis machinis, et [Theodericus] Comes Morinorum, quos moderni Flandros nominant, in
E cujus multiplici militia Rex maximè confidebat, vellet discedere; ne prædictus Rex inglorius recederet, si nihil omninò profecisset, egit secretis conventionibus et promissis cum Ricardo de Vernone, ut saltem vexillum ejus in turre levaretur, * An. 1153.

(*a*) *Post hujus anni Capitulum dominus Serlo Abbas Savignei apud Claram-vallem remansit, curam Abbatiæ suæ volens relinquere; ex hoc sibi et Ecclesiæ putans consulere : et quia hoc tandiu desideraverat et acquisierat, utpotè amator sanctitatis et quietis, ut inquietudines et vanas exaltationes refugeret, visum est Bernardo Abbati de Claravalle ut ejus petitioni assentiret, si tamen Monachi Savignei consentirent. Misit ergo Philippum Priorem suum, qui suasit eis ut cederent et alium Abbatem eligerent. At illi dixerunt consilium Abbatum, qui de illa domo exierant et citra mare erant, super hoc se velle habere. Convenientes igitur Abbates habuerunt consilium domnum Serlonem se nolle dimittere, et tamen quia de redditu ejus dubitabant, duas alias venerabiles personas elegerunt, ut vel unam earum haberent, sed ambæ renuerunt. Nolens ergo Bernardus Abbas omninò desolatos esse Monachos Savignei, remisit eis domnum Serlonem ut domum conservaret, donec ipse illuc veniret, et ut tam ipsi quàm domui consuleret.* Ex cod. Regio 4862. Codex verò 4861 addit : *depósito Vincentio Abbate Castellionensi, subrogatur Silvester Monachus Lyræ, vir venerandæ simplicitatis.*

(*b*) Notatur hæc eclipsis horâ undecimâ matutinâ in Tabulis eclipsium.

Digitized by Google

et eadem turris Goëllo filio Baldrici ad custodiendum committeretur, qui utrique, A
Regi scilicet et Ricardo, beneficio casamenti obnoxius erat. Mense Septembri, Rex Francorum cum paucis veniens et quasi latenter, combussit quamdam partem burgi Vernolii.

Mortuo Willielmo de Paceio absque liberis, redditum est castrum Paceii Roberto filio Comitis Legecestriæ, quia pertinebat ad honorem Britolii, undè ille erat legitimus hæres ex parte matris suæ.

Discordia facta est inter Simonem Comitem Ebroicensem et filios Ascelini-Goëlli, scilicet Willielmum Lupellum et Rogerium Balbum; quâ invalescente, prædictus Comes ferè totam terram eorum depopulatus est absque firmitatibus...

Mortuo Ricardo Abrincensi Episcopo in itinere Romæ, cùm illuc perrexisset causâ altercationis duorum electorum Abbatiæ Montis S. Michaëlis, Herbertus, Capellanus Ducis Normanniæ, factus est Episcopus prædictæ sedis. B

* An. 1153. Mense Augusto * circa Octavam S. Laurentii, moritur Eustachius filius Stephani Regis Anglorum, quia prædatus fuerat, ut quidam dicunt, terram S. Edmundi Regis et Martyris, in ipsa festivitate S. Laurentii. In eisdem Octavis nascitur filius primus Henrico Duci Normanniæ ex uxore sua Alienor Comitissa Pictaviensi; vocatus est idem puer Willelmus, quod nomen quasi proprium est Comitibus Pictavorum et Ducibus Aquitanorum.

Venerabilis Bernardus primus Abbas Clarevallis, vir admirandæ religionis et doctrinæ efficacis, humanæ vitæ satisfecit moriendo XIV Kalendas Septembris, relinquens sapientiæ suæ plurima documenta, maximè in Commentariis in Canticis Canticorum. Cui successit Robertus Flandrita, qui erat Abbas Dunensis....

Stephanus Rex Anglorum et Henricus Dux Normanniæ cognatus ejus, VIII Idus Novembris, justitiâ de cœlo prospiciente, concordati sunt hoc modo : C
Rex priùs recognovit in conventu Episcoporum et Comitum et reliquorum Optimatum, hæreditarium jus quod Dux Henricus habebat in regnum Angliæ, et Dux benignè concessit, ut Rex totâ suâ vitâ, si vellet, regnum teneret; sic tamen ut in præsentiarum ipse Rex et cæteri potentes et Episcopi sacramento firmarent, quòd Dux post mortem Regis, si ipse eum superviveret, pacificè et absque contradictione regnum haberet. Juratum est etiam quòd possessiones, quæ direptæ erant ab invasoribus, ad antiquos et legitimos possessores revocarentur, quorum fuerant tempore Henrici optimi Regis. De castellis etiam, quæ post mortem prædicti Regis facta fuerant, ut everterentur, quorum multitudo ad CCCLXXV summam excreverat.

Ranulfus Comes Cestriæ moritur, relinquens successorem sui honoris Hugonem filium, natum ex filia Roberti Comitis Gloecestriæ. D

Robertus de Monte-forti cepit avunculum suum Gualerannum Comitem Mellenti, in colloquio condicto haud procul a burgo *Bernai*. Obsesso castro *Orbec* ab hominibus Comitis Gualeranni, in quo idem Comes tenebatur, tandem Comes liber dimissus est, redditâ priùs prædicto nepoti suo turre de Monte-forti.

Anno MCLIV, Ludovicus Rex Francorum duxit uxorem filiam Anforsi Regis Hispaniarum. Caput regni hujus Regis civitas est Toletum : quem, quia principabatur Regulis Aragoniæ et Galliciæ, Imperatorem Hispaniarum appellant.

Gualerannus Comes Mellenti obsidens castrum Montis-fortis, fugatus est ignominiosè a nepote suo Roberto, eversis duobus castellis, quæ ipse propè Montemfortem erexerat.

Rogerius Rex Siciliæ moritur IV Kal. Martii : huic successit Guillielmus filius suus, quem pater ante mortem suam sublimatum in Regem, consortem regni E
fecerat....

* An. 1154. Circa Pascha * Henricus Dux Normannorum transfretavit in Normanniam, et cœpit revocare paulatim et prudenter in jus proprium sua dominica, quæ pater suus, necessitate urgente, Primoribus Normanniæ ad tempus concesserat : indè profectus in Aquitaniam, rebellionem quorumdam repressit....

Mense Maio, VI Kal. Junii, feriâ V infra Octavam Pentecostes, Monasterium B. Michaëlis de Periculo maris post tribulationem, quam per quinquennium ferè jugem passum fuerat, Deo miserante, aliquantulùm respiravit, electo unanimiter ab omni Conventu Roberto de Torinneio, Priore claustrali Beccensis Monasterii. Eodem mense Dux Henricus rediens de Aquitania, Rotomagi in die festivitatis S. Johannis Baptistæ gratanter assensum præbuit prædictæ electioni,

quam

Digitized by Google

A quam Archiepiscopus Rotomagensis Hugo, vir summæ religionis et industriæ, cum Imperatrice matre Ducis, antea ut præsentes libentissimè confirmaverant. Sequenti verò mense, in festivitate S. Mariæ Magdalenæ, prædictus Electus benedictus est in Abbatem apud S. Philibertum de Monte-forti ab Herberto Episcopo Abrincatensi et Girardo Sagiensi, præsentibus Abbatibus Rogerio Beccensi, Michaële Pratellensi, Hugone de S. Salvatore Constantini.

Mense Augusto * concordati sunt Ludovicus Rex Francorum et Dux Normannorum Henricus, hoc modo: Rex reddidit ei duo castella, Vernum et Novum-mercatum; et Dux dedit ei duo millia marcarum argenti, pro resarciendo damno quod Rex passus fuerat in capiendo, muniendo, tenendo easdem firmitates.... * An. 1154.

Circa Kalendas Octobris Henricus Dux Normannorum, sopitâ adversâ vale-
B tudine, Deo miserante, quâ periculosè laboraverat, accitus a Rege Francorum, cum exercitu perrexit in Wilcassinum, et pacificavit cum Rege Goscelinum-Crispinum. Inde rediens, obsedit Torinneium ferè per xv dies, incipiens ibi tria castella. Reddito castello, et pacificato Ricardo filio Comitis, qui illud municipium tenuerat; audito veridico nuncio de morte Stephani Regis Anglorum, locutus cum matre sua Imperatrice, convocatisque fratribus suis Gaufrido et Guillelmo, et Episcopis et Optimatibus Normanniæ, venit Barbe-fluvium, et ibi per unum mensem exspectavit ventum oportunum ad transfretandum. Obierat enim VIII Kal. Novembris Stephanus Rex Anglorum; cujus corpus tumulatum est in Monasterio *Fassehan*, * quod Mathildis uxor ejus ædificaverat, ubi ipsa et filius ejus primogenitus Eustachius sepulti sunt. Interim pax summa erat in Anglia timore et amore Henrici Ducis, quem omnes venturum et Regem
C futurum non dubitabant. * *Faversham.*

Obiit VI Kal. Decembris Anastasius Papa Romanus, et successit ei Nicolaus Episcopus Albanensis, vocatus Adrianus IV: vir quidem religiosus et natione Anglicus, qui priùs fuerat Abbas Canonicorum regularium S. Rufi in Provincia, sed ab Eugenio prædecessore suo factus fuerat Episcopus Albanensis.

Moritur etiam Gillebertus Episcopus Pictaviensis, vir religiosus et multiplicis doctrinæ, qui psalmos et epistolas Pauli luculenter exposuit.

Ludovicus Rex Francorum gratiâ orationis perrexit ad S. Jacobum de Gallicia, et ab Imperatore Hispaniarum, socero suo, favorabiliter susceptus est in Hispania (*a*).

Henricus Dux Normannorum VII Idus Decembris * in Angliam transfretans, cum magno tripudio Clericorum et laïcorum exceptus, XIII * Kal. Januarii,
D die Dominicâ ante Nativitatem Domini, apud Westmonasterium ab omnibus electus, et in Regem unctus est a Theobaldo Archiepiscopo Cantuariensi. Adfuerunt etiam Episcopi omnes Anglici regni.... Adfuerunt et de Normannia vir religiosus ac timens Dominum Hugo Archiepiscopus Rotomagensis, Philippus Baiocensis, Arnulfus Lexoviensis, et Herbertus Abrincatensis Episcopi. Adfuerunt Comites regni illius, et de regno Francorum Theodoricus Comes Flandrensis et alii plures. Facta est eclipsis lunæ Dominicâ (*b*) ante Natale Domini. * An. 1154. * *Corr.* XIV.

Anno MCLV, Rex Henricus cœpit revocare in jus proprium urbes, castella, villas, quæ ad coronam regni pertinebant, castella noviter facta destruendo, et expellendo de regno maximè Flandrenses, et deponendo quosdam imaginarios et pseudo-Comites, quibus Rex Stephanus omnia penè ad fiscum pertinentia minùs cautè distribuerat.

E Factus est terræ-motus XV Kal. Martii, maximè in Burgundia, adeo ut ter in nocte festivitatis S. Priscæ Virginis sentiretur apud Cluniacum; et quoddam castellum, quod erat desertum, haud procul a Cluniaco situm, absorptum iret in abyssum; et spatium in quo castellum fuerat, repleretur aquâ inæstimabilis profunditatis.

Natus est Londoniæ, pridie Kal. Martii, feriâ secundâ, tertius (*c*) filius Henrico

(*a*) Pagius ad an 1155 n°. X, Roberti de Monte auctoritatem variis argumentis elevare nititur, ut probet Ludovici Regis ad S. Jacobum iter an. 1155, non verò 1154 susceptum fuisse: contra quem D. *Vaissettius* T. II Hist. Occit. p. 642, Roberti testimonium confirmat hac potissimùm cujusdam cartæ clausulâ an. 1155. *Factum est autem hoc apud Montem-pessulanum, mense Januarii,* XVIII *Kal. Februarii, die Sabbati, sub Ludovico Francorum Rege de S. Jacobo redeunte.* Anno autem 1155 in Sabbatum incidebat dies XVIII Kal. Februarii.

(*b*) Imò die 21 Decembris, quæ erat dies Martis, non Dominica.

(*c*) Imò, secundus.

Digitized by Google

Regi Anglorum, ex uxore sua Regina *Alienor*, et vocatus est Henricus. A

Henricus Rex Anglorum exhæreditavit Willelmum *Peverel* de *Notingueham*, causâ veneficii quod fuerat propinatum Ranulfo Comiti Cestriæ. In consortio hujus pestis plures participes et conscii esse dicuntur.

* An. 1155. Hoc anno * frequenter terræ motus per totam Quadragesimam accidit in Burgundia et Longobardia. XVIII Kal. Maii, feria V, etiam apud Montem S. Michaëlis terræ motum sensimus, ante solis ortum.

Mortuus est Balduinus de *Redivers*, et successit Ricardus filius ejus.

Dominicâ post Octavam Paschæ, videlicet IV Idus Aprilis, Henricus Rex apud *Warengefort* fecit Optimates Angliæ regni jurare fidelitatem Willelmo primogenito suo de regno Angliæ, et si idem puer immaturâ morte occumberet, Henrico fratri suo.

Sopitâ discordiâ, quæ erat inter Regem Anglorum Henricum et Rogerium B filium Milonis de Gloecestria, propter turrem Gloecestriæ, Hugo de Mortuo-mari, vir arrogantissimus et de se præsumens, munivit castella sua contra Regem....

Quinto-decimo Kal. julii, primâ horâ noctis, eclipsis lunæ accidit.

Mense julio, Nonis ejusdem, Hugo de Mortuo-mari pacificatus est cum Rege Henrico, redditis castellis de *Bruge* et *Wigemore*.

Garnerius Abbas Majoris-monasterii moritur, et successit Robertus natione Brito.

Mortuo Rogerio filio Milonis de Gloecestria, Comite Herefordensi, successit ei Walterius frater ejus in paternam hæreditatem tantùm; nam Comitatum *Herefort* et civitatem Gloecestriæ Rex Henricus retinuit in manu sua.

Fredericus Rex Alemannorum Romam perrexit; et ab Adriano Papa contra voluntatem Romanorum receptus, et in Ecclesia B. Petri in Imperatorem ab C eo consecratus est....

Circa festum S. Michaëlis, Henricus Rex Anglorum, habito consilio apud *Wincestre* de conquirendo regno Hiberniæ, et Willelmo fratri suo dando, cum Optimatibus suis tractavit: quod quia matri ejus Imperatrici non placuit, intermissa est ad tempus illa expeditio.

Henricus Episcopus Wintoniæ, clam præmisso thesauro suo per Abbatem Cluniacum, absque licentia Regis et quasi latenter recessit ab Anglia. Illicò Rex Henricus omnia castella ejus pessumdedit.

Anno MCLVI, Rex Henricus transfretaturus apud Douram mare intravit, et appulit apud *Wisant*. In Purificatione S. Mariæ fuit Rotomagi, et in sequenti Dominica locutus est cum Rege Francorum Ludovico in confinio Normanniæ et Franciæ. Inde rediens Rotomagum, venerunt ad eum Terricus Flandrensium D Comes et uxor ejus, amita ipsius Regis, et Gaufridus frater ejus. Sed Gaufrido non suscipiente ea quæ illi a Rege offerebantur, recessit in Andegavensem pagum, et Rex Henricus e vestigio eum subsecutus est.

Regi Anglorum nata est filia nomine Mathildis...

Gaufridus frater Henrici Regis Anglorum, expulso Hoello Comite Britanniæ, cepit Nanneticam civitatem, consentientibus civibus....

* An. 1156. In Octavis Pentecostes * Hugo Rotomagensis Archiepiscopus, et Rotrodus Ebroicensis, et Ricardus Constantiensis, et Herbertus Abrincatensis, apud Moretonium levaverunt corpus B. Firmati. Cùm autem Archiepiscopus inde Montem S. Michaëlis orationis ac nos visitandi gratiâ venisset, et nos suâ jucundâ exhortatione et collocutione quatuor dies exhilarasset; altare Crucifixi fecit consecrari ab Herberto Abrincensi Episcopo, VII feriâ: ipse verò in sequenti E sabbato altare B. Mariæ in crypta Aquilonis noviter reædificatum consecravit. In quo altari reposuimus reliquiam vestimentorum, ut putamus, ipsius Dominæ nostræ, quas in pyxide plumbea in veteri ara ibidem repereramus.

In pago Parisiacensi cappa Salvatoris nostri Monasterio Argentoilo divinâ revelatione reperta est, inconsutilis et subrufi coloris: quam, sicut litteræ cum ea repertæ indicabant, gloriosa Mater illius fecit ei cùm adhuc esset puer....

Obiit Guillelmus primogenitus filius Henrici Regis Anglorum, et sepultus est Radingis ad pedes Henrici Regis proavi sui....

Obiit etiam Gillebertus de *Guant*, et Simon juvenis, filius Simonis Comitis Huntindoniensis, cùm careret terrâ, dono Regis Henrici accepit filiam ejus unicam cum honore ejus.

Digitized by Google

A Henricus Rex Anglorum cepit castrum Mirebellum et Chinonem longâ obsidione. Losdunum verò est ei redditum, quando pacificatus est cum eo Gaufridus frater suus, hac conditione interpositâ, quòd Rex daret ei singulis annis mille libras Anglicæ monetæ, et duo millia Andegavensis : et ita, Deo favente, discordia, quæ diu duraverat inter eos, mense Julio sopita est.

Mortuo Alano Episcopo Redonensi, successit ei Stephanus Abbas S. Florentii, vir religiosus, et literatus et eloquens.

Obiit etiam Ingelbaudus Archiepiscopus Turonensis, et successit Gotho * Brito, Episcopus S. Briocci. * Joscius.

Conanus Comes de *Richemont*, veniens de Anglia in minorem Britanniam, obsedit urbem Redonensem, et cepit, fugato Eudone Vicecomite vitrico suo.

Hoc anno * fulgura et tempestates mense Julio frequenter in Normannia acci- * An. 1156.
B derunt. Unde in pluribus locis messis periit, et homines fulgurati interierunt. Subsecuta est abundantia pluviæ, quæ cœpit medio mense Augusti, quæ impedivit et collectionem messium, et subsequenter seminum sparsionem : ex qua jugi inundatione pluviarum, quæ diu duravit, multæ turres et Ecclesiæ, et antiquæ maceriæ in Normannia et Anglia corruerunt.

Radulfus de Fulgeriis cepit in quodam conflictu Eudonem Vicecomitem de *Porrohoit*, et hac de causa major pars Britannorum receperunt Comitem Conanum in Ducem Britanniæ, excepto Johanne Dolensi, qui adhuc pro viribus Conano et coadjutoribus ejus resistit.

Fredericus Imperator Alemannorum duxit filiam Guillelmi Comitis Matisconensis, et cepit cum ea civitatem Vesontionem, et alias multas quas pater ejus tenuerat de Duce Burgundiæ; pars tamen illius honoris quædam remansit
C Rainaldo Comiti, patruo ejusdem puellæ (*a*).

Anno MCLVII, venerabilis Petrus Cluniacensis Abbas, VIII Kal. Januarii ingressus est viam universæ carnis (*b*)....

Sabbato infra Octavas Paschæ, in Abrincatino, villâ quæ vocatur Landaaronis, circa meridiem quasi de terra emergens turbo maximus, quæque proxima involvit et rapuit : ad ultimum quasi quædam columna rubei et cærulei coloris, sub turbine ascendente in sublime, stetit, et videbantur et audiebantur quasi sagittæ et lanceæ in ipsa columna defigi, licèt non appareret intuentibus qui eas agitaret. In turbine, qui stabat super columnam, apparebant quasi diversæ species volucrum in eodem volitantium. Subsecuta est illicò in eadem villa mortalitas hominum, inter quos et dominus villæ occubit. Nec solùm in illa villa, sed etiam in multis locis Normanniæ et finitimarum regionum mortalitas hoc anno
D grassata est.

Monachi claustrales Cluniaci tumultuariâ electione, imò intrusione, quemdam semi-laïcum nomine Robertum Grossum, cognatum Comitis Flandriæ, pro parentela sua elegerunt, reclamantibus maturioribus viris et honestis personis, quæ de eodem Monasterio ad pastoralem curam assumptæ fuerant.

Obiit Girardus Sagiensis Episcopus.

Henricus Rex Anglorum post Octavam Paschæ * apud Barbe-fluvium tran- * An. 1157.
sivit in Angliam.... Guillelmus filius Stephani Regis, qui erat Comes civitatis Constantiarum, id est Moritonii, et in Anglia Comes Surreiæ, id est de Warenna, propter filiam tertii Guillelmi de Warenna, quam duxerat, reddidit ei... quidquid tenebat de corona sua, et omnes proprias munitiones tam in Normannia quàm in Anglia, et Rex fecit eum habere quidquid Stephanus pater
E ejus habuit in anno et die quo Rex Henricus avus ejus fuit vivus et mortuus. Similiter Hugo Bigotus castella sua reddidit Regi.

Mortuo Ludovico primo Abbate S. Georgii Baucheri-villæ, successit ei Victor, Monachus S. Victoris.

Rogerius Aquila, vir religiosus ac timens Dominum, Monachus Cluniacensis, factus est Abbas S. Audoëni Rotomagensis, Freherio se dimittente propter infirmitatem.

(*a*) Minùs accurata sunt quæ de Frederici Imperatoris uxore narrat chronographus noster. Beatrix (sic illa nuncupabatur) Rainaldi III Burgundiæ Comitis filia fuit, quam patruus ipsius post obitum patris Guillelmus, jure tutoris abutens, paternâ hæreditate spoliare molitus est. : quod resciens Fredericus, puellam matrimonio sibi anno 1156 copulavit, ablataque Guillelmum restituere coegit. Hæc explorata sunt omnibus qui res Burgundicas ex professo tractavere.

(*b*) Anno 1157 a Nativitate Domini, anno verò 1156 a Januarii Kalendis inchoato, rebus humanis exemptus est Petrus Cluniacensis Abbas.

Digitized by Google

Terricus Comes Flandrensis et uxor ejus, amita Henrici Regis Anglorum, A perrexerunt Jerusalem, et dimiserunt Philippum filium suum et totam terram suam in manu Henrici Regis Anglorum. Circa festivitatem S. Johannis-Baptistæ, Rex Henricus præparavit maximam expeditionem, ita ut duo milites de tota Anglia tertium pararent ad opprimendum Gualenses terrâ et mari...

Deposito Roberto Abbate Cluniacensi, et mortuo cum sociis suis in reditu a Roma; Hugo Prior claustrensis factus est Abbas Cluniacensis....

Mense Septembri, natus est Henrico Regi Anglorum filius tertius, et vocatus est Ricardus.

Anno MCLVIII,... (*a*) moritur Gaufridus Archiepiscopus Burdigalensis, vir religiosus et verbi Dei seminator egregius. Decessit nihilominùs Tedbaldus Episcopus Parisiacensis.

In festivitate S. Johannis-Baptistæ, Henricus Rex Anglorum militaribus armis B accinxit apud *Carliul* Willelmum filium Regis Stephani, Comitem Moritonii et de Warenna, quem Comitatum habet propter filiam Willelmi Comitis de Warenna, quam duxerat : qui Willelmus mortuus fuerat in expeditione Jerosolymitana.

Mortuo Gaufrido Comite Nannetense, fratre Henrici Regis Anglorum, mense Julio, Henricus Rex mense Augusto transfretavit in Normanniam; et locutus cum Rege Francorum Ludovico, super Ettam fluvium, de pace et de matrimonio contrahendo inter filium suum Henricum et filiam Regis Francorum Margaritam, et præstitis hinc inde sacramentis, Rex Angliæ venit Argentomagum, et in festo Nativitatis B. Mariæ ibidem jussit submoneri exercitum totius Normanniæ, ut essent apud Abrincas in festivitate S. Michaëlis, ituri super Conanum Ducem Britanniæ, nisi redderet Regi civitatem Nanneticam quam C invaserat. Exinde Rex evocatus a Rege Francorum, cum paucis venit Parisius, et inæstimabili honore a Rege Ludovico et a Constantia Regina et a Proceribus regni exceptus est, gaudentibus Francis et de pace duorum Regum,

(*a*) Gesta hujus et sequentis anni locupletiùs habentur in cod. ms. Reginæ Sueciæ 322, inter Miscellanea Durandi in Biblioth. San German. fol. 16, in hunc modum :

« Anno MCLVIII, Gaufridus, filius secundus » Imperatricis, frater Regis Anglorum et Comes » Britonum, universæ carnis ingressus est viam » VII Kal. Augusti : qui in eadem urbe Nannetensium, cujus Comes exstiterat, cum magno honore sepultus est. Henricus Rex Anglorum, » Walliâ sibi subjugatâ et omni factâ tributariâ, » Vigiliâ Assumptionis S. Mariæ transfretavit in » Normanniam. Qui citiùs veniens Rotomagum, » accepit collocutionem a Rege Francorum, videlicet V feriâ, II Kal. Septembris, inter *Gisors* » et Novum-mercatum, et cum Prælatis S. Ecclesiæ et Baronibus utriusque provinciæ. Justitiâ » igitur de cœlo prospiciente, Rex Francorum » Ludovicus coram prædictis personis filiam suam » ex secunda sua muliere primogenitam, nomine » Constantiam (*imò* Margaritam) dimidium annum » aliquantulùm excedentem, dedit Henrico secundo filio Regis Anglorum, tres ferè annos habenti, cum toto *Veugesim* et munitionibus ejusdem, quod antiquitùs olim fuerat Regis Anglorum. Cujus tamen terræ et omnium munitionum » Rex Francorum retinuit custodiam usque ad nubiles annos puellæ, hac tamen divisione, ut si » filius Regis Anglorum moriatur ante maritalem » ipsius puellæ copulationem, secundus vel tertius » vel cæteri ducerent eam uxorem, sub dotis » nomine a Rege Anglorum recipientes in Anglia » civitatem Lincolniensem et mille libras, et fiscum » CCC. militum; in Normannia civitatem Abrincatensem, et duo castella, et mille libras, et fiscum ducentorum militum. Cujus pactionis fidejussores » exstiterunt Episcopi utriusque partis.

» Mense Septembri, Henricus Rex Anglorum » perrexit Parisius, ut filiam Regis quam suo filio » acceperat, adduceret in Normanniam. Cui cùm » Rex Francorum Ludovicus cum magno honore » et comitatu veniret in obviam, in aula Parisiensi » regia, ut tanto Regi oportuit apparata, cum magno omnium tripudio eum suscepit. Qui cùm die » illâ serò admirabili omnibus dilectione et dilectionis alternatione simul comedissent; Rex Francorum » in crastino eum cum filia sua usque Medantam » conduxit, in adventu Regis Anglorum et recessu » omnibus necessariis ab eodem Rege Francorum » largiter attributis.

» Eodem mense, natus est filius quartus Regi Anglorum in Anglia, nomine Gaufridus.

» Henricus Rex Anglorum, eodem mense, cum » magno militum exercitu invadit Britones : qui » adventu ejus non modicè attoniti, reddentes ei » civitatem Nannetensium, eorum præcipuam, cujus » frater ejusdem Regis Comes exstiterat, omnes ejus » dominio se subdiderunt. Incepto igitur castello » Ursi-ponte, a S. Michaële duobus distante milliaribus, Rex Henricus cum magno exercitu obsedit » *Thoars,* castellum inexpugnabile in confinio Pictavorum et Andegavorum : cui in triduo, capto » castello usque ad turrim, et turris reddita est, » Comite ejusdem expulso.

» Mense Novembri, cùm Rex Francorum ad » orationes S. Michaëlis de Periculo maris profi- » cisceretur, Rex Anglorum obvians ei, cum maximo honore recepit eum apud Paceium, apud » Ebroicas et Novum-burgum, ut videret filiam suam » quæ ibi alebatur. Deinde apud Beccum solemni » processione ambo Reges suscepti sunt, in qua fuerunt tres Episcopi et aliæ plures personæ; ibique » illâ nocte quieverunt, Rex Franciæ in aula majori, » et Rex Angliæ in alia. Hoc enim decreverat » Rex Angliæ, ut semper Rex Francorum decentiori hospitio quiesceret. Hoc in loco dixit Rex » Francorum neminem se posse tantùm diligere, » quantùm Regem Anglorum. Mirabile dictu ! » Quis unquam audivit Reges Anglorum et Francorum tantâ dilectione copulari ? Inde cùm » discederent, Rex Anglorum fecit societatem Regi » Francorum per civitates suas et castella usque » S. Michaëlem, et per Rotomagum usque Franciam, » inveniens ei in omni itinere affluenter necessaria.

» Eodem mense, obtentu Regis Francorum, » filii Comitis Theobaldi fecerunt pacem Regi » Anglorum; nam antea inimici fuerant ad invicem.

Digitized by Google

et de adventu tanti hospitis tripudiantibus. Ipse autem magnificè et dapsiliter se agens circa omnes, et maximè circa Ecclesias et pauperes Christi, nusquam in aliqua Ecclesia cum processione voluit suscipi, licèt a Rege Francorum, immò penè ab omnibus, et precibus et obsecrationibus ut id ageret, urgeretur. Inde rediens, filiam Regis Franciæ secum adduxit, et eam ad custodiendum et nutriendum Roberto de Novo-burgo fideli suo tradidit.

Mense Septembri, IX Kal. Octobris, natus est filius Henrico Regi Anglorum, et vocatus est Gaufredus.

In festivitate S. Michaëlis * venit Conanus Comes Redonensis et sui Britanni cum eo Abrincas; et reddidit Regi urbem Nannetis cum toto Comitatu Mediæ, valente, ut fertur, LX millia solidorum Andegavensis monetæ. Inde venit Rex ad Montem S. Michaëlis; auditâ Missâ ad majus altare, comedit in refectorio Monachorum cum Baronibus suis: quod ut faceret, vix Abbas Robertus multis precibus extorsit ab eo. Postea in nova camera Abbatis concessit Ecclesias Pontis-Ursonis S. Michaëli et Abbati et Monachis ejusdem loci, præsente Roberto Abbate, et Ranulfo Priore, et Manerio Monacho, et Gervasio Clerico Thomæ Cancellarii, et Adam scriba Roberti Abbatis. Ipsa die perrexit ad Pontem-Ursonis, et divisit ibi ministris suis, et ordinavit quomodo castrum illud reædificaretur. Inde discedens cum armata manu, perrexit ad suscipiendam urbem Nannetis. Quâ acceptâ et dispositâ ad libitum, paucis interpositis diebus, cum innumerabili exercitu, tertiâ feriâ, obsedit castrum Toarci, et sextâ feriâ ejusdem septimanæ cepit. Post aliquantum temporis perrexit obviam Ludovico Regi Francorum venienti gratiâ orationis ad Montem S. Michaëlis de Periculo maris: quem ex quo intravit in Ducatum Normanniæ, deduxit et suis impensis decentissimè procuravit....

* An. 1158.

In festivitate verò B. Clementis, die Dominicâ, venerunt uterque Rex ad Montem B. Archangeli; et cum magno tripudio tam Cleri quàm populi, itum est Regi Francorum obviam. In ipsa autem processione, excepto conventu Monachorum et Clericorum et plebe innumerâ, fuerunt duo summi Pontifices, unus Archiepiscopus et alter Episcopus, et quinque Abbates. Auditâ missâ, redierunt Abrincas, deducente illum Rege, et innumeris regiis muneribus tam illum quàm suos usque ad fines sui Ducatûs prosequente.

Mense Decembri * concordati sunt Rex Henricus et Comes Blesensis Theobaldus cognatus ejus, hoc modo: Comes Theobaldus reddidit Regi duo castra, Ambazium et Fractam-vallem, et Rotrodus Comes Moritoniæ sororius ejus, (siquidem unam sororum ejus * Odo Dux Burgundiæ uxorem duxerat, aliam * prædictus Comes Rotrodus, qui usitatiùs dicitur Comes Pertiensis, tertiam * Willelmus *Goiet*;) hic, inquam, Rotrocus reddidit Henrico Regi duo castra, Molinas et Bonum-molinum, quæ erant dominica Ducis Normanniæ; sed post mortem Regis Henrici Rotrocus Comes, pater hujus Rotroci, occupaverat ea. Rex autem Henricus concessit eidem Rotroco Bellismum castrum, et ille fecit Regi propter hoc homagium.

* An. 1158.
* Mariam.
* Mathildem.
* Elizabeth.

Eodem anno Robertus Abbas S. Michaëlis meliorans auro et argento quædam antiquata in capsa S. Auberti Episcopi, invenit in ea ossa ipsius sancti: excepto capite quod per se reservatur in eadem Ecclesia in vase argenteo. Invenit etiam cum eodem corpore litteras testificantes idipsum, et quamdam tabulam viridis marmoris. Repositum est iterùm corpus B. Confessoris et Episcopi Auberti in eadem capsa in tribus ligamentis, et marmor, et vetus breve cum novo, in quo indicatur sub quo anno Dominicæ Incarnationis, et a quo Abbate repositum fuit tunc idem corpus....

Anno MCLIX, (*a*) Rex Henricus egit solemnitatem Natalis Domini cum

(*a*) Codex Reginæ Sueciæ superiùs laudatus in recensendis hujus anni gestis etiam abundat.

« Anno MCLIX, Rex Anglorum Henricus in Natali Domini tenuit curiam suam apud *Cheresburg*, ut tantum Regem decebat, cum magno videlicet Principum comitatu.

» Circa Octavas Epiphaniæ, Thebaldus Episcopus Parisiensis, olim Prior S. Martini de Campis, jura mortis pius pater exsolvit, et cessavit Episcopatus aliquantulùm.

» Deposito Abbate S. Ebrulfi, præficitur Abbas ejusdem loci Robertus de Blanzeio, Monachus Beccensis, primâ hebdomadâ Septuagesimæ.

» Henricus Rex Anglorum, intrante Quadragesimâ, cum Optimatibus suis perrexit usque Pictavorum urbem, accepturus consilium ut Tolosæ civitatis sibi subderet dominium, quam Pictavensium Duces jure hæreditatis antea possederant. Sed quia Comes S. Egidii, qui sororem Regis Francorum Constantiam duxerat, et tres pueros ex ea susceperat, in munitionibus Tolosæ civitatis, quæ multæ sunt, confidens, et Regis Francorum auxilio fretus, obtempe- rare noluit; apud civitatem Turonorum ab utro-

Digitized by Google

Regina Alienor apud Cæsaris-burgum, quæ paulò antè transfretaverat in Normanniam. Henricus Rex Anglorum et Raimundus Comes Barcinonensis apud castrum Blaviam amicitiæ fœdus, datis sacramentis, hoc pacto inierunt : quòd Ricardus filius Regis filiam Comitis tempore opportuno esset ducturus, et Rex Ducatum Aquitaniæ illis, exactis nuptiis, concessurus. Siquidem hic Raimundus est vir præpotens et dives, utpotè qui regnum Aragonum habeat ex hæreditate conjugis suæ; ex paterna autem hæreditate Comitatum civitatis Barcinonæ. A

Ut enim aliquantulùm ad transacta redeamus. Sancio Rex Aragonum genuit tres filios, qui sibi invicem successerunt, [Petrum] Sancionem, Anfortium, Ramelium. Duobus verò primogenitis sibi invicem succedentibus, et absque filiis decedentibus, ne regnum illud ab extraneis occuparetur, Ramelium Monachum, etiam jam senem, licentiâ Romani Pontificis a Monasterio abstractum, Regem fecerunt; et ut hæredem haberet, Mathildem (*a*) matrem Willelmi Vi- B

» que Rege super hoc celebrato Concilio, non » congruente utriusque voluntati, Henricus Rex » Anglorum exercitum Angliæ et Normanniæ, » Cinomanensium et Andegavorum, Aquitano- » rum, Wasconiæ et Britonum, ad festivitatem » S. Johannis-Baptistæ apud Pictavorum urbem » congregari præcepit : de omnibus Episcopatibus » et Abbatiis prædictarum provinciarum infinitam » accipiens pecuniam, ut videlicet tantum exer- » citum circa urbem prædictam regere posset usque » festum Omnium Sanctorum.

» Pridie Nonas Maii, combusta est civitas Roto- » magensis.

» Rex Anglorum Henricus cum magno exercitu » Optimatum suorum fuit ad festum Ascensionis » Domini, et ad solemnem processionem et Mis- » sam apud Beccum : et cùm per tres dies ibi mo- » raretur, recessit Rotomagum.

» Octavo Idus Junii, VII et VI, inter Regem Franc. » et Regem Anglorum, et Episcopos et Barones » utriusque partis, fit collocutio apud *Hilliricort* *, » de conventionibus videlicet quas inter se super » matrimonio sobolis suæ antea habuerant, et de » exercitu Regis Anglorum Tolosam ituro : ubi » ad concordiam non venerunt, quia Rex Fran- » corum nolebat concedere ut Tolosam acciperet, » propter sororem suam et nepotes.

» Quoddam genus latronum, retroactis tempo- » ribus inauditum, infestat Angliam sub habitu » Religionis; gerentes enim se ut Monachi, via- » toribus, dum in anfractibus viarum et nemo- » rum sunt, deveniunt, suisque facto sono sociis, » eos interimunt, denarios eorum et spolia diri- » pientes.

» Malcolmus Rex Scotiæ cum XLV navibus, » XVII Kal. Julii transfretavit in Normanniam : » qui dum usque Pictavorum urbem, ubi Regis » Anglorum exercitus congregabatur, deveniret, » ab eodem Rege honorificè susceptus est.

» Rex Anglorum Henricus post festum S. Joannis- » Baptistæ exercitum suum promovit a Pictavorum » urbe, usque dum propinquarent Tolosæ civitati : » cujus exercitûs magnitudinem, divitias et feri- » tatem non est nostræ parvitatis evolvere.

» Magister Petrus Longobardus, vir magnæ scien- » tiæ et super Parisiensium Doctores admirabilis, » electus est Parisiensis Episcopus et sacratus circa » festum Apostolorum Petri et Pauli.

» Circa easdem Octavas, Ludovicus Rex Fran- » corum cum Rege Anglorum colloquium habuit, » de obtinenda videlicet pace cum Comite sancti » Egidii, propè Tolosam. Sed cùm nihil pacis » obtentum fuisset, ortâ inter eos simultate et » tantæ retrohabitæ pacis discordiâ, malo totius » patriæ ab alterutro divisi sunt. Rex igitur Fran- » corum intravit Tolosam, sibi et nepotibus suis » concessam; fuitque ibi assiduè cum ejusdem » Comite, quamdiu Rex Anglorum mansit in pro- » vincia. Rex autem Anglorum, suorum Principum » usus consilio, noluit Regem obsidere; sed castella » circumposita obsidens, in brevi obtinuit, et univer- » sam provinciam miserabiliter vastavit : et cepit » Montem-regalem et civitatem *Calhors* cum subja- » centi provincia, in qua civitate post recessum » suum multitudinem magnam armatorum dimisit, » ad custodiendam eam et cætera castella quæ ce- » perat, quorum Dux (Thomas) Cancellarius Regis » fuit.

» Auditâ igitur utriusque Regis discordiâ, Franci » et Normanni miserabiliter compugnarunt in » confinio Franciæ et Normanniæ. Tunc Comes » Thebaldus, qui erat in adjutorium Regis Anglo- » rum, fecit ei hominium, et jussu Regis repeda- » vit in Franciam, ad augmentum doloris Fran- » corum.

» Kalendis Augusti, Robertus de Novo-burgo, » Vicedominus incedens de tota Normannia, vir » magnæ prudentiæ et bonitatis, multatus infir- » mitate, factus est Monachus Beccensis Ecclesiæ, » sua omnia propria, quæ magna fuerant, priùs » pauperibus largiter distribuens... III Kal. Septembris » obiit Robertus de Novo-burgo, qui V ferè hebdo- » madibus Monachus existens Beccensis, suæ absti- » nentiæ admirandæ, religionis et virtutum omnium » in brevi, Dei virtute, ditatus auspitio, omnibus » Ecclesiæ majoribus benè vivendi reliquit exem- » plum, cùm antea dives, nunc quidem pauperrimus » factus est Christianorum.

» Kalendis Septembris, Adrianus Papa universæ » carnis ingressus est viam : cui successit Rollandus » Cancellarius Romanæ Ecclesiæ, qui et Alexan- » der dicitur, dum quidam de Clero Octavianum » Cardinalem Presbyterum elegissent, qui et Victor » dicitur...

» Circa festum S. Michaëlis Rex Anglorum, suo- » rum Principum usus consilio, cum exercitu suo » ad propria repedans, Estrepeneium juxta *Gisorz* » obfirmavit, quod Rex Franciæ antea diruerat. » Recedente, ut dictum est, Rege Anglorum a » prædicta provincia, continuò Rex Francorum » repeditans ad propria, de Ecclesiis et de terra sua » multam accepit pecuniam. Omnes interea Ecclesiæ » utriusque patriæ enixiùs fundebant preces ad » Dominum, ut ambos Reges ad pristinam pacem » reduceret. Audiens igitur Rex Francorum Regem » Anglorum supradictum castellum obfirmasse, » timens de suis, cum suo exercitu illuc usque pro- » peravit.

» Interea malis in terra multiplicatis, circa festum » S. Martini Comes Ebroicensis omnia castella sua » quæ erant in Francia, Regi Anglorum tradidit, in » quibus Rex custodes suos posuit, sicut Simon de » Aneto fecit.

» Silvester Abbas Castellionis tunc temporis migra- » vit a sæculo, et successit ei Gillebertus Ebroicensis » Monachus.

» Adventu interim Domini propinquante, obtentu » magnorum virorum patriæ, ambo Reges inducias » acceperunt usque ad Octavas Pentecostes.

» Dominicâ ante Natale Domini, Frogerius Archi- » diaconus et Eleemosynarius Regis Anglorum, or- » dinatus est Episcopus Sagiensis.

» Hoc anno, inundatione pluviarum, quæ a festo » S. Joannis-Baptistæ usque ad festum S. Michaëlis » penè assidua facta est, Sequana et aliæ aquæ alveos » ultra modum excedentes, magnum damnum genti » circumpositæ intulerunt ».

* Al. *Heldincort.*

(*a*) Sive Agnetem, Guillelmi IX Aquitaniæ Ducis filiam.

Digitized by Google

A cecomitis Toarci illi associaverunt, ex qua genuit unam filiam, quam Raimundus prædictus Comes duxit, de qua nata est ista puella [Petronilla seu Urraca] quam filio Regis diximus copulandam, et filius ejus primogenitus Aragonum Rex futurus. Siquidem ipse Comes, quamvis haberet regnum Aragonum et posset Rex fieri, si vellet, omninò recusavit regnum, reservans filio suo quod accidebat ei ex materna genealogia....

Mediante autem Quadragesimâ *, Rex fecit summoneri exercitum totius * An. 1159.
Normanniæ, Angliæ, Aquitaniæ, et cæterarum provinciarum quæ sibi subditæ sunt, quia Raimundus Comes S. Ægidii nollet ei reddere civitatem Tolosæ, quam Rex requirebat sicut hæreditatem uxoris suæ *Alienor* Reginæ. Siquidem Robertus Comes Moritonii, uterinus frater Willielmi Regis, qui regnum Angliæ subjugavit, habuit (*a*) unum filium Guillelmum, qui ei successit, et apud
B *Tenerchebrai* a Rege Anglorum primo Henrico in bello captus est; et tres filias, quarum unam duxit Andreas de Vitreio, aliam Guido de *Laval*, tertiam [Emmam] Comes Tolosanus [Guillelmus], frater Raimundi Comitis S. Ægidii, qui in expeditione Jerosolimitana viriliter se habuit. Genuit autem ex ea Comes Tolosanus unam solummodò filiam [Philippam], quam Guillelmus Pictavensis et Dux Aquitanorum, mortuo patre prædictæ puellæ, cum hæreditate propria (*b*) scilicet urbe Tolosa et Comitatu Tolosano, duxit uxorem: ex qua genuit idem Guillelmus filium, Guillelmum nomine, qui ei successit, qui pater fuit *Alienor* Reginæ Anglorum.

Si quis autem requirit quomodò postea Comes S. Ægidii habuit civitatem Tolosam, noverit quòd prædictus Willielmus Comes Pictavensis invadiavit (*c*) eamdem civitatem Raimundo Comiti S. Ægidii, patruo uxoris suæ, propter
C pecuniam quam idem Guillelmus in expeditione Jerosolymitana expendit. Unde idem Raimundus in libro ejusdem expeditionis nunc Comes S. Ægidii, nunc Comes Tolosanus vocatur. Quo mortuo, habuit eamdem urbem Anforsius filius ejus, qui apud Jerosolymam mortuus est eodem tempore, quo Ludovicus Rex Francorum gratiâ orationis illuc perrexerat. Similiter etiam Raimundus filius ejus, qui ei successit, qui habuit in conjugio Constantiam sororem Ludovici prædicti Regis Francorum, relictam scilicet Eustachii Comitis, filii Stephani Regis Anglorum.

Rex igitur Henricus iturus in expeditionem prædictam, et considerans longitudinem et difficultatem viæ, nolens vexare agrarios milites, nec burgensium nec rusticorum multitudinem, sumptis LX solidis Andegavensibus in Normannia de feudo uniuscujusque loricæ, et de reliquis omnibus tam in Norman-
D nia quàm in Anglia, sive etiam aliis terris suis, secundùm hoc quod ei visum fuit; capitales Barones suos cum paucis secum duxit, solidarios verò milites innumeros. Ad illam verò expeditionem cum reliquis transmarinis venit Malcolmus Rex Scotiæ, et a Rege Henrico cingulo militiæ ibidem accinctus est. Duravit autem expeditio illa ferè per tres menses. Et quamvis Rex Henricus cepisset urbem Cadurci, et major pars Ducatûs Tolosani sibi esset subdita vi vel timore, urbem tamen Tolosam noluit obsidere, deferens Ludovico Regi Francorum, qui eamdem urbem contra Regem Henricum Angliæ muniverat, et die ac nocte, volens ferre auxilium Raimundo sororio suo, custodiebat : unde graves inimicitiæ inter ipsum et Regem Anglorum ortæ sunt, cùm videret sibi Regem Franciæ nocere, de cujus auxilio plurimùm confidebat. Remisit itaque
E Rex Henricus Comitem Theobaldum, qui ei favebat, ut inquietaret regnum

(*a*) Ex Mathilde de Montegomerico, uxore.

(*b*) Roberti narrationi de jure Pictaviensis Comitis in Tolosanum Comitatum suffragatur Guillelmus Neubrigensis, verùm adversatur Guillelmus Malmesb. cujus hac in re auctoritas eò magis ponderenda, quòd eo tempore scriberet, quo Raimundum IV Tolosanum Comitem inter et Guillelmum Pictaviensem Comitem agitabatur controversia, quæ necdum ullo modo ad Reges Angliæ spectaret. Porrò, teste illo, Raimundus *Tolosam a germano emit pluribus annis ante magni motûs viam profecto Jerusalem.* Quod quidem certissimum fit ex appellatione Tolosani Comitis quam usurpabat Raimundus, jam ab anno 1088, ut probat Occitanicæ Historiæ Scriptor, T. II, p. 622, hoc est quinque antè fratris obitum annis. Juri emptionis, quo Tolosanum Comitatum sibi vindicabat Raimundus, accessisse jus quoddam substitutionis, quo mares in familia Tolosana fœminas excludebant, opinatur idem Scriptor, variis in eam rem prolatis argumentis, quæ apud ipsum legere est.

(*c*) Falsum; Raimundus enim quinquennio jam inter Cruce-signatos peregrinabatur, cùm Guillelmus Pictaviæ Comes an. 1101 in Palestinam profectus est. Jus ergo suum qualecumque armis sibi vindicare volebat Henricus : quod et præstiterat, ut ingenuè fateamur, ipsemet Ludovicus, dum Eleonorâ conjuge frueretur.

Digitized by Google

Franciæ. Sed Henricus Episcopus Belvacensis et Comes Robertus dominus Dor- A
cassini castri, fratres Regis Francorum, ei restiterunt, et in margine Ducatûs Normanniæ aliquos flammâ et rapinâ vexaverunt, Normannis sibi talionem reddentibus.

Robertus de Blangeio, Monachus Becci, factus est Abbas S. Ebrulfi.

* An. 1159. Mense Julio * Robertus de Novo-burgo Dapifer, et Justitia * totius Nor-
* Justiciarius. manniæ, adversâ valetudine tactus, gibbum cameli depoşuit, videlicet innumeras divitias Ecclesiis et Monasteriis et pauperibus dividens; et ad ultimum in Monasterio Becci, quod præ omnibus diligebat, habitum Monachi sumens, per unum mensem ibi pœnitentiam fructuosam egit, et tertio Kal. Septembris hominem exuit, sepultus in Capitulo, quod ipse propriis sumptibus mirificè ædificaverat.

Mortuo venerabili Milone Episcopo Tarwannensi, electus est Milo Archidia- B
conus ejusdem Ecclesiæ, Canonicus Regularis, sicut decessor ejus fuerat : quem cùm Samson Archiepiscopus Remensis vellet sacrare, Clerici civitatis Boloniæ, qui diu sub Episcopo Tarwannensi fuerant, volentes amodò suum proprium Episcopum habere, sicut antiquitùs habuerant, prohibuerunt Archiepiscopum sub appellatione Apostolica, ne eum sacraret, nisi tantummodò ad titulum Tarwannensis Ecclesiæ : quod prædictus Electus refutans, insacratus contra illos Clericos Romam perrexit, et ibi sacratus est.

Magister Bernardus Brito, Cancellarius Ecclesiæ Carnotensis, factus est Episcopus Cornubiæ in minori Britannia. Magister etiam Petrus Lombardus Pari-
* *Corr.* Ar- siensem Episcopatum adeptus est, connivente Philippo ejusdem Ecclesiæ Decano *,
chidiacono. fratre Regis Francorum, qui, ut dicunt, electionem suam concessit eidem Petro.

Kalendis Septembris, mortuo Adriano Pontifice, electi sunt duo et conse- C
crati, Rollandus Cancellarius, Presbyter Cardinalis S. Marci, vir religiosus, vocatus Alexander III, et Octavianus Presbyter Cardinalis tituli S. Mariæ in Cosmidum, dictus Victor IV. Hic per potentatum et parentes suos nobiles Papatum invasit.

Frogerius, Regis Eleemosynarius, factus est Episcopus Sagiensis....

Terricus Comes Flandrensis rediit Jerosolymâ, et uxor ejus Mabiria remansit cum Abbatissa S. Lazari de Bethania, invito conjuge suo.

* An. 1159. Mense Octobri, * Henricus Rex Anglorum, munitâ civitate Cadurcorum, et commendatâ Thomæ Cancellario suo, et dispositis custodibus et auxiliariis in locis opportunis, confidens de auxilio Raimundi-Berengarii Comitis Barcinonæ
* *Trincavel* Vicecomitis. et Trenchuel * Comitis Nemausi, et Willielmi de Montepessulano, et aliorum suorum fidelium, rediit in Normanniam. Inde perrexit cum valida manu in D
* *Gerberoi.* pagum Belvacensem, et destruxit munitissimum castellum * *Guerberrei*, exceptâ quadam firmitate, quam ne caperent, hominibus Regis ignis et fumus prohibuit; villas multas combussit et destruxit.

Simon Comes Ebroïcus tradidit Henrico Regi Anglorum firmitates suas, quas habebat in Francia, scilicet Rupem-fortem, Montem-fortem, Esparlonem et reliquas : quod magno detrimento fuit Regi Francorum, cùm non posset liberè procedere de Parisius Aurelianis vel Stampis, propter Normannos quos Rex Henricus posuerat in castris Comitis Ebroïcensis. Hac de causa treviæ captæ fuerunt inter duos Reges a mense Decembri usque ad Octavas Pentecostes.

In reditu expeditionis Tolosæ, mense Octobri, obiit Guillelmus Comes Moritonii : decessit autem absque liberis, et retinuit Henricus Rex Comitatum in manu sua. E

Anno MCLX, (*a*) Rex Henricus egit Nativitatem Domini cum Regina Alienor apud Falesiam : exinde eadem Regina transfretavit in Angliam.

Kalendis Januarii terræ motus accidit in pago Constantino, castro S. Laudi, circa horam primam.

(*a*) Codex Reginæ Sueciæ hunc annum sic exorditur : « Anno MCLX, Rex Anglorum Henricus ad » Natale Domini fuit apud Falesiam, et leges instituit » ut nullus Decanus aliquam personam accusaret » sine testimonio vicinorum circummanentium, qui » bonæ vitæ famâ laudabiles haberentur. De causis » similiter quorumlibet ventilandis instituit ut, cùm » judices singularum provinciarum singulis mensibus » ad minùs simul convenirent, sine testimonio vici- » norum nihil judicarent, injuriam nemini facerent, » præjudicium non irrogarent, pacem tenerent, la- » trones convictos statim punirent, quæque quietè » tenerent, Ecclesiæ sua jura possiderent ». Codex etiam Regius 4861 hactenùs concordat cum codice Reginæ Sueciæ; sed in subsequentibus neutiquam discrepat ab editis exemplaribus, estque codice Reg. 4992 copiosor.

Hardoinus

Digitized by Google

A Hardoinus Decanus Cenomannensis factus est Archiepiscopus Burdigalensis, cùm decessor ejus [Raymundus] vix anno et dimidio vixisset.

Mathilde Imperatrice adversâ valetudine percussa, dapsiliter, præeunte consilio filii sui Henrici Regis Anglorum, divitias suas Ecclesiis, Monasteriis et pauperibus distribuit : Monasterium Beccense, sicut in alia infirmitate sua fecerat, cæteris præponens.

Ecclesiâ Bajocensi igne combustâ, Philippus Episcopus in ejus restauratione iterùm viriliter laborat.

Maio mense * pax facta est inter Reges Henricum Angliæ et Ludovicum Fran- * An. 1160.
ciæ, revolutis prioribus pactis et confirmatis, et pacificatis qui partes utrorumque adjuverunt.

Mathæus filius Comitis Flandriæ inaudito exemplo duxit [Mariam] Abbatis-
B sam Rummesiæ, quæ fuerat filia Stephani Regis, et cepit cum ea Comitatum Boloniensem.

Mense Julio, Henricus Rex Anglorum congregavit omnes Episcopos Normanniæ, Abbates et Barones apud Novum-mercatum; et Ludovicus Rex Francorum adunavit suos Belvaci : ibi tractatum est de receptione Papæ Alexandri, et refutatione Victoris, et consenserunt Alexandro, reprobato Victore.

Mense Septembri, obiit Heribertus Episcopus Abrincensis, et sepultus est in Ecclesia B. Mariæ Becci, sicut prædecessor ejus Ricardus de Bello-fago.

Prædicto mense, Regina Angliæ Alienor transfretavit in Normanniam jussu Regis, adducens secum Henricum filium suum et filiam Mathildem.

Mortuus est Philippus frater Ludovici Regis Francorum, Decanus S. Martini Turonensis (*a*). Mortua est et Constantia Regina Franciæ labore partûs,
C superstite filiâ, cujus causâ mors sibi acciderat.

Mense Octobri * Rex Anglorum et Rex Francorum collocuti, pactum pacis * An. 1160.
mutuæ confirmaverunt; et Henricus filius Regis Anglorum fecit homagium Regi Francorum de Ducatu Normanniæ, qui est de regno Franciæ. Paucis interpositis diebus, Ludovicus Rex Francorum duxit filiam Comitis Theobaldi senioris. Nec mora Henrico filio Henrici Regis Angliæ desponsata est apud Novum-burgum Margarita filia Ludovici Regis Francorum; et Henricus Rex Anglorum cepit tria castella munitissima, *Gisorz*, Neafliam, Novum-castellum, sita super fluvium *Epte*, in confinio Normanniæ et Franciæ : quia pepigerant inter se ipse et Rex Franciæ, quatenùs inito matrimonio filiorum suorum, Rex Henricus haberet illas munitiones, quæ ad Ducatum Normanniæ pertinent. Quo audito, Rex Franciæ graviter tulit ipse et sororii sui, scilicet Henricus,
D Theobaldus, Stephanus. Exinde hi tres Comites, coadunatis viribus suis, cœperunt firmare munitionem Calvi-montis, quæ erat de feudo castri Blesensis, ut exinde pagum Turonicum infestarent. Rex verò Henricus, quia illud castrum erat de casamento Hugonis filii Sulpicii de Ambazia, quod tenebat de Comite Theobaldo, caput autem sui honoris, scilicet Ambaziam, tenebat de Rege Henrico : Rex, inquam, Henricus, percepto exinde nuncio, non exspectatis sociis suis, illuc properavit, volens impedire opus illius castelli, per quod licentiùs, si perfectum esset, discurrerent per terram suam. Audito autem adventu Regis Anglorum, Comes Theobaldus discessit a Calvo-monte, munitâ firmitate et custodibus dispositis. Rex verò Henricus obsedit prædictum castrum, et illicò cepit, in quo erant xxxv Milites, et quater viginti servientes, et reddidit eamdem munitionem Hugoni de Ambazia, qui adversabatur pro posse suo Comiti
E Theobaldo; quia in carcere prædicti Comitis Sulpicius, ipsius Hugonis pater, nequiter exstinctus fuerat. Exinde Rex Henricus, munitis turribus Ambaziæ et Fractæ-vallis, et dispositis custodibus, egit festum Natalis Domini cum Alienore Regina Cenomannis.

Anno MCLXI, Henricus Rex munitiones Comitis Mellenti, et aliorum Baronum suorum in Normannia, in manu sua cepit, et fidelibus suis commendavit. In margine etiam Ducatûs Normanniæ ferè omnia sua castella, et maximè

(*a*) Vetus Philippi epitaphium, tumulo ipsius in Ecclesia S. Marcelli Parisiensis anno 1699 detecto inscriptum, mortem ejus anno sequenti consignat his verbis : *Hic jacet Philippus filius Ludovici Crassi, Regis Francorum, Archidiaconus Ecclesiæ Parisiensis, qui obiit anno* MCLXI. At dubitandi locus est utrùm ii qui hoc epitaphium descripserunt, chronicos numeros præ vetustate nonnihil obliteratos rectè legerint : non desunt enim qui Philippi obitum ad annum 1164 retardent. Utcumque est, dies emortualis ipsius in necrologio Parisiensis Ecclesiæ 16 Octobris consignatur.

Digitized by Google

Gisorz, melioravit vel renovavit; parcum et mansionem regiam fecit circa fustes A
plantatos apud Chivileium juxta Rotomagum; domum leprosorum juxta Cadomum mirabilem ædificavit; aulam et cameras ante turrem Rotomagensem nihilominus renovavit. Et non solùm in Normannia, sed et in regno Angliæ, Ducatu Aquitaniæ, Comitatu Andegaviæ, Cenomanniæ, Turonensi, castella, mansiones regias, vel nova ædificavit, vel vetera emendavit. Castellum etiam in villa quæ dicitur Amandi-villa, super Viræ fluvium ædificavit.

Achardus, Abbas S. Victoris Parisiensis, factus est Episcopus Abrincensis. Willelmus Anglicus, Prior S. Martini de Campis, fit Abbas Ecclesiæ Ramesiæ in Anglia.

In capite Jejunii, apud Cenomannos Hugo Archiepiscopus Dolensis cœcitate debilitatus, præsentibus Henrico Rege Anglorum et duobus Legatis Romanæ Ecclesiæ, Henrico de Pisis et Guillelmo de Papia, reddidit Archiepiscopatum, B
quem ferè per sex annos tenuerat, et in ejus reparatione plurimùm laboraverat. In ejus loco ibidem electus fuit Rogerius *d'Humez*, Archidiaconus Baiocensis....

* An. 1161. Post Pascha * Rex Anglorum Henricus et Ludovicus Francorum, primò in Vilcasino, postea in Dunensi pago, instigante eos ad discordiam Comite Theobaldo, congregatis exercitibus suis in alterutrum, terras suas defendendo, ferè in cominùs venerunt. Inde, datis induciis post festum S. Johannis, Henricus Rex Anglorum perrexit in Aquitaniam, et inter alia quæ strenuè gessit, Castellionem supra urbem Agennum, castrum scilicet naturâ et artificio munitum, obsedit : et infra unam septimanam, in festivitate S. Laurentii, admirantibus et perterritis Wasconibus, cepit.

Regina Alienor apud Domnifrontem filiam peperit, quam Henricus Presbyter Cardinalis et Legatus Romanæ Ecclesiæ baptizavit, et Achardus Epis- C
copus Abrincensis et Robertus Abbas S. Michaëlis de periculo maris, cum aliis multis, de fonte susceperunt : et vocata est *Alienor* de nomine matris suæ.

Mauricius Archidiaconus Parisiensis fit ejusdem Ecclesiæ Episcopus.

Mortuo Juhello de Meduana, successit Gaufridus filius ejus : hic duxit filiam [Valeranni] Comitis Mellenti.

Anno MCLXII, Rex Henricus egit Nativitatem Domini apud Baiocas.

Mense Januario, Gaufridus de Meduana reddidit Henrico Regi Anglorum tria castella, quæ pater ejus tenuerat post mortem Henrici Regis senioris, scilicet Gorram, Ambrerias, Novum-castrum super fluvium Colmiæ.

Eodem mense, remoto Aquilino de Furnis de castello Pontis-ursonis, quia Abrincatini conquerebantur de eo, quòd terras eorum nimiis exactionibus et injuriis gravaret; Henricus Rex idem castrum ad tempus commendavit Ro- D
berto Abbati de Monte.

* Samsone. Mortuo Sanctione * Archiepiscopo Remensi, Henricus frater Regis Francorum, Episcopus Belvacensis, successit. Bartholomæus verò, Archidiaconus Remensis, factus est Episcopus Belvacensis.

* An. 1162. Primâ Dominicâ Quadragesimæ * Rex Henricus congregavit Episcopos, Abbates, Barones totius Normanniæ apud Rotomagum, et querimoniam faciens de Episcopis et eorum ministris et Vicecomitibus suis, jussit ut Concilium Juliæbonæ teneretur. Julia-bona in Caletensi pago juxta Sequanam est sedes Regia, a dominis Normannorum multùm amata et frequentata. Hanc Julius Cæsar (ex cujus nomine Julia vocatur) condidit, destructâ urbe Caleto; ex cujus veteri vocabulo tota regio sita inter Sequanam et mare adhuc vocatur (*a*).

Primus Ricardus Dux Normannorum et secundus Ricardus filius ejus, apud E
Fiscannum levati de tumulis suis, in quibus separatim jacebant, post altare sanctæ Trinitatis honestiùs ponuntur. Huic translationi Henricus Rex Anglorum interfuit, et Episcopi Normanniæ; et dedit illi Ecclesiæ sylvam de Hogis....

Discordiâ inter regnum et sacerdotium adhuc perdurante propter schisma Octaviani, quem Rex Romanorum Fredericus secum in Italia habebat; Alexander Papa Romanus, confidens de Regibus Francorum Ludovico et Anglorum Henrico, qui devotè semper Romanam Ecclesiam fovent et venerantur, ad cis-

(*a*) Juliobonam, quam Deppam (*Dieppe*) esse opinatur, a Lillebona sive Illebona ad Sequanam fluvium sita distinguendam esse censet Valesius, cui Martinerius, etsi Deppa oriundus, adversatur, patriæ gloriam veritati postponens, necnon clarissimus Danvilleus, recentiorum Geographorum facilè princeps, quibus Illebonam, Lillebonam ac Juliobonam varia esse nomina ejusdem urbis Caletensium principis, hodie *Lillebonne* appellatæ, certum atque indubitatum videtur.

Digitized by Google

A montanos marinâ expeditione circa Pascha venit, et apud Montem-pessulanum in Provincia debitâ honorificentiâ susceptus est.

Ricardus de *Revers*, dominus insulæ Vectæ, in Anglia moritur, relinquens ex filia Rainaldi Comitis Cornubiæ parvulum filium, nomine Balduinum.

Stephanus cognomento Burgensis, Abbas S. Michaëlis de Clausa, et Monachus Cluniacensis, fit Abbas Cluniaci, Abbate Hugone se conferente ad partes Imperatoris et Octaviani.

Mortuo Harduino Archiepiscopo Burdigalensi apud Montem-pessulanum, dum ibidem in Curia domini Papæ moraretur, Episcopus Lactorensis [Bertrandus] ei successit. Fame, mortalitate Cismontani, maximè in Aquitania, laborant....

Radulfus de Toeni moritur, relicto parvulo filio ex filia Roberti Comitis Leecestriæ.

B Mense Julio * in Britannia minori, scilicet in Retello, sanguis pluit, et de ripis cujusdam fluminis vel fontis ibidem effluxit, necnon etiam de pane. Eodem mense Johannes de *Dol* mortuus est, et dimisit terram et filiam suam in protectione Radulfi de Fulgeriis; sed Rex Anglorum accepit turrem de manu ejus. * An. 1162.

Johannes Thesaurarius Eboracensis, vir jocundus et largus et apprimè litteratus, fit Episcopus Pictavensis.

Matthæo Episcopo Andegavensi defuncto, successit Gaufridus Sagiensis, Decanus ejusdem Ecclesiæ, et Clericus Regis Anglorum...

Raimundus-Berengerius Comes Barcinonensis, vir omnibus bonis plangendus, moritur, relicto filio Anforsio qui factus est Rex Aragonum, quod regnum ei acciderat ex materno genere.

Fredericus Alemannorum Imperator et Ludovicus Rex Francorum, cùm
C super fluvium Sagonnam, qui antiquitùs Arar vocabatur, de pace tractaturi convenire debuissent, repentè mutato animo propter schisma Octaviani, cujus partes Imperator adjuvabat, infecto negotio, ad propria redierunt. Exinde parvo spatio temporis interjecto, Ludovicus Rex Francorum et Henricus Rex Anglorum super Ligerim apud Tociacum convenientes, Alexandrum Papam Romanum honore congruo susceperunt, et usi officio stratoris, pedites dextrâ lævâque frœnum equi ipsius tenentes, eum usque ad præparatum papilionem perduxerunt. Quo mediante, Deo favente, pax inter eos firma restituta est....

Henricus Rex, ordinatis et compositis rebus et castellis suis in Normannia, Aquitania, Andegavia, et etiam in Wasconia, in Adventu Domini venit Barbe-fluvium, volens, si posset, transfretare ante Natale Domini: sed vento prohibente, egit Natale Domini cum Regina *Alienor* apud Cæsaris-burgum....

D Anno MCLXIII, mense Januario, Rex Henricus transivit in Angliam, ipse et Regina, et cum magno gaudio susceptus est ab omnibus ferè Proceribus patriæ, qui eum in littore exspectabant. Jam enim Henricus filius ejus præcesserat, et sicut in Normannia, sic in Anglia homagia et fidelitates Baronum et militum suscepit.

Archiepiscopo Lugdunensi [Heraclio] deficiente, Clerus et populus conniventiâ Frederici Imperatoris, elegerunt Guillelmum filium Comitis Theobaldi senioris: quod etiam Papa Alexander concessit (*a*). Illa autem urbs, quæ cis

(*a*) Heraclio Archiepiscopo Guillelmum Campaniensem suffectum fuisse solus affirmat Robertus in Acheriana editione, cui concinit codex Reg. 4861. Quod si ita est, jure suo electus ille statim destitisse dicendus est. Duos enim tantùm sedis Lugdunensis, post obitum Heraclii, competitores cæteri commemorant Historici, Drogonem videlicet Archidiaconum Lugdunensem, et Guichardum Pontiniacensem Abbatem. Prioris electionem Ludovico VII Francorum Regi Lugdunense Capitulum denunciavit his verbis, Gall. Christ. T. IV. inst. p. 20: *Noverit sublimatis vestræ discretio, quòd pastorali sollicitudine destituta Lugdunensis Ecclesia, convocatis suffraganeis suis et aliis religiosis personis, S. Spiritûs invocatâ gratiâ, pari voto et communi omnium consensu dominum Drogonem ejusdem Ecclesiæ Archidiaconum in pastorem sibi elegit et dominum, Romanæ Ecclesiæ devotum filium. Cujus electionem ratam faciens summus Pontifex, scripti sui munimine roboravit. Ejus industria pro pace Ecclesiæ nostræ plurimùm desudavit, plurimùm profuit. Accensi verò pravitatis odiis quidam e fratribus nostris, qui senario clauduntur numero, quos tanquam filios uterinos Lugdunensis Ecclesia tenerè dilexit et fovit, conspirantes in unum conjuraverunt adversùs dominum et Electum suum: in tantam prorumpentes insaniam, ut nobis inconsultis, imò penitùs ignorantibus, extra sedem propriam ad alterius electionem, contra sacros canones et universalis Ecclesiæ consuetudinem convolarent; præsertim alio præsidente, quem nec reatûs sui confessio propria dejecit, nec ordo judiciarius legitimè convictum condemnavit, nec tam canonicæ electioni, sicut falsò asseverant, resignavit. Eapropter excellentiæ vestræ pedibus provoluti, majestatem vestram humiliùs exoramus, quatenùs honoris et servitii vobis per partes nostras iter dirigentibus, a nobis in eadem voluntate perseverantibus exhibiti, non immemores, diutinis Ecclesiæ nostræ laboribus misericorditer compatiendo, ipsam a conspiratoribus hujusmodi inquietari non permittatis, et honorem ipsius illibatum conservare dignemini.*

Has litteras vel comitata est, vel proximè anteivit aut subsecuta est, ipsius Drogonis ad eumdem Regem epistola sequens: *Carissimo domino suo Ludovico,*

Digitized by Google

* Guigo. Rhodanum est, ad regnum Franciæ pertinet: sed quòd * G. Dalfinus et Forojuliensis Comites anno præterito fraude eam prædicto Archiepiscopo abstulerunt, nec per Regem Franciæ eam rehabere potuit, ideo idem Archiepiscopus transtulit se ad Imperatorem, qui prædictam civitatem eidem restituit, et ex tunc ab eo illam tenuit (*a*). A

Rotrocus Episcopus Ebroïcensis et Rainaldus de S. Walerico fecerunt in Normannia recognoscere, jussu Regis, per Episcopatus legales redditus et consuetudines, ad Regem et Barones pertinentes.

Philippus Episcopus Baiocensis mense Februario moritur, qui fuit vir prudens et astutus in augmentandis et revocandis rebus illius Ecclesiæ, et multùm ibi profuit.... Hic se dederat Monasterio Beccensi ad Monachatum, sed non est in homine via ejus: præventus enim fuit morte, nec quod proposuerat implere potuit; librorum tamen septies viginti volumina illi jam dederat. B

Bellum Roberti de Monteforti cum Henrico de Essessa pro fuga prælii contra Gualenses, in quo isdem Henricus defecit, et exhæredatus, factus est Monachus Radingis....

Quidam garcio conniventiâ Monachorum, ut creditur, occidit Abbatem S. Maximini Aurelianensis: Papa Alexander et Ludovicus Rex Francorum expulerunt inde omnes ferè Monachos, et per diversas Abbatias disperserunt, et fecerunt ibi Abbatem de Majori-monasterio. Similiter anno præterito, cùm Abbas Latiniacensis equitans invenisset quemdam qui ei forisfecerat, et minaretur ut eum caperet et destrueret; ille, emissâ sagittâ, percussit Abbatem in oculo usque in cerebrum, et occidit. Cui successit Hugo, naturalis filius Comitis Theobaldi senioris. Iste fuit priùs Monachus Tyronis, et tempore Stephani Regis patrui sui, per aliquantulùm temporis fuit Abbas Homensis in Anglia: C quâ Abbatiâ relictâ, fuit Abbas Certesiensis. Iterùm illâ relictâ, venit in Franciam ad nepotes suos Henricum et Theobaldum; et sic, ut diximus, factus est Abbas Latiniacensis...

* An. 1163. In Octavis Pentecostes * Alexander Papa tenuit Concilium Turonis, in quo excommunicavit Octavianum cum aliis schismaticis et complicibus suis....

* *imò*, quartò Terricus Comes Flandrensis vadit Jerosolymam tertiò *; et filius ejus primogenitus Philippus ei succedens, ductâ alterâ filiarum Radulphi senioris Comitis Viromandensis, et fratre uxoris suæ, juniore Radulpho Comite, elephantiâ percusso, per uxorem fit dominus duorum Comitatuum, scilicet Viromandensis et Montis-Desiderii.

Anno MCLXIV, apud Rotomagum III Kal. Februarii, Willelmus frater Henrici Regis sepultus est in Ecclesia S. Mariæ.... D

Hamelinus, naturalis frater Regis Henrici, duxit Comitissam de Warenna, relictam Guillelmi Comitis Moritonii, filii Stephani Regis. Hæc fuit filia tertii Willelmi Comitis de Warenna, qui cum Rege Franciæ Ludovico perrexit Jerosolymam, ubi obiit, superstite solâ prædictâ Comitissâ....

Apud Lucam civitatem obiit Octavianus schismaticus, per antiphrasim vocatus Victor, et successit ei in eodem errore permanens Wido Cremensis, dictus Paschalis III.

Comes Carnotensis Theobaldus despondit filiam Ludovici Regis Franciæ; et Rex ei concessit Dapiferatum Franciæ, quem Comes Andegavensis antiquitùs habebat: unde etiam nostris temporibus Radulfus de Perrona pro eo serviebat, et inde homagium ei faciens, ut dominum honorabat. Henricus autem frater

Dei gratiâ Francorum Regi gloriosissimo, Drogo Lugdunensis dictus Electus, salutem et fidele servitium. Pari voto et communi consensu tam Cleri quàm populi, non ambitiosè, licèt indigni, in Lugdunensi Ecclesia electi fuimus. Sed quod ex post facto contigerit, unde cedere debeamus, nullis rationibus juris comprehendere valemus. Nos namque neque convictos, neque confessos, neque electionis resignatores, aliquorum falsis persuasionibus, justissime Rex, credatis. Abbas autem quondam Pontiniacensis ad vocationem quorumdam conspiratorum, qui hostibus publicis et manifestis Ecclesiæ nostræ adhæserunt, qui sex numero tantùm comprehenduntur, supplantationibus suis se fecit execrari. Clementiam itaque vestram, benignissime Rex, genibus exoramus, ut hoc tam enormi facto juri nostro non derogetis. Nos enim servitio et honori vestro paratos semper invenietis.

Binæ illæ quamlibet speciosæ sint litteræ, tamen pervicit Guichardus, novâ, ut conjicimus, factâ electione. De illo quippe scribebat ad Ludovicum Regem S. Thomas Cantuariensis his verbis: *Fidelis vester Abbas Pontiniacensis promotus est communi assensu Cleri et populi in Archiepiscopum Lugdunensis Ecclesiæ, consecratusque a domino Papa, die Dominicâ ante instans festum B. Laurentii apud Montem-pessulanum;* hoc est octavo mensis Augusti die an. 1165, quo in hac urbe Alexander commorabatur.

(*a*) Falsi arguunt hanc narrationem duæ litteræ mox relatæ. Ex iis quippe liquidò apparet supremum Galliæ Regis in ea Lugduni parte, quæ cis Ararim est, dominatum, et antè et post Heraclii obitum, incolumem permansisse.

Digitized by Google

A ejus primogenitus, Comes Trecensis, iterùm assumpsit filiam Ludovici Regis, quam priùs dimiserat....

Walterius *Giffart* Comes de *Bochingeham* moritur absque hærede, et Comitatus ejus in Anglia et terra ejus in Normannia rediit ad dominium Regis.

Richardus de *Humez*, Conestalus Henrici Regis, convocatis Baronibus Normanniæ et Britanniæ, mense Augusto * cepit castrum *Comborc* in Britannia in manu Regis, quod Radulfus de Fulgeriis habuerat post mortem Johannis de *Dol*. Eodem mense, sanguis pluit in *Rethel* in Episcopatu Dolensi. * An. 1164.

Robertus Episcopus Carnotensis, vir religiosus, moritur.

Obiit Hugo venerabilis Archiepiscopus Rotomagensis, IV Idus Octobris : hic vir magnæ literaturæ multa jocundè edidit ; viduis et orphanis et aliis pauperibus largus exstitit. Rexit autem Ecclesiam Rotomagensem honestè et viriliter
B annis ferè XXX....

Anno MCLXV, Henricus Rex Anglorum in Quadragesima in Normanniam transiens, in octavis Paschæ apud *Gizors* cum Rege Francorum locutus est. Inde rediens Rotomagum, Philippum Comitem Flandrensem, consobrinum suum, regaliter excepit....

Rotrodus, Episcopus Ebroïcensis, fit Archiepiscopus Rotomagensis.

Henricus, Decanus Salisberiensis, eligitur ad Episcopatum Baiocensem.

Mortuo Rogerio Abbate S. Wandregisili, viro religioso, Aufredus Sacrista ejusdem Monasterii ei successit.

Regina Angliæ Alienor evocata a Rege, venit in Normanniam, adducens secum filium suum Ricardum et filiam Mathildem. Redeunte verò Rege in Angliam, et cum multo apparatu bellico super Walenses eunte, Regina remansit in partibus
C cismarinis.

Alexander Papa Romanus relinquens Senonem, in qua ferè duos annos moratus fuerat, veniens ad Montem-pessulanum, navali subvectione perrexit ad terram Willelmi Regis Siciliæ, licèt insidiæ piratarum Imperatoris Alemanniæ ei in mari non deessent.

Willelmus, frater Comitis Theobaldi, eligitur ad regimen Ecclesiæ Carnotensis, datâ ei remissione a Papa propter juvenilem ætatem, ut usque ad quinquennium differretur sacratio ejus.

Mense Augusto * Ludovico Regi Francorum ex uxore sua nascitur filius, et vocatus est Philippus. Regina Alienor, mense Octobri, Andegavis peperit filiam, et vocata est in baptismate Johanna. * An. 1165.

Robertus Abbas Montis in quodam brachio aureo et argenteo optimè parato
D jussit reponi reliquias S. Laurentii, scilicet os brachii quod eschinum vocant, et alia quatuor minora ossa ejusdem Martyris, sicuti antea reposuerat in quadam cuppa intùs et extra deaurata caput B. Innocentii, socii S. Mauricii, etc....

Obiit Robertus Abbas Majoris-Monasterii, et successit ei Robertus Blesensis.

Anno MCLXVI, Henricus Rex, munitis confiniis inter Anglos et Walenses, et castellis et militibus dispositis, in Quadragesima transfretavit in Normanniam. Deinde locutus cum Rege Francorum ea quæ ad pacem sunt, audito etiam quòd Rex Francorum statuisset de thesauris et redditibus suis, similiter et omnium hominum tam Clericorum quàm laïcorum, qui in sua ditione erant, singulis annis usque ad quinquennium (*a*), de singulis viginti solidis singulos denarios mittere Jerusalem ad defensionem Christianitatis; idem Rex magnanimus (*b*) fecit duplicari in omni potestate sua redditum primi anni, reliquis annis permanen-
E tibus ad solutionem unius denarii per singulos viginti solidos.

Walerannus Comes Mellenti, factus Monachus Pratelli, obiit ; et successit ei filius ejus Robertus, natus ex sorore Simonis Comitis Ebroïcensis. Duxit autem idem Robertus filiam Rainaldi Comitis Cornubiæ....

Willelmus Talavacius, Comes Sagiensis, et filius ejus Johannes, et item Johannes nepos ejus, filius Guidonis primogeniti sui, Comitis Pontivi, concesserunt Regi Henrico castrum Alenceium et Rocam-Maberiæ, cum eis quæ ad ipsa castella pertinent. Et forsitan ideo prædictas munitiones perdiderunt, quia malas consuetudines ipsi et eorum antecessores diu ibi tenuerant : quas Rex Henricus statim meliorari præcepit.

Mense Septembri moritur Stephanus Episcopus Redonensis....

(*a*) *Cod. Reg.* 4992 ; quadriennium. (*b*) *Cod. Reg.* 4861. magnificus.

Digitized by Google

Quia verò Optimates Cenomannici Comitatûs et Britannicæ regionis, antequam Rex transfretaret, minùs obtemperaverant præceptis Reginæ, et, ut dicitur, sacramento se obligaverant ut se communiter deffenderent, si aliquis eorum gravaretur ; Rex ad libitum suum eos et castella eorum tractavit, et congregatis exercitibus ferè de omni potestate sua citra mare, castrum Fulgeriarum obsedit, cepit, funditùs delevit. Inde facto (*a*) connubio, de Gaufrido filio suo et Constantia filia Conani Comitis Britanniæ et de *Richemont*, Comes Conanus concessit Regi, quasi ad opus filii sui, totum Ducatum Britanniæ, excepto Comitatu de *Guingamp*, qui ei acciderat per avum suum Comitem Stephanum. Rex verò accepit hominium ferè ab omnibus Baronibus Britanniæ apud *Toars* : inde venit Redonis, et per civitatem illam, quæ caput est Britanniæ, totum illum Ducatum saisivit ; et quia nunquam viderat *Comborc* neque *Dol*, postquam in manus ejus venerant, illa in transitu vidit. Causâ verò orationis ad Montem S. Michaëlis veniens, apud Genecium illâ nocte hospitatus est....

Obiit magnarum virtutum vir venerabilis, Willelmus Abbas Lyræ, religionis monasticæ optimus moderator : cui successit mirâ dispositione, frater ipsius Osbernus, Prior ejusdem loci. Rexit autem Lyrensem Ecclesiam idem Willelmus honestè et viriliter annis ferè viginti.

Anno MCLXVII, in Natali Domini fuit Rex Henricus Pictavis : et venit ad eum Henricus filius suus de Anglia. Ante Quadragesimam venit Rex Rotomagum, et mortuo Rogerio Abbate S. Audoëni, viro summæ religionis, eamdem Abbatiam dedit Haimerico Cellerario Becci.... In Quadragesima locutus fuit Rex Anglorum cum Comite S. Ægidii apud Magnum-montem. Post Pascha duxit exercitum militum in Arvernicum pagum, et vastavit terram Guillelmi
* *Ed.* in acie. Comitis, quia datâ fide pepigerat stare justitiæ * in præsentia domini Regis, nepoti suo quem exhæredaverat, juniori videlicet Comiti Arvernensi : sed inveteratus ille dierum malorum, ruptâ fide, transtulit se ad Regem Francorum, et seminavit discordias inter eos. Sed et de collectione pecuniæ deferendæ Jerusalem, quæ adunata fuerat Turonis, quam Rex Anglorum volebat mittere per suos nuncios, utpote sumptam in suo Comitatu, Rex autem Francorum per suos, quia Ecclesia Turonensis sua est ; suggestione Jocii Archiepiscopi Turonensis, magna discordia inter Henricum Regem Anglorum et Ludovicum Regem Francorum mota est. Combusta est civitas Turonensis cum principali Ecclesia....

* An. 1167. In Octavis Pentecostes * Rex Anglorum et Rex Francorum in Vilcassino locuturi de pace convenerunt : sed primoribus regni Francorum exacerbantibus lenitatem Regis Ludovici, nihil profecerunt. Congregaverunt itaque uterque infinitum exercitum de omni potestate sua, et in alterutrum castella sua muniverunt. Cùm autem Rex Francorum aliquantas villulas in marca, inter Medantam et Paceium, combussisset, Rex Henricus irritatus, licèt multùm deferret Regi Ludovico, Calvum-montem, castrum munitissimum et ditissimum, in quo Rex Francorum congregaverat expensas et victualia ad opus belli, et plurimas villas in circuitu illius combussit. Quo audito, Rex Francorum graviter tulit, et collectis viribus suis, latos-fundos, quos S. Audoënus habebat in Vilcassino, scilicet Vadum-Nigasii, et alias villas combussit. Andeliacum etiam burgum optimum, qui erat proprius B. Mariæ et Archiepiscoporum Rotomagensium, nonnulla etiam quæ pertinebant ad Ecclesiam S. Trinitatis Rotomagensis, vastavit. Sed non defuit festinata vindicta ; eâdem namque die multi de exercitu ejus, cùm redirent ad castra, siti, solis fervore, pulvere, formidine deficientes, exspiraverunt. Sic
* An. 1119. etiam patri ipsius pridem * acciderat : nam initurus certamen cum Henrico seniore Rege Anglorum, in quo inferior fuit, præcedenti nocte in eodem vico hospitatus fuerat ; et Franci, qui a ferocitate, teste Valentiniano Romanorum Imperatore, vocati sunt, Ecclesiam B. Mariæ Andeliaci stabulum equorum suorum fecerant : unde alii eorum capti, alii verò vix fugâ elapsi sunt.

* An. 1167. Mense Augusto * treguiæ sumptæ et juratæ sunt inter Reges Henricum et Ludovicum usque ad Pascha. Inde perrexit Rex Henricus in Britanniam, et subdidit sibi omnes Britannos etiam Leonenses : nam Guihomarus, filius Hervei Vice-
* *Ed.* Guido, *malè.* comitis Leonensis, cujus filiam Comes Eudo * habebat in conjugium, datis obsidibus, submisit se Regi, terrore exanimatus, cùm videret castrum suum munitissimum combustum et captum, et alia nonnulla vel capta vel reddita.

(*a*) Cod. Reg. 4992 : *inde prolocuto quodam imaginario connubio.*

Digitized by Google

A Cùm adhuc moraretur Rex in Britannia, audivit nuncium de morte matris suæ Mathildis Imperatricis : decessit enim IV Idus Septembris Rotomagi, et sepulta est Becci. Thesauros infinitos pius filius distribuit Ecclesiis, Monasteriis, leprosis et aliis pauperibus, pro anima illius. Fecit autem prædicta Imperatrix Monasterium de Voto in Caletensi pago juxta Juliam-bonam, et posuit ibi Monachos Cistercienses. Fecit et Monasteria Canonicorum, unum juxta Cæsarisburgum, et aliud in sylva de *Goffer*. Ad pontem etiam lapideum super Sequanam apud Rotomagum, a se inchoatum, multam summam pecuniæ dimisit.

Richardus Abbas S. Petri super Divam obiit; et successit Ranulfus Monachus Cadomi pro eo. Decessit etiam Michaël Abbas Pratelli, Monachus Becci; et substitutus est pro eo Henricus Monachus Becci, Procurator hospitum.

Jocio Archiepiscopus Turonensis concordatus est cum Rege Anglorum.

B Venerabilis Hugo Abbas Cerasii humanæ vitæ moriendo satisfecit, qui quinquaginta ferè annis rexit idem Monasterium : huic successit Martinus, Monachus ejusdem loci.

Regina *Alienor* transfretavit in Angliam, ducens secum filiam suam Mathildem.

Natus est Johannes filius Regis Anglorum.

Anno MCLXVIII, ad Natale fuit Rex Henricus Argentomagi; et tenuit ibi magnam curiam in nova aula sua. Mathildis, filia Regis Henrici, cum infinita pecunia et apparatu maximo ducta est in Alemanniam ad sponsum suum Henricum Ducem Saxoniæ et Bajoariæ....

Obiit Terricus Comes Flandrensis : cui successit Philippus filius ejus, qui jamdiu Comitatum illum rexerat, cùm pater illius iter Jerusalem frequentabat.

Stephanus de Fulgeriis, Capellanus Regis Henrici, factus est Episcopus
C Redonensis. Fiscannense Monasterium combustum est.

Mense Februario * accidit quoddam mirabile in Cenomanensi pago, castro *Freernai*, quod castrum est Roscelini Vicecomitis Cenomanorum, qui habet in conjugio Mathildem filiam notham primi Henrici Regis Anglorum, materteram secundi Henrici Regis Anglorum, ex qua genuit Ricardum qui ei successit, et Guillelmum, cui secundus Henricus Rex Anglorum dedit in Britannia filiam Rolandi de *Rieux* cum terra ipsius. In hac itaque munitione fluvius *Sarte*, qui præterfluit, ferè per horam et dimidiam siccatus est, ita ut calceati siccis vestigiis possent transire, cùm antea vix equi absque natatu possent transvadare.... * An. 1168.

Pictavi et Aquitani ex majori parte, id est, Comes de Marcha [Aldebertus], Comes Engolismensium [Guillelmus], Haimericus de Lizenneio, Robertus et Hugo frater ejus de Silleio, et alii multi, voluerunt rebellare contra Regem
D [Angliæ], et incendiis et rapinis pauperum incumbentes, circumquaque grassabantur. Quod Rex audiens, impiger advolat, et eorum insaniæ obsistens, Lizenneium castrum munitissimum cepit, captum munivit, villas eorum et municipia destruxit. Munitis castellis suis et militibus et victui necessariis, relictâ ibi Reginâ cum Comite Patricio Salesberiensi, avunculo Rotrodi Comitis Perticensis; in octavis Paschæ, inter Paceium et Medantam in Normannia, locuturus cum Rege Francorum, et injurias suas ab eo expostulaturus, accessit. Siquidem Pictavi ad Regem Francorum venerant, et obsides suos contra Regem Anglorum, cujus proprii erant, ei dederant. Unde cùm hinc inde grandis altercatio fieret, nec Rex Francorum obsides, quos contra justitiam ceperat, reddere vellet, induciæ datæ sunt usque ad octavas S. Johannis. Circa verò octavas Paschæ, dolo Pictavensium occisus est Comes Patricius, et sepultus est apud S. Hilarium. Successit ei filius, natus ex filia Guillelmi Comitis Pontivi, matre Comitissæ de Varenna.

Antequam treguiæ datæ essent, Rex Anglorum submonuerat Eudonem Vicecomitem de *Porrohoit*, qui eatenùs umbratico nomine Comes vocabatur, et cui tanta bona contulerat, ut ad servitium et adjutorium suum veniret : quod ipse renuit, et quidam alii de Britannis ei confœderati, scilicet Oliverius filius Oliverii de *Dinan*, et Rollandus consobrinus ejus. Rex itaque non immeritò adversùs eos iratus, a capite, scilicet ab Eudone incipiens, vastavit et combussit ejus terram, destructo imprimis Castello-Joscelini, quod habebat præcipuum : Comitatum etiam de *Broherec* abstulit ei, cujus caput est civitas Venetensium, uam Rex in manu sua cepit. Cujus portum Julius Cæsar mirificè extollendo collaudat, in libro quem scripsit de Bello Gallico. Dimidium etiam Cornubiæ ei abstulit; obsedit etiam et castellum *Abrai*, captum munivit.

Digitized by Google

Vastatâ igitur Eudonis terrâ, et ad libitum suum redactâ, ad terram Dinanensium appropinquans, castrum *Hedde* a Gaufrido de Monteforti sibi redditum munivit, et Tintiniacum evertit. Inde *Becherel*, munitionem Rollandi de *Dinam* firmissimam, per aliquot dies obsidens, adhibitis machinis cepit et munivit. *Lehun* verò castrum, in quo Rollandus maximè confidebat, quia erat naturâ et arte munitissimum, obsedisset, nisi brevitas termini eundi ad colloquium Regis Francorùm eum urgeret. Traditâ itaque terrâ Rollandi rapinis et incendiis citra Ricem flumen, eadem egit in ulterioribus : nam transito amne, per *Lehun* descendens et aliqua pessumdans, Monachis Lehunnensibus pepercit; *Dinam* verò circuiens quædam destruxit, quædam intacta reliquit. In pago Aletensi eadem gessit. A

* An. 1168. In octavis S. Johannis * ventum est ad Feritatem-Bernardi : ubi de pace inter Reges tractatum est, et infecto negotio discessum est. Nam Britones, sicut et Pictavi, obsides Regi Francorum dederant, et fide interpositâ pactionem acceperant, quòd Rex Francorum sine ipsis Regi Anglorum non concordaretur. Unde et ipsi Britanni, conniventibus quibusdam Cenomanensium, per quorum terram latenter transierunt, colloquio interfuerunt. Munitis autem marchis ex utraque parte, continuata est decertatio usque ad Adventum Domini. B

Rex verò Henricus cautè agens, cognatum suum Matthæum Comitem Boloniæ sibi pacificavit, spondens ei se daturum per annum maximam partem pecuniæ, pro calumnia relaxanda Comitatûs Moritonii : habebat enim filiam Regis Stephani, qui fuerat Comes Moritonii. Cùm autem idem Matthæus ad auxilium Regis Anglorum, domini et cognati sui, veniret, Johannes Comes Pontivi non permisit eum transire per terram suam : unde necessitate cogente, navali subvectione ad Regem cum multis militibus expeditis accessit. Quod Rex audiens, rogatu ejusdem Matthæi, cum bellico apparatu in terram Johannis perrexit, et Vimacensem pagum Vulcano tradens, quadraginta et eo ampliùs comburens villas, voluntati suæ satisfecit. C

Rex Francorum veniens latenter ad quoddam municipium Normanniæ, cognominatum *Chesnebrut*, illud combussit, et quatuor milites in eo cepit. Quo comperto, Rex Anglorum illum insecutus est, multos milites cepit, inter quos etiam Senescallum Philippi Flandrensium Comitis aduncatus est. Tradidit etiam castellum Hugonis de Novo-castello flammis et incendiis, vocatum *Brueroles*, ut combustum ex re nomen haberet. Hoc etiam fecit Novo-castello per milites suos, ipso tamen absente. Vastata est similiter terra Comitis Perticensis ex majori parte, ipso agente. Multa etiam fecit Rex Angliæ in hac guerra, quæ non audivimus, vel si audivimus, non occurrunt memoriæ.

Obiit Robertus Comes Leecestriæ, relinquens filium Robertum, qui accepit cum uxore sua hæreditatem de *Grentemesnil*. D

Mortuus est autem in Britannia Hervæus de *Lehun;* cui successit Guihomarus filius ejus.

Nihilominus obiit Romæ Guido de *Crema* Antipapa, et successit in schismate quidam pseudo-Clericus, cognominatus Calixtus.

Archiepiscopo quoque Senonensi in fata secedente, Willielmus Electus Carnotensis ei successit, concesso tamen ei Episcopatu Carnotensi per biennium a Papa Alexandro.

* Bajoariorum. Venit ad Curiam Regis Henrici Anglorum, Saxonum et Baiocorum * Dux Henricus, gener ejus; et magnis ab eo honoratus muneribus, ad sua rediit....

Anno MCLXIX, Rex Henricus egit Natale Domini apud Argentomagum.

Obiit Bernardus Episcopus Nannetensis. E

In Epiphania Domini concordati sunt (*a*) Rex Francorum et Rex Angliæ. Henricus filius Henrici Regis Anglorum fecit homagium Regi Francorum, socero suo, de Andegavensi Comitatu et de Ducatu Britanniæ, quem Rex concessit eidem genero suo : nam de Normannia fecerat ei antea homagium : et concessit ei Rex Franciæ ut esset Senescallus Franciæ; quod pertinet ad feudum Andegavense. Ricardus filius Henrici Regis Anglorum fecit homagium Regi Francorum de Ducatu Aquitaniæ.

Willielmus *Malet* cepit Robertum de Silleio.

* An. 1169. In Purificatione * B. Mariæ, fuit Henricus filius Regis Anglorum Parisius, et servivit Regi Francorum ad mensam, ut Senescallus Franciæ. Hanc Senescalliam, vel, ut antiquitùs dicebatur, Majoratum domûs regiæ, Robertus Rex

(*a*) In colloquio habito apud Montem-mirabilem.

Franciæ

Digitized by Google

A Franciæ dedit Gaufrido Grisagonella Comiti Andegavorum, propter adjutorium quod ei impendit contra Othonem Imperatorem Alemanniæ, etc. (*ut in opusculo Hugonis de Cleeriis*, T. XII, p. 492, *ubi vide quæ a nobis annotata sunt.*)

Henricus filius Henrici Regis Angliæ fecit homagium Philippo, filio Ludovici Regis Francorum. Henricus Rex Anglorum locutus est cum Ludovico Rege Franciæ apud S. Germanum in Leia. Gaufridus filius Regis Anglorum fecit homagium Henrico fratri suo, de Ducatu Britanniæ, jubente patre eorum.

Mortuo Hasculfo de Solenneio, successit ei filius suus Gislebertus. Mortuus est etiam Richardus de Haia, relinquens filias tres.

Rex Henricus perrexit in Quadragesima * Wasconiam, et destructis multis castellis, quæ contra eum erant, vel munitis, Comites Engolismensium [Guillelmum] et illum de Marchia [Aldebertum] sibi pacificavit, et multos alios qui non B erant tanti nominis. * An. 1169.

Gaufridus filius Regis Anglorum, mense Maio, venit Redonis, et Stephanus Redonensis et Autbertus Aletensis Episcopi, et Robertus Abbas de Monte S. Michaëlis, et aliæ religiosæ personæ receperunt eum cum summa veneratione in Ecclesia S. Petri. Ibi accepit hominia Baronum Britanniæ.

Rex Henricus fecit fossata alta et lata inter Franciam et Normanniam, ad prædones arcendos. Similiter fecerat in Andegavensi pago super Ligerim, ad aquam arcendam, quæ messes et prata perdebat, quædam retinacula, quæ torsias vocant, per xxx ferè milliaria, faciens ibi ædificare mansiones hominum qui torsias tenerent : quos etiam fecit liberos de exercitu et multis aliis ad fiscum pertinentibus.

Obiit Hilarius Cestrensis, et Nigellus Heliensis Episcopi; Petrus Gemmeticensis, Richardus Bernaicensis, Sylvester Rotonensis Abbates (*a*).

C Mense Augusto * pacificatis ferè omnibus in Pictavensi pago, Wasconiâ Henricus Rex venit in Normanniam, et vocati Britanni properaverunt ad eum.... * An. 1169.

Rex Henricus fecit castrum munitissimum et Burgum pergrande juxta haïam de *Malaffre*, quod vocatum est *Belveier*.

Cùm Rogerius Malabrachia dolo cepisset urbem Biterrensem, quam cives ipsius contra eum tenebant, omnes tam viros quàm mulieres, vel suspendio vel alio tormento, morti tradidit, et novis habitatoribus illam inhabitandam tradidit : siquidem prædicti cives dominum suum Guillelmum * *Trenchevel*, patrem Rogerii *Malbranche*, in quadam Ecclesia cum filio suo parvo crudeliter occiderant. * *Corr.* Raimundum.

Rex Henricus fecit molendina et piscatorias Andegavis in flumine Meduanæ.

Cùm Guillelmus *Goëth* obiisset in itinere Jerusalem, et Comes Theobaldus vellet habere in manu sua Montem-mirabilem, et alias firmitates quæ fuerant D Guillelmi *Goëth*, de quibus saisitus erat Hervæus de *Iven*, * (*b*) qui habebat in conjugio primogenitam filiam Guillelmi *Goëth*, natam ex una sororum Comitis Theobaldi : videns prædictus Hervæus se non posse resistere Comiti Theobaldo, cùm Rex etiam Francorum adjuvaret partes Comitis Theobaldi, utpote sororius ejus, idem Hervæus, intercurrente magnâ pecuniâ et quibusdam pactionibus, tradidit Henrico Regi Anglorum Montem-mirabilem, et aliud castrum, scilicet S. Anianum in Biturico : unde discordia redintegrata est inter Regem et Comitem. * *Corr.* de Gien.

Anno MCLXX, ad Natale Domini fuit Rex Henricus in Britannia apud Nannetes. Robertus Archidiaconus Nannetensis, consensu Regis, factus est Episcopus Nannetensis, post Bernardum avunculum suum.

In Quadragesima excessit mare limites suos, unde messes, quæ prope illud semitatæ erant, in multis locis perierunt a fluctibus absorptæ....

E In eadem Quadragesima transfretavit Rex Henricus in Angliam, non tamen sine discrimine. Submerso in mari Gisleberto de Abrincis, Fulco *Painel*, qui habebat primogenitam sororem ejus, successit ei. Vicecomites per Angliam, qui exactionibus et rapinis populum afflixerant, a Rege correpti sunt.

Post Pentecosten * Rex Henricus, evocato filio suo Henrico in Angliam, fecit eum coronari in Regem, cum magna Cleri populique lætitia, Londoniæ apud Westmonasterium : hunc inunxit Rogerius Archiepiscopus Eboracensis : nam Thomas Cantuariensis citra mare per continuum ferè sexennium in Galliis morabatur.... Interfuerunt verò de Normannia, Henricus Baiocensis et Frogerius Sagiensis Episcopi, qui cum eo venerant in Angliam..... * An. 1170.

(*a*) Codex Reg. 4992 addit : *Combusta est Fiscannensis Ecclesia* XIV *Kal. Julii, quartâ feriâ post Octavam Pentecostes.*

(*b*) *Antiquiores editiones habent* de Vienna *pejùs. Item p.* 314. b. *lin.* 6.

Digitized by Google

Margarita filia Regis Francorum, uxor Henrici junioris Regis, in Angliam transiit; nec tunc tamen fuit coronata, quia jam Rex coronatus erat, et Episcopi discesserant. A

Johannes Comes Aucensis moritur; et successit ei filius ejus Henricus, quem genuerat ex [Helisende] filia Willelmi de Albineio, quem vocant Comitem de *Arundel*. Hic duxit Aelizam Reginam, relictam Henrici senioris Regis Anglorum, ex qua genuit Guillelmum primogenitum suum et Godefridum, et istam Comitissam uxorem Johannis Comitis Aucensis, de quo sermo est....

Mortuo Willelmo Comite Nivernensi ultra mare, Matthæus frater Philippi Comitis Flandrensium, Comes Boloniæ, duxit uxorem ejus (*a*), sororem scilicet Comitissæ Flandrensis. Hi itaque duo fratres duas duxerunt sorores, filias Rodulfi Comitis Viromandorum, neptes *Alienor* Reginæ Anglorum ex sorore, callidè agentes in retinendo terram Radulfi de Parronna per quemlibet fratrum. Hic B Matthæus priùs habuerat filiam Regis Stephani; et susceptis ab eo duabus filiabus, rediit ad Religionem, unde invita recesserat.

* An. 1170. Circa Augustum * Rex Henricus rediit in Normanniam, relicto juniore Henrico in Anglia. Rex Henricus fecit pacem inter Comitem Theobaldum et Herværum de *Iven* *. Mense Septembri, Rex Henricus infirmatus est penè usque ad mortem apud Motam de *Ger;* sed miseratione divinâ et supplicatione servorum Dei, quibus se humiliter commendabat, sopitâ adversâ valetudine, sanitatem refovit.

* *Corr.* de Gien.

Ægidius, Rotomagensis Archidiaconus, electus est ad Episcopatum Ebroïcensem; Richardus, Archidiaconus Constantiensis, ad Abrincatensem.

Alienor, filia Regis Henrici Anglorum, ad Hispaniam ducta est, et ab Amfurso Imperatore solemniter desponsata....

* *Corr.* Guillelmi. Mortuo Roberto filio Roberti * Comitis Gloëcestriæ, Amauricus primogenitus C filius Simonis Comitis Ebroïcensis, jussu et voluntate Henrici Regis Angliæ, duxit primogenitam filiam Roberti Comitis Gloëcestriæ. Dederat etiam antè idem Rex Hugoni Comiti Cestriæ, cognato suo, filiam Comitis Ebroïcensis, cognatam suam ex parte patris sui.

Urbs Cenomannorum flagravit incendio. Cella etiam S. Victurii combusta est, sed Deo adjuvante, in melius est restaurata.

Henricus Rex Anglorum perrexit causâ orationis ad Rocam-Amatoris, qui locus in Cadurcensi pago montanis et horribili solitudine circumdatur..... Ad hunc ergo locum, ut diximus, Rex Henricus causâ orationis veniens, quia appropinquabat terræ inimicorum suorum, congregatâ multitudine armatorum, tam equitum quàm peditum, ad orationem perrexit munitus sicut ad prælium, nulli malum inferens, omnibus et maximè pauperibus, in eleemosynis largiter D providens.

Thomas Cantuariensis Archiepiscopus transfretavit in Angliam.

Stephanus Comes de *Sancerre,* frater Comitis Theobaldi, perrexit Jerusalem, ferens secum pecuniam quam Rex Francorum Ludovicus fecerat colligere in adjutorium Jerosolymitanæ Ecclesiæ. Odo * Dux Burgundiæ, nepos ejus, perrexit cum eo.

* *Corr.* Hugo.

Anno MCLXXI : ad Natale fuit Rex Henricus ad *Bur* juxta Baiocum.....

Hamo Episcopus Leonensis crudeliter per consilium, ut dicunt, Guihomari fratris sui, Vicecomitis Leonensis, et junioris Guihomari nepotis sui, occisus est.

* *Guingamp.* Conanus Dux Britanniæ moritur : et tota Britannia, et Comitatus de *Guippewis* *, et honor Richemundiæ, per filiam Comitis Conani, quæ desponsata erat Gaufrido filio Regis, in dominio Regis Henrici transierunt. E

Haimericus Abbas S. Audoëni moritur.

* An. 1171. Henricus Rex venit in Quadragesima * ad Pontem-ursonem; et ibi per quindecim ferè dies demoratus est. Hoc etiam fecit in Rogationibus et Pentecoste, cùm Guihomarus venit ad eum, et reddidit se ei et sua castella, perterritus multitudine militum et aliorum armatorum, quos Rex illò direxerat ad eum comprimendum, nisi Regis voluntati obediret..... Castrum Pontis-ursonis combustum est.....

Humbertus Comes Moriennæ misit [Benedictum] Abbatem S. Michaëlis de Clausa ad Henricum Regem Angliæ, pro componendo matrimonio inter Johannem filium Regis et filiam suam, offerens ei totam terram suam. Fuit

(*a*) Eleonoram, sororem Isabellæ Comitissæ Flandrensis.

Digitized by Google

A enim idem Comes filius Amati * Comitis, et ditissimus in possessione urbium et castellorum : nec aliquis potest adire Italiam, nisi per terram ipsius. * Amedæi.

Theobaldus Comes Carnotensis plures Judæorum, qui Blesis habitabant, igni tradidit : siquidem cùm infantem quemdam in solemnitate Paschali crucifixissent ad opprobrium Christianorum, posteà in sacco positum in fluvium Ligeris projecerunt. Quo invento, eos convictos de scelere, ut suprà diximus, igni tradidit, exceptis illis qui fidem Christianam receperunt....

Obiit Guillelmus Talvacius Comes Pontivi ; et successit ei Johannes nepos suus in Comitatu Pontivi, ex Guidone primogenito suo. In terra verò, quam tenebat de Rege Anglorum in Normannia et in Cenomanensi pago, successit ei Johannes Comes filius ejus. Iste duxit filiam Comitis Heliæ, fratris Comitis Gaufridi Andegavensis et Ducis Normannorum.

B Rex Henricus senior fecit investigari per Normanniam terras, de quibus Rex Henricus avus ejus fuerat saisitus die quâ obiit : fecit etiam inquiri quas terras et quas sylvas, et quæ alia dominia Barones et alii homines occupaverant post mortem Regis Henrici avi sui : et hoc modo ferè duplicavit redditus Ducatûs Normanniæ....

Margarita uxor junioris Regis Henrici transfretavit in Normanniam....

Mense Julio * Rex congregavit Barones suos ad Argentonium, ut ibi tractaretur de profectione sua in Hiberniam.... * An. 1171.

Venerabilis Henricus, Episcopus Wintoniensis et Abbas Glastoni, decessit in fata. Iste bonus Episcopus multa bona fecit Ecclesiæ Wintoniensi, in ornamentis auri et argenti et sericarum vestium. Divitias etiam suas Ecclesiis et pauperibus largâ manu distribuit. Ad augmentum virtutum etiam suarum, per aliquan-

C tulùm temporis ante mortem suam lumine corporali privatus fuerat.

Mense Augusto Rex [Henricus senior] transivit in Angliam....

Anno MCLXXII, Henricus Rex junior ad Natale fuit ad *Bur* juxta Baiocum : et quia tunc primùm tenebat curiam in Normannia, voluit ut magnificè festivitas celebraretur. Interfuerunt Episcopi, Abbates, Comites, Barones, et multa multis largitus est. Et ut appareat multitudo eorum qui interfuerunt ; cùm Willelmus de S. Johanne Normanniæ Procurator, et Willelmus filius Hamonis Senes-

callus Britanniæ, qui venerat cum Gaufrido Duce Britanniæ domino suo, comederent in quadam camera, prohibuerunt ne quis Miles comederet in eadem camera, qui non vocaretur Willelmus ; et rejectis aliis de camera, remanserunt centum et decem Milites, qui omnes vocabantur Willelmi, exceptis plurimis aliis ejusdem nominis, qui comederunt in Aula cum Rege....

D Post Pascha * Rex audiens duos Legatos, Albertum et Theoduinum, ex parte domini Papæ Alexandri ad se missos pro causa piæ memoriæ Thomæ quondam Cantuariensis Archiepiscopi, cùm esset in Hibernia, citissimè venit de Hibernia in Angliam, de Anglia in Normanniam ; et præmissis ad eos honorabilibus personis, locutus est cum eis, primò Savignei, posteà Abrincis, tertiò Cadomi ; ubi causa illa finita est, sicut literæ publicæ testantur, quæ inde factæ sunt, et a multis personis, quæ illuc convenerant, retinentur. (*Vide supra, p.* 135.) * An. 1172.

Rex Henricus locutus est cum Rege Francorum, et misit filium suum Regem juniorem in Angliam, ut Margarita filia Regis Franciæ uxor ejus consecraretur in Reginam. Hanc inunxerunt, ex consilio Regis Franciæ, Rotrodus Archiepiscopus Rotomagensis et Ægidius Episcopus Ebroïcensis ; et coronaverunt Regem et uxorem ejus.

E Circa festum S. Michaëlis, congregavit Rex Episcopos Normanniæ et Britanniæ ; et venit ipse et Legati Abrincas, tractaturi de ecclesiasticis negotiis : sed obsistente Regis infirmitate, parùm profecerunt. Hujus conventûs causâ venerunt usque ad Montem ad nos honorabiles personæ multæ, inter quas fuerunt religiosissimi viri domnus Stephanus Cluniacensis et domnus Benedictus Clusinus Abbates ; et mutuâ vice societatem suam nobis, et sibi nostram impendimus, sicut litteræ eorum quæ a nobis habentur, et nostræ quæ ab ipsis asportatæ sunt, testificantur. Hoc etiam fecerat nobis piæ memoriæ Willelmus Vizeliacensis Abbas in Capitulo Vizeliacensi. Et cum his tribus Ecclesiis, scilicet Cluniacensi, Clusensi, Vizeliacensi, habemus specialem societatem, et multùm n obiset illis placentem.

Circa festum S. Martini, venit junior Rex cum uxore sua de Anglia ; et locuti

Digitized by Google

sunt cum Rege Francorum, ipse apud *Gisors*, ipsa verò apud Calvum-montem : quos Rex lætissimè suscepit, sicut filios suos. A

Anno MCLXXIII, Rex Henricus cum Regina *Alienor* egit Natale Domini apud Chinum regaliter. Junior verò Rex cum uxore sua Margarita eamdem festivitatem apud Bonam-villam celebravit. Exinde secutus est patrem suum in Andegavensem pagum, moraturum in illis partibus usque ad Purificationem B. Mariæ, quandò Rex debebat loqui cum Rege Arragoniæ, et cum Comite de Morienna, et cum Comite de S. Ægidio, pro causa Tolosæ.

Guillelmus Abbas Radingensis factus est Archiepiscopus Burdegalensis.

Comes de S. Ægidio [Raimundus] pacificatus cum Rege Angliæ de Tolosa, facto sibi homagio et Ricardo filio suo, Duci Aquitanorum, promisit ei se daturum equos magni pretii quotannis quadraginta; et si necesse habuerit, inveniet ei unoquoque anno ad servitium suum per XL. dies centum milites. B

* An. 1173. In Quadragesima *, quia Rex Henricus senior removerat a consilio et famulatu filii sui Asculfum de Sancto Hilario, et alios Equites juniores; ideò ille iratus recessit a patre, et venit Argentonium, et recessit inde noctu, pergens ad Regem Francorum, nescientibus ministris suis, quos pater suus servitio suo deputaverat. Quem secutus est Comes Robertus Mellenti, relinquens castella sua sine custodibus : quæ Rex Henricus occupavit. Comes etiam Cestriæ Hugo, a S. Jacobo Galliciensi rediens, secutus est eum, et Willelmus *Patrik* senior et tres filii ejus, et multi alii minoris nominis : quorum omnium domos et virgulta et silvas Rex evertit. Similiter Regina *Alienor* et filii sui, Ricardus Comes Pictavensis et Gaufredus Comes Britanniæ, alienati sunt ab eo.

Feriâ IV ante Cœnam Domini, Prior Cantuariensis et aliæ personæ honestæ venerunt ad S. Barbaram in Episcopatu Lexoviensi, ad Regem Henricum et ad Legatos Romanos, Albertum et Theodinum; et elegerunt Rogerium Abbatem Becci ad Archiepiscopatum Cantuariensem. Ille verò prætendens infirmitatem suam, noluit acquiescere electioni eorum... Ricardus etiam Archidiaconus Pictavensis electus est ad Episcopatum Wintoniensem. C

* An. 1173. Post Pascha * Bernardus de Feritate vertit se et castellum suum ad Regem juniorem; similiter Galerandus de Ibera, Goscelinus-Crispinus, Gillebertus de Tegulariis, Robertus de Monteforti, Radulfus de *Faie*, Gaufridus de *Lizenan*, Hugo de S. Maura et ipsius filius, et Villelmus Camerarius de Tancharvilla veniens de Anglia.

* Albemarla. Philippus Comes Flandrensis cepit castrum de *Aubimare*, * et in eodem Comitem Willelmum dominum ipsius castri, et Comitem [Ebroïcensem] Simonem. Interea Comes Aucensis Henricus subdidit se et castella sua Regi juniori et Comiti Flandrensi. D

Post festum S. Johannis, Rex Francorum Ludovicus, coadunatis Baronibus suis ex omni regno suo, obsedit castrum Vernoliense ferè per unum mensem. In quo exercitu, ut dictum est a nonnullis, fuerunt septem millia militum, exceptâ reliquâ multitudine. Quibus restiterunt viriliter Hugo de *Laci* et Hugo de Bello-campo, constabularii ipsius castri, et milites eis subditi, cum Burgensibus.

Junior Rex Henricus et Philippus Comes Flandrensis, et Matthæus frater ejus Comes Boloniæ, obsederunt novum castrum, quod dicitur *Drincurt*, cum magno exercitu : cui castro præerant *Doun*-Baldulfus et Thomas ejus frater. Qui cùm vidissent se non posse resistere crebris assultibus eorum et suffossioni murorum, acceptis induciis, perrexerunt ad Regem Angliæ dominum suum, nunciantes ei quòd non poterant resistere viribus inimicorum. Quare concessit eis Rex ut castrum redderent Comiti Flandriæ. Matthæus Comes Boloniæ, frater Philippi Comitis Flandrensis, ex vulnere quod accepit in obsidione castri *Drincurt*, mortuus est. Unde Comes Flandrensis frater ejus dolens, accinxit militaribus armis Petrum fratrem suum, qui electus erat ad Episcopatum Cameracensem. E

* An. 1173. Tertio Idus Augusti * vir religiosissimus domnus Stephanus Abbas Cluniacensis viam universæ carnis ingressus est; et successit ei Radulfus Prior de Charitate, consobrinus Comitis Theobaldi.

Obiit etiam Rogerus Comes de Clara; cui successit Gilbertus filius ejus, qui duxit filiam Guillelmi Comitis Gloëcestriæ.

Rex Henricus, contracto magno exercitu tam peditum quàm equitum, venit

Digitized by Google

A Britolium, volens hominibus suis in Vernolio a Rege Francorum Ludovico obsessis ferre auxilium. Quod cùm Rex Francorum audisset, usus consilio sapientum, a castro recessit, relictâ multâ parte impedimentorum et victualium.

Rex Henricus, convocatis Baronibus Britanniæ, exegit ab eis sacramentum suæ fidelitatis. Quod cùm alii utcumque observarent, Radulfus de Fulgeriis infideliter agens, vocatus a Rege parere noluit; sed castellum de Fulgeriis, quod Rex priùs destruxerat, cœpit reædificare. Quod audiens Asculfus de Sancto Hilario et Willelmus *Patric* et tres filii sui, læti effecti, per diverticula venerunt ad eum : Comes etiam Cestriæ [Hugo] et Comes Eudo [*de Porhoët*] secuti sunt eos.

Cùm Rex Anglorum Henricus misisset Brebenzones suos ad devastandam terram Radulfi de Fulgeriis, et hoc ex magna parte fecissent ; magna pars eorum qui victualia ad exercitum deferebant, cùm non haberent ducem neque protectorem,
B occisa est inter S. Jacobum et Fulgerias, a militibus Radulfi de Fulgeriis. Radulfus de Fulgeriis castrum S. Jacobi tradidit incendio ; similiter castrum Tilioli *. Rex Henricus latenter veniens Fulgerias, ut interciperet Radulfum, [iste] audito ejus adventu, fugæ petiit remedium : prædam tamen tantam, quantam aliquis in nostro tempore vix viderat, Regis homines ceperunt. Siquidem Radulfus de Fulgeriis præceperat hominibus de omni terra sua, quòd equos et armenta et pecudes, et omnem substantiam suam ducerent in suam forestam : sed antequam intrarent nemoris latibula, ab inimicis intercepta sunt, et omnia sua amiserunt. * *Tilly.*

Radulfus de Fulgeriis, delinitis custodibus pretio et precibus, qui custodire debebant castrum de *Cumbure* et civitatem Dolensem ad opus Regis Angliæ, cepit illas munitiones. Quod Rex audiens, misit Brebenzones suos et quosdam
C de militibus suis ad eorum auxilium, si necesse haberent. Quibus obviaverunt Comes Cestriæ, Radulfus de Fulgeriis, Asculfus de Sancto Hilario, Willelmus *Patric*, et universi milites de terra Radulfi de Fulgeriis, cum magna multitudine peditum : qui quasi in momento dispersi, milites se fugæ tradiderunt ; et multi de plebe occisi sunt. Comes verò Cestriæ et Radulfus de Fulgeriis, et XL milites cum eis, cùm non possent effugere, quia inimici eorum obstruxerant viam fugiendi, incluserunt se in turrim, excepto Asculfo de Sancto Hilario et Willelmo *Patric*, et quibusdam aliis, qui capti ducti sunt ad Pontemursonis. Itaque obsessa est turris *Dol* a Brebenzonibus et militibus Regis et plebe Abrincatina. Comes verò Eudo cùm venisset de Francia, noluit morari cum Radulfo de Fulgeriis ; sed abiit in *Porroët*, et armavit Castellum-Goscelini, et cepit castellum *Ploasmel*.

D In sequenti opere potest videri probitas, industria et agilitas Regis Angliæ Henrici. Audivit nuncium de obsessione turris Doli, cùm esset Rotomagi nocte præcedente diem Mercurii ; ipso verò die Mercurii, cùm jam lux esset, recessit a Rotomago, et venit Dolum sequenti die circa tertiam, et obsedit turrim. Et cùm præparasset machinas ad turrem capiendam, inclusi sibi providentes, reddiderunt turrim et se ad voluntatem Regis. Inde Rex misit eosdem per firmitates suas, ut ibi custodirentur : quosdam verò, acceptis obsidibus, secum retinuit sub libera custodia.

Comes Robertus de Leecestria volens turbare regnum Angliæ, ipse et uxor ejus, et Hugo de Novo-castello consobrinus ejus, cum multis militibus transfretavit in Angliam. Sed interceptus ipse et uxor ejus et Hugo de Novo–castello, capti sunt a fidelibus Regis juxta S. Edmundum, et custodiæ traditi, et multi
E Flandrensium ibi occisi sunt, et multi alii capti, et forsan ideò quia rapinam exercuerant in terra S. Edmundi Regis et Martyris, quod non licuit alicui impunè.

Radulfus de Fulgeriis dedit obsides Regi Angliæ pro se filios suos, Juellum et Willelmum : ipse verò nullatenus acquievit ut se potestati Regis traderet ; sed fugiendo per nemora delitescit. Gaufridus de Poënceio, et Bonus Abbas de Rugeio, et alii exhæreditati de Media et de Andegavensi pago, et Radulfus de Haia Normannus, de nemoribus infestant terram Regis, carentes munitionibus castellorum : siquidem Brebenzones Regis destruxerant castrum *Quirce* *, sicut antea pessumdederant Fulgerias, et cæteras munitiones Radulfi. * *la Guerche.*

Robertus de Vitreio obiit, et successit ei filius suus Andreas, natus ex sorore Rollandi de *Dinam*. Idem verò Rollandus, qui carebat alio hærede, fecit hæredem alium nepotem suum Alanum de omni terra sua, in præsentia Regis.

Digitized by Google

Anno MCLXXIV, Rex Henricus egit Natale Domini in Baiocensi pago apud A
Burum.

* *Treguier.* Willielmus Episcopus de *Trigel* * humanæ vitæ finem fecit ; cui successit Ivo Brito, Archipresbyter Turonensis. In loco etiam Haimonis Episcopi Leonensis electus est quidam Archidiaconus ejusdem Ecclesiæ, non canonicè, sed simoniacè : et cùm haberet gratiam tam Cleri quàm populi, non promeruit consecrationem, impediente morte Jocii Archiepiscopi Turonensis : in cujus loco elegerunt Turonenses Clerici Decanum ipsius Ecclesiæ Bartholomæum, juvenem strenuum et genere nobilem.

Guillelmus *Patric* junior moritur Parisius, et Guillelmus *Patric* pater ejus ; cui successit Ingerannus *Patric* filius ejus, qui duxit filiam Ricardi filii Comitis.

Obiit [Frogerius] Abbas S. Florentii ; et successit ei Radulfus Normannus. Similiter satisfecit vitæ humanæ Nutricius reclusus, vir honestus et magnæ reli- B
gionis ; ad cujus tumulum, ut quidam dicunt, qui est juxta Ecclesiam S. Mariæ Ardevonensis, Deus magnificatur in curatione infirmorum. Obiit etiam anno superiore Hamo de *Landecop*, Monachus Saviniensis, qui propter religionem et bona opera in pauperes, carus erat Deo et hominibus.

Archiepiscopus Tarentasiæ [Petrus], qui fuerat Monachus de Ordine Cisterciensi, per quem in nostris temporibus in exhibitione miraculorum Deus benedicitur, cum Abbate Cisterciensi Alexandro missus a domino Papa, venit ad Regem Francorum pro reformanda pace inter Regem Angliæ Henricum et filium ejus Regem juniorem : sed impedientibus hominum peccatis, parùm profecit....

Duæ Reginæ ducuntur in Angliam.

Circa idem tempus Ludovicus Rex Francorum congregavit Parisius omnes
* *mysterii.* Barones regni sui, qui ei parebant, et cum eis habuit secretum ministerii * sui. C
Juraverunt ergo Comes Flandrensis, Comes Theobaldus, Comes de Claromonte, et multi alii, quòd transfretarent cum juniore Rege in Angliam circa
* *An. 1174.* festum S. Johannis *, et pro posse suo subjugarent ei idem regnum. Alii verò qui remanebant, juraverunt quòd cum exercitu per Normanniam pergerent, et quæcumque castella possent, caperent, et patriam vastarent, aut urbem Rotomagum obsidione cingerent : quod et fecerunt, parùm proficientes. Rex autem Henricus senior, qui multos de Baronibus Franciæ obæratos habebat, et magnis obsequiis et donis eos sibi familiares fecerat, hoc cognito, per eos castella sua quæ erant in finibus Normanniæ juxta Franciam, armis, militibus et victua-
libus munivit ; removit etiam quosdam custodes castellorum, ne aliquam sibi fraudem facerent per receptionem inimicorum suorum, et longam moram. Inde locutus cum Baronibus Normanniæ, eos admonuit et obsecravit ut viriliter et D
fideliter agerent, et rememorarentur quòd parentes eorum multotiens Francos a finibus suis turpiter eliminassent. Inde assumptis paucis, immò ferè nullis de Baronibus Normanniæ, cum Brebenzonibus suis transivit in Angliam.

Quâ autem humilitate sepulcrum B. Martyris Thomæ visitaverit, notandum est. Ut autem vidit Ecclesiam Cantuariensem, desiliens equo, in veste lanea et nudis pedibus, pedes usque ad illam per paludes et acuta saxa cum summa devotione perrexit : in oratione ad sepulcrum gloriosi Martyris, in lacrymis tam devotus exstitit, ut videntes ad lacrymas cogeret. Feriâ sextâ illuc venerat, et impransus totâ nocte ibi vigilavit. Mane autem facto, in Capitulum Monachorum pergens, subdidit se verberibus eorum : imitatus Redemptorem, qui dorsum suum dedit ad flagella ; sed ille fecit propter peccata nostra, iste propter propria. Eâdem autem die quâ recessit a sancto loco, captus est Guillelmus Rex Scotiæ apud *Alnevich* E
a Baronibus Eboracensibus....

Rex Henricus exhilaratus tanto nuncio, factâ pace cum Comite Hugone
* *Corr.* Roberto. *Bigoth*, et positis in firma custodia Guillelmo Rege Scotiæ, et Rogerio * Comite Leecestriæ, cum comitibus suis transfretavit in Normanniam, relinquens Angliam in pace, quam ferè perditam in triginta diebus recuperaverat. Veniens itaque Rotomagum, misit marchisos suos Walenses trans Sequanam, ut victualia quæ veniebant ad exercitum Francorum, in nemoribus diriperent. Franci igitur ex una parte timentes Regem, ex alia Walenses, de pace locuturi ad Regem conveniunt. Unde Rex exhilaratus, terminum de pace inter eos reformanda posuit ad Nativitatem S. Mariæ apud *Gisors*. Quo termino elapso, ex utraque parte convenerunt ; sed nihil profecerunt, nisi quòd alium terminum circa festum

Digitized by Google

A S. Michaëlis * posuerunt inter Turonum et Ambasiam. Quo loco, Deo favente, pax provenit; et filii Regis tres se patri suo humiliter subdiderunt; et Rex Francorum et Comes Flandrensis firmitates, quas ceperant in Normannia, Regi Angliæ reddiderunt. Ego verò pacem istam ascribo Dominæ nostræ Jesu Christi Genetrici, quia in vigilia Assumptionis ejus universus exercitus ab obsidione recessit, et cives Rotomagenses lætum diem egerunt in Ecclesia ipsius, sicut debebant, ab obsidione liberati.... * An. 1174.

Mortuo Drogone Abbate S. Trinitatis, successit ei Guillelmus de Espervilla, Monachus Becci, Prior de Ewremodio. Mortuo etiam Roberto Abbate Cormeliensi, successit ei Harduinus Monachus Becci, Prior S. Theodemiri vel Himerii.

Anno MCLXXV, Rex Henricus egit Natale Domini apud Argentomagum....

Guarinus de *Galardun*, Abbas Pontiniacensis, factus est Archiepiscopus Bitu-
B ricensis, sicut Abbas [Guichardus], qui idem Monasterium ante illum rexerat, factus fuerat Archiepiscopus Lugdunensis.

Circa Pascha * junior Rex pacificatus est cum patre suo, accepto ab eo et fratribus suis sacramento, quod voluit. Inde Rex misit Ducem Ricardum filium suum in Aquitaniam, et Gaufridum filium suum in Britanniam, assignans ei Rollandum de *Dinam*, ut esset Procurator terræ suæ.... Gaufridus Dux Britanniæ ea quæ Comes Eudo habebat de dominio suo, scilicet Venetum, *Ploasmel*, *Aurai*, medietatem Cornubiæ, revocavit in ditionem suam. Post Pascha Rex Henricus, et filius suus Rex junior transfretavit in Angliam.... * An. 1175.

Obiit Reginaldus Comes Cornubiæ, prioris Henrici Regis filius naturalis, et sepultus est Radingis. Comitatum Cornubiensem et totam terram quam habebat, tam in Anglia quàm in Normannia et in Walis, retinuit Rex in manu sua
C ad opus Johannis filii sui junioris, exceptâ parvâ portione quam dedit filiabus ipsius Comitis.

Robertus Abbas Montis, scriptor horum temporum, pergens in Angliam promeruit a domino Rege chartam et sigillum omnium eleemosynarum Ecclesiæ Montis, quæ datæ fuerant prædictæ Ecclesiæ usque ad præsens tempus, et dabuntur in futurum.

Ricardus filius Comitis Gloëcestriæ obiit, et successit ei filius ejus Philippus, natus ex sorore Roberti de Monteforti.

Obiit etiam Henricus frater Ludovici Regis Franc. Archiepiscopus Remensis. Similiter Comes Nivernensis [Guido]. Et quod dolendum est et tacendum, nisi ob memoriam justi viri, Abbas Clarevallensis Girardus a quodam pseudo-monacho ejusdem Ordinis, nocte, cultro ter appetitus, lethaliter vulneratus est: per triduum
D tamen quod supervixit, confessionem, pœnitentiam et sacramenta Corporis Christi suscipere promeruit....

Bartholomæus, Archiepiscopus Turonensis, Concilium habuit cum Episcopis Britanniæ Redonis...

Anno MCLXXVI, nix et gelu duraverunt a Nativitate Domini usque ad Purificationem B. Mariæ. Obiit Richerius de Aquila; et successit ei Richerius filius ejus..... In vigilia Paschæ circa meridiem factus est ventus vehemens, dissipans domos, et sylvas eradicans.

Guillelmus frater Comitis Theobaldi, Archiepiscopus Senonensis et Episcopus Càrnotensis, translatus est ad Remensem Archiepiscopatum: et successit ei Senonæ Præpositus Autissiodorensis et Archidiaconus Senonensis, Guido nomine; in Carnotensi urbe Johannes Salesberiensis, vir honestus et sapiens....

E Mortuo (*a*) Episcopo Belvacensi [Bartholomæo], successit ei Philippus, filius Comitis Roberti, fratris Regis Francorum.

Guillelmus Rex Siciliæ, Ducatûs Apuliæ, Principatûs Capuæ, per honorabiles legatos requisivit Johannam filiam Henrici Regis Anglorum in uxorem, et accepit.

Obiit Rogerius Abbas Gemmeticensis, Monachus Becci. Obiit etiam Radulphus Abbas Salmuriensis, cui successit Manerius, Sacrista ejusdem loci.

Obiit etiam Guillelmus de Curceio, relinquens parvulum filium ex filia Richarii de Aquila. Cessit etiam in fata Willelmus de Albineio, quem vocabant Comitem *d'Arundel*, relinquens filios quatuor, scilicet Guillelmum de Albineio primogenitum et alios tres, natos ex Aelisa Regina, uxore primi Hen-

(*a*) Bartholomæum an. 1175, XVI Kal. Junii obiisse probant Galliæ Christ. editores.

Digitized by Google

rici Regis Anglorum : qui Guillelmus duxit relictam Rogerii Comitis de Clara, A
filiam Jacobi de Sancto-Hilario, cum omni terra quam idem Jacobus habuerat in Anglia....

Anno MCLXXVII, Philippus Comes Flandrensis, acceptâ Cruce Domini, cum magna manu militum perrexit Jerosolymam. Hasculfus de Sancto-Hilario perrexit Jerosolymam, et peregrè mortuus est.

Petrus frater Philippi Comitis Flandrensium, acceptâ (*a*) Comitissâ Nivernensi, quæ fuerat uxor domini Issoldunensis castri, mortuus est, et ideò forsitan, quia militiam spiritualem, id est Clericatum dimiserat, utpotè qui fuerat electus ad Episcopatum Cameracensem, relictâ spirituali militiâ, miles sæculi factus fuerat. Hic ex eadem Comitissa genuit unam filiam; quam Comitissam cum eodem Comitatu accepit Comes Robertus, filius Comitis Roberti, fratris Ludovici Regis Francorum. Et ita facta est quadrigama. B

Obiit venerabilis vir Robertus Abbas Majoris-monasterii; et sūccessit ei Petrus Monachus ejusdem loci.

Deposito Radulfo Abbate Cluniacensi, consobrino Comitis Theobaldi, Gauterus Prior S. Martini de Campis successit ei; et ille Exabbas factus est iterùm Prior Charitatis.

Cessit etiam in fata Robertus de Blangeio, vir honestus et religiosus, Monachus Becci, et Abbas S. Ebrulfi. Nihilominùs etiam satisfecit humanæ vitæ Osbertus Abbas Lyræ; cui successit frater ejus Gauterius junior, sicut et ipse successerat seniori fratri suo Guillelmo. Quod vix aut nunquam invenies, ut tres fratres sibi invicem succedant in regimine alicujus Ecclesiæ.

Obiit Hugo *Bigot* Comes, et successit Rogerius filius ejus....

Quintâ feriâ in Cœna Domini, occisus est Guillelmus a Judæis Parisius, qui C
concremati sunt igne....

In æstate et autumno fuit maxima siccitas; unde satio terræ, messis et fœnum ex majori parte periit, et collectio messium et vindemiarum solito citiùs evenit.

Nono Kal. Augusti, concordati sunt dominus Papa Alexander et Fredericus Imperator Romanus in civitate Venetiæ, in domo Patriarchæ ipsius civitatis.

* An. 1177. Mense Augusto * Henricus Rex Anglorum senior et Gaufridus Dux Britannorum, filius ejus, cum maximo apparatu transfretaverunt in Normanniam : quibus obviaverunt junior Rex Henricus et Richardus Dux Aquitanorum, filii ejus, cum multis Baronibus, necnon cum magno gaudio et honore. Rex Henricus, assumptis filiis suis Henrico juniore et Richardo Duce Aquitanorum, et congregatis Baronibus suis apud Vadum S. Remigii, cum Rege Francorum locutus est ea quæ ad pacem tendunt, et de susceptione Crucis ad servitium Dei. Indè D
dominus Rex misit filium suum Comitem Britanniæ cum cæteris Britonibus ad expugnandam superbiam Guihomari de *Leon*.

Mauricius Episcopus Parisiensis jam diu est quòd multùm laborat et proficit in ædificatione Ecclesiæ prædictæ civitatis, cujus caput jam perfectum est, excepto majori tectorio. Quod opus si perfectum fuerit, non erit opus citra montes cui aptè debeat comparari.

Mortuo Waleranno, filio Guillelmi Lupelli, turris Ibreii venit in manum domini Regis, quam multùm cupierat, quam nec pater ejus, nec avus habuerunt.

Rex Henricus perrexit in Bituricensem pagum, et accepit in manu sua castrum Radulfi de Dolis, quia erat de feudo ejus, et filiam unicam domini ejusdem castri, cum tota hæreditate ipsius, quam dicunt quidam tantùm valere, E
quantùm valet redditus totius Normanniæ. Isoldunense etiam castrum cum omnibus pertinentiis suis (quia Odo dominus ejusdem castri nuper decesserat, et parvulum filium reliquerat, et ad Comitatum Andegavensem pertinebat) Barones qui illud custodiebant, obtulerunt ei : quod noluit recipere, quia non habebat hæredem, quem Dux Burgundiæ, quia cognatus ejus erat, furtim abstu-
* Tournon. lerat. Castrum etiam munitissimum et arte et naturâ Turonium * Vicecomes ejus-

(*a*) Mathildis Raimundi Burgundiæ Comitis filia, nupsit primùm Odoni II, Issoldunensi Baroni, secundùm Guidoni Comiti Nivernensi, tertiùm Petro Flandrensi, ultimùm Roberto II, Drocarum Comiti. At neque tertius, neque quartus maritus Nivernensem cum ea Comitatum accepit, quippè cujus ac Guidonis filius, Guillelmus, hæreditario jure patri successit. Nivernensem quidem illa Comitatum, dum per ætatem sui juris non esset Guillelmus, administravit, ob idque Comitissæ titulum retinuit. Petrus autem an. 1175, circa Assumptionem B. Mariæ finem vitæ imposuit.

dem

Digitized by Google

A dem castri reddidit ei. Totam etiam terram Comitis de Marcha Rex Henricus sex millibus marcis argenti emit, valentem, ut idem Rex dixit, viginti millia marcas argenti.

Episcopus Lemovicensis [Geraldus] qui erat Comes ejusdem civitatis, cùm per decennium vixisset in cæcitate, mortuus est. Castrum etiam juxta prædictam civitatem situm, in quo requiescit S. Martialis in Monasterio suo, Richardus Dux Aquitanorum abstulit [Ademaro] Vicecomiti ejusdem castri, et meritò, quia adjuvabat partes [Guillelmi] Comitis Engolismensium, qui infestabat ipsum Ducem.

Obiit Ruaudus Venetensis Episcopus, vir religiosus, Monachus Cisterciensis.

Guihomarus de *Leon* venit ad dominum Regem, promittens se de omni terra sua facere voluntatem ejus. Jarnagen de Roca reddidit idem castrum
B domino Regi et Comiti Gaufrido filio ejus.

Sicut fuerat in æstate maxima siccitas, ita fuit hyeme maxima inundatio aquarum. Hoc anno circa festivitatem S. Johannis * multi submersi sunt in flumi- * An. 1177.
nibus. In mari etiam multæ naves perierunt; inter quas una, quæ portabat Gaufridum Præpositum de *Beverlé*, nepotem Rogerii Archiepiscopi Eboracensis, Cancellarium Regis junioris, et alios multos nobiles, apud S. Valericum periit. Perierunt præterea naves multæ, quæ afferebant vinum de Pictavensi pago, ut quidam dicunt, ferè triginta vel eo ampliùs.

In festivitate S. Martini, Canonici Dolenses elegerunt in Archiepiscopum Rollandùm Decanum Abrincensem, virum religiosum et literatum : cui electioni interfuerunt Henricus Baiocensis, et Richardus Abrincensis, et Robertus Abbas de Monte, et multi viri religiosi....

C Anno MCLXXVIII, Rex Henricus senior tenuit curiam suam ad Natale Domini Andegavis; et ibi cum illo fuerunt junior Rex Henricus et Richardus Dux Aquitaniæ et Gaufridus Dux Britanniæ, filii ejus : et vix in aliqua festivitate tot milites secum habuit, nisi in coronatione sua, sive in coronatione filii sui junioris.

Obiit Stephanus vir honestus et literatus, Episcopus Redonensis.... Obiit Gaufridus Episcopus Andegavensis.

In media Quadragesima *, XIV Kal. Aprilis, dedicata est Ecclesia Becci a * An. 1178.
Rotrodo Archiepiscopo Rotomagensi et Henrico Baiocensi et Richardo Abrincensi et Ægidio Ebroïcensi Episcopis. Huic dedicationi interfuerunt Reges Anglorum pater et filius, et Johannes minor filius Regis. Dedit autem Rex senior in dotem Ecclesiæ centum libras Andegavenses annuatim in molendinis suis de *Boobec* *. * *Bolbec.*

Robertus de Argentiis, Cellerarius Gemmeticensis, factus est Abbas ejusdem
D Ecclesiæ. Galterius Subcellerarius S. Wandregisili, factus est Abbas ejusdem Monasterii. Radulfus de S. Columba factus est Abbas S. Ebrulfi, Monachus ejusdem loci.

Obiit Jordanus *Teissun*, et successit ei Radulfus filius ejus, qui fecit hominium Abbati Montis apud Montem, de castello de Rocha et de Columba.....

Ludovicus Rex Franciæ et Henricus Rex Angliæ convenerunt ad colloquium haud procul a Nonantiscurte : et ibi tractaverunt de pace et firma concordia inter eos, et de susceptione Crucis, et de itinere eorum in Jerusalem; et si aliquis Regum illorum cedat in fata in ipso itinere (quod Deus avertat), superstes omnem thesaurum et omnes homines suos et omnia mobilia sua habebit sicut propria ; et iter perficiet pro se et pro defuncto.

Hæretici, quos Agennenses vocant, et alii multi convenerunt circa Tolosam,
E malè sentientes de Sacramento Altaris et de conjugio et aliis Sacramentis : ad quorum confutationem Petrus Legatus Romanus et multæ aliæ religiosæ personæ cum prædictis Regibus convenerunt, et parùm profecerunt.

Obiit Robertus de Monte-forti; et successit ei Hugo filius ejus, natus ex sorore Radulfi de Fulgeriis.

Civitas Carnotum combusta est, et Monasterium B. Petri de Valle : remansit tamen Dei misericordiâ Ecclesia S. Mariæ et claustrum Clericorum.

(*a*) Philippus Comes Flandrensis rediit a Jerusalem.

Manuel Imperator Constantinopolitanus misit ad Regem Francorum honorabiles legatos, ut daret filiam suam filio ejus : quod Rex concessit.

(*a*) Acheriana in editione et in codd. mss. hìc incipit annus 1179, perperam, ut constat ex subjecta eclipsi quæ pertinet ad an. 1178.

Digitized by Google

Alexander Papa misit Octavianum Subdiaconum ad Rotomagensem provinciam, ut convocaret Archiepiscopum et suffraganeos ejus et Abbates illius provinciæ,... ut convenirent ad Concilium generale, quod erat futurum proximâ Quadragesimâ in civitate Romæ. A

* *Treguier.* Episcopus de *Trigel* * [Ivo] cùm pergeret Romam, ablatis rebus omnibus suis et equis, verberatus est, ita ut deficeret intra octo dies. In loco ejus electus est Gofredus *Loïs*, filius cujusdam Burgensis ejusdem nominis de *Guingamp*.

Henricus Rex Anglorum senior circa nundinas Montis-martini (*a*) transfretavit in Angliam.

Radulfus frater Vicecomitis de Bello-monte, cognatus germanus Henrici Regis Anglorum, electus est ad Episcopatum Andegavensem.

* An. 1178. Eclipsis solis facta est Idibus Septembris *.

Abbas Gresteni (*b*) mortuus est : cui successit Guillelmus de Exonia, Monachus Becci. Obiit Richardus Constantiensis Episcopus (*c*). Eodem anno obiit Robertus Abbas Majoris-monasterii ; et successit ei Petrus Monachus ejusdem loci, qui mortuus est cùm vixisset in regimine Abbatiæ ferè per unum annum : cui successit Hervæus de Villa-pirosa, Monachus ejusdem loci. B

Anno MCLXXIX, hyems facta est maxima, et duravit nix ferè usque ad Purificationem S. Mariæ, quæ incœpit infra octo dies post Natale Domini. Inundatio aquarum maxima fuit, et maximè apud urbem Cenomanensem, pontes et domos et molendina subvertens, et homines multos perimens. Hoc etiam accidit Andegavis et in multis aliis locis.

Gaufridus filius Regis Henrici, Dux Britanniæ, viriliter egit : nam Guihomarum Vicecomitem Leonensem, qui nec Deum timebat, nec hominem verebatur, et filios ejus ita subegit, quòd omnia castella eorum et terram in manu sua cepit, et duas tantummodò parrochias Guihomaro seniori permisit usque ad proximum Natale Domini, quo erant Jerosolymam ituri, ipse et uxor sua, et forsitan non redituri. Guihomaro juniori undecim parrochias de terra patris sui concessit ; retento secum de familia sua Hervæo fratre ejus. C

Similiter fecit Richardus Dux Aquitaniæ, frater ipsius Gaufridi, de Gaufredo de *Rancum* : nam castrum *Tailleborc*, quod videbatur inexpugnabile, munitum arte et naturâ, obsedit, cepit, diruit; et similiter quatuor alia castella ipsius. Similiter fecit domino de *Ponz*, destruendo scilicet castellum suum *Ponz*, quia erat confœderatus ipsi Gaufredo. Comes Richardus, filius Regis Henrici, post destructionem *Tailleborc*, cùm perrexisset in Angliam ad S. Thomam, et ad videndum patrem suum, quidam Bascli et Navarrenses et Brebenzones venerunt ad urbem Burdegalensem, et ipsam urbem vastaverunt in suburbiis, flammis et rapinâ. D

Guillelmus Comes de Magna-villa, ductâ filiâ Guillelmi Comitis Albemarlæ, factus est Comes Albemarlæ.

Richardus de *Luce* renunciavit sæculo et regiis negotiis ; et successit ei Richardus nepos ejus ex Gaufredo filio suo.

Cùm filia Regis Francorum duceretur ad conjugium filii Imperatoris Constantinopolitani, hospitata est apud S. Benedictum super Ligerim : cùmque quidam ex famulis ejus vellet accelerare ignem, injecto oleo, flamma exivit per foramina camini, et cecidit super tectum camini : et hoc casu tota Abbatia combusta est.

* An. 1179. Cùm Rex Francorum vellet coronare filium suum Philippum, posuit locum Remis, terminum Assumptionem * B. Mariæ : et congregatis quæ ad tantum negotium necessaria erant, et convocatis omnibus Baronibus totius regni Franciæ, ut ad eumdem locum convenirent; juvenis coronandus obiter cum suis similibus in sylvam venatum divertit; et amissis omnibus sociis, per unam noctem in sylva vagabundus permansit. Tandem invento quodam homine, qui ad opus fabrorum carbones parabat, per eum ad socios suos reductus est. Ex solitudine E

(*a*) Idus Julii, ex Benedicto Petroburg.

(*b*) « Monasterium S. Mariæ Gresteni, *inquit Robertus de Monte in tractatu de Abbatiis Normanniæ ibid.* p. 817, Herluinus de Contavilla condidit, in quo ipse requiescit corpore et Helena (seu Heleva) uxor ejus. Horum filii fuerunt Robertus Comes Moritolii, qui idem Monasterium auxit, et Odo Episcopus Bajocensis. Primus Abbas ejusdem Monasterii Gaufridus Monachus S. Sergii Andegavensis, secundus Fulcherius Monachus Sagii, tertius Herbertus Monachus ejusdem loci ». Is fortè cujus obitus hìc signatur.

(*c*) An hoc anno, an sequenti Richardus obierit, dubitant novi Galliæ Christianæ editores, diem ejus emortualem XIV Kal. Decembris, seu 18 Novembris, ex necrologiis assignantes.

Digitized by Google

A tamen et pavore tantam infirmitatem incurrit, quòd coronatio ejus tunc remansit. Pater autem ejus iratus, et pro se et pro filio rogaturus ad memoriam B. Thomæ Martyris in Angliam perrexit, cui multam humanitatem exhibuit, cùm in Galliis exsularet. Dedit autem idem Rex, ob amorem et honorem Dei et B. Thomæ, Monachis in Cantuariensi Ecclesia jugiter Deo famulantibus centum modios vini, singulis annis a præfatis Monachis accipiendos. Quo autem honore, quo gaudio, et quàm multiplici donorum largitate Rex Henricus eum susceperit, non est nostrum edicere....

Alexander Papa III tenuit generale Concilium Romæ, mediâ Quadragesimâ....

Obiit Rogerius Wigorniensis Episcopus Turonis, vir genere et moribus honestus : siquidem pater ejus Robertus, Comes Gloëcestrensis, fuit filius primi Henrici Regis Anglorum; mater ejus filia Roberti Belismensis; et Robertus filius
B Haimonis, dominus de Torigneio, fuit avus ejus.

Obiit Ægidius Ebroïcensis Episcopus.

Obiit Rogerius Abbas Becci, vir religiosus et literatus et timens Deum. Nullus prædecessorum suorum, excepto S. Herluino primo Abbate, tanta fecit in Becco Monasterio, quanta ipse. Ecclesia siquidem ferè tota ædificata est in tempore suo et dedicata; cujus pulchritudini nulla æquatur in tota Normannia. Fecit cameras cum caminis, unam super alteram, ad susceptionem hospitum et personarum : fecit etiam domum infirmorum ingentis pulchritudinis et magnitudinis : melioravit dormitorium in maceriis, in vitreis et coopertura : fecit et aquæ-ductum, per quem adduxit fontem pulcherrimum de longinquo, qui dividitur per officinas Monasterii : fecit et concham pulcherrimam ad recipiendam aquam, et tectum desuper ædificavit. Maximam summam pecuniæ
C dedit Roberto Comiti Mellenti, pro mercato quod fecit in villa Becci. Tempore ipsius assumpti sunt de Beccensi Ecclesia duodecim Abbates ad regimen Ecclesiarum, quorum ego, qui hoc scribo, secundus fui. Rexit autem Monasterium Beccense triginta et uno anno, decem diebus minùs : cui successit Osbernus Prior Bellimontis, Monachus ejusdem loci. Isti tres supradicti, scilicet Episcopus Wigorniensis, et Episcopus Ebroïcensis, et Abbas Becci, catarrico impediente in fata cesserunt.

Philippus, filius Ludovici Regis Francorum, fuit coronatus in Regem Remis a Willelmo Remensi Archiepiscopo, avunculo suo, et suffraganeis ejus in festivitate omnium Sanctorum *; et Rex Anglorum senior misit ei magna exenia in * An. 1179.
auro et argento, et de venatione Anglicana. Huic solemnitati interfuit junior Rex Anglorum cum magno comitatu Equitum, qui tanta secum ex jussu patris
D sui tulit, ut nullius nec in ipsa festivitate, nec in ipso itinere susciperet procurationem.

Decedente venerabili viro Gisleberto Abbate Troarnensi, successit ei Durandus de Cuvervilla (*a*), Monachus ejusdem loci. Et Roberto Fontanetensi Abbati successit Robertus Prior S. Petri super Divam.

Obiit (*b*) Walterius Cluniacensis Abbas, qui quamvis in Ecclesiæ illius regimine parùm vixerit, anno scilicet et dimidio, tamen Ecclesiam illam maximis debitis oneratam de debito quatuor millium marcarum exoneravit. Huic successit Willelmus Monachus ejusdem loci, qui fuerat Abbas Ramesiensis in Anglia. Hic fecit quoddam mirabile : nam residuum debiti Ecclesiæ Cluniacensis, quod erat quatuordecim millium marcarum, ex propriis thesauris quos adunaverat, et de mille marcis quas Henricus Rex Anglorum ei dederat, ex majori parte delevit. Fecit
E et aliud mirabile : Priorem de stallo deposuit, qui solebat ducere in comitatu suo XL equos; et jussit ut esset contentus tribus equitaturis. Fecit et illud mirabile, quia septies viginti procurationes, quas Burgenses ex consuetudine habere solebant ex donis Abbatum, penitùs delevit....

Anno MCLXXX, Rex Henricus Anglorum tenuit curiam suam in Anglia ad Natale apud *Notinguehan*.

Guillelmus Abbas Cluniacensis in crastino Epiphaniæ (*c*) obiit apud Caritatem, vir plangendus de bonis quæ fecit in Ecclesia sua : parùm vixit, duobus ferè annis.

Obiit Richardus Abbas S. Audoëni, cui successit Samson vir venerabilis, Prior S. Stephani Cadomi.

(*a*) Cod. Reg. 4861, de *Chanbremer*.

(*b*) Walterius decessit an. 1177, ex chron. Cluniac.

(*c*) Guillelmi Cluniacensis Abbatis obitum ad tertium Idus Januarii, sive hujus mensis diem undecimum anni 1179, retrahunt cum Miræo in originibus Bened. novi Galliæ Christianæ editores.

Digitized by Google

Richardus de *Humet*, Constabularius Regis, cùm religiosè vixisset anno uno et dimidio in Abbatia de Alneto, quam ipse ædificaverat, obiit, relinquens filios suos hæredes suæ terræ, scilicet Guillelmum, Emorannum, Jordanum. A

Ludovicus Rex Franciæ cùm incidisset in gravissimam ægritudinem, Philippus junior Rex filius ejus, nescio quo consilio ductus, sacramento se obligavit, quòd duceret loco et tempore filiam Balduini Comitis Haënacensium in uxorem, natam ex sorore Comitis Flandrensium : et ipse Comes concessit ei quòd post mortem suam haberet in hæreditatem Comitatum Flandrensem, quamvis idem Comes haberet masculos hæredes de prædicta sorore, Comitissa Haënacensi. Et hoc fecit idem Rex sine consilio Reginæ matris suæ et avunculorum suorum, Willelmi Remensis Archiepiscopi, Henrici Comitis Trecensis, Theobaldi Carnotensis, Stephani Sancerriensis, et aliorum amicorum suorum. Unde illi commoti requisierunt auxilium Henrici Regis Anglorum senioris, B contra nepotem suum juniorem Regem Francorum Philippum....

* An. 1180. Ante Pascha * transfretavit Rex Henricus senior in Normanniam; et tenuit curiam suam in festivitate Paschæ Cenomanis.

Obiit Willelmus Abbas Cadomi (*a*); et successit ei Petrus Sacrista, Monachus ejusdem loci.

In die Ascensionis Dominicæ, Philippus junior Rex Francorum fecit consecrari in Reginam uxorem suam, et coronati sunt ipse et ipsa ab Archiepiscopo Senonensi [Guidone] : unde magis iratus est Archiepiscopus Remensis, qui coronavit eum in Regem.

Obiit Guarinus de Girardo (*b*) Archiepiscopus Bituricensis, qui priùs fuerat Abbas Pontiniacensis. Obiit Johannes (*c*) Episcopus Carnotensis, qui descripsit passionem B. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi et Martyris : fuerat enim C cum eo conversatus in exilio : Theobaldus Prior Crispeii, Monachus Cluniacensis, successit Guillelmo Abbati Cluniacensi.

Obiit Ingerrannus de *Humet*, filius Richardi de *Humet* : cui successit filius ejus Ricardus, natus ex filia Guillelmi de Similleio.

Obiit vir plangendus carissimus meus Gaufredus de Monte-forti in Britannia ; cui successit filius ejus, natus ex filia Rualendi de *Saie*....

Obiit Ludovicus Rex Francorum, vir religiosus et timens Deum ; et sepultus est in quodam Monasterio Cisterciensis Ordinis, quod ipse ædificaverat (*d*) : cui successit filius ejus Philippus, sicut supra jam diximus....

Obiit Manuel Imperator Constantinopolitanus ; et successit ei Alexius filius ejus, natus ex sorore Raimundi Principis Antiochiæ. Hic duxit filiam Ludovici Regis Francorum.... D

Anno MCLXXXI, Henricus senior Rex Anglorum tenuit curiam suam in Natali Domini Andegavis.

Radulfus de Varnevilla, Archidiaconus Rotomagensis, renunciavit Cancellariæ Regis : et Rex dedit ei terras magnorum redditum.

Gaufredus filius Regis, electus Lincolniensis, factus est Cancellarius Regis ; et renunciavit electioni Lincolniensi : et Rex dedit ei magnos redditus in Anglia et Normannia et Andegavia.

Johannes filius Lucæ, Clericus Regis, electus est in Episcopum Ebroïcensem. *Guihenoc*, Archidiaconus Redonensis, electus est ad Episcopatum Venetensem. Abbas sancti Remigii Remensis Petrus (*e*) nihilominùs electus est ad Episcopatum Carnotensem.

Obiit Henricus Comes Trecensis (*f*); et successit ei Henricus filius ejus, E natus ex filia Ludovici Regis Francorum.

(*a*) Anno 1179 mortem Guillelmi Abbatis S. Stephani Cadomensis illigat chronicon ejusdem Monasterii.

(*b*) Roberto concinit Nangius, obitum Guarini Archiepiscopi consignans Martii 20 die anni 1180, a Paschate nimirùm inchoati.

(*c*) « Communior inter eruditos sententia est, » *inquiunt Galliæ Christianæ novi editores*, Johannem e vivis sublatum fuisse die 25 Octobris » anni 1180, ut constat tum ex necrologio Josaphatensis Monasterii, in quo sepultus est, » tum ex chronologia Hugonis Monachi Autissiodorensis ejus æqualis, qui prædicto anno mortem » Johannis adscribit, tum ex Guillelmo Nangio, » qui eum ob sapientiam et animi strenuitatem » laudat ».

(*d*) Guillelmus Brito et Rigordus obitum Ludovici VII anno secundo regnantis Philippi filii ipsius adscribunt. Verùm errorem suum manifestè produnt cùm Ludovicum testatur uterque vitâ migrasse XIV *Kal Octobris, feriâ* V : quæ duæ simul junctæ in annum 1180 cadunt temporariæ notæ.

(*e*) Petrum Carnotensem Episcopum anno 1181, mense Octobri conventionem factam inter Abbatem Sernaii et Guignardum Eremitam Prioratûs de *Planai* confirmasse, novi Galliæ Christianæ editores affirmant.

(*f*) Anno 1181, die Martii 17, Comes Trecensis

Digitized by Google

A Obiit Simon Comes Ebroïcensis; et successit ei in Comitatu Ebroïcensi in Normannia Amalricus filius ejus; et in Comitatu de Rocha et in terra Franciæ Simon alter filius ejus.....

Priorissa de Fonte S. Martini, mulier religiosa et magni generis, utpote soror Abbatis Savignei, qui fuit nepos Simonis Comitis Ebroïcensis, facta est Abbatissa sanctæ Trinitatis Cadomi (*a*).

Circa finem mensis Julii * Henricus Rex senior transfretavit in Angliam. * An. 1181.

Gaufredus Dux Britanniæ, filius Regis Henrici, desponsavit [Constantiam] uxorem suam, filiam Conani Comitis Britanniæ....

Arnulfus Lexoviensis Episcopus cùm per XL annos eamdem Ecclesiam rexisset, et in ædificando Ecclesiam et pulcherrimas domos laborasset, renunciavit Episcopatui, et perrexit Parisius, suos dies dimidiaturus apud S. Victorem in
B domibus pulcherrimis, quas ibi ad opus suum construxerat. Radulfus de Varnevilla Archidiaconus Rotomagensis, qui fuerat Cancellarius Regis, electus est ad prædictum Episcopatum....

Obiit Philippus Episcopus Redonensis, qui fuit primus Abbas Claromontis. Hic per revelationem caput Ecclesiæ Redonensis solo diruit; et in ea diruptione multas pecunias invenit, de quibus cœpit reædificare caput præfatæ Ecclesiæ meliori schemate.

Obiit Hunfredus de *Bohun*, Præpositus in exercitu cum Rege Henrico juniore, quem exercitum præfatus Rex in Franciam duxerat, coadjuvando partes Philippi Regis Franciæ contra [Philippum] Comitem Flandrensem.

Obierunt Henricus Abbas Pratelli, et Guillelmus Abbas S. Michaëlis Ulteriorisportûs, Monachi Becci. (*Hactenùs codex Reg.* 4861.)

C Anno Domini MCLXXXI, tertio Idus [Julii], horâ nonâ diei, eclipsis solis; et erat penè tertia pars solis obscurata; et ab initio eclipsis ad finem spatium unius horæ, æqualiter et XXXVIII minutorum. Eodem anno eclipsis lunæ, XI Kal. Januarii, scilicet feriâ III nocte sequente, horâ tertiâ noctis, et paulò minùs quàm medietas obscurata, et duravit obscuritas ferè per duas horas. Anno Domini MCLXXV * bis visa est eclipsis in luna, primò Litaniâ majore, horâ primâ * *Corr.* 1176.
noctis, post diem ipsam Marci Evangelistæ; secundò XIV Kal. Novembris nocte, sequente feriâ, tertiâ horâ noctis. Anno Domini MCLXVIII * vidimus eclipsim * *Corr.* 1178.
in luna, tertio Nonas Martii, nocte sequente, horâ primâ noctis. Eodem anno fuit eclipsis in luna, IV Kal. Septembris; et eodem anno et mense, in sole, Idus Septembris, circa meridiem, toto ferè obscurato. Anno etiam MCLXXIX, visa est luna eclipsimari, XV Kal. Septembris, post VIII horam noctis Dominicæ. Anno MCLXXX, fuit eclipsis in sole, V Kal. Februarii, feriâ tertiâ.
D

Rex Henricus senior mense Martio * transfretavit in Normanniam cum magna * An. 1182.
auri et argenti copia, paratus in adjutorium Regis Franciæ, ad componendam pacem inter ipsum et Comitem Flandriæ, sicut et fecit (*b*).

Obiit Mabilia [Elisabeth] Comitissa Flandrensis absque liberis....

Johannes Episcopus Pictavensis, vir magnæ litteraturæ et eloquentiæ, electus ad Episcopatum Narbonensem, cùm Romam perrexisset propter prædictam benedictionem, annuente Papâ Lucio, Clerici primæ Lugdunensis elegerunt eum in Archiepiscopum Lugdunensem: quæ sedes habet Primatum super tres Archiepiscopatus. Prima enim Lugdunensis, id est Lugdunum, est super Rodanum; secunda Lugdunensis super Sequanam, id est Rotomagus; tertia Lugdunensis super Ligerim, id est Turonis; quarta Lugdunensis, id est Senonis super Icaunam.

Henricus I mortalitatem explevit, ex Auctario Aquicinctino et Monacho Autissiodorensi.

(*a*) Mathildis, soror Simonis Abbatis Savigniacensis, successit in Abbatia S. Trinitatis Cadomensis Joannæ de *Coulanges*, quam novi Galliæ Christianæ editores asserunt adhuc anno 1183 sedisse.

(*b*) Jurgii causam inter Franciæ Regem et Comitem Flandriæ, narrat Hovedenus in hunc modum: Anno 1181, inquit, *Comes Stephanus, avunculus Philippi Regis Franciæ, occupavit terram cujusdam vicini sui, et eam vi detinuit, et devenit inde homo Philippi Comitis Flandriæ. Quod cùm fecisset, Rex Franciæ saisivit eam in manu sua, et Comes Flandriæ petiit sibi et Comiti Theobaldo fieri inde restitutionem; et quia Rex id facere noluit, Comes Flandriæ ingressus est terram Regis Franciæ in manu hostili, et eam devastavit.* Ad annum verò 1182: *Rex Angliæ pater*, inquit, *cepit colloquium inter Regem Franciæ et Comitem Flandriæ, in quo convenit inter eos in hunc modum; quòd terra unde Comes Flandriæ sibi restitutionem fieri petebat, redderetur militi qui eam amiserat; et Comes Flandriæ restauraret Regi Franciæ damnum, quod ipse et sui fecerant in Francia, scilicet de combustione et præda capta. Præterea idem Comes quietum clamavit Regi Franciæ servitium Comitis de Claromonte, et tradidit Regi Franciæ civitatem de* Amiens *cum pertinentiis suis, et totam terram inde usque ad aquam de* Lys *post decessum suum, cum nepte sua filia Comitis de* Hanou. *Et idem Comes in jure confessus est, quòd Peruna cum pertinentiis suis vadium suum erat, et concessit quòd Rex Franciæ eam adquietaret pro sexaginta millibus librarum argenti.*

Digitized by Google

* An. 1182. In hoc anno * evenit bis vel ter terræ-motus circa festum S. Michaëlis. Hoc A etiam anno magna discordia facta est inter Regem et filios suos propter castellum Clarevallis, quod erat de feudo Andegavensi, et Richardus Comes Pictavensis latenter firmaverat illud : et adhuc discordia perseverat inter patrem et filios propter eamdem causam.

Rex Henricus senior misit exercitum in Britanniam ; et obsederunt turrem Redonensem et ceperunt, et combustam reædificaverunt et muniverunt. Postea Comes Britanniæ magnam partem ipsius civitatis et Abbatiam S. Georgii combussit, et *Becherel* castrum Rollandi de *Dinam*....

(*Hucusque Robertus de Monte, sicut ipse indicat in Prologo his verbis :* usque ad MCLXXXII annum ea quæ in diversis provinciis, et maximè in Normannia et Anglia evenerunt, et ad meam notitiam pervenerunt, sub annis Dominicæ Incarnationis colligere aggrediar.) B

EX ALTERIUS ROBERTI (*a*)

APPENDICE AD SIGEBERTUM.

Anno MCXIII, Waldrico Laudunensi a suæ urbis civibus nequiter perempto, Hugo Aurelianensis Ecclesiæ Decanus substituitur. Quo post VII menses mortuò, vir illustris Bartholomæus ad Episcopatum Laudunicæ civitatis provehitur. Cujus industriâ, et episcopalis Ecclesia quæ incensa fuerat, in brevi reparata iterùm consecratur, et civitas a provinciæ desolatione sublevata, in C multis locis, in quibus antea nunquam fuerat, religionis fervor et Dei cultus fundatur, et inde in multas ac remotas etiam transmarinas regiones propagatur.

Bernardus juvenis egregius, scientiâ, moribus et genere clarus, vir postmodùm magnæ virtutis exemplar futurus, Castellione castro Burgundiæ oriundus, cum germanis fratribus et aliis comitibus multis, Cistercii habitu religionis induitur, et miro religiositatis fervore conversatur....

Anno MCXIV, in civitate Belvacensi a Conone Sedis Apostolicæ Legato Concilium celebratur. Hic est Cono, unus ex illis religiosis, qui eremiticam vitam apud Truncum-*berenger* primò duxerunt, et Aroasiani Ordinis auctores exstiterunt (*b*) : qui Ordo usque hodiè floret et crescit.

Henricus Imperator, cum magna Optimatum suorum et totius regni gloria, Natalem Domini celebrat Moguntiæ, ibique uxorem ducit Matildam filiam Regis D Anglorum.

Post Ivonem, qui vitâ atque doctrinâ suâ Carnotensem Ecclesiam illlustravit,...

(*a*) Monuimus suprà hanc Sigeberti Appendicem, quæ ad an. 1210 extenditur, in tres partes distributam esse ; ejusque primam ad an. 1155, quam post Joan. Parvum, Laur. *de la Barre* et Pistorium recudendam aggredimur, non esse Roberti Montis S. Michaëlis Abbatis : sed quis ejus sit parens non ita feliciter investigavimus. Is certè Præmonstratensis familiæ alumnum se prodit, dum B. Norberti et Ordinis sui res exquisitè dscribit ; at cujus Cœnobii nullibi exspiscari licet. Conjicimus Auctorem eum esse Robertum, de quo in chronologia S. Mariani Autissiod. ad an. 1211 : *Hucusque perduxit chronica sua Frater Robertus*, et ad annum 1212 : *Obiit felicis memoriæ Frater Robertus. Hic egregiè litteratus, sed eloquens erat impensè, et in historiarum notitia nulli temporis sui secundus*, etc. Ex his verbis hæsitando collegit Camusatus auctorem chronici S. Mariani esse Robertum ejusdem Cœnobii Monachum. Verùm dum dicitur *chronica sua*, de alieno potiùs quàm de ipso S. Mariani chronico id intelligendum videtur, ac fortassis de nostra hac Appendice, ut suadet temporum convenientia. Ita si res est, pauca admodùm de suo præstitisse dicendus est Robertus ille ; quippè in prima parte Anselmum Gemblacensem exscripsit, in altera Robertum de Monte. Missis igitur quæ aliunde mutuata sunt, ejus scriptionem ad an. 1155 damus.

(*b*) Situs et exordium Aroasiæ Monasterii describitur in vita Heldemari Eremitæ, apud Bolland. die 13 Januarii p. 831, in hunc modum : « Hic itaque locus supra stratam publicam constitu- » tus, in silva quæ dicitur Aridagamantia situs (quæ » quidem silva a castro quod dicitur Dusta usque » ad fluvium *Sambre* tunc temporis continua pro- » tendebatur) olim spelunca latronum fuerat : » unde et hunc quidam Truncum-Berengarii ab » ejusdem nominis latronum principe vulgò deno- » minant ... Post multos itaque decursi temporis » annos, in hoc adhuc loco latrociniis et insidiis » pleno, in Episcopatu Cameracensi et confinio » Flandrensis et Viromandensis Comitatûs, circa » annum Dominicæ Incarnationis MXC, ut certius » invenire potuimus, in Trinitatis nomine congre- » gati Eremitæ tres (ut ubi abundavit delictum, » superabundaret et gratia) cellam sibi ad servien- » dum Domino statuunt, oratoriumque in honore » S. Trinitatis et S. Nicolai Pontificis, cujus ex » recenti translatione crebra tunc per orbem evul- » gabantur miracula, construunt, tectumque ejus » et parietes myricis et foliis sive ramusculis » claudunt et contegunt ». Hi porrò Eremitæ tres erant, Heldemarus, Cono, ambo sanctitate præstantes, officio Presbyteri, professione Canonici, cum fratre Rogero laïco. Annus verò fundationis hoc disticho exprimitur :

Anno milleno Domini deciesque noveno
Norma Berengarii-Trunco nova cœpit haberi.

Digitized by Google

A Gaufridus vitæ merito ac prudentiâ venerabilis Carnotensem Ecclesiam rexit (*a*). In Remensi quoque Metropoli, post Manassem illustrem virum, exturbato invasore Gervasio, Radulfus succedit, qui Viridis cognomen habuit (*b*).

Anno MCXV, Lambertus bonæ memoriæ, Attrebatensis Episcopus, obiit. A tempore sancti Vedasti usque ad istum Attrebatensis Ecclesia, proprio viduata Præsule, Cameracensi Episcopo erat subjecta. Robertus succedit in Episcopatu Lamberto. Clarevallis fundatur....

Anno MCXVI, hoc tempore Norbertus, loci et Ordinis Præmonstratensis fundator, de partibus Lotharingiæ oriundus, genere, divitiis, atque facundia ipsis etiam summis Principibus familiaris atque notissimus, divino fervore succensus, postpositâ sæculi pompâ, repentè ad votum suum Diaconus et Presbyter simul ordinatus, paupertatis Christi tunicâ induitur, et verbo prædicationis
B ferventissimè instans, bajulans sibi crucem, nudum nudus Christum sequitur. Quorumdam etiam religiosorum moribus exploratis, arctioris vitæ propositum et tunc temporis inauditam districtionem arripit, et per aliquantum temporis nudis incedens pedibus, etiam brumali rigore, verbum Dei spargens, multos ab errore convertit.

Anno MCXVII, Anshelmus, Laudunicæ civitatis magister nominatissimus, litterarum scientiâ clarus, vir morum honestate et consilii maturitate venerabilis, obiit * : qui utili studio inter cætera opera in psalterium glossas marginales et interlineares ordinavit. * 15 Julii.

Anno MCXVIII,... Gelasius Papa, indicto Remis Concilio, transgrediens Alpes, in Gallias venit; et per Burgundiam et Gothiam, quæ provincia sancti Ægidii dicitur, agit causas Synodales : ad quem vir Dei Norbertus, nudis ut erat
C incedens pedibus, accessit, eique animi sui propositum pandens, licentiam et auctoritatem seminandi ubique verbum Dei ab eo accepit....

Anno MCXIX, Gelasius Papa Cluniaci moritur et sepelitur. Guido Viennensis Archiepiscopus, Stephani Burgundionum Comitis germanus, in Papam eligitur, et Calixtus vocari designatus, Cluniaci benedicitur. Concilium quoque, a prædecessore suo indictum, Remis ab eo, mediante Octobri mense, celebratur.

Balduinus Flandriarum Comes, Calixti Papæ de sorore Clementia nepos, Guillelmum filium Roberti Normannorum Comitis, a fratre suo Henrico Anglorum Rege captivati, Normanniæ potenter resistere * volens, post occupatam magnam ejusdem Normanniæ partem, in capite vulneratus obiit; sicque deficiente naturali prole, Carolus Roberti ex sorore nepos, consobrinus Balduini defuncti, et Canuti Danorum Regis filius, Comes substituitur. * *Leg.* restituere.

D Anno MCXX,... vir Dei Norbertus a Papa Calixto Bartholomæo Laudunensi Episcopo specialiter commendatus, cùm ei Ecclesia beati Martini a prædicto Episcopo offerretur, tum propter urbis viciniam, tum quia ejusdem Ecclesiæ Clerici propositi et vitæ ejus austeritatem horrebant, eam reliquit; et ab Episcopo diversis ejusdem provinciæ locis religioni congruentibus sibi ostensis, tandem divinitùs in loco Præmonstrati resedit, ibique solitarius religiosam vitam agere cœpit. Et tempore Quadragesimæ ad colligendos socios solus egressus, ante Pascha cum tredecim sociis rediit, et cum his in Præmonstrato loco secundùm Canonicæ institutionis normam ad tenorem Regulæ B. Augustini, Deo militare cœpit. Ordo Præmonstratensis incipit.

Anno MCXXI,... mortuo Lamberto Noviomensi Episcopo, Simon, Ludovici Regis Francorum patruelis, successit in ejus loco....

E Anno MCXXIV, obiit bonæ memoriæ Papa Calixtus, cui succedit Lambertus, qui et Honorius, Ostiensis Episcopus; ad quem proficiscens pater Norbertus et ab eo honorificè susceptus, et quæ flagitabat dignè consecutus,... inde Præmonstratum rediens, in Ecclesia beati Martini, quæ sita est in suburbio Lauduni, quemdam de suis, dominum videlicet Gualterum, Abbatem primum consecrari fecit : cujus industriâ, Deo cooperante, eadem Ecclesia, tam in temporalibus quàm in spiritualibus, in tantùm est in brevi multiplicata, ut famam bonæ opinionis, et propagines sanctæ plantationis in exteras ac longinquas jam extenderit regiones, videlicet in Nerviam, in Flandriam, in Angliam, in

(*a*) Ivo, Carnotensis Antistes, an. 1117 vivere desiit, ex genuino Roberto de Monte.

(*b*) Nota scriptoris oscitationem. Radulfus enim Viridis an. 1106 ad Remensem Archiepiscopum assumptus fuit.

Digitized by Google

Wasconiam, in Gothiam, in Hispaniam, in Burgundiam, quas omnes provin- A
cias per eamdem domum bono jam vidimus odore respersas. In Vivariensi etiam Ecclesia de fratribus suis Abbatem tum ordinari fecit...

In castro nihilominùs Antverpiensi Ecclesiam ordinandam hac de causa suscepit. Oppidani castri illius, a quodam hæretico Tandemo * seducti, paulatim a fide et moribus desciverant; quia idem hæreticus nimiæ subtilitatis (cùm tamen esset laïcus, sed multis etiam disertis Clericis in sermone acutior) sacri Ordinis ministros et Episcopalem ac Sacerdotalem gradum nihil esse dicebat, corporis et sanguinis Christi perceptionem sumentibus ad salutem prodesse negabat; et in pretioso apparatu et vestibus deauratis incedens, triplici funiculo crinibus intortis, verbis persuasibilibus et conviviorum apparatibus, suos, qui eum circiter tria millia armati sequebantur, illiciebat et per eos in resistentes sibi cædibus sæviebat. Credebant ei et reverebantur eum, in tantum ut aquam, B
in qua corpus lavisset, biberent et pro reliquiis asportarent; cùm tamen tantæ incontinentiæ et impuritatis esset, ut filias in matrum præsentia, sponsasque maritis intuentibus corrumperet, et hoc opus spiritale esse asserebat. Qui tandem post multos errores et multas cædes dum navigaret, a quodam Presbytero percussus in cerebro, occubuit: sed nec post ejus mortem error ipsius tam facilè exstirpari potuit. Propter quod a Clericis loci illius Ecclesia, cum aliquantis redditibus, per manum Episcopi Norberto ordinanda datur, sperantibus quòd per ejus salutarem doctrinam hæresis illa de medio tolleretur: quod et factum est. Siquidem, ipso prædicante, compuncti viri et mulieres corpus Dominicum, quod in cistis et foraminibus per decem annos et ampliùs reposuerant, attulerunt, et per ejus doctrinam paulatim ad sanctam fidem resipuerunt.

* *Leg.* Tanchelmo *sive* Tanchelino.

Radulpho Remorum Archiepiscopo obeunte, Raynaldus succedit in Præsu- C
latu Remensis Ecclesiæ....

Henricus Imperator, congregatâ exercitûs infinitâ multitudine, fines regni Francorum irrumpere disponit. Sed Ludovico Francorum Rege cum infinito nihilominùs exercitu in occursum ejus properante, consilio Principum et Episcoporum, ab inutili proposito desistit; et hoc factum est in mense Augusto.

Henricus Imperator Montionem * castrum capit, et Rainaldum ejus Comitem secum captum adducit....

* *Pont-à-Mousson.*

Anno MCXXV,... fames permaxima grassatur in Gallia, in qua Caroli inclyti Marchionis Flandriæ liberalis enituit munificentia, qui innumerabilibus diversis in locis pauperibus quotidiana ministrabat victûs stipendia....

Anno MCXXVII.... Carolus, Comes Flandrensis, proditione quorumdam optimatum suorum, quibus pro zelo justitiæ exosus erat, Brugis in Ecclesia S. D
Donatiani Martyris orans interfectus est; sed horrendâ animadversione vindicatus est. Proditores enim cùm capti fuissent, aut exterminati exilio, aut percussi gladio, aut patibulo affixi, aut præcipitio elisi, aut duello convicti et rotis alligati, vix aliquo evadente, omnes perierunt.

Post mortem (*a*) Lisiardi Episcopi Suessorum, fit Episcopus Joslenus, vir magni consilii. Cameraci quoque post Burchardum Hermannus (*b*) Episcopatum tenuit; quo post triennium extruso, Liethardus ei successit: qui et ipse post quatuor annos repudiatus, Nicolaum successorem habuit....

Anno MCXXVIII. Hoc anno multi de pago Suessonico sacro igne accensi, ad Ecclesiam beatæ Dei genitricis Mariæ, in civitate Suessorum sitam, convenerunt; ibique diebus paucis misericordiam Dei et beatæ Virginis succursum præstolantes (sicut pleniùs refert libellus eorumdem miraculorum) salutem ipsius E
meritis et precibus consecuti sunt, ita ut intra quindecim dies centum et tres nominatim ab hoc igne restinguerentur, et tres puellæ distortæ sanitati redderentur. Facta sunt ibi deinceps et alia multa miracula....

Lauduni in Ecclesia S. Joannis, consilio Regis et Principum, Monialibus, quæ malè infames erant, ejectis, et Monachis in earum locum substitutis, Drogo religione et facundiâ venerabilis, a Bartholomæo Episcopo primus Abbas ordinatur, qui postmodum * a Papa Innocentio Romæ Ostiensis Episcopus Cardinalis consecratur.

* An. 1136.

(*a*) Lisiardus, Suessionensis Episc. an. 1125 vitâ functus est.

(*b*) De Hermanno altum in Gallia Christ. inter Episcopos Cameracenses silentium. Burchardus an. 1131 defunctus creditur, successorque ejus Lietardus ad an. 1137 præfuisse perhibetur.

Anno

Digitized by Google

A Anno MCXXIX, Philippus puer, Ludovici Francorum Regis filius, Remis in Regem ungitur die Paschæ, XVIII Kal. Maii, patre præsente.

In Præmonstratensi Ecclesia Norbertus Archiepiscopus successorem sibi domnum Hugonem, qui ab initio paupertatis suæ socius fuerat, ordinari fecit Abbatem; sed et ad Antverpiensem atque Floreffiensem Ecclesiam ad regimen fratrum nominatos patres destinavit....

Cœnobium Ursicampi fundatum est a nobilissimo Præsule Noviomensi, domino Simone, qui Hugonis Magni filius fuit, frater autem Radulphi [Viromandensis] Comitis et Regis Ludovici fratruelis, adducto conventu Monachorum a Clarevalle et domino Waleranno Abbate ordinato, qui primus ex nobilioribus personis Clarevallem suâ conversatione illustravit.

Anno MCXXX, Honorio Papâ defuncto, factis partibus, Gregorius et Petrus
B de Leone ad Papatum eliguntur, et Gregorius Innocentii, Petrus Anacleti nomine alterantur. Sed Petro ob parentelæ suæ fortitudinem apud S. Petrum commorante, Innocentius Româ egressus in Gallias proficiscitur; et Gallicanâ sibi adhærente Ecclesiâ, Conciliis celebratis, primò Remis, secundò Pisis, in Papatu confirmatur, et Petrus ab omnibus Galliæ et Germaniæ Episcopis anathematizatur.

Joannes piæ memoriæ Morinorum Episcopus obiit, eique Milo, Abbas sancti Judoci, ex Ordine Præmonstratensi succedit. Roberto quoque Atrebatensi Episcopo defuncto, Aluisius Abbas [Aquicinensis] ordinatur Episcopus in ejus loco.

Thomas de Marla in suo proprio conductu negotiatores dolo capiens, a Rege Ludovico cum exercitu impetitur, et a Radulpho Viromandorum Comite, in ultionem Henrici fratris sui, vulneratus et captus, Lauduni moritur.

C Anno MCXXXI, Philippus puer, nuper in Regem unctus, dum in civitate Parisius equo vehitur, porcus equi pedibus se fortè submittens, equum super ipsum præcipitem dedit, et de ejus subitâ et miserandâ morte Francis luctum induxit, III Idus Octobris. Ecclesia S. Medardi Suessionis ab Innocentio Papa consecratur. Concilio Remis habito, præsente Francorum Rege Ludovico, filius ejus Ludovicus in Regem consecratur a Papa Innocentio, VIII Kal. Novembris.

Sub his temporibus, Ordo Canonicus Præmonstratensis et Monasticus Cisterciensis, quasi duæ olivæ in conspectu Domini, pietatis lumen et devotionis pinguedinem mundo ministrabant, et quasi vites fructiferæ religionis palmites circumquaque propagabant, et per omnes ferè Christiani orbis terminos bonæ opinionis paulatim odore diffuso, novas Abbatias, ubi etiam Dei cultus non fuerat, construebant.... Eratque circa hæc tempora pulchra et decora facies
D Ecclesiæ, diversorum Ordinum ac professionum circumdata varietate, dum hinc Præmonstratenses, hinc Cistercienses, inde Cluniacenses Monachi, tum et diversi habitûs et professionis Sanctimoniales et mulieres Deo devotæ, in continentia atque paupertate sub obedientiæ jugo regulariter viventes, fervore religionis invicem provocarent, et nova certatim diversis in locis Monasteria fundarent. Cum his etiam Monachi Cartusienses et ipsi paulatim pullulabant: qui præ cæteris continentes, pesti avaritiæ, quâ plurimos sub religionis habitu laborare videmus, terminos posuerunt, dum certum numerum hominum, animalium, possessionum, quem eis prætergredi nullo modo liceat, statuerunt: et ipsi singulas singuli cellulas habentes, ac rarò vel ob Dei cultum vel ob mutuum in caritate solatium convenientes, perfectiùs mori mundo et cæteris tantò diligentiùs, quantò secretiùs vivere Deo elegerunt. Ad hæc etiam Milites Templi Hie-
E rosolymitani, fratres quoque de Hospitali sub religioso habitu continenter viventes, ubique se multiplicando diffundebant, et quæ poterant vel de laboribus propriis vel de fidelium eleemosynis, ad opus Deo militantium, infirmorum quorumque ac pauperum, Hierosolymam petebant *. Sed Præsules Ecclesiarum ac Principes sæculi promptissimè annuebant, vel etiam spontè offerebant terras, prata, nemora, et cætera quæ Monasteriis ædificandis necessaria erant.

* *f.* portabant.

Ecclesia penè S. Mariæ in Episcopatu, totaque penè civitas Noviomensis incendio conflagravit; justo, ut fertur, infortunio, quia summum Pontificem Innocentium verbis irrisoriis multi illorum exhonoraverunt.

Clarevallis duo Cœnobia uno die produxit, scilicet Longipontem et Rievallem, et post paucos menses Vacellas.

* Anno MCXXXII, Fara castrum a Ludovico Francorum Rege obsidione cingitur,

Digitized by Google

a Nonis Maii usque ad VII Idus Julii, nec tamen capitur: tandem affinitatis con- A
fœderatione pacem inierunt. Julgelrannus* quippè ejusdem castri dominus neptem
Radulphi Comitis ex sorore accepit in conjugium.....

* Ingelrannus.

Anno MCXXXIII, eclipsis solis facta est IV Nonas Augusti, feriâ VI, horâ VI.

Anno MCXXXV, Monasterium de Prato fundatum est sub primo Abbate Petro, prima plantatio quam protulit pater Walerannus ex propria domo.

Henricus obiit Rex Angliæ, vir in regni sui administratione singularis severitatis atque censuræ: cui Stephanus de sorore nepos in regnum succedit; sed magnâ parte regni mutilatus, non multò post totam Normanniam amisit. Filia enim Regis Henrici Matildis, quæ primò nupserat Henrico Imperatori, post modùm Giffrido Comiti Andegavensi, ope Regis Francorum Ludovici, Normanniæ Ducatum occupat, et in ipsa Anglia magnas ei molestias et calamitates suscitat: quem etiam bello postmodùm cepit; sed pro Comite Roberto fratre suo, B
a Regina Angliæ capto, eum relaxavit.

Anno MCXXXVI, mare terminos suos egressum, inopinatè submersit cum habitatoribus suis partem Flandriarum (*a*).

Anno MCXXXVII, siccitas tanta fuit in Francia, quantam nemo qui tunc viveret se vidisse, vel ab antecessoribus suis se audisse testaretur, ita ut fontes et putei, quidam etiam fluvii siccarentur....

Comes Pictaviensis Wilhelmus ad sanctum Jacobum in Gallicia orationis causâ proficiscitur, et in sexta feria Parasceve in Ecclesia beati Jacobi moritur, et ante altare sepelitur. Qui moriturus Proceres suos, quos secum habebat, contestatur ut filia sua major Alienordis Ludovico juniori Francorum Regi cum Aquitaniæ Ducatu uxor traderetur, quam prædictus Ludovicus apud Burdegalam, Optimatibus regni præsentibus, jungit sibi nuptiis quàm solemnibus: cujus pater Ludo- C
vicus intra eumdem ferè mensem apud Parisios defunctus, in Ecclesia S. Dionysii ante corpus ipsius est sepultus, Kal. Augusti, XXVIII anno regni sui....

Anno MCXXXVIII, obiit Drogo bonæ memoriæ Ostiensis Episcopus, vir religione ac sapientiâ clarus. Petrus Leonis, qui per schisma Præsulatum Romanæ Sedis contra Innocentium invaserat, et Ecclesiæ Dei magno scandalo jam per octo annos fuerat, Dei judicio percussus obiit, et ab eo ordinatos degradari, nec ultra ad sacros ordines promoveri, Innocentius Papa decrevit.

Hoc tempore, venerabilis vitæ Alexander, primus Abbas Mortui-maris, se et domum suam tradidit Abbati Ursicampi. His temporibus quidam pseudo-Imperator Alemanniæ surrexit, qui per aliquot annos apud Solotorum in reclusione vivens, egressus inde, Imperatorem Henricum se esse mentiendo dixit: et cùm multos seducendo sibi allexisset, in tantum ut pro eo etiam graves pugnæ et D
homicidia fierent, aliis eum recipientibus, aliis seductorem palam profitentibus; tandem declaratâ ejus falsitate, Cluniaci in Monachum attonsus est.

Anno MCXXXIX, Rainaldo Remorum Archiepiscopo defuncto (*b*), Ecclesia Remensis per biennium ferè Pontifice caruit, et tandem hoc anno Samson, de Clero Ecclesiæ Carnotensis, Remensem Præsulatum suscepit.

Habitaculum servorum Dei, in loco qui dicitur ad Montem Dei, construitur.

Florebat hoc tempore Gallicana Ecclesia per viros religione ac sapientiâ illustres, Milonem Morinensem Episcopum, humilitatis virtute præcipuum; Aluisum Atrebatensem, liberalitate atque consilio et facundiâ clarum; Godefridum Lingonensem, Hugonem Autissiodorensem, Joslenum Suessionensem, Giffridum Carnotensem, Albericum Biturícensem Archiepiscopum, scientiâ litterarum atque consilii prudentiâ clarissimum. Inter hos etiam alios multos tunc claros E
scientiâ viros, Bernardus Abbas Clarevallensis, vir opinatissimæ religionis, eminentissimè clarebat: qui multorum miraculorum patrator et verbi Dei ferventissimus prædicator, atque plurimorum Monasteriorum fundator, animarum lucra maxima Deo adhibebat, adeò ut magistri scholarum, cum magno Clericorum comitatu, etiam de longinquis regionibus ad ejus optabile magisterium confluentes, centenario vel ampliori novitiorum numero domum probationis implerent, et uno die Quadragesimæ Monachi fierent.

Anno MCXL, Senonis, petente Rege Ludovico, Episcoporum et Abbatum religiosorum fit conventus contra Petrum Abaelardum, qui quâdam prophanâ

(*a*) Id anno 1134 contigisse cæteri narrant historici.

(*b*) Rainaldus, Remensis Archiep. an. 1138 mortalitatem explevit, Idibus Januarii.

Digitized by Google

A verborum et sensuum novitate Ecclesiam scandalizabat : qui ab eis interpellatus, cùm esset responsurus, de justitia veritus, audientiam Apostolicæ Sedis appellavit. Et sic evadens, non multò post Cabilloni ad Sanctum Marcellum obiit (*a*).

Inter Regem Ludovicum et Comitem Theobaldum simultatis germen pullulat, pro eo quòd Comes cum Rege in Aquitanicam expeditionem proficisci detrectat (*b*).

Cœnobium S. Mariæ de Frigido-monte a piæ memoriæ Waleranno, primo Abbate Ursicampi, fundatum est sub electo patre Manasse.

Hugo Parisiensis, S. Victoris Canonicus, religione et litterarum scientiâ clarus, et in septem liberalium artium peritiâ nulli sui temporis secundus, obiit (*c*). Qui inter multa, quæ utiliter scripsit, etiam librum de sacramentis valdè necessarium, duobus voluminibus comprehensum, edidit.... Petente etiam Rege Ludovico, explanavit hierarchiam S. Dionysii Martyris, multis obscuritatibus plenam.

B Anno MCXLI, Rogerius de Sicilia, post occupatum Calabriæ et Apuliæ Principatum, Papam Innocentium bello capit; et factâ cum eo qualicumque pace, ut ab eo in Regem coronaretur obtinuit. Sicque primus de Normannorum genere Regis sibi nomen usurpavit....

Castrum Bullonium, quod Rainaldus Comes [Barrensis] injustè tenuerat, capitur ab [Adalberone] Episcopo Leodii.....

Ortâ dissensione inter Papam Romanum et Francorum Regem Ludovicum, Ecclesia Gallicana turbatur. Defuncto enim Alberico Bituricensi Archiepiscopo, missus est Petrus a Papa Innocentio eidem Ecclesiæ Pastor consecratus; sed a Rege Ludovico repudiatus, eò quòd sine ejus assensu fuerit ordinatus, in civitatem minimè recipitur. Cujus partes, quia propter reverentiam seu voluntatem Papæ Comes Theobaldus fovere videbatur, simultas quæ sopita videbatur, inter

C Regem et ipsum cœpit repullulare.

Anno MCXLII, Radulphus Viromandorum Comes uxorem suam dimittit, et sororem Reginæ Petronillam ducit; propter quod, instantiâ Comitis Theobaldi, mittitur Romanæ sedis Ivo Legatus, qui et Radulphum Comitem excommunicavit, et Episcopos Laudunensem Bartholomæum, Noviomensem Simonem, et Petrum Silvanectensem, qui divortium illud fecerant, suspendit.

Obiit pater Walerannus Abbas Ursicampi, fundator duarum Abbatiarum, exceptâ tertiâ, quam sibi adoptavit in filiam.

Anno MCXLIII, Ludovicus Rex Vitriacum castrum Comitis Theobaldi capit; ubi igne admoto, Ecclesia incensa, et in ea mille trecentæ animæ diversi sexûs et ætatis sunt igne consumptæ : super quo Rex Ludovicus misericordiâ motus, plorasse dicitur, et hac de causa peregrinationem Hierosolymitanam aggressus a quibus-

D dam æstimatur : castrum verò Odoni Campaniensi (*d*) contulit, nepoti Comitis Theobaldi, qui patrocinium * ab ipso sibi ereptum per Regem Ludovicum hâc occasione recuperare voluit.

* *Leg.* patrimonium.

Obiit Papa Innocentius, cui succedit Wido Castellanus, Cœlestini nomine alteratus.... Pax reformatur inter Papam et Regem Ludovicum.

Anno MCXLIV,... mediante Abbate Clarevallis, simultas quæ inter Regem Ludovicum et Comitem Theobaldum incanduerat, sopitur. Inter Regem Angliæ et fautores Matildis Henrici Regis filiæ variâ sorte confligitur, et regnum illud, quod præ cæteris aliquandiù quietum manserat et opulentum, ferro, flammâ, fame miserè decerpitur.

Anno MCXLV, Lucius Papa... infra annum Pontificii sui moritur : cui succedit Abbas S. Anastasii Bernardus, Clarevallensis patris Bernardi in conversione filius,

E et Papa vocatur Eugenius; contra quem Romani Jordanum Patricium et Sena-

(*a*) Die 21 Aprilis an. 1142.

(*b*) Aquitanica hæc expeditio haud alia est ab ea quam adversùs Alphonsum Tolosæ comitem molitus est Ludovicus, de qua Ordericus his verbis ad an. 1141 : *Ludovicus* Juvenis *Francorum Rex ingentem exercitum congregavit, et ad festivitatem sancti Joannis-Baptistæ Tolosam obsidere perrexit, et in Consulem Andefonsum Raimundi filium prœliari contendit.*

(*c*) Id est, anno Domini 1141 a Kalendis Januarii inchoato. Osbertus enim Hugonis æqualis ac socius, in epistola de ejus obitu scripta hunc annum indicat, diem Hugonis emortualem signans his verbis : *Transivit autem venerabilis et eruditissimus Doctor Hugo in confessione Summæ Trinitatis tertio Idus Februarii, feriâ tertiâ, horâ tertiâ.* Dies enim tertius Idus Februarii, sive undecimus ejusdem mensis anno 1141 in feriam tertiam cadebat. *Vita Hugonis Vict. initio ejus operum.*

(*d*) Odo ille, dictus etiam Archembaldus, patrem habuit Guillelmum, Henrici Stephani Carnotensis Comitis natu majorem filium : qui cùm hæreditate paternâ, matris artibus, frustratus esset ob deformitatem corporis animique hebetudinem, Agnetem Gilonis toparchæ Soliaci filiam et hæredem duxit in matrimonium, caputque novæ de Soliaco domûs exstitit. Hujus ergo filius Odo-Archembaldus ereptum patri suo injustè carnotensem comitatum adversùs invasorem illius patruum suum Theobaldum vindicabat, et Vitriaci interim compos effectus est.

Digitized by Google

tores erigentes, eum ab urbe deturbant; qui transalpinando in Gallias venit. A

* Edessæ. Anno MCXLVI, Rex Francorum Ludovicus, captæ a Turcis Mesopotamiæ * zelo accensus, litteris etiam Eugenii Papæ animatus, atque (ut alii putant) Vitriacensis incendii conscientiâ compunctus, apud Vizeliacum affixo sibi crucis signo, cum Principibus regni et multitudine innumerabili transmarinam peregrinationem aggredi proponit. Interim Abbas Clarevallis a Papa Eugenio per Gallias missus, suâ prædicatione animos fidelium ad aggrediendam viam Domini commonebat, cui etiam Dei gratia ad signa facienda comes efficax erat.

Ecclesia Tornacensis, quæ per annos circiter sexcentos, a tempore beati Medardi, sub Episcopo Noviomensi sine proprio fuerat Sacerdote, hoc anno proprium Episcopum cœpit habere, Anshelmo Abbate sancti Vincentii Laudunensis a Papa Eugenio Romæ consecrato, et eidem civitati in Episcopum destinato.

Fames permaxima grassatur in Gallia, in qua Ecclesiarum Christi enituit libe- B
ralis munificentia, quæ in sustentatione pauperum multa expenderunt modiorum
* *Morimond.* millia. Quo tempore in Lingonensi Parochia apud Moriandum *, ubi pauperes innumeri quotidianâ stipe alebantur, quidam homines occidisse et eorum carnes coctas vendidisse deprehensus, a pauperibus patibulo est appensus....

Anno MCXLVII,... navalis Dei exercitus, ex Anglia, Flandria atque Lotharingia collectus, secundo Idus Aprilis de Tredemundo portu Angliæ cum cc. ferè navibus profectus, IV Kal. Julii in vigilia Apostolorum Ulixisbonam applicuit, et eam, post quatuor mensium obsidionem, per multas cædes et multam maceratione, Dei virtute et suâ industriâ capiunt; et cùm de ipsis tantùm essent tredecim millia, hostium ducenta millia et quingentos superantes, ingressi cum hymnis Ecclesiam dedicantes, Episcopum ibi et Clericos ordinaverunt.

Rex Franc. Ludovicus, III Kal. Junii in Pentecoste, peregrinationem aggressus, C
cum infinitis et expeditis suorum millibus, etc. (*ut in chron. Turon. T. XII. p.* 473.)

Eclipsis solis fuit VIII Kal. Novembris, die Dominicâ, ab hora secunda usque ad horam quintam.

Anno MCXLVIII,... Aluisus Atrebatensis Episcopus, vir honestæ vitæ et scientiâ clarus, apud Philippipolim obiit. Simon quoque gloriosus Noviomensis Pontifex apud Seleuciam diem claudit, cui succedit Balduinus Boloniensis, Abbas Castellionis.

A Papa Eugenio Remis XI Kal. Aprilis Concilium celebratur, in quo hæreticus quidam de Britannia adductus damnatur, qui se Prophetam vel magnum quemlibet, et nomini suo alludens (*Eon* enim dicebatur) eum qui venturus est judicare vivos et mortuos et seculum per ignem se esse dicebat, et de suis quos- D
dam quidem Angelos, alios autem Apostolos faciebat, et propriis Angelorum
seu Apostolorum nominibus appellabat. Qui in Concilio damnatus, sub custodia Remensis Archiepiscopi non multò post defunctus, vitâ pariter caruit et memoriâ. Contra Gislebertum quoque Pictavorum Episcopum, qui cùm esset scholarum magister nominatissimus, multa quidem utilia scripserat, sed quodammodo novâ subtilitate verborum in ipsis suis scriptis scandalizabat Ecclesiam, multa sunt dicta et disputata; unde et quædam, quæ defendere non præsumpsit vel non potuit, ab ipso sunt damnata....

Hildefonsus Comes S. Ægidii cum navali exercitu Palestinam applicuit, et cùm magnum quid facturus speraretur, etc. (*ut in chronico Turon.*)

Anno MCXLIX,... Henricus Ludovici Francorum Regis germanus, contempto mundi schemate, pro Christo in Claravalle indutus monachali schemate, pro- E
vehitur ad Episcopatum civitatis Belvagicæ....

* *Corr.* VIII. Eclipsis lunæ fuit XI * Kal. Aprilis circa horam nonam noctis, Sabbato ante ramos Palmarum, et ventorum intemperies secuta est per quatuor continuos dies.

Ludovicus Rex Francorum, a Palestina navigans ut in patriam rediret, Græcorum naves incurrit, etc. (*ut in chronico Turon.*)

Anno MCL, Bartholomæus Laudunensis Episcopus, XXXVIII anno sui Epis-
* *Foigni.* copatûs, contempto mundi schemate, Fusinaci * induitur monachali schemate....

Habitis per Franciam conventibus, annuente etiam Papâ Eugenio ut Abbas Claræ-vallis Hierosolymam ad alios provocandos mitteretur, grandis iterùm sermo de profectione transmarina celebratur, sed per Cistercienses Monachos totum cassatur.

Anno MCLI, Lauduni fit Episcopus Walterus, Abbas S. Martini; et Godescalcus, Abbas de Monte S. Martini, Attrebati.

Digitized by Google

A Illustres religione et prudentiâ viri obeunt, Sugerius Abbas S. Dionysii (*a*), Rainaldus Cistercii, Odo S. Remigii. Episcopi obeunt moribus et scientiâ clari, Hugo Autissiodorensis et Joslenus Suessionensis (*b*).

Giffridus Comes Andegavorum, post simultates habitas cum Regĕ Ludovico factâ pace, infra unius mensis spatium obiit. Obiit (*c*) etiam nobilis et religiosus Princeps et pauperum pater Comes Theobaldus. Multi quoque nobiles hoc anno moriuntur. Hanc optimorum virorum migrationem fortè significavit, quod in pago Suessonico eodem anno accidit. Cùm enim hyemali gelu terra vehementer induruisset, cespes plurimæ longitudinis et latitudinis de terra subitò avulsus, longè ad alium locum est translatus.

Anno MCLII,... Adalbero Treverorum Archiepiscopus, vir magnanimus et singularis censuræ obiit*.... * die 15 Januarii.

B Rex Francorum Ludovicus, zelotypiæ spiritu inflammatus, juratâ consanguinitate, uxorem suam repudiat; quam quia contra ejus voluntatem Henricus Dux Normanniæ ducit, magna inter eos simultas excandescit. Hâc quippè occasione Ducatum Aquitaniæ amisit, æmulus autem illius eum obtinuit....

Illustris vir Radulphus, Comes Viromandorum, obiit.

Anno MCLIII,... Rex Francorum Ludovicus cum nimio exercitu Normanniæ fines aggressus, castrum Vernum in deditionem recipit. Interim Dux Normanniæ in Angliam contra Regem Stephanum fortiter agens, tandem cum eo pacem facit, ita ut vivente Rege post eum secundus in Anglia, mortuo succedat....

Venerandæ memoriæ Bernardus Abbas Claræ-vallis, post claros actus et multarum animarum lucra, post multa fundata Monasteria et plurima miraculorum signa exhibita, beato fine quievit *. Ex cujus discipulis cùm plures ad Ar- * die 20 Augusti.
C chiepiscopatum vel etiam Papatum promoti fuerint, ipse tamen nunquam Episcopus sive Archiepiscopus esse voluit, licèt atque invitatus et multoties et multis in locis.

Urbem Cameracum, post multorum civium captionem, Theodericus Flandriæ Comes recepit.

Vir religiosus Walterus Laudunensis Episcopus, multarum fundator Abbatiarum, migrat ad Dominum, et Præmonstrati sepelitur, ubi quondam pro Christo paupertatis sumpsit habitum. Cui succedit Galterus Laudunensis Decanus.

Anno MCLIV,... Rex Francorum Ludovicus Henricum Ducem Normanniæ ad pacem recipit: qui in brevi, mortuo Rege Stephano, Angliam intrat, et regni integritate potitus, pacem antiquam reformat.

Robertus de Botua *, vir omni plenus nequitiâ, nepotum suorum castra ingres- * *de Bove.*
D sus, dolosè tyrannidem exercet in terra. Qui spiritu etiam zelotypiæ succensus, quemdam hominem suum satis fidelem, cum alio viro et una muliere, intra domunculam comburendos jubet includi. Illi verò instar antiquorum trium puerorum, domo ardente et flammâ super capita eorum in modum lucidæ nubis volitante, illæsi permanserunt. Quos foras egressos cùm persequeretur iniquus ille minister, cui dominus suus hoc facinus injunxerat, et evaginato gladio unum ex eis ferire voluisset; repentè quædam invisibilis persona retrò eum per comam capitis apprehendit, et cum equo cui insidebat in terram præcipitem dedit. Unde et mox ad Sanctum Jacobum se iturum esse spopondit, sed et illi quos propria conservavit innocentia, gratiam Dei non in vacuum accipientes, vitam suam in melius mutaverunt....

Luna passa est eclipsim II Kal. Junii *, in posterioribus partibus Geminorum. * *Corr.* V Kal. Julii.
E Anno MCLV, in partibus Burgundiæ, XV Kal. Februarii *, tertiâ feriâ, ter * *Al.* Martii.
in una nocte fuit terræ motus, quo etiam diversa ædificia dicuntur esse subversa. (*Cætera deinceps concordant cum Roberto de Monte editionis Acherianæ* (*d*), *ex quo sunt mutuata.*)

(*a*) Anno Domini 1152 a Januarii Kalendis incœpto Sugerium, Idibus seu die 13 Januarii, obiisse superiùs demonstratum est.

(*b*) Ad annum sequentem Josleni obitum rejicit Nangius, eumque IX Kal. Augusti alligat Suessionensis Ecclesiæ necrologium.

(*c*) Die 8 Januarii anni 1152 a Januarii Kalendis inchoati, Theobaldus mortalitatem explevit.

(*d*) Excepto sequenti articulo, ab alio quodam interpolato. « Anno ab Incarnatione Domini » MCLVII, XV Kal. Julii, processit conventus cum » Abbate suo Richardo de Blosevilla a Mortuo- » mari, missus a domno Stephano tunc Abbate » Mortui-maris, et venit in hunc locum, qui di- » citur Votum, situm in territorio Rotomagensi. » Multis namque precibus Mathildis Imperatrix, » filia magni Henrici Regis Angliæ, et mater illustris Henrici Regis Angliæ, a prædicto Ste- » phano Abbate Mortui-maris obtinuit, ut Con- » ventus inde mitteretur ad construendam Abbatiam Cisterciensis Ordinis, ad laudem et honorem Dei et B. Mariæ, omniumque Sanctorum ».

Digitized by Google

A

EX BREVI AD SIGEBERTUM

APPENDICE AD AN. MCLXII.

Apud Labbeum Tom. I Novæ Bibliothecæ mss. pag. 390.

MCXIII, domnus Sigebertus (*ut supra pag.* 266.)

MCXV, domnus (*a*) Ivo Carnotensis Episcopus obiit.

MCXXXV, defuncto Rege Anglorum Henrico, qui filium non habebat, successit ei Stephanus nepos ejus. B

MCXXXVII, Ludovicus Francorum Rex obiit : cui Ludovicus filius ejus, quem et ipse adhuc vivens a Papa Innocentio Remis ante aliquot annos consecrari fecerat, in regnum succedit....

* *Corr.* 1147. MCXLVI *, facta est eclipsis solis v Kal. Novembris, horâ tertiâ, die Dominicâ. Concilium (*b*) Remis, præsidente Eugenio Papâ, qui in Franciam venerat. Ludovicus Francorum Rex Hierosolymitanum iter aggressus, Saracenorum passus injurias, cum magno suorum dispendio rediit.

MCXLIX, Henricus, Ludovici Regis senioris filius, fit Episcopus Bellovacensis. Hic enim Henricus, cùm in maxima quadam esset prosperitate et juvenis, fit Monachus Cisterciensis.

MCL, congelatis segetum radicibus, fit maxima frugum inopia.

MCLII, obiit Theobaldus Trecassinorum Comes gloriosus.... C

* MCLIV. MCLIII *, Stephanus Rex Anglorum moritur : cui succedit Comes Henricus Andegavorum, Comitis Gaufridi filius.

* MCLIX. MCLVII *, magna contentio inter Regem Francorum et [Regem] Anglorum pro Tolosa civitate.

MCLVIII (*c*), eclipsis lunæ XIV Kal. Septembris.

MCLXII, obiit Samson Remensis Archiepiscopus, vir scientiâ et sanctitate clarus.

(*a*) Obiit Ivo Carnotensis anno 1117. Vide Robertum de Monte in chronico.

(*b*) Concilium Remense habitum est an. 1148. Ludovicus Jerosolymam petiit anno 1147. In Franciam anno 1149 rediit.

(*c*) Nulla in tabulis astronomicis eclipsis lunæ eo anno XIV Kal. Septembris. Hæc ad an. 1160 pertinet : quæ quidem XV, non XIV Kal. septembris contigit.

D

E GUALTERI (*a*) TERUANENSIS ARCHIDIACONI

VITA B. CAROLI BONI FLANDRIÆ COMITIS.

Inter Acta Sanctorum Bollandiana, die 2 *Martii, pag.* 163.

Num. 3. An. 1127. ANNO itaque Verbi Incarnati MCXXVII, Indict. V, sexto Nonas Martii, terræ nostræ pace sublatâ, quiete turbatâ, deletâ honestate, extinctâ omni ferè felicitate mortalium, guerrarum, laborum, turpitudinum, et totius infelicitatis detestabile cœpit exordium. Eodem enim ipsius anni die, in unius vita multorum vitæ periclitatæ, et ex unius indebita morte multorum, justo Dei judicio, mortes E debitæ terribili quâdam generatione sunt propagatæ.... Ipso enim die, in plurimorum perniciem, execrabili quorumdam scelere interfectus est Brugis in Ecclesia S. Donatiani Carolus Comes Flandriæ, filius Canuti Martyris, Regis quondam Daciæ, et Adelæ Reginæ, quam postea duxit uxorem Rogerius Dux Apuliæ. Ut autem interfectionis ejus occasionem, et cœlestis vindictæ animadversionem,

(*a*) Si qua planè historia omnium suffragiorum puncta tulit, ea certè est quæ a coævis et indigenis autoribus defluxit. Ejusmodi sunt acta quæ, mandato Joannis Morinorum Episcopi, an. 1130 demortui, et ipsi dicata, de Caroli Flandriæ comitis vita, nece et subsecuta in reos animadversione, scripsit Gualterus Morinensis Ecclesiæ Archidiaconus, ut certiora de quoquam sperare vix liceat. Is enim statim post Comitis necem calamo manum admovisse videtur, prosecutus, ut ipse loquitur in fine, illa quæ *infra duos ferè post mortem Comitis menses consummata sunt*. Narrat etiam n° 29 se ex mandato comitis Ipram evocatum, ipsi triduo ante necem adfuisse; quia tamen Brugis non aderat, cùm pius comes occisus est, Deum testatur n° 45, se quæ de morte ejus et miraculis retulit, virorum religiosorum, qui ea se vidisse affirmabant, cognovisse testimonio.

Digitized by Google

A in mortis ejus auctores terribiliter exertam, evidentiùs possimus ostendere, narratiunculæ nostræ exordium paulò superiùs libet repetere.

Pater ergo ipsius Rex prædictus, postquam suorum perfidiâ in ea, ad quam timore mortis confugerat, occisus est Ecclesiâ *, Domino per eum operante signa et prodigia, inter Martyres computatus apud Dacos, ex tunc et hactenùs in magna veneratione est habitus. Regina verò cum hoc filio suo parvulo ad patrem suum Robertum strenuissimum Marchionem, Roberti quondam Francorum Regis ex filia Adela nepotem, cognomento Frisonem, et matrem nobilissimam Gertrudem, clarâ Saxonum stirpe progenitam, in Flandriam reversa, ibique aliquanto tempore morata, memorato Duci Rogerio a parentibus est nuptum data : cui et filium nomine Guillelmum peperit, qui patri defuncto in Ducatum successit, et honorem acceptum morum ingenuitate et strenuitate
B multipliciter nobilitavit. Sed audito unici sui germani exitu, primùm quidem inconsolabiliter dolere, deinde etiam ipse cœpit letaliter languere. Qui ut se periclitari cognovit, Salernitanum Archiepiscopum et Trojanum Episcopum advocavit, atque quod antea, dum incolumis esset, fecerat, eorum quoque testimonio desiderans confirmari, quidquid mobilium vel immobilium in terra possidere videbatur, B. Apostolorum principi Petro, ejusque Vicario sanctissimo Papæ Honorio, ex cujus ore sacro hoc ipsum frequenter audivi, jure perpetuo possidendum delegavit, ac deinde in confessione Domini ab hac luce migravit (*a*). *Num.* 4. * An. 1086.

Hic autem noster Carolus, annis pueritiæ transactis, adultus, postquam militiæ cingulum accepit, Hierusalem sanctum sepulcrum Domini visitaturus devotus adivit, ibique adversùm Paganos fidei nostræ inimicos arma ferens, Christo Domino aliquanto tempore militavit, et ei cui præ omnibus serviendum esse
C prudenter advertebat, suorum primitias laborum et actuum dedicavit. Mox Divinâ ordinante dispositione, ad avunculum suum Robertum juniorem Marchionem in Flandriam revertitur, et ab illo eo quo talem juvenem decebat honore suscipitur. *Num.* 5.

Cujus gloriosi Principis quia mentionem nunc incidenter fecimus, operæ pretium videtur esse, ut quædam ejus virtutum insignia vel breviter commemoremus. Hic est enim Robertus ille Comes inclytus, superioris Roberti Frisionis filius, qui, audito illo sancti et omnium sanctorum memoriâ recolendi Claro-
D montensis Concilii decreto, de venerabili scilicet Dominicæ passionis et resurrectionis loco a Paganorum manibus eruendo, et christianæ fidei vindicando, continuò uxorem et liberos, postremò cuncta quæ in mundo possidebat, Christi Domini servitio postponenda evangelicè doctus judicavit; et crucis ejus in humeris bajulando insignia, ac ipsius etiam corporalia quà poterat sequendo vestigia, illud Apostolicæ Sedis mandatum totâ fidei adimplere constantiâ, cum illis quos eadem inspiraverat gratia, alacriter properavit. In qua expeditione et urbium terræ illius, præsertim Antiochiæ et sanctæ Hierusalem, expugnatione innumera fortitudinis et probitatis suæ præclara dedit indicia, quorum nonnulla illa quæ de gestis Francorum Hierusalem pro Christo expugnantium scripta est, comprehendit historia : ex qua ad laudem ejus hoc solum satis est commemorari, quòd ob invincibilem animi constantiam ab ipsis quoque Arabibus ac Turcis S. Georgii filius scribitur appellatus. Igitur incredulis nationibus manu Domini validâ debellatis, et in sancta civitate Arnulfo Patriarchatûs honore, Godefrido Duce regni diademate sublimatis, Domino prosperante, in propria remeavit, et terram suam reliquo vitæ suæ tempore, magnâ insignis modestiâ, feliciter
E gubernavit. *Num.* 6. *Num.* 7.

Post prælibatam autem Caroli nostri susceptionem brevi tempore evoluto, in Francia apud urbem Meldorum paucis diebus ægrotans obiit (*b*), et in Monasterio B. Vedasti civitate Atrebatum magno cum luctu universorum sepultus, filium suum, quem ex nobilissima conjuge sua Clementia susceperat, Balduinum adolescentem hæredem reliquit. Qui non multò post a Rege Ludovico muneris militaris et paternæ hæreditatis donum adeptus, domini Caroli consiliis præcipuè usus et institutionibus instructus, ad tantam fortitudinis et strenuitatis eminentiam in brevi excrevit, ut omnibus probitatem ejus attenden- *Num.* 8.

(*a*) Guillelmus Dux Apuliæ, eodem an. 1127, quo uterinus frater ejus Carolus interfectus est, die 20 Julii mortalitatem explevit.

(*b*) Annum 1111 Roberti emortualem assignavimus T. XII. post Meierum et alios : at diploma anno seq. 1112 ab eo signatum ostendit Oliverius Vredius, de sigillis Comitum Flandriæ p. 9, eoque anno eum obiisse statuit.

Digitized by Google

tibus appareret mirabilis, et finitimis quibusque, non solùm Comitibus ac Du- A
cibus, sed ipsis quoque Regibus omninò fieret formidabilis. Cujus sicut virtus
supra modum ætatis ejus subitaneis incrementis enituit, sic occultâ Dei dispo-
* An. 1118. sitione cœptis ejus obviante, diu durare non potuit. Eo enim tempore * Guil-
lelmum exhæredatum, filium scilicet Roberti Comitis, filii Guillelmi Regis
Anglorum, cognomento Pileati (quem videlicet Robertum ex Mathilde Re-
gina, præfati Roberti Frisionis germana, sicut et fratres ejus Guillelmum et
Henricum [Guillelmus] genuerat, quemque idem frater ejus Henricus Rex
Anglorum captivum tenebat) ipsum, inquam, Guillelmum adolescentem
in sui tutelam patrocinii susceperat, et armis eum militaribus instruxerat. Et
quia ei hæreditatem suam Normanniam, patruo ipsius, qui eam post patris ipsius
captionem obtinuerat, totis renitente viribus, restituere proposuerat, gravibus
eam et crebris incursionibus infestabat : cujus jam partem magnam cum oppidis B
et munitionibus sibi subegerat, reliquam ferè omnem, ipso Rege Henrico nec
armorum fortitudine nec opum amplitudine defendere valente, gladii sui timore
Prov. xxi 30. mirum in modum contremiscere cogebat. Sed verè, ut ait Propheta, *non est fortitudo, non est consilium contra Deum* : verè solus potens est, qui omnium
Num. 9. potentiam, quandò vult et quomodo vult, adnihilare potens est. Cùm enim
tanta ageret, et multò majora disponeret, scuto ipsius, ut aiunt, ictu adversi
cujusdam militis fronti ejus eliso, et in ipsa illisione modico, in eo quo salu-
tiferum crucis signum imprimi consueverat loco, tumore oborto, totum illud
tantæ potestatis, quod quasi in montem magnum tam citò excreverat, culmen
citiùs detumuit, et sicut fumus ad modicum parens evanuit. Nam medicorum
curâ quotidie in pejus proficiente, ægrotare cœpit; et tandem in villa Rosilaria
(*a*) monachatûs habitum summa cum devotione humilique supplicatione adep- C
tus, cum illo quo circiter decem mensibus fatigatus fuerat languore, anno Do-
* An. 1119. mini MCXIX, XV Kal. Julii vitâ defecit, et ad Monasterium S. Bertini delatus,
cum immenso omnium Procerum terræ fletu et miserabili planctu, ante altare
S. Crucis, XIII Kal. ejusdem mensis, sepulturam accepit.

Num. 10. Verumtamen, quamvis matre suâ [Clementiâ] cum quibusdam aliis assentien-
tibus, ob amorem Guillelmi [Iprensis] filii Comitis Philippi, filii prælibati
Roberti Frisionis (qui neptem ipsius Comitissæ uxorem duxerat, quemque ipsa
filio succedere maximè optabat) plurimùm renitente, antequam ab hac luce
migraret, hunc virum gloriosum, de quo agere proposueramus, Carolum, cujus
probitatem priùs et industriam in multis sæpè probaverat, sibi ipse [successo-
rem] instituerat, eique rerum omnium summam regendam ac disponendam
tradiderat; cui etiam priùs nobilem puellam Margaretam, Rainaldi Comitis Cla- D
romontensis filiam, matrimonio copulaverat, et Comitatum Ambianensem cum
castello Incrensi (*b*) donaverat. Quæ omnia non tam illius juvenis, quàm superni
judicis æstimaverim gesta ordinatione, qui juvenilis animi et maturis consiliis
minùs idonei voluntatem quò voluit, occultâ suâ inclinavit inspiratione.....

Num. 11. Etenim postquam eo quo præmissum est ordine, istius gubernacula terræ re-
genda suscepit, continuò Clementia Comitissa, prætaxatam ob causam cæcâ stimu-
lata invidiâ, Lovaniensi Duci (*c*), quorumdam etiam Procerum terræ sibi suffra-
gante perfidiâ, matrimonii fœdere se sociavit, et pactum concordiæ, quod inter
Carolum et eam filius ejus Marchio Balduinus in ultimis agens composuerat,
* Balduino III. dissipavit : ac marito sibi cum Comite Montensi * annuente, et Rege Franciæ
Ludovico, occultè tamen, ut a multis putatum est, cœptis ejus favente, de
finibus Flandriæ, cujus circiter duodecim oppida tunc ipsa tenebat, eum expel- E
lere paravit. Hugo quoque Comes S. Pauli, cognomento Campus-Avenæ (*d*),
hac suæ malitiæ exercendæ opportunitate perspectâ, antiqua et inveterata priùs

(*a*) Oppidum satis amœnum Flandriæ, in ditione Iprensi versùs Brugas, aliquibus Rollarium dictum, Carolo Calvo, *Roslar in terra Menapiorum*; Flandris *Roussellare*, Gallis *Roullers*.

(*b*) Castrum *Encres* a Balduino Comite donatum fuisse Carolo consobrino suo an. 1115, legimus in appendice Anselmi ad Sigebertum. Hinc Carolus ab Orderico Vitali de *Anchora* cognominatus, antequam Flandriæ Comitatum esset adeptus. Est autem Incra seu Encra in eadem cum Ambiano provincia versùs Artesiam ad amnem cognominem, qui propè Corbeiam Somonæ miscetur. Comitatu verò Ambianensi, si quidem eo potitus unquam fuit, Carolum ab alio quàm a Rege Ludovico donatum fuisse negamus.

(*c*) Godefrido Barbato, cui Henricus V Imperator Ducatum Brabantiæ et inferioris Lotharingiæ, itemque Marchionatum Antuerpiensem an. 1106 donarat, Henrico Limburgensi capto priùs et exauctorato an. 1105.

(*d*) Odii causam aperit Auctarium Anselmi ad chronicon Sigeberti, quòd nempè castrum *Encres* sibi ablatum Carolo tradidisset Balduinus cognomento Securis.

contra

Digitized by Google

A contra eum odia renovare, partes sibi terræ contiguas incursare, et tam incendiis quàm rapinis vehementiùs solito cœpit more suo omnia devastare.

His ergo omnibus in exterminium ejus unanimiter conspirantibus, et sævos guerrarum tumultus circumquaque in perniciem nostræ gentis excitantibus; ipse qui occulto suæ virtutis judicio dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, et reprobat consilia Principum, prospexitde excelso sancto suo Dominus.... Fideli namque suo Carolo et contra eos bellandi imperterritam confidentiam, et universos debellandi insuperabilem propitius concessit potentiam. Omnis enim ille bellorum circumfrementium strepitus, quantâ suscitatus fuerat superbiæ feritate, tantâ in brevi repressus est victoriæ celeritate. Mirabiles siquidem elationes maris, mirabilis in altis Dominus. Neque enim tam mirandum arbitror, quòd tantorum motus Principum, et eos pertinacissimè
B insurgentes, in brevi represserit, quàm quòd universis illis, absque omni ferè sanguinis effusione, summum sui terrorem incusserit. In tantum, ut post qualescumque pacis conditiones ab eo impetratas, nullus eorum rebellionem vel semel reparare, aut id de se suspicandi tenuissimam dare occasionem ausus fuerit. *Num.* 12.

Comitissa itaque, et infeliciùs jam Ducissa, inopinatis viri successibus pressa, pacem ab illo petere, et quatuor oppidorum suorum, scilicet Dichesmudam *, et Bergium *, Ariam et S. Venantium, ei guerpire coacta est, et quæ priùs per guerram disposuerat aliena injustè obtinere, suis magna ex parte amissis, reliquo contenta didicit pace gaudere. Ipse tamen ei sicut omnibus fidem integram conservavit, et cum omni honore eam deinceps et humanitate tractavit. *Num.* 13. * *Dixmude.* * *Berg. S. Wenoc.*

Hugone verò in sua protervia perseverante, S. Pauli castrum postmodùm sibi traditum destruxit, et munitiones omnes in planitiem redegit, et ipsum in
C posterum quietiùs degere, et agriculturæ, quam priùs circumquaque debacchando inhibuerat, operam dare invitum coegit. Sed postea, ut dicunt, necessitate in voluntatem commutatâ, hic ipsum visus est libenter amplecti, et quamdiu idem Princeps advixit, commodiùs arbitratus est pacis securitate gratulari, quàm rapinarum et incendiorum jacturis turbare et turbari. *Num.* 14.

Gualterum quoque Heşdinii Comitem, consuetâ fatuitate et vecordiâ etiam ipsum rebellionem parare, et cum Hugone conspirare deprehensum, non solùm castro, sed et patriâ expulit, et alium ei successorem statuit (*a*). Verùm ultimo vitæ suæ anno ejus misertus, redditus aliquos competentes ei concessit, ad sustentationem necessariam victûs. Comitem quoque Montensem (*b*), et Thomam Comitem Codiciacensem (*c*), partes nostras pro viribus inquietare consuetos, tantâ strenuitate perdomuit, ut non tantùm ab injuriis aliis inferen-
D dis temperarent, sed et sibi fortuitu illatas, vellent, nollent, quieti tolerarent. Sic ergo universâ perturbatione guerrarum auxilio Dei sedatâ, in conspectu ejus siluit terra. *Num.* 15.

Quâ pacis tranquillitate potitus, qualem se quantumque exhibuerit, verbis explicare nequaquam sufficio. Deo namque devotus, cunctis servis ejus, Ecclesiarum videlicet Prælatis et quibuslibet Religiosis, omni se humilitate substernebat, et eorum mandatis reverenter obediens, correptiones quibus eum pro loco et tempore redarguendum arbitrabantur, patienter et humiliter sustinebat, et emendationem in posterum et cautelam tota cum mansuetudine promittebat.... *Num.* 16.

Ecclesias etiam et suæ potestatis homines, secundùm pravam aliorum Principum consuetudinem, exactionibus quibuslibet non solùm non gravabat, sed publicis omnium utilitatibus intentè providendo multipliciter relevabat, omnibusque in
E commune pii more patris sollicitè providebat. Quod sanè vel per hoc probari potest, quia cùm illis duobus annis ante mortem ipsius præteritis, terræ sterilitas et messium raritas magnam alimentorum penuriam induxisset; ipse agricolis *Num.* 17. *Num.* 18.

(*a*) Hesdinum sive Hesdinium, antiquum hodiernæ Artesiæ oppidum, suos olim habuit Comites. Ex his an. 1065 Walterus Comes subscripsit diplomati Comitis Ghisnensis, apud Chesnium in hac familia. Post hunc Ingelrannus Comes Hesdiniensis, Ecclesiam Monasterii Alciacensis (*Auchi*) a barbaris destructam, an. 1072 instauravit, et an. 1079 ratas habuit donationes huic Monasterio factas. Ingelrannum Gualterii, de quo hìc sermo, avunculum fuisse asserit Balduinus Comes Flandriæ, in diplomate an. 1112, quo terram ei suam reddit. Hinc sæpiùs rebellasse videtur, antequam a Carolo Comite ob rebellionem expelleretur, et successor ei daretur Anselmus.

(*b*) Erat is Balduinus III, Balduino Hierosolymitano et Idâ natus, cui Flandria hæreditario jure debebatur.

(*c*) Thomam Codiciacensem Toparcham *Ambianensis urbis dominio* a Rege Ludovico VI spoliatum fuisse tradit Sugerius. Cùm verò ex Gualtero nostro constet ejusdem urbis Comitatum Carolo de Anchora fuisse donatum, non aliam ob causam Thomas in eum arma movisse censendus est. Nota porrò Thomam minùs propriè Comitem hìc appellari.

Digitized by Google

suorum reddituum, unde ipse vivere et familiam suam alere debebat, magnam A
partem misericorditer condonavit : et non tantùm superfluas, sed et plerumque necessarias cervisiarum confectiones et potationes prorsùs ad tempus interdicendo, et parcitatis modum immoderatis imponendo, necessariam universis vitæ sustentationem paternâ sollicitudine prudenter procreavit. Decrevit etiam ut quicumque venalem faceret panem, non unum, ut fieri solebat, sed duos quamlibet parvos singulis nummis distraheret, ut pauperi cuivis nummum fortè non habenti, vel obolo emendi facultas suppeteret.

Num. 19. Quid, oro, faceret de maximis, qui tantopere providebat de minimis? Tempore quo, quia multos esse videbat egenos, per singulas curtes suas, quas multas habebat, eos deputavit centenos, et de suo quotidianam eis stipem administrari imperavit. Præterea in quacumque urbe, oppido vel villa esset, innumeri quotidie ad eum confluebant, quibus ille alimenta, nummos et vestimenta B
propriis præcipuè manibus distribuebat : adeo ut apud Ypram uno die septem millia octingentos panes eum errogasse, ipsorum qui affuerunt memoria prodiderit. Neminem enim frustratum a se recedere patiebatur, vestesque etiam, quibus pretiosis admodùm utebatur, sibi detractas eis frequenter largiebatur....

Num. 20. Barbarorum autem maritimas Flandriarum partes inhabitantium indomitam ante id temporis feritatem, humanum, posthabito Dei timore, assuetam crudeliter fundere sanguinem, mirâ severitate coercuit. Signa quoque, quibus in sublime levatis ad pugnas in id confœderatos accersirent, quæque ob insaniam nimiùm
* Speculas. bellandi furentium *Bacchas* * linguâ illâ vocare solebant, prorsùs erigi vetuit. Ab universis autem eatenùs aut amabatur aut timebatur, ut in tanta efferæ multitudine gentis vix aliquis inveniretur, qui statutis ejus, publicam ob utilitatem promulgatis, vel in minimo contraire tutum arbitraretur. C

Num. 21. Veritatis autem et justitiæ quantus æmulator fuerit, hinc colligi potest quòd in promissis implendis efficacem, et in caussarum meritis indagandis omninò se studebat exhibere sagacem. Nec ei in hoc deerat gratia Dei, quâ instruente, quæcumque tractanda essent negotia mirabili subtilitatis acumine examinabat; et iniquitatem deprehendens et reprehendens, æquitatem verò exaltans et defendens, justitiam in cunctis pro viribus exaltabat. In quibus omnibus hunc ordinem sæpiùs observabat, ut si quandò Clerici vel Monachi religiosi, necessitate aliquâ cogente, in curia ejus caussas agere haberent, eorum ante alia et querelas audiret et caussas terminaret, et sic demùm ad alia se tractanda converteret. Indignum namque prorsùs et incongruum judicabat, ut qui lectioni vacare debent vel orationi, curiæ vel hujusmodi negotiorum immorentur actioni (*a*).... D

Num. 22. Cùm ergo his et aliis multis vir inclytus polleret virtutibus, quibus enumerandis vel explicandis non sufficit omne quod dicimus, bonis ejus studiis quantò ampliùs boni delectabantur, tantò magis mali torquebantur; quippè cùm ejus probitate eorum quibus invidebant vitam muniri, et suos viderent et dolerent conatus impediri. Et quia in aliorum perniciem nequitia eorum, timoris ipsius catenis impedita, non permittebatur pro voluntate grassari, ejus sibi videbantur salute periclitari; et quidquid alienis videbant accrescere, suis commodis arbitrabantur deperire. Quibus nimirùm cupiditatis incentivis et rapacitatis aculeis incitati, priùs quidem invidere, deinde occulta adversùs eum odia exercere, et sic demùm detractionibus linguas laxantes, justi vitam càninis dentibus lacerare cœpere....

Num. 23. Erat illis temporibus Præpositus quidam Brugensis, Bertulfus nomine, Archi- E
capellanus et Cancellarius totius Flandrensis curiæ : qui cùm immensas, arridente sibi sæculo, congregasset divitias (quippè qui et ex paterna hæreditate, et Principum Caroli scilicet et antecessorum ejus liberalitate, possessiones haberet amplissimas) ne quid temporalis ei deesse videretur prosperitatis, propinquorum, amicorum et hominum suorum, quos innumerabiles habebat, turbâ magnâ sibi obediente, culmen adeptus est maximæ potestatis.... Cùm autem omnibus istius mundi bonis floreret lucis hujus filius, divitiarum affluentia potentiam, potentia verò parturivit ei superbiam : quâ elatus cæteros despiciebat, et tumore nimio inflatus jam sese non capiebat. Et quia qualis paterfamilias, tales sunt et domestici ejus; nepotes et domestici ejus, quos nimis carnaliter contra suam salu-

(*a*) Hujus rei exemplum affert Iperius, cap. 41. parte 2ª.

Digitized by Google

A tem infelix nutriebat et diligebat, dum prodiret quasi ex adipe iniquitas eorum, eâdem quâ ipse peste laborare cœperunt.

Accidit autem ut quidam Miles nobilis adversùs alium nobilem in curia Co- *Num.* 24.
mitis de treugarum infractione placitaret, et ille, notâ ei servilis conditionis objectâ, eò quòd consanguineam illius Præpositi, quæ ancilla Comitis esse diceretur, uxorem duxisset, respondere ut libero refutaret. Quamobrem omnis illa Præpositi cognatio etiam intolerabili adversùs Comitem Carolum et militem illum exarsit irâ. In omnes enim hæc redundare videbatur calumnia. Caussa ergo hæc diu quidem ventilata, sed tandem tali est ratione terminata, ut illa quæ notata fuerat matrona duodecimâ nobilium manu libertatem suam personaliter assensu Comitis evendicaret, et querela Comitis in reliquam illam parentelam salva maneret. Hujus ergo calumniæ talis suspensio domino Carolo
B prima fuisse visa est interfectionis occasio. Hinc namque gravissima contra eum cœperunt exercere odia.... Quidam enim Burchardus, nepos Præpositi illius, filius *Num.* 25.
videlicet Lamberti fratris ejus, homo nimis elatus et in oculis suis magnus, adversùs Thancmarum vicinum suum (qui in eleemosynis pauperibus et præcipuè Monachis expendendis magnum, ut ferebatur, studium habebat) et nepotem ejus Gualterum graves, licèt minimis ex causis ortas, exercebat inimicitias, et ex utraque parte cædes hominum faciebant non minimas. Sed cultor Dei Carolus treugarum conditiones ab eis sæpè pro potestate sibi a Domino commissa exigebat, et ad pacem etiam invitos crebrò compellebat....

Verùm Præpositus et sui, qui sibi validiores et superbiores videbantur, ad *Num.* 26.
tutelam alterius partis eum intendere suspicabantur; et quia malè sibi conscii livorementis interiùs torquebantur, quod ad communem utilitatem facere labora-
C bat, ad suam depressionem fieri querebantur. Itaque invidiâ stimulante incitati, irâ sæviente exasperati et superbiâ inflante elati, Thangmarum inopinatum, et gratiâ treugarum nihil adversi formidantem, ex improviso fœdere pacis destructo, invadunt; et curte inferiùs irruptâ, in superiorem eum munitionem anxiè satis confugere compellunt, virgulta succidunt, et cuncta in inferioribus reperta dissipant, demoliuntur et pessumdant. Quâ injuriâ Thangmarus acceptâ, querelam Comiti non injustam depromit, damnum sibi non sine contemptu illius illatum, seque graviter periclitatum exponit. Illi verò a Comite die et loco
determinato in caussam vocati, contemptum contemptui superaddere, quàm vel per responsalem suam absentiam excusare elegerunt. Quam quidem injuriam *Num.* 27.
vir prudens patienter dissimulavit, et eos interim expectare et ad correctionem tanti excessûs leniter adhuc invitare deliberavit. Qui cùm postea Brugis
D Præpositum super omnibus his familiariter convenisset, et modestè satis, ut ei moris erat, corripuisset, et ille tam ex sua quàm suorum parte omnem emendationem in crastinum spopondisset; nihilominùs neglexit, et nec ipse venit, nec eos ad satisfactionem adduxit. Sed Comes iterùm et iterùm provocatus, licèt in despectum sui omnia fieri non dubitaret, æquanimiter ferens, etiam tunc in contumaces justam depromere vindictam dissimulavit, et emendationem iterùm longanimiter expectavit.

Sed hæc frustra. Etenim patientiâ ipsius abutentes, et ejus occasione in reli- *Num.* 28.
quum sibi impunitatem promittentes, in deterius superbiâ impellente prolapsi sunt, et quos oportuerat priores erratus pœnitendo emendare, et justam domini sui iram vel serò satisfaciendo placare, culpas magis culpis accumulare, et excessus excessibus audacter statuunt exaggerare. Nam captatâ, cùm in Fran-
E ciam fortè perrexisset (*a*), Comitis absentiâ (omnibus enim iniquitatis operariis semper gravis erat et quasi carcer quidam intolerabilis ejus præsentia) copiosam congregant et validam militum manum, et omnem ferè incursantes circà regionem, domosque infringentes et mobilia quæque diripientes, pauperes exspoliant, et quosdam suspendunt, plerosque in ferro trucidant. Quod quia præteritis temporibus fieri nequaquam consueverat, cunctis intolerabile nimis et crudele apparebat. Ab antiquo enim a Comitibus terræ nostræ statutum, et hactenùs quasi pro lege est observatum, ut quantacumque inter quoslibet homines guerra emergeret, nemo in Flandria quidquam prædari, vel aliquem capere aut exspoliare præsumeret.

(*a*) Agi videtur de secunda Ludovici VI in Arvernos expeditione, an. 1126 suscepta, cui interfuit Carolus Comes, testeSugerio.

Digitized by Google

Num. 29. Igitur reverendus tutor patriæ reversus, tantorum criminum atrocitate compertâ, graviter indoluit; et quia in sancta pace, videlicet infra Septuagesimam, hæc gesta fuerant, non tam suam quàm Dei injuriam, ut dignum erat, ultum ire statuit. Verùm quia quonam modo id vindicari oporteret [scire] gestiebat, Barones suos ut tertio Kal. Martii * Ypram (ubi et ego ex ejus mandato, pro alio tamen negotio, præsens fui) convenirent, et quid opus esset facto ex sententia definirent, invitavit, et universa eo quo facta fuerant ordine in auribus eorum explicavit; et ne se solus vindicare videretur, eorum de omnibus consilium flagitavit. Nec defuerunt qui se a Brugensibus iniquè spoliatos, verberibusque et contumeliis affectos deplorarent, et justitiam ignominiæ lacrymosis questibus implorarent. Ubi diversis diversa dicentibus, tandem in hoc omnium convenit sententia, ut Comes ipse partes illas personaliter visitaret, et quæ gesta fuerant visu et auditu certiùs exploraret, et sic pro modo culpæ modum temperaret vindictæ. Qui, licèt malignas eorum adversùm se machinationes nequaquam penitùs ignoraret (præsertim cùm prædictus Burchardus jampridem dixisse accusaretur. « Si quis Comitem occideret, quis eum vindi- » caret » ?) ire tamen decrevit, et milites non paucos secum ire præcepit. Cum quibus in crastinum profectus, cùm domos eversas, res omnes direptas et dispersas vidisset, et ne minima quidem vitæ subsidia pauperibus relicta cognosceret, hinc miserorum lacrymis, inde ingenitæ sibi misericordiæ compassione permotus, altè ingemuit, et ex imis viscerum medullis longa trahens suspiria, lacrymisque suffusus obortis mirabiliter doluit. Et primùm quidem munitionem ipsius Burchardi, quam juxta habebat, quasi tanti mali seminarium et radicem incendit, evertit et funditùs destruxit, ac deinde tam de his quàm de aliis diligentiùs tractaturus, Brugas eâdem die, heu! nunquam reversurus perrexit. Sequenti die, scilicet Kalendas Martii *, eo ibidem morante, et causas singulorum cum æquitate more suo examinante, dies in vesperam declinavit.....

An. 1127.

Num. 30.

An. 1127.

Num. 36. Nocte itaque illâ exactâ, cùm gloriosus Princeps paulò diutiùs solito in stratu suo gemuisset, surrexit, manus lavit; et sic ad opus misericordiæ more solito devotus properavit. Sic quippè vitam suam ordinaverat, ut omnibus diebus operum suorum initia Domino dedicaret, ut scilicet antequam ad Ecclesiam procederet, eleemosynam propriis manibus pauperibus dispensaret. Quod etiam ob ingentem in Christum devotionem nudis consueverat pedibus celebrare, ita ut neminem in hoc pietatis officio sibi pateretur ministrare; sed singula fercula singulis deferens, singillatim singulorum manus summâ osculabatur veneratione. Huic quoque religiosæ consuetudinis cumulo nuper adjecerat, ut omni die quinque pauperes novis vestimentis indueret et calceamentis. Quo eleemosynæ sacrificio super sacræ aram fidei humiliter oblato, seipsum mox victimam placationis superimpensurus, ad Ecclesiam nullis comitatus militibus (quippè per hospitia et per oratoria ubique dispersis) procedit, et coram altari S. Dei genitricis Mariæ, quod in superiore parte Ecclesiæ S. Donatiani constitutum erat, in orationem se prostravit. In quo loco cùm genua frequenter flectendo diutiùs oraret, ac semetipsum attentiùs Domino commendaret; tandem pronum se in pavimento projecit, et septem pœnitentiales Psalmos pro suorum ablutione peccatorum, libello suo apposito, supplex decantare incœpit.

Num. 37. Interim autem Clero, Capellanis ejus videlicet, horas diei Primam et Tertiam more ecclesiastico canente, cùm, Oratione Dominicâ jam dictâ, illi preces Tertiæ, et ille quinquagesimum Psalmum, et ipsum quartum Pœnitentialem, tribus jam dictis, recitaret; (nam ita orare consueverat, ut a circumstantibus audiri valeret) magister fraudis et ductor sceleris, Burchardus, sex sibi spatariis e clientela Præpositi et sua adjunctis, lateri ejus retrò improvisus astitit, et nudo eum gladio, ut caput feriendum porrigeret, priùs leniter tetigit. Qui cùm faciem, elevato capite, ad eum converteret, frontem illam reverentissimam, superborum dejectricem, humilium erectricem, furibundus valido ictu percussit, et cerebrum ejus in pavimentum excussit. Complicibus quoque ejus in hoc ipsum perpetrandum concurrentibus, et eum unanimiter (nequicquam tamen, cùm primus ad mortem ejus suffecisset ictus) ferientibus, pluribus caput ejus vulneribus conciderunt, et brachium ejus dextrum cum manu, quâ eâdem horâ pauperi mulieri eleemosynam petenti nummum vel potiùs nummos porrexerat, et alios petituris porrigendos tenebat, ferè amputaverunt....

Digitized by Google

A Hâc namque cæde peractâ, sanguinem adhuc sitientes, Themardum Brug- *Num.* 42.
burgensem Castellanum, qui fortè propè aderat, cæteris diffugientibus, invaserunt et multis vulneribus confoderunt. Quo facto, continuò quos supra memoravimus (*a*) conjurati, singuli cum suis satellitibus affuerunt, et universam villam, quæ instar civitatis frequens erat et ampla, nemine resistente perscrutantes, reliquos morti jampridem ab eis destinatos circumquaque persequi studuerunt : quorum duos, præfati videlicet Castellani filios, Gualterum adhuc in hospitio remorantem, et heu! frustra fortiter repugnantem, et Gillebertum extra villam, habitu mutato, cum Castellano Curtriacensi effugere conantem, crudeliter interemerunt; et sic demùm ad perquirendum Gualterum Dapiferum, quem elapsum fugâ timebant, redierunt. Sed cùm Castellanum [Brugburgensem] confessionem Sacerdoti fecisse, et corporis et sanguinis Domini mys-
B teria percepisse, et necdum obiisse cognovissent, in Ecclesia ad eum rursùs cucurrerunt : et per pedes eum arripientes, ac per confragosam graduum inæqualitatem impetuosè trahentes, caput ejus singulis illisum gradibus confregerunt; et sic eum ante ipsius fores Ecclesiæ pertrahentes, palpitantem adhuc in extremis iteratâ cæde ejus spiritum ejecerunt. Gualterum autem [Dapiferum] cùm diu quæsitum non invenirent, et de inventione ejus jam desperarent, quidam puer eum dicitur prodidisse, et latibulum quod eum in tanta necessitate opportunè satis occultabat, persecutoribus ostendisse. Qui ut se proditum sensit, veloci cursu protinùs fugam iniit, et usque ad altare S. Donatiani currendo anxius pervenit, et velo quod altari appensum erat se quantùm potuit operuit. Quo in loco ministri diaboli perscrutati [eum] arripuerunt, et confessionis faciendæ, quam solam petebat, sibi facultate superbè negatâ, de Ecclesia ex-
C trahentes occiderunt.

Corpus itaque domini Caroli, ministris ejus passim latentibus ac præ timore *Num.* 43.
mortis nusquam apparere audentibus, cùm non esset qui sepeliret, in eo quo interfectus est loco aliquamdiu jacuit, sed tandem Clericorum inferiùs est delatus obsequio, et in chori positus medio, tristi mœrentium frequentabatur officio. Rari tamen erant qui eum manifestè lugerent, vel qui aliqua super morte ejus tristitiæ signa ostendere aut doloris auderent. Tantus erat metus perfidorum : qui etiam decreto decreverant eum ibi nullatenùs esse tumulandum, ne ejus monumentum ad posteritatis eorum appareret opprobrium. Quo audito, Arnulfus Abbas Monasterii Blandiniensis sequenti die velociter affuit, et eum in Monasterio suo sepeliendum deportare voluit. Quod cùm Præpositus cum suis libenter concessisset, et Abba feretrum composuisset; continuò spiritu Dei exci-
D tati tam Clerici quàm laïci, resistendi audaciam sumpserunt, et vehementer ne fieret contradicere, et cum armis etiam violenter eis in faciem obsistere et *Num.* 46.
improperare cœperunt.... Et hæc quidem, cùm VI Nonas Martii * quartâ feriâ * An. 1127.
interfectus fuisset, quintâ feriâ, ut prælibavimus, gesta sunt. Itaque timore Præpositi, Cleri et plebis repressa est confluentia, et domini Caroli sepultura usque in sextam feriam protelata. Quo die sanè pauci ex hominibus ejus et clientibus convenerunt, et in illo quo occisus fuerat loco, sarcophago ex lapidibus et cœmento super pavimentum composito, in eo illum sepelierunt. Porrò Sacerdotes et Clerici, quia id in loco homicidiis et humano sanguine polluto fieri ratio et auctoritas non sinebat, in alia Ecclesia eum Missarum et orationum solemniis Domino commendaverunt.

Præpositus autem et sui dum, quasi adversario suo dejecto, exsultant et de *Num.* 47.
E regno sibi comparando, ac si non sit qui contradicat, tractant et cogitant, tremendo divinæ districtionis judicio quæ sibi vindicta præparetur, ignorant.... Nam ecce octavo die, quasi domino Carolo in sui vindictam quodammodo *Num.* 48.
resurgente, Gervasius vicinus eorum, vir honestus et probus, congregato suorum circiter triginta Equitum numero, castrum Brugense invasit; et illis resistere (quippè timore Dei super eos irruente) non audentibus, intravit et eos in interiorem munitionem refugere coegit. Quod nimirùm virtute divinâ factum non dubitaverim, cùm illi et numero et viribus et munitione plurimùm præstarent : verùm manus Domini paucorum fidelium confortabat, et multorum infidelium vires et animos effœminabat. Sed et Brugensium corda municipum

(*a*) Hi erant, ut legitur nº 34, *Guelricus frater Præpositi, præfatus Burchardus, et alterius fratris ejus Roberti filius Robertus, Guillelmus quoque Viroviacensis, et Ingrannus Esnensis, et Isaac Præpositi consanguineus.*

Digitized by Google

ita superna immutavit gratia, ut non solùm injustæ dominorum suorum parti A
non faverent, vel auxilium faventes præberent, quinimò eorum consortium penitùs abhorrerent, et eos continuò in munitione quâ confugerant, Gervasio juncti obsiderent. Duo autem eorum qui necis domini Caroli cooperatores exstiterant, intercepti et comprehensi, in conspectu aliorum, in pœnam nimirùm et confusionem eorum, diversis suppliciis improbrosis, ut dignum erat, tormentati, et sic tandem sunt necati, ac partim in cloacas, ubi a dominis suis de muris prospectantibus videri possent, jactati.

Num. 49. Porrò Isaac unus de conjuratis, homo potens et dives, cùm paullò remotus in loco multùm munito habitaret, et illâ horâ in Ecclesia B. Mariæ injustè et irreverenter ingressus fuisset; (nam qui Ecclesiam non timuerat superbè violare, Ecclesiæ introitum debuisset humiliter vitare) ab obsidione hoc eventu fortè interclusus, et nec ad modicum quidem domui suæ disponens, vitæ quippè B
suæ consulere cupiens, fugâ protinùs est elapsus. Cujus domum frater ejus Desiderius, qui contra suos se Gervasio in ultionem sanguinis justi conjunxerat, mox irrupit, et omnem munitionem ejus propriis manibus incendio tradidit: qui ipsum quoque Isaac si in ea reperisset, haud dubium quin eum ob vindictam tanti criminis interfecisset. Vide quantum inspiratum eis fuerit odium iniquitatis, quod etiam naturalis vincebat affectum pietatis; in eo enim qui se complicem fecerat tam nefandæ immanitatis, nec Gervasius propinquitatis, nec Desiderius necessitudinem attendebat germanitatis. Ille verò diurnis ubi audebat latitans, et nocturnis horis quà poterat fugitans, ad domum sororis suæ, quam Guido de Stenfordo uxorem habebat, devenit, et ejus conductu usque ad Monasterium S. Joannis Teruanensis, in monte nostræ civitati imminente constructum, profugit. Nam quia Monachus fieri divino vel humano coactus timore C
volebat, Monachum quemdam Einhamensem, qui ipsum ei habitum donaret, ibidem opperiri proposuerat: sed latere non potuit.

Num. 50. Famâ quoque volante delatum, et per totam urbem confestim est divulgatum, quòd in Monasterio S. Joannis laterent qui patrem patriæ Carolum occidissent. Arnulfus ergo filius Eustachii Advocati, volens et ipse sanguinem Comitis vindicare, in cujus ultionem jam orbem ipsum audiebat conspirare, nocte imminente apparitores suos eò dirigit, qui Abbatiam circumquaque totâ nocte custodiant, ne qui latebant in tenebris usquam effugere valeant. Isaac autem ubi insidias sibi paratas esse cognovit, ad domnum Abbatem Folquinum tremebundus confugit, et ut optatum sibi Monachi habitum ipse concederet, humili supplicatione et importunâ satis tandem obtinuit. Verumtamen Arnulfus sequenti die cum suis Monasterium adiit, et illum eductum et ex ipsius confessione depre- D
hensum continuò veste monachili exspoliari, et nudum ac discalceatum, revinctis post tergum manibus, ad civitatem cum tumultu protrahi præcepit. Ubi dum, ne qua monachatûs in eo vestigia remanerent, capilli capitis ejus omnes penitùs abrasi fuissent; civibus utriusque sexûs et diversæ ætatis undique circumstantibus, ut perfidus et traditor statim suspendatur, vel vivus incendatur, vociferantibus, sed et ipso Arnulfo hoc idem adimplere totis viribus annitente, tandem pater ejus cum matre obstitit, et ut vivus aliquandiu servaretur, filio

Num. 51. invito extorsit.... Diebus igitur aliquot evolutis, dominus Guillelmus [Iprensis] Philippi Comitis filius, cujus superiùs mentionem fecimus, qui jam post mortem Comitis magnam terræ hujus partem occupaverat, Teruannam venit, et eumdem Isaac sibi reddi ab uxore Advocati (nam ipse cum filio suo tunc aberat) impetravit. Quem, fune collo ejus illigato, Ariam secum duci, et in audien- E
tia totius populi scelera sua confitentem, seseque omni supplicio dignum adjudicantem, XIII Kal. Aprilis * suspendi fecit.

* An. 1127.

Num. 52. Obsidione autem præfatâ, sicut dictum est, per Gervasium et Desiderium Brugis inchoatâ, Balduinus Gandensis et Daniel Tenremundensis ab oriente, Gualterus Lilariensis, Riquardus Walnensis et Theodoricus Discamudensis ab occidente, exercitu collecto, eidem se obsidioni adjunxerunt, et inde se non discessuros, donec homicidas illos caperent et punirent, jurejurando confirmaverunt. Paucis itaque diebus exactis, et assultibus aliquibus factis, die quodam murum ab australi parte ascendentes, et sese intùs audacter projicientes, perfidos illos violenter aggressi sunt, et eos omnes intra Ecclesiam S. Donatiani, quam fœdâ priùs cæde contaminaverant, fugere compulerunt.... Verùm pridiè

Digitized by Google

A quàm hoc contingeret, illis intrinsecùs inclusis et aliis forinsecùs obsidentibus, *Num.* 53.
(incertum utrùm negligentiâ obsidentium vel industriâ; aiunt enim, quod et certius est, quosdam eorum corruptos fuisse pecuniâ) Præposito effugiendi permissa est copia. Nam de fastigio muri ad terram fune demissus, et quorumdam auxilio ab obsidione latenter eductus, noctibus ambulando, et diebus delitescendo, ad domum Alardi Warnestunensis, qui neptem illius Agantrudem, castri quod dicitur S. Audomari quondam Castellanam, habebat uxorem, miser jam et miserandus confugit. Quo in loco cùm per tres ferè septimanas jam delituisset, et præsentia ejus rumusculis quibusdam dubiis et incertâ vulgi opinione diffamari cœpisset, jam eum ulteriùs inibi retinere non audentes, singulis noctibus eum per diversa loca transmittebant, ut vel sic fugam ejus celarent, quam deprehendi multopere metuebant.

B Diebus igitur Paschæ peractis, octavâ * videlicet Dominicæ resurrectionis *Num.* 54.
die, præfato domino Guillelmo Ypræ fortè tunc constituto, hujus occultationis * An. 1127.
fama innotuit. Qui ut audivit, protinùs exilivit, equum ascendit, et eumdem Præpositum perquirere magno cum strepitu et festinatione intendit. Domum itaque Alardi et omnia ejus latibula, necnon et domum filiæ ejus, in qua proximâ nocte præteritâ miser ille quievisse asserebatur, scrutati, cùm quem quærebant non invenissent, vehementer sunt irati : et primùm quidem utramque domum illam, quasi pestiferi præsentiâ viri contaminatæ et ob hoc igne purgandæ fuissent, incendunt, et deinde filiam ejus præfatam, in crastino, nisi Præpositus redderetur, membris debilitandam, comprehendunt. Unde et idem dominus Guillelmus hominium Alardi guerpivit, et eo diffiduciato, totum feodum ejus saisivit, et de filiæ ejus dehonestatione, conditione quâ supra diximus, fide
C et sacramento securitatem fecit, et sic inde recessit.

Re itaque in arcto positâ, quid facto opus esset Alardus et sui tractare cœpe- *Num.* 55.
runt : et cùm hinc filiæ suæ non parcendum, inde Præposito ipsius detrimento nihil sentirent salutis conferendum, tandem Præpositum decreverunt reddere, ut sic salutem lucrarentur vel filiæ suæ. Ut ergo quod ipse fecisse accusabatur, justè perpeti cogeretur, de domo in qua eum retruserant, cujusdam mulierculæ ministerio eum educi, et sic his qui ad eum capiendum præparati fuerant, tradi fecerunt. Igitur ad castrum Warnestunense eâdem nocte perductus, et ibi usque ad lucem servatus est : ubi et Presbyterum ad se vocari postulavit, et pec-
catorum suorum pœnitentiam agens, confessionem Deo et illi in conspectu omnium fecit, et solo prostratus et pectus pugnis percutiens, indulgentiam sibi
a Domino tribui supplex oravit. Die autem facto, cùm jam Ypram equo per- *Num.* 56.
D gere, ab his qui eum ceperant, moneretur, equitare quidem omninò recusavit, sed nudis pedibus, cùm tamen gelu esset, incedere maluit. Et cùm iter arripuisset, quemdam de Clericis, cujus hæc ipsa relatione cognovimus, sibi accivit, et hymnum Ambrosianum, *Te Deum laudamus*, cum ipso antiphonatim decantare cœpit.... Yprensibus igitur obviis eum suscipientibus et Ypram ducentibus, passimque pugnis, virgis, lapidibus, et marinorum piscium, qui illis in partibus grandes admodùm capiuntur, capitibus cædentibus, omnique genere contumeliarum afficientibus, semper in patientia, ne dicam quod quidam, duritia, et silentio perseverabat, et ferè usque ad ipsam mortem psalmos indesinenter ruminabat. In patibulo igitur collo et brachiis suspensus, et multâ ferientium cæde mactatus, tali ad ultimum exitu est exanimatus....

Eâdem autem horâ dominus Guillelmus Yprensis egreditur, et ad caussam *Num.* 57.
E Guidonis de Stenfordo, qui nuper eodem crimine, quòd videlicet in mortem Comitis consilium et assensum præbuisset, pulsatus fuerat, examinandam proficiscitur. Qui videlicet Guido, dum contra impetitorem suum Hermannum, cognomento Ferreum, monomachiam hac pro caussa inisset, et primo quidem congressu et secundo superior in pugna fuisset, et eumdem Hermannum armorum nimio pondere onustum, ipse æquè gravi armatus loricâ et galeâ, terræ prostratum et proprii corporis et tanti oneris ruinâ depressisset; virtute confortatus, ac si nullum sentiret pondus, Hermannus surrexit, et eum qui, ut dictum est, secundò superior fuerat, versâ vice subjiciens, ad confessionem patrati sceleris urgere cœpit. Quid plura? divino tandem judicio victus, et de crimine quo impetebatur convictus, et sic demùm supplicio mortis est addictus. Quod cùm apud Riningas factum fuisset, continuò eum comprehenderunt : et Ypram

Digitized by Google

pertrahentes, juxta miserabilem illum Præpositum in eodem patibulo ipsum quo- A
* An. 1127. que jam miserrimum, eodem die, III Idus Aprilis *, suspenderunt....

Num. 59. Porrò Burchardus ille, quem primum Marchionis venerabilis Caroli caput percussisse commemoravimus, cùm multas sustinuisset angustias obsesûss, humano quidem ad modicum usus auxilio fugit; sed divino cœptis ejus obviante consilio, effugere minimè valuit. Nam.... cùm diversis in locis diebus non paucis jam
Num. 61. latuisset, et juxta Insulam in quoddam tugurium ductu cujusdam servi sui casu divertisset; servum eumdem itineris sui ducem ad domum Bernardi avunculi sui, ut panem sibi quo famelicam animam refocillaret, peteret (esuriebat enim) transmisit. Et ille quidem quod jubebat exequi cupiens, mandato ejus libenter obedivit, et ad eamdem perveniens domum, ad opus domini sui, ut puta hominis deliciis assueti, delicatum panem petivit : sed miro Omnipotentis judicio, qui domini sui quærebat salutem, invenit mortem, et esurienti conferre cupiens B
quibus egebat alimenta, reo præparavit quæ meruerat tormenta. Hac etenim occasione præfato Bernardo dominum suum, simpliciter tamen, quamvis per alias personas prodidit, cui, ut puta avunculo, nepotem suum nequaquam occultandum credidit. Justo autem Dei agebatur examine, ut qui dominum suum occidere non fuerat veritus, ipsum quoque occidendum suus proderet dominum servus. Bernardus verò Hugoni fratri suo hoc idem protinùs nunciavit. Hugo ergo, communicato cum fratribus suis consilio, licèt nepotem suum servare magis, si tamen auderet, quàm prodere maluisset, Insulano tamen Castellano et burgensibus Burchardum se nunciavit invenisse, et ut citò venirent, ac tanti criminis reum, ultione quam dignam arbitrarentur, punirent, mandavit. Cui profectò si parcere voluisset, haud dubium quin et ipse magnum salutis suæ periculum incurrisset. C

Num. 62. Insulani verò, mandato Hugonis audito, cum magno protinùs tumultu perrexerunt, et Burchardum comprehensum Insulam duxerunt, et in foro ei patibulum paraverunt. Verùm ille æternæ formidine damnationis ut timeret excitatus, et supernæ intuitu miserationis ut speraret animatus, seipsum districtè admodùm accusare, et cunctis dignum suppliciis cœpit publicè inclamare. Denique manum suam dexteram, quæ in effusione sanguinis justi cruentum exhibuerat ministerium, ob pœnam tanti criminis abluendam et indulgentiam promerendam abscindi flagitavit. Cùm autem nemo esset qui hoc faceret, ipse sibi saltem eam amputandi facultatem postulavit concedi. Verùm utrumque sibi denegari consentiens, iterùm ad sui accusationem et supernæ miserationis invocationem conversus est. Reatum ergo suum manifestè confitendo et plangendo, et divinæ respectum misericordiæ implorando, ac ad hoc ipsum fiducialiùs sperandum D
misericordias antiquis peccatoribus exhibitas commemorando, omnium viscera assistentium ad pietatem et misericordiam commovit, et ad lacrymarum effusionem universos penè lugubri suâ lamentatione coegit, et ut per temporales carnis molestias æternas evaderet pœnas, modis quibus potuit sategit. Itaque membra sua ipse tormentis spontè aptavit, et rotæ radiis intricatus, et in excelso stipite exaltatus, in eadem devotione, confessione et supplicatione, ab hora diei nona usque ad crepusculum diei sequentis perseverans, exspiravit.

Num. 63. Sed jam dignum est ut articulum ad superiora tempora convertamus, et ea quæ priùs quidem gesta, sed a nobis hactenùs sunt prætermissa, referamus. Neque enim quæcumque eodem tempore contigerunt, eodem etiam tempore dici potuerunt. Interfecto igitur Brugis, ut dictum est, Marchione, fama mali tanti confestim circumquaque diffunditur, et ipsâ eâdem die usque ad triginta ferè E
leugas extenditur. Ubique ergo luctus, ubique gemitus et dolor ingens Clericorum, Monachorum, rusticorum, pauperum, postremò omnium in pace et tranquillitate degere, et æquitatem servare et servari cupientium. Raptores autem quilibet et iniqui, utpote vinculis quibus tenebantur disruptis soluti, (magis enim, sicut etiam tunc evidenter patuit, Caroli refrenati fuerant timore quàm Dei) universa turbare, mercatores quosque et viatores rebus suis exspoliare, et ipsos plerumque ligare et incarcerare cœperunt. Tanta namque fuit perversorum hominum rabies et nequitia, ut nec sancti temporis (nam Quadragesima erat) eos cohibere valeret reverentia. Verùm Omnipotentis Dei subveniente
Num. 64. clementiâ, in brevi repressa est eorum dementia. Præfatus enim Guillelmus, domini Caroli consobrinus, mox ut mortem Comitis nuncio deferente cognovit,

eâdem

Digitized by Google

A eâdem die sibi Comitatum, frustra tamen, vindicavit, et Ariam (*a*) oppidum munitissimum occupavit, et oppidanos omnes sibi fidelitatem jurare fecit. Cùmque et S. Venantium, Casletum, Bellulam, Ypram, Bergensem quoque et Furnensem terram pári modo sibi subegisset, motus raptorum in finibus illis citò repressit, et pacem servari mandavit. Cæteri quoque Barones terræ invicem collocuti, Deo inspirante, paci consenserunt, et singuli partes suas defensare studuerunt.

Porrò magnificus Rex Francorum Ludovicus, audito quòd consobrinus suus Carolus interiisset, et Guillelmus honorem sibi indebitum, præsertim ipso non assentiente, invasisset, et graviter tulit, et tam illum eâ, quam usurpaverat, dignitate privare, quàm amici mortem desiderans vindicare, ad urbem Atrebatum circa mediam Quadragesimam * venit : quò etiam Guillelmum juvenem, * An. 1127.
B dictum Normanniæ Comitem, a patruo suo Henrico Anglorum Rege, sicut initio hujus opusculi commemoravimus, impiè exhæredatum, qui Reginæ sororem nuper duxerat uxorem, venire mandavit. In qua urbe cùm diebus fermè quindecim commorati fuissent, et plures qui sibi Comitatum terræ nostræ competere assererent (Arnulfus scilicet nepos domini Caroli, Balduinus Montensis, et præfatus Guillelmus, qui jam partem terræ prælibatam violenter tenebat) nunciis frequenter hoc ipsum expetentes ad Regem venissent; tandem Regina, Dei, ut arbitror, occultâ, sed tamen justâ dispositione prævaluit, et animis Procerum quorumdam multo ingenio ad sibi consentiendum inclinatis, sororio suo Normanno Comiti, decimo Kalendas Aprilis, Comitatûs dominium obtinuit. *Num.* 65.

Cujus potentiam patruus ejus ad sui detrimentum veritus crescere, eam totis visceribus, et artibus quibus poterat, contendit imminuere. Nepotem ergo suum *Num.* 66.
C Stephanum Blesensem, Boloniæ et Moritonii Comitem, transmittens, et per ipsum et alios partis suæ legatos multa tribuens, et plura promittens, multorum animos potentium sollicitat, Flandriam suam hæreditatem esse, et ex parte Roberti Casletensis avunculi sui sibi jure competere affirmat; et his modis in suum eos favorem conciliat, ac Ducem Lovaniæ socerum suum, et Montensem Comitem et Thomam Codiciacensem, necnon et sæpedictum Guillelmum sibi confœderat. Hos omnes et eorum auxiliarios regiæ voluntati et ordinationi contraire, et profectus novi Comitis modis omnibus impedire hortatur et instigat; non tam ut ipse Flandriam (quod forsitan fieri posse jam desperabat) obtineat, quàm ut vires Comitis, quas sibi periculosas suspicabatur, enervet et destruat.

Rex autem cum Comite Atrebatum civitate post aliquantum tempus egressus, *Num.* 67.
primò Insulam, deinde Gandavum et Brugas, ægrè tum (nam ubique ferè
D Anglici fautores plurimùm impediebant) se recepit, et obsidionem suâ præsentiâ roboravit. Unde Comes post Pascha * reversus per Insulam et Betuniam, usque * An. 1127.
ad urbem nostram Taruannam pervenit, et ibi cum magno Cleri et populi gaudio susceptus biduò mansit. Postea cùm castrum quod dicitur S. Audomari, Castellano et Burgensibus eum gratanter, conditionibus (*b*) tamen quibusdam præmissis, suscipientibus, obtinuisset, et ibi paucis diebus moram fecisset; iterùm Taruannam transiens, Insulam revertitur.

Interea Rex Robertum reliquosque illos homicidas Brugenses, de turri in *Num.* 68.

(*a*) Sclusæ primùm sua præsidia collocasse Guillelmum, ut inde vicina castella in suam potestatem redigeret, testis est scriptor miraculorum B. Rictrudis viduæ, lib. II, n°. 30, apud eosdem Bollandianos, die XII Maii, p. 105. « Carolo reve» rendo Comite Flandriæ a suis occiso (*inquit anony*» *mus ille*)... Wilhelmus Iprensis cum cæteris » ad prædam et homicidia suspirabat; videnque » omnia turbata, *faciam*, inquit, *currus et equites*, » *et Flandriæ Comitatum obtinebo. Illustri etenim Co*» *mite absque liberis de hac vita subtracto, me sibi* » *propinquum dereliquit, in patrum nostrorum digni*» *tatem successurum*. Et convocatis complicibus suis, » castellum quoddam Sclusam nuncupatum, quod a » Comitissa Clementia in dotem acceperat, secu» rus intravit. Turris firma erat, villâ, nemore, vi» vario et aquis palustribus circumdata, cujus aditus » unâ viâ admodùm arctâ introeuntibus patebat. » Locum hunc, ad expugnandum hostium incursus » satis aptum, Wilhelmus ingressus est. Rex au» tem Franciæ Ludovicus, conducens sagittarios » aliosque satellites, omnibus qui parti suæ » [ejus] favebant, carceris aut ignominiosæ mortis » periculum intentabat. Duces quippè cum Opti» matibus terræ, Wilhelmum Normannum loco » defuncti jam Comitem subrogaverant. Eò magis » contumax ille in pauperes sæviebat, omnia ferro » et igne depopulari desiderans, quæ in potesta» tem alterius redacta conspiciebat. Dives quippè auri » et argenti, sumptui non parcebat, ut quoscum» que secum habere poterat, obnoxios fidosque sibi » faceret ».

(*b*) Præcipua ex his conditionibus fuit ut Guillelmus Audomarensium consuetudines roboraret, ut constat ex litteris ejusdem Guillelmi, a Chesnio inter probationes genealogiæ Bethuniensis editis, ubi ait : *Petitioni Burgensium S. Audomari contraire nolens, pro eo maximè quia meam de Consulatu Flandrensi petitionem libenti animo receperunt, et quia honestiùs et fideliùs cæteris Flandrensibus erga me semper se habuerunt, leges seu consuetudines subscriptas perpetuo eis jure concedo, et ratè permanere præcipio.... Actum anno* MCXXVII, XVIII *Kal. Maii, feriâ* V, *die festo SS. Tiburtii et Valeriani.*

Digitized by Google

quam confugerant, egredi, et sese dedere coegerat, et in carcerem et vincula A
Num. 69. universos retruserat.... Rex verò Ecclesiam S. Donatiani non solùm sanguinis effusione, verùm etiam eorum execrabili et immundâ habitatione multipliciter pollutam, cunctis inde spurcitiis eliminatis, purgari, corpusque venerabile, quod ibi negligentiùs quàm decebat, tumulatum fuerat, in aliam Ecclesiam præcepit deportari, quatenùs funus ejus ibi diligentiùs curaretur, et deinde congruo sibi honore in Ecclesia rursùs humaretur. Quod et factum est....

Num. 71. Ecclesia igitur domini Simonis Tornacensis [et Noviomensis] Episcopi ministerio, qui in hoc ipsum a Rege de Francia fuerat accersitus, more ecclesiastico [est] reconciliata. Sed et memoratum corpus summâ reportatur Cleri et populi devotione et reverentiâ, et septimo Kalendas Maii in Ecclesia media tumulatur, in extremo examine resurrecturus in gloria.

Num. 72. Quibus omnibus solemniter et eo quo dignum erat honore adimpletis, Rex B
cum exercitu, quem congregare poterat, Ypram contendit, et sequenti die,
* An. 1127. sexto videlicet Kalendas Maii *, Comite sibi ex condicto cum exercitu ex parte alia impigrè occurrente, circa horam diei sextam illuc usque pervenit. Porrò sæpememoratus Guillelmus Philippi filius, regiæ majestatis celsitudinem minùs quàm oporteret reveritus, extra oppidum ei, multorum et fortium quos sibi confœderaverat virorum et armis fretus et animis, audacter occurrit; et contra universum illum exercitum acerrimè dimicare cœpit. Sed ille fortiter se agere arbitratus, dum hostibus obstinatissimè repugnat, dum in adversos aciem dirigit et instaurat, quæ sibi infelicitatis temporalis et adversitatis fovea præparata sit, miser ignorat. Etenim jampridem aliqui burgenses, qui sacramentis ei non semel tantùm, sed frequenter fidelitatem fecerant, cum quibusdam aliis hominibus ipsius de proditione ejus conspiraverant, legatos inde ad Regem C
direxerant, seque ei portas aperturos, et Guillelmum tradituros juraverant. Væ mundo ab scandalis! imò væ Flandriæ a proditionibus! Mirandum, nec minùs miserandum, quòd terra infelix, cui domino suo per proditionem orbari contigerat, non aliter quàm per proditionem alium acquirere valebat. Et hanc quidem pauci Yprensium disposuerant faciendam. Judicaverant namque commodiùs regiæ voluntati parere, quàm imperiis Guillelmi et sibi suspectæ potestati subjacere. Neque ideo, ut ferunt, quòd ipsius personam in aliquo culparent; sed [quòd] quorumdam affinium ejus dominium intemperantius futurum formidarent.

Num. 73. Itaque cùm ab hora diei sexta usque ad nonam utrimque diversis concursibus ab Aquilonari parte et Orientali pugnatum fuisset, vexillo, quod in signum futuræ proditionis super summum Ecclesiæ S. Petri fastigium ex proposito cons- D
tituerant, adversæ partis cuneos accersierunt, et portâ meridianâ apertâ, eos in oppidum susceperunt. Quibus protinùs totam villam percursantibus, et rapinis ac incendiis universa vastantibus, Guillelmus destitutum se tum demùm præsentiens, quod solùm superesse videbat, fugam arripuit: sed fuga sera fuit. Fugientem enim eum Daniel Tenremundensis consecutus comprehendit, et armis exutum Comiti Guillelmo captivum reddidit. Yprâ igitur eodem die a porta Septentrionali usque ad portam Australem spoliatâ et incensâ, ac multitudine militum innumerabili comprehensâ, Rex et Comes Messinas Monasterium adeunt, Guillelmum captum secum adducunt. Quem cùm posterâ die Castellano Insulæ custodiendum commendassent, Ariam perrexerunt; et eâ in deditionem receptâ, Casletum et reliquam illam interiorem Flandriam facillimè subegerunt: et sic tandem ad ulciscendam honorandi Caroli mortem Brugas iterùm E
redierunt.

Num. 74. Fratrem quoque Præpositi Guelricum, quem in mortem ejus conjurasse supra memoravimus, cum aliis ferè viginti octo deditiis e carcere productis, de excelsa turri præcipitare fecerunt (*a*), sicque homicidæ illi condignis tantæ iniquitati cruciatibus interierunt. Qui quamvis non omnes consilio vel facto peccaverant æqualiter, iniquitati tamen consentiendo et iniquis auxilium ferendo, paribus quodammodo iniquitatis nexibus se omnes obligaverant: et ideo, quorum non abhorruerant jungi consortio, eorumdem non immeritò sunt puniti supplicio. Robertum autem, quem et ipsum ex conjuratis fuisse supra ostendimus, quique itidem, eò quòd a populo vehementer diligeretur et modis quibusdam excusa-

(*a*) Quintâ die Maii, ut latè describit Galbertus, nº 123.

Digitized by Google

A biliòr cæteris videretur, tutè satis puniri posse non æstimabant, secum abducere decreverunt. Quem cùm Casletum usque perduxissent, et ille reatûs sui multam pœnitudinem ageret, extra oppidum in eum capitis abscissione animadverti fecerunt.

Dum ea geruntur, Ingrasnus Esnensis, unus ex prænominatis conjuratoribus, qui patrui sui Theoderici Discamudensis præsidio fretus, usque in id temporis excusationes in peccatis excusaverat, et perfidiæ suæ tenebris obcæcatus ipsius Regis aspectibus et Comitis impudenter se ingerere non erubuerat, et si quis eum super hoc crimine impetere auderet, viriliter sese defensurum jactaverat, diffidere cœpit: et primùm quidem apud suos aliquandiu se latendo continuit, ac deinde opportunitatem temporis nactus, omnibus postpositis, suæ saluti consulere gestiens e patria profugit, et in terra nostra usque ad hæc tempora, me scilicet hæc scribente, nusquam ultra comparuit. *Num.* 75.

B At Guillelmus Viroviacensis, et ipse, sicut aliorum claruit confessione, conjuratorum unus (quem nimirùm aliis attentus, et finis ipsius expectatione suspensus, intactum ferè reliqueram) iniquitatem suam nequaquam tamdiu occultare valuit: sed quod in occulto perpetraverat, indiciis continuò manifestis apparuit. Statim enim post Comitis occisionem et thesauri ejus direptionem, Viroviacum * regressus, non minimam inde secum attulit partem. Verùm hoc suæ nequitiæ fructu in longum lætari permissus non est. Cùm enim de adversario dejecto tripudiaret, et de damnis alienis insolenter exsultaret, repentinus eum pavor invasit, et territum de Flandriæ finibus exturbavit. Audito namque quòd frater suus Lambertus [qui tamen, ut ex fine monomachiæ, quam inde in curia sæpefati Guillelmi [Iprensis] inierat, claruit, innocens erat) super morte Comitis impeteretur, et quòd ipse ab eodem Guillelmo, cui jam per surreptionem hominium fecerat, C diffiduciaretur, timere cœpit. Et primùm quidem ad defensionem se paravit; sed in crastino reæ tantùm stimulis conscientiæ eum exagitantibus, cùm nemo eum adhuc persequeretur, uxore et paucis suorum, rebusque quas evehere poterat, secum assumptis, sexto post mortem Comitis die fugæ se credidit: Castellanus autem Curtriacensis, qui antea ei exstiterat inimicus, statim ut fugam ejus audivit, armatâ multorum militum manu munitus, Viroviacum contendit; et omnibus quæ ipsius fuerant mobilibus direptis, munitionem totam evertit, et nemine resistente, in tantùm ut nec stipes in loco remaneret, incendit. Ipse verò cùm juxta Tornacum ad villam quamdam devenisset, Tornacensibus eum insectantibus et comprehendere ac punire tentantibus, uxore et majore suorum parte, rebusque ferè omnibus amissis, vix equum nactus evasit, et in partes Nerviorum, duobus tantùm sociis contentus, secessit: ubi Monasterium quoddam Monacho- D rum adiit; et timore magis, ut postea patuit, humano, quàm divino compunctus, Monachatûs tonsuram habitumque præsumpsit. Postea verò occasione uxoris, sine consensu cujus hoc fecisse asserebatur, paucis evolutis diebus, Monachatum deseruit, et ad sæculum et ad arma derelicta sine retractatione mox rediit.... Et hæc quidem omnia infra duos ferè post mortem Comitis menses consummata sunt. *Num.* 76. ** Wervich.* *Num.* 77.

EX ALIA EJUSDEM B. CAROLI VITA

AUCTORE GALBERTO (*a*) BRUGENSI NOTARIO, COÆVO.

E

Apud eosdem Bollandianos, die 2 *Martii, pag.* 179.

Cum inter regnorum Principes quos circa nos cognovimus, summum gloriæ ac laudis sibi adscribendæ studium per militiæ facinora enituisset, et eisdem affectus consimilis ad benè regendum inesset; minoris potentiæ et famæ *Num.* 1.

(*a*) Alteram hanc B. Caroli vitam scripsit Galbertus, Brugensis urbis publicus Notarius, et in plerisque testis oculatus: quem summâ diligentiâ omnia coram observasse colligimus ex iis quæ n° 59 declarat his verbis: *Inter tot noctium pericula et tot dierum certamina, cùm locum scribendi ego Galbertus non haberem, summam rerum in tabulis notavi, donec aliquâ noctis vel diei expectatâ pace, ordinarem secundùm rerum eventum descriptionem præsentem, et secundùm quod videtis et legitis, in arcto positus fidelibus transcripsi. Neque quid singuli agerent præ confusione et infinitatione notavi; sed hoc solum intentâ mente notavi, quod in obsidione communi edicto et facto ad pugnam et ejus causam congestum est; atque ad hoc quasi me invitum, ut scripturæ commendarem, coegi.* Hinc minùs cultam ac elegantem ejus scriptionem nemo mira-

Digitized by Google

principabatur Imperator Romanorum Henricus, qui, cùm annos plures sedisset, A
* An. 1125. sine hærede diem obiit *. Minoris quoque famæ ac virium Rex Anglorum sine liberis degebat in regno, quàm Comes Carolus Flandriarum Marchio, naturalis
* *f.* quidem. noster dominus et Princeps, qui quòd * militiæ famâ et generis nobilitate regio sanguine septennis in Comitatu pater et advocatus Ecclesiarum Dei præerat, erga pauperes largus, inter Proceres suos jucundus et honestus, adversùs hostes crudelis et cautus, qui etiam sine hærede a suis, imò nefandissimis servis, traditus et occisus pro justitia occubuit. Tanti quidem Principis mortem descripturus, non elaboravi eloquentiæ ornatum, seu diversorum colorum distinguere modos; sed rerum veritatem solummodò exequi, quæ quamquam stylo arido, tamen memoriæ fidelium scribendo commendavi peregrinum mortis ipsius eventum....

Num. 3. Karolus itaque filius Cnutionis Regis Daciæ, et matre [Adelâ] oriundus quæ terræ Flandrensis Comitum de sanguine processerat, eâ affinitate cognationis a B puero in patria nostra altus est usque ad virile robur corporis et animi. Postquam verò militiæ titulis armatus est, egregium facinus in hostes arripuit, famam bonam et gloriam sui nominis penès regnorum potentes obtinuit. Quem quidem per plures annos in Principem peroptaverant Proceres nostri, si fortè sic evenire potuisset. Igitur Comes Balduinus, adolescens fortissimus, moriendo nepoti (*a*) suo Karolo regnum suum contradidit, et Principibus sub fidei secu-
* An. 1119. ritate commendavit *.

Num. 4. Cœpit utique majoris consilii prudentiâ pius Comes de pacis reformatione disponere, leges et jura regni revocare, ita ut paullatim pacis statu undecumque collecto, in quarto sui Comitatûs anno, per illum omnia florerent, omnia riderent, omnia justitiæ et pacis securitate et multiplici jucunditate fruerentur. Tandem videns gratiam pacis omnibus jucundam, indixit per terminos regni ut sub quiete et C securitate absque armorum usu communiter degerent, quicumque aut in foro aut infra castrum manerent et conversarentur; alioquin ipsis plecterentur armis quæ ferrent. Sub hac ergo observantia arcus et sagittæ, et subsequenter omnia arma postposita sunt in forinsecis locis, sicut et in pacificis. Quâ pacis gratiâ legibus et justitiis sese regebant homines, omnia ingeniorum et studiorum argumenta ad placita componentes, ut in virtute et eloquentia rhetorices unusquisque se defenderet, cùm impetitus fuisset; vel cùm hostem impeteret, quâ colorum varietate oratoriè fucatum deciperet. Tunc verò habuit rhetorica sua exercitia et per industriam et per naturam. Erant enim multi illiterati, quibus natura ipsa eloquentiæ modos et rationabiles præstiterat conjecturandi et argumentandi vias, quibus nullatenùs illi qui disciplinati erant et docti artem rhetoricam, obviare vel avertere poterant. Sed quia iterùm suis fallaciis minùs cautos fideles D et oves Christi in placitis illi convenerunt; Deus, qui omnia ab alto speculatur, corripere fallaces suos non despexit, ut quibus eloquentiæ bonum præstiterat ad salutem, ipsis per flagella insinuaret, quia eo bono usi sunt ad propriam perditionem.

Num. 5. Immisit ergo Dominus flagella famis, et postmodum mortalitatis, omnibus qui in regno degebant nostro; sed priùs terrore signorum revocare dignabatur ad pœnitentiam, quos pronos præviderat ad malum. Anno ab incarnatione Do-
* An. 1124. mini milleno centeno vicesimo quarto, in Augusto (*b*) mense, universis terrarum habitatoribus in corpore solari circa nonam horam diei apparuit eclipsis, et luminis non naturalis defectus, ita ut solis orbis orientalis obfuscatus paullatim reliquis partibus ingereret nebulas alienas, non simul tamen totum solem obfuscans, sed in parte; et tamen eadem nebula totum pererravit solis circulum, pertransiens ab Oriente usque ad Occidentem, tantummodò in circulo solaris essentiæ: unde qui statum pacis et placitorum injurias notabant, futuræ famis et mor- E tis periculum minabantur universis. Cùmque nec sic correcti sunt homines, tam domini quàm servi, venit repentinæ famis inedia et subsequenter mortalitatis irruerunt flagella.... Quâ tempestate, non poterat solito more sese quisque cibo et potu sustentare; sed contra morem tantùm panis insumpsit epulator semel in prandio, quantùm ante hoc tempus famis in diversis diebus sumere consueverat: atque sic per insolentiam est gurgitatus, et omnes naturales receptaculorum meatus

bitur. Cæterùm *per distinctiones dierum et gestorum*, non solùm *quæ in illis facta sunt diebus luctuosis* narrat; sed defectionem quoque Flandrorum a Guillelmo Comite, et electionem Theoderici Alsatii, et varia utrimque gesta bella ad obitum usque Guillelmi Normanni eodem ordine describit.

(*a*) Imò, *consobrino*.

(*b*) Die 11 Augusti, ex tabulis astronomicis.

Digitized by Google

A distenti nimietate repletionis cibi et potùs, natura languebat. Cruditate quoque et indigestione tabescebant homines, et adhuc fame laborabant, donec spiritum exhalarent ultimum. Multi quoque inflati sunt, quibus cibus et potus fastidiebat, quibus tamen utique abundabant. Quo tempore famis, in media Quadragesima * etiam homines terræ nostræ circa Gandavum et Legionem (*a*) et Scaldum fluvios commorantes, carnes comederunt, eò quòd panis eis prorsùs defecisset. Quidam verò ipso itinere, cùm transitum facerent ad civitates et castra, in quibus panem sibi compararent, nondum semiperfecto transitu, suffocati fame perierunt. Circa villas et curtes divitum, et castra seu munitiones, pauperes cùm ad eleemosynas misero gressu devoluti venissent, mendicando mortui sunt. Mirabile dictu! nulli in terra nostra manserat naturalis color, sed talis pallor affinis et proprius mortis inerat universis. Languebant similiter sani et ægri, quia qui
B sanus erat in compositione corporis, æger effectus est, visâ miseriâ morientis. * An. 1125.

Neque sic quidem correcti sunt impii, qui eodem tempore, sicut aiunt, in piissimi Comitis Karoli mortem conspiraverant. At Comes egregius satagebat omnibus modis pauperes sustentare, eleemosynas largiri in castris et in locis suis, et præsens ipse et per ministros suos. Eâdem tempestate centum pauperes in Brugis omni die sustentabat, singulis illorum unum panem admodùm grandem tribuens, ab ante Quadragesimam prædictam usque in novas ejusdem anni messes. Similiter in aliis castris suis idem disposuerat. Eodem anno (*b*) edixerat dominus Comes, quòd quicumque duas mensuras terræ seminarent, tempore sementis alteram mensuram terræ seminarent fabâ et pisâ, eò quòd hoc genus leguminis citiùs et tempestiviùs fructum proferret, unde pauperes citiùs sustentari potuissent, si famis miseria atque inedia eo anno non cessaret. Similiter per omnem
C Comitatum suum præceperat, per hoc in futuro consulens pauperibus, quantùm poterat. Illos etiam ex Gandavo turpiter redarguit, qui passi sunt ante ostium domûs suæ mori pauperes fame, quos pavisse poterant. Cervisiam quoque interdixit confici, ut eò leviùs et meliùs abundarent pauperes, si a cervisia conficienda cessarent tempore famis cives et incolæ terræ. Nam ex avena panes fieri jussit, ut saltem in pane et aqua vitam continuarent pauperes. Vini quartam sex pro nummis vendi præcepit et non cariùs, ideo ut cessarent negotiatores ab abundantia et emptione vini, et merces suas commutarent pro necessitate famis, pro victualibus aliis, quibus leviùs abundarent et faciliùs pauperes sustentarent. A propria mensa sibi quidem substraxit quotidie victum, unde centum pauperes et tredecim sustentabantur. Indumenta insuper nova, scilicet camisiam, tunicam, pelles, cappam, braccas, caligas, subtulares, a principio illius Quadragesimæ
D et devoti jejunii sui, in quo statim traditus in Domino obdormivit, quotidie uni pauperum erogavit usque ad diem quem obiit in Christo : atque dispensatione tali et misericordi erogatione in pauperes peractâ, sic ibat ad Ecclesiam, ubi in oratione decumbens psallebat Deo psalmos; ibique audito ex more sacro, denarios pauperibus distribuit, sic Domino prostratus. *Num.* 6.

Cùmque in Comitatu suo Flandriarum Marchio Carolus pacis et gloriæ decore degeret, Henricus Imperator Romanus diem obiit *, et desolatum est regnum imperii illius et sine hærede exhæredatum. Igitur sapientiores in Clero et populo regni Romanorum et Teutonicorum satagebant omnibus modis, quem sibi ad imperium regni providerent, virum nobilem tam genere quàm moribus. Igitur circumspectis terrarum et regnorum Principibus, consideratè inierunt consilium, quatenùs illi sapientiores et potentiores in regno legatos
E idoneos, scilicet Cancellarium Archiepiscopi Coloniensis civitatis, et cum eo Comitem Godefridum [Namurcensem] solemniter transmitterent ad Consulem Flandriarum Carolum pium, ex parte totius Cleri et ex parte totius populi regni et imperii Teutonicorum expostulantes et obsecrantes potentiam et pietatem ipsius, ut imperii honores et dignitates regias cum suis facultatibus pro sola caritate assumeret. Omnes enim meliores tam in Clero quàm in populo eligendum sibi eum justissimo desiderio expectabant, ut si, Deo donante, ad ipsos dignaretur adscendere, coronatione et imperii exaltatione unanimiter sublimarent, ac Regem illum lege prædecessorum catholicorum Imperatorum constituerent. Cùmque legationem et expostulationem audisset Carolus Comes, consilium cum nobilibus et Paribus suæ terræ subiit, quid super hoc ageret. At illi qui ipsum justo *Num.* 7. * An. 1125.

Num. 8.

(*a*) Aliis, Legia vel Lisa, *la Lis*.

(*b*) Biennio ante mortem, ut indicat Gualterus.

Digitized by Google

amore et dilectionis virtute dilexerant, et ut patrem venerabantur, cœperunt A
dolere et discessum ejus deflere, et ruinam patriæ gravem fore, si forte eam
desereret.... Remansit (*a*) itaque in Comitatu suo Carolus Comes pro expostu-
latione suorum dilectorum, pacem et salutem patriæ, quantùm in se erat, omni-
bus demandans et constituens, catholicus, bonus, religiosus, cultor Dei, homi-
numque rector providus....

Num. 9. Hujus quoque vitæ tempore contigit Regem Hierosolimorum * in captivita-
* Baldui- tem Saracenorum cucurrisse *, et desolata sedebat civitas Hierusalem absque
num. * An. 1123. Rege suo : quem, sicut didicimus, Christiani nominis milites, qui militiæ chris-
tianæ ibidem studuerant, odio habebant, eò quòd tenax et parcus fuisset Rex
ille captus, nec benè rexisset populum Dei. Inierunt ergo consilium et com-
muni consensu litteras direxerunt Comiti (*b*) Carolo, ut ascendens Hierosoly-
mam regnum Judææ assumeret, et in loco et in sancta civitate imperii catholici B
coronam dignitatemque regiam possideret. Noluit igitur, super hoc accepto
fidelium suorum consilio, deserere patriam Flandriam, quam vitâ comite benè
recturus foret, et satis meliùs quàm adhuc rexisset, nisi traditores illi pessimi,
pleni dæmonio, dominum et patrem, plenum spiritu pietatis et consilii et
fortitudinis, enecassent...

Num. 11. Postquam igitur clementia Dei flagella substraxerat, et molestiam temporis
prorsùs remotam frustraverat, cœpit suæ dignationis copiam terris commodare,
et jussit vegetabilitate frugum horrea repleri, vino et cæteris victualibus mun-
dum redundare, et quadam amœnitate temporum, jussu divino, tota terra
refloruit. Volens itaque Comes pius iterùm revocare honestatem regni, perqui-
sivit qui fuissent de pertinentia sua proprii, qui servi, qui liberi in regno.
Dum placitorum negotia agebantur, sæpè Comes præsens aderat, audiens de C
disceptatione libertatis sæcularis et conditione servorum, scilicet quòd in magnis
negotiis et generalibus caussis liberi responsa non dignabantur reddere servis.
Quos quidem Comes de pertinentia sua perquirere poterat, sibi vindicare labo-
rabat. Unus Præpositus Bertulfus Brugensis, et frater ejus [Desiderius *Haket*]
* *Al.* Bur- Castellanus in Brugis, cum nepotibus suis Bordsiardo *, Roberto (*c*), Alberto
chardo. et cæteris de illa cognatione præcipuis, elaborabat omni astutiâ et ingenio, quo-
modò a servitute et pertinentia Comitis sese absentaret et subterfugeret: nam
et ipsi de Comitis pertinentia erant conditione servili.

Num. 12. Accepto tandem consilio, Præpositus ille neptes suas nubiles, quas educa-
verat in domo sua, militibus liberis in conjugium tradidit, ut quasi occasione
illâ nubendi ad libertatem secularem quodammodo accederent ipse et sui. Sed
contigit quòd miles qui neptem Præpositi duxerat in uxorem, ad singulare bellum D
alium quemdam in præsentia Comitis appellaret militem, qui secundùm suæ
cognationis propagationem liber erat. At appellatus indignationis sibi repulsâ
viliter respondit, scilicet se non fuisse de servili conditione, imò liberæ digni-
tatis secundùm lineas sui generis propagatum, et ob hoc ad bellum singulare non
se fore parem appellanti congressurum. Quicumque enim secundùm jus Comi-
tis ancillam liber in uxorem duxisset, postquam annuatim eam obtinuisset, non
erat liber; sed ejusdem conditionis erat effectus, cujus et uxor ejus. Indoluit
ergo miles ille, qui propter uxorem suam libertatem amiserat, per quam libe-
riorem se fore crediderat, cùm eam accepisset. Indoluit ergo Præpositus et sui,
et ideo enitebantur omnibus modis se subtrahère a servitute Comitis. Igitur cùm
veritatis indicio et seniorum regni relatu Comes intellexisset, quòd sibi sine
cunctatione pertinuissent, conabatur ipsos suæ servituti vendicare : et tamen E
quia Præpositus et cognati ejus a Comitis prædecessoribus usque ad hoc tem-
pus de servili conditione non interpellatus nec pulsatus fuit, quasi sopitum et

(*a*) Non solùm autem imperialem dignitatem recusavit Carolus; sed litigantibus de ea Lotha-
rio et Frederico Suevorum Duce, suffragio suo eam Lothario asseruit. Quippè, ut ait Anselmus
Gemblac. *in Theophania legati Comitis Morinorum Karoli, scilicet Castellanus Gandæ et Abbas S. Petri
ad eum venerunt, nunciantes dominum suum Comitem subjectionem se ei facturum.*

(*b*) Hierosolymitanis haud ignotus erat Carolus; quippè teste ipso Galberto n° 20: *Cùm ante Co-
mitatum multa insignia et egregia fecisset, arripuit sanctæ peregrinationis viam Hierosolymorum; atque
maris profunda transnavigando, tandem post multa pericula et vulnera pro amore Christi sæpe perpessa, voto
peroptato et lætissimo in Hierusalem adscendit: ubi etiam contra hostes christianæ fidei streniè dimicavit,
et sic veneranter adorato Domini sepulcro, repatriavit.*

(*c*) Burchardus filius erat Lamberti *Nappin*, fratris Bertulfi Præpositi; Roberti et Alberti pater erat Robertus olim Brugensis Castellanus, frater itidem Præpositi, sed Robertus ex secunda conjuge fuit prognatus.

Digitized by Google

A multis temporibus neglectum foret, omnium oblivioni tradebatur, nisi in prædicta belli appellatione ad recordationis veritatem revocatum fuisset.

Cæterùm Præpositus cum tota nepotum successione post Comitem in regno potentior, et famâ atque religione gloriosior, se liberum fuisse et cognationis tam antecessores quàm successores suos confirmabat, et quadam superstitione et arrogantiâ sic se contendebat. A Comitis igitur mancipatione et pertinentia se et suos subtrahere consilio et potentiâ laborabat, et ideo sæpè improperabat Comiti sic : « Iste Carolus de Dacia nunquam ad Comitatum conscendisset, si » ego voluissem. Nunc ergo cùm per me sit Comes effectus, non recordatur » quòd benè sibi fecerim, imò laborat prorsùs me cum toto genere meo retor- » quere in servum, perquirens a senioribus utrùm simus ejus servi : sed quærat » quantùm velit, nos semper erimus et sumus liberi, et non est homo super B » terram qui possit nos constituere servos ». Frustra tamen jactanter loquebatur : nam Consul præcautus detractionem Præpositi et suorum intellexerat, et fraudem simul et traditionem audierat. Quandoquidem defensionis suæ effectum habere non poterat Præpositus et sui, quin libertate sibi usurpatâ carerent, maluit ipse cum tota nepotum successione perire, quàm servitute Comitis mancipari. Perverso tandem et nefandi consilii dolo cœperunt de morte piissimi Consulis seorsùm tractare, et tandem locum et opportunitatem occidendi illum prætendere. *Num.* 13.

Lætus ergo Præpositus erat quòd [ob] lites et seditiones ortas inter nepotes suos et Thancmarum, cujus parti justæ Comes favebat, occasiones haberet tradendi Comitem. Nam universos milites provinciæ nostræ tum pretio, tum potentiâ, tum petitione acciverat in auxilium nepotum suorum contra Thancmarum : quem quidem obsedit circumquaque in loco quo se vallaverat, et tandem, collectâ manu, C invasit validissimè obsessos, et claustra portarum confringens detruncavit pomeria et sepes inimicorum suorum. Absens tamen et quasi nihil fecisset, consilio et dolo omnia fecit : omnem benevolentiam a foris prætendebat, et inimicis dicebat sese dolere quòd nepotes sui tot lites, tot homicidia peragerent, quos quidem ad omnia nefaria animaverat. In congressione ergo prædicta utrimque ceciderunt eo die plurimi vulnerati et mortui. Quod cùm intellexisset Præpositus quòd jam Congressio fieret, ipsemet descendit ad carpentarios qui in claustro Fratrum operabantur, et jussit ferramenta eorum, scilicet secures illuc deferri, quibus detruncarent turrem et pomeria et domos inimicorum suorum. Misit ergo per singulas domos in suburbio ad colligendas secures, quæ illuc citissimè delatæ sunt. Cùmque in nocte rediissent nepotes ejus cùm quingentis militibus, armigeris et peditibus infinitis, induxit eos in claustrum et Fratrum D refectorium, in quo refecit universos diverso ciborum et potuum apparatu, et super hoc lætus et gloriosus erat. Cùmque assiduè sic affligeret inimicos, et maximam in eis expensam faceret qui nepotes suos juvarent; cœperunt primò armigeri, postea milites deprædari rusticos, adeò ut pecudes et armenta villicorum raperent et devorarent. Quidquid in suum usum possederant rustici, hoc nepotes Præpositi violenter rapiebant, et suorum sumptui deputabant. Sed a principio regni nullus Comitum perpessus est rapinam fieri in regno, eò quòd maxima mors et pugna inde contigisset. *Num.* 14.

Audierunt ergo rustici Comitem venisse apud Ipram, ad quem nocte et clanculò usque ad ducentos transierunt, pedibusque ipsius Convoluti, obsecrantes paternum et consuetum ab eo auxilium, ut res ipsorum reddi juberet, scilicet pecudes et armenta, vestes et argentum, insuper omnem cæteram supellectiE lem domorum suarum : quæ omnia rapuissent nepotes Præpositi, et illi qui in expeditionem illius obsidionis cum illis et nocte et die pugnassent. Quas proclamorum conquestiones Comes graviter ferens, convocavit consiliarios suos, et plures etiam qui de cognatione Præpositi fuere, perquirens ab eis quâ vindictâ et quo rigore justitiæ hoc facinus justificaret. At illi consilium dederunt ut sine dilatione domum Borsiardi incendio destrueret, eò quòd rapinam in rusticos Comitis exercuisset : atque ideò maximè consiliati sunt domum præfatam destrui, quæ quamdiu staret, tamdiu lites et rapinas Borsiardus insuper et homicidia perageret, et sic viciniam illam prorsùs vastaret. Descendit ergo super hoc consultus Consul, et incendit domum, et funditùs mansionem ejus destruxit. Tunc ille Borsiardus et Præpositus et ipsorum complices ultra modum indoluerunt, tum quia Comes in hoc facto videbatur consensum et auxilium *Num.* 15.

Digitized by Google

præstitisse inimicis eorum, tum quia Comes quotidie ipsos de servili conditione pulsaret, et ad sibi mancipandos omni modo laboraret. Sicque domo conflagratâ, Comes Brugas adscendit. A

Num. 16. Conscensâ (*a*) igitur domo cùm consedisset, venerunt ad eum qui familiares erant ei, et præcautum reddiderunt, dicentes quòd nepotes Præpositi eum traderent, eò quòd jam occasionem aptam prætenderent a conflagratione domûs præfatæ : quamquam, etsi non fecisset Comes, non minùs tamen ab illis traderetur. Postquam verò Comes cœnaverat, adscenderunt coram eo intercessores ex parte Præpositi et nepotum ipsius, qui exorarent Comitem ut indignationem suam ab eis averteret, et sub amicitia sua miseratus eos reciperet. At Consul omnia justa se cum illis acturum et misericorditer etiam respondit, si lites et rapinas postponere deinceps voluissent, et meliorem domum insuper restituere Borsiardo se debere promisit : in loco tamen in quo domus combusta est, jurabat, se Comitatum obtinente, ampliùs Borsiardum nullam possessionem obtenturum, eò quòd usque tunc juxta Thancmarum manens, nunquam nisi lites et seditiones in hostes et in cives cum rapina et cæde ageret. Qui verò intercessores fuere, partim conscii traditionis, non multùm super reconciliandis vexabant Comitem.... B

Num. 17. Igitur Isaac et Borsiardus, et Willelmus ex *Wervi,* Ingrannus et eorum complices, accepto assensu a Præposito, quod nec necessitate divinæ ordinationis per liberam voluntatem quidem facturi erant, accelerabant. Nam statim hi qui mediatores et intercessores erant inter Comitem et nepotes Præpositi, conscensâ domo ejusdem Præpositi, denunciaverunt responsum Comitis, scilicet quòd nullam gratiam potuissent acquirere aut nepotibus aut eorum fautoribus prædictis; sed hoc solùm cum eis ageret, quod justitiæ districtione censura Primatum terræ constituisset. Tunc Præpositus et sui nepotes intrò cameram abeuntes, accitis quos voluissent, custodiente ipso Præposito cameræ januam, dede- C

Num. 18. runt dextras in invicem ut traderent Consulem.... Securi igitur in tenebris consiliabantur traditionem fieri statim in mane, eligentes de familia Borsiardi animosiores et audaciores ad hoc facinus, et spondebant eis divitias multas; militibus quidem qui interficerent Comitem marcas quatuor, et servientibus qui idem agerent marcas duas obtulerunt, et confirmaverunt sese nequissimâ rerum taxatione....

Num. 25. Anno milleno centeno vicesimo septimo, sexto Nonas Martii, secundo die

* An. 1127. scilicet post introitum mensis ejusdem, præteritis duobus diebus de secunda hebdomade Quadragesimæ, feriâ quartâ subsequenter lucescente, Concurrente quinto, Epactâ sextâ, circa mane, dum pius Comes Brugis in Ecclesia Sancti Donatiani, Remorum quondam Archiepiscopi, in oratione decumberet ut matutinalem Missam audiret, ex pia consuetudine eleemosynarum suarum largitiones pauperibus erogabat, fixis oculis ad legendos psalmos, et manu dextrâ porrectâ ad largitiones eleemosynarum; plures enim denarios Capellanus suus, qui hoc procurabat officium, Comiti apposuerat, quos in orationis actione pauperibus distribuebat. Primæ horæ quoque obsequium finitum erat, et de Tertia hora responsum finitum, quandò *Pater noster* oratum est, quandò Comes more suo officiosè et apertè legendo orabat : tunc tandem post tot consilia et juramenta et securitates inter se factas, primùm in corde homicidæ et traditores pessimi, Comitem devotè orantem et eleemosynam dantem, divinæ majestati suppliciter prostratum, gladiis confossum et sæpiùs D

Num. 26. transverberatum mortuum dimisere.... Occiderunt quoque [Themardum] Castellanum ex *Brudburch,* priùs ad mortem vulneratum, postea per pedes a solario, in quod conscenderant Comes et ipse, viliter detractum, in januis Ecclesiæ foràs gladiis dismembrabant. Hic tamen Castellanus confessionem peccatorum suorum Presbyteris Ecclesiæ ipsius confessus, corpori et sanguini Christi communicatus est more christiano. Nam statim occiso Comite, gladiatores illi, relictâ Comitis glebâ, et ad mortem Castellano isto reducto in solario, excursum fecerunt in hostes illos qui erant præsentes de curia Comitis, ut eos vagantes in castro interficerent, sicut vellent. Henricum militem quemdam, quem suspectum habebat Borsiardus de morte fratris sui nomine Roberti, fugabant in domum Comitis : qui prostratus est pedibus Castellani *Haket,* qui et ipse in eamdem domum cum suis conscenderat ad eam obtinendam, suscepitque Hen- E

(*a*) In Ed. legitur *concessa* hìc et n° seq.

ricum

Digitized by Google

A ricum et simul cum eo fratrem Walteri ex Locris, et ab invadentibus illos vitæ conservavit.

Ipso momento, proditi sunt eisdem gladiatoribus duo filii Castellani ex *Brud-burch*, interim in solario Ecclesiæ peccata sua Sacerdotibus confitentes, quorum scilicet filiorum militia benè apud omnes et simul eorum conversatio commendabatur. Walterus et Giselbertus dicti sunt, fratres genere, militiâ pares, elegantioris formæ nobilitate digni ut ab omnibus amarentur qui eos agnovissent. Qui mox, auditâ cæde in Comitem et patrem, suffugere satagebant; sed illos apud Harenas in exitu suburbii persequebantur, equo excurrentes post illos traditores pessimi. Quorum alterum fratrem nefarius miles, Eric nomine, unus quidem illorum qui Comitem tradiderant, ab equo quo insidens fugeret, dejecit, et dejectum simul cum persecutoribus interfecit. Alterum
B quoque fratrem, in ostio hospitii sui in fugam prosilientem, ex opposito ei occurrentes gladiis trajecerunt: quem unus civium nostrorum, nomine Lambertus *Berakin*, cadentem securi suâ quasi lignum aliquod detruncavit; sicque illos fratres occisos beatitudini sanctæ, quæ in supercœlesti vita est, transmiserunt. *Num.* 27.

Cæterùm Riquardum ex *Woldman*, illius oppidi virum potentem (cujus filiam nepos duxerat Thancmari, contra quem lites et seditiones hactenùs Præpositus et nepotes ejus exercitaverant) per leugam unam persequebantur fugientem, qui cum suis militibus ad Comitis curiam ascenderat, sicut plures Principes qui eodem die sese præparabant ad curiam ituros. In qua persecutione frustrati proditores redierunt usque in castrum, in quod Clerus et populus loci nostri confluxerant, et attoniti quidem pro eventu rerum vagabantur. Qui verò in Comitis amicitia priùs, scilicet dum viveret, constiterant, timebant procul dubio,
C et ad horam latitantes ab aspectu illorum traditorum declinabant. Qui verò de curia Comitis ab amicitia ejus pendebant, in fugam celeriter conversi, interim dum tumultuabat populus, fugerunt. Gervasius Camerarius Comitis, quem priorem ad vindicandam domini sui mortem dextera Dei armavit, interim versùs Flandrenses cognatos suos equo aufugit. Joannes quidam serviens Comitis, qui cameram observare consueverat, et quem præ servis dilexerat Comes, fugit a manè equo currendo per devia usque in meridiem, et eo tempore meridiei pervenit in Ipram, divulgans ibidem mortem Comitis et suorum. Quo tempore negotiatores omnium circa Flandriam regionum ad Ipram confluxerant in Cathedra S. Petri * ubi forum et nundinæ universales feriabantur, qui sub pace et tutela piissimi Comitis securi negotiabantur.... In cujus fori confluxu, cùm fama universos de diversis locis percelleret, accinctis rebus suis, et die et nocte
D fugerunt, secum infamiam nostræ terræ ferentes et ubicumque divulgantes. *Num.* 28. * An. 1127.

Planxit ergo illum Consulem pacis et honoris omnis homo, quicumque vel famam ejus audierat. Sed in castro nostro, in quo occisus jacebat dominus noster et pater piissimus Carolus, nullus audebat apertè deflere eventum mortis ejus; quasi ignotum suum inspicientes dominum, et quasi peregrinum suum videntes patrem, dolores et suspiria sine lacrymis reprimebant: quos tamen dolores tantò graviùs intùs tolerabant, quantò sibi per lacrymas et ejulatus mederi non audebant. Nam nepotes Præpositi, et ille sceleratissimus hominum Borsiardus cum complicibus suis, statim post fugam inimicorum suorum in castrum reversus, Walterum ex Locris requirebant sui milites et ipse, quem maximè oderant. Nam de consilio Comitis fuit, et nocivus eis in omnibus, qui instigaverat ad hoc Comitem, ut in servos sibi subjugaret totam illam cognationem Præpositi.
E At idem Walterus quoque permotus angustiâ se in organistro, scilicet in domicilio quodam organorum Ecclesiæ, in eodem solario quo occisus jacebat Consul, occultaverat ab eo tempore quo interficiebatur Comes, usque ad reversionem nefandorum illorum in castrum, scilicet quandò post fugatos hostes suos circa meridiem redierunt. Irruerunt igitur per januas intra templum, et discursitantes nudis gladiis et adhuc cruentis, clamore maximo et armorum fragore circa scrinia et subsellia Fratrum Ecclesiæ requirebant Walterum, Walterum ex nomine vociferantes. Et invenerunt Castellanum ex *Brudburch*, quem in solario vulneraverant ad mortem, adhuc spirantem: hunc per pedes abstractum tunc tandem in januis Ecclesiæ occiderunt.... *Num.* 29.

Interea per loca et intra et extra Ecclesiam requirebatur Walterus ex Locris. Unus verò ex custodibus templi occultaverat illum, cui et ipse pallium dimi- *Num.* 30.

Digitized by Google

serat. Sed de loco in quo latuit, dum strepitum armorum audiret et se ex A
nomine vociferatum, angustiâ mortis confusus, putans in Ecclesia meliùs salvari, excurrit; et deorsùm ab alta testudine scholarum saltans, inter medios inimicos fugit usque infra chorum templi, magno et miserando clamore interpellans Deum et Sanctos. Quem ad manus persecuti sunt ille miser Borsiardus et Isaac, servus et Camerarius simul et homo Comitis Caroli, furentes in sacro loco, extractis gladiis et horribiliter cruentatis. Erant quippè valdè furibundi et ferocissimi vultûs, grandes in statura et torvi, et tales quos sine terrore aspicere nemo poterat. Borsiardus igitur crine capitis arreptum, et vibrato gladio se extenderat ad percutiendum, et nullo intervallo differre hoc voluit, eò quòd tam optatum hostem in manus teneret. Tamen Clericorum interventu distulit ejus mortem, donec sicut ipsum arripuerat, educeret ab Ecclesia. At ille captivus et mortis securus, ibat clamitans *miserere mei Deus*. B
Cui illi responderunt : « Talem tibi rependere debemus misericordiam, qua» lem erga nos promeruisti ». Et a se propulso cùm in curte castri eduxissent, illum servis suis interficiendum projecerunt : at servi quàm citissimè morti tradiderunt, gladiis et fustibus et clavis et lapidibus obrutum. Interim recurrentes in sanctuarium, circa altare requirebant si qui laterent, quem interficiendum præjudicassent, et servientes intromiserunt qui requirerent illud....

Num. 35. Inter hæc cadavera occisorum, scilicet Castellani et Walteri ex Locris, e castro efferebantur, et simul navibus impositi sunt Castellanus et dilectissimi filii ejus, et devehebantur ad proprias domos et castra. Præpositus verò in domo sua cum Canonicis suis deambulabat, excusans se verbis quantùm potuit, quia nihil hujus traditionis prænovisset. Eodem die excursum fecerunt traditores illi in hostes suos, scilicet contra Thangmarum et suos apud *Straten*, et repererunt C
oppida eorum vacua et curtes desertas. Nam audito scelere quod factum est in morte Comitis, timuerunt sibi maximè, eò quòd defensorem suum perdidissent, et si fortè obsidione angustiati includerentur a traditoribus, nullus foret ipsis adjutor. Cùm tandem intellexissent omnes regni Pares in tradendo assensum præstitisse (credebant enim multò graviora pericula in futuro et sibi et toti regno imminere) nihil possessiones suas curantes, sed hoc solum reputantes, si vitam propriam conservarent, atque ad tutiora loca fugerunt. Tunc traditores illi
invadentes tam oppidum quàm curtem Thangmari, omnia arma et supellectilem intrò diripientes simul cum maxima rapina pecudum et vestium rusticorum villæ illius, atque sic rapinâ exercitatâ per totum diem, in vespera redierunt. Et non solùmmodo isti circa viciniam nostram rapinam fecerunt, sed plures qui traditionem præsciverant, statim præcurrentes ad transitum mercatorum, qui ad D
forum in Ipra feriatum ibant, ipsos simul cum oneribus suis rapuerunt. Auditâ quoque mortis traditione, Willelmus ex Ipra obtinere Comitatum se credidit deinceps, et universos negotiatores, cujuscumque loci fuissent, securitatem et fidelitatem sibi et suis jurare coegit, quos in foro capere potuisset; alioquin a se recedere non permisit, sed tamdiù captivavit, donec hominia et securitates sibi peregissent : et hoc totum fecit consilio Præpositi et traditorum nepotum ipsius.

Num. 36. Jam eodem declivo ad vesperam die, ex communi consilio Præpositi et nepotum ejus et complicum suorum, claves de thesauro Comitis a Fromoldo juniore, quem captivum tenebant, requirebant, et similiter claves omnes de domo, sive de scriniis et cistis quæ in domo erant, violenter extorserunt : quas quidem Borsiardus et Castellanus *Haket*, et Walterus filius Lamberti ex *Reddemburch* in suam potestatem susceperunt.... E

Num. 38. Nocte verò subsequente, jussit Præpositus Ecclesiam undique armis, et vigiliis præmuniri solarium et turrim templi, in quæ loca, si fortè a civibus insultus fieret, sese reciperent ipse et sui. Et introierunt illâ nocte milites ex præcepto Præpositi in solarium Ecclesiæ armati, præmunientes turrim et exitus ejus continuis vigiliis, timentes impetum et incursum civium fore contra se die sequenti et deinceps.

Dominicâ post mortem Consulis, Præpositus transmisit Episcopo nostro Simoni Noviomensis sedis salutem. Lator ergo litterarum Radulfus Monachus S. Trudonis erat, in quibus obsecrabat Episcopum illum ut Deo reconciliaret Ecclesiam, in qua Comes traditus, eo ignorante, jaceret. Obtulit quoque excusationis suæ argumenta, quibus canonicè innocentiam suam coram universo

Digitized by Google

A Clero et populo probaret. Igitur lator ille captus et ab jumento jactatus, non pervenit ad Episcopum : quod audiens Præpositus valdè timuit sibi.

Feriâ quartâ et quintâ, Præpositus mandavit per quemdam garcionem Waltero ex Frorerdelfo (*a*), ut per fidem quam sibi et nepotibus suis dederat adjuratus, in auxilium sibi cum potentia sua festinaret, et transmisit ei quadringentas marcas argenti. At ille, acceptâ pecuniâ, simulabat se venturum, et nunquam venit, nisi ut ei et nepotibus suis noceret. Episcopus verò Simon, qui frater (*b*) erat uxoris Comitis Caroli, persequebatur Ecclesiam Brudgensis castelli, gladioque anathematis sacrilegos et traditores illos percussit, et ne quis fidelium in eorum conspirationem et auxilium declinaret prorsùs prohibuit; sin verò sub anathemate omnes adjutores eorum in malo præfato damnavit....

Quartò Nonas * ejusdem mensis, sextâ feriâ, Canonici et Præpositus ad explen- *Num.* 42.
B das de more funeris exequias, et sepulcro jam præparato, in Ecclesia S. Petri * An. 1127.
extra muros convenerunt, ubi Missa fidelium defunctorum pro anima pii Comitis est celebrata, ubi admodum pauci præter Canonicos offerebant. Nam de curia nullus obtulit, nisi Balduinus Capellanus, Odgerus junior et Godebertus, Clerici Comitis. Redierunt postea et Præpositus et Fratres in Ecclesiam S. Donatiani, ubi funus aderat; et intromissis pauperibus in Ecclesiam, Fromoldus senior dispersit denarios, per manus tamen Præpositi, omnibus qui volebant recipere egentibus, pro salute animæ Caroli pii Consulis. Quod quidem non sine lacrymis ille senior Fromoldus fecit, imò plures impendit pietatis lacrymas quàm denarios : quippè maximus pauperum erat conventus, qui eleemosynas susceperunt. Distributione verò eleemosynarum consummatâ, corpus nobile in solario transportatum est, et præsens juxta monumentum consistens Præpo-
C situs, deflebat tunc tandem Consulem, quem rationis ductu recognovit patrem fuisse universæ regionis Flandriarum, et talem illum planxit, qualem quidem recognoscere obstinato animo indignabatur. Et clausus est in sepulcro pro necessitate illius temporis constructo, et si non sicut decebat, tamen consequente opere et artificio infra positus claudebatur....

Priore die ante Nonas primi mensis, Dominicâ, Godescalc de *Thaihals* ab *Num.* 44.
Ipra internuncius ad Præpositum Brugas venit in hæc verba : « Dominus meus » et intimus amicus vester, Willelmus ex Ipra (*c*) salutem et amicitiam, et in » omnibus promptissimum auxilium, quantùm in se est, vobis et vestris apertè » demandat ». Cætera verò quæ pudor erat palam referre, postquam omnes ei applausissent, introductus in cameram denudavit Præposito et Willelmo ex *Wervi* et Borsiardo, et eis quos intrò ad se asciverant paucos : unde tota
D domus læta deinceps fiduciam obtinebat in Willelmo, adeò ut Comitem eum vocaret et assumeret. In quo mandationis occulto, sapientes et qui conjecturas componebant, notabant traditionis notâ Willelmum, qui traditores loci nostri in maturitate sceleris sui salutasset, et cum tota potentia sua ipsis auxilium promptissimum fide et scripto et securitate obtulisset. Cùm ergo reversus est nuncius, captivati sunt mercatores Flandriæ, de quocumque loco apud forum convenissent in Ipra, et constricti ut in Willelmo fidem, securitatem et hominia facerent, et sic in Comitem sibi assumerent : quod quidem consilio Præpositi et suorum factum erat, sperantes se sic frustra tradidisse pium Comitem Carolum. Et quidem in Consulatum sublimatus fuisset Willelmus (*d*) eodem tempore, si statim Brugas descendisset ad faciendam vindictam domini sui et nepotis traditi Consulis; sed quia non sic erat a Domino dispositum, necesse erat divinam
E sequi ordinationem tam Principes alios quàm populum terræ, et unanimes omnes fieri ad ulciscendam mortem Consulis piissimi. Adhuc suburbani nostri loci apertè introierunt ad consilia dominorum illorum, Præpositi scilicet et Castellani et nepotum suorum nefandorum, et secreta consiliorum suorum perquirebant, ut sic astutè rescitis eorumdem dolis et machinationibus, cautiores in posterum forent.

(*a*) Aliàs *Forerdeslo*. Videtur esse *Vlaerslo* propè Dixmudam.

(*b*) Scilicet uterinus. Nam mater ejus Adela Viromandensis Comitissa, defuncto Hugone Magno, Philippi Regis fratre, iterùm nupta est Rainaldo Comiti Claromontano, eique peperit Margaretam, dein a Carolo Bono in uxorem acceptam.

(*c*) Erat Guillelmus Iprensis seu Loanus, filius Philippi Comitis, fratris Roberti Hierosolymitani : cui præ B. Carolo jus erat succedendi in Comitatum Flandriæ, nisi illegitimo thoro natus fuisset.

(*d*) Tradit Gualterus nº. 64, *Guillelmum, mox ut Comitis mortem audivit, eâdem die sibi Comitatum (frustra tamen) vindicasse, Ariam oppidum munitissimum occupasse, et oppidanos omnes sibi fidelitatem jurare fecisse; sanctum-Venantium, Casletum, Bellulam, Ipram, Bergensem quoque terram et Furnensem pari modo sibi subegisse.*

Digitized by Google

Quo tempore non cessabat Præpositus et sui consulere et circumvenire quos- A
cumque, ut sibi faverent, dando et promittendo plurima. Nam mandavit Willelmo Comitatum se donaturum, et ideo hominia et securitates exhortatus est illum ab omnibus accipere Flandrensibus, quos aut vi aut pretio cogere potuisset. Transmandavit Furnensibus Præpositus, qui in ejus amicitia steterant, ut securos et homines sese Willelmo constituerent. Mandavit quoque Episcopo Noviomensi litteras, quibus excusationem suam obtulit, quòd in traditione
Num. 45. Comitis nihil conscius fuisset consilio vel facto ; quin et summâ dilectione filiis Ecclesiæ, sibi scilicet et Canonicis suis, consulendo succurreret, reconciliando Ecclesiæ loca, et ad celebranda divina officia sui Pontificatûs auctoritate et præsentiâ ipse celeriter adventaret. Sub eodem tenore litteras direxit Episcopo Morinorum Joanni. Apud Kerseca (*a*) Roberto qui neptem ipsius Præpositi
duxerat, mandavit ut domum et loca sua firmissimè præmuniret, donec cons- B
tituisset Willelmum Iprensem in Comitem. Erat autem ille Robertus miles liber, antequam uxorem accepisset neptem Præpositi ; sed postquam annuatim illam tenuisset, secundùm legem Comitum Flandriæ, servili conditione ad Comitem pertinebat : unde conflictus inter Comitem Carolum pium et Præpositum et suos de servitute et libertate exortus est perniciosissimus. Mandavitque idem pro Flandrensibus illis qui circa mare sibi vicini manerent, ut cum sua potentia sibi et nepotibus suis in auxilium venirent, si fortè in regno et Comitatu aliquis ad vindicandum insurgeret.

Num. 46. Præcepit potenter civibus nostris ut loca suburbii circumsepirent fossatis et sepibus, quatenùs contra quoscumque sese defenderent. Consepserant tempore eodem suburbium cives quidem, sed prorsùs aliâ intentione quàm ipsis et consultum et imperatum fuisset, sicut postmodùm fuit manifestum. Igitur sepes et C
ligna Comitis occisi, et Fromoldi Junioris (qui proscriptione suarum rerum exsilium expectabat) extra suburbium, et insuper universa quæ ad opus sepiendi utilia sibi videbantur, Castellano duce, diripiebant cives, et fabricabantur ad defensionem communem turres et propugnacula et exitus contra hostes : in quo ergo perficiendo omnes festinabant, tam Clerus quàm populus. Itaque nulla fuit requies nocte in vigilando et die operando, donec consummato opere circumsepiendi suburbium, custodes ordinarent ad singulas portas et turres et propugnacula, quatenùs nemo exiret nisi cognitus, et nemo intromitteretur nisi civis.

Num. 47. Nonas Martii * feriâ secundâ, divinæ ultionis gladios evaginavit contra inimi-
* An. 1127. cos Ecclesiæ suæ Deus, et commovit cor cujusdam militis Gervasii in exercendam vindictam acriùs et celeriùs quàm eo tempore æstimabatur ; et sic col- D
lectâ irâ suâ, cum tota potentiæ manu miles ille sæviebat contra sceleratos illos, qui optimum Principem, pium et justum, in servitio Dei ad veneration nem sui et Sanctorum suorum prostratum humiliter, in sacro tempore Quadragesimæ, et in sacro loco et in sacra oratione, dominum suum pessimi servi tradiderunt morti, intra quos tutum se semper fore crediderat. Gervasius igitur, qui familiaris erat et fidelis domino suo piissimo Carolo, utpote qui Camerarius ejus exstiterat, et ad ejus consilia et dispositiones secretò et apertè accesserat, pro morte carissimi sui domini dolens et iratus, cum peditum exercitu truculento, et militum coronâ et armorum densitate succinctus, circumvallavit se contra hostes Dei, et accurrens obsedit oppidum, quod in defensionem traditorum stabat præmunitum valdè, nomine *Rauenschot* (*b*), quod quidem et ex loci difficultate et ex ipsa munitione invincibile fuit et inaccessibile, et E
accepit prædam magnam in pecudibus castri illius et vicinorum. Nam eodem tempore securi degebant universi qui ad illos sceleratos pertinuissent, credentes neminem in toto mundo vel velle vel posse insurgere in dominos suos, eò quòd tantæ audaciæ facinus illi miseri in dominum suum Comitem peregissent. Excæcaverat enim illos Deus, ita ut nihil consilii et rationis obtinerent ; sed præcipitati in omne malum, irâ et furore debriati, timore et pavore errarent, tam illi qui tradiderant Comitem, quàm omnes qui in eorum auxilio manerent. Quandoquidem securos se crediderant, et omnes in regno vel inferiores se vel

(*a*) Fortè *Kemseca* in Wasia ditione. *Suggessit non nemo*, inquiunt Bollandiani, *legendum forsan* Kacskercha *vel* Kacsikinskerka, *nomen pagi circa Dixmudam, naturâ loci ad quamlibet munitionem apti.*

(*b*) Est *Rauenscot* in agro Brugensi seu Franconatu propè Lisiam fl. e regione *Ekeloi*. Verùm videtur hic locus urbi Brugensi vicinior fuisse, et jam igne et armis destructus desiisse. (*Bolland.*)

Digitized by Google

A amicos putabant, non erant præcauti de incursione aliquorum contra se: et ideò cùm Gervasius incursum ageret apud *Rauënschot*, maximam prædam exercuit. At illi qui obsessi fuere, ex inopinato incursu intercepti, valdè attoniti, eò maximè quòd pauci fuissent qui contra tot millia se defensarent, desperantes vitæ suæ sese statim reddiderunt Gervasio, eâ conditione ut suâ vitâ et membris salvis abirent. Irruerunt itaque, expulsis illis, equites et pedites qui obsederant oppidum, et vastabant quæcumque intrò repererant. At illi qui sese reddiderant in obsidione, homines scilicet traditorum, aufugi nocte usque ad nos fugerunt, narrantes eventum rei Præposito et suis: unde timore deinceps timuerunt assiduè, statum mentis mutantes ab illa superbia et tumiditate, quâ usque ad hoc tempus feroces et sine modo et sine humilitate paruerant. Robertus puer (*a*), cujus oppidum destruendum igne et ferro fuerat in brevi spatio, conabatur
B cum paucis excurrere contra obsidentes; sed cùm tantam multitudinem præscivisset, omisit incursum. Quanto ergo timore et dolore laborarent traditores illi, et e contra quanto gaudio exsultarent præter eosdem omnes alii, supersedere longum erat, eò quòd pari intentione Deum ipsum incœpisse vindictam omni ex parte intellexissent.

Octavo Idus Martii *, feriâ tertiâ, *Rauenschot* oppidum conflagratum est et destructum igne et armis, et juxta Brugas domus Wlfrici *Cnop* fratris Præpositi, qui mortem Comitis juraverat, cumbusta est. Proinde accessum fecit Gervasius cum potentiâ suâ versùs castrum in quo sese præmunierant traditores, circumiens excursus et præveniens transitus illorum circa suburbium castri. Burgenses igitur nostri, audito quòd Deus vindictam tam citò incœpisset, in sola conscientia gaudebant, nunquam ausi apertè congratulari vindicantibus propter tra-
C ditores, qui adhuc securi et potenter inter illos ibant et revertebantur. Seorsim verò gratias Deo referebant, qui misericordiæ suæ oculis dignabatur revisere fideles suos in loco horroris et confusionis, qui et exterminare festinabat homicidas pessimos, qui hactenùs flagellaverant populum Domini rapinâ, incendiis, vulneribus, omnimodis perturbationibus. Summiserunt autem secretos internuncios ad Gervasium et suos, componentes de fide et amicitia et fidissima securitate in invicem. Insuper conjuraverunt vindictam Comitis sui, et ut die subsequenti intromitterent exercitum Gervasii ad se infra suburbium, et reciperent eos sicut fratres intra munitiones suas. Auditâ ergo legatione, Gervasiùs et sui quàm lætiore et justiore animo susceperunt internunciorum verba non potero explicare, scientes dispensatum a Deo fuisse quidquid in vindicando agerent. Conjuraverunt equidem Gervâsius et sui cum internunciis civium
D nostrorum, et compositi sunt sub eodem sacramento fidei et securitatis, in vindicando dominum suum et æquissimum Consulem terræ nostræ. Hoc totum latebat traditores illos, et plurimos civium nostrorum prorsùs præter paucos sapientiores loci, qui seorsùm et nocte composuerunt hujusmodi consilium salubre universis.

Num. 48.
* An. 1127.

Septimo Idus Martii *, die quartâ, quandò octava dies illius illuxerat beati Consulis, qui ad veram octavam e terris transmigraverat, Gervasius ex condicto a civibus nostris infra suburbium susceptus est, apud Harenas versùs occidentem castri: quod illis traditoribus maximus occasus erat futurus. Sed ante hoc per domorum incendia terruerat eodem die Borsiardum et Robertum puerum, et complices eorum, qui, visis domorum conflagrationibus, undique exiverant a castro, ut perspicerent incensores illos, si fortè invadere possent. Namque
E orientem versùs castri, tres domus altiores incensæ, vibrantibus flammas ventis, ardebant, et ád spectandum cives simul cum Borsiardo et militibus suis, ignorantes compositionem factam inter Burgenses et Gervasium, excursitabant, et eorum pars plurima armatâ manu cum nefariis illis. Isaac quoque, qui, vivente Carolo pio Consule, Camerarius et de consilio et familiaritate Comitis exstiterat, qui caput traditionis erat, in excursu cum militibus suis ferebatur equo. Tandem cùm sibi ad invicem approximassent ex utraque parte milites, traditores videntes se non posse continere contra tantum exercitum, eò quòd paucissimi essent, convertebantur in fugam. At persecutores illorum, extentis

* *Num.* 49.
* An. 1127.

(*a*) Erat Robertus filius Roberti Brugensis Castellani, fratris Brugensis Præpositi, ex secunda conjuge prognatus. Hic præ juventute blanditiis circumventus manus dedit traditoribus, ut legitur n°. 17.

Digitized by Google

cursibus insecuti, usque in castrum profugos reddiderunt. Cùm tandem in suburbium devenissent, Borsiardus et sui ante domum Desiderii fratris Isaac restiterant paulisper, consilium perquirentes quid jam agerent. Interim Gervasius violenter persequens illos, venit occidentem versùs ad portas suburbii, et ibi fide datâ et acceptâ a civibus, irruit infra cum validissima manu. Adhuc cives quiete solitâ in domibus suis substiterant; nam circa vesperam erat, et consederant cives plurimi ad prandium, quibus non erat nota hæc actio. A

Num. 50. Cùm igitur traditores illi consulerent sibi et de fuga sua starent perturbati, minùs prospiciunt irruere persecutores suos per plateas, qui hastis et lanceis, sagittis et universis armis impetebant illos. Porrò tumultus maximus et armorum fragor et clamorum tonitrua omnes conturbaverant cives: qui ad arma ruentes parabant se, alii ut defenderent locum et suburbium contra Gervasium, qui prorsùs ignoraverant pactum; alii, quibus res fuerat nota, irruerunt cum Gervasio totis viribus, et fugabant illos traditores fugientes in castrum. Cùmque inter cives res est manifestata de compositione et fide et juramento Gervasii ad ipsos, tunc primùm simul irruerunt per pontem castri super illos, qui in parte sceleratorum e castro ad pugnam resistebant. In alio quodam ponte, qui versùs domum Præpositi dirigebatur, magnus conflictus pugnæ fuit, in quo cominùs pugnabant lanceis et gladiis. In tertio verò ponte, qui in orientali parte jacebat a castro et usque ad portas castri se tenebat, fortissimus congressus fiebat, adeò ut non tolerantes pugnæ acerbitatem, illi qui intrò stabant, frangerent pontem, et portas super se clauderent. Ubicumque ergo cives accessum habuerant ad castrenses, fortissimè pugnatum est, quoad usque illi non poterant sustinere, eò quòd intercepti et a civibus traditi essent. Vellent, nollent quidem, agitati sunt infra castrum miseri illi, quorum magna pars vulnerata est, et simul exanimati metu et dolore, atque lassitudine pugnæ defatigati.... B C

Num. 53. Sexto Idus Martii, * feriâ quintâ, ad obsidionem accucurrit [Sigerus] Castellanus ex *Ghendt* cum sua potentia, et frater Baldevini de *Alst* * nomine *Ywan*. Nocte igitur præteritâ ejusdem feriæ quintæ, quia Isaac se conscium sceleris sciebat et damnabat, (urgebat enim eum timor mortis) cum solo armigero suo aufugit, simul et uxor ejus, et servi et pedissequæ, universaque familia ipsius, et ubi contigit eos manere in tam arcto noctis aufugio, latuerunt: domum quidem et curtem et majorem supellectilem, et reliquas res quas hactenùs potenter et liberè possederant, desertas et sine consilio in prædam hostibus reliquerunt. Quo audito, summo mane Castellanus ex *Ghendt* * et *Ywan* cum multitudine obsidionis irruerant, diripientes omnia quæ usui suo ad asportandum invenerant. Tandem faculis igneis tectis suppositis, incenderunt domos et curtes, et quæcumque igne consumi poterant ibidem reperta. Quæ quàm citissimè omnia conflatione et ventorum fomentis et insaniâ tempestatis ignis destructa sunt, et omnium admiratione testificatum est, scilicet nihil tanti ædificii et lignorum tam celerem passum fuisse adnihilationem.

* An. 1127.
* *Alost.*
* Gandavensis. D

Num. 54. Quinto Idus Martii, * feriâ sextâ, Daniel [de Tenremonde] unus de Paribus regni, qui ante traditionem Comitis in amicitia altè fuerat cum Præposito et nepotibus suis, acceleravit ad obsidionem, simul et Riquardus ex *Woldman*, Theodoricus Castellanus Dikasmutis oppidi, Walterus *Butelgir* * Comitis. Unusquisque itaque istorum Principum cum tota sua potentia venerat ad vindicandam mortem Comitis et domini sui. Qui quidem omnes postquam convenerant, cum civibus nostris, accitis quoque omnibus in obsidione primatibus, conjuraverunt, antequàm permitterentur ingredi in suburbium, sese inviolabiliter observare loca et possessiones suburbii, ad salutem et profectum civium nostrorum: deinde uno animo impetuque adversarios et homicidas impiissimos aggredi, expugnare et, Deo volente, evincere, et nulli reorum parcere ad vitam, nec aliquo suo ingenio educere et salvare reos, sed disperdere, et communi Procerum judicio agere ad honorem regni et ad salutem inhabitantium in eo, simul confirmaverunt; salvis quidem rebus civium et suis, et salvâ omnium re qui in obsidione laborarent pro morte Consulis vindicanda.

* An. 1127.
* Buticularius. E

Num. 55. Quarto Idus Martii *, Sabbato, edictum exiit a Principibus ut castrum ex omni parte, quâ accessum haberent, invaderent omnes qui in obsidione consedissent. Et quidem circa meridiem armaverant se milites simul cum civibus,

* An. 1127.

Digitized by Google

A et circuibant impetentes igne portas castri : in quo aggressu posticum, quod juxta domum Præpositi stabat, incenderunt. Cæterùm cùm majores portas castri invaderent, subactâ fœni et stipularum aridâ congerie, et accito milite qui ignem stipulis ingereret; ab intùs castrum lapidibus, lanceis, sagittis obruti sunt hi qui aggrediebantur, ita ut quasi molaribus petris a propugnaculis dejectis innumeri læsi, et conquassati galeas et scuta, vix a portarum testudine sub qua latitabant ut incendia administrarent, cum salute vitæ aufugerunt. Quemcumque igitur persequebatur lapis ab alto dejectus, quantæcumque fuisset virtutis et virium, passus est sui ruinam gravissimam, ita ut totus prostratus et confractus, moribundus et exanimis caderet : quâ infestatione armiger unus a foris trajectus cor exspiravit. Tumultus et clamor utrimque grandis, et gravissimus congressus fuit; stridor quoque armorum et fragor in altiori aëris reper-
B cutiebatur concavitate. Inferebatur tandem pugna vespertino tempore; et cùm nihil præter mortem et damnum obtinuissent a foris, subtraxerunt se a muris et propugnaculis castri, et collectâ multitudinis suæ parte, de futuro noctis periculo sollicitabantur : de quo aggressu obsessi magis et magis animati sunt, eò quòd invasores suos, tot ruinis et vulneribus infectos, a muris propulsos vidissent.

Tertio Idus Martii *, Dominica sub specie pacis utrobique observabatur. Priore die ante Idus Martii, feriâ secundâ et feriâ tertiâ postea, convenerunt Burgenses ex *Ghend*, et avidissima turba prædonum simul cum ipsis ex circa adjacentibus villis, ad obsidendum. Nam pro ipsis mandaverat Castellanus ipsorum, ut, collectâ virtute et communione suâ, armati ad pugnandum insultum facerent ad castrum singulariter et per se, utpote viri gloriosi in certamine
C et pugna, habentes scientiam demoliendi obsessos. Cùmque sese singulariter in obsidione insultum facturos audissent, associaverunt sibi universos sagittarios, et ingeniosos operum artifices, et audaces raptores, homicidas, latrones, et quoscumque præsumptores in omne belli nefas, atque triginta plaustra oneraverunt armis; pedes et equo accurrebant, sperantes se obtenturos maximam pecuniam, si fortè se sibi redderent obsessi. Erat quippè validus et infinitus exercitus eorum. Qui cùm juxta portas suburbii accessissent, violenter ingredi ausi sunt : sed in faciem restitit eis omnis obsidionis, quæ intrò occurrebat, multitudo, et penè pugnatum fuisset undique, nisi quòd sapientiores sese composuissent in utraque acie. Nam datis dextris et acceptis, fide et sacramento juramenti sese taxabant, quatenùs eâdem intentione, eisdemque armis et eodem consilio in obsidione cum ipsis jungerentur, salvo loco et rebus nostrorum
D civium, atque vernaculos et sagaces in pugna secum tantùm retinerent, alios verò retrorsùm remandarent. Ingressi sunt ergo cum maxima multitudine Gendenses illi, et compleverunt locum circa castrum. Deinde paraverunt operatores et artifices eorum scalas, quibus muros conscenderent.

Num. 56.
* An. 1127.

Eodem tempore, reversus est Razo [de Gavera] *Butelgir* a S. Ægidio, et venit, justissimè dolens pro morte domini sui Consulis, cum sua potentia ad obsidionem.

Septimo decimo die ante Kalendas Aprilis *, feriâ quartâ, *cùm sanctificatus* (*a*), in nocte S. Gertrudis, Comitissa Hollandensis (*b*) ad obsidionem accessit cum filio suo et multa multitudine cum ipsa. Sperabat enim omnes obsidionis Principes electuros filium ejus in Comitem, eò quòd illud ei cives nostri et plures Principum suggessissent. Habebat quippè magnas gratias eis Comitissa, et labo-
E rabat omnium Procerum animos convertere in amicitiam sui, dando et promittendo multa. Quâ die, Froolfus et Bolduvinus ex *Somerenghem* milites quasi a Willelmo Iprensi se venisse simulabant, denunciantes Principibus obsidionis Regem Franciæ dedisse Comitatum ipsi Willelmo Iprensi, et super hoc universos sollicitos reddidit, qui filium Comitissæ præfatæ eligendum spoponderant. Astutè ergo hujusmodi mendacium et simulatè milites illi pro veritate annunciaverunt, ut eâ astutiâ differrent concessionem Principum obsidionis de suscipiendo filio prædictæ Comitissæ in Comitem. Quo audito, Principes indignè ferebant, si fortè verum fuisset Willelmum Iprensem Comitatu a Rege donatum.

Num. 57.
* An. 1127.

(*a*) Id est, feriâ IV post Dominicam IV Quadragesimæ, cujus Introitus Missæ ita incipit.

(*b*) Petronilla, Ducis Saxoniæ filia, nupta Florentio II Hollandiæ Comiti, cognomento Crasso; quo in flore ætatis an. 1122 sublato, ipsa pro filio suo Diederico VI Comitatum strenuè administravit. (*Bolland.*)

Digitized by Google

Conjurabant ergo et fide sese taxabant, nunquam sub illo Comite Flandriæ manente, sese militaturos; nam omnibus suspectus erat et notatus in traditionem domini Consulis. A

Num. 58. Sexto decimo Kalendas Aprilis, * feriâ quintâ, Canonici S. Donatiani in meridionali parte castri per scalas muros conscenderunt, in qua parte scrinia et feretra Sanctorum et reliquiarum suarum emiserunt, acceptâ Principum super hoc licentiâ et consensu : transtuleruntque in Ecclesiam B. Christophori quæ in medio fori consita est, cortinas et aulearia, tapeta quoque, cappas palliatas et sericas, vestes sacras, et librorum aggerem, et utensilia templi, et cætera quæ de pertinentia Ecclesiæ erant, elata sunt. De redditibus Comitis brevia et notationes, quæ Præpositus sibi et suo conservaverat Willelmo Iprensi, quia fortunam suam prorsùs mutatam vidit, interventu Fromoldi senioris efferri perpessus est, sicut omnia Sanctorum scrinia et ornamenta templi invitus permisit auferri. Stabat igitur Ecclesia S. Donatiani sola et deserta, tandem relicta traditoribus, qui in ea scortum haberent et cloacaria sua, et coquinas et furnos, et omnia immunda immundi agerent.... B

** An. 1127.*

Num. 63. Et sciendum quia milites strenui intùs quidem cum reis fuere, quibus semper animus exeundi, vel extra a muro cadendi et labendi erat promptior, si fortè locum habuissent, eò quòd communiter sub nota traditorum adscriberentur, quicumque obsessi sunt cum reis. Quo rescito, Principes obsidionis, collectis Consiliariis et Optimatibus majoris prudentiæ, accesserunt ad muros, et usi sunt colloquio cum omnibus intrò obsessis. Jusserunt igitur sibi ad spectaculum murorum evocari illos obsessos qui rei non fuerant, et obtulerunt eis licentiam et potestatem, si vellent, exeundi ab obsessis, salvâ vitâ et membris eorum, quorum quidem aperta foret innocentia. Cæterùm præter reos si aliqui exire vellent, et probare innocentiam suam secundùm judicium Principum, eâdem libertate exirent : reis verò nullâ dispensatione subveniretur, qui tantum facinus et ante hoc inauditum perfecerant crimen; imò inaudito plecterentur exterminio et ante hoc inauditâ moriendi acerbitate. Igitur secundùm edictum et pactum hujusmodi exierunt perplures, quia eorum erat aperta innocentia, aut parati fuerunt, quibus minùs credebatur, probare innocentiam.... C

Num. 66. Eodem die, ab armigeris Abbatissæ Auriniacensis Cœnobii audivimus eventum Isaac., qui eâdem nocte quâ fugerat, cùm se credidisset venisse Gandavum, venerat juxta Ipram. Fugit ergo inde usque in Steenvordam, villam Widonis generi (*a*) sui, ubi accepto consilio, nocte Teruanniam descendit, et latenter et furtim monachicum habitum assumpsit. Cæterùm rumor et requirentia universorum persequebatur fugientem, ut nullatenùs lateret, quin statim veritatem rescirent. Igitur [Arnulfus] Advocati Tervanniæ filius, cùm Isaac resciret, irruit in claustrum Fratrum, et reperit in cuculla latentem in Ecclesia, et quasi psalmos ruminantem. Cùmque captum eduxisset Isaac, virgis et vinculis coactum et flagellatum constrinxit, et ita extorsit ab eo, ut reos in Comitis traditione proderet. Et respondit confitens de se et aliis nominatim reis, superaddens plures fuisse qui conscii sceleris et administratores fuissent reorum, tradentium actualiter Comitem, scilicet gladio materiali. Subjunxit quoque de conjuratione proditionis suæ cum Borsiardo et Willelmo ex *Wervi*, Ingranno de Esna et Roberto puero, Wlfrico fratre Præpositi, et paucis simul annumeratis homicidis pessimis.... D

Num. 67. Quinto decimo die ante Kalendas Aprilis, * sextâ feriâ, adductæ sunt scalæ adversùs muros, et impetebant utrobique sese sagittis et lapidibus. Illi verò qui scalas adduxere, clypeis defensi et loricas induti progrediebantur. Multi equidem consequebantur ad spectandum quomodò erigerentur ad muros scalæ, eò quòd ex viredine et humiditate graves essent et ponderis magni, in altitudinem habentes circa mensuras sexaginta pedum hominis, et in latitudine pedum duodecim scala inferior, et scala superior admodum strictior, sed longior parumper exstitit. Cùmque trahebantur scalæ, juvabat manus vox et clamor trahentium, et resonabant clamores in aëre altiori. Tunc Gendenses armatâ manu protegebant illos clypeis qui scalas traherent. Nam audito et viso tractu, obsessi super muros ascenderunt, et ad propugnacula prodibant, obruentes lapidum infinitos tractus et sagittarum densitatem contra scalarum attrectatores. Cæterùm animosi juvenes et audaces, appositis parvulis scalis, quas decem homines sole- E

** An. 1127.*

(*a*) Imò *sororii,* is quippè matrimonio junctus fuerat sorori Isaac.

bant

Digitized by Google

A bant ferre, volentes prævenire insultum majorum scalarum, ascenderunt ad murum unus post alium; sed cùm aliquis in summitatem ascensum et super murum intentaret, illi qui ab intùs latitabant, insidiantes ascensoribus, hastis et conto et telis dejecerunt hærentem in scala, ita ut nullus tam audax, tam velox ampliùs foret, qui auderet ingredi ad obsessos per scalas minores. Interim murum perforare satagebant cœmentariorum malleis et universis ferramentis alii, et magnam partem muri avellentes frustrati recesserunt. Sed cùm trahentium multitudo prope muros conscendisset, et acriùs utrimque pugnaretur in obruendo moles lapidum ab intùs, densæ noctis tenebræ prohibebant utrosque a pugna: et multâ læsione acceptâ, Gendenses expectabant diem crastinum, quandò universa simul cum ipsis obsidio, violenter erectis majoribus scalis, ingrederentur ad obsessos.

B Quarto decimo Kalendas Aprilis *, Sabbato, cùm lucescente mane obsessi in diversa vexati parte castri, post pugnas quotidianas membra dedissent quieti, et cùm paulisper securiores forent, quòd hesterno die egregiè pugnassent contra forinsecos Gendenses, (namque eâ securitate vigiles murorum præconato die introierant in domum Comitis, ad ignem tepefacere se propter asperitatem frigoris, in vacuum relictâ curte castri) cives nostri, in meridionali parte quâ reliquiæ sanctorum elatæ fuerant, intrò conscenderunt per subtiles scalas et latrices, quas solus homo ferret. Intùs quippè sine sonitu et clamore sese collegerunt in magnas acies et præmunitas ad pugnandum, statimque ordinabant minores inter se ituros ad portas majores, ut terræ et simul lapidum congeriem sustollerent a portis, et introitum facerent extra consistentibus universis, qui hoc factum adhuc ignorabant. Portam quoque unam castri in parte occidentis repe- *Num.* 68. * An. 1127.

C rerant clausam firmiter clavi et serâ ferreâ, nullâque terræ et lapidum objectione obrutam, quam ideò liberam observaverant, ut per illam reciperent et emitterent quos vellent traditores illi. Quam statim ipso accessu gladiis et securibus nostri burgenses aperuerant, et circa concitato clamore et strepitu armorum, intrinsecùs in tumultum et concursum conturbaverunt exercitum in circuitu castri. Igitur irruerat gravissima obsidionis manus intra castra, alii ut pugnarent, alii ut raperent quæcumque infra reperirent, alii ut intra Ecclesiam ingressi corpus B. Comitis Caroli obtinentes Gandavum transferrent.

Tunc traditores illi qui in domo Comitis gravi sopore soluti jacebant, terrore et clamore infinito expergefacti, ignari rerum eventûs, discurrebant visum quidnam clamorum caussa foret: et cùm rerum pericula sibi imminere cognovissent, prosilientes ad arma instabant præ foribus expectantes congressum. Quidam ex *Num.* 69.

D ipsis in ingressu civium nostrorum intra castrum intercepti sunt ad unam portarum. Milites quidem plures, quibus custodia earumdem portarum deputata fuerat in parte orientis, cum introgressis civibus tumultum subeuntes, cùm nihil ulteriùs possent, sese reddiderunt misericordiæ et pietati captivantium. Quidam verò eorum diffidentes vitæ suæ, si a civibus caperentur, a muris dilapsi sunt, unus quorum in labendo præcipitatus, Giselbertus miles, exspiravit: quem cùm mulierculæ traxissent in domum, et exequias sibi præpararent, [Dixmudanus] Castellanus Theodoricus et sui rescitum mortuum illum, caudæ equi copulatum, per omnes plateas suburbii tractum, tandem in cloacarium in medio fori projectum deturbavit. Igitur cùm cives intellexissent illos velle resistere præ foribus in domo Comitis, conscensis gradibus quibus itum est ad easdem fores, securibus et gladiis detruncabant januas, et introgressi ad obsessos fugabant eos per mediam

E domum eamdem, usque ad transitum quo transire consueverat Comes de domo sua in Ecclesiam B. Donatiani. In hoc ergo transitu, qui arcuatus erat et ex lapidibus constructus, congressus maximus fuit: ubi cives cominùs gladiis tantùmmodo pugnabant, eò quòd obsessi ulteriùs fugere aspernarentur. Satis vires et animos suos tentantes utrimque stabant immobiles sicut ipse murus, donec collectâ manu, cives non pugnando, sed ruendo in obsessos, in fugam converterent ipsos, scilicet Borsiardum, qui immanis et iracundus, ferox et imperterritus, robore corporeo validior, restitit civibus semper in faciem, multos vulnerans, sternens, et ictu malleatorio gladii sui attonitos plurimos dejiciens. Simulque fugabant Robertum puerum, in quem nemo manum mittere volebat, eò quòd audissent de eo quòd innocens traditionis diceretur; atque imò magis, quòd omnibus in regno et ante traditionem et post dilector permanserat, fugere ille

Digitized by Google

nobilis neglexerat: sed rogatu amicorum secutus est fugientes, et nisi causâ A
ipsius fuisset, ibidem Borsiardum et suos milites, simulque omnes reos traditionis comprehendissent. Cùmque sese traditores infra templum recepissent, non ulteriùs persecuti sunt eos cives, sed ad prædam et spolia reversi sunt, discurrentes per domum Comitis et domum Præpositi, et dormitorium fratrum et claustrum. Consimiliter fecerunt universi qui in obsidione erant, sperantes thesaurum Comitis se fortè obtenturos, et supellectilem domorum infra muros positarum....

Num. 70. Obsessis ergo nihil præter solum templum relictum est, et absque eis quæ in templo secum comportaverant victualibus, scilicet vino et carnibus, farinâ, caseis, leguminibus, et cæteris necessariis vitæ. Hìc prætereundum non est qui erant capita inter obsessos; scilicet Castellanus *Haket*, Borsiardus, Robertus puer, Walterus filius Lamberti de *Reddenburg*, Wlfricus *Cnop*. Nam Præ- B
positus Bertulfus tertiâ nocte, id est nocte diei jovis ante captionem castri, datâ pecuniâ Waltero *Butelgir* usque ad quadringentas marcas, de subtus lobium (*a*) suum funibus appensus elapsus est solus, meliùs confidens illi Galtero quàm ulli homini super terram: qui tamen ipsum transductum in desertum locum, scilicet *Mor* (*b*), solum reliquit expositum inimicis suis et derelictum fugæ, cùm tamen in loco illo sibi ignoto nesciret quò fugeret. Igitur obsessi in templo, conscensâ turre, molares lapides obruebant super vagantes in castris, prædam universæ supellectilis ferentibus gravem injecerunt casum, ubi plures obruti letaliter perierunt. Sagittas statim direxerant contra fenestras turris victores castri, ut non posset in turri quisquam caput per fenestras emergere, cui non injicerentur mille sagittæ, mille fundarum ictus, ita ut tota turris sagittis inhærentibus hirsuta staret. Cùmque nihil super hoc proficerent utrimque, obsessi C
flammas injecerant in tectum scholarum, quod templo adjacuerat: per hoc volentes domum Præpositi exurere, cui idem tectum vicinum fuit. At in illo facto frustrati, deorsùm in pavimentum templi et in choro et in sanctuario interiore discursitantes, armati et præcauti sollicitabantur, ne auderet aliquis per fenestras introgredi ad ipsos, aut per januas Ecclesiæ violenter irrumpere....

Num. 73. Igitur domum Comitis superiorem obtinuit Gervasius miles, et Camerarius atque consiliarius Comitum regni, cum fortitudine magna: et jussit affigi signa sua in summa arce domûs. Namque ex invidia obsessorum hoc factum est, qui statim primo die obsidionis, etiam in die quâ dominum suum servi impii tradiderant, signa contra inimicos ferebant. Unde Willelmus ille Iprensis signa, quasi dominus et terræ Consul, ferebat contra quosdam, qui sibi redditus consulares solvere denegaverant, quia illum Consulem fore aspernati sunt. Tradi- D
tores quidem illi die primo obsidionis nihil humiliter agentes, quia Principes regni sibi conscios in scelere suo, et securos in eadem fide et amicitia crediderant cum ipsis, signa sua in suprema arce cameræ Comitis, et in summitate turris Ecclesiæ et in minoribus tribus, et in lobio Præpositi, simul in exitu portarum superbè præfixerant: ut per hoc appareret ipsos fuisse dominos, qui expectarent regni Proceres, amicos et consocios suos, per quorum potentiam obsidionem destruerent, et inultum maneret quòd Consulem tradidissent. Desiderius frater Isaac obtinuit inferiorem domum Comitis cum civibus nostris, et fixerat signum suum in lobio Comitis majore.... In domo quoque Præpositi nepotes Thancmari, quorum causâ in parte traditio facta est, ut aiunt,

Num. 74. præfixerant signa sua superbè et gloriosè ac potenter. Quod valdè ægrè ferebant omnes, et cives nostri nimis indoluerant, eò quòd Præpositus et sui ante E
tempus traditionis viri essent religiosi, amicabiliter se habentes erga eos, et cum honore omnes tractassent in loco nostro et in regno commanentes. Hi ergo prædicti, postquam obtinuissent domos et signa affixerant, quidquid intùs repererant, quasi proprium possidebant. Intumuit ergo cor civium nostrorum contra nepotes Thancmari, et quærebant occasionem pugnandi et interficiendi illos.... Vix ergo turbatos cives Principes cohibebant, quia Castellanus *Haket* et Robertus puer, cum amicis et propinquis ipsorum civium in turri altiore stantes, annuebant brachiis et manibus ut insultum facerent in nepotes Thancmari, qui ita arroganter in domum Præpositi conscenderant, et signa

(*a*) Lobium est extans pars domûs ultra murum aut parietem infra tectum.

(*b*) *Mor*, aut potiùs *moer*, Belgis est locus palustris et vliginosus.

Digitized by Google

A victricia affixerant, quasi suis viribus castrum expugnassent, cùm eo tempore quo cives ingressi sunt violenter in castrum, nepotes Thancmari domi et in rure suo dormirent. Illâ tandem conditione sedatus est tumultus, quatenùs ipsâ horâ exirent domum, et signa quæ affixerant verecundè tollerent, et discederent. At illi cum ductu Principum periculoso sibi recesserunt inde, in tantùm diffidentes civibus, ut unusquisque nepotum Thancmari equo et suo secum ductore insidente abscederent. Et sic relicta est domus sub tutela militum et civium nostri loci, et frumentum et vinum dispertitum est inter Principes obsidionis et cives, quorum viribus victoria illo die consummata est....

Tertio decimo Kalendas Aprilis *, Dominicâ, in nocte Benedicti Abbatis, ex Atrebato Rex Franciæ Lodewicus mandavit Principibus et Baronibus obsidionis prædictæ salutem, fidem et auxilium, insuper omnem gratiam pro vin- *Num.* 77. * An. 1127.
B dicando nepote suo et Flandriarum æquissimo Consule Carolo, quem justiùs decuerat fuisse Regem, quàm pessimorum traditorum Comitem. « Non habeo » quidem ad vos ad præsens transeundi opportunitatem, eò quòd festinantiùs » cum paucis huc descenderim, auditum et scitum eventum rei et obsidionis. » Non enim sapienter mihi agere visum est in manus traditorum terræ incidere: » quoniam, sicut intelleximus, plures sunt adhuc qui super obsessos dolent, » et eorum scelera defendunt, et ad eorum evasionem omni modo laborant. » Igitur quia terra conturbata est, et conjurationes jam factæ sunt in personam » Willelmi [Iprensis], ut violenter regnum obtineat, et contra eum omnes ferè » de civitatibus adjuraverint, se nullo modo Willelmum illum in Comitem » recepturos, eò quòd (*a*) spurius sit, natus scilicet ex nobili patre et matre » ignobili, quæ lanas carpere, dum viveret ipsa, non cessaret: volo et præ-
C » cipio vobis, sine dilatione coram me convenite, et communi consilio eli- » gite Comitem utilem, quem vobis æqualem et terræ et incolis præesse con- » senseritis. Nec poterit diu terra sine Consule fore, nisi cum graviore peri- » culo quàm modò immineat ».

Cùmque perlectæ sunt litteræ coram universis, ecce dum nondum respon- *Num.* 78.
dissent litteris Regis, utrùm irent an non, supervenit alius nuncius (*b*) nepotis Comitis Caroli, demandans Principibus obsidionis salutem et naturalem erga omnes terræ inhabitatores dilectionis affectum: « Certum est vobis omnibus » meæ sorti et potestati regnum Flandriæ post mortem domini mei Consulis » jure cognationis pertinere. Idcirco consideratè et cautè agere vos volo super » electionem meæ personæ, et prænonitos vos rogo, ne me alienum a regno » faciatis, qui jure et ex debito propinquitatis, si mihi remandaveritis, Co-
D » mes futurus, justus, pacificus, tractabilis, et utilitatis communis atque salu- » tis provisor accurro ». Tunc Principes simulque omnes, qui audierant lit- teras ab Elsatan * a nepote Consulis transmissas, fictitias asserentes, nullâ anim- * Alsatia.
adversione responsionis agebantur, eò quòd respublica laboraret, et Rex e vicino conventum acceleraret, neque sine longa opera pro eligendo nepote illo se tractare posse præviderent. Utillimum ergo præanticipantes consilium, *Num.* 79.
ex imperio Regis præparabant se ituros feriâ secundâ et tertiâ. Postea tamen ex industria et consilio singulari, Principes, convocatis civibus, proruerunt in eadem Dominica ad arma, et invaserunt obsessos in turri. Quodque ideò factum est, ut perterritos obsessos magis exanimarent ac pavidos redderent, quòd in discessu subito ad Regem a Principibus facto, non auderent a turri exire vel aufugere. Congressus quidem gravis utrimque factus est, et adhuc obsessos
E latebat, cur in Dominica insultum facerent in eos, cùm omnes cæteras de præterito tempore Dominicas in pace observassent. Exierunt igitur secundâ et tertiâ feriâ apud Atrebatum locutum Regi, ordinatis illis qui turrim nocte ac die armati cautè et fideliter, ne quis obsessorum subterfugeret, observarent....

Nono Kalendas Aprilis *, feriâ quintâ, *Woltra Cruval* retulit nostratibus *Num.* 81.
Regem Anglorum cum illo Iprensi Willelmo concordiam laudasse, pecuniam * An. 1127.
infinitam simul et milites trecentos præstitisse in auxilium, ad obtinendum Comitatum Flandriæ: quòd cùm falsum foret, tamen simulatâ fraude quasi credibile diffamavit. Nam verè constitit illum Willelmum Iprensem suscepisse

(*a*) Hunc *bastardum* vocat Sugerius Abbas in gestis Ludovici Grossi.

(*b*) Hic est Theodericus Alsatius, consobrinus Caroli Comitis: ambo enim ex duabus sororibus iisque Roberti Frisii filiabus, erant prognati.

Digitized by Google

de thesauro Comitis Caroli Anglicæ monetæ quingentas libras, per manus A
nepotum Præpositi Bertolphi : qui impiissimi traditores sibi et regno præferre
conati sunt eumdem Willelmum, qui ab eis quidem pecuniam, consilium et
auxilium obtinuerat, et quotidianis litteris missis in invicem et remissis, mu-
tuas voluntates et conscientiarum secreta loquebantur. A Rege ergo Anglo-
rum mentitus est miles præfatus Willelmum suscepisse donaria pecuniarum,
volens tegere traditiosam conscientiam Willelmi, qui verè a traditoribus sub-
missam pecuniam acceperat, per quam solidarios compararet : et sic cum vir-
tute, cùm Comitatum obtinuisset, traditores suas voluntates consequenter per
ipsum consummassent. Nullus verò primatum obtenturus in regno, voluit ali-
quid consilii vel internuncii traditorum apertè suscipere, eò quòd statim sub
nota traditionis conscriberetur. Ideò ille Willelmus tegebat conscientiam suam,
et pecuniam a Rege mentitus est sibi fuisse transmissam, quasi nihil commune B
haberet vel secreti cum traditoribus : qui tamen manifestè ante tempus obsi-
dionis salutem et auxilium litteris signatis mandaverat Præposito et suis. Quâ
tempestate, Giselbertus nepos traditorum, Castellanus Bergensis, qui sub nota
traditionis erat, ad Castellanum S. Audomari subterfugerat, offerens excusa-
tionem suam et innocentiam se paratum probare coram Rege et Paribus regni.....

Num. 83. Sexto Kalendas Aprilis *, Dominicâ in Ramis Palmarum, convenerunt bur-
* An. 1127. genses nostri in agrum, quod suburbio adjacet intra septa villæ, convocatis
undecumque Flandrensibus circa nos, et conjuraverunt simul super Sanctorum
reliquias, sic : « Ego Folpertus Judex, juro me talem electurum Comitem terræ
» hujus, qui utiliter recturus est regnum prædecessorum suorum Comitum, jura
» potenter contra hostes patriæ obtinere poterit, affectuosus et pius in paupe-
» res, Deo devotus, semitam gradiens rectitudinis, et talis fuerit qui utilitati C
» communiter patriæ velit et possit prodesse ». Consequenter ergo omnes me-
liores civium juraverunt : ex Isandica Alardus Scabinus cum sua potentia, ex
Ostburg Haiolus cum illius loci potestatibus, ex *Reddenburg* (*a*) Hugo Ber-
lensis cum illius loci fortioribus, ex Lapscurâ, Ostkerca, Vtkerca, Liswega,
Slipen, Gistella, *Oldinburg*, Lichtervelda, Jadbeca, omnes fortiores et meliores
simili sacramento juraverunt, eratque multitudo maxima conjurantium in idipsum.

Num. 84. Tertio Kalendas Aprilis, feriâ quartâ, in succincione campanarum reversi
sunt ex Atrebato Principes nostri, qui ad Regem exiverant pro consulendo
regno, et eligendo Consule secundùm consilium Regis Ludowici, Franciæ Im-
peratoris, atque omnium Baronum ipsius et terræ nostræ electionem, et juxta
prudentem et patriæ utilitati probabilem examinationem, cum tali relatu læti
et gaudentes, salutem et fidem ex parte Regis et Baronum denunciantes nobis D
et omnibus terræ incolis, atque illis præcipuè, qui ad faciendam vindictam
pro morte domini Caroli Consulis assiduâ obsidione desudaverant. « Rex Fran-
» ciæ Ludovicus omnibus regni filiis bonis salutem et gratiam, et cum omni
» regali potentia in virtute Dei et fortitudine armorum, invictissimum suæ
» præsentiæ subsidium. Quia patriæ ruinam simul cum Comite tradito gravem
» prævidentes, indoluimus, severitatis rigore et inaudito ante hoc tempus
» supplicio vindictam acturi convenimus : et ut deinceps terra suo Consule
» noviter per nos electo reconcilietur et convaleat, quidquid in subsequenti
» litterarum serie audieritis, obedite et facite ». Igitur Walterus *Butelgir*
litteras protulit Regis signatas coram universis civibus nostris, qui confluxe-
rant simul in agrum prædictum ad auscultandum Regis mandatum, atque
vivâ voce litteris testimonium confirmans ait : « Audite, ô cives nostri, quid E
» consilii et negotii apud Regem et ejus Barones actum sit, et prudenti exa-
» minatum judicio. Principes Franciæ et Primi terræ Flandriarum, jussu et con-
» silio Regis elegerunt vobis et terræ hujus Consulem (*b*) Willelmum puerum,
» natum ex Normannia, nobilem quidem genere, et hactenùs inter vos ab in-
» fantulo educatum in puerum, et inde in juvenem fortem. Quem juxta om-
» nem consuetudinem bonam consuescere liquet, et qualem vultis, talem
» habiliter flectere poteritis ad omnes bonos mores mansuetum et docilem.
» Ego quidem elegi ipsum, Robertus Betuniæ, Baldwinus ex *Alst* et *Ywan* frater

(*a*) Aliis *Rodenburgum*, nunc *Ardenburgum*, oppidum Flandriæ versùs Zelandiam, ubi sunt *Isendica et Ostburgum*. Reliqua loca sunt circumquaque in territorio Brugensi seu Franconatu. (*Bolland.*)

(*b*) Filius erat Roberti, filii Willelmi Conquestoris Angliæ Regis.

Digitized by Google

A » ejus, Castellanus ex Insulis et cæteri Barones sublimaverunt illum in Comitatu ;
» fidem; securitatem et hominia ei fecimus secundùm omnem modum prædecessorum suorum Comitum Flandriæ. Ipse etiam nos pro merito nostri laboris donavit terris et prædiis traditorum, qui secundùm Principum omnium judicia proscriptione damnati sunt, nihilque ipsis rerum vel miserationis præter gravissimam et inexcogitatam adhuc mortem relictum constat. Præcipio ergo et volo, ac consulo absque dolo vobis suburbanis simul omnibus qui assistitis, ut suscipiatis noviter electum Comitem Willelmum, et a Rege Comitatu donatum, in dominum et Consulem vobis. Cæterùm et si quid est quod suæ potestatis jure donari poterit, sicut teloneum et census terræ, libenter vobis condonari teloneum volentibus simul et censum mansionum vestrarum intra suburbium, me ipso denunciánte ex parte Regis et Comitis
B » novi, condonabit absque dolo et malo ingenio ». Auditis ergo litteris et voce litterarum latoris, cives procrastinaverunt responsum de receptione seu electione novi Consulis concedenda sibi, ut accitis Flandrensibus, cum quibus eligendi sacramenta constituerant, simul aut concessionem facerent, aut legationis Regiæ litteras refutarent. Et quia tenuerant diem sermonum longis protractibus, reversi sunt cives a loco oratorio, ex communi consilio mandantes pro Flandrensibus totâ illâ nocte, ut electionem in persona novi Consulis factam cóncederent, aut reprobarent.

Pridie Kalendas Aprilis *, feriâ quintâ, postquam convenerant cives cum Flandrigenis, ex communi consilio consenserunt, ut in Sabbato sancto Paschæ xx milites, et xii e civibus seniores et prudentiores exirent obviam nunciis Regis apud *Ravenschot* oppidum ad colloquium : ibique Gendenses
C expectarent adventum nostrorum. Nam ex civitatibus Flandriæ et castris burgenses stabant in eadem securitate et amicitia ad invicem, ut nihil in electione, nisi communiter consentirent aut contradicerent. Qua in re burgenses nostri non sine Gendensium consilio agebant, qui a latere sibi viciniùs assederant. Ibant itaque, sicut præordinaverant, in eodem Sabbato sancto. Rex quoque, sicut in Atrebato præordinaverat, cum noviter electo Comite descendit apud Insulas : ubi hominia facta sunt Comiti, sicut in Atrebato. Et inde descendit in villam, nomine (*a*) Dinsa, in itinere quo iturus erat in Gandavum. In eadem verò villa expectabat Rex Gendenses, qui reciperent novum Comitem secundùm præceptum suum et electionem Primorum terræ. Igitur concorditer actum est inter nostros et Gendenses de receptione novi electi, ut susciperent eum in Consulem et terræ totius Advocatum....

Num. 85.
* An. 1127.

D Quarto Nonas Aprilis, in Sabbato Sancto Paschæ, quidam cives nostri et Gendenses, qui a colloquio reversi sunt, elegerunt Willelmum in Comitem sibi et patriæ, hominia, fidem et securitatem facientes Comiti secundùm morem prædecessorum suorum Comitum. Eodem die Gervasius constitutus est Castellanus in castro nostro Brudgensi a Rege et Comite novo, cui suum meritum nondum per hoc meritum recompensatum est....

Num. 86.

Tertio Nonas Aprilis, Dominicâ Sanctâ Paschæ, in Theodosiæ Virginis, litterâ Dominicâ B, in expectatione suspensus erat et Clerus et Populus pro adventu Regis et Comitis apud nos....

Num. 87.

Nonas Aprilis, feriâ tertiâ, *Aquî* (*b*) *sapientiæ*, in crepusculo noctis, Rex simul cum noviter electo Consule Willelmo Flandriarum Marchione Bruggas in suburbium nostrum venit : cui obviam processerunt Canonici S. Donatiani, reli-
E quias Sanctorum afferentes, et in solemni processu, regio more, Regem et Comitem novum cum gaudio suscipientes.

Num. 88.

Octavo Idus Aprilis, feriâ quartâ, convenerunt Rex et Comes cum suis et nostris militibus, civibus et Flandrensibus multis in agrum consuetum : in quo scrinia et reliquiæ Sanctorum collata sunt. Et silentio indicto, lecta est charta libertatis Ecclesiæ et privilegiorum Beati Donatiani coram universis in præsentia Regis et Comitis : ut contra ea quæ privilegiorum paginis conscripta, et a catholicis Romanis Pontificibus sancita, et a nemine catholicorum Regum et Comitum corrupta constiterant, Rex in sua persona, simul et Comes, nullo temerario ausu se opponeret; sed potiùs regiæ dignitatis prærogativâ veneraretur sancita, et suæ potentiæ corroboraret impe-

(*a*) Dinsa seu Densa castrum et villa ad Lisam fl. (*b*) Verbis illis incipit Introitus Missæ feriâ iii Paschæ.

Digitized by Google

rio. Libertatem verò eligendi canonicè et sine simonia Præpositum ex concessione domini Papæ, sicut privilegii sui inscriptione contentum est, se habere protestati sunt Fratres ejusdem Ecclesiæ : quem quidem Præpositum Rex, si præsens afforet, canonicè et sine simonia electum potestativè officii sui ministerio et dignitate prælationis sublimaret, et in locum prælationis subrogaret; quòd si Rex non afforet, Comes ejusdem potestatis officio functus, concessionem canonicè electi Præpositi, et in locum subrogationis, et in propria persona et suorum faceret, secundùm prædecessorum catholicorum Principum morem. Lecta est quoque chartula conventionis inter Comitem et cives nostros factæ de teloneo condonato et censu mansionum eorumdem; quatenùs pro pretio electionis et susceptionis personæ novi Consulis, reciperent a Comite libertatem hujuscemodi, ne teloneum aut censum deinceps ipsi aut successores loci nostri Comiti vel ejus successori solverent; sed perpetuâ illâ libertate donati, sicut in charta conventionis conscriptum erat, ad confirmandam libertatem eamdem, juramentum a Rege simul et a Comite expostulatum susciperent : scilicet ne Rex aut Comes ampliùs per se vel per ministros pro solvendo teloneo et censu, cives nostros aut ipsorum in loco nostro successores inquietaret; sed bono animo et sine malo ingenio, et non subtracto, tam privilegia Canonicorum quàm condonationem teloneorum et censûs inviolabiliter conservaret. Sub hac ergo conditionis compositione juraverunt Rex et Comes super Sanctorum reliquias in audientia Cleri et populi. Subsequenter quoque cives juraverunt fidelitatem Comiti, sicut moris erat, et hominia fecerunt ei et securitates, sicut priùs prædecessoribus suis naturalibus Principibus terræ et dominis. Ut igitur benevolos sibi Comes cives nostros redderet, superaddidit eis, ut potestativè et licenter consuetudinarias leges suas de die in diem corrigerent, et in melius commutarent, secundùm qualitatem temporis et loci.

Num. 89. Tandem sacramento jusjurandorum confirmatis omnibus, reversi sunt Rex et Consul in hospitium : ubi delatæ sunt in omnium audientia litteræ hujusmodi ab eis, qui obsidionem fecerant in *Reddenburg*, Primatibus : « Nos quoque » hujus obsidionis exactores, electum novum Flandriarum Consulem electuri » erimus ex nostra parte, sub hac conditione quidem, ut inconsuetas expedi» tiones, insuper pravas Principum coactiones et telonea nova, quæ doloso » consilio Lamberti in *Reddenburg* noviter et præter jus consuetudinarium terræ » instituta sunt, a nobis et a nostræ viciniæ incolis ampliùs amota, damnes et » destruas, et libertatem obtineant rustici nostri exeundi et depascendi pecu» des suas super terram, quæ dicitur *Mor*, sine coemptione prava instituta a » Lamberto. Insuper de coemptione gravissima mansionum in *Erdenburg*, vo» lumus quoddam medium Regem et Comitem ponere, ut per duodecim » nummos tantummodò redimatur unusquisque nummorum illorum, quos secun» dùm positionem mansionum hactenùs sedecim nummis redimebant filii post » mortem patrum suorum. Nobis ipsis quidem legem statuimus, ut si expedi» tio ex parte Comitis nostri fuerit indicta, ille qui excusationem non habuerit » legitimam, emendabit Comiti xx solidos. Super iis omnibus assensum tuum, » domine Rex, et concessionem et confirmationem Comitis novi expostula» mus, quatenùs juramento confirmes omnia, quæ in hac charta conscripsi» mus et in audientia omnium promulgata constant. Monemus et obsecramus » tam Regis quàm Comitis personam et ejus omnipotentiam, ut Bertolphum » Præpositum, et ejus fratres Ulfricum *Cnop*, *Haket* Castellanum, Robertum » puerum, Lambertum ex *Reddenburg* cum filiis ipsorum, Borsiardum, et » reliquos traditores numquam hæredes fore permittant deinceps in Comitatu » Flandriæ ». Cùmque perlecta fuisset charta hujusmodi in conspectu universorum, juravit Comes novus se confirmare et concedere bono animo, et sine malo ingenio et non subtracto, omnia quæ expostulaverant ab ipso. Ac deinceps per totum reliquum diei tempus, hominia fecerunt Consuli illi qui feodati fuerant priùs a Karolo Comite piissimo, suscipientes nunc similiter feoda sua et officia, et quæcumque obtinuerant antè jure et legitimè....

Num. 90. Septimo Idus Aprilis *, feriâ quintâ, iterùm hominia facta sunt Comiti, quæ
* An. 1127. hoc ordine suæ fidei et securitatis termino consummata sunt. Primùm hominia fecerunt ita : Comes requisivit si integrè vellet homo suus fieri; et ille respondit, *Volo*, et junctis manibus amplexatus a manibus Comitis, osculo con-

Digitized by Google

A fœderati sunt. Secundo loco fidem dedit is qui hominium fecerat prolocutori Comitis, in iis verbis : « Spondeo in fide mea me fidelem fore amodò Co- » miti Willelmo, et sibi hominium integraliter contra omnes observaturum » fide bonâ et sine dolo ». Idemque super reliquias Sanctorum tertio loco juravit. Deinde virgulâ quam manu Consul tenebat, investituras donavit eis omnibus, qui hoc pacto securitatem et hominium, simulque juramentum fecerant. Eodem die, Eustachius ex Stenvordia in sancto-Audomaro priùs interemptus a civibus, et postea in conflagrationem illius domûs quâ suffugerat injectus, in cineres combustus est; ipse enim sub nota traditionis talem perpeti mortem promeruit. Eadem die, in Brugis Comes dedit Baldwino ex *Alst* quadringentas libras præter viginti, eò quòd ipsius viribus et consilio maximè post Regem in Comitatu valuerit.

B Sexto Idus Aprilis *, feriâ sextâ, similiter hominia facta sunt Comiti. Quinto * An. 1127.
Idus Aprilis, Sabbato, Rex ibat apud Winendala locutum Willelmo illi Iprensi adulterino Comiti, pro concordia facienda inter ipsum et verum novumque Comitem. At illi adulterino Comiti indignum fuit supra modum inire concordiam cum vero Flandriarum Consule, vel aliquam pacis compositionem se facturum, quia eum despectui habebat. Rex igitur ægrè ferens superbiam et contemptum adulterini Iprensis Comitis, ipsumque dedignatus, ad nos usque reversus est.

Quarto Idus Aprilis, Dominicâ, Comes noster secundùm consilium Regis et Principum iturus fuerat apud S. Audomarum; sed quia paucos habebat secum in via, in quibus confideret, nocte ad nos rediit.

Tertio Idus Aprilis, feriâ secundâ, Præpositus Bertolphus traditus est in manus *Num.* 91.
C illius adulterini Comitis, qui ideò magis studuerat et labore assiduo perquisierat quo loco latuisset, ut captivato eo et divulgato quòd Præpositum Brudgensem cepisset, suæ potestatis famam præcipuè emendaret, si de eo vindictam fecisset gravem. Nam sicut præscripsimus, in maturitate traditionis ab Ipra mandaverat eidem Præposito aptam salutationem et suis : in quo famam suam turpissimam et traditiosam reddiderat per omnes regnorum fines. Igitur cùm cepisset eum profugum et exsulem in patria et inter parentes; tamen non satis poterat excogitare quo mortis supplicio perderet, cujus conscius traditionis dicebatur. Et quamvis ille adulterinus calliditatis et astutiæ taliter argumentis videretur probare innocentiam suam; tamen Deus cui nihil resistit (cujus auctoritate dictum est : *Nihil occultum quod non reveletur*) hanc inhumanam turpitudinem et tanti Principis sui traditoris fidelibus suis manifestavit, damnavit, proscripsit, præcipitavit. Tan-
D tus erat tumultus, clamor et concursus Iprensium et totius viciniæ circa captivum unum hominem, ut non possimus æquiparare eum. Et sicut aiunt, saltando, choros ducendo, diversis applausibus præibant et consequebantur Præpositum, trahentes eum funibus longioribus a dextris ejus et sinistris, ita ut ordo trahentium in longum, et ab invicem in latum procederet : ut sic ab omnibus olim vir ille dignus et potentissimus verecundè et ignominiosè derideretur. Nudus prorsùs præter braccas, luto et lapidibus obrutus trahebatur. Præter Clerum et paucos qui dudùm religiosum virum cognoverant, nemo miseratus est illum....

Proinde ibat vir ille olim gloriosus, nunc ignominiosus, olim venerabilis, *Num.* 93.
nunc turpis, immoto vultu et oculis in cœlum directis, et nisi fallor, Deum miseratorem humanæ conditionis, quâ ipse indutus in regno mundi homines regit, invocabat sine strepitu vocum, sed in secreto mentis sibi invocaverat
E semper adjutorem. Tunc unus persecutorum, percusso capite ejus fuste, ait : « O superbissime hominum! cur indignaris respicere et loqui Principibus et no- » bis, qui habent potestatem perdendi te? » At ille nec respicere curabat eos, et suspensus est in medio fori Iprensium, juxta supplicia furum et latronum in patibulo, et braccas detraxerunt ei, ut illa verecundiora corporis apparerent. Nihil turpe vel ignominiosum erat, quod in ejus supplicium non inferrent. In quo patibulo brachia in crucem extensa et manus insertæ sunt, et caput transjectum per foramen ejusdem patibuli, ita ut reliquum corpus viri prædictis suis membris suspensum, quasi alienis laqueis suffocatum moreretur. Cùmque primo loco suspenderetur, et in ipso instrumento patibuli adhuc vir ille pedum articulis summatim sustentaret corpus, ut saltem sic vitæ miserandæ prolongaret spatium; venit ad eum inter tot millia lapidantium et jacturam facientium ille

Digitized by Google

adulterinus Comes Willelmus [Iprensis] et indixit omnibus silentium, et ait : A
« Dic ergo mihi, ô Præposite; per salutem animæ tuæ, te obsecro, dic, in-
» quam, quæso, qui sunt præter te et Isaac, et præter apertos traditores, adhuc
» latenter nocentes et culpabiles in morte domini mei Caroli Comitis? » Et ille
coram universis respondit : « Æquè tu, sicut et ego, nosti » : Tunc furore ar-
reptus, Willelmus ille præcepit lapides et lutum jacere in Præpositum illum,
et interfici. Et ecce qui pro piscibus emendis in foro convenerant, uncis ferreis,
fustibus et sudibus corpus viri dissipabant, nec in eo instrumenti adminiculo, quo
pedum articulis se sustentabat, sinebant diutiùs sustentari; sed propulso eo a sus-
tentaculo, suspendium et vitæ dispendia sub acerrimæ mortis tenebris inferebant.
At ille moriens conquestionem fecit pro traditione, quâ ipsum Walterus miles
ex *Sarran* et homo suus tradiderat in eamdem mortem, quâ jam moriebatur : qui
cùm ducatum præstitisse debuit, decepit. Iprensium igitur turba furens in mor- B
tem Præpositi, canis viscera contorserat circa collum ejus, et os canis ad os
ejus jam vitalem spiritum exspirantis opposuerunt, æquiparantes cani ipsum et
facta ejus.

Num. 94. Eodem tempore, Wido miles famosus et fortis, qui de consilio Comitum
Flandriæ præcipuus fuerat, in eamdem traditionem conspiraverat, eò quòd
neptem Præpositi uxorem duxisset, scilicet sororem Isaac. Unde quidam Her-
mannus Ferreus, miles fortis, statim occiso Carolo Consule, in præsentia illius
Iprensis adulterini Comitis, ad singulare bellum Widonem evocavit, quia do-
minum suum nequiter tradidisset. At Wido paratum se defendere de superimpo-
sitâ traditione semper fore prosilivit. Et determinatus est eis dies, quo prædictus
Præpositus mortis suæ etiam pertulerat tormenta; statimque mortuo Præposito,
omnes qui affuerant reversi sunt ad curtem, in qua bellum indictum fuit inter C
Hermannum Ferreum et Widonem, et pugnatum est acriter ab utrisque. At Wido
dejecerat equo adversarium suum, et lanceâ resurgere conantem, quoties vo-
luit, stravit. Tunc adversator ille propiùs accursitans, equum Widonis gladio
trajiciens evisceravit: de quo tandem lapsus Wido, extracto gladio, impetiverat
adversarium. Erat quidem occursus alternis ictibus mucronum continuus et acer-
rimus, donec fatigati pondere et sarcinâ armorum uterque, rejectis clypeis,
luctaminis viribus pugnæ victoriam accelerarent. Et cecidit ille Hermannus Fer-
reus in terra prostratus, cui Wido incumbebat, maniculis ferreis ora et oculos
contundens militis. At ille prostratus, sicut legitur de Antheo, a frigiditate
terræ vires paullatim resumpsit, et callidè dum quiesceret, Widonem de victoria
securum reddidit. Interim manum suaviùs subducens usque ad inferiores loricæ
oras, in qua parte non fuerat Wido præmunitus, raptum per testiculos, collectis D
viribus, ad puncti unius momentum a se propulit : in quo rapticio pulsu totâ de sub-
tùs naturâ corporis ruptâ, ita prostratus defecit Wido, ut victum et mortuum se
fore exclamaret. Tunc Comes volens per omnia famæ suæ in hoc bello consu-
lere, jussit eumdem Widonem juxta Præpositum suspendi in eodem patibulo jam
mortuum, ut sicut pares fuerant in tradendo, ita pares morerentur in tormento.

Num. 95. Post hæc verò utrorumque corpora virorum rotæ plaustri superposita in malo
altissima fixæ, videnda universis transeuntibus proposuerunt, brachiaque mu-
tuis quasi amplexibus ad colla flectentes, imaginem tradendi et consulendi de
morte domini et gloriosi ac piissimi Consulis Caroli, illis jam per tres dies
mortuis, insignibant. Venit itaque ad nos et in præsentia Regis armiger unus,
qui eodem die intererat et viderat utrosque suspensos in Ipra, Præpositum et
Widonem, adnuncians eventus eorum. Acclamatum est statim illis qui in E
turri obsessi sunt, quomodò captus et mortuus fuerit dominus illorum Præposi-
tus, et quia amodò nihil restaret eis, nisi quod se redderent Regi, tractandos
secundùm quod nequiter egerant. Igitur dolor et anxietas, et luctus et sus-
piria vexabant miseros illos, et omni spe vitæ destitutos, fortiùs quàm Prin-
cipes obsidionis, obsederant eos metus et desperatio....

Num. 97. Eodem die ad vesperum, gravis tumultus obortus est inter (*a*) Gervasium
et suos, et cives nostros. Nam ex imperio Regis et præcepto eorum Prin-
cipum obsidionis, qui citò perditionem obsessorum accelerare tentabant, qui-
que sumptus magnos omni obsidionis tempestate expenderant, vigiliis et im-
pugnationibus assiduè laboraverant; ex communi, inquam, ipsorum consilio et

(*a*) Castellanus erat castri Burgensis.

edicto

Digitized by Google

A edicto regio universale decretum confirmatum erat, ne aliquis auderet e tota obsidentium multitudine accedere ad turrim, et loqui obsessis; ne fortè intimaretur eis, quo ingenio caperentur. Lex quoque posita est propter transgressores talis, ut si quis contra hoc decretum faceret, in captivitatem projiceretur, et communi Principum judicio plecteretur. Igitur unus e civibus, qui sororem cujusdam militis obsessi duxerat, clanculò accessit ad turrim, requirens ab illo genero suo vasa et vestes, quas sibi præstiterat : et ille quæ habuit, reddidit vasa. Cùm in reditu civis ille transiret per forum, miles Gervasii unus, qui præceptum Regis et Principum et domini sui susceperat, et potestatem etiam capiendi transgressores præcepti, persecutus est civem illum, et tentum violenter captivumque reduxit secum usque ad domum Comitis. Continuò tumultus infinitus factus est inter cives, et prosilientes ad arma, invaserunt domum Comitis et fa-
B miliam Gervasii, quæ se ab intùs fortiter defendebat. Clamaverunt enim, se nunquam velle pati dominium cujuspiam, imò in sua potestate stare hoc malefactum corrigere. Cùmque diutiùs tumultuassent, Gervasius in medium eorum protulit hæc verba : « Nostis, ô cives et amici mei, quòd secundùm vestram » petitionem et Rex et Comes jam constituerunt me Vicecomitem loci nostri, » et secundùm Regis et Principum decretum actum est, quòd miles meus jam » civem et vicinum vestrum ceperit decreti transgressorem; meamque persona- » liter dignitatem contempsistis in hoc facto, domum Comitis et familiam meam » invasistis in ea, et tandem sine ratione, armatâ manu, in præsentia Regis pro- » siluistis. Nunc ergo, si vultis, Vicecomitatum causâ injuriæ mihi illatæ omitto, » fidem et securitatem inter nos firmatam dissolvo, ut pateat omnibus vobis, » quia dominium super vos obtinere non quæro. Si ergo placet, coram Rege
C » sepositis armis conveniamus, ut judicetur inter nostros et vestros ». Cùmque finisset orationem, ascenderunt simul coram Rege, et compositi sunt iterùm fide et amicitiâ ad invicem, sicut priùs.

Secundo Idus Aprilis *, feriâ tertiâ, Rex in dormitorium Fratrum cum prudentioribus et Consiliariis suis, conscendit consideratè prænotare in qua parte ingeniosè aggressum præsignarent in templum. Erat namque dormitorii domus adjuncta templo, ita ut ingeniorum instrumenta præpararentur in illa, quibus parietem templi perfunderent et ingrederentur ad obsessos.... Cùmque Rex et sui studiosiùs exquirerent, et præsignarent locum pertundendi templum, Robertus puer per unam fenestrarum templi caput efferens loquebatur militibus Regis, obsecrans eos ut internuncii ejus forent ad Regem, humiliter inquiens omne judicium Principum terræ et Baronum domini sui Regis velle subire, ut
D in lege ipsorum merito suæ excusationis, aut vivere promereretur, aut supplicio damnationis, si se non excusaret, exterminari. Nec ullus hominum ausus est internunciorum verba in Regis præsentiam proferre; tam graviter indignatus est Rex illos traditores vel etiam videre. Cæterùm cives nostri et milites Regis, et universi qui audierant quàm humili oratione exorasset juvenis dominum Regem, in lacrymas fusi condoluerunt ei, imprecantes pro eo Domini misericordiam.

Num. 98.
* An. 1127.

Num. 99.

Idus Aprilis, feriâ quartâ, confinxerant mendacium obsessi de morte Borsiardi, quatenùs exortâ lite inter Robertum puerum et ipsum, gladio occubuisset trajectus, existimantes per hoc animos Principum a severitate mitigari, ne tanto furore invaderent deinceps, sicut priùs : et a turri evocabant mortem Borsiardi, quam mendosè diffamabant. Alii eum evasisse asserebant. Quo audito, Rex percepit obsessos illos jam diffidere sibi, timore et anxietate deficere; constantique
E animo edixit, ut milites sui se armarent et invaderent templum. Quod ideò factum est, ut in congressu illo deficientes et lassati, in posterum obsessi illi non valerent toties tot assultus et invasiones sustinere; sed magis cedere, et locum victoriæ christianæ catholico Regi Ludewico et militibus suis dare. Erat quidem in obruendo lapides et mittendo jacula utrimque gravis aggressus a meridie usque ad vesperam.

Num. 100.

Quo die Rex accepit claves a Decano Helia de sanctuario Ecclesiæ B. Christophori, eò quòd accusatus ei fuerat thesaurus Comitis Caroli in eodem sanctuario fuisse repositus. Et cùm introisset Rex, nihil præter Sanctorum reliquias invenit. Verum quippè fuit cuppam auream cum suo operculo, et cannam (*a*), scilicet argenteum vas vinarium, Præpositum de rapina Comitis a nepotibus suis

Num. 101.

(*a*) Kanna, vox Belgis et Germannis notissima, eadem quæ Latinis et Græcis, *Cantharus*.

Digitized by Google

quasi pro dono in partitione rapinæ accepisse, et eadem vasa pro salute animæ A
suæ ad operam Ecclesiæ Deo obtulisse.... Hunc igitur thesaurum Rex quærens circumquaque, miserat investigatores et insidiatores, qui latenter thesaurum Caroli Comitis recolligerent, nihilque super hoc profecit. Unde Rex etiam Robertum puerum, secundo die ante discessum suum apud Franciam, flagellis cæsum coegit, ut si quid de thesauro meminisset, quis partem aliquam possideret, Regi intimaret. Cujus accusatione eodem die Comes novus et Rex obtinuerunt vasa prædicta....

Num. 102. * An. 1127. Decimo octavo Kalendas Maii *, feriâ quintâ, aries, qui instrumentum factus est ad pertundendum parietem templi, adductus est in Fratrum dormitorio in eadem septa extrinsecùs, juxta quam intrinsecùs corpus boni Consulis sepulturæ commendatum Deo suo jacebat. Statimque artifices arietis ascensoria graditiva erexerant in altum; et ablato pariete ligneo dormitorii, qui propinquior templo steterat, summitatem ascensoriorum ibidem subduxerant, quatenùs usque ad mu- B
rum et parietem templi gradatim possint armati progredi, quicumque auderent. Nam fenestra in ædificio templi primo ex ordine antiqui operis illò patuit, quò jam artifices ascensoria direxerant. Sed paulisper inferiùs temperabant instrumentorum aditus, ita ut subtus fenestram percussiones arietis præordinarent, et pertuso pariete lapideo, eamdem fenestram quasi pro ostio liberè ingressuri obtinerent. Erantque gradus latissimi, in quorum fronte decem milites simul in latum ad pugnandum starent. Quibus præordinatis, trabem maximam funibus suspensam in eadem parte super gradus illos ad perforandum templum direxerant, et laqueos eidem innexos, et simul armatos juxta laqueos, quibus trahere retrorsùm a templo in altum reductam, et in virtute et fortitudine retractam ad parietem templi percutere callidè et argumentosè constituerant. Super capita quoque ascendentium tegmina ex virgis inserta trabibus et connexa fecerant, ut etsi tectum dor- C
mitorii aliquo ingenio ab obsessis infringeretur, sub contextura virgarum securi agerent arietis impulsores; et parietes ligneos simul ante se præposuerant ad defensionem sui, ne jaculorum et sagittarum percussionibus ab intrinsecùs læderentur. Igitur retrò a muro et pariete templi reducto per laqueos ariete, quantùm extensis brachiis suspensi possent, uno impetu et uno clamore arietis ruinam et casum valdè ponderosum, virium suarum fortitudine et maximo conatu templo appulêre: ex cujus singula percussione maximus lapidum cumulus in terram corruit, donec tota maceries, et paries in eo loco quo contusus est, perforaretur. In capite ejus quoque arietis ferramenta solidissima trabem præmunierant, ita ut nullo ingenio offensam aliam pateretur, quàm illam quæ vi molis et roboris sui sibi a se ingereretur. Longus igitur labor tundendi fuit a meridie inceptus, et post vesperam finitus. D

Num. 103. Interim obsessi illi, præsentientes debilitatem parietis et perfossionem citiùs futuram, quid agerent dubii et inconstantes, tandem intùs ardentes composuerant carbones, pice et cerâ et butyro delinitos, quos tecto dormitorii injecerant. At in momento carbones adhærentes tegulis, flammas vento flante vibrabant, ita ut maximæ flammæ concitatæ circumquaque tectum corriperent. A superiori itaque turri jaciebant molares lapides super tectum dormitorii, in ea parte quâ aries pertundebat templum, ut utrumque, et ignem injectum tecto, ne quis extingueret, defenderent, et lapidibus obrutis et de alto præcipitatis super perfossores templi, a periculo introitûs sese observarent. Tot et tanti lapides obruti non impediebant exactores arietis. Cùm igitur super capita sua ignis flammas vibrantes conspexissent milites, unus ex illis tectum ascendit, et inter tot jactus lapidum et jaculorum ignem vix extinxerat. Patuit igitur post tot percussiones arietis fo- E
ramen maximum in pariete templi, qui citiùs quàm credebatur perfossus est, eò quòd a tempore antiquæ exarsionis templi pluviâ et inundatione imbrium totum ædificium Ecclesiæ quasi putridum staret, quia hactenùs sine tecto ligneo nudum fuit. Tunc clamor infinitus elevatus est extrinsecùs, et universi qui et in foribus impugnaverant obsessos, et in choro inferiùs et undique per fenestras, et in omni parte quâ accessum poterant sibi præstitisse, rescito eo quòd perfossum fuisset templum, acriori animo et cupidissimâ victoriæ audaciâ decertarunt: qui quidem omnes a meridie usque in vesperam constanter utrimque aggressi sunt, penè deficientes labore pugnæ et armorum ponderositate.

Num. 104. Sed jam intellectâ arietis perfossione, recreati et animositate confortati, quasi jam ad arma proruissent primùm, infestare cœperunt obsessos et sine simulatione

Digitized by Google

A persequi. At miseri obsessi cùm numero fuissent pauci, satis pauciores erant in pugna, qui simul in uno loco pugnandi non habuerant gratiam; sed ad omnes accessus, scilicet in foribus, fenestris, choro, et in eo maximè loco quem aries jam possederat, incommoda vitæ perpessi, jam divisim undique repugnantes, ab inimicis suis dispendium et perditionem deinceps suscipiebant. Illi quidem qui in templo contra arietis exactores lapides, sagittas, contos, sudes, et universi generis tela contorserant, timidiores ideò fuerant quòd pauci essent, et quòd complices illorum divisim et penè deficientes præ labore diutino, contra tam gravem exercitum pugnarent, insuper quòd armorum egentes, unde se tuerentur non haberent : quantùm tamen ausi sunt, obstiterunt. At quidem illi exactores arietis, et cæteri milites Regis, et nostri loci juvenes armati et audaces avidique pugnæ, cùm ex adverso inspexissent obsessos, jam animos revocaverant suos, præ oculis
B cordis habentes quàm egregiè pro patre et patria moriendum foret, et quàm honesta victoria vincentibus proposita esset, quàmque scelesti et facinorosi fuissent traditores illi qui de templo Christi speluncam sibi fecissent; et quod magis videbatur, quàm avidè et cupidè propter thesauri et pecuniæ domini Comitis rapinam irruerent super obsessos ipsi, et idcircò solummodò festinabant. Sed cujuscumque animi fuissent, sine ordine, sine pugna, absque omni respectu armorum sese uno impetu per medium foramen præcipitaverunt, ita ut simul irruentes locum et tempus auferrent obsessis pugnandi, vel aliquos interficiendi. Non enim cessabant ruere, donec sine interruptione quasi pontem seipsos fecissent, et quod mirâ Dei gratiâ dispensatum est, sine vitæ suæ periculo mortali ingressi sunt, alii ruendo, alii offendendo; alii intrusi violenter, alii surgere conantes a casu prosternentes; alii, sicut solet fieri in tanto tumultu, sine ordine irruentes, vocibus et clamo-
C ribus, atque cursuum et ruinæ armorumque stridore et fragore, non solùm templum, sed omne castrum et viciniam ejus replentes introrsùm, sicut exteriùs : Deum laudantes et benedicentes pro victoria, quâ victores suos honestavit, Regem et suos sublimavit, super omnia majestatis suæ Deus nomen glorificavit, Ecclesiamque suam ab inquinatoribus in parte mundavit, et gloriosum illum Martyrem suum Consulemque, bonorum tunc primum deflendum piâ veneratione, et oratione fidelium suorum circumfultum, donavit....

Postquam ergo irruerant in templum super obsessos, et clamor concitatus est, *Num.* 105.
fugiendo retraxerant se tam a pertusione quàm a foribus et a propugnaculis suis pessimi hominum, conscensâque turre ad se defendendos, in gradibus resistebant persequentibus. Igitur victores christianissimi milites Regis Franciæ gradus obstruere et intercludere festinabant, lapidibus et lignis, scriniis et trabibus, et cæ-
D teris supplementis, ita ut nullus obsessorum descendere posset in solarium in quo Consul jacebat. Et ascendens Rex in templum, planxit mortem nepotis sui Caroli, et apposuit custodiam quæ cautiùs observaret turrim. Alternis ergo vigiliis Regis milites observabant turrim cum obsessis. Quidquid igitur inventum est in solario illo, quod rapi potuit, omnium præda fuit. Tandem Canonici ejusdem templi per scalas a choro in solarium conscendentes, ordinaverunt quosdam de Fratribus qui singulis noctibus vigilias circa sepulcrum Comitis agerent.... Conclusit ergo Deus diem illum in conclusionem inimicorum suorum et in victoriam fidelium, exaltando nomen imperii sui in omnes terrarum fines. Non tamen desistebant obsessi illi vigilias suas sibi in turre instituere, cornibus canere, et quasi adhuc aliquid hominii obtinuissent, in tam arcto imperiosè agere, seipsos non recognoscentes fuisse miserrimos : dati enim fuerant in reprobum sensum. Quidquid ergo deinceps
E egerunt, nec Deo, nec hominibus probabile fuit, sed reprobatum et odiosum.

Decimo-septimo Kalendas Maii *, feriâ sextâ, convenerunt burgenses coram *Num.* 106.
Rege proni in terram, et adoraverunt ejus dignitatem, quatenùs pro precum * An. 1127.
et servitiorum suorum meritis Robertum puerum exeundi ab obsessis libertate donaret, et ejus innocentiæ purgationem legitimam susciperet. At ipse Rex petitiones eorum se facturum assensit, salvo honore et gratiâ propriæ personæ, simulque Principum terræ, sine quorum consilio nihil super eo acturum statuerat.

Decimo-sexto Kalendas Maii, Sabbato, [Wenemarus] Castellanus Gendensium cum Arnoldo ex Grandberga et collectis Proceribus viciniæ suæ, antevenit Regem, obsecrans omni modo pro liberatione Roberti pueri. Cui Rex ait nihil cum honore suo posse eis consentire, absque Principum communi consilio : alioquin contra fidem et juramentum suum ageret.

Digitized by Google

Num. 107. * Dom. 2ª post Pascha.

Decimo-quinto Kalendas Maii, Dominicâ *surrexit Pastor bonus* *, nunciatum est Regi Comitem novum Flandriæ in Sancto-Audomaro cum honore, more prædecessorum Comitum terræ, gratanter susceptum. Nam obviam processerant pueri arcus et sagittas ferentes, ad occursum Comitis, agiles et velociores turmatim procedentes, quasi per pugnam resistere simulantes, succincti et præparati, arcubus extensis et nervis, quibus, si expediret, sagittando invaderent Comitem et suos. Viso ergo puerorum occursu, Consul et sui quidnam sibi voluissent per internuncium requisivit. Et acclamaverunt Comiti : « Quatenùs feodum quod a prædecessoribus suis semper pueri nostri obtinuerant, » hoc a te obtinere juris erat nostris, circa nemorum saltus in festis Sancto- » rum et æstatis tempore licenter vagari, aviculas capere, spiriolos et vulpes » sagittare, et hujusmodi puerilia recreando satagere. Hæc ergo licenter egimus » hactenùs, et volumus eâdem a te licentiâ ludorum nostrorum mores dein- » ceps renovare ». Proinde succedenter cives obviam armatâ manu processerant, expectantes puerorum suorum reditum et Comitis novi adventationem. Igitur Comes Willelmus, qui ætate juventæ pubescebat, puerilia vix tempora excedens, jucundo animo ludicra pueris morosè concessit, et plausu et adjocatione cum pueris, vexillum et signum puerorum arripiens, jocundabatur. Cui laudes canere et tripudiorum voces personare cœperant, cùm cives eminùs prospicientes, viderunt a pueris solemniter Comitem susceptum, et cum plausu et pacis veneratione circumfultum ad ipsos usque descendentem. Igitur postquam simul convenerant et Comes et populus, cum processione Clerus loci ejus honoris et gloriæ sublimatione obviam venit in thure et cereis, sicut mos est in susceptione Comitatum noviter obtinentium, vocum jubilatione et melodiarum consonantiis personantes, omnibus civibus applaudentibus, susceperunt, et usque infra Ecclesiam eâdem melodiarum suavitate solemniter perduxerunt. Ubi debitum orationis Deo obsequium catholicè electus devotè obtulit; simulque pro eo populus et Clerus, ut, ipso administrante Comitatum, Deus ita regeret et protegeret, quatenùs deinceps pace et salute et Comiti et Deo sua redderent. Post susceptionem verò hominia et securitates fecerunt. A Tervannorum urbe quidem descenderat in Sanctum-Audomarum.

A B C

Num. 108.

Illâ quoque tempestate, Hugo Campus-Avennæ et Walterus ex Frorerdeslo cum suis apud Ariam castrum insultum fecerant, ubi Willelmus ille adulterinus Comes Iprensium intùs se et suos receperat, et locum et castrum præmunierat. Ipse enim Comitatum arripuerat, violenter obtinuerat Flandriarum castra et munitiones adhuc plures, scilicet Ipram castrum, Formeselam oppidum, Casletum castellum, Furnum castrum, Ariam castrum, et omnem viciniam circa castra prædicta, et Bergas castrum, et cætera. Ipse namque de linea Comitum spurius erat, atque eâ affinitate cognationis Comitatum obtinuisse existimaverat. Duos igitur milites præfati Principis dejecerunt, et equos quinque lucrati sunt.

D

Eâdem tempestate, Baldwinus ex *Alst* et Razo [de Gavera] cum gravissimo Gendensium exercitu obsederant castrum Oldenarda, in quo Comes de Montibus [Balduinus IV] se et suos introductos præmunierat, ad invadendum regnum Flandriarum, quod sibi jure cognationis justiùs pertinebat. Nam, ut paullò altiùs retexamus Comitum prædecessorum suorum originem, Baldwinus Comes Barbatus (*a*) principium generis subsequentium Comitum fuit : hic verò cùm diem obierat, in Insulis humatus est. Habuit itaque duos filios post se hæredes terræ Flandrensis, Baldewinum et Robertum. Utrosque quidem pater, dum viveret, uxores ducere præcepit, et Baldewinum in *Hænau* Richildem Comitissam de Montibus accipere in conjugem fecit, de qua genuit filios duos vir ejus; alter eorum vocatus est Baldewinus, et alter eorum Arnoldus. Robertus igitur duxit Gertrudem Comitissam Holdlandensem uxorem, de qua post peractam traditionem genuit Abbatissam Messinis et Gertrudem matrem Simonis et Gerardi (*b*) : quæ quidem Ducissa fuit in Elsatam *. Theodericus Dux eam duxerat. Genuit etiam matrem Caroli Adelam, quæ a primo viro soluta in Salerniam Duci [Roberto] nupsit. Vir quoque ejus primus, Rex Daciæ Cnuto, a suis traditus, in Ecclesia occisus, martyrium pro justitia moriendo cum Sanctis possidet. Cùmque ille primus pater Barbatus Baldwinus viveret, filios suos,

Num. 109.

E

* Alsatia.

(*a*) Imò *Insulanus* seu *Pius*, nam Barbati agnomen patri proprium erat.

(*b*) Nec-non Theoderici Alsatii, postea Flandriæ Comitis, et Henrici Tullensis Episcopi.

Digitized by Google

A alterum a sinistra, et alterum a dextra, quasi duas alas quibus per omnes terras suas volaret, expanderat: ipse quoque medium, scilicet Flandriam, solus regebat. Cùmque plenus dierum bonorum obiisset*, senior filius ejus Baldewinus Comes de Montibus cum uxore sua Richilde Comitatum obtinuit Flandriæ. Igitur timens ne aliqua inquietudo vel traditio per fratrem suum Robertum sibi fieri posset et filiis, hominium et securitatem a fratre sibi fieri requisivit et filiis suis. Cùmque super hoc cum Principibus consilio habito, utile fore tam patriæ quàm sibi prænosset, accersito fratre suo Consule Aquatico (*a*) Roberto, in Brudgis curiam suam convocavit, simulque Pares et Barones totius sui Comitatûs. In quorum omnium præsentia promulgavit hujuscemodi verba: « Ego Flandriarum Comes Baldewinus, in posterum volens præcavere » patriæ huic et liberis meis, ne a fratre meo per dolos et traditiones filii B » mei et incolæ terræ meæ aliquid injuriæ et exhæredationis patiantur, obse- » cro et præcipio fratri meo Roberto Comiti Aquarum, ut fidem et securi- » tatem juret filiis meis post mortem meam, ut neque fraude vel subtracto » vim et dolum inferat filiis meis post obitum meum; sed in sua et suorum » persona fidem filiis meis, scilicet nepotibus suis, jurabit et tenebit, ipso » vivente, sicut meliùs sciri poterit, et dabo sibi munera et donaria multa » sub eadem conditione ». Igitur in Ecclesia B. Donatiani in Brudgis juramentum factum est super Sanctorum reliquias infinitas, quas afferri Comes Baldewinus præceperat, in præsentia omnium qui eo tempore tam Pares quàm Principes erant in terra, et acceptis donariis, Consul rediit.

Num. 110.
* An. 1067.

Igitur cùm Baldwinus vir Richildis in Brudgis obiisset*; filius ejus Arnoldus, cui patria pertinebat, cùm mater* versùs Montes et viciniam matris rediit, C circa Casletum et S. Audomarum et alias partes conversabatur. Nondum enim juvenis ille arma acceperat, sed militiæ virtutem arripuerat. Audierat namque Robertus Comes Holdlandensis patriam relictam nepotibus suis adhuc parvulis ætate, et matrem puerorum simul se a confinio circa Bruggas jacente subtraxisse: habuit occasionem per hoc et principium, opportunitatemque traditionis. Misit latenter et in dolo ad Principes et majores viciniæ circa mare, scilicet in Isendica, *Ostburg*, *Reddenburg* et Bruggis, et ad Flandrenses marinos, et pretio et sponsionibus confœderavit sibi eos, quatenùs ipse per illos patriæ Comitatum obtineret, nepotesque, qui parvuli et inutiles exstitissent, propelleret. Habuit quemdam Clericum in familia sua, qui internuncius hujus traditionis fidelis fuit: qui cùm toties Bruggas veniret et circa confinia Flandriæ, cœpit rumor diffamari quòd Clericus ille traditionis internuncius esset. D Tunc ille subterfugiens, alio tempore iterùm mandata domini sui deferens Principibus, simulaverat se fuisse cæcum; et præeunte duce suo, ipse subsequebatur suspensis manibus et palpitans baculo, sicque peregit corde et oculis cæcus traditionem mortis et cæcitatis. Igitur cùm omnium Principum patriæ animos, fidem et securitatem Comes Holdlandiæ obtinuisset, navibus insidens cum armata manu, clanculò tantummodò venit in Flandriam; accitisque omnibus traditoribus clanculò, nocte quâdam signum dederunt complicibus suis, ut in loco qui dicitur Clipello, domum incenderent, et illic ad signum flammæ convenirent. Cùmque eodem signo omnes convenissent, fuit eorum turba multiplex et valida, et abierunt deinceps apertè persequendo puerum Arnoldum, qui eo tempore in Casleto rem ignorans degebat cum paucis: qui etiam conscii traditionis puerum dominum suum exhortabantur, ut cum patruo suo traditore E bellum iniret, et quia justè resisteret ei, victoriam ei promittebant a Deo concedendam. Igitur puer Arnoldus animatus ad bellum, cum militibus admodùm paucis occurrit: quem in ipso tumultu belli, ipsi servi sui qui eum armaverant et armorum cælaturas prænoverant, quasi extranei et alii essent quàm servi, dejecerunt puerum dominum suum et gladiis jugulaverunt*; traditoque domino suo, universi qui in parte pueri pugnaverant, in fugam conversi, alii interfecti ibidem exspiraverunt, alii lethaliter vulnerati mortem in paucis vitæ flatibus perpessi sunt. Multi quidem mortui, multi vulnerati, multique capti sunt. Securus ab hoste Comes Robertus cùm exercitum suum pererraret; quidam Wlfricus *Kabel*, qui fidelis adhuc permanserat cum puero, quem inter-

Num. 111.
* An. 1070.
* *f.* frater.

* An. 1071.

(*a*) Ipse est Robertus Frisius, Aquaticus dictus, quia obtinebat insulas Zelandiæ cum vicina hodiernæ Flandriæ parte.

Digitized by Google

fectum ignoraverat, in virtute et cum potentia sua cepit Robertum Consulem traditorem illum, et conjecit in captivitatem. Sedato ergo tumultu illius diei, convenerunt omnes Pares patriæ, et obsederunt undique Castellanum illum Wlfricum in Sancto-Audomaro, et coegerunt illum reddere Robertum Consulem: quem cùm reddidisset, in Consulem patriæ præstituerunt. Frater igitur Arnoldi traditi pueri, qui superstes remansit, nomine Baldewinus [Hierosolymitanus], hæredes post se reliquit, de quorum linea iste puer de Montibus Comes et miles strenuus, jure (*a*) patriam obtenturus Flandriarum, nunc auditâ traditione Consulis Caroli, pro jure hæreditario requirit patriam et hæreditatem suam Flandriam totam. Facit igitur quod potest, et novo Comiti nostro suum facere parum est. Et notandum in hoc facto antiquæ traditionis illud propheticum: quoniam Deus iniquitates patrum solet vindictæ severitate corrigere in tertiam et quartam generationem.

Num. 112. Robertus itaque ille, qui nepotem suum tradidit, primus numeretur; filius quoque ipsius Robertus, qui in Atrebato jacet, secundus et successione et Comitatu; post quem filius ejus Baldewinus Comes, qui in S. Audomaro jacet, tertius fuit. Post illum verò Comes optimus omnium Consulum [Carolus] Consul, terrenæ dignitatis sidus et lumen præcipuum, quartus fuit, in cujus traditione et martyrio Deus antiquæ traditionis terminavit vindictæ correctionem, et pro justitia patriæ occisum transduxit in requiem Sanctorum, in eodem loco in quo olim juratum est. Utrumque Deus in secunda traditione dispensavit, et antiquæ traditionis vindictam exercuit, et pro justitia morientem statim inter sanctos Martyres suscepit. Igitur postquam Robertus Comes ille qui nepotem suum tradiderat, in Consulatu sedisset, traditores Flandriæ qui sibi Comitatum tradiderant, semper suspectos habuit, et ad suum consilium nullo modo accedere permisit. Igitur videntes se a Consule suo contemni et despici, seorsim inierunt consilium ut dolo interficerent Consulem, et fratrem Arnoldi pueri traditi, nomine Baldewinum, in Consulem susciperent, sicut justum erat, quia justior hæres Flandriarum erat: iterùm sicut olim, in desertum locum convenerunt, tractantes mortem inferendam domino suo. Cùmque, acceptâ opportunitate tradendi, rediissent; unus militum qui intererat traditioni, ad pedes Comitis provolutus accusavit cæteros nefandæ traditionis illius complices, qui mortem Comitis juraverant. Igitur ad bellum accusati, per Consulem evocati et convicti, decollati sunt alii, et alii exsilio damnati, pluresque proscripti....

Num. 114. Revertamur igitur ad describendum in Oldenarda eventum, quia Comes de Montibus cum burgensibus ejusdem loci et militiæ impetu irruit super Gendenses, et conversos in fugam alios interemit, alios vulneribus infecit, et multos cepit. Major quidem fugientium pars submersa est fluctibus ipsis, qui navibus devecti obsidionem præordinaverant: prævaluerat enim Comes et sui circa fines illos. Castrum quoque *Ninive* (*b*) obtinuerat, et satellites suos in eo posuerat acutiores et fortiores....

Num. 115. * An. 1127. Decimo quarto Kalendas Maii*, feriâ secundâ, iterùm cives nostri ad genua Regis devoluti deprecabantur pro Roberti liberatione. Indignatus verò Rex despexit eos, qui toties ipsum vexarent, et iratus jussit servos suos acceleratò ire, et ferramentis turrim succidere: statimque ferramentis demoliebantur turrim inferiùs. Quibus succidentibus, obsessos timor mortalis invasit, ita ut sine modo stupore laborarent, cibus eis et potus fastidiret, omnes sensus hebetarent et languerent. Proinde macerati esurie et siti, cùm sufficienter haberent quo vitam continuarent, evocabant illos quos foràs viderant vagantes in curte castri, qui casum et ruinam turris succisæ jam in parte expectabant, quia vehementi sitis ariditate arescerent, simulque esurie et fame languerent: et mirâ Dei dispensatione factum est, ut ipsis traditoribus vinum suum acidum et sine sapore jam haustum et potatum fœteret, frumenta et panes putrida saperent, et aqua insipida eis nihil prodesset, ita ut gustu et odore putrido fastiditi, fame et siti penè defecissent. Hac igitur egestate coacti, quærebant exeundi a turre licentiam, et abeundi in quemcumque alium locum, quò Principes decernerent ipsos ituros. Succisores igitur turris jam gradus avulserant, et parumper restabat, quod in brevi succisum, casum et ruinam gravissimam faceret.

(*a*) Et quidem jure agnationis, cùm cæteri competitores maternum jus prætenderent.

(*b*) Aliis *Nienhovia*, in ditione Alostana.

Digitized by Google

A Decimo tertio Kalendas Maii *, feriâ tertiâ, cùm intellexissent turris majores partes succisas et periculum ruinæ imminere (namque ad singulas malleorum percussiones in summitate turris senserunt repercussiones et nutationes, et turrim jam quasi trepidantem et contrementem) timore infinito timentes, inierunt consilium ut antè sese Regis potestati redderent, quàm oppressi in ruina et casu turris suffocarentur. Evocabat ergo Robertus puer se et complices suos Regi reddendos, illâ tamen conditione ut ipse Robertus absque carcere teneretur, quamquam et cæteri truderentur in carcerem. Habito ergo Principum super hoc consilio, Rex secundùm expostulationem obsessorum concessit exeundi libertatem, eò quòd utillimum erat illos spontè se reddere, et sine periculo mortis obsidentium et turrim succidentium. Exierunt ergo singulus et singulus ad XXVII versùs domum Præpositi, per fenestram in gradibus turris obliquatam. *Num.* 116. * An. 1127.

B Cæterùm qui corpulentiores erant, per funes elapsi sunt a majori fenestra ejusdem turris. Robertus puer commendatus est militibus Regis custodiendus in camera Comitis superiore : at cæteri omnes in carcerem detrusi sunt. Voluit tandem pro civibus nostris Rex quasi magnum quiddam facere, et commendavit eis Robertum puerum custodiendum in compede et nervis, eâ conditione ut judicio Principum postmodum tractandum Regi et Comiti redderent. Cives verò pro grandi dono sub prædicta conditione susceperunt in custodiam juvenem adhuc ephebum....

Duodecimo Kalendas Maii, feriâ quartâ, Rex ibat ad *Reddenburg*, videre situm loci et qualiter ille Lambertus se circumvallaverat, qui traditionis notâ et crimine culpatus obsessus erat.... *Num.* 118.

Undecimo Kalendas Maii, feriâ quintâ, consutum est corium cervinum, in *Num.* 119.

C quo corpus Comitis imponeretur, et scrinium quoque fabricatum est, quo imponeretur et clauderetur. Decimo Kalendas Maii, feriâ sextâ, præteritis jam septem hebdomadis primæ ejus sepulturæ, sepulcrum Comitis destructum est in solario, et corpus ipsius inde cum thymiamate et thure et pigmentis venerabiliter sublatum est.... Rex ergo, collectâ civium et universorum multitudine, in templo expectabat, donec Episcopus [Simon Noviomensis] et cum ipso Abbates tres ab Ecclesia S. Christophori, cum omni Clero procedendo cum scriniis SS. Donatiani, Basilii, Maximi, obviam funeri et Regi in ponte castri occurrerent, et in eamdem S. Christophori Ecclesiam cum lacrymis et suspiriis referrent corpus beatum : ibique Episcopus cum omni Sacerdotum choro celebravit commendationem et Missam omnium fidelium defunctorum pro salute animæ boni Comitis....

D Nono Kalendas Maii, Sabbato, edictum exiit a Rege et Principibus, ut apud Ipram et *Stathan* expedirent se cives et præpararent ad obsidendum. *Num.* 120.

Octavo Kalendas Maii, Dominicâ, consecrata est Ecclesia S. Salvatoris in Brudgis. Ignis enim conflagratione exusta erat illa Ecclesia, et altaria confracta.

Septimo Kalendas Maii, feriâ secundâ, quia Ecclesiæ B. Donatiani altaria non fuerant confracta, Episcopus reconciliationem celebravit Ecclesiæ summo manè. Deinde Rex et populus, præcedente Episcopo et Abbatibus et omni Clero ejus loci, processit ad Ecclesiam S. Christophori, et relato corpore beati Consulis, domini et patris nostri Caroli, ad Ecclesiam B. Donatiani, in medio chori celebriter Deo suo commendatum corpus tumbâ decenter clauserunt. Exequiis igitur solemniter completis, Rex et Episcopus introduxerunt in statum prælationis Rodgerum Præpositum in medio Fratrum ejusdem Ecclesiæ.

E Eodem die Rex et Castellanus noster Gervasius cum magno exercitu versùs *Stathan* et Ipram simul cum civibus nostris transierunt. Eodem die festum erat S. Marci Evangelistæ....

Sexto Kalendas Maii, feriâ tertiâ, Rex et Comes cum gravi exercitu obsedit Ipram, et facta est tornatio et militiæ utrimque acriter occursus, quandò ille adulterinus Comes Willelmus cum trecentis militibus ad unam portarum pugnaret contra Comitem novum. Igitur pessimi illi Iprenses, sicut seorsùm pepigerant cum Rege in alia parte villæ, introduxerunt Regem et ejus exercitum infinitum. Et introeuntes concitaverunt clamores et incendia domorum ex abrupto. Rapinam quoque exercuerunt, quandò ille adulterinus Comes Willelmus obviam raptoribus occurreret, ignorans traditum fuisse castrum, simulque se ipsum et suos: quem igitur comprehendit Rex et Comes, et capti- *Num.* 121.

Digitized by Google

vum apud Insulas traduxerunt custodiendum. Multi quidem post mortem Caroli Consulis ascenderant ad illum, sicut Capellani et ministri, et solidarii et servi de familia cotidiana Comitis, eò quòd isdem adulterinus Comes Iprensis de linea Comitum progenitus fuisset. Furnenses quoque cum ipso militabant, ea de causa ut, si fortè perstitisset in Consulatu, inimicos suos disperderent ejus viribus et potentiâ: sed quia Deus pravorum mentes percutit, in contrarium illis accidit. Nam inimici eorum, audito eo quòd Iprensis Willelmus captus fuisset, incursum fecerunt in possessiones et domos et familias hostiles, et igne et ferro demoliti sunt omnem substantiam eorum quos oderant. Et ita non fuit miseris illis satis quòd capti sunt, quin etiam dispendia rerum suarum domi paterentur. Ergo et militiæ et domi persequebatur Deus traditores illos, qui cum suo Iprensi Consule in mortem domini et advocati terræ conspiraverant. Omnia ergo quæ ille Iprensis Willelmus possederat, Comes noster obtinuit, milites quoque captivavit, et plures a terra fugavit. Victoriosè itaque a nostris eo die actum est, et reversi sunt cum plausu et rapina maxima.

Num. 122. * Ap. 1127. Kalendis Maii *, Dominicâ, relatum est nobis in Insulis Borsiardum captum fuisse, et rotæ malo superfixæ alligatum vixisse diem illum et subsecutam noctem, et tunc turpis mortis suæ dispendio periisse. Qui equidem promeruerat infinitè mori, si toties mori potuisset, cùm causâ sui sceleris tot post ipsum sint puniti, proscripti, præcipitati, suspensi et decollati : de cujus interitu omnes fideles gratias Deo obtulerunt, qui tantum homicidam ab Ecclesia sua exterminare dignatus est.... Igitur divertens se Rex ibat versùs Oldenardam, ubi Comes ex Montibus (*a*) infestaverat terram nostram, ibatque per Gandavum. Sed et Comes noster præcesserat Regem, et incenderat manu violentâ suburbium usque ad turrim lapideam. Et plures igitur qui suffugerant in Ecclesiam illius loci, simul concremati sunt usque ad trecentos, ut aiunt.

Num. 123. Quarto Nonas Maii, feriâ quartâ, Rex absque Comite rediit Brudgas. Tertio Nonas Maii, feriâ quintâ, postea circa meridiem Comes rediit ad nos, quem Fratres Ecclesiæ S. Donatiani cum processione susceperunt primitùs : ubi oratione et oblatione in altari secundùm morem prædecessorum suorum Deo perlatâ, reversus in domum Comitis Karoli ipse Comes potenter ascendit, ibique pransus est. Erat tumultus et turba maxima circa et infra castrum, expectantium quid de Roberto et captivis fieret. Igitur Rex de hospitio suo egressus pervenit usque ad Comitem. Quia verò domus plena fuerat populo et ministris et militibus, descendit Comes in plateam et curtem castri, et consecuti sunt eum universi qui in aula constiterant. Cùmque vidisset domum vacuam, sicut præordinaverat, fecit fores observari domûs suæ, et assumptis sibi Principibus solis, reascendit. Tunc disposuerunt quidam a qua parte traditores illi a turre cameræ dejicerentur. Quo præordinato, misit Rex et Comes spiculatores ad carcerem, qui callidè evocarent primùm Wlfricum *Cnop*, fratrem Præpositi Bertulphi, et sub dissimulatione qui missi fuerant mentiebantur carceratis quòd Rex misericorditer acturus foret cum ipsis. Sub illa ergo misericordiæ spe sine dilatione e carcere egressi sunt; at non simul egredi captivos permiserant. Nam primò illum Wlfricum eduxerant, et per intrinsecas vias domûs usque ad propugnacula turris suprema traductum, ligatis manibus retro dorsum, et sic mortis suæ principium deorsum prospicientem, spiculatores deje-

(*a*) Balduinus Montensis, antequam jus suum armis persequeretur, « Audiens, *inquit Herimannus Tornac.* Regem Francorum Atrebatum venisse, » et de constituendo Flandriæ Comite consilium » quærere, assumptis secum nobilibus et sapientioribus terræ suæ Principibus, Regem adiit, » avum suum Balduinum, qui Jerusalem profectus » fuerat, injustè a patruo suo Roberto de Flandria » pulsum et exhæredatum conquestus est palàm, » coram Optimatibus Regis, ut sibi terram et hæreditatem avitam redderet, humiliter Regem postulavit; et ubicumque Rex sibi in toto regno suo » diem posuisset, se ire paratum, et quòd nullus se » propinquior vel rectiori ac_majori jure hæres » Flandriæ esse deberet, armis et duello sui proprii » corporis probaturum subjunxit. Petitioni ejus milites qui cum eo venerant, acclamabant, Regique » magnam in tota provincia pacem exinde venturam » suggerebant, aliaque negotio præsenti expetentia » plurima subnectebant. Rex prudentissimus benignè omnibus respondebat; ipsumque Comitem » consanguineum suum vocans, multâ spe animum » ejus, ad impetrandum quæ petebat, sublevabat. » Sed aliter voluntas Regis, quàm Comes voluerit, » versa est. Cùm enim multi certos se esse putarent, » quòd Flandria eidem Comiti reddenda foret; » repentè, nescio cujus venti flatu impellente, » auditum est eam datam esse cuidam juveni, » Guillelmo scilicet Roberti Normanniæ Comitis » filio.... Hic ergo præfatus adolescens Balduinus, spe suâ frustratus, a facie Regis iratus abscessit, et contra Flandriam arma corripuit; paucisque post diebus transactis, oppidum quod dicitur Aldenarda invadens, totum usque ad cineres » combussit, ita ut in Ecclesia S. Walburgis plusquam centum diversi sexûs et ætatis fuerint » cremati ».

cerunt.

Digitized by Google

A cerunt. At ille miser nihil indutus præter solam camisiam et solas braccas, decidit in terram toto corpore fractus et destructus, parùm vitæ reservans, qui statim lethaliter exspiravit : spectaculum quidem factus et opprobrium sempiternum sui generis, imò totius terræ Flandrensis, a nemine defletus periit. Secundo loco eduxerunt Walterum militem, filium Lamberti ex *Reddenburg*, usque ad præcipitium, et ligatis manibus illius antè, et non retrò, ipso momento voluerunt eum præcipitare. At ille rogabat milites Regis, qui juxta stabant, causâ Dei ut spatium sibi Deum orandi præberent, et miserati illum, dimiserunt eum orare. Cùmque perorasset, projectus est juvenis elegantioris formæ, et in terram decidens suæ mortis periculum insumpsit, et statim exspiravit.... Ut igitur enumerandi omiserim ordinem, similiter omnes reliqui præcipitati sunt simul XXVIII, quorum quidam sperabant evadere, quia immunes traditionis exsti-
B terant. Sed quia fata eos trahebant, imò divina ultio coegit, cum illis qui traditionis rei fuerant, præcipitati sunt.

Pridie Nonas Maii *, feriâ sextâ, in festo S. Joannis quandò in dolium missus est, Rex repatriare incipiens a Brudgis discessit, duxitque secum Robertum puerum captivum. In exitu ergo juvenis illius burgenses nostri persequebantur illum oculorum lacrymis et planctu gravi, quia multùm dilexerant illum. Non enim propter infamiam viri nostri loci ausi sunt ipsum sequi. Qui respiciens fletum et miserationem civium, ait : « En amici mei, quia vitæ meæ subve- » nire non poteritis, tandem rogate Deum ut animæ meæ dignetur misereri ». Haud longè aberat a castro, quòd pedes militis copulari Rex jusserat de subtùs ventrem equi, in quo ascenderat captivus. Postquam ducatum Comes Regi præbuerat, rediit ad nos in castrum. *Num.* 124. * An. 1127.

C Nonis Maii, Sabbato postea, Decanus Helias reddidit novo Comiti kannam argenteam et cuppam auream Karoli Consulis cum operculo aureo, quæ præpositus Bertulfus, cùm in fugam se daret, Decano commendavit. Robertus puer Comiti insinuaverat thesaurum istum, antequam a Brudgis discessisset, quia, ut aiunt, per flagella Rex extorsit ab eo ut insinuaret, si quid de thesauro Comitis repositum novisset. Super hoc multi admirati sunt simplicitatem Decani Heliæ, qui cùm cujusdam quasi sanctitatis rigore hactenùs degisset, per susceptionem rapinæ hujus nimis declinavit.... *Num.* 125.

Undecimo Kalendas Junii, Dominicâ sanctâ Pentecostes, Comes et Castellanus Gervasius, et Walterus ex Frorerdeslo, et milites Flandriæ qui aderant, juraverunt pacem sese pro posse suo conservaturos per totam terram Flandriarum. *Num.* 130.

D Post festum S. Mariæ in Nativitate, quod est sexto Idus Septembris, Sabbato scilicet, Comes noster fecit secum adduci apud Bruggas Willelmum illum Iprensem, quem in invasione Ipræ captivaverat, et clausit eum in suprema camera castri Brudgensis cum fratre suo Thiebaldo *Sorel*. Qui cùm per sex dies commorati sunt concaptivati, Thiebaldus commendatus est Everardo militi cuidam ex *Gendt* ad custodiendum. Moxque prohibitum est Willelmo illi Iprensi, ne per fenestras foràs prospiceret, sed intra domum tantummodò spatiaretur. Appositi sunt etiam vigiles et custodes cum illo, qui cautissimè observabant illum. *Num.* 131.

Decimo-sexto Kalendas Octobris *, feriâ sextâ, in nocte S. Lamberti, ex unaquaque vicinia circa nos, et ex civibus Bruggensibus meliores et magis fideles, simulque Castellanum Gervasium jurare præcepit Comes pro honore terræ, ut verâ assertione profiterentur quis Carolum Comitem occiderit, vel quis eos
E interfecerit qui cum ipso præfato Consule occisi sunt; quis rapinam Comitis et secum occisorum, vel hominum et familiæ Comitis rapuerit; quis in auxilium eorum traditorum post mortem domini totius patriæ se associaverit, vel quis cum impiissimis illis ante obsidionem vel post permanserit, vel quis illos traditores et eorum complices sine licentia Principum, qui castrum et ipsos infra obsederant, eduxerit, et ideò ab eis pecuniam et thesaurum Comitis Caroli acceperit clanculò; quis illos postea detinuerit et auxilium præstiterit, quos Rex et Comes communi consilio terræ Baronum reos condemnaverant et proscriptioni decreverant. Igitur post conjurationem consederunt simul in domo Comitis, et accusaverunt apud nos centum viginti quinque, et in *Reddenburg* cum Lamberto quem traditionis reum notaverant, triginta septem. *Num.* 132. * An. 1127.

Decimo-quinto Kalendas Octobris, Sabbato in die S. Lamberti, Comes *Num.* 133.

Digitized by Google

iturus versùs Ipram, requisivit a burgensibus nostris teloneum. At illis ingratus A
erat Comes, ideò quòd de redditibus telonei milites sui feodati fuerant a
tempore omnium prædecessorum suorum Comitum. Vexabant enim Consulem
milites sui, eò quòd burgensibus condonasset teloneum, quo ipsi hactenùs
feodati exstiterant, et illud non posse confirmabant Comitem justè sine suorum
militum assensu condonare, nec justè ipsos cives ut eis condonaret Consulem
expostulasse. Unde invidia concitata est inter cives et inter Comitem milites-
que suos. Secundùm legem ergo obsidionis, quam Principes decreverant, Comes
et sui post accusationem agere studuerunt. Namque lex et decretum tale sta-
tutum fuit : quicumque eduxerit contra assensum Principum obsidionis quem-
quam de obsessis, quali pœnâ erat mulctandus eductus, tali tormento damna-
bitur eductor. Itaque cùm multi fuissent de obsessis clanculò et pro pretio educti,
jam parentes illorum qui in obsidendo traditores occisi erant, flectebant se ad B
genua Comitis, obsecrantes ut sibi ad occidendum vel puniendum daret illos,
qui clanculò et furtim et traditiosè obsessos eduxerant, aut illos seductores a
terra ejiceret. Sicque constrictus ratione Consul, accusatos ante se præcepit
stare, volens ipsos secundùm legem obsidionis tractare. At illi responderunt
sese non fuisse legitimè accusatos, sed causâ invidiæ et odii, et non causâ
veritatis : summopere tamen rogabant Consulem ut secundùm judicium Scabino-
rum terræ ipsos tractaret, tam de nota traditionis, quàm de cujuscumque sus-
picionis respectu. Plures quidem reconciliati sunt Comiti de accusatis, quos
adhuc persequebantur nepotes et filii et cognati eorum qui in obsidione occisi
fuerant, vel quia traditores subduxerant, qui dominum terræ Carolum simulque
patrem ipsorum tradiderant : sicut fuerunt filii Castellani ex *Brudburg*, qui in
præsentia etiam novi Comitis appellare festinabant Everardum ex *Gend*, qui C
obsessos scilicet illos eduxerat causâ pecuniæ, qui patrem et fratres occiderant
suos simul cum Comite patriæ. Audito illo, major pars accusatorum se sub-
traxit, quos conscientia mordebat propria. Accepit ergo Comes consilium, et
convocatis Baronibus suis, decrevit quatenùs illos proscriberet accusatos, qui
hominium Carolo Comiti fecerant, et insimul auxilium præbuerant traditoribus
obsessi cum ipsis : sed et alios ad satisfaciendum susciperet, et alios misericor-
diter sine judicio reciperet in gratia sua.

Num. 134. Factum est ergo Dei districto et horribili examine, quòd Walterus ex Fro-
rerdeslo, unus Parium terræ, in quadam militiæ expeditione ex proprio cursu
suo ab equo præcipitatus, totus confractus langueret, et postmodùm in paucis
diem obierit. Verum quippè fuit illum conscium fuisse traditionis domini sui
et patris universæ terræ Flandrensis, qui etiam ut certissimâ securitate cum D
traditoribus consisteret, adoptivum quemdam filium sutoris, quem uxor ejus
sibi mentita est filium fuisse, copulavit conjugio nepti Præpositi Bertulfi....
Nemo verò ausus fuit manum mittere contra Walterum, quamvis traditionis
conscius fuisset; erat enim Par terræ illius, alter a Comite. At Deus cui vindicta
relinquebatur, morte languidâ a fidelium aspectu exterminavit illum.

Num. 135. Octavo Idus Octobris *, Sabbato ante festum S. Richarii, jussu Comitis
*An. 1127. abductus est Willelmus ille Iprensis ad Insulas, et commendatus Castellano illius
castri. Timuit cives nostros, et etiam a terra proscriptos, ne aliquo dolo eji-
cerent in Brudgis a captivitate Willelmum, et vi irruerent in castrum....

Num. 136. Nono Kalendas Novembris, feriâ secundâ ante festum S. Amandi, Balde-
winus ex *Alst* obiit, qui unus etiam Par Parium Flandriæ, domini sui Caroli
traditionis notatus malo, non longè post hac vitâ potitus exspiravit, leviori E
occasione mortis, dum scilicet cornu flaret, et jam vento arteriâ intrinsecùs
turgente, totius capitis sui vires ad flandum laborarent, ex abrupto medulla
cerebri a naturali loco concussa, erupta est per vulnus antiquitùs factum in fronte...
Igitur isti duo præscripti Principes terræ, cùm e vicino et interposito inter-
vallo obiissent, omnibus terræ incolis in ore et memoria fuerant, ita ut de su-
bita morte eorum tractarent, quos post mortem domini Caroli Deus tam veloci
sententiâ a vita privaverat, et tam levis caussæ moriendi ipsis occasionem ordi-
nemque disposuerat. Contra morem christianum quidem in obsidione egerant
cum Præposito et aliis, quos a captivitate eduxerant. Nam acceptâ pecuniâ a
Præposito et suis, postquam subductos contra Regis et Principum decreta per
devia diverterant, nudos et solos in locis campestribus demiserunt, quousque

Digitized by Google

A ipsi vagantes et pererrantes campos et villas capti sunt, et miserrimæ mortis exterminio dispersi.

Decimo-sexto Kalendas Januarii, Sabbato, tertia hebdomadâ finitâ Adventûs Domini, eodem anno * in Quatuor-temporibus, Desiderius frater Isaac illius prædicti traditoris mortuus est, qui traditionis conscius non promeruit ulteriùs vitæ felicitate perfrui. A tempore ergo obsidionis nusquam ausus est prodire ad curiam Comitis, nisi latenter. Nam plures fuerant in Comitatu nostro qui illum appellassent ad bellum, et reum traditionis convicissent, si apertè ad curiam exiisset. Insuper interdictum est a Comite novo eidem Desiderio, quamquam fortè ad curiam ascenderet, ne sibi propinaret : nam in curia unus ex propinatoribus ipse constiterat. *Num.* 137. * An. 1127.

Idus * Augusti retrò, itaque in festo S. Petri in Augusto, habitis nundinis in B Insulis, cùm Comes voluisset quemdam de servis suis ibidem in foro capere, et jussisset capi; cives Insulenses ad arma ruebant, Comitem et suos extra suburbium fugaverunt, alios de curia verberantes, et Northmannos in paludes præcipitantes, plures aliis et aliis affecerunt læsionibus. Statimque Comes obsedit Insularum omnia loca, et coegit cives sibi reddere marcas argenti mille et quadringentas, si saltem illo modo repacificarentur. Unde concitata est invidia maxima inter cives illos et Comitem, ita ut deinceps sibi suspecti utrimque starent. *Num.* 138. * *Corr.* Kalendas.

Tertio Nonas Februarii *, feriâ sextâ post festum Purificationis matris Domini, insurrexerunt burgenses in Sancto-Audomaro contra Comitem, eò quòd injustè volebat Comes præferre illis Castellanum loci illius, qui violenter res et substantiam civium illorum diripuerat, et rapere adhuc satagebat. Obsedit quoque Sanctum-Audomarum cum gravi exercitu. At cives subintroduxerant C Arnoldum nepotem Caroli Consulis, et hominia ei fecerant et securitates, ut, si fortè perduraret Comes novus in injusta obsidione, ad illum Arnoldum se converterent. Eâdem tempestate nix et glacies et frigus et Orientis ventus simul inhorruerant super faciem terræ, et ideò timebant insultum Comitis, reddiderunt-que pro repacificatione sexcentas marcas argenti. Unde maxima invidia excitata est inter cives illos et Comitem, et deinceps facti sunt sibi suspecti. *Num.* 139. * An. 1128.

Decimo-quarto Kalendas Martii *, feriâ quintâ ante Septuagesimam, insurrexerunt Gendenses contra Castellanum suum, eò quòd injuriosè et perversè semper egisset contra ipsos: qui transtulit se ad Consulem, quem ad repacificandum se et cives adduxit. Igitur Comes volens opprimere cives, et eisdem violenter anteponere Castellanum præfatum, ibidem per aliquot dies exspectabat. Tunc cives, sicut pepigerant cum Daniele Principe [de Tenremonde] et Iwanno fratre Bal- D wini [de *Alost*], posuerunt Comitem ad rationem, et convocatis universis in Gandavo, Iwan prolocutor civium statutus est, et sic orsus est : « Domine Comes, » si cives nostros et vestros burgenses, et nos amicos ipsorum jure volueratis » tractasse, non aliquas exactiones pravas et infestationes debueratis nobis intu- » lisse, imò ab hostibus defendisse et honestè tractasse. Nunc ergo contra jus et » sacramenta, quæ pro vobis juravimus de condonato teloneo, de confirmanda » pace, et de cæteris justitiis quæ homines hujus terræ obtinuerant a prædeces- » soribus bonis terræ Consulibus, et maximè tempore domini Caroli, et a vobis, » vos in propria persona fregistis, et fidem vestram et nostram, qui in idipsum » vobiscum conjuravimus, violastis. Manifestum est quantam violentiam et rapi- » nam in Insulis fecistis, quantùm cives in Sancto-Audomaro persecuti sitis in- » justè et perversè. Nunc quoque in Gandavo cives, si potueritis, malè tracta- E » bitis. Sed cùm sitis dominus noster et totius terræ Flandriæ, decet vos nobis- » cum rationabiliter agere, non violenter, non perversè. Ponatur curia vestra, » si placet, in Ipra, qui locus est in medio terræ vestræ, et conveniant Principes » utrimque nostrique Compares, ac universi sapientiores in Clero et populo, in » pace et sine armis, tranquillo animo et benè considerato, sine dolo et malo » ingenio, et dijudicent. Si potueritis Comitatum, salvo honore terræ, deinceps » obtinere, volo ut obtineatis : sin verò tales estis, sicut exlex, sine fide, dolo- » sus, perjurus, discedite a Comitatu, et eum nobis relinquite idoneo et legi- » timo alicui viro commendandum. Nos enim mediatores sumus inter Regem » Franciæ et vos, ut sine honore terræ et nostro consilio nihil in Comitatu dignum » ageretis. Ecce tam nos fidejussores vestros apud præfatum Regem, quàm bur- » genses totius penè Flandriæ tractastis contra fidem et jusjurandum, tam ipsius *Num.* 140. * An. 1128.

Digitized by Google

» Regis quàm nostri, et subsequenter nostrorum omnium Principum terræ ». A

Num. 141. Igitur Comes prosiliens exfestucasset Iwarnum, si ausus esset præ tumultu civium illorum, et ait: « Volo ergo, rejecto hominio quod mihi fecisti, parem » me tibi facere, et sine dilatione bello comprobare in te, quia benè et rationa- » biliter adhuc per omnia in Comitatu egerim ». At Iwan renuit. Et determinavit

* An. 1128. diem, feriâ quintâ in capite Jejuniorum, octavo Idus Martii *, quandò pacificè in Ipra convenirent. Igitur Comes descendit Bruggas, et convocatis viciniæ illius militibus, præcepit ut ad diem positum secum, et ad ipsum armatâ manu festinarent. Convocatisque civibus in Brudgis, conquestus est eis quàm inhonestè ipsum a terra expelleret Iwan et sui, si possent, exoravitque eos ut secum fideliter starent. At illi annuerunt. Igitur ad diem ascendit Comes manu armatâ, et implevit Ipram militibus et Coterellis, præparatis et ad pugnam accinctis. Ascendit quoque Iwan et Daniel juxta Ipram, scilicet in Roslara, et præmisit B internuncios ad Comitem, dicens: « Domine Comes, quia dies in sacro Jeju- » niorum tempore positus est, cum pace et sine dolo et armis, sed rationabiliter » venisse debueratis, et non fecistis, imò contra homines nostros pugnaturus præsto » estis; mandant vobis Iwan et Daniel et Gendenses, quia dolosè ipsos interficere » venistis, hominia quæ inviolabiliter hactenùs vobis servaverunt, exfestucare » per nos non differunt ». Et exfestucaverunt ex parte dominorum suorum internuncii illi, et abierunt.

Num. 142. Ante hoc tempus Iwan et Daniel transmiserant per castra Flandriæ, mandantes salutem: « Obsides et fidejussores dabimus ad invicem, si vos vultis cum honore » vivere in terra, ut si violenter velit Comes irruere super vos vel nos, undique » ad mutuam nostram defensionem concurramus ». Annueruntque eis id libentissimè se facturos, si cum honore terræ et suo Comite isto tam perverso carere C possent, qui nulli rei intenderet, nisi quo astu cives suos persequi potuisset. Et adjunxerunt: « Ecce patet quomodò mercatores et universæ terræ Flandriæ nego- » tiatores obsessi sunt causâ Comitis istius, quem vos in Comitatum dignissimi » patris Caroli subrogastis. Et jam per annum istum consumpsimus substantias » nostras, et insuper quidquid in tempore alio sumus lucrati, aut iste Comes » abstulit, aut nos infra terram istam clausi et obsessi ab inimicis ejus consump- » simus. Videte ergo quâ ratione isto careamus raptore et persecutore nostro, » salvo tamen honore terræ et vestro ». Interim Comes in Ipra insidiabatur Danieli et Iwanno, congregans sibi universos terræ milites.

Num. 143. Quinto Idus Martii *, Dominicâ primâ Quadragesimæ, fama vera nos per-

* An. 1128. cellebat quòd juvenis Theodoricus, nepos Caroli Consulis, ex *Elsatan* venisset in Gandavum, ibique exspectaret, donec propulso isto Comite cum suis Nor- D mannis, ipse in Consulem susciperetur. Et valdè mirandum est quòd Flandria tot dominos susciperet, et eodem tempore puerum de Montibus, et Arnoldum quem in Sancto-Audomaro subintroduxerant, et istum qui jam exspectat Gandavi, et istum nostrum abusivum Comitem se recepturum parata foret. Nam istum Normannum Consulem nostrum Theodericus Castellanus [Dixmudæ], et ipsius cognati et amici; Arnoldum verò illi in Sancto-Audomaro; Comitem de Montibus illi de Atrebato et in confiniis; Theodoricum istum Iwan et Daniel et Gendenses in Comitem assumere festinabant.

Num. 144. Decimo-septimo Kalendas Aprilis, feriâ sextâ, cives Brudgensium concurrerunt in castrum, inquirentes si Fromoldus junior domum Comitis implesset frumento et vino et cæteris victualibus, ad opus Comitis Willelmi observandam. Eodem die, audito eo quòd Comes veniret in suburbium Brudgis, obviam ei, E si fortè venisset, clauserunt portas, nolentes illum deinceps tenere pro Comite.

Num. 145. Sabbato in Quatuor-temporibus, jam transactâ plenâ primâ Jejuniorum hebdomadâ, in XVI Kal. Aprilis, Gertrudis Virginis [festo], Castellanus Gervasius imperavit sese præparare omnes qui in Vicecomitatum ejus habitarent, ut in *Toraholt* expediti ad bellum conscenderent feriâ quartâ post Sabbatum præscriptum, ibidem exspectantes donec Comes noster Willelmus ipsos deduceret, contra Danielem et Iwan pugnaturos.

Num. 146. Duodecimo Kalendas Aprilis, in Benedicti Abbatis, Castellanus noster Gervasius a *Toraholt* in Bruggas rediit cum suis, retulitque quòd Arnoldus nepos Caroli Comitis jam secundâ vice subinductus erat in Sanctum-Audomarum fraudulenter a quibusdam civium. Quo rescito, Comes Flandriæ Willelmus cum

Digitized by Google

potentia valida ab Ipra accurrit in Sanctum-Audomarum, ac in Ecclesia sancti Bertini obsessum fugavit, volens incendere Ecclesiam; coegitque ut Arnoldus ille abjuraret prorsùs Flandriam, simulque illi qui cum ipso obsessi fuerant. Et hoc eodem die, reversus est Comes in Ipram, præparans se ut sequente die invaderet Iwannum et Danielem cum expeditione imperata in *Toraholt*. Eodem die, scilicet feriâ quartâ, cives nostri et maritimi Flandrenses nostri conjuraverunt ut simul deinceps starent pro tuendo honore loci et patriæ. *Num.* 147.

Decimo Kalendas Aprilis, feriâ sextâ, transmissis litteris, illi ex *Gend* simul Iwan et Daniel dicebant nostris burgensibus, ut usque in diem lunæ proximum prævideren sibi, utrùm deliberarent prorsùs permanere cum Gendensibus, et prorsùs exfestucare Comitem; an prorsùs persisterent cum Consule Willelmo, et contradicerent Gendensibus et ipsorum dominis ac amicis. Ultra præscriptum diem igitur nolebant in ambiguo suspendi cum Brudgensibus. *Num.* 148.

Nono Kalendas Aprilis, Sabbato *Dixit Rebecca* (*a*), audierant Brudgenses quòd Comes ex Alstra * satageret descendere Bruggas, et contradixerunt ei locum et castrum suum. Remandaverunt Comiti per Castellanum Gervasium ut aliàs se diverteret, donec inimicos suos exstirpasset a Flandria, et tunc primùm redderent ei locum et castrum in Brudgis. Requirebant quoque ab eodem Gervasio Castellano, ut profiteretur ipsis utrùm deliberasset, an prorsùs remanere in fide et securitate eâdem cum ipsis, an prorsùs ab ipsis cum suo Consule recedere. Eodem die circa vesperam viderunt transitum Comitis apud nos versùs *Maldenghem* : statim ad arma prosilientes cives nostri in exitibus portarum restitissent Comiti in faciem, si ad Bruggas descendisset, et portas undique clauserunt contra illum. Eodem die, Cono frater Walteri mortui ex Frorerdeslo introivit ad cives nostros, et in medio fori coram universis jurabat se cum sua potentia deinceps cum civibus fideliter persistere. Erantque civibus nostris coadjutores milites, Walterus ex Liswega et sui, et illi ex Ostkerca Hugo *Snaggaerd* et fratres sui. *Num.* 149. * *Alteren.*

Octavo Kalendas Aprilis *, Dominica in Annuntiationem S. Mariæ, Evangelium legebatur : *Omne regnum in se divisum desolabitur*. Ad burgenses nostros, tam ad Clerum quàm ad populum viciniæ nostræ, mandarunt Hollandiæ Comitissa et frater ejus Theodericus, adoptivus (*b*) Comes, Gendensium et nostrorum civium salutem : « Quidquid a prædecessoribus nostris Consulibus » legitimè possidetis et per me firmiùs obtinebitis, si quidem me in Comita- » tum subrogatis. Mercatoribus vestris et totius Flandriæ pacem et liberum » negotiandi præbebo transitum, simulque soror mea Comitissa idem præbebit : » eatenùs tamen ut obsides demus invicem recipiendi mea a vobis, et liberam » præstandi vobis negotiationem ». Statim Castellanus Gervasius transivit ad Comitem in *Maldenghem*, consulens ei ut versùs Ipram ascenderet; quia in *Maldenghem* quasi obsessus teneretur, si Gendenses in eum excursum fortè fecissent. Statimque Brudgenses transmiserunt propter Danielem, ut cum sua potentia ad ipsos in Bruggas descenderet. Interim cum Castellano ex *Brudburg* Henrico Arnoldus, quem in Sancto-Audomaro olim susceperant in Comitem, satagebat cum auxilio et consilio Regis Angliæ, ut Comitatum Flandriæ obtineret. Itaque terra Flandriæ divisa est, ut alii adhuc fidem conservantes et hominia Comiti Willelmo, cum ipso militarent; alii peroptarent Theodoricum, sicut Daniel et Iwan, et Gendenses ac Brudgenses; alii Arnoldum, sicut illi in Sancto-Audomaro et vicinia illa; alii Comitem ex Montibus præferendum crederent. Igitur in tanta divisione desolata est terra. *Num.* 150. * An. 1128.

Septimo Kalendas Aprilis, feriâ secundâ, Castellanus Gervasius noluit cum Brudgensibus nostris deinceps commanere, eò quòd Comiti Willelmo contradixissent locum et castrum suum, et portas obstruxissent contra eum, et superadoptassent Theodoricum sibi in Consulem. Igitur extra castrum Brudgarum Gervasius mandavit pro melioribus civium, et habuit cum eis hujusmodi orationem : « Quia fidem unico domino meo Comiti Willelmo adhuc servo, a » quo separari secundùm legem sæculi non potero, salvo honore meo, non » potero vobiscum commanendi licentiam habere, qui tantum feceritis Comiti » contemptum. Sed quia vos amo, ibo ad Comitem, perorabo pro vobis, qua- *Num.* 151.

(*a*) Id est, Sabbato ante Dominicam tertiam Quadragesimæ, quo die Epistola sic incipit.

(*b*) Sic dictus, quòd cum sorore Petronilla ad tempus præesset.

Digitized by Google

» tenùs usque in Dominicam proximam induciet de vobis, ne aliquam inferat A
» molestiam vobis : ita ut si vos Comiti potuero componere, faciam ; sin verò,
» cautos vos faciam de omni molestia quam Comes inferet vobis, si eam
» præscire potero. Uxorem meam, filios et filias, et res meas, adhuc infra
» castrum habitantes, precor honestè conservetis usque in determinatum diem ».
Et concesserunt ei omnes cives nostri fideliter sese observaturos. Eodem die
* Stephanus de *Boulaer*. Steven * ex Boulera introivit ad nos cum circa quadraginta militibus. Excursum fecerunt milites nostri ante domum Thancmari. Eodem die, Iwan et Daniel Bruggas induxerunt Theodoricum ex *Elsatan*, ut in Comitem assumeretur. Occurrerant ei cives nostri applaudentes ei.

Num. 152. Sexto Kalendas Aprilis *, feriâ tertiâ in mane, Thancmarus et nepotes ipsius
* An. 1128. domum et mansiones proprias in *Straten* combusserunt, quia si hoc non fecissent, Daniel et Iwan cum suo Theodorico combussissent. Didicimus reverà B
quòd Iwan et Daniel illi Theodorico hominium et securitatem non fecerant adhuc; sed ducendo eum per castra Flandriæ, populum et milites commoverent ad eligendum illum in Consulem. Nam sine licentia et assensu Ducis Lovaniæ, electionem facere Iwan et Daniel non poterant : sic enim fidem Duci utrique dederant, ne Theodoricum illum in Consulem eligerent sine consensu Ducis. Eodem die, audivimus quòd Willelmus Iprensis a captivitate productus Cortracum venisset, ut consilio et viribus suis et suorum fortè juvaret Consulem Willelmum, a Bruggis et a Gandavo propulsum. Quia ergo Iwan et Daniel, duo ex Paribus et Principibus Flandriæ, a Rege Angliæ donaria plurima susceperant, et plura erant pro expulsione nepotis sui, scilicet nostri Consulis Willelmi, accepturi (*a*); nihil absque consilio Regis facere deliberarant, seu absque consilio Ducis Lovaniæ, cujus filiam Rex Angliæ et idem Dux C
daturus erat Arnoldo nepoti Consulis piissimi Caroli, quem eodem tempore Furnenses et Castellanus ex *Brodburg* in Comitem susceperant, et hoc consilio et auxilio Regis Angliæ. Interrogabant tamen cives nostri ipsos Iwam et Danielem : « Cur ergo istum Theodoricum ad nos usque perduxistis, si
» fidem, securitatem et hominia ei vos priores, et nos secundo loco non fue-
» rimus facturi? » Responderunt : « Quia cùm apud Bruggas veniret, nobiscum
» venit et nos cum ipso, ut videret situm loci, et tentaret quo animo eum
» susciperent Brudgenses, et qui cum ipsis stabant amicitiâ et securitate conjuncti ».

Quarto Kalendas Aprilis, feriâ quintâ, illi milites ex Ostkerca ex nomine inscriptos pergameno, sese et plures alios transmiserunt Consuli Willelmo in Ipra, et exfestucaverunt fidem et hominia quæ olim fecerant ipsi eidem Consuli.

Num. 153. Tertio Kalendas Aprilis, feriâ sextâ, exspectabant Brudgenses reditum Danielis D
et Iwani, qui antea exiverant suburbium clanculò cum militibus suis. Nam determinaverant civibus nostris hunc diem, in quo hominia et securitates facerent Theodorico ex *Elsatan*, simulque Gendenses et Brudgenses, et qui cum ipsis
* An. 1128. conjuraverant. Hæc ante feriam sextam anno Bissextili *, in anno præterito erat feria quarta ante diem Paschæ proxima. Eodem die in vespera, reversi sunt ad nos in Brudgis Iwan et Daniel et Hugo Campus-avenæ, et relatum est quòd Willelmus Iprensis ille captus libertate donatus fuerit a Consule Willelmo Normannorum. Statim postquam pransi sunt, tam Principes quàm populus convenerunt in exitu castri apud Harenas omnes, ibique elegerunt Theodoricum ex *Elsatan* in Consulem totius Flandriæ, feceruntque ei hominia Iwan et Daniel in præsentia universorum ; lexque data est omnibus qui pro traditione

(*a*) Patrui sui dolos ubi rescivit Guillelmus, angustias suas Ludovico Regi significavit epistolâ a Chesnio editâ T. IV Script. p. 447. *Ludovico Regi Francorum Guillelmus Flandrensis Comes, debitam subjectionem.* « Benignitas vestra intolerabilibus exitii mei
» infortuniis compatiens, post lacrymabilem ex-
» cessum magnanimi et magnifici Karoli, me licèt
» indignum et prorsùs injusti meriti, in Comitum
» sedem voluit succedere. Unde corda Procerum,
» licèt inter se prorsùs dissidentium, mihi tamen
» in nullo consentientium, providâ vivacitate
» consilium primùm mirabiliter collegistis : de-
» mùm ut me non amore, sed timore unanimiter
» receperint, mirabiliùs effecistis. Ecce autem ille
» potens et antiquus hostis meus, Rex scilicet
» Anglorum, successibus meis jamdudùm indo-
» luit, innumeram adducens militiam, et immo-
» dicam afferens pecuniam, nuper applicuit ; et
» ut molestias possit inferre, fideliorem et poten-
» tiorem regni vestri portionem molitur nobis et
» vobis auferre. Qui confisus in militia et multò
» magis in pecunia, quia corda Flandrensium
» muneribus putaret subvertere, non solùm non
» auderet insistere, sed mihi resistenti formidaret
» resistere. Recurro itaque ad celsitudinem vestræ
» majestatis, orans et obsecrans, ut quemadmodùm
» me in honorem promovistis, in eodem confirme-
» tis : quod fieri non potest, nisi nobis vestram
» offeratis præsentiam, ut revereantur, et in ipsa
» erubescant et confundantur præsumptuosi alieni-
» genæ, et in fide roborentur aliquantulùm tituban-
» tes indigenæ ».

Digitized by Google

A Comitis Karoli proscripti habebantur, revertendi in curiam hujus novelli Comitis, et si auderent, secundùm judicia Principum et feodatorum terræ, si miles erat et ad curiam Comitis pertinuisset, excusationem faceret; sin verò, secundùm judicia Scabinorum terræ sese quisque notatus purgaret. Superaddita est a Consule Principibus suis et populo terræ libertas de statu reipublicæ et honore terræ, meliorandi omnia jura et judicia, et mores et consuetudines ipsorum terram inhabitantium. Et notandum quòd in anno præterito istâ eâdem feriâ reversi sunt Principes obsidionis ex Atrebato, quò exiverant a nobis pro eligendo Consule terræ, secundùm Regis Ludovici consilium ac præceptum, Iwan et frater ejus Baldevinus ex *Alst*, Walterus ex Frorerdeslo, et cæteri terræ Compares; redeuntes ad nos cum alacri animo, denunciaverunt nobis sese cum Rege Franciæ elegisse Willelmum pûerum ex Normannia, liberè et legitimè,
B in Comitem et dominum universæ terræ nostræ : et quòd, Consule Willelmo cum Baronibus suis considente in Ipra in solario quodam, ut consilium acciperet quid facturus foret contra noviter electum Theodoricum, Consulem Gendensium et Brudgensium et complicum eorum solummodò, decidit ipsum solarium in terram, et corruerunt simul considentes in eo, ita ut unus ipsorum penè casu ipso præfocatus exspirasset.

Pridie Kalendas Aprilis *, Sabbato, interim Clerus et populus reversi sunt apud Harenas, et super feretrum S. Donatiani juravit Comes [Theodoricus], sicut prædiximus, et dati sunt inter Consulem et Clerum et populum obsides, Iwan et Daniel, illa omnia Consulem adimplere, et scienter non fraudare quæ juraverit. Deinde Gendenses fidelitatem jurabant et deinde Brudgenses Consuli, et hominia fecerunt. Eodem die Lambertus ex *Reddenburg* venit Brug-
C gas, ut se a traditione excusaret. *Num.* 154. * An. 1128.

Kalendis Aprilis, Dominicâ *Lætare Jerusalem*, in medio Quadragesimæ, Theodoricus susceptus est in Consulem, et cum processione in Ecclesiam sancti Donatiani in Brudgis et more prædecessorum suorum Comitum ascendit, et pransus est in aula et domo Comitum, et per totum diem Brudgenses nostri elaborabant pro introducendo Castellano Gervasio, quem fideliter dilexerant. Erant tamen aliqui Brudgensium, homines quidem ejusdem Gervasii, qui nequiter agebant contra, seorsùm inito consilio cum quodam Waltero genero Haketi Castellani, quem superponere Gervasio moliebantur.

Quarto Nonas Aprilis, quæ feria in præterito anno erat Sabbatum sanctum Paschæ, modò verò feriâ secundâ, introivit Gervasius Castellanus in castrum Bruggarum ad Consulem Theodoricum in multitudine militum suorum, et bur-
D gensium qui fideliter ipsum dilexerant, stansque coram universis, ait : « Domine » Comes Theodorice, si Deus hanc gratiam contulisset nobis et patriæ, ut » vos statim post mortem domini nostri et nepotis vestri Caroli præsentem » habuissemus, neminem in Comitatum præter vos suscepissemus. Notum ergo » facio omnibus, quòd a Consule Willelmo prorsùs discesserim, hominium et » fidem et securitatem, quam hactenùs sibi servaverim, rejecerim, eò quòd » Pares terræ et omnis populus illum condemnaverit, sine lege, sine fide, sine » justitia Dei et hominum adhuc in terra errantem, vosque hæredem natura-» lem et dominum terræ justum, cum honore et dilectione susceperint. Volo » ergo hominium et fidem vobis facere, sicut domino naturali terræ et de cujus » conditione nos sumus; officium et feoda quæ a prædecessoribus vestris hac-» tenùs tenui, a vobis recipere volo. Si quis verò Vicecomitatum contra me
E » impetit, ex parte Haketti qui ante me Castellanus proximè fuit, in præsen-» tia vestra et Parium terræ satisfacturus præsto ero ». Sicque finitâ oratione, factus est homo Theodorici Comitis : deinde per reliquum diem fecerunt hominia Consuli omnes qui feodati fore debuerant in Comitatu, et per reliquos dies deinceps. Statim pacem ipse Consul componere festinabat in omni Comitatu suo, inter illos qui hactenùs in invicem discordias et lites, gravesque pugnas exercuerant. *Num.* 155.

Octavo Idus Aprilis, feriâ sextâ, Lambertus ex *Reddenburg* ferro ignito purgabat se in præsentia Comitis Theodorici a traditione et morte domini Karoli Consulis : Daniel et Iwan non interfuerunt. *Num.* 156.

Quinto Idus Aprilis, feriâ secundâ, quidam Iprensium venerant coram Consule Theodorico in lobio domûs suæ in Brudgis, denunciantes quòd idem Comes *Num.* 157.

Digitized by Google

in auxilium veniret civibus Iprensibus, eâ conditione ut, si cives Consulem A
Willelmum ab Ipra expellerent, statim die altero Comes Theodoricus in auxilium civium eorumdem intraret ad ipsos.

Num. 158. Quarto Idus Aprilis *, feriâ tertiâ, Consul Theodoricus cum feodatis suis et
* An. 1128. burgensibus Brudgensium excursum fecit versùs hostes suos, qui in *Oldenburg* et Gistella consederant; et quia undique præmuniti erant fortiter ad resistendum, Comes cum civibus in media via rediit. Eodem die misit Rex Franciæ litteras hujusmodi civibus nostris : « Volo ut in Dominica Palmarum octo viros » discretos a vobis mihi in Atrebato transmittatis. De singulis quidem castris » Flandriæ totidem sapientiores evocabo : coram quibus et universis Baronibus » meis retractari velim rationabiliter, quid sit quæstionis et pugnæ inter vos et » Comitem vestrum Willelmum, et statim laborabo pro pacis conformatione » inter vos et ipsum. Si quis de civibus non ausit venire ad me, conductum » securè præbebo veniendi et redeundi ». Statim cives super remittendis litteris B
rationis et consilii studium inierunt, dicentes : « Quia Rex juraverat ante susceptionem Willelmi Comitis, nullam coemptionem vel pretium se velle et debere » accipere pro electione Consulis ejusdem, et postmodum mille marcas pro » pretio et coemptione apertè susceperit, perjurus est. Item quidquid civibus in » teloneo [Comes] condonavit, et quidquid super hoc simul cum Rege juravit » se inviolabiliter conservaturum, violenter fregit : et cùm obsides dedisset ipse » Comes pro confirmatione omnium eorum quæ civibus condonaverat et dederàt, ipsos fefellit obsides. Igitur cùm tandem apud Ipram diem nobis determinasset et Paribus terræ, ut se componeret nobiscum, sicut omnes sciunt » terræ incolæ, armatâ manu prædictum castrum anticipavit, ut violenter nobis- » cum ageret, et ad quidquid vellet nos constringeret. Itaque sine ratione, C » sine lege Dei et hominum, nos in terra hac clausit, ne negotiari possemus : » imò quidquid hactenùs possedimus, sine lucro, sine negotiatione, sine acquisitione rerum consumpsimus. Unde justam habemus rationem expellendi illum » a terra. Nunc ergo justiorem terræ hæredem in Consulem nobis elegimus, » filium sororis (*a*) Consulis Karoli, virum fidelem et prudentem, secundùm » morem terræ sublimatum, fide et hominio nostro stabilitum, naturam et mores et facta prædecessorum suorum dignè imitantem. Notum igitur facimus » universis, tam Regi quàm ipsius Principibus, simulque præsentibus et successoribus nostris, quòd nihil pertinet ad Regem Franciæ de electione vel positione Comitis Flandriæ. [Si eum contigerit] sine hærede aut cum hærede » obiisse, terræ Compares et cives proximum Comitatûs hæredem eligendi ha- » bent potestatem, et in ipso Comitatu sublimandi possident libertatem. Pro D » jure ergo terrarum quas in feodum tenuerat a Rege, cùm obierit Consul, pro » eodem feodo dabit successor Comitis armaturam tantummodò Regi. Nihil » ulteriùs debet Consul terræ Flandriæ Regi Franciæ, neque Rex habet ratione aliquam ut potestativè, seu per coemptionem, seu per pretium, » nobis superponat Consulem aut aliquem præferat. Sed quia Rex et Comites » Flandriæ cognationis naturâ hactenùs conjuncti stabant, eo respectu milites » et proceres et cives Flandriæ assensum Regi præbuerant de eligendo et ponendo illo Willelmo sibi in Consulem. Sed aliud est prorsùs quod ex cognatione debetur, aliud verò quod antiquâ prædecessorum Flandriæ Consulum » traditione ad justitiæ examinatur instituta ».

Num. 159. Tertio Idus Aprilis, feriâ quartâ Leonis Papæ, nepotes Thancmari cucurrerunt super Brudgenses apud Harenas, evocantes et allicientes cives adhuc impransos, E
et Comitem Theodoricum et suos milites ad militias faciendas. Igitur campanas custodes templorum, et milites lituos pulsantes, fugabant eos procul a Brudgis. Subsequenter verò expeditiores militum nostrorum et civium ascenderunt iterùm adversùs hostes suos in Gistella, et coegerunt quosdam ut læti fuissent, si fortè liceret eis hominia facere Comiti nostro Theodorico, et super hoc obsides dare, ne unquam fraudem sibi facerent.

Num. 160. Nono Kalendas Maii, feriâ secundâ post Dominicam Paschæ, Comes noster Theodoricus equitabat ad Insulas, et vicinias illas obtinuit. Interim Lambertus ex Wingihina cum paucis militibus excursum fecit contra Bruggas, et simul cum illo nepotes Thancmari incenderunt domum Fromoldi junioris Notarii Comitis,

(*a*) Imò *amitæ*. Erant enim Theodericus et Carolus e duabus sororibus prognati.

quæ

Digitized by Google

A quæ domus defensabiliter steterat in *Berenhem*. At Consul Willelmus ad Regem Franciæ ascenderat eâdem tempestate apud Compendium, qui locus est in Francia, quatenùs a Rege acciperet consilium et auxilium quomodò Flandriam obtineret. Episcopo nostro Simoni Noviomensis sedis liberè reddidit duodecim altaria quæ in feodum acceperat, ut Advocatus et defensor staret Ecclesiarum Dei quæ in Flandria sunt, eo tenore quatenùs Episcopus banno et excommunicationis verbo damnaret omnes, quicumque Flandrensis terræ cives suscepissent Consulem Theodoricum et ad potentiam Consulatûs promoverent, atque Comiti Willelmo violenter et sine judicio superposuissent. Hoc ergo pacto Episcopus misit litteras in Gandavum, et suspendit inibi Ecclesias a divino officio.

Pridie Kalendas Maii *, feriâ secundâ, Lambertus ex *Reddenburg*, qui sub nota traditionis fuerat usque dum satisfecisset Comiti Theodorico per igniti ferri exa- *Num.* 161. * An. 1128.
B men, in *Ostburc* obsederat inimicos suos in validissima manu. Etenim asciverat sibi ex insulis maris circumquaque homines et amicos cognatosque suos ferè tria millia. At contra illum illi ex *Reddenburg* collegerant et peditum et equitum manum validam. Cùm igitur utrimque accessissent illi ad obsidendum, et isti ad liberandum obsessos, intervenit nuncius Comitis Theodorici, scilicet Castellanus Gervasius, volens differre bellum, quousque Comitis in præsentia pacificarentur: sed quia pertinaces fuerant Lambertus et sui ad occidendos obsessos, noluerunt aliquomodò differre quin obsessos percuterent. Igitur dum insultum tot millia facerent, et obsessi egregiè sese defensarent ; ex improviso illi milites ex *Reddenburg*, qui in auxilium obsessorum in alia domo eventum belli expectaverant, armati equis et pedibus alii et alii, tamen respectu obsidentium pauci, prosiliebant: statimque strepitum et clamores infinitos in aera moventes illi qui prosilierant,
C perterritos et prorsùs attonitos reddiderunt obsidionem facientes, in tantùm ut fugam inirent, et clypeis et armis abjectis, ad cursitandum in fuga sese succingerent. Tunc illi priùs obsessi in armorum virtute egressi, simulque et illi ex *Reddenburg* a tergo persequentes eos qui sese fugæ dederant, omnium inimicorum illorum capitales et duces truncabant. Cæterùm de peditibus quos voluerunt, enecabant. Sed et vulneratorum infinitus erat numerus, et occisorum liberorum virorum numerus erat.

In hac ergo pugnâ notandum, quia Lambertus ille, qui nuper excusaverat *Num.* 162.
se ferro ignito non tradidisse Carolum Consulem, modò occisus est. Nam quamdiu erga Deum humiliter egit, Deus illi quod in domini sui morte egerat, indulsit. Igitur post liberationem igniti examinis, cùm isdem Lambertus et sui sine aliquo respectu misericordiæ superbè cum tribus millibus paucos obsedisset,
D et eis obstinatus, quantùm in se erat, non parceret ; nec propter Deum, nec propter sacramentum jurisjurandi quod Comiti Theodorico fecerat, ut nullam in propria vel suorum persona seditionem moveret, voluisset pugnam et stragem obsessorum differre, merebatur ipse occidi... Notandum verò quòd isti occisi in *Ostburg*, primitùs consilio et dolis suis Theodoricum Comitem in Gandavo et Brudgis præstituerunt, et Willelmo Comiti supposuerunt. Et quamvis Theodoricus hæres sit naturalis Flandriæ, et justus Comes et pius ; Willelmus verò Comes Flandriæ sit inhonestus et civium terræ persecutor : tamen non justè consuluerunt ii qui nunc miserabiliter jacent occisi, nec a traditione domini sui potuerunt dici innocentes, quorum consilio et violentiâ doli adhuc Comes Willelmus erat in terra sua Flandrensi.

Sexto Nonas Maii * in nocte feriæ quartæ, illi qui in Gandavo in domo Comitis *Num.* 163. * An. 1128.
E a civibus illis adhuc obsessi tenebantur, eò quòd in parte Willelmi Consulis persisterent, exierunt et platearum domos plurimas incenderunt. Cùmque cives pro ignis destructione laborarent, securibus exciderunt jactatoria ingenia, scilicet mangunellas, quibus lapideam domum et turrim, in qua degebant obsessi, prosternerent. Eodem die, scilicet quartâ feriâ, Gervasius Castellanus Brudgensis cum militibus obsidere voluit in Wingchina in parte Comitis Willelmi agentes. At illi strenui milites occurrerunt Gervasio, et ipsum illum vulneraverunt, et de armigeris duos ceperunt, equos et palefridos lucrati sunt.

Tertio igitur in Nonis Maii, Sabbato, revoluto anno, instabat dies anniver- *Num.* 164.
sarius omnium illorum qui de turri præcipitati erant pro morte Karoli Comitis. Et notandum quòd in hac eadem septimana occisi sunt in *Ostburg* Lambertus filius Ledewif, et cum ipso plures quorum consilio et traditione Theodoricus

Digitized by Google

Flandriæ superpositus violenter est Willelmo Northmannensi. In hac eadem A
* An. 1128. hebdomade satagebat Rex Franciæ, in pridie Nonas Maii *, Dominicâ *Misericordia Domini* (*a*), convocare Archiepiscopos, Episcopos, et omnes synodales personas in Clero et Abbates, et discretissimos tam in Clero quàm in populo, Comites et Barones, cæterosque Principes, ut ad se in Atrebatum convenirent, habiturus consilium de istis duobus Consulibus, quem eorum cum regia potestate expelleret, aut quem stabiliret. Quo tempore Theodoricus in Insulis, et Willelmus errabat in Ipra. Tota verò terra in periculis agitabatur, in rapinis, incendiis, traditionibus, dolis, ita ut nemo discretus viveret securus. Igitur utrobique expectabant quod consilium, aut quæ sententia daretur in curia et conventu tot prudentum et discretorum virorum (*b*), et quæ pericula in futuro timerent, cùm omnia pericula sibi superventura timerent. Et notandum quòd omnes ferè quibus terra Flandrensis prohibita erat propter traditionem Caroli Consulis, B
et hoc secundùm judicia Principum et Baronum terræ, hoc tempore reversi sunt in terram, hac simulatione et dolo, ut si quis esset qui eos auderet interpellare de traditione, ipsi interpellanti responderent secundùm vel quòd miles erat in curia Comitis, vel secundùm quòd inferioris conditionis coram Scabinis et judicibus terræ. Igitur adhuc nullus interpellatus est, nec respondit.

Num. 165. Et memorandum quòd cùm jam primò Comes Theodoricus in Insulas conscendisset, quædam incantatrix occurrit illi, descendens in aquam illam quam Comes transiturus erat per pontem juxta incarminatricem. At illa conspersit Consulem aquis. Igitur, ut aiunt, Comes Theodoricus languebat in corde et visceribus, ita ut comestionem et potum fastidiret. Cùmque milites ejus indoluissent super eo, ceperunt incantatricem, et ligatis manibus et pedibus stipulis et straminibus succensis impositam, combusserunt. Ab illo ergo tempore C
usque in septimum Idus Maii, Comes ex Frorerdeslo in Winendala, et illi qui in Winchina cum Lamberto arma ferebant contra Comitem Theodoricum et suos, non desistebant deprædari villas circa se, et rusticos simul cum rebus ipsorum violenter auferre. At Brudgenses fossatis novis circumdederunt se, vigiliis et insidiis suis et suorum militum sese defensabant. Quâ tempestate, villa *Orscamp* deprædata est prorsùs a militibus Willelmi Consulis.

Num. 166. Pridie Idus Maii, feriâ secundâ, Brudgenses impetebant illos in Winchina, et vulnerati sunt utrimque plurimi, et mortui quidam. Non tamen oppidum illorum obsessorum destructum est.

Num. 167. In Idibus Maii, feriâ tertiâ, Willelmus Comes, collectis militibus suis, invasit Præconem in *Orscamp*, et fugavit illum in Ecclesiam ejusdem ruris, et clausum intùs obsedit eum, appositisque ad fores templi ignibus, ipsas fores D
conflagravit. Interim Brudgenses nostri occurrerunt ei armati in *Orscamp*; et cùm perspexissent et Consulem et milites ejus et flammas ignium in templo, perterriti fugerunt, et plures capti sunt eodem die. Cùm ergo in fugando et in persequendo cives nostros Comes excurreret, Præco ex *Orscamp* cum paucis e templo prosiliebat, et evasit periculum ignis, et captus est unus militum qui in evasione eadem exiverat a templo. Brudgenses verò nostri fugerunt timore et pavore perterriti, simulque quia conscii erant sibi quòd eumdem Comitem Willelmum injustè expulèrant et tradiderant: et quidam eorum in furnos campestres latuerunt, de quibus extracti, captivi sunt abducti.

Num. 168. Duodecimo Kalendas Julii *, feriâ secundâ, fama retulit ex *Lens* Regem
* *Corr.* Junii. Franciæ fugisse ab Insulis, ubi Comitem nostrum Theodoricum obsederat per quatuor dies. Eâdem tempestate, Gendenses evisceraverant quamdam incanta- E
tricem, et stomachum ejus circumferebant circa villam suam.

Num. 169. Quarto Kalendas Junii, feriâ tertiâ, Comes Willelmus, collectâ maximâ manu militum et peditum, invasit Bruggas, et usque in portis et cingulis et

(*a*) Dominica secunda post Pascha.

(*b*) Curiæ sententiam refert Herimannus Tornacensis S. Martini Abbas: « Rursùm petente Guillelmo, *inquit*, Rex cum Archiepiscopo (Remensi) » Atrebatum revertitur, Theodericus quasi alieni » juris invasor ad audientiam Archiepiscopi venire » commonetur; venire nolens, cum omnibus » fautoribus suis publicè excommunicatur, et » Insulæ, ubi tunc morabatur, divinum officium » interdicitur, ipseque quantociùs de Flandriâ » exire, et in terram suam redire a Rege jubetur. » Præbet ille surdas aures, et eventum rei præs- » tolatur. Rex cum Guillelmo, congregato exer- » citu, intra Insulam clausum obsidet Theoderi- » cum, terque in die in tribus locis oppidum in- » vadens, portas intrare et clausos expugnare » conatur: sed nihil proficiens, sexto die sine » aliquo effectu Atrebatum, inde in Franciam re- » vertitur ».

Digitized by Google

A infra fossata nostra insultum impetuosè et animosè inferebat. Utrobique alii interfecti, alii perplures sunt vulnerati. Tandem in vespera reversus est apud Iadbeca.

Tertio Kalendas Junii, feriâ quartâ, Comes Willelmus rapuit iterùm apud *Orscamp* rusticos et milites cum armatis, et violenter abduxit apud Winendala et *Oldenburg*. *Num.* 170.

Pridie Kalendas Junii *, in die Ascensionis Domini, ex *Oldenburg* misit quemdam Monachum, nomine Basilium, Comes Willelmus, præcipiens notario suo Basilio ut ad se festinaret, eò quòd in præsentiam suam Berquarii (*a*) et custodes curtium et reddituum suorum rationem debitorum suorum redditurі venissent. Igitur Monachus ille detentus est in Brudgis per Iwannum et Gervasium Castellanum, et Arnoldum nepotem Caroli Consulis, qui priore die a *Brudburg* venerat Brugas. Eodem tempore Comes Willelmus *Oldenburg* circumse- *Num.* 171. * An. 1128.
B piri et fossatis firmari præcepit, ubi se et suos recipere ordinaverat. Igitur nemo ruricula circa nos securus erat, sed cum omni supellectile sua aut ad nemora subterfugerat et latitabat, aut infra Bruggas ascendit, vix ibidem vitæ suæ aut rerum securus.

Quarto Idus Junii, Dominicâ sanctâ Pentecostes, Comes Theodoricus venit Bruggas, conquisitis circumadjacentiis villarum circa Gandavum, et in maximo gaudio susceptus est a nostris. *Num.* 172.

Tertio Idus Junii, feriâ secundâ, milites et latrunculi quidam, qui erant in parte Willelmi Consulis, ex Iadbeca prodibant, et quasi speciem pacis ferrent, cum milite quodam ex nostra parte manente, sermones et salutationes conferebant. Hujus ergo Equitis nostri domus defensabilis et firmissima stabat, in quam omnes circummanentes et plures ex civibus Brudgensibus res suas com- *Num.* 173.
C portaverant, quas ibidem tutiùs salvarent. Interceperunt ergo Equitem illum in curte sua securè vagantem, et traditum vulneribus infecerunt, et domum, eodem expulso Equite, violenter obtinuerunt. Statim Comes Theodoricus lætus cum innumera multitudine advolans obsedit eos, coegitque eos obsessos ut sese redderent : quos tamen salvis membris abire dimisit, et Equitem dominumque illius domûs benè in propria domo restituit, feriâ tertiâ, scilicet pridie Idus Junii.

Eodem pridie Idus Junii, audientes milites Consulis Willelmi, qui in *Oldenburg* et Iadbeca et *Straten* jacuerant, ut insidias pararent nostro Comiti Theodorico et nostris, quòd cum tota potentia sua obsidionem Theodoricus fecisset extra in remotis villis a Brudgis, accurrentes circa sexaginta præcursores incenderunt domum vicinam castro Brugensi, allicere volentes cives nostros, quos fortassis sic caperent. Magis verò ideò nos impetebant, ut Theodoricum *Num.* 174.
D Consulem per ignis fumum et flammas ab obsidione revocarent. Igitur Castellanus Gervasius cum militibus occurrens ad insultum insidiatorum, cepit duos milites strenuos, Walterum nepotem Thancmari, per quem occasio et caussa seditionis et pugnæ totius originem habuit inter Borsiardum illum traditorem Comitis Karoli et Thancmarum; cepitque alium cum Waltero militem. Sed isdem Walterus lethaliter vulneratus erat in captione illa. Cives verò Brudgenses manus præ gaudio complosas conferebant, animi exhilarationem non satis sibi invicem ostendentes pro tam bono suo successu.... Nam viso igne juxta Bruggas, Comes Theodoricus jam ab obsidione revertens, cum tota multitudine accurrit : sed ante accursum ipsius capti sunt illi duo, et cæteri insidiatores retrò fugati.

Eodem die Walterus ex *Somerengem* et milites et pedites cum eo, qui quidem ex nostra parte militabant, apud Haltras capti sunt. Eodem die, Daniel *Num.* 175.
E et Iwan apud Ruplemunda super [Godefridum] Ducem Lovaniæ quinquaginta milites ceperunt (*b*). Eodem die, miserunt Iprenses secretò litteras Brudgensibus, quatenùs privatim et in tuto loco aliquos sapientiores nostros et suos vellent convenire, et de honore Comitatûs utiliter agere.

Quarto-decimo et decimo-tertio Kalendas Julii, Comes Theodoricus ascenderat cum Comite Frederico (*c*) in Gandavum, et collegit sibi infinitum exercitum ex Axla et *Buchold* et *Was* et confiniis illis; adduxit quoque instrumenta jactatoria, quibus dejiceret domos defensabiles et oppida inimicorum suorum, *Num.* 176.

(*a*) Sic dicti qui pastoribus et pascuis vel titulo villicationis vel sub annuo censu præficiebantur.

(*b*) Daniel et Iwan cum Duce Lovaniensi priùs conspiraverant, ut Guillelmum Normannigenam e Flandria expellerent; sed cùm eo inconsulto Theodoricum suscepissent, ruptis fœderibus, hostes effecti sunt.

(*c*) Nicolaus Vignerius (Orig. Alsat. p. 115) hunc Fredericum fratrem Theoderici nominat.

Digitized by Google

applicuitque cum gravi exercitu ad *Tiled*, et obsedit domum *Folket* militis. A
* An. 1128. Igitur duodecimo Kalendas Julii *, feriâ quartâ, Brudgenses occurrerunt Comiti cum suo Castellano Gervasio et cum infinita Flandrorum multitudine, qui cum ipsis conjuraverant. Consederunt ergo foris nocte sequente circa domum prædictam. Igitur Comes Willelmus juxta subsequens exercitum, conspexit quota foret turba et exercitus qui militem suum obsederant; nec parùm indoluit de injuria illa et grassanti arrogantia obsidentium. Elegerat namque Willelmus Comes priùs emori, quàm tantum opprobrium sui sustinere. Igitur undecimo Kalendas Julii, feriâ quintâ et die quarto ante festum S. Joannis Baptistæ, circa mane, in *Oldenburg* ab Abbate illius loci, religioso et prudenti viro, pœnitentiam suorum peccatorum devotus suscepit, et vovit Deo ut deinceps pauperum foret advocatus et Ecclesiarum Dei. Similiter omnes strenui milites ejus voverunt, circumcisisque crinibus, et rejectis vulgaribus indumentis, camisiâ B
et loricâ et cæteris armis induti sunt, humili voto apud Deum et fortissimo zelo progredientes ad bellum : veneruntque in vertice montis qui eminebat juxta exercitum Theodorici Consulis, ibique præordinabant sese ad bellum.

Num. 177. Fecit ergo Willelmus Comes tres turmas equitum, et obtinuit primam suorum aciem, cujus ipse dux primum insultum facere se constituit. Ex adverso itaque Theodoricus Comes similiter ordinaverat acies suas, in quarum una ipse et Gervasius Castellanus capita erant, in altera Comes Fredericus : curtatisque hastis utrimque paullatim sese aggressi sunt in virtute hastæ et gladii, cecideruntque infiniti. Cominùs pugnabant, non aliter quàm morti se offerrent, in media arma inimicorum corruebant : ante quidem sese præjudicaverant mori in bello, quàm a Comitatu expelli. In aggressu enim primò, Daniel qui caput erat militiæ Theodorici Consulis, volebat se inferre cuneis Willelmi Consulis, C
ibique dejectus est Comes Fredericus, et contra illum vinctus Riquardus ex *Woldman* in priore vinctura : plures quippè et infinitè fiebant in invicem vincturæ. Tandem gladiis contendebant.

Num. 178. At pars et cuneus ille in quo Willelmus Comes pugnabat, deficere incipiens retrò in fugam se convertit, quam Daniel persequebatur cum suis. Cùmque utrimque laborarent, illi in fugiendo, illi in persequendo; secunda pars cuneorum Willelmi Consulis, quæ ad insidiandum latebat, prosilivit in adversas facies Danielis et suorum : et quia recenti virtute et unanimi consensu exhortati fuerant et instructi ad bellum, in nullo hæsitantes, hastis et gladiis persecutores illos interruperant. Tunc Comes Willelmus a fuga velociter resiliens, sese cum suis recepit, unoque cursu et animo virili ac robore corporum suorum crudelitati armorum et dispersioni inimicorum insistebant. Igitur universi qui D
cum Consule Theodorico pericula belli sibi imminere prævidebant, in diversa, armis disjectis, nudique prorsùs fugerunt, adeò ut cum Comite suo præter decem milites nulli commanerent. Willelmus quidem Comes et sui loricas projicientes, leviores, equis insidentes, tunc tandem victoriæ suæ fructum consecuti, hostes alios occiderunt, alios ceperunt.

Num. 179. Circa mediam noctem ad Bruggas rediit Comes Theodoricus; cæterùm quò Willelmus Comes redierit non audivimus. Tunc nostri loci conjuges viros suos, filii patres, servi et ancillæ dominos suos perditos deflebant, casum et infortunium belli perquirentes, totâ nocte et deinceps fletibus et suspiriis languebant. Summo diluculo igitur cùm exirent nostri ad mortuos suos, iterùm a militibus Willelmi capti sunt. Tam gravis persecutio et multiplex captivitas nostrorum nunquam audita est contigisse in nostris partibus ante hoc facinus belli. Infinita E
verò pecunia data est pro captivatis nostris redimendis Willelmo Comiti et suis, et sic quodammodo iterùm terra nostra deprædata. Tandem audientes nostrates quòd Willelmus Comes ante ingressum belli se Deo humiliter subjecisset, pœnitentiæ remedium insumpsisset, crines et superfluas vestes ipse et omnes sui truncassent; post belli infortunia sua, cives nostri simul cum suo Consule Theodorico crines et vestes circumciderunt, et ipsi quoque Presbyteri nostri ad exemplum inimicorum tandem pœnitentiam prædicaverunt, et post tot damna, spolia, et captivitates in nostros peractas, indixerunt jejunium universale, et ferebant cruces et scrinia Sanctorum in Ecclesiam B. Mariæ in Brudgis, ibique excommunicaverunt omnes Sacerdotes Brudgenses ex nomine Willelmum Comitem Northmannum, Thancrannus Decanus, Eggardus, Sigebodo, Heribertus,

Digitized by Google

A Fromoldus senior, Theodoricus, Presbyteri, feceruntque vovere Consulem Theodoricum coram universis, quòd si aliqui ex Iprensibus sese ad ipsum converterent, misericorditer eos susciperet; sive de omni Comitatu, quicumque se converterent similiter ad ipsum, non exhæredaret eos....

Quarto Nonas Julii * mensis, feriâ quartâ, in Translatione Martini Episcopi Turonensis Ecclesiæ, obsedit Comes Willelmus Nortmannensis cum gravi exercitu domum magni Præconis in *Orscamp*, adducens instrumenta jactatoria, magnellam et pyrrira, quibus dejiceret domum præfatam. Sed Theodoricus Comes cum civibus Brudgensibus et Flandrigenis circa Bruggas et infra fossata et sepes ejusdem domûs, simulque Arnoldus *Wineth*, sese opposuerunt: utrumque verò exercitum fluvius diviserat, qui domum illam prædictam Orientem versùs muniebat. At ex illa parte in qua Willelmus insultum fecit, domus illa
B sepibus et fossatis firma fuit. Multi igitur in aggressu belli et pugnæ in invicem, utrimque mortui seu vulnerati sunt; sed domus et fossata et sepes ejus firmiter perstiterunt. Tandem turrim ex una, et turrim ex altera parte oppositam erexerunt, quibus conscensis, acriori modo pugnaverunt. Tunc exercitus Willelmi, eò quòd ventus ex Occidente duriter perflaret oppositum sibi hostium cuneum, comportari jussit undecumque fœnum, herbam, tecta domorum, frutecta, et omnem materiam quæ subministraret impletionem fossatorum, ut sic intrarent ad hostes oppositos. At illi de intùs ignem pice et uncto veteri et cerâ leviùs ardentem machinæ injecerunt, et ita igne consumptum est quidquid conjectum fuit. Ejusdem quidem machinæ ardentis fumus ventorum stridore agitatus, in oculos irruit eorum qui ignem injecerant ab intrinsecùs: hastis et telis et sagittis multi occubuerunt infecti. Sedit igitur Willelmus ille sex dies in obsidione illa,
C in quibus diebus tot militias, tot tornationes exercitabant milites utriusque exercitûs. Nam cùm fluvius profundus esset inter utrumque hostem, quærebant omni tempore obsidionis milites Willelmi vada et transitus fluvii, quibus transire non differebant avidi pugnæ et belli, utpote illi qui fortiores armis et numerosiores erant multitudine. Sexto ergo die, qui erat septimo Idus Julii, feriâ secundâ circa vesperam, videns Willelmus quòd nihil proficeret in obsidione domûs illius, transire jussit milites quadringentos per vada fluvii, et combusserunt domum Ansboldi militis, et domos fratris et sororum ejus. Tunc exerci-
tus ejus recessit. At nostri fugerunt in Bruggas, et vicini qui circa nos commanebant, cum omni supellectili sua et pecudibus fugientes, intraverunt ad nos in Bruggas, tremore et pavore attoniti, noctemque illam insomnem duxerunt. Eadem die, Monachi S. Trudonis et eorumdem cellula juxta *Orscamp* sita,
D prorsùs deprædata est, ut nec libri vel calix sacrificii ibidem remaneret.

Num. 181.
* An. 1128.

Notandum quidem quòd nullus sapientum inter nostros Brudgenses ausus erat vera profiteri de casu et infortunio et fuga nostra. Quicumque enim aliquid veritatis profitebatur, illum traditorem loci nostri et fautorem Willelmi Consulis deturpabant, mortemque subitò minati sunt. Nec mirum: quia Deus obstinabat corda eorum, ne omnem veritatem vellent audire. Tamen cruces et processiones per Ecclesias a Clero delatas subsequentes, magis Deum ad iram quàm ad placationem provocaverunt, quia in obstinatione animi, in malis et in superbia et pugna contra potestatem a Deo ipsis prælatam erexerant. Omni quidem potestati omnis anima debet esse subjecta, sicut ait Apostolus. Igitur si in loco illo unde pessimæ traditiones emerserant, infortunia contingerent, bella, seditiones, homicidia, opprobria sempiterna totius Flandriæ, nonne jure
E idem locus debetur omnibus malis? Et si Ecclesia Fratrum patitur quæ in Brudgis est, nonne meritò, quia Præpositus ejusdem Ecclesiæ caussam malorum intulit? Et quamvis nemo auderet annunciare bannum et anathema Archiepiscopi nostri et Episcopi, cæterorumque suffraganeorum Episcoporum ejus; audivimus et cognovimus quidem verè et nos fuisse meritò in banno positos, et in prohibitione divini officii, eò quòd superposueramus Comitem Comiti, et infinitas mortes per hoc intulimus universis. Presbyteri nostri et Clerus nostri loci præparaverunt sese ad pugnam cum populo et turba, malè illius memores quòd starent quasi murus pro domo Israel.

Num. 182.

Quarto Idus Julii, feriâ quartâ in Translatione Benedicti Abbatis, Christianus de Gistela et fratres Walteri Pennati-mendacii, venerunt Bruggas per conductum Danielis; et posuit Christianus filium suum in obsidem, et fratres

Num. 183.

Digitized by Google

prædicti duo remanserunt obsides pro Waltero fratre suo, compediti in domo A
Comitis quæ est in Brudgis. Ferebant igitur secum Christianus et milites ejus
Walterum illum, donec viderent si aut convaleret, aut moreretur, utpote illum
qui vulneratus ad mortem languebat.

Num. 184. Quinto Idus Julii *, feriâ quintâ, Dux Lovaniæ [Godefridus] obsedit *Alst*
* An. 1128. cum gravi exercitu, et venit sibi in auxilium Comes Flandriarum Willelmus
cum quadringentis militibus. Interim apud Brudgenses multa mendacia volita-
bant de negotio obsidionis præfatæ. Contigit interim quòd in Brudgis molen-
dinum aquis immersum undique dilapsumque destrueretur, et aqua quæ ad pla-
gam meridiei munierat castrum et suburbium Brudgense, in loco quo molen-
dinum concluserat aquas, elaberetur ferè tota. Inde commoti cives accurre-
bant, et fimo, lignis, terrâ, aquas effluentes obstruebant. Imputabant igitur
suffossionem molendini factam fuisse furtivè ab inimicis suis, eò quòd ita post B
defluxum aquarum castrum et suburbium ipsorum ad ingressum pateret hostibus.
Multi aderant divinatores et laïci et Sacerdotes, qui adulabantur civibus nostris,
prædicentes eis quæcumque sciebant cives voluisse audire. Si quis verò sapiens
de negotio obsidionis, aut de loci et civium periculis imminentibus verum
profitebatur, vilissimâ repulsâ impetitus ab ipsis, obmutuit. Adhuc verò langue-
bant cives nostri in extorquendo pecuniam ab invicem, quam Comiti Theo-
dorico transmitterent in expeditionem obsidionis præfatæ. Similiter illi ex *Gend*
laborabant. Erantque in *Alst* obsessi Iwan et Daniel et Comes Theodoricus
cum forti milite satisque in bello probato.

Num. 186. Octavo Kalendas Augusti, feriâ quartâ, in die S. Christophori, reductus est
Walterus Pennatum-mendacium in captivitatem in Brudgis, et redditi sunt
obsides qui pro eo dati et usque ad id temporis observati fuerant. C

Num. 187. Sexto Kalendas Augusti, sextâ feriâ post * Transfigurationem Domini (*a*) in
* *f.* ante. monte Thabor, dignabatur Dominus suæ prævisionis et nostræ simul persecu-
tionis ponere in hac seditione quodammodo finem: quia Comes Willelmus
Northmannus, dum in assultu præfatæ obsidionis se prætulisset hostibus penès
castrum *Alst*, dejectus ab equo, dum sese in pedes recepisset et manum dexte-
ram ad oras armorum deduceret, quidam peditum ab hostibus prosiliens, lanceâ
eamdem dexteram Consulis in palma perfigens, medium brachii quod adjunc-
tum manui cohæserat, perfodit et letali vulnere infecit. Quem milites sui col-
legerunt, utpote dominum suum miserando occasu morientem, ac per totum
illum diem mortem celando inimicis, sine planctu et ejulatu voces et clamores
dolorum compresserant, tanto acriori mentis angustiati confusione. Dux igitur
Lovaniæ quærere satagebat ut se et suos componeret cum Comite nostro Theo- D
dorico, et totius discordiæ in invicem habitæ caussas in judicio Iwan et Danielis
et Regis Angliæ commendavit. Concessione ergo compositionis utrimque lau-
datâ, dum rogabat Comitem nostrum Theodoricum, ut ducatum præberet Con-
suli Willelmo revertendi cum suis pacificè ab obsidione, cùmque omnem Comes
Theodoricus Duci super hoc assensum præstitisset, ait Dux: « Ecce, quem in
» tantùm virtus tua persequitur hostem, Willelmus Comes e vulnere lethali
» exspiravit ». Igitur prosilivit unusquisque utrimque, alius ad deflendum tanti
et tam præcipui militis occasum, alius ad excitandum hostes in exsultandum,
alius ad denunciandum his qui domi remanserant, ut sibi præcauti rerum suarum,
non nisi vigilanter et præconsideratè agerent. Volitabat enim undique rumor et
fama mortis Principis illius, et qui in fide et securitate ejusdem Consulis decer-
taverant, ad tutiora loca sese conferebant. Tunc cum planctu infinito et clan- E
gore excelso corpus militis strenui feretris impositum, ad Sanctum-Audomarum
humandum transtulerunt.

Num. 188. Cæterùm Theodoricus Comes inimicos suos persequebatur ubique, et con-
flagratione ignis eos vastavit, captivavit, disperdidit, nisi qui gratiam ejus ante
conflagrationem ipsam aut pecuniâ aut aliter conquisierant. Ascendit igitur Theo-
* An. 1128. doricus Comes apud Ipram quarto Kalendas Augusti * Dominicâ, cum infinito
militum auxilio, et obtinuit Ipram. Cives verò Brudgenses, et milites et solida-

(*a*) Transfiguratio Domini incidit in diem VIII Idus Augusti, seu diem sextam ejusdem mensis, non verò VI Kal. Augusti, quæ est dies 27 Julii. Unde duo tempora hìc designari arbitramur, tempus inflicti vulneris, die VI Kal. Augusti, et divulgatæ mortis Guillelmi ante Transfigurationem Domini. Certè Herimannus Tornacensis, Auctor ipse æqualis, Guillelmum mense Augusto obiisse tradit, et Ordericus Vitalis dies quinque accepto vulneri superfuisse.

Digitized by Google

A rii eorum, exierunt et deprædati sunt villam Ridevorda, et domos combusserunt. Igitur Lambertus ex Ridevorda et Lambertus ex Winchina, aliqui ex *Folketh et Tileth*, et plures alii de confiniis nostris qui in auxilio Consulis Willelmi certaverant, sese in oppido Winendala receperunt. Illi quoque qui in Ipra cives in parte constiterant Willelmi, cum Isaac apud Formesela sese contra Comitem Theodoricum firmaverunt : ubi exercitata est militia maxima.

Et notandum quòd cùm in tantis periculis Brudgensium locus fuisset, ut cives nullo consilio sibi posse, nisi a solo Deo, mederi credidissent, et ideò cordis sacrificio Deum placassent, dispensatione solitâ Deus subvenit ipsis. Nam Consulem Willelmum gladio sui judicii enecavit ; sed illo quippè modo, ut non in propria, sed in alienæ pugnæ causa, scilicet Ducis illius cujus in auxilio militabat, emoreretur. Proinde nos Brudgenses a morte illius innoxii deputabamur, quo-
B niam quidem nemo e nostris ipsi intulerat mortem, imò eodem tempore quo functus est a vita, nos timebamus illum procul dubio ad nos obsidendos futurum. Illi etiam ex *Ostkercka* milites, qui de consilio Comitis Theodorici et nostro pendebant, eadem die quâ obiit Consul Willelmus, improperabant nobis quòd traditores fuissemus, et recesserunt a nobis. Interea apud Bruggas nuncius venit, qui mortem denunciaret Willelmi Consulis. Quo audito, cives et omnes nostrates Deo referebant gratias pro tanta liberatione sua et rerum suarum.

Igitur mirabilis dispensatio Dei, quæ hoc modo Principem illum mori dispen- *Num.* 189.
savit, ut in Ducis præfati obsidentis *Alst* auxilio obiret extra Consulatum nostrum. Et quamquàm contra nostrum Comitem et nostrates in parte pugnaret, non fuit quidem alicujus alterius causa illius pugnæ et obsidionis, quàm Ducis. Et licèt Willelmus Comes libenter quacumque occasione nostrates impugnaret,
C et ideò in auxilium Ducis maximè conscendisset ; ejus pugna aut ejus mors ibidem a Deo præfixa, non imputabatur nisi Duci. Ducis enim miles in hoc fuerat, nec ibidem pro Comitatu primò, sed pro salute et honore Ducis, velut alius quislibet solidarius, mortuus est. Contendunt aliqui quòd nostrates, postquam expulerunt Willelmum Consulem, superopposuerunt ei Theodoricum Comitem, et eumdem argento et consilio, et omni facultate tam consilii quàm pecuniæ undique confirmatum, in castris et omnibus locis in quibus prævenire poterant, Willelmo illi opposuerunt ad resistendum. Illo enim modo non poterunt innocentes a morte illius probari. Alii dicunt Ducem impetisse Theodoricum, quia præsciebat [quòd], si ipse Theodoricus fortè regnaret et persisteret in Consulatu Flandrensi, multa mala posset imposterùm inferre sibi, et fortassis a Ducatu expelleret, aut saltem dotem (*a*) illam, pro qua Comes Theo-
D doricus satagebat Ducem coram Imperatore appellare, violenter auferret. Comes Willelmus pro consimili caussa in prædicta Ducis obsidione impugnabat Comitem Theodoricum, quia sciebat hunc emoliri quo astu a Consulatu expellere ipsum potuisset : attamen sibi injustè et traditiosè sciebat illum Theodoricum sibi superpositum fuisse, et ideò utrique poterant rationabiliter, et Comes Willelmus pro caussa Ducis et pro propria injuria ibidem rectè occubuisse, et Comes Theodoricus pro dote a Duce expostulata justè, et pro Comitatu obliquè tradito ibidem restitisse Duci et Willelmo Comiti.

Quæratur ergo, cùm per mortem alterius * Deus pacem vellet restituere *Num.* 190.
patriæ, cur magis dispensavit ut moreretur Willelmus Comes, qui justiorem caussam regendi terram obtinuit ; et quare non citiùs mortuus fuit Theodericus Comes, qui injustè superpositus videbatur ; aut quâ justitiâ Deus concessit ei
E Consulatum, qui violenter arripuit dignitatem ? Si igitur neuter eorum benè suscepit Comitatum, jure utrique erat auferendus : attamen quia jure hæreditario Theodorico Consuli pertinebat Comitatus, jure eum possidet. Et si injustè videatur arripuisse, tamen quia olim ante electionem illius Willelmi qui mortuus est, per litteras directas Primatibus Flandriæ requisierat quod sibi pertinebat : quamquàm et tunc non sit exauditus ab illis, non minùs debebat petere et conquirere hæreditatem suam, quæ injustè sibi ablata est, et alii injustè a Rege Franciæ vendita. Igitur post tot controversias præponimus justiorem caussam Theodorico Comiti, qui non injustè dicitur superpositus Consuli Willelmo : imò ille Comes mortuus ipsi Theodorico injustissimè superpositus est,

* *f.* alteru-trius.

(*a*) Utique Gertrudis matris suæ, filiæ Roberti Frisionis Comitis Flandriæ, *quæ priùs Henricum Comitem Brusseliæ* (patrem Godefridi) *maritum habuerat,* inquit Herimannus Tornacensis.

Digitized by Google

et per coemptionem ex Regis potestate potestativè Comes effectus. Igitur illum ex antiqua justitiâ Theodoricum vitæ reservavit et suæ hæreditati restituit; illumque morte a Consulatu removit, qui, quantumcumque potenter viveret, totam terram vastaret, omnesque terræ incolas ad bellum civile provocaret, legesque Dei et hominum confunderet : quem lege districtâ Deus viam universæ carnis ingredi non sine malis meritis suis adjudicavit. Nec enim Comes Willelmus de omnibus quæ in vita possedit, secum post mortem permanere fatebitur inter umbras quas ad pœnalia loca præmisit, nisi militiæ laudem ; bonus enim in militia dicebatur. Igitur tantam injuriam, quia nulla potestas humana corrigere aut potuit aut voluit, secundùm lineam districti examinis sui Deus correxit. Ideòque in homines Flandriæ iram et flagella indignationis suæ intulit, quia omnium erat in arbitrio positum antè deliberare, prævidere et discutere, et summâ diligentiâ perquirere, Deumque contrito corde et piæ mentis sacrificio super hoc placare, quem sibi et patriæ dominum præstituerent, et electum amarent et venerarentur. Quia ergo hoc neglexerunt, eum quem incautè dominum susceperunt, tyrannum et vastatorem, totiusque mali exactorem perpessi sunt, eumdemque post electionem et susceptionem in Consulatu, nullam viam vel mores honestos prædecessorum Comitum Principes et Bajuli aut consiliarii terræ docuerunt : sed ad prædam et argutas fallacesque caussas instruxerunt, quibus pecunias infinitas super cives et burgenses terræ conquirerent, et quandoque violenter extorquerent.

Num. 191. Igitur Theodoricus Flandriarum Marchio ab illo mortis Willelmi tempore regnavit; et peragratis castris, scilicet Atrebato, Tervannia, Sancto-Audomaro, Insulis, Aria, in quibus locis more bonorum prædecessorum suorum venerabiliter susceptus est a Clero et populo, et fide et hominio confirmatus, tandem ad Reges Franciæ et Angliæ ascendit, suscepturus ab ipsis feoda et donaria regalia. Complacuit ergo sibi, utriusque regni scilicet Rex Franciæ et Rex Angliæ, super Comite nostro Theodorico, et investituras feodorum et beneficiorum, quæ ab ipsis sanctissimus et piissimus Comes Karolus obtinuerat, gratanter dederunt.

EX HERIMANNI (*a*) TORNACENSIS ABBATIS

HISTORIA (*b*) RESTAURATÆ S. MARTINI ECCLESIÆ.

Apud Acherium T. II. Spicil. in-fol. p. 888, *in-4°. T. XII, p.* 358.

Num. 14. ROBERTUS [Frisio] in magna pace Flandriam tenuit, multæque potentiæ fuit, adeò ut privignam suam duxerit Philippus Rex Francorum, de qua genuit Regem Ludovicum. Sororem [Mathildem] accepit Guillelmus Comes Normannorum, qui, interfecto Haroldo Rege Angliæ, violenter Angliâ captâ, duos Principatus obtinuit, existens Comes Normannorum et Rex Anglorum, ita ut in sigillo suo ex una parte sederet super equum ut Comes, ex alia super thronum cum sceptro ut Rex; genuitque ex Mathilde filia Comitis Flandrensis tres filios, Guillelmum scilicet, qui ei primus successit; Robertum cui Comitatum Normanniæ dedit : tertius filius fuit Henricus, qui primò quidem nihil habuit, ita ut defuncto patre suo inclyto Rege Guillelmo, non nisi miles cum cæteris esse videretur ; sed mirabilis fortuna eum prosecuta est. Nam germanus ejus Guillelmus Rex juvenis, cùm post decem (*c*) annos ferè regni sui in

(*a*) Herimannus seu Hermannus, Radulfi de *Osmont* filius, patris ad exemplum in Tornacensi S. Martini Ecclesia recens instaurata Monachus effectus, Abbatis ibidem curam gessit ab anno 1127 usque ad an. 1136, quo se abdicavit regimine ut se litteris totum daret. Interim verò bis Romanum iter aggressus est, ad obtinendum Tornacensibus proprium Episcopum; dumque negotium longas (ut assolet) in moras protrahitur, anno 1142 scribendæ Monasterii sui recentis historiæ incumbit, *ne penitùs tam longi temporis tædio depeream,* inquit, *in Lateranensi palatio.* Hinc est quòd sæpiùs in errorem prolapsus est, domesticis subsidiis destitutus et memoriæ plus æquò fisus. Ejus scriptionem alter quidam ad an. 1160 continuavit; ipse etenim an. 1147 in Palestinam profectus non ampliùs comparuit.

(*b*) Missis quæ de historia restauratæ S. Martini Abbatiæ præmisit Auctor, ab genealogia Comitum Flandriæ auspicatur excerptum T. XI. p. 254 editum, cujus hìc seriem damus.

(*c*) Guillelmus Rufus XIII ferè annis regnavit.

silvam

Digitized by Google

A silvam isset venatum, et vidisset unum cervum transeuntem; præcepit militi suo Waltero Tirello, ut cum arcu et sagittis,. stans contra se ex alia parte, non permitteret cervum transire. Sed miles, tenso arcu, pro cervo sagittam jaciens, Regem in corde percussit, et sine mora exstinxit *. Sicque Henricus germanus, qui nihil antea habuerat, ei in regno successit. Cùmque vidisset fratrem suum Robertum Comitem Normanniæ contra se rebellantem, et regnum Angliæ repetentem, eò quòd major natu esset, et Guillelmo germano suo succedere majori jure deberet; Henricus, congregato exercitu, mare transivit, Normanniam intravit: prælioque conserto, Robertum fratrem suum victum et captum in Angliam reduxit *, et usque ad diem mortis suæ in quodam castello clausum tenuit. Quidquid tamen ei necessarium in rebus corporalibus erat, sicut sibimet, exhiberi et ministrari præcepit. Sicque rursùm regnum Angliæ et Comi-
B tatum Normanniæ solus obtinuit, et sigillum paternum sibi fieri præcepit....

* An. 1100.

* An. 1106.

Rex itaque de [uxore sua] Mathilde duos (*a*) filios et unam filiam genuit; *Num.* 16.
e quibus filii jam adolescentes, dum de Normannia in Angliam redirent *, fractâ nave, cum multis aliis in mari perierunt: filiam verò [Mathildem] cum multis opibus sibi a patre transmissam, Henricus Romanorum Imperator conjugem duxit, nuptiasque Leodii cum magna gloria celebravit *. Sed uno filio ex ea genito, celeri morte præventus, eam viduam reliquit. Quæ viduata, rursùs Comiti Andegavensi nupsit *; cùm subitò patre ejus in urbe Rotomagensi defuncto (*b*), Anglorum Proceres Stephanum Comitem Boloniensem, Comitis Theobaldi Campaniensis germanum, super se Regem constituunt *. Unde Robertus, Henrici Regis ex concubina filius, graviter indignans contra eum palàm rebellavit, eumque in prælio captum, in quodam castello quod sibi pater suus
C dederat, vinctum retrusit, et sorori suæ, ut cum filio suo citiùs in Angliam transiret et regnum paternum susciperet, mandavit. Illa putans se cuncta prospera reperturam, celeriter pertransivit, sed secùs quàm crediderat invenit. Nam conjux Stephani, Principibus sibi junctis, fortiter ei restitit. Ipse quoque Stephanus, post paucos dies quibusdam pactionibus Roberto reconciliatus et de vinculis eductus, rursùs Anglorum regnum obtinuit: sicque filia Regis Henrici vanâ spe delusam fore ingemuit....

* An. 1120.

* An. 1114.

* An. 1127.

* An. 1135.

* An. 1141.

Robertus itaque ille *, ut supra dictum est, privignam suam dedit Regi Francorum Philippo, sororem Normanniæ Comiti Guillelmo; e duabus filiabus, unam [Adelam] Regi Danorum Canuto, de qua natus est Carolus, aliam verò [Gertrudem] Comiti Brussellensi (*c*) Henrico. Qui cùm audisset Everardum Tornacensem Castellanum strenuissimos milites secum habere, Tornacum venit,
D propter audaciam eorumdem videndam. Quâdam verò die, cùm exiens et juveniliter de fortitudine sua exsultans, rogavit unum ex opposita acie, nomine Cosceguinum * de *Forest*, ut solus contra se solum veniret. Respondit ille se non venturum, quoniam dominus suus erat, et ne fortuito casu eum læderet timebat. Comes verò iterùm atque iterùm eum in se provocans, jamque eum timidum et ignavum appellans, ut contra se veniret nimio tædio extorsit. Tandem miles, crebrâ ejus admonitione provocatus, lanceam levavit, et equo vehementer calcaribus impulso, adversùs eum cucurrit; volensque eum militari ludo de equo suo dejicere, lanceam ei in corde fixit, sine mora exstinxit, totamque regionem nimio luctu complevit. Maximæ enim famæ et inclyti nominis ille Comes tunc temporis erat, et ita omnes raptores et latrones de terra sua expulerat, ut in nulla regione major pax et securitas inveniretur, quàm in sua. Eo
E ergo, tantâ levitate seu stultitiâ, sine prole interfecto; uxor ejus relicta vidua, nupsit prope Saxoniam Simoni Duci Auxatiæ (*d*), peperitque ei plures filios.

Num. 17.
* Frisio.

* Gossuinum.

Robertus itaque Comes Flandrensis, tam nobiliter distributis filiabus suis, *Num.* 18.
totam Flandriam moriens Roberto filio suo reliquit. In cujus tempore (*e*), domnus Odo cum Clericis suis sæculo renuncians, sancti Martini Tornacensis Ecclesiam intravit, ipsumque Comitem cum Clementia sua liberalem sibi adju-

(*a*) Unicum filium Guillelmum suscepit Henricus ex Mathilde; nam Ricardus qui cum fratre periit in mari, erat ex concubina.

(*b*) Non Rotomagi, sed apud S. Dionysium in silva Leonum Henricus Rex defunctus est.

(*c*) Sive Lovaniensi, hujus nominis tertio, Juniori cognominato.

(*d*) Theoderico de Alsatia, Lotharingiæ superioris Duci, non verò Simoni secundis nuptiis copulata fuit Gertrudis.

(*e*) Prima Tornacensis S. Martini Ecclesiæ instauratio an. 1092 illigatur ab ipso Herimanno: quo tempore Robertus Frisio adhuc in vivis agebat, anno 1093 mense Octobri demortuus.

Digitized by Google

torem invenit. Quæ nimirùm Clementia, de Burgundia orta, filia fuit Guillelmi A
Burgundionum Ducis (*a*), germanaque domni Guidonis Viennensis Archiepiscopi; qui, postmodùm Papa Romanus effectus, vocatus est Kalistus, tenuit-
* An. 1119. que Remis Concilium generale *, tempore Radulfi Archiepiscopi, qui vocatus est Viridis, successorque fuit Manassæ, prædecessor verò Rainaldi Andegavensis Episcopi. Hæc verò Clementia, cùm de viro suo Comite Roberto genuisset tres filios infra tres annos, timens ne, si plures adhuc generaret, inter se de Flandria contenderent, arte muliebri egit ne ultra pareret : quod ultione divinâ sic vindicatum est, ut et filii ejus omnes diu ante eam morerentur; et ipsa postmodùm in viduitate sua alios Comites cernens, multaque mala ab eis sustinens, serò defleret sese cum prole sua exhæredatam fore.

Num. 19. Post duos verò * semi-annos conversionis domni Odonis, Urbanus Papa in
* An. 1095. Concilio Claromontensi monuit universos Episcopos, quatenùs sibi subjectis B populis pro remissione peccatorum suorum injungerent Jerosolymam ire, et sepulcrum dominicum unà cum ipsa civitate de Paganorum manibus liberare. Tunc verò cerneres innumerabilem populum de Occidentis partibus, ac si divinitùs præceptum fuisset, genitale solum relinquere, et Jerusalem tendere. Hac itaque occasione præfatus Comes Robertus unà cum Godefrido Comite Boloniensi, Roberto Comite Normanniæ, Raimundo Comite S. Ægidii, Hugone Comite Vermandensi, Balduino Comite Montensi, Anselmo de Ribemonte, Clarenbaldo de Vendolio, multisque aliis Principibus, relictâ Flandriâ, cum populo Dei proficiscitur. Obsessâ, captâque Antiochiâ, multisque aliis civitatibus, ad ultimum, auxiliante Deo, Jerosolymam victor ingreditur; expulsisque aut interfectis Paganis, et Christianis intromissis, Regeque constituto, Flandriam regreditur : et cum magna gloria susceptus, per XII ferè annos provinciæ C dominatur.

Num. 20. Post hæc * cùm a Rege Francorum Ludovico, sororis suæ filio, ad expu-
* An. 1111. gnandum quoddam castellum quod vocatur Domni-Martini fuisset evocatus; dum more suo fortiter certat in prælio, et longiùs fugat Regis adversarios, laboris nimietate defessus, ad lectum portatur, et post triduum ibidem defunctus (*b*), ab eodem Rege regnique Principibus cum magno luctu Atrebatum defertur, et in Ecclesia S. Vedasti sepelitur. Quo sepulto, statim Rex Balduinum filium ejus, adolescentulum necdum militem factum, cum matre sua vocavit, totamque paternam terram ei reddidit, et Optimatibus Flandriæ ut ei coram se hominium facerent præcepit, sicque in Franciam rediit.

Num. 21. Quid ergo dicam de Balduino? cujus animi etiam in tenera ætate fuerit? Recedente Rege, Optimates suos vocavit, pacem se velle tenere insinuavit, D utque se inde adjuvarent rogavit, et si quis eam priùs violaret, justitiam se de eo facturum prædixit; nullum tamen eorum pacem jurare coegit. Principes pacem se servaturos promiserunt, sicque soluta est curia, plurimis dicentibus per talem puerum non facilè pacem posse fieri, quoniam nullus eum timeret.

Num. 22. Post duos ferè menses, mulier quædam paupercula duas vaccas a quodam raptore sibi ablatas esse Comiti conqueritur, et ubi raptor maneret ostendit. Illicò juvenis Comes raptorem insequitur, eumque comprehensum Brugias ducit. Rogantibus cunctis ne militem suspendi, vel oculos ejus erui faceret, neutrum se facturum respondit. Protinùs verò vas æneum maximum, quod vulgus lebetem seu caldariam vocat, publicè in foro, videntibus cunctis, in sublime appendi, et aquâ impleri præcepit; igneque magno supposito, dum nimis ferveret aqua, militem illum cum omnibus indumentis suis, etiam gladio accinctum, E in caldariam projici fecit, sicque eum in aqua fervente necavit. Tantus timor illicò omnes invasit, ut nullus deinde in tota Flandria aliquid auferre præsumpserit.

Num. 23. Quadam die, Ecclesiam S. Petri Gandensis propter audiendas Vesperas ingrediebatur, cùm subitò quædam paupercula vaccam suam sibi furto ablatam esse conquesta est. Quam cùm Comes dulciter exoraret ut se expectaret ad ostium, donec Vesperas audisset, illa verò responderet, præ multitudine militum et

(*a*) Guillelmus, cognomine Magnus, Clementiæ pater, Burgundiæ Comes fuit.

(*b*) Robertum II Flandriæ Comitem, in ponte Meldensi, dum fugientes hostes persequitur, ex equo delapsum aliorum pedibus equorum contritum ibidem animam exhalasse, narrat Andreas Aquicinctinus; Ordericus verò, dum insequentes fugeret hostes, ipsum in *arto tramite* pagi Meldensis cecidisse, et *ferratis equorum ungulis conculcatum resurgere* nequivisse, *sed membris malè confractis* difficulter sublatum post paucos dies exspirasse. Sugerius verò, cui major fides debetur, Robertum, eodem ponte effracto, in flumen demersum interiisse scribit.

Digitized by Google

A Principum eum circumstantium, sibi ulteriùs non dandam facultatem ei loquendi; ille protinùs extractum pallium suum ei dedit, et ut illud sibi usque post Vesperas servaret præcepit. Finitisque Vesperis, dum Comitem circumdantes Principes de aliis negotiis loqui voluissent, ille se nulli responsurum, donec pauperculæ vacca reddita fuisset, juravit: sicque millies ab ea benedictus petitioni ejus satisfecit.

In villa quæ dicitur Turholdis, singulis annis in festo S. Joannis mercatum *Num.* 24. magnum esse consuevit. Dictum est Comiti quòd decem milites, fiduciâ parentum suorum, abstulissent cuidam negotiatori ad mercatum venienti aliquid de sarcina sua. Protinùs Comes exilens eos cepit, et in quadam domo reclusit. Parentes verò eorum nimis perterriti, et celeriter venientes ad misericordiam Comitis, urgebant ut quamtumcumque vellet pecuniæ vel equorum susciperet, tantummodò ut eos non suspenderet. Comes autem simulans se precibus eorum
B satisfacturum, dixit eis ut parùm expectarent, donec ipse domum introgressus, reisque illis collocutus, rursùs ad eos exiret. Dixit; statimque cum paucis viris ingressus, eos intra domum eamdem suspendi præcepit. Rogantibus autem viris ut sibi parceret, nec perpetuam parentum eorum inimicitiam eos incurrere faceret; parcens eis, præcepit reis illis ut, qui ex eis evadere vellet, socium suum suspenderet. Sic ergo novem suspensis, cùm decimus superesset, Comes ei jussit ut funem ultra trabem jaceret, et super scamnum stans de ipso fune laqueum in collo suo aptaret. Quo facto, Comes scamnum pede longiùs propellens, eum duobus cubitis a terra pendentem reliquit. Sicque cum viris domum regressus, rursùs a parentibus eorum exoratus: « Eia, inquit, ingredimini, et » eos educite; eductosque, ne aliquid ulteriùs in terra mea capiant, admonete ». Dixit, statimque equum ascendens, a loco recessit. Parentes verò domum
C ingressi, omnes cognatos suos suspensos et jam mortuos invenerunt, nimisque perterriti fugerunt. Pro hujusmodi ergo gestis ita omnes raptores exterruerat, ut non solùm aliquid auferre, verùm etiam si vestem pretiosam vel scyphum aureum in via reperisset, nullus levare auderet. Felicem se Flandria dicere posset, si tantum Principem diu habere meruisset. Sed ille ubi, tantâ pace factâ, nullam sibi per totum annum querimoniam afferri vidit; turpe deputans domi quietum residere, utpotè juvenis et vix xxx annorum existens, armis militaribus seipsum cœpit exercere, et quòcumque milites præliandi gratiâ convenisse audiebat, illicò simul adesse ardebat.

Eo tempore, Henricus præfatus Rex Anglorum ingressus Normanniam, *Num.* 25. contra fratrem suum Robertum Comitem præliabatur, eumque victum duxit in Angliam. Cujus filius Guillelmus puer decennis (*a*) exhæredatus, ad Balduinum
D Flandrensem Comitem confugit (*b*), quem ille nutriens, XIV ætatis suæ anno militem fecit, eumque contra patruum suum Regem Angliæ, qui genitorem suum clausum tenebat, rebellare admonens, sæpiùs cum eo Normanniam aggredi cœpit. Rex verò Henricus mandavit ut ab infestatione sua desisteret, alioquin Brugias cum exercitu se venturum sciret. Protinùs ille remandavit ei ne tantum laborem subiret; sed potiùs se ei Rotomagi occursurum sciret. Dixit, statimque legatum cum quingentis militibus subsecutus est: Rotomagum urbem, in qua Rex morabatur, advenit; lanceâque in porta civitatis defixâ, ut Regi Comitem Flandrensem adesse dicerent, civibus exclamavit. Rex verò, qui duo millia militum secum habebat, ut tantum strepitum tantamque audaciam vidit (utpotè vir prudentissimus) se contra insensatum juvenem non egressurum dixit, cunctisque militibus suis, ut nullus de porta exire præsumeret, comminando præcepit:
E « Quoniam cùm fatigatus, inquit, fuerit, revertetur, et de terra mea nihil » secum deferet ». Comes itaque nimis contristatus, eo quòd nullum de civitate posset extrahere, dum civitatis muros vociferando circuit, et quid agere posset ignoraret; (non enim tantam urbem tam paucis militibus expugnare valebat) conspicit eminùs gregem cervorum, quos Rex in proximo nemore recluserat: exclamansque juvenis « Etsi, inquit, nihil aliud possum facere, saltem cervos

(*a*) Cùm Robertus Normanniæ Dux Sibyllam de Conversana an. tantùm 1100 uxorem sibi adjunxerit, natus ex hoc matrimonio Guillelmus, an. 1106, quo pater Ducatu simul et libertate privatus est, non decennis, sed admodùm quinquennis esse potuit.

(*b*) Ad Balduinum quidem Flandriæ Comitem, sed longo post reportatam de patre ad Tenerchebraium decretoriam victoriam tempore, confugit Guillelmus. Quippè Falesiæ, ubi tum nutriebatur, Henrico victori oblatus, et ab eodem Heliæ de S. Sidonio ad educandum traditus, postquam adolescere cœpit, ad Fulconem Andegaviæ Comitem, ne in manus patrui Regis ipsum reposcentis incideret, ab Helia nutritore ductus est, ibique diu commoratus, tandem in Flandriam annum circiter 1118 se recepit.

Digitized by Google

istos de claustris eripiam, et liberos reddam ». Dixit, statimque cum militibus A
currens, gladiis evaginatis, fortissimam sepem illam, quæ de stipibus facta
cervos reclusos tenebat, abscidit, cervosque per agros dispersit; et sic, nullo
negotio peracto, Flandriam rediit.

Num. 26. Interea Carolum, amitæ suæ filium, quem de Canuto Danorum Rege pepererat, post mortem patris sui ad se venientem libenter retinuit, eique germanam (*a*) Radulfi Peronensis Comitis conjugio sociavit, et ut Flandriam, se absente, servaret commendavit; sicque securior Normanniam frequentare cœpit. Sed hæc armorum et militiæ exercitatio, licèt ei magnam exsultationem, utpotè juveni, inferret, Monachis tamen et Clericis, cæterisque sapientibus, ingentem exhibebat tristitiam; quoniam omnes præconabantur non diu eum inter tot pericula vivere posse. Nec eos fefellit opinio, quinimò timor quem
* An. 1118. timebant evenit eis. Nam dum nimis assiduè infestat Normanniam *, a quodam B
milite gladio super nasum vulneratur; nec tamen propter vulnus prælio cedens, nimio calore solis concussus exæstuat, vulnusque intumescens eum invitum cogit reverti Atrebatum: ibique, medicis ascitis, facilè curatus fuisset, si cibis noxiis abstinere voluisset. Sed dum nec carnem anserinam, nec alia similia dimitteret, vulnere gravatus deficit, totoque anno lecto decumbit. Propter tædium tamen devitandum, se multoties de loco ad locum facit in lectica deferri. Ad ultimum cùm jam videret se non posse evadere, præfatum Carolum successorem sibi constituens, Flandriam ei tradidit. Sicque apud S. Bertinum Monachus fac-
* An. 1119. tus, et infra octo dies defunctus *, ingentem luctum et tristitiam cunctis Ecclesiis dereliquit, et quòd nullus in viribus suis confidere debeat, edocuit. Carolus ergo consanguineus ejus succedens, in justitia quidem tenenda minor eo non fuit, in prudentia verò et cautela, quoniam aliquantulùm provectioris ætatis C
erat, omninò eum vicit. Ecclesias quoque sic tuebatur, ut jam pater Ecclesiarum vocaretur: de quo unum referam quod memoriæ occurrit, ut per hoc, cujus devotionis fuerit, agnoscatur.

Num. 27. In die Epiphaniæ, dum curiam suam Bergis vidisset Abbatem S. Bertini, domnum scilicet Joannem, ingredientem; protinùs vocans eum « Domine, » inquit, Abba, quis hodie cantavit majorem Missam in Ecclesia S. Bertini » ? Respondente Abbate non defuisse qui eam honorificè cantaret, quoniam plusquam centum Monachi in conventu suo essent; Comes subjunxit « In tanta » solemnitate debuissetis eam cantare, et cum Fratribus in refectorio comedere, » eisque qui totâ nocte vigilaverunt ad Matutinos, de his quæ Comites ante» cessores mei dederunt, bonam refectionem providere, non in curia mea » residere ». Dicente verò Abbate se libentiùs Missam cantasse, quàm illùc D
advenisse, sed propter militem quemdam, qui sibi auferebat terram, quam Ecclesia sua plusquam LX annis quietè possederat, illuc venire compulsum fuisse: addit Comes « Et quare hoc mihi per famulum vestrum non mandastis? Ves» trûm enim est pro me orare, meum verò Ecclesias tueri et defendere ». Dixit: statimque milite accersito, interrogavit cur Ecclesiam S. Bertini inquietaret de terra illa, quam tanto tempore possederat. Respondente milite Ecclesiam terram illam injustè tenuisse, quoniam juris sui esset; ait Comes « Sicut » pater vester inde tacuit, sic et vos tacete. Quia per animam Comitis Bal» duini juro quòd, si exinde querimoniam audiero, nihil aliud faciam de vobis, » quàm quod ipse Comes de illo fecit, quem Brugis in caldaria bullivit ». Sic pacem sibi a Comite factam narravit mihi præfatus Abbas Joannes.

Num. 28. Sed quia tali Principe digna non fuit Flandria, viri impii, Bertulfus scilicet E
Brugensis Ecclesiæ Præpositus, et cognati ejus qui se Comitis servos esse denegabant, pro justitia quam faciebat, confœderati in unum, secretò contra eum conjuraverunt. Quod cùm Comiti apud Ypram nunciatum fuisset, et ne Brugias iret a multis admoneretur; ille respondit se pro justitia, si Deus vellet, mori paratum, nec se a justitia relaxandum. Statimque cum militibus suis Brugias veniens, munitionem quamdam, quam iidem conjuratores fecerant, succendit, et ad propriam domum rediit. In crastino verò summo mane surgens, et de solio palatii sui ad solium Ecclesiæ S. Donatiani transiens, Missam a Capellano suo ibidem sibi cantari præcepit: erat enim feria quarta secundæ hebdomadæ

(*a*) Margaretam, uterinam sororem Radulfi Comitis Viromandensis, filiam Rainaldi Claromontensis et Adelæ Viromandensis.

Digitized by Google

A in Quadragesima. * Cùm ergo jam in Epistola oratio Esther legeretur, et Comes in oratione prostratus, psalterio aperto, psalmos legeret; quædam paupercula superveniens, eleemosynam ab eo poposcit, et de XIII nummis quos more suo Comes super psalterium posuerat, de manu ejus unum accepit. Quo accepto, cùm ei eadem mulier exclamasset: « Domine Comes, cavete ». Levante caput Comite, ut videret quid esset; ecce Burchardus præfati Præpositi nepos, qui loricatus evaginato gladio advenerat, fronti ejus gladium infixit: multisque vulneribus superadditis, eum ibidem coram altari interfecit; unoque cum eo occiso, cæteros qui aderant, perterritos in fugam convertit. Tristis illicò fama totam complevit regionem, in Ecclesia occisum esse gloriosum Carolum Comitem.... * An. 1127.

Principes verò Flandriæ, et maximè Balduinus (*a*) Gandensis, frater Yvonis Nigellensis, qui nunc est Comes Suessionensis, videntes tantam turbationem, *Num.* 31.
B condicto die in unum conveniunt, pacem inter se componunt; et ne tantum scelus eis in opprobrium verteretur sempiternum, si remaneret inultum, congregato exercitu, Brugias tendunt. Cùm verò homicidæ illi, multis fulti auxiliatoribus, cum magna multitudine militum et peditum contra eos pugnaturi processissent; Balduinus ille, loricâ et galeâ protectus, altiori voce exclamans: « Non, inquit, contra vos, ô viri boni, venimus, nec Brugense castrum expugnare » quærimus; sed injustam necem domini nostri ulcisci volumus, ne fortè dicatur » quòd et nos proditionis ejus rei sumus, sicque semper ulteriùs proditores » appellemur. Si ergo contra nos pugnatum venitis, tanti sceleris vos partiC » cipes esse testabimini, sicque opprobrium perpetuum incurretis. Quamobrem » moneo et consulo ut nobiscum potiùs sitis, et ad confundendos proditores » domini nostri nos adjuvetis ». His dictis, populus vociferando exclamat; junctusque Balduino, versâ vice eos cum quibus venerat, debellat. Protinùs illi in fugam vertuntur: et quia aliam evadendi viam non habebant, in castrum regrediuntur, turrim Comitis introeunt, et in ea conclusi, a Baldùino duobus ferè mensibus obsidentur.

Interea, Rex Francorum Ludovicus, quem de matertera Caroli genitum *Num.* 32.
supra diximus, tam duro nuncio cognati sui perculsus, Atrebatum venit, et quia Carolus sine prole obierat, quem vellent habere Comitem a Principibus Flandriæ sciscitatur. A nonnullis ipsum Regem propinquiorem fore dicebatur; et quia plures filios habebat, ut uni eorum Flandriam daret suggerebatur. Sed Rex, ut vir prudentissimus, considerans nullum filiorum suorum adhuc esse duodennem, nec sine magistro qui ei jugiter adhæreret, tam indomitam posse regere gentem, [et] ei se non posse semper adesse præsentem; timens ne aliD quid exinde mali eis contingeret, altiori consilio refugit aliquem ex eis terræ præficere.

Erat tunc quidam Balduinus Montensis, quantùm sua ætas patiebatur, satis *Num.* 33.
strenuus armis, cujus atavus fuerat ille constructor Cœnobii Hasnoniensis, qui, ut * supra dictum est, Richeldem Comitissam Montensem conjugem ducens, * T. XI. *p.* 254.
utrumque Comitatum tenuerat, Flandrensem scilicet et Montensem, quique de eadem Richelde duos filios genuit; Ernulfum, qui patri succedens, a patruo suo Roberto Casleti est occisus, et Balduinum, qui cum matre sua Montensem Comitatum tenuit, unoque filio Balduino genito, Jerosolymitanum iter cum aliis Principibus in principio expetiit, unde necdum rediit, et utrùm occisus an captus fuerit usque hodie sciri nequivit. Filius verò ejus Balduinus cùm Comes factus fuisset, Clementia Flandrensis Comitissa, ut quamdam puellam neptem
E suam in conjugium acciperet, ei suasit; seque cum ea mille marchas argenti ei daturam promisit. Consensit juvenis, seque eam die statutâ desponsaturum juravit, parique modo juramentum desponsationis ab ea publicè coram multis testibus accepit. Infra verò diem statutum juvenis, prætermisso juramento quod fecerat, Hiolendem, filiam Gerardi Babinbergensis (*b*) Comitis, uxorem duxit. Unde Comitissa frendens, maximè quia germanum suum Guidonem Viennensem Archiepiscopum videbat jam Papam Romanum effectum et Calixtum nominatum, conquesta est ei genus suum a tantillo Comite fuisse vilipensum. Protinùs ille, litteris directis, mandat Radulfo Archiepiscopo Remensi, ne perjurium illud

(*a*) Balduinus Gandensis, cognomento Luscus et Barbatus, Toparcha erat Alostanus, frater Iwanni. At quâ ratione frater dicatur Ivonis Nigellensis, nullo indicio assequi potuimus in toto opere A. Chesnii de familia Gandavensi.

(*b*) Gisleburtus Montensis habet *Comitis Gelriæ*.

Digitized by Google

differret ulcisci. Præsul, convocatis Episcopis et Abbatibus, aliisque Ecclesiasticis multis personis, Comitem jubet adesse, et de pactione conjugii respondere. Conqueritur Clementia quòd neptem suam se conjugem accepturum die præfixâ jurejurando promisisset, subjungens se habituram inde trecentos nobiles testes, si hoc negare voluisset. Respondet Balduinus se nec velle, nec posse quod dixerat negare, quoniam verum constabat eam dixisse; tamen se jam aliam conjugem duxisse, et solemnibus factis nuptiis, ei sociatum fuisse: ac deinde subjunxit, quidquid judicatum exinde fuisset, se facturum fore. Multa super his judices invicem conferentes, ad ultimum, pro reverentia domini Papæ, inducias petierunt, et ut tanta causa judicio ejus Romæ deferretur oraverunt. Factum est: Romam perlata est; convenerunt Cardinales, et voluntati Papæ faventes, primam fidem juxta Apostolum irritam sine damnatione non posse fieri, ideòque eam quam primò juraverat, conjugem debere duci decernebant. Interea, quidam magnæ auctoritatis Cardinalis, nomine Bruno, qui, cæteris diversa dicentibus, omninò reticebat, a Papa sententiam suam dicere commonitus, respondit se aliorum dictis non repugnaturum. Ubi verò Papa ei per obedientiam præcepit, ut si quid super hoc reverâ sentiret, aperiret; ille diligenter singula discurrendo proponens, in primo quidem conjugio non nisi solum jusjurandum factum, in secundo verò et jusjurandum et desponsationem, et Presbyteri benedictionem et solemnes nuptias, postremò utriusque copulationem, integrum matrimonium factum esse intulit: prolatisque Canonum diversis capitulis, secundum conjugium ulteriùs non posse dissolvi, de priori verò perjurio pœnitentiam Comiti debere imponi subjunxit. Cui sententiæ Papâ cum Cardinalibus assentiente, reversisque nunciis in Franciam cum litteris Apostolicis, tunc quidem Comes Balduinus exsultavit Yolendem sibi remansisse, puella verò doluit se Comitis conjugio privatam fuisse. Sed repentè mirabili fortunâ, imò Dei misericordiâ subsequente, Ludovico Regi Francorum conjugio est copulata; hujusque qui nunc Rex est Ludovici, aliorumque Regis filiorum mater effecta, quod priùs non contigisse doluit, inde postmodùm vehementer exsultavit: quoniam magis * voluit dici et esse Francorum Regina, quàm Montensis Comitissa (*a*). Hic ergo Balduinus de præfata Yolende genuit alium Balduinum, et Richeldem Everardi Castellani Tornacensis conjugem. Quia ergo Richeldis Everardo hujus provinciæ Principi nupsit, libet de illa per excessum parùm dicere.

* *f.* valuit.

Num. 34. Fuit enim hæc Richeldis, sicut genere nobilissima, sic facie pulcherrima, et in actibus sæculi nequam strenuissima: quæ genuit Balduinum, pulcherrimum et nobilissimum adolescentem; sed, heu! in flore juventutis febre correptus, cum morte pactum iniit, sepultusque est in claustro sanctæ Dei genitricis Mariæ. Richeldis verò Everardum et Godefridum filios speciosos, et Yolendem filiam moriens reliquit. Qui Everardus, cùm adhuc ætate tener esset, terram paterni juris malefactoribus abundantissimè subjectam, frendens dentibus nimiùm indoluit: quibus cum indignatione et ira, evaginato gladio, oculis turbatis asperitate superbiæ et feritatis, in manu valida, cum impetu velociter occurrit, omnesque in brevi de finibus suis exturbavit, terramque suam paci, et pacem terræ reformavit. Post hæc autem filiam Lamberti Leodiensis Comitis (*b*) Gertrudem nomine, uxorem accepit, de qua Balduinum filium genuit. Yolendis verò soror ejus Flandrensi Dapifero Rogerio nupsit.

Num. 35. Nunc autem de Balduino Montensi Comite, qui patri suo Balduino in ætate juveni defuncto (*c*) successerat, et Comitis Namurcensis germanam [Adelam] conjugem duxerat, jam adolescens milesque strenuus erat, quandò Carolo

(*a*) Peccat ista narratio saltem in nomine Pontificis sub quo hæc gesta referuntur. Callistus enim anno 1119 ad sedem Romanam evectus est, Adelaïs verò anno 1115 nupsit Ludovico Regi, ut patet tum ex chronico S. Petri Vivi, tum ex diplomate ejusdem Regis, dato *Parisiis publicè anno Incarnati Verbi* MCXXII, *regni nostri* XIV, *Adelaïdis Reginæ VII.* Mirum verò Herimannum horum temporum æqualem tam turpiter hallucinatum esse.

(*b*) Hanc secundis nuptiis sibi conjunxit Evrardus, teste Gisleberto Montensi, qui ait: « Alia prædicti » Comitis Balduini et Yolendis Comitissæ filia, » Castellano Tornacensi maritata, filium habuit mi- » litem probum admodùm et famosum Evrardum, » cognomine Radonem, qui de parte matris suæ » Fienias villam prope Melbodium possedit. Hic » equidem de uxore prima, Roberti de Betuna Atre- » batensis Advocati sorore, filiam habuit Richeldem, » quæ nupsit viro nobili Gisleberto de Aldenarda, » postea militi probo Waltero de *Sothenghien.* » Evrardus autem, vivente primâ uxore, aliam su- » perduxit, matrem Cononis et Johannis et Radul- » phi, qui Comitatum Suessionnensem, dominium » Nigellæ, et Castellariam Brugensem possederunt; » et ex ea filium habuit Balduinum ».

(*c*) Balduinus IV, seu III post Richeldim, anno 1120 patri Balduino successit.

Digitized by Google

A Principe viduata est Flandria, pauca explicemus. Hic ergo Balduinus, audiens Regem Francorum Atrebatum venisse, et de constituendo Flandriæ Comite consilium quærere, assumptis secum nobilibus et sapientibus terræ suæ Principibus, Regem adiit *; avum suum Balduinum, qui Jerusalem profectus fuerat, injustè a patruo suo Roberto de Flandria pulsum et exhæredatum, conquestus est palàm coram Optimatibus Regis; ut sibi terram et hæreditatem avitam redderet, humiliter Regem postulavit; et ubicumque Rex sibi in toto regno suo diem posuisset, se ire paratum, et quòd nullus se propinquior, vel rectiori ac majori jure hæres Flandriæ esse deberet, armis et duello sui proprii corporis probaturum subjunxit. Petitioni ejus milites qui cum eo venerant, acclamabant, Regique magnam in tota provincia pacem exinde venturam suggerebant, aliaque negotio præsenti expetentia plurima subnectebant. Rex prudentissimus beni-
B gnè omnibus respondebat; ipsumque Comitem consanguineum suum vocans, multâ spe animum ejus, ad impetrandum quæ petebat, sublevabat. Sed quia, juxta Salomonem : *Cor Regis in manu Domini, quòcumque voluerit inclinabit illud;* aliter voluntas Regis, quàm Comes voluerit, versa est. Cùm enim multi certos se esse putarent quòd Flandria eidem Comiti reddenda foret; repentè, nescio cujus venti flatu impellente, auditum est eam datam esse cuidam juveni, Guillelmo scilicet Roberti Normanniæ Comitis filio, qui a germano suo Rege Anglorum Henrico tunc temporis adhuc in custodia clausus servabatur, quique de filia Roberti senioris Comitis Flandrensis, ut longè superiùs dictum est, fuerat genitus. Hic ergo præfatus adolescens Balduinus, spe suâ frustratus, a facie Regis iratus abscessit, et contra Flandriam arma corripuit : paucisque post diebus transactis, oppidum quod dicitur Aldenarda (*a*) invadens, totam usque ad
C cineres combussit, ita ut in Ecclesia sanctæ Walburgis plusquàm centum, diversi sexûs et ætatis fuerint cremati. Rex verò cum novo Comite Flandriam ingressus, Brugis venit; domnoque Simoni Tornacensi Episcopo mandavit, ut, congregatis diœcesis ejusdem Abbatibus, ad sepeliendum corpus gloriosissimi Comitis Caroli quantociùs veniret. Quod tunc de ipso corpore vidi, fideliter refero. Accersivit parvitatem meam domnus Episcopus cum domno Absalone Abbate S. Amandi, multisque præsentibus, sepulcrum illud quod de columnis marmoreis Bertulfus Præpositus, ut paulò ante diximus, construi fecerat, eversum est : corpusque Comitis inde levatum, ad Ecclesiam S. Christophori Martyris, in eodem oppido sitam, est a Rege cum magna processione delatum, quatinùs die statutâ, congregatis Principibus et universo populo, Ecclesia S. Donatiani reconciliaretur, et corpus ad eamdem relatum decenter in terra sepe-
D liretur (*b*)... Quantus ibi gemitus, quantus dolor, quis clamor et planctus, qualis lacrymarum fluctus a Rege cunctisque Principibus, imò universo populo fusus fuerit, prætereo : quia hæc, etiam me tacente, facilè potest advertere pia legentis intentio. Post quinque ergo dies, reconciliatâ eâdem Ecclesiâ, et post Missæ celebrationem decenter sepulto Comitis corpore, protinùs Rex domnum Rogerium juvenem Clericum in sede Præpositi statuit, quoniam Bertulfus Præpositus jam aufugerat. Quo facto, turrem in qua proditores adhuc clausi et obsessi detinebantur, Rex invasit; sed quia fortissima erat, illique viriliter repugnabant, non tam facilè eam capere potuit. Nocte sequenti, Burcardus cum avunculo suo Bertulfo de turre clam exeuntes, fugerunt, aliosque omnes in mortis periculo reliquerunt : qui cùm vidissent frustra se repugnare, ad ultimum se Regi reddiderunt, eumque ingredi permiserunt. Rex verò cunctos simul captos, primò in ejusdem
E turris carcere per triduum jussit servari, dehinc eductos, et superiùs reductos, de propugnaculis ipsius altissimæ turris singillatim fecit præcipitari : sicque xxx homines præcipitio interfecit. Bertulfus verò et Burchardus, cùm jam de provincia exiissent, et etiam usque Tornacum venissent, divino tamen judicio effugere nequiverunt; sed rursùs in partibus Flandriæ comprehensi, turpissimè suspensi, vitam indignam miserâ morte finierunt (*c*).

* An. 1127.

Prov. xxi. 1.

(*a*) Non a Montensi Comite incensa est Aldenarda; sed cùm ibi præsidia sua ille collocasset, Guillelmus Normannus, injecto in suburbium igne, illam stragem peregit. Ait enim Galbertus in vita B. Caroli, nº. 122, *Ludovicus Rex*, ineunte Maio, *ibat versùs Oldenardam, ubi Comes de Montibus infestaverat terram nostram, ibatque per Gandavum. Sed et Comes noster* (Guillelmus) *præcesserat Regem, et incenderat manu violentâ suburbium usque ad turrim lapideam : et plures igitur qui suffugerant in Ecclesiam illius loci, concremati sunt ad trecentos, ut aiunt.*

(*b*) Hæc translatio facta est x Kal. Maii, proinde ante Aldenardæ conflagrationem.

(*c*) Supra scripta omnia ante solemnes Caroli Comitis exequias gesta sunt, quibus singulis diem suum assignat Galbertus.

Digitized by Google

Num. 36. Rex itaque Franciam rediens (*a*), Guillelmum in Flandria Comitem reliquit : A
qui primò quidem in ingressu suo, etiam coram Rege, Flandrensibus tam militibus quàm oppidanis bona promisit, libertatemque et leges suas more antecessorum suorum se servaturum publicè jurejurando firmavit. Ubi verò omnes sibi subjectos vidit, protinùs elatus, bona et substantias eorum diripere, deinde eos etiam vinculis adstrictos et custodiæ mancipatos ad redemptionem sui cœpit compellere. Confestim Flandrenses perterriti, utpotè talium non assueti, et de malis pejora exspectantes, unanimiter rebellare disponunt, et mori potiùs quàm talia pati eligunt : primique Insulenses, quos magis affligebat, ei palàm resistere ausi sunt. Erat tunc temporis in Lotharingiæ provincia quæ dicitur Auxatia, juvenis quidam miles, nomine Theodericus, filius Simonis Ducis Auxatiæ, quem ex filia Roberti senioris Comitis Flandriæ genuerat, quæ priùs Henricum Comitem Brusselliæ maritum habuerat ; sed eo apud Tornacum interfecto, præfato Simoni B
Duci nupserat (*b*). Hunc ergo juvenem scientes Flandrenses propinquiorem Caroli fuisse, utpotè materteræ ejus filium, secretò ad eum legatum dirigunt, et ut Flandriam veniat poscunt. Protinùs Theodericus, vix tribus militibus comitatus, Flandriam (*c*) venit : veniens, gaudenter suscipitur, jamque Guillelmo fidentiùs repugnatur. Rursùm, petente Guillelmo, Rex cum Archiepiscopo [Remensi] Atrebatum (*d*) revertitur. Theodericus, quasi alieni juris invasor, ad audientiam Archiepiscopi venire commonetur : venire nolens, cum omnibus fautoribus suis publicè excommunicatur, et Insulæ, ubi tunc morabatur, divinum officium interdicitur, ipseque quantociùs de Flandria exire, et in terram suam redire a Rege jubetur. Præbet ille surdas aures, et eventum rei præstolatur. Rex cum Guillelmo, congregato exercitu, intra Insulam clausum obsidet Theodericum, terque in die in tribus locis oppidum invadens, portas intrare C
et clausos expugnare conatur : sed nihil proficiens, sexto (*e*) die sine aliquo effectu Atrebatum, inde in Franciam revertitur. Egreditur de Insula Theodericus, Flandriamque peragrans, et aliquoties Guillelmo congressus, nunc inferior, nunc superior invenitur, omnibus cum timore exspectantibus quis eorum vincat, et quis vincatur. Rursùm verò Guillelmus, congregato equitatu, in castello quod dicitur *Alos*, clausum obsidet Theodericum ; sed dum fortiter præliando castellum expugnare nititur, mense Augusto *, in manu sub pollice a quodam pedite vul-
* An. 1128. neratus, et calore nimio gravatus, sentiens sibi brachium intumescere, Ducem [Lovaniæ] Godefridum qui secum erat, facit secretè evocari ; seque protinùs moriturum prædicens, ut cautè exinde equitatum reducere studeat, consulit. Dux sentiens adversam fortunam, callidè per internuncios Theodericum evocat ; simulans se pacem inter ipsum et Guillelmum velle componere, cautè D
exercitum educit, et cùm procul esset, Theoderico mortuum esse Guillelmum mandavit. Sic ergo vulnere modico Guillelmo defuncto, et apud S. Bertinum juxta Comitem Balduinum sepulto, dominatum totius Flandriæ, Rege concedente, Theodericus obtinuit : et conjuge suâ defunctâ, germanam Comitis Andegavensis [Sibyllam], filiam scilicet Fulconis Regis Jerusalem, uxorem
* *Vide T. XI. p.* 254. duxit. Talique fine probatum est non falsam fuisse * prophetiam illius matronæ, quæ Balduino Tornacensi Advocato et sociis suis, legatis Roberti junioris Comitis, id ante quamplures annos sic futurum prædixerat. Balduinus enim [filius] Roberti junioris Comitis, sine prole obiit. Juvenis autem pulcher, quem Daciâ venturum prænunciavit, haud dubium quin Carolus fuerit. Duo autem Comites, quos post eum venturos et de Flandria litigaturos subjunxit, quorum alter alterum interficeret, Guillelmus et Theodericus fuerunt. Quod verò in E
fine intulit victorem cum posteris suis Flandriam possessurum usque ad tempus Antichristi, Dei notitiæ et futurorum relinquimus experientiæ. Hoc unum videmus Theodericum jam esse Comitem securum, plurimisque lætificatum, filiam-

(*a*) Ludovicus Rex pridie Nonas Maii in Franciam reversurus Brugis recessit.

(*b*) Theodoricus ille de Alsatia dictus, fuit Theoderici Lotharingiæ superioris seu Mosellanæ Ducis ac Gertrudis Roberti Frisonis Flandriæ Comitis filiæ, Henrico Lovaniensi seu Bruxellensi Comiti primùm nuptæ, filius, Simonisque I, ejusdem post patrem Lotharingiæ Ducis frater natu minor : quod Herimannum cùm latuerit, non leve imperitiæ argumentum est.

(*c*) *Quinto Idus Martii* (an. 1128) *Dominicâ primâ Quadragesimæ,* inquit Galbertus, *fama vera nos percellebat quòd juvenis Theodoricus, nepos Caroli Consulis ex Elsatan venisset in Gandavum, ibique exspectaret, donec propulso isto Comite cum suis Normannis, ipse in Consulem susciperetur.*

(*d*) Secundus Ludovici in Flandriam accessus, *pridie Nonas Maii,* a Galberto signatur.

(*e*) *Duodecimo Kal. Junii, feriâ secundâ,* inquit Galbertus, *fama retulit ex* Lens, *Regem Franciæ fugisse ab Insulis, ubi Comitem nostrum Theodoricum obsidebat per quatuor dies.*

que

Digitized by Google

A que suam jam promisisse Henrico Theobaldi Comitis filio ; licèt Rex Francorum conjugium nitatur dissolvere, tertio gradu consanguinitatis dicens eos invicem propinquos esse. Verùm quia per Reges et Comites longam nimis digressionem fecimus : jam quasi prolixo expleto itinere, ad domnum Odonem et Clericos ejus redeamus...

Cœperunt interea sæculo renunciantes quamplures utriusque sexûs, ad Ecclesiam nostram conversionis gratiâ venire, nobisque de suis facultatibus tradere. Prima ergo, quantùm mihi videtur, ad conversionem venit Ida illa nobilis matrona, quæ fuerat conjux Fastradi Advocati, qui magnopere restaurationem Ecclesiæ nostræ videre desideravit, sed morte præventus videre nequivit... Hæc fuit germana nobilis illius Principis Theoderici de Avesniis, qui eodem tempore in propria terra sua Cœnobium Lesciense (*a*) a fundamentis construxit, *Num.* 56.

B omnibusque officinis peractis, Monachos ibi posuit, et unde victum et vestitum haberent abundanter providit. Cujus quandò mentio incidit, et alius referendi locus non erit, quiddam de eo dicam, unde legenti cuilibet et imitari volenti utilitas possit conferri. Hic itaque Theodericus, vir nobilis et magnæ potentiæ, dum contra Comitem Montensem Balduinum frequenter bellum gereret ; quadam die, congregatâ non modicâ militiâ, terram ejus violenter intravit ; multamque prædam exinde abducens, inter cætera quæ ibi gessit, etiam duo Monasteria Sanctimonialium, Sanctæ videlicet Waldetrudis Montensis et S. Aldegundis Malbodiensis concremavit, pro eo quòd ibidem milites sibi resistentes Comes posuerat.... [Cùm] Abbas noster Odo, post duodecimum ferè conversionis suæ annum, ad Episcopatum (*b*) Cameracensis urbis fuisset promotus ; consanguinei ejusdem Theoderici, contristati quòd de conjuge sua prolem non haberet, con- *Num.* 57.

C sanguinitatis lineâ quartâ eos propinquos esse coram eodem Episcopo accusaverunt, et die statutâ jurejurando confirmaverunt : sicque Ecclesiastico judicio, cùm jam plusquam xx annis simul mansissent, conjugium illud dissolvi fecerunt. Vix autem dimidius annus transierat ; et ecce præfatus Theodericus in sylvam venatum pergens, ab Isaac de Berlenmonte insidiis circumventus occiditur ; et ad Cœnobium Lesciense, quod ædificaverat, relatus, in capitulo ante sedem Abbatis sepelitur.... Eadem verò domina [Ada] a marito suo disjuncta, continuò relictâ sæculi pompâ, ad Cœnobium præfatum, quod cum viro suo construxerat, abiit, nec tamen ex toto proprietatem dimisit*; sed ædificatâ juxta Ecclesiam sibi domo lapideâ, nolens gravare Ecclesiam, de redditibus suis usque ad finem vixit, frequenterque Monachis quæ necessaria erant tribuit ; et quod retulimus (*c*) verum fuisse multis narravit. In tantum verò id diffamatum est, ut

D etiam Goscuginus, filius dominæ* Adæ primæ Sanctimonialis nostræ, qui avunculo suo præfato Theoderico successit, easdem salutationes B. Mariæ quotidie replicaret, militibusque suis eas dicere suaderet. Quamobrem et ipse, licèt multa mala fecerit, (*d*) tamen bono fine vitam terminavit. Nam sentiens se validâ ægritudine laborare, in eodem Cœnobio Monachus factus, sicque defunctus, juxta avunculum suum in Capitulo est sepultus. Qui quoniam de Agnete conjuge sua, filia Anselmi de *Ribotmont*, prolem non habuit, Galterum optimum juvenem, germani sui Fastradi filium, successorem sibi in vita sua constituit. Præfata verò Agnes uxor ejus, dominam Adam imitata, relictâ sæculari

* *Corr.* Idæ.

(*a*) Lesciensis Ecclesiæ initia circa an. 751 collocanda, debentur Wigberto Comiti et Adæ uxori ejus. Sed Monachos Benedictinos, amotis Clericis ; ibidem constituit Galcherus Cameracensis Episcopus an. 1095, Pontificatûs sui primo, petente Theoderico Avesnarum domino, cum conjuge sua Ada, Hilduini Comitis Rociensis filia.

(*b*) Odo anno 1105 ad Cameracensem Episcopatum assumptus est, Cameraci nonnisi an. 1106 vel 1107 receptus : unde investigari potest annus Theoderici emortualis.

(*c*) Nimirùm ob incensa prædicta Monasteria ostensum fuisse narrat Herimannus in visu cuidam heremitæ in silva Brocheroia commanenti, prænominatas Sanctas pedibus B. Dei genitricis Mariæ provolutas, de Theoderico Avesniensi, qui Ecclesias earum combusserat, ultionem postulare. Quibus Virgo Sancta respondebat : *Parcite, quæsò, mihique nolite esse molestæ, quia nolo ad præsens eum gravare ; uxor enim ejus domina Ada quoddam servitium mihi facit, quo me sibi sic familiarem adstrinxit, ut nec ipsi nec marito ejus pati possim aliquid inferri gravaminis.* Ada nempe Angelicam salutationem singulis diebus sexagies recitare consueverat, *vigies quidem prostrata, vigies genibus flexis, vigies stando aut in Ecclesia, aut in cubiculo suo, aut in aliquo secreto loco.* Cùmque illæ Sanctæ instantiùs se vindicari postularent ; *Rogo*, inquit, *ut mihi ad præsens de hac ultione inducias detis, et ego promitto vobis quòd veniet tempus, quandò de eo vobis justitiam faciam, et contra dominam Adam nihil delinquam.* Hæc ille ; at subdit : *Hoc ego in pueritia mea audiens, falsum esse credidi. Postea verò verum esse, potuisse non nimiùm dubitavi.*

(*d*) Goswinus de Oysiaco, Castellanus erat Cameracensis antequam dominium Avesniense assequeretur. Hic *Goswinus*, inquit Balduinus de Avesnis, *primitùs valdè discolus fuit ; sed demùm in peregrinatione ivit ultra mare, et reversus aliquantulùm rationabilior et maturior, mortuus est.*

Digitized by Google

pompâ , ad idem Cœnobium abiit ; et de redditibus suis vivens , calices aureos A
et candelabra , multaque alia pretiosa ornamenta Ecclesiæ illi fecit componi.
Fastradus autem iste , quem nunc nominavi patrem Walteri , filius fuit illius
Idæ primæ Sanctimonialis nostræ. Qui etiam Fastradus , cùm Advocatus Tor-
nacensis pluribus annis fuisset , ægritudine correptus in nostro Cœnobio Mo-
nachus est factus , sicque defunctus. Cujus uxor Richeldis , imitata præfatam
Idam mariti sui matrem , relicto sæculo , apud nos Sanctimonialem habitum
suscepit ; et cùm fuisset nobilissima et ditissima , per xx tamen annos nihil om-
ninò superbiæ inter alias ostendit : sicque humiliter degens , bono fine quievit.
Gualterus verò ejus filius , videns patrem suum et matrem apud nos sepultos
esse , pro animabus eorum et sua , dedit nobis unum molendinum supra *Ries*
fluviolum ; et quamdiu vixit , quasi pater Ecclesiæ nostræ ubique fuit. Duxit
autem conjugem Idam , filiam Everardi Castellani Tornacensis , ex qua plu- B
res filios et filias genuit , omnesque antecessores suos potentiâ et opibus supe-
ravit. Fuit enim primò Advocatus Tornacensis ; deinde succedens patruo suo ,
tenuit castrum Avesniense , totamque penè regionem illam quæ dicitur Brac-
bantus. Volens autem pacificè vivere , et pœnitens multorum quæ commise-
rat scelerum ; tentansque mitigare bella quæ inter Montenses Comites et Prin-
cipes Avesnienses multis annis duraverant , sororem Balduini Comitis Monten-
sis filio suo Theoderico adolescenti militi conjugio sociavit : sicque totam pro-
vinciam pacificavit. Sed inimicus generis humani non diutiùs pacem illam tole-
ravit. Theodericus enim ille adolescens , nolens esse contentus paternis opi-
bus , sed ubique discurrens velut equus indomitus , non modò de proximis ,
verùm etiam de longinquis regionibus , de terra scilicet Ducis Lovaniensis [et]
Episcopi Leodiensis , frequenter prædas et captivos cœpit abducere : donec quâ- C
dam die , frequentibus elatus victoriis , cum centum militibus longiùs progrediens ,
redire non potuit ; sed a peditibus undique irruentibus occisus , et cum magno
periculo ad Lesciense Cœnobium super equos relatus , omnibus amicis suis ma-
gnum luctum intulit. Tunc pater nimio mœrore percussus, timensque diversos
fortunæ casus , alteri filio suo Nicolao castrum Avesniense et Bracbantum in
vita sua donavit , eique castellum quod dicitur Walecurtis , superaddidit. Tertio
verò filio Advocationem Tornacensem tradidit. Quarto etiam Clerico facto ,
Everardo , duos Archidiacónatus , Cameracensem scilicet et Tornacensem , nec-
non Præposituram Nivellensem , aliosque multos honores ecclesiasticos acquisivit.
Et quatuor filias divitibus maritis dedit : ipseque, sicut mihi multoties dixit, libenter
Monachus factus fuisset , si conjugis suæ licentiam habere potuisset. Præsenti verò
anno (*a*) post festum Omnium Sanctorum , dum apud Montense castrum , in aula D
Comitis Balduini , contra eum pro Trellum castello quod ei Comes auferre vo-
lebat , placitaret, subitaneâ irâ percussus loquelam perdidit. Deinde a Comi-
tissa in lecto Comitis positus , sequenti nocte defunctus est : indeque a filiis suis
ad Lesciense Cœnobium delatus , et cum prioribus suis sepultus , magno totius
provinciæ mœrore , quia pater pauperum et Ecclesiarum ab omnibus vocari so-
lebat. Sed de his ista sufficiant....

Num. 72. Interea domnus Rabodus Episcopus , qui fuit avunculus Everardi Tornacen-
sium Castellani (qui ipsum Tornacense castellum cum castello de Moritania antè
paucos dies ceperat , et dominationi suæ subdiderat , legitimos hæredes de eis
expellens , Gerulfum de Tornaco , et Hugonem de Moritania) hic Rabodus ,
vir nobilis et magnæ probitatis existens , inter cætera quæ laudabiliter fecit ,
etiam Cœnobium nostrum restaurare curavit. Sed heu ! sicut per beatum Job E
dicitur , quòd in Angelis suis Deus repérit pravitatem ; ita etiam hic tantæ pro-
bitatis Episcopus apud Romanam sedem cœpit accusari , quòd per pecuniam
datam adeptus fuisset Episcopatum. Unde cùm multoties apud Papam pulsaretur ,
nonnulla ornamenta Tornacensis Ecclesiæ , pro sui redemptione vendita , suis
adjutoribus dedit.... Cùm verò judicatum fuisset , ut cum duobus Episcopis se
de simonia purgaret ; Magister Anselmus , tunc temporis Laudunensis scholæ
Doctor præcipuus et per totam Franciam pro sua scientia famosissimus , auxilium
Episcoporum ei consilio suo abstulit , conscius eos securè non posse jurare eum

(*a*) Id est, anno 1147 , ut constat ex Balduino de Avesnis in chronico : qui ait , *tandem apud Montes in Castri-loco veniens ad placitandum , contradixit hominum sententiæ , et Comite super hoc ipsum compescere volente , cùm staret appodiatus super arcam quamdam, subitò mortuus est anno Domini MCXLVII.*

Digitized by Google

A innocentem fore. Ubi verò ei, multis intervenientibus, concessum est ut solâ manu se purgaret; Hugo Lugdunensis Archiepiscopus et Apostolicæ Sedis Legatus, videns eum velle jurare, surgens coram omnibus : « Quid facis, inquit, » infelix, qui malè jurando animam tuam interficere quæris? Desine ab hoc ju- » ramento, et nos impetrabimus ut modò non deponaris; sed per biennium di- » lationem habens, postea Pontificatum spontè, quasi religionis vel senectutis » causâ, honestè dimittes : si enim juraveris, ecce tibi prædico quòd de hoc » anno cum honore non exibis ». Episcopus, sicut cœperat, manum super textum Evangelicum posuit; et se innocentem de simonia jurans, securus de Concilio exivit, et Tornacum rediit. Post paucos dies Brugis abiit; et pro infirmitate sua minui sanguine volens, dum medicus exspectatur, ipse pro corporea necessitate interiora cubiculi ingreditur : ubi cùm diutiùs moraretur, unus ex ministris eum
B secutus, vidit eum coram sede resupinum cecidisse, et cum nimio exclamat dolore. Protinùs omnes introgressi, inveniunt eum paralysi dissolutum, membrorum simul et linguæ officium perdidisse; inter manus levatum ad lectum deferunt, et post paucos dies deflent morientem (*a*). Eo itaquè Tornacum deportato, et in Ecclesia S. Mariæ sepulto, succedit ei in Episcopatu Baldericus Noviomensis Archidiaconus....

Magni nominis, magnæque Religionis tunc erat Cœnobium nostrum; quia in toto Archiepiscopatu Remensi, eo tempore, nonnisi tres inveniebantur Ecclesiæ, quæ consuetudines Cluniacenses servarent, Aquicinensis scilicet, Affligemiensis et nostra. Cluniacense siquidem Cœnobium tunc in toto regno Francorum erat excellentissimæ Religionis; quoniam nondum germinaverat rigor Cisterciensis, nec de domno Norberto adhuc aliqua mentio erat. *Num.* 79.

C Eâ tempestate (*b*), domnus Lambertus Cœnobii S. Bertíni Abbas effectus, cùm videret Ecclesiam suam præ nimia dissolutione sic destitutam, ut vix pauci Monachi in ea subsistere possent, summâ necessitate compulsus, domnum Hugonem, præfati Cœnobii Cluniacensis tunc temporis famosissimum Abbatem, expetiit; ejusque magisterio seipsum cum tota sua Ecclesia committens, professionem *Num.* 80.
publicè in ipso Cœnobio fecit. Sicque susceptos ab eodem domno Hugone XII Monachos secum reducens, et Ecclesiam S. Bertini eis regendam committens, in tantum brevi tempore, gratiâ Dei juvante, per eos profecit, ut ubi priùs vix XII Monachos invenisses, postmodùm centum quinquaginta omni abundantiâ refertos reperisses. Quod cernens inclytus Comes Flandrensis Robertus, qui jam, Jerusalem captâ, in terram suam redierat, sumptos ex eodem Cœnobio sancti Bertini Monachos, in Ecclesiam S. Vedasti Atrebatensis sanctique Petri Gan-
D densis posuit, multùmque eas correxit. Domnus quoque Odo, venerabilis Abbas S. Remigii Remensis, susceptos a præfato Abbate S. Bertini Monachos in Cœnobio suo posuit. Deinde Ludovicus Rex Francorum, videns alias Ecclesias per easdem consuetudines proficere, in Cœnobio S. Medardi Suessionensis eas violenter servari fecit. Sicque, per gratiam Dei, vix jam invenitur in Francia vel Flandria aliquod Cœnobium, in quo non videas consuetudines Cluniacenses servari. Sed cùm, ut prædictum est, inter vicinas Ecclesias magnâ famâ [et] prosperitate Cœnobium nostrum floreret : ecce subitò cecidit corona capitis nostri, et defecit gaudium cordis nostri.

Dominus siquidem Manasses Remorum Archiepiscopus, ad Concilium (*c*) generaliter mandans alios Abbates, inter alios nominatim evocavit Odonem Abbatem S. Martini Tornacensis. Cùmque exinde admirantes, quid de Concilio nobis *Num.* 81.
E referretur, attoniti et suspensi exspectaremus : ecce repentè audivimus ad Cameracensis Ecclesiæ Episcopatum eum fuisse electum, et sine mora ab Archiepiscopo et comprovincialibus Episcopis consecratum. Quis eo die luctus totum conventum nostrum repleverit, quis singultus pectora nostra concusserit, nullus facilè explicare poterit. Vix tamen octo dies transierant, et rursùm nobis quædam redditur consolatio; quoniam ipse, rebellante ac resistente Galchero Episcopo, pacificè ingredi non valens Cameracum urbem, rursùm nobis ab Archiepiscopo remittitur, et per annum integrum nobiscum demoratur. Quæ autem ejusdem rebellionis causa fuerit, paucis aperiendum videtur, licèt à cœpta narratione digrediamur....

(*a*) Ratbodus anno 1097 infra Octavam Epiphaniæ exstinctus est.

(*b*) Lambertus an. 1095 Bertiniensis Abbas creatus, an. 1101 religionem in suo reparare Cœnobio curavit, teste Iperio.

(*c*) Concilium Remense an. 1105.

Digitized by Google

Num. 82. Cùm multis in locis legatur, sanctos scilicet viros a Regibus ad Pontificatum A
fuisse promotos, ecce subitò Henrici senioris Imperatoris temporibus, Papa Romanus qui primùm vocatus est Hildebrandus, postea verò Gregorius VII, prohibet ne quisquam ab eo eligatur vel promoveatur, et omnes qui ab eo promoti fuerant, vel baculum seu annulum de manu ejus susceperant, excommunicantur et deponuntur. In toto etiam regno ejus, in partibus duntaxat Teutonicis, divinum Officium interdicitur. Fit maxima sanctæ Ecclesiæ perturbatio;... Henricus namque Imperator, non ferens auferri sibi dignitatem antecessorum suorum, et dicens Papam non hoc facere pro libertate Ecclesiæ, sed potiùs ut sub occasione et prætextu justitiæ majorem posset pecuniam congregare, alium Papam elegit, nomine Guibertum, eumque qui se excommunicaverat fecit excommunicari, et contra præceptum ejus in regno suo divinum Officium cogit celebrari : dehinc, congregato exercitu, Romam obsidet, totamque provinciam devastat. B
Gregorio Papâ moriente, succedit Urbanus, et eadem quæ antecessor ejus statuerat, confirmat; atque inter cætera quæ in Claromontensi Concilio decrevit, etiam Gualcherum Cameracensem Episcopum, pro eo quòd Episcopatum per pecuniam adeptus fuerat, et virgam atque annulum de manu Imperatoris susceperat, excommunicationis gladio percutit, et ab Episcopali officio deponit. Ille violentiâ regali fultus, pluribus annis Episcopatui superbè præsidet, et contra Papæ præceptum in urbe Cameracensi divinum Officium celebrari jubet. Urbano Papæ morienti Paschalis succedens, et Gualcherum in diutina obstinatione pertinaciter perseverare dolens, missis litteris Manassæ Remensi Archiepiscopo, apostolicâ auctoritate præcipit ut, congregatis comprovincialibus Episcopis, Cameracensi Ecclesiæ Episcopum, omissâ dilatione, eligat et consecret. Sic ergo Abbas noster domnus Odo eligitur et consecratur. Sed quia Archiepiscopi auctoritate Gual- C
cherus expelli non valet, Abbas noster jam consecratus nobis remittitur : et
Num. 84. episcopale quidem officium ubique gerit, ingressum verò urbis et redditus regales
* An. 1106. non habet.... Mortuo * ergo patre Henrici Henrico seniore, non quidem armis, sed tristitiâ cordis, filius ejus jam optato regno potitus, mandavit Cameracensibus ut Gualcherum excommunicatum ab urbe pellerent, domnum Odonem reciperent. Tuncque primùm domnus Odo urbem sedis suæ pacificè ingrediens, præcepit nobis ut Abbatem eligeremus, et consilio ejus domnum Segardum Priorem nostrum elegimus, virum religiosum, jejuniis et orationibus deditum, qui jam a multis annis Prioratum Ecclesiæ nostræ tenuerat....

Num. 97. Cùm jam per trecentos (*a*) ferè annos Ecclesia Tornacensis Pastore proprio viduata fuisset, tempore Hugonis Cluniacensis Abbatis, cujus superiùs mentionem fecimus, accidit ut quidam Remensis Ecclesiæ Canonicus, magnæ D
probitatis vir, nomine Odo, vitam sæcularem relinqueret, et in eadem Cluniacensi Ecclesia Monachus fieret. Cùmque ibi per aliquot annos religiosissimè vixisset, et domnus Papa Gregorius VII eidem domno Hugoni Abbati mandasset, ut sibi aliquos de Monachis suis viros sapientes transmitteret, quos competenter Episcopos ordinare posset; domnus Hugo ei inter cæteros præfatum Odonem transmisit, quem Papa in urbe Ostiensi Episcopum consecravit. Defuncto Papâ Gregorio, Victor succedit; post quem idem Odo ad Apostolicæ sedis Pontificatum eligitur, et Urbanus nominatur: qui, quoniam in Ecclesia Remensi educatus fuerat, valdè eam super alias diligebat, et ut antiquam ei dignitatem duodecim Episcoporum reddere posset, non parùm desiderabat. Cùm ergo superiùs memoratum Gualcherum Cameracensem Episcopum pro simonia in Concilio Claromontensi excommunicasset; protinùs Atrebatensibus E
mandavit ut sibi proprium eligerent Episcopum, privilegii sui auctoritate urbem Atrebatensem a Cameracensis Episcopi subjectione liberam deinceps et immunem esse concessit, et ut Episcopum proprium semper haberet confirmavit. Mandavit etiam Clericis Tornacensibus ut ad eum irent, recepturi libertatem proprii Episcopi. Protinùs Canonici duos honorabiles viros de Ecclesia sua Romam miserunt, Elbertum scilicet et Geldulfum; sed Papam Urbanum jam defunctum invenerunt, et sine effectu redierunt. Urbano successit Reinerus Abbas S. Pauli, et vocatus est Paschalis: cujus tempore, cùm Clerici Romanam Curiam sæpiùs frequentarent, pro dissensione quæ inter nos et ipsos

(*a*) Ab obitu S. Eleutherii ad Gregorii VII tempora effluxere non trecenti modò, sed quingenti ac ferè quinquaginta anni.

Digitized by Google

A erat, Romani qui semper novorum negotiorum sunt cupidi, cœperunt nos incitare ad repetendum proprium Episcopum. Accidit autem, cùm jam nobiscum concordati fuissent, ut domnus Baldricus Episcopus noster, pro quadam causa commotus, absque omni audientia et judicio canonico, missis litteris, in urbe Tornacensi divinum Officium interdiceret. Unde præfatus Gonterus Præpositus Canonicorum conventum evocat, et ad repetendam antiquam libertatem incitat. Continuò duo ex ipsis, Galterus scilicet qui postea Abbas sancti Martini claruit, et Movinus Præcentor Ecclesiæ, cum litteris Capituli Romam petunt, et litteras domini Papæ Paschalis Tornacum deferunt, præcipientes Clericis et Abbatibus, cæterisque personis Episcopatûs, ut, remotâ dilatione, proprium sibi eligerent Episcopum. Alias quoque domno Radulfo Remensi Archiepiscopo detulerunt, præcipientes ei ut eidem electioni efficaciter insisteret,
B et electum consecraret. Illis necdum reversis, contigit domnum Baldricum Episcopum mori (*a*).

Noviomenses autem, scientes Clericos Tornacenses Romam abiisse, callidè *Num.* 98.
agentes, Lambertum Tornacensem Archidiaconum sibi in Episcopum elegerunt, scientes eum pecuniâ abùndare, et per eum confidentes propositum Tornacensium cassari posse. Electus ergo Noviomi Lambertus, Flandriam rediit; et apud Corturiacum congregatis Abbatibus et personis Episcopatûs, ut electioni suæ faverent impetravit. Solus Abbas noster domnus Segardus, ut assensum præberet postulatus, respondit non Corturiaci, sed Tornaci in Capitulo S. Mariæ, ubi sedes Episcopalis erat, hujus rei assensum debere fieri, nec se aliquid consensurum, nisi præsentes videret Decanum Tornacensis Ecclesiæ et Præpositum. Sic ergo, commotis adversùs eum aliis personis, Tornacum rediit. Nec mora :
C legati cum litteris Papæ Româ redeunt, Abbati nostro de responso suo gratias agunt; ejusque consilio, in Capitulo suo unanimiter omnibus congregatis, elegerunt sibi in Episcopum quemdam Morinensis Ecclesiæ Archidiaconum, nomine Herbertum : litterasque domini Papæ Johanni Morinensi Episcopo deferentes, eumdem Electum suum sibi liberum tradi petierunt et impetraverunt. Inde præfatum Archiepiscopum Remensem adeuntes, ut eum secundùm domini Papæ præceptum consecraret, exorarunt. Sed Lambertus eos præveniens, ut dicitur, jam animum Archiepiscopi pecuniâ corruperat; adeò ut ejus consilio, etiam Rex Ludovicus muneratus duos Episcopos, Aurelianensem scilicet et Parisiensem,
D pro cassanda Tornacensium electione Romam transmitteret. Clericis itaque Tornacensibus Electi sui consecrationem petentibus, respondit Archiepiscopus se nec Lambertum nec Herbertum consecraturum, donec legati Regis duo Episcopi, quos pro eodem negotio ad Papam transmiserat, Româ redirent. Ita utrimque Electi consecratio suspensa et incerta fluctuabat : cùm ecce Episcopi Româ redeunt, litteras domini Papæ Archiepiscopo deferunt, in quibus Papa idem negotium in manu et provisione Archiepiscopi ponebat : dicens sibi Archiepiscopum mandasse quòd, si Tornacenses proprium Episcopum haberent, et Episcopalis dignitas plurimùm vilesceret, et Noviomensis Ecclesiæ redditus nequaquam Episcopo ad necessaria sola sufficerent. His litteris susceptis, sibi subditos Episcopos Archiepiscopus convocat, diemque statuit quâ Lambertum consecrare debebat. Ipso verò die, Rex Ludovicus Remis adveniens, omnes Episcopos advocat, et ut diligenter de eodem negotio inter se tractent, admonet. « Si enim, inquit,
» videritis magis ad Dei honorem et animarum salutem competere, ut Torna-
» censis Ecclesia proprium Episcopum habeat; ego libenter concedo, quia nihil
E » me in hoc perdere video, nec voluntati Dei vel animarum saluti in aliquo
» resistere volo : neque volo ut aliquis per me dicat hoc bonum remansisse, vel
» se sub mea palliatione paret excusare ». Cui domnus Johannes Morinensis Episcopus, vir religiosus, respondens « Verè, inquit, domine Rex, hoc dicto ani-
» mam vestram liberastis. Nunc videant domini nostri Episcopi quid agere de-
» beant ». Archiepiscopus tamen in eo quod cœperat perseverans, prædictum Lambertum super utramque Ecclesiam consecravit Episcopum, multis mirantibus quòd magis diligeret pecuniam reponere, quàm Remensi Ecclesiæ antiquam dignitatem reddere : quod utique facere potuisset facilè, et Regis permissu, et auctoritate domini Papæ.

Nec tamen audaci Turno fiducia cessit, quia Gontero Præposito cor non Æneid. l. XII.

(*a*) Obiit Baldricus an. 1113, pridie Kal. Junii.

Digitized by Google

defuit; quin potiùs, assumpto secum domno Segardo Abbate nostro, Electum A
suum Herbertum Romam ducit, non per Franciam, quia timebat Regem et
Archiepiscopum, sed per Lotharingiam, ad probandam domini Papæ constantiam.
Lambertus quoque Episcopus jam consecratus, confidens in multitudine divitiarum suarum, Romam tendit: certus quòd non multùm sibi consecratio jam facta prodesset, si Papa Tornacensis Ecclesiæ Electum consecraret. Utrique ergo coram Papa conveniunt, et nunc his, nunc illis curia favet. Ad ultimum tamen etiam Roma immensitate pecuniæ superatur, nolens illam Salustii sententiam falsam esse quâ dicitur: *Omnia venalia Romæ*. Sed ne ex toto Papa Tornacensibus defuisse videretur, mandavit eis per litteras ut Archidiaconum sibi eligerent, quoniam Lambertum Archidiaconum eorum audierat Noviomensis Ecclesiæ esse Episcopum consecratum. Archiepiscopo etiam mandavit ut [Herberto] Ecclesias Tornacensis Episcopatûs ex toto interdiceret. Archiepiscopus autem videns instabilitatem et B
mutabilitatem Romanam, in urbe Tornacensi tam Clericis quàm Monachis interdixit divinum Officium, nisi reciperent Lambertum Episcopum. Lambertus quoque experiri volens utrùm eum susciperent, Tornacum venit: quidam verò illusores, eo veniente, omnes batillos campanarum furati sunt, ut eis non sonantibus; vilior fieret processio. Quod cernens Episcopus, se scilicet sine honore susceptum fuisse a Canonicis, civibus inde conquestus, protinùs urbe exiit, et omnes Ecclesias tam Monachorum quàm Clericorum, quas in Flandria habebant, invasit. Gonterus iterùm Romam rediens, omnia hæc Papæ retulit, et ab eo litteras Archiepiscopo retulit, in quibus de interdicto quod Ecclesiæ Tornacensi fecerat, valdè eum increpabat, ipsumque interdictum irritum esse præcipiebat: et ne Lambertus Ecclesiam Tornacensem gravaret, in manu et tuitione sua eam suscipiebat. His litteris susceptis, Archiepiscopus comprovinciales Epis- C
copos convocavit; litterasque dulcissimas et humillimas Tornacensibus mittens, eos ad concordiam cum Episcopo suo vehementer exhortavit, tandemque eos, quia auxilia eis deerant, inflexit. Papa quoque eis mandavit ne molestè ferrent, quia propter scandalum (*a*) regni pro tempore adhuc pati volebat ut Noviomensis Episcopus etiam Tornacensem regeret Episcopatum. Sic Tornacenses Clerici, Romanam tergiversationem experti, quieverunt, seque post decessum Lamberti suam libertatem assequi posse speraverunt.

Num. 99. Lamberto decedente (*b*), Noviomenses Canonici quemdam Simonem adolescentem sibi in Episcopum elegerunt, filium Hugonis Comitis cognomento Magni, qui cum cæteris Principibus ad accipiendam Jerusalem profectus, in itinere mortuus fuerat. Quia ergo idem Simon germanus erat Radulfi Comitis Peronensis, et inclytus Carolus Comes Flandrensis sororem (*c*) ejus conjugem ha- D
bebat, pater etiam prædictus Hugo germanus fuerat Philippi Regis Francorum, cujus filius Ludovicus tunc regnum habebat, ideò Clerici Noviomenses, propter frustrandam spem Tornacensium, eum ad Episcopatum elegerunt: et Tornacenses protinùs, interveniente glorioso Comite Carolo, absque ulla contradictione consenserunt, certi quòd, si vellet, optimè Tornacensem Ecclesiam regere posset. Quia tamen adhuc infra ætatem et infra ordines ecclesiasticos erat, Archiepiscopus Remensis Radulfus sibi præsentatum consecrare distulit, donec ille Romam petens, gratiam Papæ obtinuit, et utrique Ecclesiæ præfuit.

Num. 100. Interea domnus Odo Cameracensis Episcopus... infirmitate corporis gravatus, Episcopatum reliquit, seque Aquicinctum in lectica deportari fecit.... sicque infra octo dies idem Episcopus defunctus (*d*), in Ecclesia Aquicinensi coram

(*a*) In eamdem sententiam Paschali scripserat Ivo Carnotensis Episcopus pro Noviomensibus adversùs Tornacenses, epist. 238. *Novit*, inquit, *paternitas vestra, quia regnum Francorum præ cæteris regnis Sedi Apostolicæ semper fuit obnoxium, et idcircò quantùm ad ipsas regias personas pertinuit, nulla fuit divisio inter regnum et Sacerdotium. Quod ergo hactenùs cum pace et utilitate Ecclesiæ observatum est, humiliter petimus ut de cætero observetur, et regni Francorum pax et summi Sacerdotii nullâ subreptione dissolvatur. Quod idcircò prælibamus, quia audivimus Clericos Tornacenses ad Apostolicam Sedem venisse, petituros ut Apostolicâ præceptione proprium possint habere Episcopum, et Noviomensis Ecclesiæ frustrare privilegium. Quod ne fiat sicut filii et fideles rogamus et consulimus: ut statum Ecclesiarum qui quadringentis fermè annis duravit, inconcussum manere concedatis, ne hâc occasione schisma quod est in Germanico regno adversùs Sedem Apostolicam, in Galliarum regno suscitetis. Nec in hoc resistimus, quin possit Sedes Apostolica parochiarum amplitudinem minorare aut brevitatem dilatare, si utilitas populi Dei exigat, et nullum inde schisma contingat. Quia ergo Rex Francorum, utpotè homo simplicis naturæ, erga Ecclesiam Dei est devotus et Sedi Apostolicæ benevolus, petimus et consulimus ut a benevolentia ejus nulla vos subreptio subtrahat, nulla persuasio disjungat.*

(*b*) Obiit Lambertus anno 1121, vel, ut aliis placet, anno 1123.

(*c*) Margaretam Simonis sororem uterinam.

(*d*) Odo Cameracensis Episcopus an. 1113, XIII Kal. Julii mortalitatem explevit.

Digitized by Google

A Crucifixo cum magno honore sepelitur, et de candido marmore imago ejus super sepulcrum ejus sculpitur ; succeditque in Episcopatu quidam Burchardus.

Interea * quidam Tornacensis civis, nomine Movinus, videns se prolem non habere, Ecclesiam quamdam in honore S. Medardi prope Tornacum sitam, de opibus suis amplificat, utque in ea religiosos Clericos ponat a domno Simone Episcopo postulat: cujus ille petitioni favens, quemdam religiosum Canonicum, nomine Ogerum de Monte S. Eligii, ibi Abbatem fecit, ipsamque Ecclesiam ei liberam tradit. Ille verò.... plures tam Clericos quàm laïcos, necnon et mulieres ibidem congregavit, ipsamque Abbatiam appellari fecit S. Nicolai de Prato.... *Num.* 101. * An. 1126.

Domnus Segardus Abbas [S. Martini Tornacensis]... III Kal. Februarii spiritum reddidit, die Dominicâ, anno Dominicæ Incarnationis MCXXVII, Indictione B V, Epacta VI, Concurrente V. Præfuit autem huic Ecclesiæ annis XXI.... *Num.* 104.

Eodem anno * gloriosus Comes Carolus Flandrensium in Ecclesia S. Donatiani apud Brugias ab inimicis suis clanculò interfectus est. Post mortem ejus, legitimis hæredibus decedentibus, datus est Comitatus Flandrensis a Rege Ludovico cuidam Willelmo juveni, filio Roberti Normannorum Comitis : ad quem Simon Episcopus Tornacensium veniens, interveniente eodem Rege cognato suo, eidem notificavit quomodò Harduinus Episcopus Balduino Barbato Comiti XII altaria, sicut superiùs * relatum est, de mensa Tornacensis Episcopii ad tempus concesserit ; et quia jam tempus transierat quo reddita esse debuissent, rogavit ut jam nunc tandem ea Ecclesiæ Tornacensi et sibi redderet. Comes verba Episcopi multorum testimonio vera esse cognoscens, commonente Rege, protinùs ea præfato Episcopo libera reddidit, seque ei exinde nullam illaturum molC lestiam spopondit. Sed Comes non diu est passus Flandrenses in sua consistere libertate ; sed paulatim cœpit eos opprimere et servitutis legibus subjicere. Unde illi perterriti, quasi jam in foribus mortem adesse videntes, primò mussitando, deinde apertiùs colloquendo, incipiunt consulere quomodò de hujus novi Pharaonis tam intolerabili jugo colla sua possint excutere. Quid multa ? Audiunt quemdam adolescentem, ex Theoderico Duce et matertera Caroli Comitis genitum, in Auxatia consistere, Theodericum nomine : quem secretè accersentes, post varios pugnarum eventus, apud castellum quod dicitur *Alos*, a quodam pedite in manu sub pollice vulneratus [Guillelmus] mortuus est *. Quo apud S. Bertinum sepulto, dominatum totius Flandriæ, Rege concedente, Theodericus obtinuit.... *Num.* 105. * An. 1127. * V. T. X. p. 238. * An. 1128.

Interea piæ memoriæ religioso Segardo defuncto, atque in Capella B. Mariæ D ante altare sepulto, successit ei in regimine Monasterii Herimannus tertius filius Radulfi Præpositi. Hic cum reliquis fratribus suis, Theoderico, Waltero, Radulfo, ad pedes magistri Odardi litterali scientiâ eruditus [fuit].... Cujus temporibus Ecclesia nostra dedicata est a domno Simone Episcopo, anno Dominicæ Incarnationis MCXXXII.... In administratione autem Monasterii decem annis nondum expletis,... nemine prorsùs cogente, sed propriâ voluntate et humilitate, curam sibi commissam baculumque suscepti regiminis in manu reddidit nobili magnificoque Simoni, Dei gratiâ Tornacensium Pontifici. Post quem Ecclesiæ nostræ gubernacula quartus suscepit Walterus, et hic Tornaci natus:... qui ordinatus est a domno Simone anno Dominicæ Incarnationis MCXXXVI, Indictione XIV, Concurrente III, Epactâ XV... *Num.* 107. *Num.* 108.

Cùm domnus Simon jam ferè XXIV (*a*) annis Pontificatum tenuisset,... con- *Num.* 112. E tigit ut tam de Ecclesia S. Mariæ Tornacensis, quàm ex ipsa diœcesi multi Clerici famosi, conversionis gratiâ dominum Bernardum Abbatem Clarevallensem sequerentur : quorum relatione idem Abbas de antiqua dignitate Tornacensis Ecclesiæ instructus, et quanta necessitas esset ut propter infinitam multitudinem populi proprium haberet Episcopum edoctus, aggreditur secretè Simonem Episcopum, proponensque ei periculum tot animarum sub cura sua degentium, ut Tornaci proprium Episcopum ordinari benignè permitteret dulciter hortatur. Protinùs dulci exhortatione Abbatis compunctus Episcopus, consensit precibus ejus ; eo tamen pacto, ut de redditu Tornacensis Ecclesiæ partem pecuniæ in

(*a*) Hic annus cum Concilio Senonensi anno 1140 adversùs Abælardum celebrato componitur. Sed is non erat vigesimus-quartus Episcopatûs Simonis, quippè ad Episcopatum Noviomensem promoti anno 1121, ex chronico Roberti de Monte, nec ante an. 1123, ut videtur, consecrati.

Digitized by Google

vita sua liceret ei retinere. Sed Noviomenses Clerici, hoc audito, Radulfum A
Vermandensem adeunt, et germanum suum Simonem vendidisse suum Episcopatum derogantes, propositum Abbatis per eum evacuant et evertunt.

Num. 113. * An. 1141. Per idem tempus *, inter Papam Innocentium et Regem Ludovicum filium superioris Ludovici, cognatosque ejus supra memoratos, Simonem scilicet Episcopum et Radulphum Comitem, lis exorta est : pro qua Rex cum Comite christianitate privatus est, et in annum tenti sunt; Episcopus verò ab officio episcopali per aliquod tempus suspensus. Papa enim Clericum quemdam [Petrum de Castra] cognatum Cancellarii sui, in Bituricensem Archiepiscopum consecravit: quod quia Rex concedere noluit, christianitate privatus est. Comes verò volens in matrimonium sibi copulari [Aleidem sive Petronillam] germanam Alienoræ Reginæ Francorum, uxorem suam legitimam de consanguinitatis linea calumniari cœpit; sed quia absque judicio canonico ab ea separari non valuit, B
præfatum Simonem germanum suum, junctis aliis duobus Episcopis [Bartholomæo] Laudunensi scilicet atque [Petro] Silvanectensi, fecit per sacramentum testari sic se propinquitatis lineâ cum uxore sua conjungi, ut fœdera matrimonialia ab invicem deberent dissolvi. Quo juramento completo, ab ea se disjunxit, et germanam Reginæ duxit, quæ ambæ fuerunt filiæ [Guillelmi] Comitis Pictavorum et Ducis Aquitanorum, quæ etiam propinquiores ei erant. Fama hujus perjurii per totam disseminata regionem, etiam ad Apostolicam audientiam delata est per Comitem Theobaldum Burgundiorum (*a*) Principem; hujus enim erat neptis ea quam Radulfus Comes dimiserat, et dedecus repulsæ eum spectabat. Quam querimoniam cùm per nuncios suos auribus Papæ deposuisset, Comitem vinculo anathematis ligavit, et Episcopos ab officiis episcopalibus per aliquod tempus suspendit. Hâc ergo dissensione inter Papam et Regem atque Episcopum No- C
viomensem compertâ, Theodericus Præpositus, qui Gunthero successit, ardens desiderio cum Clericis Tornacensibus ut Ecclesia sua pristinam dignitatem reciperet, domnum Herimannum qui quondam Abbas noster exstitit, secretò alloquens ut Romam eat, et animum Papæ super hac causa cautè exploret, hortatur. Domnus Herimannus, favens eorum precibus, Romam pergit, Innocentio Papæ litteras, quas olim Paschalis Papa Tornacensibus transmiserat, ostendit, totum rei suprascriptæ ordinem pandit. Tandemque ipse etiam litteras ab eo accipit, in quibus Tornacenses commonuit, et auctoritate Apostolicâ præcepit, ut communicato religiosorum et discretorum virorum consilio, remotis dilationibus, Episcopum proprium eligerent; electum autem Remensi Metropolitano consecrandum præsentarent : quod si ipse nollet perficere, ad suam præsentiam ducerent. Has litteras domnus Herimannus præsentat Tornacensibus ; diem electionis D
ponimus, et personas diœcesis convocamus.

Num. 114. * An. 1142. Initoque consilio cum religiosis viris, Absalonem Abbatem S. Amandi virum religiosum unanimiter nobis in Episcopum eligimus *. Protinùs electio Remensi Archiepiscopo notificatur ; sed ipse dicit quòd non auderet eum consecrare, pro Regis et Radulfi Comitis timore. Unde necessitate cogente, compellimur Romam remittere : et ipse quidem Electus, ut vir sapiens, renuit ire, veritus quod postea accidit, ne Romana Curia per pecuniam a sententia flecteretur, sicque sibi in dedecus verteretur, si repulsam pateretur. Clerici autem Tornacenses, juncto sibi domno Herimanno, Romam proficiscuntur, litteras suas pro electione facta Papæ ostendunt ; et ab eo gratissimè suscepti, de die in diem exspectant ejus terminale responsum : cùm subitò Simon Episcopus eos subsecutus, adesse nuntiatur ; ingressusque palatium cum Clericis suis, Papæ conqueritur super Clericis E
Tornacensibus, qui prætergressi fidelitatem et obedientiam quam sibi promiserant, electionem alterius Episcopi contra se fecerant. Respondet Papa a fidelitate et obedientia quam ei promiserant, se eos absolvisse, et ut proprium Episcopum eligerent eis præcepisse, ideòque super his nihil eos deliquisse. Subjunxit quoque domnus Herimannus, annuente sibi Papâ ut diceret, Clericos Tornacenses nullam contra Episcopum Simonem accusationem coram Papa detulisse ; sed ei, utpotè

(*a*) Nullus inter Burgundionum seu Duces seu Comites occurrit Theobaldus. Eleonoram nuncupat hanc primam Radulfi uxorem Buchetius, filiamque Henrici-Stephani Campaniæ Comitis fuisse ponit magis quàm adstruit. Auctor Historiæ Comitum Campaniæ filiam ex fratre vel sorore Theobaldi Magni ejusdem provinciæ Comitis fuisse decernit. Id unum constat hujus Theobaldi propinquam extitisse, qui eo nomine patrocinium ejus, scriptis ad Innocentium Papam litteris adversùs Radulfum, suscepit.

nobili

Digitized by Google

A nobili viro et laudabili, bonum testimonium ferre, nec pro aliqua malivolentia alium Episcopum elegisse : sed si non inferioris meriti bono Martino ipse esset, eos tamen desiderare ut mater sua Tornacensis Ecclesia pristinam dignitatem proprii Episcopi reciperet. Tantam autem necessitatem hujus rei esse, ut cùm in Episcopatu Tornacensi plusquam DCCCC millia populi diversi sexûs et ætatis continerentur ; tamen propter absentiam Episcopi, teste ipso Episcopo, mortui essent infra decem annos plusquam centum millia, qui non fuerant consecrati oleo de manu Episcopi, plusquam etiam *** tam homicidio quàm aliis criminibus implicatos ibi esse, qui non suscepissent pœnitentiam criminum suorum ab Episcopo. Cùmque hæc et alia multa in præsentia Episcopi domnus Herimannus retulisset, quorum Episcopus nihil negavit ; Papa stupefactus electionem Tornacensium coram omnibus confirmavit, seque eam perfecturum promisit ; ac Cardinales qui
B circumsedebant, exhortatus ut se exinde adjuvarent, de sede sua surrexit, et in secretarium cum eis intravit : legatis nostris sperantibus causam suam citiùs terminandam. Postea eos plusquam XV diebus Papa detinuit, donec domnus Simon, quingentis marchis argenti per curiales distributis, gratiam domini Papæ recepit : qui tamen eum in secretarium nobis præsentibus evocans, coram Cardinalibus præcepit ei sub periculo ordinis sui, ut nullam omninò malivolentiam in facto vel verbo Tornacensibus ostenderet, qui præcepto suo electionem Episcopi fecerant. Sicque legatis nostris eum osculo reconcilians, litteras eis dedit, in quibus nobis mandavit quòd de electione nostra voluntatem non mutasset, sed ad præsens per consilium differret, donec convocato Episcoporum et Metropolitanorum Conventu, quod cœperat confirmaret. Interim autem præcipiebat ut ei solitam obedientiam exhiberemus. Sic itaque legatos nostros tristes dimittens, et multis
C malè loquendi occasionem dans, sequenti (*a*) anno moriens, Cœlestinum habuit successorem : qui infra unius anni spatium defunctus, Gerardo Cancellario, qui Lucius dictus est, Apostolicam sedem dimisit. Eo quoque similiter infra annum defuncto, Eugenius succedit : qui primò Bernardus vocatus, in Cœnobio Clarevallensi Monachus fuerat, deinde ab Innocentio Papa in Monasterio S. Anastasiæ Abbas Romæ ordinatus fuerat. Hic ergo cùm ab omnibus nobis nunciaretur avidus pecuniæ non esse, per internuncios de negotio nostro edoctus est ; et quid exinde facere vellet requisitus, respondit se facturum quidquid Abbas Clarevallensis inde sibi per litteras mandasset. Cùm itaque dubii sermones inter nos pro hac causa renovarentur ; ecce subitò Theodericus Præpositus Ecclesiæ S. Mariæ infirmitate nimiâ gravatur, et Monachus factus in hoc Cœnobio moritur, ... sequenti * etiam anno, Electus noster Absalon Abbas sancti Amandi vitæ * An. 1146.
D terminum fecit. Sicque nobis ostensum est quòd nec ipse, nec Herbertus Morinensis Archidiaconus, a Deo prædestinatus fuit ut fieret Tornacensis Episcopus ; alii enim illud officium servabatur....

Cùm ergo isti defuncti fuissent, filius sororis Theoderici, nomine Letbertus, *Num.* 115. ei in Præpositura successit. Cujus instinctu, alius Letbertus cognomento Blondus, qui postea Cancellarius, deinde Præcentor S. Mariæ fuit, cum litteris Abbatis Clarevallensis Romam petit, Eugenio Papæ negotium Tornacensis Ecclesiæ pandit, utque tandem debito fine opus quod sibi Deus reservaverat, terminare et consummare studeat, suppliciter exposcit. Volente Papâ ei litteras dare, ut rursùm Tornacenses electionem Episcopi facerent ; respondit ille se nunquam hujusmodi litteras laturum : sed si Papa sibi consecratum manu suâ traderet Episcopum, cum ipso se reversurum, eumque a Tornacensibus cum honore
E debito suscipiendum. Quid multis morer? Instanti ejus petitione et constanti pertinaciâ flexus Papa, quærit ab eo quem velit in curia sua eligere : ille, ut sapiens juvenis, consilium suum in ore domini Papæ ponit. Convocat Papa Cardinales, et quid sibi super tanto negotio faciendum sit consulit. Venerat tunc fortè Romam Anselmus Abbas S. Vincentii Laudunensis, qui in Cœnobio S. Medardi Suessionensis Monachus factus fuerat. Hicergo illis diebus pro Ecclesiæ suæ necessitatibus Romam veniens, et in curia Papæ notissimus, primùm ab ipso Papa nominatur, statimque a Letberto et ejus sociis eligitur, et Papæ consecrandus præsentatur. Reluctatur et contradicit, dicens se validâ infirmitate detentum, et de morte potiùs quàm de Episcopatu sollicitum. Persistit Papa in sua sententia, et obedientiæ vinculo coactum, Dominicâ *Lætare Jerusalem* (*b*), solemniter consecrat,

(*a*) Innocentius Papa an. 1143 vitæ finem imposuit. (*b*) Dominicâ IV Quadragesimæ an. 1146.

Digitized by Google

et consecratum cum litterarum suarum auctoritate novum Pàstorem civibus Tor- A
nacensibus destinat, et eos ab obedientia Noviomensis Episcopi absolvit, utque semper habeant proprium Episcopum auctoritate privilegii sui promulgavit (*a*).

Num. 116. Regi verò Francorum Ludovico, qui etiam fuit Dux Aquitanorum, et qui ad admonitionem Eugenii Papæ ad expugnandos inimicos christianæ Religionis in Jerusalem expeditionem paravit, deprecatorias litteras idem Papa misit, alias quoque Comiti Flandrensium Theoderico, necnon et civibus Tornacensibus, in quibus exorabat ut Episcopum, quem ad honorem Dei et propter animarum salutem ordinaverat, omnes simul benignè concederent esse, et redditus Episcopatûs deinceps ei persolverent (*b*). Rex autem cum Comite et civibus, interveniente religioso viro Alvisio Attrebatensi Episcopo, paucis interpositis diebus, Papæ annuit petitioni: sicque novum Episcopum in sede Pontificali recepimus. Alias etiam litteras Episcopo Noviomensi legavit, in quibus eum exhortabatur B
ut patienter ferret Tornacenses proprium habere Episcopum, et ne vel per se, vel per subjectam sibi personam, ei aliquam molestiam inferre præsumeret. Metropolitano quoque Remensi et comprovincialibus Episcopis mandavit, quatinùs eum manutenerent et in omnibus juvarent, atque ab omni præsumptione Episcopum Noviomensem desistere monerent, et cum eo ad pacem concordarent. Sed idem Simon mitissimus homo erat, et malefactoribus mala retribuere nesciebat: unde factum est, ut neque verbo vel facto contra præceptum Papæ facere tentaret, quod etiam ad nobilitatem generis sui pertinebat.... Acta est consecratio domni Anselmi Episcopi Romæ, anno Incarnati Verbi Dei MCXLVI, quo anno fuit fames gravissima, ita ut Tornaci venderetur sextarius tritici LVI solidis....

Num. 117. * An. 1146. Eodem tempore * Eugenius Papa litteras exhortatorias in Galliam direxit, ad exhortandum strenuos quosque homines quatinùs Jerusalem, ad terram quam C
Christus suâ præsentiâ sanctificavit, pergerent, et fines illos qui a gentilibus conculcabantur defenderent, et ditioni Christianorum subderent. Cujus exhortatione animati, Ludovicus Rex Francorum et Dux Aquitanorum, Conradus quoque Romanorum Imperator et Rex Teutonicorum, junctis sibi nonnullis Principibus, cum multis legionibus Christianorum illuc properaverunt. Domnus etiam Herimannus, quondam Abbas noster, cum eisdem Principibus gloriosum Domini Jesu-Christi sepulcrum invisere multo ardore sitiens, anno Dominicæ Incarnationis, ni fallor, MCXLVII, Jerosolymam religioso cum apparatu ire perrexit. In itinere quid egerit, actum quid de eo sit, nihil certi habemus; alii enim pro Christi nomine et proximi dilectione martyrisatum, alii captivum abductum referunt.

Num. 118. Domno Anselmo defuncto et in Ecclesia S. Mariæ ante majus altare sepulto, D
Gerardus Abbas Villariensis ei successit, anno Dominicæ Incarnationis MCXLIX, cujus temporibus, domno Waltero Abbate nostro defuncto, atque a totâ processione S. Mariæ, et duobus Episcopis, Tornacensi scilicet et Laudunensi, honorificè ante altare S. Joannis Baptistæ sepulto, domnus Ivo ei successit, anno Dominicæ Incarnationis MCLX, Indictione VIII, Concurrente V, Epactâ XI.

(*a*) Eugenii ad Clerum populumque Tornacensem litteræ sic se habent. « Tornacensis Ecclesia in » proprii Pastoris absentia a longis retrò temporibus plurimùm laboravit: et sicut multorum religiosorum et discretorum virorum attestatione » cognovimus, tam animarum quàm corporum » damna plurima et gravia detrimenta sustinuit. » Audivimus enim multa millia hominum in eodem Episcopatu, qui Episcopum nunquam viderunt; sed quasi Episcopum non habentes absque illa sacri chrismatis unctione, quam fideles » contra Diaboli insidias pugnaturi per manus » Episcoporum suscipiunt, de præsenti sæculo » migraverunt. Unde nos officii nostri debito, et » multorum religiosorum de partibus vestris crebris exhortationibus provocati et caritatis zelo » succensi, tantis malis occurrere Domino auctore » decrevimus; atque fratrum nostrorum communicato consilio, dilectum filium nostrum Anselmum Abbatem S. Vincentii Laudunensis, Spiritûs sancti gratiâ invocatâ, vobis in Episcopum » consecravimus. Eumdem itaque cum gratia Sedis Apostolicæ et litterarum nostrarum prosecutione ad sedem propriam remittentes, per » Apostolica scripta universitatem vestram rogamus, monemus atque præcipimus, quatenùs » ipsum reverenter suscipiatis, diligatis et honoretis, eique tanquam proprio Pastori et animarum vestrarum Episcopo obedientiam ac reverentiam humiliter exhibeatis. Nos autem illos » qui occasione Episcopatûs Tornacensis fratri » nostro Simoni Noviomensi Episcopo sacramento » vel fidelitate seu obedientiâ adstricti sunt, ab » eadem fidelitate et juramento vel obedientiâ, » Apostolicâ auctoritate absolvimus: et ut præfato » fratri nostro Anselmo Episcopo eâdem fidelitate » et obedientiâ teneantur præcipimus. Si quis autem ei rebellis et inobediens esse præsumpserit, » sententiam quam idem frater noster Episcopus » in eum canonicè promulgaverit, nos auctore » Domino ratam habebimus. Data trans Tiberim » Idibus Martii ». (*Labbe, Concil. T. X. col.* 1085.)

(*b*) Litteras Pontificis ad Ludovicum, præcedentibus a Labbeo subjunctas, cùm nihil novi nos doceant, iisdemque momentis nitantur, prætermittendas duximus. Quas verò scripsit Eugenius ad Theodericum Flandriæ Comitem, eæ videntur interiisse.

Digitized by Google

EX GENEALOGIA (*a*) COMITUM FLANDRIÆ.

Apud Martenium T. III. Thesauri Anecdotorum, col. 380.

ROBERTUS denique cognomento Frisio, adversariis undique superatis, totius Flandriæ Monarches efficitur *, atque post innumeros bellorum triumphos, Roberto filio suo regni gubernacula tradens, moritur (*b*) et apud Casletum in Ecclesia S. Petri sepelitur. Robertus siquidem junior, paterni Principatûs hæres effectus, duxit Clementiam, filiam Willelmi nobilissimi Comitis Burgundionum, cognomento *Teste-hardie*, ex qua genuit Balduinum militem inclytum, et Willelmum qui intra adolescentiæ metas immaturâ morte (*c*) præventus, in Monasterio S. Bertini tumulatur. Comes itaque Robertus in expeditione Jerosolymitana laudabili militiâ enituit; et inde rediens brachium S. Gregorii secum detulit, quod Aquicinensi Ecclesiæ tradidit. Deinde Cameracum (*d*) urbem illo inquietante, Henricus Imperator contra eum proficiscitur; et expugnatis quibusdam castellis ejus, imminentis hyemis asperitate redire compellitur. Designatâ igitur regni Monarchiâ filio suo, defungitur * et apud Atrebatum sepelitur, eique successit Balduinus, inclytus militiâ et probitate non inferior. *Num.* 9. * An. 1071. * An. 1111.

Hic accepit uxorem [Agnetem seu Hawisiam] filiam Alani Comitis Britanniæ; sed inter eos consanguinitate probatâ, jussu Paschalis Papæ separati sunt : quæ consanguinitas a Conone Prænestino Episcopo in præsentia Papæ hoc modo recitata est. Constantia Francorum Regina et Ermengardis Comitissa Arvernensis sorores fuerunt. De Constantia nata est Adela, et de Ermengarde altera Ermengardis Comitissa [Carnotensis, conjux Odonis II]. De Adela Robertus Friso, et de Ermengarde Berta Comitissa [conjux Alani III Britanniæ Ducis]. De Roberto alter Robertus, et de Berta Havisis Nannetensis Comitissa. De Roberto juniore iste Balduinus, et de Havise Comes Alanus, [*Fergent*], de quo ista juvencula (*e*). *Num.* 10.

Igitur Balduinus, inclytus in diebus suis, potens super omnes Francorum Principes, bellis frequentibus ita nobiliter Flandrensium exaltavit regnum, ut vicinis suis tyrannis undique terrorem inferret, et Henricum Regem Anglorum Normanniâ expulisset, nisi infirmitas obstitisset. Nam collectâ exercituum multitudine, assumpto etiam secum Willelmo Roberti filio, quem Henricus Rex Angliæ captum tenebat, oppidum Rotomagense, in quo præfatus Rex latitabat, obsidione vallare disposuit, et eum comprehendere aut bello excipere, et a regno quod injustè invaserat, expellere. Qui cùm exercitum per Atrebatum duceret, ex occasione vulneris, quod paulò ante * a quodam Britone levi ictu in fronte acceperat, repentinâ infirmitate correptus, ægrotare cœpit; et a femore usque ad pedes paralysi perculsus, plenis novem mensibus in languore permansit. Cùmque a medicis curari non valuisset, ordinato omni regno Flandrensi, se Deo sanctoque commendavit Bertino : atque monachico habitu indutus, octavo Principatûs sui anno *, in villa Roslarensi Deo animam reddidit, et a Carolo ejus successore ad S. Bertinum delatus, astante universâ multitudine Procerum, in medio Ecclesiæ honorificè sepultus est. *Num.* 11. * An. 1118. * An. 1119.

Quo sine hærede defuncto, Carolus ei jure * hæreditatis successit. Erat enim *Num.* 12. * *Al.* propinquitatis.

(*a*) Genealogia Comitum Flandriæ, quam recudimus post Martenium, prodierat in lucem anno 1643 *in*-4°. curâ Georgii Galopini sub titulo *Flandriæ generosæ*, ac nuper studio Joan. Natalis *Paquot* tertiis curis edita est, Bruxellæ an. 1781, *in*-4°. Ejus non unus, sed tres saltem fuere auctores succenturiati, quorum primus circa an. 1164 scripsisse videtur, quippè de obitu Guillelmi Iprensis seu Loensis agens : *Multa*, inquit, *de facultatibus suis, ut ipsi vidimus, Ecclesiis et pauperibus largiens, apud Castrum suum quod dicitur* Lo, *plenus dierum hominem exuit*. Certè eo loci finalem clausulam scriptor apposuit, ultra quam codex Galopini neutiquam extendebatur. Sequens mantissa post Bovinense prælium addita est, tertia ad an. 1347 producitur. Totam scripturam repræsentat editio Martenii sola. Primam verò partem contulimus cum Flandria generosa Galopini, ab eo loco ubi desinit segmentum T. XI, p. 388 editum.

(*b*) An. 1093 Robertus Frisio *citâ morte et absque sacro viatico* sublatus est, ut tradunt Bertiniani, apud *Winendale*, quam arcem extruxisse dicitur.

(*c*) Anno 1109, ut scribit Iperius.

(*d*) Anno 1102, teste Sigeberto.

(*e*) Gradus consanguinitatis inter Balduinum et filiam Alani *Fergent* alio computat modo Ivo Carnotensis Episcopus epistolâ ad Cononem Legatum ineditâ : *Gaufridus*, inquit, *Grisagonella et Blanca Arelatensis Comitissa, frater et soror*, truncus. *Fulco* [Nerra] *Andegavensis et Constantia Regina*, primi. *Comitissa Wastinensis et Adela Flandrensis Comitissa*, secundi. *Fulco Richinus et Robertus Frisio*, tertii. *Comitissa Redonensis* [Ermengardis conjux Alani Ferganni] *et Robertus Frisonis filius*, quarti. *Filia Comitissæ Redonensis et Balduinus hujus Roberti filius*, quinti.

Digitized by Google

filius Chnutonis Regis Daciæ, ex [Adela] primogenita filia Roberti Frisonis et A
Gertrudis. Cùmque sublimatus esset in regno, Ecclesiam Sancti-Audomari ingressus, cum Principibus regni primam curiam tenuit, et eodem anno castrum S. Pauli, in quo Hugo perfidus, Campus-avenæ dictus, prædonesque multi latitabant, penitùs destruxit, fossamque circumfluentem impleri jussit; perversorum quoque munitiones undique viriliter delevit, et sibi regnum nobiliter subjugavit. Octavo igitur Principatûs sui anno, annoque Incarnati Verbi MCXXVII, apud *Bruges* in Quadragesima Missam audiens, infra Canonem orationi deditus (*a*), manum etiam cum eleemosyna pauperi porrigens, manu servorum suorum, coram altari, propter justitiam, occiditur. Cujus mortem portentuosa signa præcesserunt; nam in dungionum fossis abundantia sanguinis emanans, et a plerisque decoctus, intolerabilem de se fœtorem reddidit, sanguinem qui effusus est in morte Caroli vel in ipsius ultione prætendens, et fœtorem proditionis longè B
latèque expandens.

Num. 13. Quo occiso * Ludovicus Rex in Flandriam venit, et, licèt cum difficultate,
* An. 1127. successorem ejus Willelmum, filium Roberti Comitis Normannorum, quem Henricus Rex tum captum tenebat, Flandris præposuit, et proditores Caroli diversis tormentorum generibus, ut dignum erat, interemit. Deinde tot clades, tot incendia, tot bella, tot perturbationes adversùs Willelmum insurgunt, totque malis Flandria afficitur, ut tædeat dici aut scribi. Willelmus de *Lo*, filius Philippi, fratris Roberti junioris, elevabatur, dicens : *Ego regnabo.* Qui maximam partem populi sibi concilians, quædam castra suæ subdidit ditioni. Quo cognito, Rex cum Willelmo Comite Ypras obviam vadit, eumque captum (*b*) vinculis et carceri per aliquantum temporis mancipavit; sed postea ei prece suorum falsò reconciliatus, idem Willelmus Comiti sacramentum [fidelitatis] fecit, quod C
vix uno die servavit. Suscitavit adhuc ei Satanas et alterum adversarium, Arnoldum scilicet, nepotem Caroli ex sorore ejus primogenita; dicebat enim se esse jure propinquitatis regni hæredem : qui ab Audomarensibus susceptus, ex Monasterio S. Bertini sibi fecit munitionis castrum, unde rebellaret. Quo audito, Willelmus Comes cum suis eum obsedit, nonnullis nitentibus ignem apponere; sed Comite ne quis hoc præsumeret comminante, Arnoldum fugere coegit, et jus totius Flandriæ abjurare (*c*). Videntes igitur quidam Flandriæ Proceres consiliis Normannorum Comitem inniti, invidiâ ducti, vel pecuniâ Henrici Regis
* Alsatia. magis illecti, Theodericum filium Theoderici Ducis de *Ellesath* *, quem genuit ex [Gertrude] filia Roberti Frisonis, evocaverunt; eique faventes, multa mala constituerunt. Proditio namque, perjurium, infidelitas, fœderis prævaricatio a Flandris eo tempore æstimabatur prudentia. Quid tandem? post innumera ma- D
* Kakespol. lorum exercitia, cum valida armatorum manu, in campo qui dicitur * *Hackespol*, Willelmus et Theodericus ad prælium conveniunt, fugatoque Theoderico cum suis, Willelmo cessit victoria; sed in brevi victoriæ usus est lætitiâ. In castro
* Alost. namque *Alst* * dicto Theodericum obsidens, cùm jam immineret adversariorum
* An. 1128. deditio, vulneratur *. Quo vulnere morti contiguus, Monachus efficitur, et
* S. Bertin. in *Sithiu* * deportatus, ad caput Balduini Comitis tumulatur.

Num. 14. Theodericus verò, multis ei resistentibus, totius Flandriæ Monarches appellatur, ad gubernandum moribus agrestis, utpotè his nunquam assuetus (*d*). Nam tacitis his quæ in diversis locis, diversis temporibus, a diversis hostibus ingruebant malis, Willelmus de *Lo* ex castro dicto *Sclus* (*e*) resistens, homicidiis, incendiis, rapinis, Ecclesiarum ac villarum spoliationibus, adversùs illum est debacchatus. Interea Clementia, soror Calixti Papæ, Roberti junioris vidua, quæ E
* An. 1129. eatenùs penè tertiam partem Flandriæ dotis loco tenuerat, defuncta *, quæcumque tenuit, Comiti reliquit : quæ adhuc vivens, duas Ecclesias Sanctimonialium ædificavit, in *Brucborg* et apud *Avednes*. Comitissa etiam (*f*) Suanechildis, pro cujus consanguinitatis cognatione plurima fiebant mala, obiit, unicam tantùm habens
* *Al.* Laurentiam. filiam, nomine Lauretam *, ex Theoderico Comite. Hanc Dux de *Lemburg*

(*a*) Cod. Galop. addit, *et psalmum quinquagesimum decantans.*

(*b*) *Sexto Kal. Maii.* an. 1127, ut tradit Galbertus.

(*c*) *Duodecimo Kal. Aprilis* an. 1128, ex eod. Galberto.

(*d*) Apud Galop. sic : *Ad gubernandum agrestes mores, utpotè his nunquam assuetus, valdè impar.*

(*e*) Apud eumdem *Sluys*, Gal. l'*Ecluse*.

(*f*) Sunt quibus Suanechildis ipsa est Sibylla conjux secunda; nam prior, ut ipsis placet, erat Margareta, Reginaldi Claromontani Comitis filia, nupta priùs Comiti Carolo Bono. Sed eos erroris hìc revincit Auctor noster anonymus.

Digitized by Google

A [Henricus] accepit uxorem (*a*); sed quia consanguinei esse dicebantur, separati sunt. Deinde sortitus est eam Iwanus de *Alst* in conjugium, genuitque ex ea filium, nomine Theodericum. Defuncto verò Iwano, nupsit Radulfo Comiti Peronensi, et illo mortuo, Comiti [Henrico] de *Namur*. Theodericus verò Comes duxit filiam Comitis Hierosolymorum, nomine Sibyllam, ex qua liberos utriusque sexûs suscepit.

Willelmus ergo de *Lo* Comiti quasi trabes in oculo gravis et odiosus, capto supradicto castro, id est *Sclus*, de Flandria expellitur, et ad Regem Anglorum se contulit Stephanum, a quo honorificè, ut tantæ nobilitatis virum decuit, susceptus atque detentus est. Willelmus ergo degens in civitate regali, tantâ probitate militaris disciplinæ enituit, ut regiæ majestati carus foret et acceptus. Nec immeritò; quippè qui eumdem Regem ab omni æmulorum incursu strenuis-
B simè tuebatur. Accidit namque ut Comes Claudiocestrum * Robertus, filius Henrici Regis ex concubina, contra Stephanum Regem arma sumeret, et eum (*b*) vitâ et regno privare disponeret. Quid multa? conserto inter eos prælio, Comes Regem cepit, et custodiæ tradidit *. Quo agnito, Willelmus, assumptis secum commilitonibus, Robertum ad arma provocans circumvenit, captumque diligentiùs custodire fecit. Deinde intercurrentibus Principibus et Optimatibus regni, altero pro altero restituto, uterque suis redditur. Rex verò, non immemor beneficiorum, liberatori suo totam provinciam quæ Cantia dicitur, possidendam concessit, et inter primos regni, dum vixit, honoravit. Inter hæc, dum toti Angliæ timori esset ac terrori, Dei providentiâ disponente, quæ flagellat ut erudiat, lumine oculorum caruit; sed vigorem animi non amisit. Sicque gratiâ Dei cor ejus irradiante, quæ circa se agerentur perpendens et suæ saluti in pos-
C terum providens, thesaurorum suorum gazas reseravit, Christique pauperibus atque Ecclesiarum restaurationibus multa delegavit (*c*). Non post multùm verò temporis, Stephano Rege decedente *, Henricus junior (*d*) successit: qui initio regni sui, Flandrenses ita exosos habuit, ut castella et munitiones eorum funditùs everteret, possessionibus privaret, ac cum ipso Willelmo ab Anglia eliminaret. Magnanimus Willelmus, Princeps olim bellicosus, postquam in Flandriam, id est, patrium solum venit, quietè decem circiter vixit annos; multaque de facultatibus suis (ut ipsi vidimus) Ecclesiis ac pauperibus largiens, apud castrum suum quod dicitur *Lo*, plenus dierum hominem exuit, ibique in Ecclesia B. Petri Apostolorum Principis, VIII Kal. Februarii *, honorificè sepultus est. Cujus anima paradisi queat possidere gaudia, Amen. His de Willelmo Loensi interpositis, ad genealogiam Flandrensium Comitum revertamur.

* *Glocestre.*

* An. 1141.

* An. 1154.

* An. 1164.

Theodericus (*e*) itaque ex uxore sua Sibylla suscepit filios, Balduinum, Phi- *Num.* 15

(*a*) Hæc longè aliter apud Galop. *Hanc Dux de Lovanio, Henricus nomine, accepit uxorem,* (falsum) *qui juvenis obiit absque hærede. Deinde sortitus est eam Ivanus de* Alst *in conjugium: quo defuncto, nupsit Henrico de* Lembourg; *sed quia consanguinei erant, separati sunt. Præterea nupsit Radulpho,* etc.

(*b*) Galop. *aut vitá aut regno.*

(*c*) Apud Galop. hìc caput integrum additur, quod est 35. « Per idem tempus, anno videlicet » Verbi Incarnati MCLII, contigit in villa S. Audomari quædam Ecclesiarum ac domorum lamentabilis conflagratio, in qua etiam Ecclesiam S. Bertini cum omnibus officinis vorax » flamma consumpsit. Unde Leonius, bonæ memoriæ, tunc temporis Abbas, tam gravi excidio » vehementer afflictus, Willelmum [*de Lo*] adhuc » toti Angliæ imperantem adiit, eique lamentabili voce rei ordinem pandit. Quo audito, Willelmus super tam venerabilis loci desolatione » valdè indoluit; et pietatis arcam reserans, ad » restaurationem Cœnobii, aurum, argentum, » ac lignorum copiam, Abbate disponente, magnificè ministravit. Cujus memoria apud ejusdem » Cœnobii habitatores in æternum permanet ».

(*d*) Ibid. *filius* [Mathildis] *filiæ majoris Henrici.*

(*e*) Hactenùs concordant inter se Galopini Marteniique editiones. De his quæ sequuntur pauca admodùm habet Galopinus, eaque compendiosè reddita: quæ cùm ipsius fortè innitantur exemplari, hìc subjicimus.

« Sed ut genealogiæ seriem prosequamur, Theo» dericus Elsatius Flandriæ, ut dictum est, Co» mes, visitatis quartò sacris Jerosolymorum lo» cis, tandem Gravelingis etiam diem extremum » clausit, et in Watenensi Canonicorum Regula» rium diœcesis Audomarensis Cœnobio condi» tus est, hoc elogio superscripto: *Hìc jacet se» pultus dominus Theodericus de Elsatia Comes Flan» driæ, qui quatuor vicibus Terram sanctam visitavit;* » *et inde rediens, sanguinem Domini nostri Jesu Christi* » *detulit, et villæ Brugensi tradidit: et postquam Flan» driam annos quadraginta strenuè rexerat, apud Gra» velingas obiit, anno Domini* MCLXVIII.

» Philippus Elsatius, Veromandensis jure uxorio » Comes, patre Theoderico mortuo, Flandriæ » Comitatum possedit. Hic post varia certamina » cum Philippo Rege Franciæ habita, ad iter » Terræ Sanctæ se accinxit. Inde rediens, nullâ » prole relictâ, in Syria mortuus est. Cujus cor» pus uxor Mathildis in Claravalle cum honore » sepelivit.

» Philippo e vivis sublato, Balduinus magnani» mus Hannoniæ Comes, uxorio etiam jure Flan» driæ Comitatum hæreditavit. Margareta namque » Philippi soror, et inter filias Theoderici pri» mogenita, Balduino Comiti Hannoniæ nupse» rat. Hoc verò Balduino defuncto, Balduinus » ejus filius primogenitus Hannoniæ pariter et » Flandriæ Comes factus est; et anno MCC cum » uxore Maria, sorore Theobaldi Campaniæ Co» mitis, Brugis in capite Quadragesimæ crucem » assumpsit; annoque tertio supra millesimum » ducentesimum, cruce jam signatus in subsidium » Terræ Sanctæ Venitias versùs, inde in Syriam,

Digitized by Google

lippum, Matthæum et Petrum; filias verò, Gertrudem et Margaretam (*a*). Bal- A
duinus igitur primogenitus, qui regni hæres esse debebat, in annis puerilibus obiit. Post quem major natu Philippus jura regiminis sub patre suscepit, filiamque Radulphi Comitis Viromandiæ, Elisabeth nomine, in uxorem duxit. De Philippo mirabilis res, ut mihi videtur, futuræ probitatis index fertur, quòd tertio generationis suæ die, cunctis qui aderant audientibus, *Evacuate mihi domum*, terribiliter clamaverit. Matthæus verò, decore corporis et virtute militari vir laudabilis, quia Principatus Flandriæ in jus senioris fratris, ut mos est, cesserat, cogente patre, Mariam filiam Stephani Regis Angliæ uxorem sibi associat. Hæc a pueritia habitu religionis initiata, cùm sola Comitatûs Boloniensis hæres superesset, a claustris educta, et assensu Papæ (*b*) Matthæo ad subrogandos paternæ hæreditati legitimos hæredes matrimonio est conjuncta. De qua cùm duas filias Matthæus genuisset, Sanctimonialem claustris restituens, duxit iterùm uxorem B
[Eleonoram] sororem Flandrensis Comitissæ, de qua dicitur liberos habuisse, sed omnes infra pueritiam defunctos fuisse. Ultimus filiorum Petrus Clericus effectus, providentiâ fratris in Cameracensem Electum est promotus. Filiarum quoque Gertrudis primogenita nupsit primò [Humberto III] Comiti de Moriana; a quo
* *Messines.* separata, nupsit iterùm Hugoni de *Oisi* : ab hoc quoque sejuncta, Mencinis * Sanctimonialis est effecta. Margarita quoque nupsit Radulfo [Viromandensi] filio prædicti Comitis Radulfi : quo leproso facto, et antequam eam more uxores ducentium cognovisset, mortuo, nupsit iterùm Balduino Haynoensi Comiti, de quo fœcundam satis utriusque sexûs progeniem propagavit. Interea Theodericus Comes apud Novum oppidum, quod juxta *Broburg* supra mare est situm, viam universæ carnis ingressus (*c*), Wathenis officiosissimis exequiis est sepultus.

Num. 16. Philippus itaque, moderamina Comitatûs sui liberè disponens, sapientiâ et C
tenore justitiæ omnibus prædecessoribus suis meritò præferendus, homicidia, furta, et cætera innumerabilia maleficia, quibus in alterutrum Flandrenses debacchabantur, compescuit; et non solùm Flandriam pacificè gubernavit, sed etiam omnes adjacentes provincias, exemplo suo, ad bonum pacis provocavit. Sed quia in humanis rebus stabilis prosperitas esse non potest, lætos successus tristis eventus perturbat.... Philippus enim tum propriâ industriâ, tum fratris sui Matthæi auxilio confidens, dum de rebus bellicis strenua ageret, omnem Normanniam subjugasset, nisi quodam obstante infortunio a bellorum proposito destitisset. In obsidione quippè cujusdam castelli Matthæus lethaliter vulneratus, mortuus est (*d*), et in finibus Comitatûs sui apud S. Judocum sepultus. Quæ mors immatura nimis, omnibus Flandrensibus facta est lamentabilis. A Matthæo quippè hæres Flandriæ expectabatur; nam a Philippo, cujus uxor erat sterilis, D
omnis posteritas desperabatur. Philippus igitur, jam tunc spe successionis frustratus, fratrem suum Cameracensem Electum a Clericatu amovens, militem facit, Comitissamque de *Nevers* (Mathildem) ei matrimonio jungit : ex qua cùm unam Petrus genuisset filiam, veneno, ut dicitur, interiit.

Interea Philippus, filius Ludovici Regis Franciæ, coronatur in Regem in civitate Remensi, anno Domini MCLXXIX, Kal. Novembris, præsentibus cunctis Proceribus regni : ubi affuit Comes Philippus, et præ aliis Principibus gloriosus apparuit, ferens gladium coram Rege, qui ferri debet a nobiliori Principe regni.
* *An.* 1180. Non multis post interjectis diebus *, contigit ut Rex Philippus peteret a Comite in uxorem dari sibi neptem ejus [Elisabetham], filiam sororis ipsius, videlicet Margaretæ Hainonensis Comitissæ. Quo audito, Comes gavisus est valdè, quia multùm sibi accedere sentiebat honoris, si Regina fieret, et Regina Franciæ, E
neptis sua. Dedit igitur eam Regi, eique concessit in dotem, habendum post suum decessum, quidquid terræ ac juris habebat ipse ultra magnum fossatum.

» ac postea Constantinopolim profectus est. Ubi » post varios contra Græcos habitos conflictus, » Imperator CPus est electus, anno Domini MCCV; » sed non multò post tempore vitam finivit, ei- » que Henricus frater, Flandriæ et Hannoniæ » Comes, in imperio successit ».

(*a*) Adde Mathildem, Fontis-Ebraldi Abbatissam, et e concubina Gerardum, hominem ecclesiastico censu probè saginatum, ut qui Bergensis, Audomarensis, Furnensis et Insulanus Præpositus fuerit. *Paquot.*

(*b*) Cum Maria nuptias Matthæus adeò non contraxit assensu Papæ, ut ambos ex Anglia, celebrato matrimonio, Bononiam reversos anathemate confixerint Archiepiscopus Remensis ac Teruanensis Episcopus. Verum quidem est Papam deinceps mitigatum, postquam pœnitentiâ ducta Monasterium repetiit Maria, natis ex illicito connubio filiabus ingenuitatis jus indulsisse.

(*c*) In margine aliâ manu additur : *Anno Domini* MCLXVII (veteri computandi modo) XVI *Kal. Februarii, qui annis* XL *regnavit.*

(*d*) An. 1173 die festo S. Jacobi, 25 die Julii, ex Radulfo de Diceto, Matthæus neci occubuit.

Digitized by Google

A Non multùm post, oritur dissidium inter Regem Franciæ et Comitem Flandriæ. Quo durante, moritur Elisabeth Comitissa, et honorificè sepelitur Atrebati, in Ecclesia B. Mariæ, anno Domini MCLXXXII. *Num.* 17.

GENEALOGIA COMITUM FLANDRIÆ,

ET QUORUMDAM ALIORUM MAGNATUM.

Ex Philippi Augusti (a) *Cartulario seu Regesto Ms.*

B PHILIPPUS pater Grossi Regis duxit in uxorem Bertam, filiam Balduini * Comitis Hollandiæ, sororem Roberti Jerosolymitani Comitis Flandriæ, de qua genuit Ludovicum Regem et Constantiam, Antiochiæ Principis uxorem Boenmundi. Idem Philippus postea repudiavit eamdem Bertam, et abstulit Fulconi Richin Andegavensi Comiti uxorem suam nomine Bertrandam, de qua genuit Philippum et Florum et [Ceciliam] Comitissam Tripolitanam. Ludovicus filius ejus coronatus fuit * apud Aurelianum a Dainberto Senonensi Archiepiscopo et ejus suffraganeis. Carolus Comes Flandriæ de amita Regis Ludovici Danorum Regis filius, jure sanguinitatis successit * Comiti Balduino Flandriæ, Jerosolymitani Roberti filio. Idem Carolus occisus fuit apud *Bruges*.

* *Corr.* Florentii.

* An. 1108.

* An. 1119.

Comes [Viromandensis] Herbertus genuit Odonem et Adelam sororem. Odo fuit fatuus et indiscretus. Barones Viromandunenses rogaverunt Regem ut Adelam daret Hugoni *le Magne* fratri ejusdem Regis, quod factum est. Prædictus C verò Hugo dedit in uxorem filiam cujusdam Militis Viromandiæ prædicto Odoni fatuo. De Odone Fatuo et ejus uxore exivit Odo Ferrarius, qui fuit pater Johannis de Sancto Simone, qui adhuc vivit (*b*).

De prædicto Comite Hugone et prædicta Adela uxore sua exivit Comes Radulphus, Simon Noviomensis Episcopus, dominus Henricus de *Chaumont*, et quatuor filiæ, de quibus quidam Marchio Lumbardiæ [Bonifacius] unam habuit; secundam [Mathildem] dominus Baugenciaci [Radulfus]; tertiam [Elisabeth] Comes Mellenti [Robertus]; quartam (*c*) Comes Garentiæ [Guillelmus II]. Hugone autem Comite mortuo, Comes de Claromonte [Rainaldus] duxit Adelam Comitissam in uxorem, et ex ea unam filiam [Margaretam] habuit. Comes siquidem Carolus Flandriæ cum illa filia matrimonium contraxit. Defuncto autem Carolo, Hugo *Champdavenne* relictam ipsius Caroli in uxorem ac- D cepit, qui fuit Comes S. Pauli, et ex eis exierunt Radulphus *Champdavenne* et Guido; et post decessum Hugonis Comitis S. Pauli, dominus Balduinus de Encra (*d*) relictam ipsius Hugonis accepit in uxorem, et ex eis exivit mater domini Galteri de Helli.

Comes Hugo *le Maine* habuit duos filios, Comitem Radulphum Viromanduensem primogenitum, et Comitem Henricum et quatuor filias; primogenitam habuit dominus de Baugenciaco, secundam habuit Bonifacius Marquisius Italiæ, tertiam Comes de *Warennes*, quartam Comes de Mellento. De domina de Baugenciaco primogenita exivit domina Agnes, uxor domini Ingelranni de Cociaco, mater domini Radulphi de Cociaco; et de eodem Radulpho Ingelrannus de Cociaco, nunc vivens. Item de Comite Hugone *le Maine* exivit vetus Comes Radulphus, pater Elisabeth Comitissæ Flandriæ, et Lienordis Comitissæ Viroman- E densis, sororis ejusdem Elisabeth. Item Comitissa Ada (*e*) fuit uxor Hugonis *le Maine* Comitis, et mater supradicti Radulphi. Eadem Comitissa Ada habuit quemdam fratrem Odonem cognomine Fatuus; ab eodem Odone exivit alius Odo Ferrarius, et de Odone filio exivit Johannes de S. Simone. Item a Comitissa Ada uxore prædicti Hugonis *le Maine*, et de eodem Hugone exivit Comes Radulphus Viromandensis, et de ipso Comite Radulpho exierunt Elisabeth Comitissa Flandriæ uxor Philippi Comitis, et Lienordis Comitissa Viromandensis, et Comes Radulphus Leprosus.

(*a*) Exstat in Bibliotheca Regia nº 9852. A. *fol.* 1. vº, et in Cartophylacio Regio nº 34 *bis*. parte 2. *fol.* 1. vº.

(*b*) Vivebat Johannes annis 1188, 1191, 1195.

(*c*) Ipsam Elisabeth, Roberto Mellentensi Comite viduatam, in conjugium accepit Guillelmus de Warenna, Surrei in Anglia Comes; teste Guillelmo Gemmet. Vide T. XII, p. 584. d.

(*d*) Alii Margaretam Theodorico de Alsatia Comiti Flandrensi tertiis nuptiis conjunctam fuisse volunt, idque perperam.

(*e*) Dicta superiùs *Adela*, aliisque *Adelada*.

Digitized by Google

Comes Radulphus senex — Mathildis domina Baugenciaci. *Fratres.* A
Lienordis — Lancelinus, Joannes de Baugenciaco. *Consanguinei germani.*

Ada Comitissa — Odo Fatuus. *Fratres.*
Radulphus senex — Odo Ferrarius. *Consanguinei germani.*
Lienordis — Johannes de Sancto Simone. *Consanguinei remoti.*

Balduinus Pius Comes Flandriæ duxit Adelam filiam Roberti Regis Franciæ, ex qua suscepit [Balduinum] Montensem et Robertum Frisonem, et Mathildem filiam, quæ nupsit Willelmo Comiti Normanniæ, qui Angliam acquisivit: ex qua genuit Willelmum Regem Angliæ, et Robertum Comitem Normanniæ. Balduinus Montensis primogenitus duxit in uxorem Richeldem Comitissam Hainoniæ, ut per illam posset habere Comitatum. Idem Balduinus ex ea genuit Arnulphum et Balduinum. B

Item Robertus Friso, frater Balduini Montensis, duxit in uxorem Gertrudem uxorem quondam Florentii relictam Comitis Frisiæ, ex quo susceperat filiam Bertam, quam habuit Rex Franciæ. Robertus verò Friso ex ea genuit Robertum et Philippum, et tres filias, quarum quædam Adela nupsit Canuto Regi Dacorum, de qua idem Canutus genuit Karolum qui fuit Comes Flandriæ, et occisus apud *Bruges*. Alteram [Gertrudem] duxit Theodoricus Comes Esselatensis, ex qua genuit Theodoricum patrem Philippi Comitis Flandriæ, et Margaretæ (*a*) Comitissæ Hainoniæ. Robertus itaque Friso post mortem Balduini fratris sui, constituto Rege Franciæ Philippo subtùs Casletum *, et Comite Arnulpho nepote suo in eodem bello occiso, totius Flandriæ Monarca est effectus. Quo scilicet Roberto Frisone mortuo atque sepulto apud Casletum, successit ei Robertus junior filius ejus, qui genuit Balduinum cognomento Inclytum; eodemque Balduino C
sine hærede defuncto * successit ei jure propinquitatis Carolus filius prædicti Regis
Canuti Daciæ, ex filia primogenita Roberti Frisonis et Gertrudis. Quo occiso * apud *Bruges*, sicut dictum est, successit ei Willelmus Comes Normanniæ, per
violentiam VI Ludovici Regis Franciæ substitutus. Quo a Flandris dejecto *, advocaverunt Theodericum filium Theoderici Comitis de *Auxois*, ex altera filia Roberti Frisonis et Gertrudis, et fecerunt eum Comitem. Theodericus iste duxit Sibyllam filiam [Fulconis] Regis Jerosolymitani, ex qua genuit Balduinum qui in annis puerilibus obiit, et Philippum et Matthæum et Petrum, et filias Ger-
trudem et Margaretam. Mortuo Theoderico *, successit ei Philippus filius ejus, qui duxit Elisabeth filiam Comitis Viromandensis. Matthæus verò duxit filiam Stephani Regis Angliæ [Mariam]. Margareta verò nupsit Balduino Comiti Hainoniæ. Petrus verò qui fuit Episcopus Cameracensis, a Clericatu amotus D
duxit [Mathildem] Comitissam Nivernensem, ex qua genuit filiam.

* An. 1071.
* An. 1119.
* An. 1127.
* An. 1128.
* An. 1168.

Daci dicunt quòd Kanutus ille Rex Daciæ, qui habuit filiam Balduini * Comitis Flandriæ, mortuus fuit sine hærede, et successit ei in regnum Ericus frater ejus, qui quidem Ericus genuit Canutum. Idem Canutus genuit Aldemarum, patrem istius Isemberti.

* *Corr.* Roberti.

Philippus Rex Francorum accepit in uxorem Bertam sororem Roberti Jerosolymitani ex parte matris, Comitis Flandriæ, filii Roberti Frisonis, ex qua genuit Ludovicum Regem Grossum. Idem verò Ludovicus accepit in uxorem [Adelaïdem] filiam Humberti Comitis Moriennæ, ex qua genuit septem filios, Philippum, Ludovicum, Robertum, Henricum, Philippum, Petrum, et filiam unam nomine Constantiam, quam habuit Raymundus S. Ægidii, ex qua suscepit Comitem Raymundum. E

Philippus Rex Franciæ duxit in uxorem Bertam filiastram Roberti Frisonis, qui ideò cognominatus est Friso, quia Comitatus Frisiæ remansit ei, qui pertinebat ei ex uxore sua; nam idem Robertus dedit filiastram suam Philippo Regi Franciæ, ut ei remaneret Comitatus. Balduinus cum Barba (*b*) vel Pius cognomine, Comes Flandriæ, fuit pater Balduini et Roberti Frisonis. Iste Balduinus duxit in uxorem Richildem Comitissam Hainoniæ, ex qua Arnulphum genuit et

(*a*) Nulla inter filias Roberti Frisonis occurrit Margareta, e Comitibus Hannoniensibus alicui nupta, sed nec inter neptes ex Gertrude. Quæ verò facta est Hannoniensis Comitissa, nomine Margareta, ea proneptis erat Roberti Frisonis, nata Theoderico Flandriæ Comite et Sibylla Andegavensi, uti paulò infra legitur.

(*b*) Balduinum Barbatum perperam confundit genealogiæ hujus auctor cum Balduino Pio, Balduini Boni seu Montensis et Roberti Frisonis patre.

Balduinum.

Digitized by Google

A Balduinum. Decessit autem ante mortem patris sui Balduini, Balduinus Comes Hannoniæ (*a*); et successit ei Arnulfus filius ejus primogenitus. Obeunte autem Balduino cum Barba * Comite Flandriæ, cùm Arnulfus Comes (*b*) Hannoniæ, nepos prædicti Balduini cum Barba ex primogenito filio suo Balduino, deberet ei succedere in Comitatu Flandriæ; Robertus Frisio, adjuncto exercitu Romanorum et Alemannorum, fugato Rege Franciæ Philippo qui impendebat auxilium eidem Arnulfo, illo Arnulfo occiso * in prælio, Comitatum Flandriæ tenuit usque ad obitum suum. Idem Robertus Frisio genuit duos filios, Robertum et Philippum, qui Robertus dictus fuit Jerosolymitanus, quia interfuit cùm Jerusalem caperetur. Iste Robertus Jerosolymitanus genuit Balduinum, qui mortuus fuit * de vulnere quod habuit in quadam expeditione apud Aucum castrum Normanniæ: cui successit Karolus cognatus ejus, filius Regis Daciæ. Quo per traditionem B occiso * apud *Bruges*, successit ei Willelmus filius Roberti Ducis Normanniæ; sed parvo tempore supervixit, quia letaliter vulneratus fuit * in assultu cujusdam oppidi, et sepultus fuit apud S. Bertinum. Cui successit Terricus de *Auxois* * cognatus præcedentium Comitum.

* *Corr.* Pio.

* An. 1071.

* An. 1119.

* An. 1127.

* An. 1128.

* Theodericus de Alsatia.

(*a*) Obiit Balduinus Pius anno 1067, die 3 Septembris, filius verò ejus Balduinus de Montibus anno 1070, die 17 Julii.

(*b*) Arnulfus Comes Hannoniæ non fuit.

BREVIS FLANDRIÆ COMITUM GENEALOGIA.

Ex Ms. Cod. Cisterc. (a) *descripta an.* 1660, *a D. Jacobo de Lannoy.*

C Anno ab Incarnatione Domini DCCXCIII, XXIV anno regni Karoli Magni Regis Francorum, principabatur in Flandria Lidricus, qui genuit Ingelrannum; Ingelrannus Odacrum; Odacrus Balduinum Ferreum, qui duxit uxorem Judith filiam Caroli Calvi Regis Francorum, illâ illum sequente. Balduinus Ferreus genuit Balduinum Calvum, qui duxit Heldradam * filiam Otgeri * Regis Anglorum. Balduinus Calvus genuit Arnulphum Magnum, restauratorem Blandiniensis Cœnobii, qui duxit Adelam filiam Herberti Comitis Viromandorum. Hic Arnulphus acquisivit Atrebatum anno ab Incarnatione Domini DCCCCXXXII.

* *sive* Elstrudem.

* Alfredi.

Arnulphus Magnus genuit Balduinum, qui morbo variolæ ante obitum patris obiit, et apud S. Bertinum sepultus est; hic duxit Mathildem filiam Herimanni Ducis Saxoniæ, ex qua genuit Arnulphum Barbatum. Iste duxit uxorem Susannam filiam Berengeri Regis Longobardorum, ex qua genuit Balduinum Barbatum, qui duxit Ogivam filiam Gisleberti Comitis *. Balduinus Barbatus genuit Balduinum Insulanum, qui duxit uxorem Adelam filiam Roberti Regis Francorum.

* Lucemburgensis.

D Balduinus Insulanus genuit Balduinum Hannoniensem et Robertum Barbatum *. Balduinus Hannoniensis genuit Arnulphum et Balduinum ex Richilde. Post mortem Balduini Hannoniensis Comes fuit Arnulphus filius ejus, quem occidit Robertus patruus ejus, facto bello apud Cassellum *, licèt Philippus Rex Francorum partibus Arnulphi faverit, et expulit Balduinum fratrem ejus cum matre. Iste duxit uxorem Gertrudem viduam, quæ fuerat uxor Florentii Comitis de Hollandia, de qua genuit Robertum et Philippum. Post aliquot annos ivit in

* *sive* Fresonem.

* An. 1071.

(*a*) Eamdem genealogiam, seu potiùs partem ejus præcipuam, ex antiquiori codice S. Vedasti Atrebatensis, cujus caracter ad 600 et ampliùs annos accedit, Martenius noster eruit: quam inter schedas ejus repertam et non nihil ab alia discrepantem hìc subjicimus. « Hildricus Herlebacensis » Comes genuit Ingelrannum. Ingelrannus genuit » Audacrum; Audacer genuit Balduinum Ferreum, » qui duxit filiam Caroli Calvi, nomine Judith. » Balduinus verò Ferreus genuit Balduinum Calvum, qui duxit filiam Edgeri Regis Anglorum, » nomine Elferadem. Balduinus Calvus genuit » Arnulfum Magnum, restauratorem Gandensis » Cœnobii, qui duxit filiam Herberti Comitis » Virmandorum, Adelam. Arnulphus Magnus genuit Balduinum, qui juvenis morbo variolæ » obiit, et apud S. Bertinum sepultus est. Hic » duxerat filiam Hermanni Ducis Saxonum Mathildem, ex qua genuit Arnulphum. Mathildis » vidua relicta, nupsit Godefrido Duci de *Enham*, » ex quo suscepit tres filios; Gocelonem Ducem, » Godefridum et Hescelonem. Arnulphus filius » ejus ex priori marito Balduino, duxit filiam » Regis Longobardorum Razelam, quæ et Susanna, » ex qua suscepit Balduinum Barbatum. Balduinus » Barbatus duxit filiam Gisleberti Comitis de *Lizenlenborg* Otgivam, ex qua suscepit Insulanum » Balduinum, qui duxit filiam Roberti Regis » Francorum Adelam. Balduinus Insulanus genuit » Balduinum, qui duxit viduam Hermanni Comitis Montensis Richildem, ex qua genuit Balduinum et Arnulphum. Horum patruus Robertus » duxit filiam Bernardi Saxonum Comitis Gertrudem, viduam Florentii Comitis Fresonum, » et cum ea ejus tenuit regnum. Hic, acceptâ a » patre suo pecuniâ maximâ, sacramento Flandriam abdicavit, quam jure hæreditario fratri » suo Balduino ejusque successoribus concessit. In » vita enim fratris Robertus siluit; sed post ejus » obitum, traditorum auxilio, Arnulphum nepotem suum Comitem Flandriæ apud *Chasel* interfecit, regnumque ejus dolo obtinuit. De » præfata enim vidua Gertrude Philippum et Robertum Comitem genuit. Robertus verò duxit » Clementiam, filiam Willelmi Ducis (*rectiùs* Comitis) Burgundiæ, ex qua genuit Willelmum et » Balduinum Comitem. Balduinus autem duxit » filiam Alani Fergani, Comitis Britanniæ ».

Digitized by Google

Jerusalem, unde post duos annos reversus, et paucis annis quietam vitam ducens, A
* An. 1093. obiit * apud Cassellum, et in Ecclesia beati Petri, quam ipse ædificaverat, sepultus est. Cui successit Robertus filius ejus, qui duxit uxorem Clementiam filiam Willelmi Comitis Burgundiæ, de qua genuit Balduinum et Willelmum.
* An. 1111. Roberto autem in Francia apud Meldam defuncto *, et Attrebati sepulto, Balduinus filius ejus suscepit Comitatum Flandriæ, Willelmo fratre suo jam defuncto.
* An. 1119. Balduino sine filiis mortuo * et apud S. Bertinum sepulto succedit Karolus filius amitæ ejus et Canuti Regis Danorum. Quo sine filiis a suis apud Brugias interfecto, anno Domini MCXXVII, successit Willelmus per biennium, cujus pater fuit Robertus, qui fuit filius Willelmi Nothi Ducis Normannorum et Regis Anglorum, qui duxerat Mathildem germanam Roberti Frisionis, avique Balduini.
* An. 1128. Isto quoque sine liberis interempto * apud castrum quod dicitur *Alost*, Theodericus filius Comitis Alsatiæ ex amita Balduini, Comitatum suscepit. B

Tres itaque filias et unam germanam (*a*) habuit Robertus Comes cognomento Frisio, quarum prima [Adela] nupsit Kanuto Regi Danorum, quam postea habuit Rogerus Dux Apuliæ; secunda (*b*) Philippo Regi Francorum, de qua genuit Ludovicum Regem; tertia [Gertrudis] Theoderico Comiti Alsatiæ, de qua genitus est Comes Flandriæ Theodericus, qui duxit Sibyllam filiam Fulconis Comitis Andegavensis, qui postea Rex Jerusalem claruit; et genuit ex ea quatuor filios Balduinum, Philippum, Matthæum et Petrum. Balduino autem in pueritia mortuo, accepit Comitatum Flandriæ Philippus, Comitatum Boloniæ Matthæus,
* An. 1191. Præposituram Brugensem et Audomarensem Petrus. Philippo sine liberis mortuo *, successit nepos ejus ex sorore [Margareta] Balduinus Comes de Hannonia, qui postea fuit Imperator Constantinopolitanus. Iste moriens reliquit duas filias, Joannam et Margaretam, quarum prima succedens in Comitatu pro patre suo, C
nupsit Ferrando nepoti Regis Portus-gallorum ex filia: qui conspiratione factâ cum Othone Imperatore et Joanne Rege Angliæ, et Reginaldo Comite Boloniæ, pugnavit contra dominum suum Philippum Regem Francorum, in quo
* An. 1214. bello ipse Ferrandus victus et captus est * cum Comite Boloniæ Reginaldo. Isto mortuo, nupsit iterùm prædicta Joanna Thomæ fratri Comitis Sabaudiæ. Istâ
* An. 1244. defunctâ * sine liberis, accepit Comitatum soror ejus Margareta, de qua, cùm esset juvenis et in custodia Bouchardi Avennensis, fratris Galteri Comitis Blesensis, ipse Bouchardus genuerat duos filios, Joannem et Balduinum: quæ postea nupsit nobili viro Guillelmo domino de Dampetra, qui genuit ex ea tres liberos,
* An. 1251. Guillelmum, Guidonem et Joannem; quorum primo mortuo * sine liberis in torneamento apud *Trasegnies*, adhuc vivente matre, accepit Comitatum pro eo
* An. 1280. Guido frater ejus *. D

(*a*) Bertam intelligit Roberti Frisonis privignam. Ejus meminere omnes quos hactenùs recensuimus scriptores, sed fratrum ejusdem ex Florentio et Gertrude progenitorum nullus. Non igitur abs re erit fragmentum hìc subnectere opusculi cui titulus: *Campestria bella inter Episcopos Trajectenses et Hollandiæ Comites*, editi ab Ant. Matthæo Lugd. Batav. 1690 in-4°. inter Script. rerum Ultraject. p. 179.

Bellum tertium. « Defuncto Florentio Hollandiensi Comite sexto, Gertrudis ejus relicta, duos » habens pusillos masculini sexûs orphanos, ac » unam filiam [Bertham] quæ consequenter Regina Franciæ effecta est, nupsit Roberto Comiti » Flandriæ, qui tutelam matris puerorum et Comitatûs Hollandiæ pro tempore consecutus est. » Wilhelmus itaque Episcopus Trajectensis XXII, » videns sibi tempus opportunum, videlicet omnes propugnatores jam obiisse, tuitionem quoque puerorum in extraneo Principe consistere, » accersito sibi juvamine Godefridi Ducis Gibbosi, cum regali exercitu in ultionem pristinis » temporibus occisorum Hollandiam validè ingressus est, expulso armatâ manu Roberto Flandrensi cum uxore, et filiis ad Flandriam pro » subsidio declinantibus. Idem verò Dux Gibbosus, auxilio Episcopi, tam Hollandiam quàm » Frisiam suæ ditioni subjiciens, post annos quatuor a quodam Giselberto clam et latenter occisus et Trajectum delatus, ibidem post paululum » exspiravit. Ex quo Willelmus sperans jam Hollandienses hæredes prorsùs esse extinctos, ipsum quoque Comitatum Romano jam vacare » regno, impetravit ab Henrico Romanorum Rege IV, ut Comitiva Hollandiæ de cætero sui juris » esset. Pro cujus munimine castrum in Yselmonda » fabricavit: sed eodem anno occubuit, et Conradus successit ». (Anno 1075, v. Kal. Maii, ut ex » libro memoriarum Ultraject. Ecclesiæ constat.)

« Quartum utique bellum, ut scribitur, ita inchoatum est. Postquam Godefridus Dux et Wilhelmus Episcopus obierunt, filii Florentii Comitis Hollandiæ, in Flandriam cum matre et » Roberto vitrico, ut prædicitur profugati, ipsum Robertum Comitem pro recuperandis paternæ hæreditatis finibus postulationibus sollicitabant assiduis. Qui tandem motus precibus » juvenum concessit eisdem armigerorum et classium copiam inauditam. At illi castrum *Yselmonde*, quod Wilhelmus Episcopus pridem ædificaverat, bellicosiùs adeuntes, acies suas contra » suburbium ejusdem castri hostilissimè tetenderunt. E contra verò Episcopus Conradus, armigeris valentibus et omnibus necessariis præmunitus, prædictas Hollandiensium viriliter aggressus est acies; et conserto ibidem duro certamine, anno Domini MLXXVI, VI Idus Junii, ceciderunt ex parte Trajectensium animosi viri, » scilicet Lambertus Deventriæ Præpositus, Vulmarus S. Bonifacii Presbyter, Gheroloch Comes, Werenboldus, Giselbertus, cum aliis multis laude dignis. Episcopus autem Conradus ibidem captus; sed, destructo castro, ad civitatem » suam liberè remissus est, et Theodericus juvenis » Comes in Hollandia liberaliter reacceptus ».

(*b*) Berta, Philippi Regis conjux, privigna erat, uti diximus, Roberti Frisonis.

Digitized by Google

EX ANDREÆ (*a*) MARCIANENSIS PRIORIS

CHRONICO DE REGIBUS FRANCORUM.

Edito Duaci in-4°. an. 1633, *a D. Raphaele de* Beauchamp (*b*).

Post paucos annos, idem Robertus [Frisio] Hierosolymam abiit, quam tunc possidebant Sarraceni. Cùmque portam civitatis vellet intrare, porta se clausit spontaneè. At ille hoc videns nimio terrore correptus est, intelligens hoc sibi non esse prosperum prodigium. Abiit ergo inde ad quemdam Eremitam propè civitatem, quem audierat virum esse sanctum et religiosum, ut faceret confessionem peccatorum suorum. Auditâ autem vir sanctus illius confessione, injunxit illi pœnitentiam de Arnulfo nepote suo, quem occiderat; et dixit ei ut, si vellet habere Deum propitium, Balduino alteri nepoti suo redderet Flandriam, quam ei abstulerat. Ille autem adhuc nimis timoratus de portæ prodigio, annuit Eremitæ consilio, venitque ad portam quæ ultrò aperta est ei (*c*).... Robertus autem reversus de itinere Hierosolymitano, Duacum tantummodò reddidit (*d*) Balduino Comiti Haynonensi nepoti suo. Ipse, paucis transactis annis, mortuus est * apud Casletum absque viatico, et ibidem sepultus. Successit ei Robertus II filius ejus. * An. 1093.

Anno XIX * Philippi Regis, incœptum est Cœnobium S. Salvatoris in insula quæ dicitur Aquicinctus, a viris illustribus Sigero videlicet atque Gualtero, annuente et concedente Gerardo Cameracensi Episcopo. * An. 1079.

Philippus Rex, anno XXXIV (*e*) regni sui, excommunicatur ab Urbano Papa, quia vivente uxore sua Bertâ, Comitis Andegavensis adhuc viventis uxorem Bertradam superinduxerat.

Anno ab Incarnatione Domini MXCVI (*f*), Philippi verò Francorum Regis XXXVI, via Hierosolymitana incepta est apud Clarum-montem in Arvernia, per auctoritatem Urbani Papæ et exhortationem Haimari Podiensis Episcopi. Affigunt igitur cruces in palliis suis Duces, Comites, potentes, nobiles et ignobiles, divites et pauperes, liberi et servi, Clerici, Monachi, senes et juvenes, etiam pueri et puellæ, etc. (*Ut in Sigeberti chronologia.*)

(*a*) Andreas Silvius seu *du Bois* cognominatus, Aquicinensis Monachus ac deinde Prior Marcianensis Monasterii, scripsit *ad honorem bonæ memoriæ Petri Atrebatensis Episcopi,* inquit continuator ejus Guillelmus Abbas Andrensis in chronico, *de origine gentis Francorum, de fama, virtute et gestis eorum... Qui, quoniam ad instar B. Hieronymi in diversis diversa legerat, et octogenarius et ampliùs existens omnem ferè ætatem in religiosis exercitiis, et virorum illustrium gestis legendis et explicandis expleverat; Reges sive Duces, quos primus liber continet, Merovingos seu Crinitos vocat; in secundo libro Reges descriptos Karlenses appellat; tertium verò librum de regni mutatione seu translatione ab Hugone* Capet *inchoat,* perducitque ad an. 1194. Multa quidem ex Sigeberti et Anselmi Gemblacensium chronicis est mutuatus Andreas, uti suis locis indicamus; verùm ejus vicissim pressere vestigia Guillelmus Abbas Andrensis, qui eum totum exscripsit ad verba, necnon Aquicinctini Auctarii, superiùs a nobis editi, consarcinator.

(*b*) Usi fuimus præterea Ms. cod. Regio 6183, ad cujus unicam fidem præcedentia T. XI, p. 364 edita sunt. Exstat in eo quidem appendix ad an. 1248; sed animadvertimus plura identidem desiderari, sicut in aliis quatuor qui Raphaeli de *Beauchamp* usui fuere in adornanda sua Merovingica Synopsi.

(*c*) Roberti Frisionis iter Jerosolymitanum iisdem vestit circumstantiis Iperius, quæ fidem superant. Non tamen idcirco in dubium revocanda Roberti peregrinatio. Meïerus: *Anno* 1085, inquit, *pace quâdam factâ cum Balduino Montensi, Robertus filium sibi cognominem in partem regni cooptatum Comitem appellat; mandatâque illi administratione Flandricâ, magno comitatu proficiscitur in Syriam:* unde anno 1091 reducem nobis eum exhibet.

(*d*) Longè aliter Gislebertus Montensis: « Balduinus, inquit, miles juvenis, Comes Hanoniensis, pace cum Flandrensibus initâ, quamdam Roberti Comitis neptem, quam necdum viderat, nec de ejus deformitate nimiâ aliquid audierat, promisit et juravit ducere in uxorem. Unde Robertus vir astutus, ne Balduinus posset resilire, Duacum castrum quod proprium est Comitis Hanoniensis, sibi exinde obligari fecit, acceptis obsidibus qui castrum illud custodirent; et si Comes Hanoniensis a nuptiis juratis retrocederet, ipsum castrum ei pro quadam summa pecuniæ magna traderent. Contigit autem Balduinum illam vidisse, quam visam nimiâ turpitudine indecentem sprevit; et a pacto recedens nuptiali, duxit Idam in uxorem, Lamberti Comitis Lovaniensis sororem. Unde Duacum ita in manus Roberti Frisionis et suorum successorum multorum Flandriæ Comitum devenit, nec ab Hanoniensibus per pecuniæ solutionem, nec per justitiam retrahi poterat ». Vel ut ait Balduinus de Avesnis, *propter quod Robertus retinuit Duacum, nec postea recuperare potuit Balduinus.*

(*e*) Cod. Reg. habet XXXV, additque perperam *cum toto regno suo* Philippum excommunicatum fuisse. Neque enim interdicto ecclesiastico alia supposita sunt loca, præter ea in quibus Philippus et Bertrada versarentur. Quod quidem eâ diligentiâ observabatur, ut ipsis præsentibus silerent ubicumque campanæ; recedentibus verò pulsabantur omnes continuò: quam contumeliam jocando Rex excipiebat, nedum ad pœnitentiam eâ moveretur.

(*f*) Claromontense Concilium, ubi primùm decreta est expeditio Jerosolymitana an. 1095 habitum fuit: anno verò sequenti iter aggressi sunt Crucesignati.

Digitized by Google

Canonici Atrebatenses, ægrè ferentes se tamdiu Ecclesiæ Cameracensi subesse, A eo maximè quòd videbant Walterum ab Episcopatu Cameracensi expulsum et Manassem subrogatum, coram Urbano Papa querelam deponunt, asserentes S. Vedastum a S. Remigio civitati Atrebatensi propriè ordinatum Episcopum, et ut Episcopus sibi proprius ordinetur a Papa expetunt. Urbanus autem Papa petitionem eorum justam judicans, ordinavit eis Episcopum Lambertum, Morinensem Archidiaconum. Hoc factum est anno Domini MXCV (*a*).

Robertus Comes Flandriæ reversus de Hierusalem, cœpit inquietare urbem Cameracum : contra quem, etc. (*Vide Sigebertum ad an.* 1102.)

Balduino Comite Hainoensi in expeditione Hierosolymitana mortuo, Balduinus filius ejus ei successit : qui circumventus quibusdam pactionibus a Roberto Flandrensium Comite, consobrino suo, Duacum castrum perdidit. Henricus V Imperator, ad auxilium Balduini contra Robertum exercitum ducens, contra B Duacum vadit, et pacto pacis magis utrinque simulato quàm composito, penè inefficax rediit (*b*).

* *Corr.* 1108. Post hæc defunctus est Rex Philippus, anno ab Incarnatione Domini MCIX *, pridie Kal. Augusti, etc. (*Vide T. XII. p.* 8.)

Waldricus Episcopus Laudunensis, cives ipsius urbis a sacramento perperam juratæ communitatis revocare nisus, etc. (*Ut in Sigeberti chronologia an.* 1112.)

Robertus secundus Comes Flandrensium, cùm equitaret super pontem Meldensem cum multitudine militum, casu cecidit, et conculcatus pedibus equo-

* An. 1111. rum, ibi vitam finivit *. Corpus ejus apud Atrebatum relatum est et in Ecclesia S. Vedasti sepultum. Successit ei Balduinus cognomento Hapiola (*c*), filius ejus.

Anno x Ludovici Grossi Regis Francorum, Balduinus II Rex Jerusalem moritur, etc. (*Ut apud Anselmum Gemblac. ad an.* 1118 *et* 1119.) C

* An. 1119. Balduino Comite Flandrensium absque liberis defuncto *, Karolus Roberti Comitis, patris ejus, ex sorore nepos, filius Regis Danorum Canuti, Comes substituitur....

Anno XIX Ludovici Regis Francorum, solutus Satanas terras perambulat, etc. (*Ut apud Anselmum Gemblac. an.* 1127 *et* 1128.)

* An. 1129. Anno XXI * Ludovici Regis, in die Paschæ, consecrari fecit Rex Ludovicus VI, Philippum filium suum Remis in Regem post se, in præsentia omnium Episcoporum et Optimatum regni sui. Eodem anno, plaga ignis divini, etc. (*Ibid. an.* 1129 *et seqq.*)

* *Corr.* XXVII. Anno XXVIII * Ludovici Regis,... Rex Anglorum Henricus obiit. Obiit quoque eodem anno (*d*) Ludovicus senior Rex Francorum, qui hos habuit filios, Philippum et Ludovicum juvenem, qui cum patre regnavit annis quinque et D mensibus novem, post patrem annis XLIII, Henricum Archiepiscopum Remensem, Robertum Comitem Perticensem (*e*), Petrum de *Courtenai*, strenuum militem. Habuit et filiam Constantiam, quæ primò desponsata est Eustachio Comiti Boloniensi, filio Stephani Regis Anglorum, secundò Raimundo Comiti Tolosano. Regnavit autem [Ludovicus VI] in Francia annis XXIX....

Anno Domini MCXXXVII, Lotharii autem Imperatoris anno XI, Innocentii verò Papæ VII, regnavit Ludovicus junior, filius Ludovici, in Francia. Quadraginta tribus annis post patrem regnavit. Hic duxit uxorem Alienordem, filiam Willelmi Ducis Aquitaniæ, de qua genuit duas filias, quarum prior nupsit Henrico Comiti Trecensi, posterior Theobaldo Carnotensi Comiti.

* An. 1135. Henrico Rege Anglorum, ut prædiximus, mortuo *, successit ei in regno Stephanus nepos ejus, frater Theobaldi Comitis Blesensis : attamen non fuit justus E successor, sed invasor. Nam hæres justus erat Henricus puer, filius Gaufridi Comitis Andegavensis, quem genuerat ex Imperatrice [Mathilde] filia Henrici Regis Anglorum. Hic, Stephano mortuo, successit in regno....

Anno v (*f*) Ludovici Regis Francorum, Stephanus Rex Anglorum capitur

(*a*) Anno 1093, XIV Kal. Aprilis, Lambertus ab Urbano Episcopus Atrebatensis consecratus est.

(*b*) Hæc paulò obscuriùs ad an. 1108 recitat Sigebertus.

(*c*) Vernaculè *Apiete* seu Securicula, gallicè *Hachete*, quòd hoc instrumenti genus ad terrendos, imò puniendos confestim prædones, quibus Flandria tunc temporis abundabat, equitando circumferret.

(*d*) Non eodem quo Henricus I Angliæ Rex anno, sed duobus ferè post annis, anno videlicet 1137, Kal. Augusti obiit Ludovicus senior. Error ab Andrea hìc admissus perseverat deinceps in computandis regni Ludovici junioris annis : quod semel monuisse sufficiat.

(*e*) Drocensis Comes Robertus, Perticensis titulum etiam assumpsit, ductâ in matrimonium Harvisia seu Hatvide, Rotrodi II Pertici Comitis viduâ, et Rotrodi III adhuc impuberis matre.

(*f*) Lege *quarto*; Stephanus enim Rex Angliæ

Digitized by Google

A ab hostibus suis, proditione suorum. Eodem anno, plaga ignis divini. (*Ut in Auctario Gemblac.*)

Anno VI Ludovici Regis Francorum, Stephanus Rex Anglorum solutus a captione quâ tenebatur, iterùm Anglicæ genti principatur. An. 1142.

Ludovicus Rex cum multo exercitu contra Theobaldum Comitem Blesensium sibi rebellem vadit. Deinde aggressus castrum ejus quod Vitriacum dicitur, oppidanos et milites sibi resistentes aut cepit aut occidit. Oppido incenso, in tantum ignis excrevit, ut castrum quod in eo erat valdè munitum, cum multo inhabitantium periculo concremarit (*a*). In hoc bello et incendio, capti, cæsi aut concremati ad mille quingentos sunt æstimati. Quo facto Theobaldus Comes valdè exacerbatus, Principes Francorum, quos poterat, a Regis avertebat amicitia... Ludovicus Rex pacificatur cum Comite Theobaldo, anno regni sui
B octavo *. * An. 1144.

Northmanni, spreto dominio Stephani Regis Anglorum, subdunt se regimini Comitis Andegavorum.

Anno Domini MCXLVI... Christiani dolentes, etc. (*Ut in Auctario Gemblac.*)

Ludovicus Rex Francorum, anno regni sui XVI *, Alienordem uxorem suam repudiavit, quæ postea ad thorum transiit Henrici Regis Anglorum et Ducis Normannorum, filii Goffridi Comitis Andegavorum. Ex illa igitur genuit hos filios; Henricum Regem Angliæ, qui vivente patre obiit; Richardum Ducem Aquitaniæ, qui nunc regnat in Anglia; Goffridum Comitem Britanniæ, et Joannem qui dicitur Sine-terra; et filias tres, quarum unam duxit Rex Toletanus in Hispania, alteram Willelmus Rex Siciliæ, tertiam Henricus Dux Saxoniæ. * An. 1152.

Ludovicus Rex eodem anno (*b*) secundam duxit uxorem Constantiam, filiam
C inclyti Principis Hispaniæ Aldefonsi, qui regnavit in Toleto et Legione et in terra B. Jacobi : de qua genuit duas filias, quarum unam [Margaretam] duxit Henricus juvenis Rex Angliæ, secundam [Aleidem] Richardus Dux Aquitaniæ, nunc Rex Angliæ, accipere debuit, sed ad ejus nuptias non pervenit; quæ nunc recenti tempore desponsata est [Willelmo III] Comiti Pontivensi....

Anno XXIV * Ludovici Regis, Henricus Rex Anglorum post adeptum regnum ultra se elatus, quod diu mente conceperat, contra Ludovicum rebellat : qui, congregato exercitu in Aquitaniam transiit, et urbem Tolosam obsidione cinxit. Rex autem Francorum cum suis militibus civitatem potenter ingressus est. Quod Rex Anglorum cernens indoluit, et obsidione relictâ, inefficax rediit. * An. 1159.

Anno Domini MCLX, * XXV Ludovici Regis Francorum, orta est dissensio in Ecclesia Romana, mortuo Papâ Adriano. Electus est enim Rollandus Cancel- * *Corr.* XXIV.
D larius ab omnibus Cardinalibus, præter quatuor : qui se clamans indignum, non consensit electioni eorum. Quatuor autem prædicti Cardinales qui ejus electioni non consenserant, assumptâ magnâ Cleri et plebis frequentiâ, elegerunt Octavianum tituli S. Cæciliæ Cardinalem Presbiterum : quem in Lateranensi Ecclesia consecrantes Victorem appellaverunt. Quod videntes primi, Rollandum Cancellarium, virum religiosum, qui primus fuerat electus, conveniunt, et eum invitum in loco qui Cisterna-Neronis dicitur consecrantes, alterato nomine Alexandrum appellaverunt. Hæc contentio inter hos duos et successores Octaviani et Fredericum Imperatorem, a XXIV anno Ludovici Regis usque ad XLII, nullum accepit remedium. Nam Octaviano successit Wido Cremensis, Widoni Cremensi Joannes Strumensis, Joanni Strumensi quidam qui vocatus est Innocentius. Summa autem istius Schismatis est decem et octo annorum. Alexander
E autem Papa veritus potentiam Imperatoris Frederici, emenso mari, venit in Franciam : qui Turonis generale Concilium celebravit (*c*).

Godescalcus Episcopus Atrebatensis, infirmitate capitis gravatus, Episcopatum dimisit, etc. (*Vide Auctarium Aquicin. ad an.* 1164.)

Bella et seditiones, jurgia quoque et querelas, quæ emerserunt inter Ludovicum Regem Francorum et Henricum Regem Anglorum, quis poterit enar-

captus est in prælio Lincolniensi, quod, teste Orderico, *die Dominico Sexagesimæ*, dum sacra solemnitas Hypapanti Domini celebraretur, commissum est : ac proinde an. 1141, quo secunda Februarii dies in Sexagesimæ Dominicam incurrebat.

(*a*) Vitriaci cladem in annum Christi 1142, Ludovici Regis sextum, conferunt Gemblacense et Cathalaunense chronica; in annum verò seq. Nangius, qui mille et trecentos admodùm utriusque sexûs homines concrematos numerat, idque non in castro, sed in templo contigisse asserit cum chronico Turonensi.

(*b*) Non eodem quo repudiavit Alienordem anno, sed duobus post annis, videlicet an. 1154, Constantiam duxit Ludovicus.

(*c*) Concilium Turonense an. 1163 habitum est.

Digitized by Google

rare? nec mihi videtur utile hæc omnia scribere in hujus chronici abbreviatione. A

* An. 1160. Constantia Regina moritur *, et in Monasterio B. Dionysii ad sinistram majoris altaris magno cum honore sepelitur.

* An. 1164. Anno xxx * Ludovici Regis, Thomas Archiepiscopus Cantuariensis, Primas totius Angliæ et Legatus Apostolicæ Sedis, ab Henrico Rege propter veritatem et mansuetudinem et justitiam exiliatur : qui a Ludovico Rege Francorum et Monachis Pontiniacensibus gloriosè suscipitur.

* An. 1168. Anno xxxiii * Ludovici Regis, obiit Theodoricus Comes Flandrensis : successit ei Philippus filius ejus.

* An. 1170. Anno xxxv * Ludovici Regis Francorum, Henricus Rex Anglorum Henricum filium suum in Regem sublimat per manus Rogeri Archiepiscopi Eboracensis ejusque suffraganeorum. Eodem anno, mediante Ludovico Rege Francorum, pax inter Regem Anglorum et Cantuariensem Archiepiscopum composita B est, magis ficta quàm facta. Qui conductu Philippi Comitis Flandrensis, post septennis exilii injurias, in sedem suam revertitur in Adventu Domini.

* An. 1170. Anno xxxvi * Ludovici Regis, Thomas Archiepiscopus Cantuariæ ac Primas totius Britanniæ, quinto die Nativitatis Dominicæ, a satellitibus Henrici Regis Anglorum ante altare S. Benedicti capite mutilato, effusoque cerebro, in congregatione pretiosorum Martyrum coronatur a Domino.

Maria, filia Regis Stephani, habitum religionis, quem a multis annis abjecerat, resumpsit (*a*), et populus terræ Ecclesias diu jam sibi pro illa interdictas absolutus intravit.

Milo II Morinorum Episcopus obiit : Desiderius Tornacensis Archidiaconus ei in Pontificatu succedit.

Anno Dominicæ Incarnationis MCLXXII, obiit Godescalcus quondam Episcopus C Atrebatensis.

* An. 1173. Anno xxxviii * Regis Ludovici, obiit Andreas Atrebatensis Episcopus. Robertus Ariensis Præpositus loco ejus eligitur, non consecratur.

Eodem anno (*b*) Alexander Papa domnum Bernardum Clarevallensem in numero Sanctorum Confessorum in Ecclesia decrevit honorandum.

Comes Boloniæ Mathæus ante oppidum quod Novum-castellum dicitur, ictu sagittæ vulneratur, et apud S. Judocum sepelitur.

Anno Domini MCLXXIV, Alexander Abbas Aquicinensis obiit : succedit ei Simon Monachus ejusdem Ecclesiæ.

Ludovicus Rex Franciæ, Henricus et Richardus filii Regis Angliæ, et Philippus Comes Flandriæ contra Regem Angliæ consurgunt. Qui in Normanniam profecti, civitatem Rotomagum obsederunt. Multi verò de exercitu Flan- D drensium cum Comite de Leicestria, qui a Rege Angliæ recesserat, transfretantes in Angliam, apud S. Edmundum cum eodem Comite quidam capti sunt, quidam interfecti, alii fugâ elapsi, alii per licentiam turpiter sunt reversi.

Anno Domini MCLXXIV, Robertus Atrebatensis Electus, industriâ Philippi Comitis ac potestate Cameracensis Episcopus eligitur. Frumaldus Archidiaconus Atrebatensis ordinatur Episcopus. Post paucos dies, Robertus Cameracensis Electus a servientibus Jacobi de Avesnis apud Condatum ignominiosè perimitur (*c*).

* An. 1175. Obiit * Henricus Remensis Archiepiscopus, frater Ludovici Regis Francorum : cui succedit Willelmus Senonensis Archiepiscopus, frater Henrici Comitis et Reginæ Francorum, et Theobaldi Comitis Blesensis et Campaniæ.

* An. 1176. In die sancto Parasceves *, Philippus Comes Flandriæ Hierusalem profecturus, E crucem accepit.

Godescalcus Abbas S. Bertini obiit : cui successit Simon Monachus ejusdem loci, anno MCLXXVI.

* An. 1177. Anno xlii * Ludovici Regis, facta est lætitia magna in populo. Nam Fredericus illustris Romanorum Imperator, per inspirationem divinæ gratiæ deposito vanitatis errore, ad viam veritatis reversus est et ad obedientiam Alexandri Papæ.

(*a*) Maria non in Ramesiense cujus Abbatissa fuerat, sed in Munsteriolense S. Austrebertæ Cœnobium recessit, quod quidem perinde ac Milonis Episcopi Morinorum obitum an. 1169 illigat Guillelmus Andrensis, cui concinit Auctarium Aquic.

(*b*) Bernardus Clarevallensis albo Sanctorum inscriptus est an. 1174, idque litteris Alexandri III Papæ datis Anagniæ xv Kal. Februarii, quas T. X. Concil. col. 1376 legere est.

(*c*) Apud Guillelmum Andrensem in chronico, *III Nonas Octobris clanculò per lenones occiditur.*

Digitized by Google

A Philippus Comes Flandriæ a transmarinis Principibus cum magno honore suscipitur. Paucis autem postquam illuc venerat evolutis diebus, Antiochiam proficiscitur, et a Principe ipsius civitatis honorificè receptus, cum eodem Principe castellum *Harenc* Christianitati violenter ereptum ex omni parte obsedit; sed parùm ibi proficiens, circa diem Paschalem, ob visionem sacri ignis Hierosolymis remeavit anno MCLXXVIII. Celebratâ ergo ibi Paschali solemnitate, marina timens discrimina, per Hesperiam, Thraciam, Pannoniam seu Saxoniam rediit ad propria : et mense Octobri reversus, a Flandrensibus est favorabiliter susceptus....

Anno Domini MCLXXIX, Comes Flandrensis Philippus castra sancti Quintini et de Perona graviter afflixit, eorumque cives obsidione et persecutione diu multùmque humiliavit : Hesdiniensibus Reipublicæ dignitatem abstulit, cam-
B panam communem apud Ariam transmisit, et quosdam pro interfectione cujusdam de turri præcipitari jussit.

Ludovicus Rex Francorum, assumpto secum Philippo Comite Flandriarum, provinciam istam transiens, in Angliam transfretavit, et sepulcrum gloriosi Martyris Thomæ, quem aliquamdiu in exilio nutrierat, tam precibus quàm muneribus honoravit. Nam inter cætera dona et donaria, centum vini modios Monachis ei servientibus et eorum successoribus, annuatim in Francia percipiendos, ejusdem Martyris veneratoribus in signum amoris perpetui dereliquit, et etiam annulum quem, sicut dicitur, B. Thomæ adhuc viventi quandoque denegaverat, ei nihilominùs obtulit, pretiosum in se sapphirum continentem, et multas postea ægritudines medentem. Rex autem Anglorum Henricus eidem Regi Ludovico, tam in ingressu quàm Cantuariæ posito, multiplices honores
C fecit, et multipliciùs in regno eum detinere et honorare proposuit; sed affectum suum ad effectum perducere non potuit. Nam quantò citiùs potuit, de ipso regno egressus et in suum regressus, in festo Omnium Sanctorum Philippum filium suum, quem genuerat ex Elizabetha * Regina, filia Theobaldi Comitis, quam post Constantiam Reginam tertiam uxorem duxerat, a Willelmo Remensi Archiepiscopo, ipsius Philippi avunculo, qui Henrico ipsius Ludovici Regis fratri germano jam transactis quatuor annis successerat, in gloria et honore totius nobilitatis Gallicanæ Regem coronari fecit.

* *Al.* Ala.

Ludovicus Rex, anno regni sui XLV *, Frederici autem Imperatoris XXVI, Henrici verò Regis Anglorum XXV, Alexandri Papæ XXI, mense ferè Septembri, morbo paralysis quo per annum fuerat dissolutus, vitâ caruit : qui regnum Francorum satis justo et pio moderamine gubernavit (*a*).

* *Corr.* XLIII. An. 1180.

D (*a*) Guillelmus Andrensis : *Ludovicus Pius Rex Francorum moritur, et in monasterio Cisterciensis Ordinis, nomine* Barbel *super Sequanam a se fundato, sepelitur. Regnat pro eo filius ejus Philippus, in anno præterito Rex coronatus adhuc juvenis, et a suis Proceribus et Majoribus Franciæ in primordio regni multa adversa perpessus.*

EX LAMBERTI ARDENSIS PRESBYTERI

HISTORIA GHISNENSIUM COMITUM ET ARDENSIUM DOMINORUM.

Apud Jo. Petr. de Ludewig (*a*), *inter Reliq. Mss. T. VIII. p.* 409. *Lipsiæ* 1727. 8°

E

MONITUM.

FLOREBAT *Lambertus Ardensis oppidi Presbyter sæculo* XIII *ineunte; suam quippè scripturam dicavit Arnoldo II, Ghisnensium Comiti et Ardensi domino, qui anno* 1220 *vitæ finem imposuit : quo in opere duas veluti partes animadvertimus, indistinctè sub eadem Capitum serie ordinatas, quarum*

(*a*) Contulimus hanc editionem cum ejusdem historiæ fragmentis ab And. Chesnio inter probationes historiæ Ghisnensis editis : quorum ope frequentes editionis Ludewigicæ nævos emaculavimus.

Digitized by Google

prior de Ghisnensium Comitibus agit, altera de Ardensibus dominis usque ad Balduinum Gandavensem, qui, ductâ in uxorem Christianâ, Ardensis dynastiæ hærede unicâ, utramque propaginem continuavit. In texendis præsertim genealogiis versatur Lambertus, præcipuasque Flandriarum, præter Ghisnensem et Ardensem, familias illustrat, Gandavensem nimirùm, Alostanam, Broburgensem, etc. Ex his nonnulla delibavimus Tomo XI. p. 298 et seqq.; sed ut continuatâ serie in memoriam revocentur, et sub uno veluti conspectu operis contextura ponatur, operæ pretium visum est Ghisnensium Comitum stemma genealogicum (a) præmittere; deinde cùm ad Ardenses dominos se convertet narratio, eorumdem tabulam genealogicam præfigemus. A

1. SIFRIDUS, Danus, *Comes Ghisn. primus.* — Elstrudis Flandrensis. B

2. ARDOLPHUS, *circa an.* 966 *natus.* — Mathildis Boloniensis.

3. RODOLPHUS. — Rosella de S. Paulo. Rogerius.

4. EUSTACHIUS. — Susanna de *Gramines*. Filii et filiæ plures.

5. BALDUINUS I. — Adela Lotharinga, Christiana dicta. Guillelmus. Ramelinus. Adela. Beatrix.

6. MANASSES *qui* et Robertus. *uxor* Emma de Tancârvilla. Fulco Comes de *Baruth*. Guido Comes de *Forois*. Adela Domina Senemurensis. Gisla, *conjux* Winemari Castel. Gandavensis. C

7. SIBYLLA *quæ et* Rosa, — Henricus Broburgensis. Adela, *notha*, *Balinghenorum parens*.

9. ARNOLDUS Gandav. — Mathildis de Sancto-Audomaro. Wenemarus. Sigerius. Balduinus. Margareta.

8. BEATRIX, nupta 1°. Alberto Apro; 2°. Balduino Ardensi. *Obiit improlis.*

10. BALDUINUS II. — Christiana Ardensis. Obiit an. 1205.

Margarita. Mathildis. Mabilia. Adelina. Sigerius. Balduinus. Ægidius. Guillelmus. Manasses.

11. Arnoldus II. — Beatrix Broburg. et Alostana. Dominus Ardensis.

D

Cap. 29. INTELLIGENS igitur timoratus Dei famulus Comes Ghisnensis Balduinus, et divinùm accipiens responsum super divinis et divinè memorandis Flandrensis Comitis Roberti operibus, de libertatis scilicet Flandriæ acquisitione, et Ecclesiarum, quo ampliori angebatur desiderio, restauratione, cœpit cogitare qualiter et ubi competentiùs et opportuniùs Cœnobialem restaurare posset Ecclesiam. Interea simillimo piæ devotionis ardentem desiderio, sanctæ peregrinationis sibi confœderavit socium et collegam Engelramnum Lileriensis castri dominum; et peregrè proficiscens vir Dei ad S. Jacobum, non eventu fortuito, sed divino ductus vaticinio ad S. Salvatoris Carofensis devenit Monasterium: ubi parvam moram faciens, ejusdem Monasterii Abbati, Petro videlicet hujus nominis secundo, contrito et humili corde in confessionem suos edidit excessus, et peregrinationis susceptionem et piæ devotionis circa Ecclesiam Dei fervorem. E Et accersito Capellano suo, indicavit omnibus quod diu conceperat votum,

(a) Ad calcem chronici Andrensis, apud Acherium T. II. Spicil. *in-fol.* p. 871, sequens occurrit Ghisnensium Comitum series, versibus expressa.

Pluribus ex annis sic fantur scripta Joannis :
Qui fuerant quondam Comites in carmina fundam
Ghisnensis terræ, fortes in tempore guerræ.
Primus SIFRIDUS, ARDULPHUS (II) *et inde* RODULPHUS (III),
EUSTACHIUS (IV), BALDEVINUS (V) *fundator honesti*
Ardensis templi, MANASSES *sextus* (VI) *et Emma;*
Hi duo struxerunt templum Sancti Leonardi.
ALBRICUS (VII), BALDEVINUS (VIII) *qui præfuit Ardæ;*
Hi fuerant Comites, non re, sed nomine tantùm.
Inclytus ARNOLDUS (IX) *de Ganda qui veniebat,*
Hic priùs in terra, quæ nunc sunt, arma gerebat :
Filius illius BALDEVINUS (X) *generosus*
Hunc sequitur, probitate pari nimis ingeniosus.
Nobilis ARNOLDUS (XI), *mitissimus atque benignus,*
Postea processit cœlesti munere dignus.
Huic BALDEVINUS (XII) *successit pacis amator,*
Concilii speculum, probus in terra moderator.
Egregius juvenis ARNOLDUS *nomine dictus*
Imperat huic terræ, (valeat, vivat benedictus)
Tredecimusque Comes extat, sit justus ad omnes.

et

Digitized by Google

A et quòd in terra sua Cœnobialem construere pridem decrevisset Ecclesiam. Sanctissimi igitur patris et Abbatis, saluberrimoque Monachorum omninò acquiescens consilio, in eleemosynam eis concedit liberam Capellam B. Mariæ Virginis, quam liberam et propriam habebat in castro suo apud Ghisnas, cum appendiciis ejus etc... ; hac siquidem conditionis notâ, quòd quantociùs in patriam veniret, et tempore et loco invento et præparato ad construendum Cœnobium, ad divinum celebrandum officium et Mysterium, ei mittere Monachorum satageret etiam cum Abbate conventum. Quod in pactum suscipiens venerabilis Comes, facto peregrinationis itinere, prospero cursu remeando pervenit ad patriam; ut quantociùs voto suo satiem * daret, Ecclesiæ Morinensis Episcopo venerabili Gerardo loquitur, et ad salutiferum venerandi Præsulis consilium et voluntatem cum discretione et reverentia per omnia et in omnibus faciens, Ecclesiam S.
B Medardi Andrensis sibi liberam acquisivit. Quo facto, cognito quòd semper nocuit differre paratis, missis cum festinatione apud Carofum nunciis, Abbatem qui primus dicitur in Andria Gislebertum, simul et Monachorum conventum.... in lætitia et exsultatione solemniter introduxit in Andriam. Sicque voti compos *Cap.* 30. et propositi, voluntate et adjutorio simul et consilio cujusdam divitis indigenæ, Balduini videlicet Bochardi, ad quem in parte spectabat fundus electus et præelectus in habitaculum Dei Monachorum locus, venerabili Calixto (*a*) hujus nominis secundo, qui liberam eis concessit sepulturam, mundi monarchiam sub Apostolorum Petri et Pauli protectione gubernante, Philippo autem Francorum regnum procurante, Comite Roberto Flandrensibus imperante, Episcopo Gerardo Morinensium cathedram et baculum bajulante (qui ab Urbano Papa postea depositus apud Patheram urbem sepultus est) anno Dominicæ Incarna-
C tionis MLXXXIV, piæ recordationis Ghisnensis Comes Balduinus, Flandrensis Comitis Caroli cognatus et fidelis amicus, et Flandrensium carissimus, Andrense Cœnobium instauravit et Monachos instituit....

Unde ad tam piæ operationis imitationem, Lothariæ Ducis Godefridi quon- *Cap.* 31. dam filia, Boloniensis Comitis Eustacii quandoque vidua, Godefridi et Balduini.... Regum Jerosolimorum, et Eustacii nobilissimi Boloniæ Comitis mater, nomine Ida (*b*), vitæ sanctitate venerabilis Boloniensis Comitissa, in confinio Mercuricii, in villa *Brucham* olim nominata, sub honore beatæ et gloriosæ semperque Virginis Mariæ fundavit Ecclesiam, et insigne Religionis Monasterium instauravit,... simulque agium Monachorum conventum in Hamensi Monasterio, ab Engelramno Lilariensi domino nuper constructo, cum venerabili viro Ravengero Abbate sumptum, aliosque honestæ vitæ et religiosæ, in me-
D moriam sanctæ Dei genitricis semperque Virginis Mariæ et venerationem in perpetuum extollendam, perenni Deo perenniter et jugiter servituros instituit, et in præparatum Dei introduxit habitaculum (*c*). Hic siquidem locus sanctæ Mariæ celeberrimus,... liberrimus esse cognoscitur, unde et Capella dicitur : Capella, inquam, summi Pontificis, videlicet domini Papæ in honore B. Mariæ Virginis constructa ; in cujus libertatis auctoritatem et memoriam, illius liberi loci Ecclesia singulis annis Ecclesiæ Romanæ debet duodecim denarios, quos simul collectos post quinquennium vel decennium Abbas illius loci sanctissimi mittit Romam, ad suæ libertatis, ut diximus, cognitionem....

Completâ igitur carnis dispensatione, vitâ venerabilis et nomine Ghisnensis *Cap.* 33. Comes Balduinus mortem pertulit temporalem, et in spem vitæ æternæ in ea quam fundavit Ecclesia, cum christianissima uxore sua Adela, quam nuncupa-

* *Al.* finem.

(*a*) Fallitur hìc Lambertus ; non enim Romanæ Ecclesiæ tum præerat Calixtus II, verùm Gregorius VII, an. 1085 die Maii 25 rebus humanis exemptus.

(*b*) Idam nobilissimæ prolis laude insignem hoc mactat encomio Radulphus de Diceto in Abbreviat. chronicorum, apud *Twisden*c ol. 472 : « Eustachius cum Gernovagis, *inquit*, Comes Bolo» niensium, Ydam Godefridi Ducis Boloniæ (*corr.* » Bullonii) primogenitam duxit uxorem, ex qua » tres filios sustulit ; Eustachium, qui patri suc» cessit in Comitatu; Godefridum, quem tem» pore procedente, subactâ Jerusalem, Christiani » communiter elegerunt in Regem ; Baldewinum, » qui fratri Godefrido succedens, consecratus est » Rex Jerosolymorum. Yda siquidem Comi» tissa tribus his filiis suis munus nutricationis » exhibuit. Nam credidit esse contra naturam, » imperfectum atque dimidiatum matris genus, » parere statimque partum a se projicere jam vi» ventem, jam hominem, jam matris officia im» plorantem. Credidit etiam naturam feminis » mammarum ubera, quasi quosdam venustiores » nævulos, liberorum alendorum, et non or» nandi pectoris causâ dedisse. Sunt enim matres » prodigiosæ ', quæ fontem illum sanctissimi cor» poris, humani generis educatorem arefaciunt » et exstingunt : quæ partus suos deserunt, able» gant a sese, nutriendos aliis dedunt, vinculum » illud, coagulumque animi atque amoris quod » parentes cum filiis consociat, interscindunt ».

(*c*) Anno MXCI, ut legitur ibid. cap. 32.

Digitized by Google

tivè Christianam appellatam diximus, non sine planctu nobilium virorum et Monachorum simul et universæ plebis terræ, cum duobus etiam filiis suis Widone et Hugone Andriæ sepultus est (*a*). Robertus itaque filius ejus, qui invalescente usu, sicut jam diximus, nuncupativè quoque dictus est Manasses (*b*) ei successit, et Ghisnensis terræ populum regere suscepit. Qui tantò dignè memorandi patris virtutibus ferventiùs efferbuit, quantò magnanimitas ejus insignia hinc et inde, rutilante famâ in auribus, frequentiùs accepit.... A

Cap. 34. Interea cum quadam eminentissimæ pulchritudinis puella apud Ghisnas oriunda rem habuit, ex qua genuit filiam unam nomine Adelidem, quam nuptam dedit Eustacio filio Heremari de *Balinghehem*. Qui ex ea genuit quinque filios; Eustacium primogenitum, qui factus miles mortuus est; Hugonem, qui duxit Mathildem, puerili nomine Matham appellatam, filiam Laurettæ de Hammis, ex qua genuit Adelidem, Arnulpho de *Caiou* primò disponsatam, postea Danieli fratri Sigeri Castellani de Gandavo; Gregorium etiam Andrensis Ecclesiæ Monachum et in Abbatem electum, sed ante benedictionem spontè depositum; Frumoldum quoque et Simonem, et filiam unam nomine Havidem, quæ nupsit Balduino seni de *Ermelinghem*, Boloniæ Constabulari. De quibus Balinghenensibus videlicet magna et notabilia gesta cognovimus et in parte perspeximus. Sed ut in omnibus et per omnia servatus sit modus in rebus, servatâ propositi narratione ex accidenti, de eis tractatum producendo aliquid scribere, exhausto corniculo, pennam subtrahimus. B

Cap. 35. Comes autem Manasses non immeritò toto orbe terrarum longè latèque in magnificentia et gloria nominatissimus exstitit et notissimus. Notus itaque in Francia, notus in Normannia, notissimus autem in Anglia. Unde cùm frequentatione Regis Anglorum Willelmi in Anglia sæpiùs conversationem haberet, duxit Emmam filiam Roberti Camerarii de Tancarvilla in Normannia, viduam Odonis de *Folkestone* in Anglia. C

Cap. 36. In diebus illis fuerunt homines quidam clavati sive clavigeri, quos vulgò Colvekerlos (*c*) nominatos audivimus, in terra Ghisnensium habitantes, qui clavati sive clavigeri a clava dicebantur agnominati, eo quòd non licebat eis aliquod genus armorum, nisi clavas tantùm bajulare. Hi siquidem quadam impropitiationis specie ab Hamensibus dominis quasi sub servilis conditionis jugo constricti tenebantur. Cogebantur enim singuli per singulos annos Hammensibus singulos reddere denarios, in nuptiis quoque et in morte nihilominùs quatuor. Hoc autem in feodum perpetuum susceperunt Hamenses pridem ab antiquo Ghisnensi Comite Radulpho, qui hæc et his similia suis subditis ingerebat mala et opprobria. Concessit enim eis et in feodum confirmavit, quòd quisque advena in terra Ghisnensi aliundè advolaret, et annum unum et diem unum in terra sua perendinaret, vel morosiùs et diutiùs inhabitaret, simile opprobrium simul et pensionem opprobriosam incurreret et quasi de jure persolveret. Factum est autem ut liber quidam veteranus sive vavassorius, nomine Willelmus de Bochordis, vavassorissam quamdam de Fielnis similiter liberam, nomine Havidem, duceret uxorem. Quæ maritalis lecti spondas apud Bochordas vix attigit, cùm venientes Hamensium satrapæ ab ea Colvekerliam exegerunt. Illa verò pro timore et pudore aliquantisper colore mutato facta rubicunda, quid sit Colvekerlia penitùs ignorare, se autem omninò liberam, et a liberis se protestatur ortam natalibus. Inducias autem suæ liberationis per quindecim dies vix a satellitibus impetrans, demùm ad diem sibi præfixum cum cognatis et amicis suis apud Hammas Hamensibus dominis se præsentavit, asserens se a liberis vivis et defunctis, præsentibus et absentibus, ortam natalibus et omninò D E

(*a*) Balduinus hic nomine primus ac senior dictus, vitæ finem explevit septem circiter annis post Adelæ conjugis obitum, quem ipso instaurati Monasterii Andrensis vel sequenti anno, id est Christi 1084 aut 1085, consignat ejusdem Cœnobii chronicon his verbis: *In ipsa autem novitate fundationis nostræ mortua est venerabilis Comitissa Adela, uxor fundatoris, et ipsa devota fundatrix,... et a piæ memoriæ domno Gilberto Abbate et pusillo grege, præsente marito et filiorum ejus numerositate, necnon et Procerum multitudine, in Capitulo tumulatur. Evolutis autem postmodùm circiter annis septem, nobilissimus Balduinus Comes, senex et plenus dierum migravit ad Dominum, et juxta uxorem suam honorificè sepelitur.* Proinde circa an. 1092.

(*b*) Manassi, Balduini primogenito ac successori, nomen suum indidit Robertus Frisio Comes Flandrensis, cùm ipsum e baptismatis fonte susciperet, ut tradit in chronico Andrensi Guillelmus Abbas.

(*c*) Iperius in chronico S. Bertini agens de Rodulfo Abbate, *in terra sua*, inquit, *servitutem induxit quæ Colvekerlia vocatur, per quam populares astrinxit ut arma nullus nisi clavas deferret, et inde Colvekerli dicti sunt, quasi rustici cum clava; nam eorum vulgare* Colve *clavam, et* Kerli *rusticum sonat.*

Digitized by Google

A liberam; et vivâ voce et constante et liberâ contra quoslibet improbantes et reprobos se paratam comprobare. Sed invalescentibus Hamensium vocibus et rationibus, non tantùm qualis Hammis accessit, a curia mox recessit; sed notabiliori penitùs confusa domum repedavit opprobrio, turpitudine et infamiâ. Tandem altiore habito et secretiore consilio, cum venerandi nominis Ghisnensis terræ domina et Comitissa Emma clanculò loquitur, indicans ei suam et totius terræ Ghisnensis longè latèque prædicatam infamiam et opprobrium; et nisi cautè et maturè interveniat et subveniat, nobiles ut ignobiles non dissimili sanctione pactionis in servitutis conditionem redigi et involvi, et Colvekerliam simili ratione, pari edicto et insolentiâ non dissimili, irreverenter et insolenter debere solvere compelli. Compatiens igitur virago nobilis non tantùm mulieris, immò dignè recolendæ memoriæ matronæ, infamiæ, quantùm totius opprobrio
B terræ, loquitur cum Comite, amplexatur virum, indicans ei et deflens Ghisnensis terræ miserias et opprobrium. Comes igitur admodùm factus deprecabilis, justè et piè petentis et deprecantis uxoris et mulieris condescendit postulationibus, et Hamenses dominos quantociùs accersiri fecit; et in voluntate eorum Colvekerliam, et terræ dedecus et opprobrium omninò perimens et extinguens, in recompensationem Colvekerliæ et incrementum feodi, ad quinque carrucas Hamensibus contulit terram circiter *Elembon* et *Pithem* et *Santingheveld* portionaliter jacentem. Mulier itaque de Fielnis apud Bochordas, uti jam dictum est, maritata, in domum suam restituta est libera, simulque omnes Colvekerli manumissi sunt, et in perpetuum liberi facti et emancipati. Quum * etiam ex rei eventûs incidentia quantumcumque a propositi via deviavimus, ne Colvekerlis morosiùs insistamus, ad quod proposuimus accedam.

* *Al.* quoniam.

C Comes igitur Manasses, elegantissimæ formæ specie laudabilis, essentiæ staturâ giganteus apparuit, et personalis auctoritatis grandævus, facie decorus et aspectu, immò virtute robustus, omnibus amabilis, solis Ardensibus, qui ei plerumque contumaces fuerunt et rebelles, despicabilis et invidiosus. Sed de illorum cervicositate et contumacia ad tempus differamus.

Vixit autem Comes Manasses Ghisnensis cum omni modestia in tranquillitate et pace, et in caritate non ficta. Sed cùm omnium in terra sua Ecclesiarum curam gereret et reverentiam exhiberet, in illius Ecclesiæ, quam piæ recordationis pater ejus Balduinus Andriæ fundaverat, promotionem speciali quâdam prærogativâ affectuosiùs insistebat et impensiùs : et jam in mente conceperat, immò venerabili uxori suæ Emmæ et aliis quibusdam consiliariis suis detexit et aperuit, quòd ad pii patris imitationem aliquam in terra sua Cœnobialem construere
D decrevisset Ecclesiam. Sed causis intervenientibus, quod ipse piè proposuit, et ad complementum usque perducere non sustinuit, pia ejus uxor Emma summâ postmodùm cum devotione supplevit (*a*). *Cap.* 37.

Videntes igitur Barones terræ populique fideles piissimam pii Comitis circa Ecclesiam Dei devotionem, cœperunt et ipsi, divinâ in eis crescente gratiâ, circa Ecclesiam Dei et viros Ecclesiasticos, in quantum suppetebat facultas, simili fervore debriari. Unde et Robertus quidam de Liskis, cum Barba vel Barbatus nominatus, eò quòd tunc temporis qui prolixam barbam non haberet, effœminatus dicebatur et in derisum et despectum haberetur, contemporaneus et quandoque conscholaris Ardensis fundatoris Ecclesiæ Arnulphi sive Arnoldi, apud Liskas in honore B. Mariæ Virginis quatuor instituit Canonicos sæculares, quibus totidem præbendas in perpetuum dispensavit habendas, et seipsum quin-
E tum et Præpositum constituit. Illas autem Præbendas successor ejus Balduinus, similiter cum Barba vel Barbatus nominatus, in venerationem Domini sepulcri cum quatuor filiis suis, Clericis quidem et in jam dicto loco Canonicis, Jerosolymam piæ peregrinationis iter arripiens, Regularibus Watinensis Ecclesiæ Canonicis contulit et subjugavit (*b*).... *Cap.* 38.

Fuit autem diebus illis magnanimus quidam veteranus sive vavassorius, qui ab Ardensibus in parte originem traxit, et qui tunc temporis Fielnensibus præerat *Cap.* 40.

(*a*) Lambertum erroris hìc arguit Chesnius ex binis litteris Manassis et Emmæ inter probat. hist. Ghisn. pp. 38. 39. quibus constat, vivente Manasse, Cœnobium illud conditum fuisse. Priores conditi illius Cœnobii annum MCXVII exhibent, alteræ an. MCXX datæ sunt. Sed vitiatæ videntur earum notæ chronicæ. Binas quippè alias adducit Iperius col. 630, quibus id Monasterium an. MCXXIX conditum fuisse verisimilius est. Et subdit : *Comes verò morte præventus hoc ad præsens non complevit, sed citò post hoc Emma Comitissa perfecit.*

(*b*) Anno MCXXXI, ut habet Iperius.

Digitized by Google

eisque principabatur, nomine Eustacius cum additamento senex, qui filios habebat, Eustacium videlicet, qui cùm Ghisnensis Comitis Arnoldi filiam Margaretham duxisset uxorem, non relicto ex ea semine, obdormivit in Domino; Engelrannum quoque, qui cùm nobilem de Tingreio Sibyllam, Willelmi sororem, pariter duxisset uxorem, et ex ea Willelmum, Thomam et Eustacium et filias genuisset, cum Comite Flandriæ Philippo Jerosolymam petiit (*a*), reprobisque probitatis heros congressus Sarracenis, impetum fecit in illos, sed cùm ampliùs non redisset, suis ulteriùs nusquam comparuit; Gilbertum etiam de Belkinio, et piissimum Dei famulum Radulphum, qui venerabilem Henrici de Campana et Adelis facundissimæ mulieris de Contevilla filiam, Adelidem, priùs Eustacio de Calquella desponsatam, duxit uxorem; filias quoque, quarum unam Adelidem videlicet Balduinus de Hammis, qui in militiæ gloria toto mundo resplenduit, duxit uxorem, ex qua concepit paternæ nobilitatis et militiæ prolem non degenerem, Eustacium videlicet, Engelrannum et Balduinum. Hic siquidem Eustacius senex de Fielnis, audiens et piè intelligens quòd vicini circumquaque manentes nobiles, spiritu timoris Domini agitati et gratiâ prævenți, pro possibilitatis suæ modulo in terris suis novas conderent Ecclesias et nova conderent Monasteriorum domicilia, in propitiationem animæ suæ, et prædecessorum successorumque suorum, et maximè pro salute et redemptione animæ cujusdam militis de Pontio in Pontivo domini, quem in torniamento interfecerat, pro quo tenebatur hoc facere, in Bello-loco sub honorem B. Mariæ Virginis conventualem instauravit Ecclesiam, et in ea Arroasiensis Ordinis Canonicos in Ecclesia B. Mariæ de Nemore sumptos, cum venerabili eorum patre et Abbate Willelmo Deo in perpetuum servituros, tempore Boloniensis Comitis Willelmi et Ghisnensis Comitis Manassis, collocavit et solemniter instituit.... A B C

Cap. 42. Cognovit autem Ghisnensis Comes Manasses uxorem suam Emmam, et ex ea genuit filiam unicam propriè Sibyllam, nuncupativè verò Rosam nominatam, quæ postea, nubilibus poscentibus annis, nupta data est glorioso Castellano Broburgensi Henrico. Quæ concepit et peperit unicam similiter filiam, nomine Beatricem: quâ vix progenitâ, mortua est (proh dolor!) mater ejus Rosa, imò Sibylla, et non sine lacrymabili suorum planctu in Monasterio B. Mariæ de Capella ante altare S. Benedicti sepulta est.

Cap. 43. Senuit itaque Ghisnensis Comes Manasses, et capillis suis in caniciem albescentibus, dolore de morte filiæ suæ concepto non minùs quàm ætate confectus, in angore et tædio senilem produxit ætatem, maximèque de neptis suæ Beatricis vita, eò quòd calculosa erat et morbida, desperabat. Unde et sibi metuens, et in posterum quantâcumque providentiæ cautelâ sibi, imò toti terræ Ghisnensi præcavens, ne de corpore suo nullo relicto semine, Ghisnensis terra ab alicujus sororis suæ [filio], eò quòd fratres sui, ut jam dictum est, omnes sine corporis sui hærede mortui fuerint et sepulti, quasi ab alieno semine hæredem quandoque mendicare debuisset, uxoris suæ Emmæ consilio, eò quòd notiori familiaritate quandoque conversationem habuit in Anglia quàm in alia terra, et gloriosi Broburgensis Castellani Henrici patrocinante adjutorio, neptem suam Beatricem calculosam, ut dictum est, et morbidam nobili viro Alberto * Apro desponsavit in Anglia. D

* *Al.* Alberico.

Ut igitur proposito nostro omnimodè satisfaciamus, et Ghisnensium genealogiam Comitum ex integro aperiamus, ut operis executioni expeditiùs instare valeamus, de nobilissima gloriosissimi Ghisnensis Comitis Balduini filia Ghisla, Gandavensis Castellani Winnemari uxore, quædam necessaria epilogare necessarium duximus. De tribus igitur Gandavensis Castellani Winnemari et Ghislæ filiis et filia, quoniam ad propositum nostrum non faciunt, omittentes, de solo Arnoldo prosequamur. E

Cap. 44. Arnoldus igitur Gandavensis miles in armis fuit strenuissimus. De cujus militiæ præconio non necesse fore scribere vel aliquid fictitare arbitramur, cùm, cessante nostræ sedulitatis operâ, totus ei consonet mundus in laudis et honorificentiæ gloriam. Videns igitur Arnoldus Comitem Ghisnensem Manassem avunculum suum senio gravatum, et quasi absque liberis vitam tædio et senio confectam propagantem atque degentem, de Ghisnensis terræ Comitatu in animi sui concepit angulo, quod postea arrepto tempore reddidit expletum. Nec mora, mentis conceptum rebus accommodans, acceptis Arnoldus aliquantis de cognitione sua,

(*a*) Philippus Comes Flandriæ bis Hierosolymitanum iter perfecit, an. 1177 et an. 1189.

Digitized by Google

A in quibus tanquam sibi ipse confidebat, militibus, Ghisnas adiit, et cum Ghisnensi Comite avunculo suo humiliter et pacificè loquitur; nec enim ei totam cordis sui aperit intentionem. In sermonis tamen superficie tangens quæ ab omnibus sciri non dubitavit, palliat quæ nulli, nisi secreti sui conspiciis manifestare curavit. Enimverò, ut verum profiteamur, in abdito cordis sui cubiculo intendebat ut, si quomodo aliqua feodali sublimatione Ghisnensis terræ finibus appropiare et in ea pedem figere potuisset, faciliùs ad mentis conceptum, ad totius videlicet terræ dominationem, pertingere posset et accedere. Quod ubi a quibusdam hujus secreti abditi consciis (nihil enim absconditum quin sciatur) venerando seni perlatum est, ægrè tulit, sed occultè sustinuit. Nec tamen amaricato gutture in nepotem linguam exasperat, nec in eum turpiloquio aut turpibus invehitur objectis, sed ad tempus omnia suffert, omnia sustinet. Arnoldus autem omninò
B ignarus quòd avunculus suus de cogitatu suo aut conscientia aliquid sciret, aut præmonitus vel præmunitus de secreto suo consilio quidquam cogitaret, ad eum viriliter accedit, et prudentis more, non arrogantis, cum modestæ humilitatis consuetudine ab eo petiit ut infra terram Ghisnensem, in sustentationis solatium et honoris promotionem, aliquod sibi impartiri dignetur beneficium.

Venerabilis verò senex, ultra quàm aure capescere fas est, nepotis voluntate *Cap.* 45.
et intentione, licèt insidiosam Semurensium expectationem non ignoraret aut ambigeret, bilibri lance summâ cum discretione ad stateram appensâ, pensavit hinc magnanimi nepotis sui Arnoldi in armis strenuitatem, hinc neptis suæ Beatricis calculosæ de die in diem exaggerare et ingravescere infirmitatem; hinc Arnoldum, ipso vivente, jam terræ insidere parantem; hinc Albertum, languescente uxore, de vita ejusdem uxoris et de terra etiam desperantem;
C hinc rebellium in se frementem Ardensium contumaciam; hinc Samurensium cum Ardensibus confœderatam virtutem, et propriæ, ob quam causam majori constringebatur angustiâ, virtutis impotentiam. Quamobrem omnium quosque dissimulans incursus, elegit prudenter, quamdiu vivere posset, in pacis tranquillitate vitam degere, quàm suspectum super se nepotem et ad insistendum terræ semper paratum, cum odio et indignatione crudelitatis exacerbatione a se, imò a terra repellere. Dedit ergo ei, ut nepoti, ut militum inter milites strenuissimo et circumquaque notissimo, *Tornehem* cum appenditiis ejus in feodum, et in pacis et dilectionis perpetuæ amplitudinem et in corporalis sustentationis consolationem. Arnoldus itaque, adepto tantillæ dominationis in terra Ghisnensi beneficio et altero pede Comitatum appropinquante, quam in mente conceperat et in Domino Deo et in potentia virtutis constituerat, spem ad meliora per-
D quirenda et capessenda suscitat. Unde, cùm pro accepto hujus muneris et feodi beneficio, pro quantitate doni cum reverentia gratias egisset et reddidisset avunculo; videns avunculum jamjam morti appropinquantem, et neptem suam nihilominùs morbidam et ad mortem languescentem, acer, atrox, in equos acuens calcaribus iras, quantò citiùs potuit Castellanum de S. Audomaro Willelmum adiit, et præ omnibus asciscit eum sibi et conciliat et confœderat amicum, maximè eò quòd terræ, ad quam totâ mentis intentione aspirabat, ei loco propinquior esset, et parentibus inclytis et amicis abundantior, et ad propositi spem in rei effectum producendum in subveniendo præstantior.

Hic enim Willelmus (nec in hoc a proposito digredimur) uxorem pridem *Cap.* 46
duxerat de nobilissima Regis Francorum Caroli magni stirpe et familia progenitam, Arnulphi Vicedomini de Pinkinio filiam, nomine Millesendam, ex qua
E genuit nobiles filios, Willermum videlicet postea Audomarensem Castellanum, Hostonem, Gerardum Ecclesiæ S. Audomari Præpositum, Hugonem de Falkenberga, et Walterium Tiberiadis vel Tabariæ Principem; filias quoque ad magnæ generationis sobolem procreandam progenitas. Quarum prima et præcipua dicta est Mathildis, quæ ad nostrum principaliter operatur propositum; secunda Euphemia, quæ nuptui data est Balduino de Balliolo, qui ex ea genuit filios, Gerardum et Hostonem, et filias, Adelidem de Comminiis, Mathildem in Anglia Abbatissam de Warewella, Plessendam et Margaretam; tertia Gisla de Monasteriolo; quarta et quinta Luchgardis et Beatrix in Astromensi * Monasterio * *Estrum.*
Sanctimoniales.

In multis igitur Arnoldus Gandavensis cum jam dicto Audomarensis burgi *Cap.* 47.
Castellano Willelmo prælocutus, duxit tandem tantæ nobilitatis viri filiam no-

Digitized by Google

mine Mathildem, et *Tornehem* cum ejus appenditiis ei concessit in dotem : de A
cujus procreatione filiorum licèt nunc continuè dictando prosequimur, multa tamen interim acciderunt, quæ, ut postmodùm luculentiùs clareant, præposterè posita subsequuntur.

Cap. 48. Processit ergo Mathildis in diebus suis, et concepit a viro suo Gandavensi Arnoldo, et peperit ei Balduinum, quem Comes Ghisnensis Manasses avunculus ejus de fonte baptismatis in filium recepit adoptionis, et Willelmum de Ghisnis vocatum, qui Flandrinam Comitis sancti Pauli Hugonis neptem uxorem duxit, et Manassem et Sigerum et Arnoldum adolescentem mortuum : qui cùm ad sepeliendum cum fratribus suis Manasse et Sigero ad Monasterium deferretur, Andriæ requievit in colle super Bramas in invio juxta quadrivium vel compiti locum....

Hos siquidem quinque filios ex ea genuit Arnoldus et octo filias; Margaretam B
videlicet primò Eustacio de Fielnis, postea Rogero Curtracensi Castellano desponsatam; Beatricem primò Willelmo Faramus de Tingreio, postea Castellano de Bello-manso Hugoni traditam uxorem; Adelidem primò Insulensi Castellano Hugoni, priùs S. Piati Secliniensis Præposito, postea Roberto de Waveriaco, fratri Hellini Flandriæ Dapiferi sive Senescalli, in dote sua apud Senghimacum matrimonio copulatam; Eupheniam et Luthgaudam in Monasterio S. Leonardi apud Ghisnas primò Sanctimoniales, postea in eodem loco Abbatissas, Luthgauda videlicet successivè post Euphemiam; Mathildem quoque Balduino filio Willelmi Moranni de Hondescote datam uxorem; Ghislam etiam de *Ag* sive Aqua Waltero de Pollario matrimonii lege desponsatam; Agnetem etiam consilio nepotum suorum, filiorum videlicet supradicti Walterii Tiberiadis vel Tabariæ Principis, in terra promissionis maritatam. Quæ in voluntate patris, ut famo- C
sissimam in longinquis et remotis terrarum tractibus extenderet prosapiam, relicto dulci solo natalisque patriæ loco pro honore, ut inclytam et fastuosam patri, ut jam diximus, procrearet sobolem (ô gloriosissimi patris affectum! ô per omnia prædicandam filiæ subjectionem!) commutavit exilium. Sed veneno, ut dicitur, in cibis accepto, vel potibus inherbata, ibi statim mortua est et sepulta. Prælibatis igitur quibusdam necessariis et cum quadam narrationis anticipatione explanatis, ut proposito nostro fideliter inserviamus, ad supraposita suppositis continuenda pennam officiosam referamus.

Cap. 49. Senex itaque factus et decrepitus, quondam facie decorus et corpore præstans venerandæ memoriæ Comes Ghisnensis Manasses, multaque circa senium æger et ægrotus cum patientia perpessus, quæ juvenis tolerare vix aut ægrè sustinuisset, cùm, rerum circumstantiis undique sibi oblatrantibus et adversè insi- D
diantibus, aliquâ sui corporis vel animi virtute superstare aut resistere nullatenùs ulteriùs potuisset, viribus corporis omninò cœpit destitui; gravique febrium correptus ægritudine et in mortis lectulum collocatus, multa de nepte suâ Beatrice, plura de nepote suo Arnoldo, multòque pluriora de totius terræ desolatione queritando suos præmonens, demùm obdormivit cum patribus suis, et in Andriæ monasterio, ubi omnes Ghisnensis terræ Comites et eorum filii (ut eorum qui eidem loco deservire tenentur, Monachorum authentica scripta testantur) sepeliri debent, cum eisdem patribus honorificè spe beatæ resurrectionis sepultus est (*a*).

Cap. 50. Audiens igitur Broburgensis Castellanus Henricus Ghisnensis terræ Comitem Manassem universam carnis viam nuper ingressum, genero suo nunciat Alberto mortem Comitis simul et totius rei eventum; quod fieri timescebat, jam factum E
prædicat, Arnoldum videlicet Gandavensem Ghisnensi terræ hiulcum et insidiosum; et nisi maturè sibi et terræ subveniat, terræ munitiones simul cum terra, nec sine terræ depopulatione, ipsum jam jamque quodam pronostico rei futuræ vaticinio occupaturum fore denuntiat. Finis igitur mandati sub his verbis includitur : ut videlicet ab Anglia in Ghisnensem terram quantociùs veniens, Ghisnensi Comiti Manassi mortuo jam et sepulto, recto ordine et jure hæreditario succedat et instituatur. Albertus igitur, quamvis in negotiis Angliæ Regis Willelmi * circa ipsum honorificè detentus militaret, Broburgensi tamen Castellano socero suo et mandatis ejus acquiescens, in Ghisnensem terram quantociùs potuit pervenit, simulque Flandriæ Principi Theoderico hominio ritè exhibito, Ghis-

* *Leg.* Stephani.

(*a*) Manasses an. 1137 rebus humanis exemptus est, uti censet Chesnius, aut fortè seriùs.

Digitized by Google

A nensium Comes effectus est. Sed in terra Ghisnensi parvam moram faciens, relictâ uxore suâ Beatrice socero suo Henrico Broburgensi Castellano, in Angliam pro susceptione terræ quæ in Anglia ex parte uxoris suæ ei exciderat, ad Regem properavit. Ubi impetrato a domino Rege quod justè postulaverat, spontaneæ voluntati suæ quamdam necessitatis opponens inferentiam, morosiùs cum Rege perendinavit. Intelligebat enim uxorem suam languidam et calculosam, et sibi matrimonii debitum solvere pertimescentem. Ingravescente autem in uxore sua Beatrice solito uberiùs languore, sæpiùs a socero suo mandatus adventum suum distulit, et in Ghisnensem terram vènire renuit.

Interea vidua venerabilis Ghisnensis Comitissa Emma, divini amoris fomitem *Cap.* 51.
quem erga virum suum Comitem videlicet Ghisnensem Manassem interiùs pridem accenderat, piâ cordis intelligentiâ reformat, pleniùs resuscitat, et votum quod
B pius ejus maritus lecti et devotionis ejus consors pridem Deo voverat, maturè Deo reddere disposuit. Instauravit igitur apud Ghisnas in propitiationem animæ suæ et viri sui Ghisnensis Comitis Manassis et prædecessorum successorumque suorum de redditibus suæ mensæ S. Leonardi Confessoris et Episcopi Ecclesiam et Cœnobii claustrum, cui Sanctimoniales in Astromensis * Ecclesiæ Monasterio sumptas Deo * Estrum.
in perpetuum servituras adhibuit. Quibus et religiosissimam præfecit Abbatissam nomine Sibellam vel Sibiliam, de genere et cognatione Adelæ Ghisnensis quondam Comitissæ, quam superiùs Christianam nuncupativè nominatam diximus, in Lotharia regione sumptam, eamque in Ecclesiam S. Leonardi Ghisnensis super Sanctimoniales nuper introductas, Dominicæ Incarnationis anno MCII (*a*) inthronisavit; cui primæ successit Mathildis Campanensis, cui Adela de Mardica, cui venerandæ nobilitatis nomine Feminea, imò matrona ejusdem
C loci Sanctimonialis Euphemia, nominis appellatione bonam fæminam * non obli- * *Leg.* famam.
terans, et post eam successivè, sicuti jam diximus, Luthgarda corpore et sanguine soror ejus germana, sanctitatis et religionis nomine in Christo filia, Ghisnensis Comitis Arnoldi filiæ. Post Ghisnensis igitur Cœnobii instaurationem, non multo interjecto temporis spatio, venerabilis matrona et domina Ghisnensis Comitissa Emma, assumpto et induto Sanctimonialium indumento et habitu apud Ghisnas, carnis debitum solvit, ibique solemniter ut Sanctimonialis, imò verè Sanctimonialis a Sanctimonialibus decantata, et piè in Domino deplorata est et sepulta.

Audiens autem Arnoldus Gandavensis, et juxta quod diligenter exquisierat, *Cap.* 52.
satis intelligens quòd Albertus de vita uxoris suæ non minùs quàm de Ghisnensis terræ Comitatu desperaret, et ob id in Ghisnensem terram sæpè et iterùm et
D iteratò sæpiùs a Broburgensi Castellano Henrico mandatus, de die in diem adventûs sui diem dilatando, cum quadam negligentia vel animi desidia venire supersederet; de sua promotione nimirùm sollicitus admodùm et ambitiosus, Audomarensis Castellani Willelmi soceri sui et sororiorum suorum consilio, cum aliquantis secreti sui consciis in castellum suum apud *Tornehem*, propositum suum quantâque potuit calliditate dissimulans, introivit, ibique cum suis quantulamcumque moram faciens, sub interminatione vitæ suis prædicebat et præcipiebat, ut quidquid mente concepisset et ipsis in consilio aperiret, occultum inter eos haberetur et absconditum, et Arnoldum Comestorem de Hammis omninò lateret. Hunc siquidem Arnoldum de Hammis Comestorem appellatum, filium Roberti, Comes Albertus in Angliam proficiscens Ballivum in terra Ghisnensi substituerat, et totam terram ei custodiendam commendaverat. Barones autem
E universæ terræ adventum Comitis Alberti diutiùs præstolantes, cùm circumquaque tremefactum conspexissent et pertimescentem populum, missis iterùm, ut sæpè sæpiùs et sæpissimè, in Angliam nunciis, viris videlicet authenticis et consilio plenis, cum scriptis valentibus et præstantibus, et ut ad subveniendum terræ citò veniat eum excitantibus, in Ghisnensem terram accedere omninò refutavit. Hujus ergo rei præscius Arnoldus Gandavensis, interim apud *Tornehem* residens et moram faciens, missis per universam Ghisniam exploratoribus et satrapis, si quos habere potuit fautores ad suæ voluntatis expletionem et adjutores, diligenter et sollicitè perquirit. Acceptis itaque a quibusdam terræ Baronibus epis-

(*a*) Iperius in chronico S. Bertini ait *Monasterium istud cum suis ordinationibus ad completum esse deductum, et Monachis S. Bertini ad regendum commissum anno Domini* MCXXXII. Verùm cùm ibidem Comes Manasses jam defunctus memoretur, qui, ut supra diximus an. 1137. vitâ excessit, legendum fortè MCXLII.

Digitized by Google

tolis, audit et intelligit quod mentem ejus aliquatenùs exhilaravit. Loquitur A
ergo secretè cum quibusdam Baronibus, quibus consilium suum communicavit et
publicavit; et eorum communicatis sibi viribus, satellitibus qui Ghisnas custo-
diebant, precibus et pretio simul et promissis corruptis, et ad sibi obtemperan-
dum et satisfaciendum allectis et attractis, minisque nihilominùs et verbis et
verberibus afflictis et convictis, et ad id quod nolebant sine difficultate coactis,
et a firmitate, quasi in hac parte infirmis, spontè propulsis, Ghisnas impiger
insilit, et munitiones viriliter occupat imperterritus. Quod cùm intellexisset Mar-
* *de Marq.* kiniensis * Vicecomes Arnoldus, licèt strenuissimos haberet fratres, Simonem de
Markinio et Jordanum promptissimum in armis et audacissimum, aliosque magni
nominis et virtutis innumerabiles ei cohærentes, magis magisque sibi timuit. Et
convocans fratres suos et notos et amicos, consulit ab eis quid facto opus sit. Ad
quorum consilium, vellet nollet, Gandavensi Arnoldo per internuncios spo- B
pondit, quòd si Comes Albertus infra quadraginta dies ad Ghisnensis terræ sub-
ventionem non veniret, ei spontè ut terræ Comiti hominium, si alii ejus Com-
Cap. 53. pares et terræ Barones hoc idem facerent, exhiberet.

Balduinus autem Ardensis domini filius, cùm nihil adhuc vel parùm terræ in
terra possideret, et Ghisnenses Comites, ut olim prædecessores sui, eò quòd
Ghisnensibus Comitibus nullam exhibere subjectionem dignarentur aut reveren-
tiam, semper exosos haberet et suspectos, cùm audisset Gandavensem Arnoldum
Ghisnis insidentem, ad ipsum spontè convolavit. Similiter et alii quidam de vi-
ribus suis non præsumentes neque confidentes, et de Comitis Alberti adventu et
de terræ subventu jam desperantes, Gandavensi Arnoldo se jungebant, et ei
manus in auxilium spontè offerebant, et fidem licèt in perfidia præferentes pro-
mittebant. Omnes ferè Ghisnensis terræ Barones sibi adscivit et confœderavit C
Gandavensis Arnoldus et alligavit, præter Arnoldum Hamensem, qui totam
terram Ghisnensem, ut jam dictum est, a Comite Alberto custodiendam acce-
perat. Ille ergo Arnoldus Comestor agnominatus, cùm accepisset Arnoldum
Gandavensem, propulsis satellitibus, Ghisnis insidentem, et Barones terræ con-
sentientes et eum expellere non intendentes, sed ei jamjam ferè apertè favora-
bili subventione viros et vires in bello, si opus acciderit, adminiculantes et ad-
ministrantes, a castro quod olim a veterum vico Alderwicum dictum est, cui cum
viris et viribus insistebat, missis quantociùs nunciis Broburgensi Castellano Hen-
rico, factum rei indicat, et Arnoldum Gandavensem Ghisnis insidentem terræ
Cap. 54. Ghisnensis omnium Baronum sibi conciliasse favorem.

Interim autem dolor lacrymabilis et opprobriosum in sempiternum dedecus
accidit in terra. Cùm enim Arnoldus Gandavensis in solemnitate Sanctorum In- D.
nocentium cum Balduino Ardensis domini filio, et aliis militibus suis et satelli-
tibus, satrapis et vernulis, Ghisnis ad vescendum discubuisset; ecce nuncius cele-
riùs advolat, qui Arnoldum juvenem Ardensis oppidi dominum in Fubberti ne-
more juxta *Norhout* a servis suis prostratum (proh pudor !) et jugulatum, imò
morti datum esse nunciat. Surgens igitur Arnoldus Gandavensis quantociùs a
mensa, et munitionem castri Ghisnensis fidelissimis suis sub periculo honoris et
vitæ et districtè præcipiendo commendans, Balduinum Ardensem jam sibi con-
fœderatum quantociùs introducit in Ardeam, et ei portas aperiri fecit et castel-
Cap. 55. lum, et Ardensis honoris et dominii Principem eum constituit et dominum.

Broburgensis autem Castellanus Henricus, cognito litteris non minùs quàm
nunciis et famâ in Ghisnensi terra facto rei eventu, apud Alderwicum cum mi-
litibus et armata plebium multitudine in iram, in indignationem frendens, ociùs E
advolat. Quod audiens,

Impiger Arnoldus, collecto milite, clamat,
Ingeminans arma, arma viri ! bellare necesse est,
Bella manu, bella ore gerens, nihil est sine bello,
Quod facit aut dicit : tanta est sibi gloria belli,
Tantus amor belli, tanta est fiducia belli,
Tantaque spes tangit Ghisnensis eum Comitatûs.
Sed neque dissimulat quod pridem mente recepit,
Quin Comes esse velit, tantùm confidit in illis,
Cum quibus a primis servandum fœdus inivit,
Et vires proprias alienis viribus auget.

Advolat

Digitized by Google

A *Advolat Ardensis dominus, simul Audomarensis,*
Hinc socer, hinc soceri nati; Proceresque propinqui;
Hinc populus peditat, qui solo nomine guerræ
Spontè subit vel adit tanti discrimina belli.

Assumptis igitur secum quotquot habere potuit equitibus et peditibus, apud Alderwicum, ubi primus belli motus accidit, festinat Arnoldus Gandavensis, et castrum simul cum Broburgensi Castellano et Arnoldo Hamensi, cum fautoribus et adjutoribus suis, militibus videlicet supradictis et satellitibus, viriliter considet et bellis accingit.

Hic ergo Gradivus adest, pugnatur utrimque
Namque Broburgensis Henricus castra tuetur
Interiora, suos exhortans recta tueri,
B *Et justam causam denunciat, altera castra*
Fasque piumque monens confundere, jure perempto.
Sicque sagittiferos monitis animavit, et imber
Telorum cecidit super hostes grandinis instar.
Extera castra movens Arnoldus, nil nisi bella,
Nil nisi bella cupit, sociis ad bella vocatis
Præmia promittit, securè vivere posse,
Dummodò sit victor, dominari non cupit ipsis,
Sed socius fieri; promissaque præmia fictis
Verborum phaleris obnubilat. Organa vocis
Tota cohors reboat, vocemque loquuntur eamdem,
Assensumque manu præbent, sonat undique Mavors,
C *Et certant superi cuinam victoria cedat.*
Henricum sors prima juvat, nam recta tuendo
Justiùs arma tulit; vires Astræa ministrat
Virgo Broburgensi; frendens Gradivus in hostes
Et Bellona potens Arnoldi castra tuetur.

Arnoldus igitur turrim Ecclesiæ militibus munit et armis, et cum eis eamdem turrim quasi bellicum machinamentum viriliter ingreditur; et inde belli inquietudine cùm eos qui infra firmitatis vallum erant, Broburgensem videlicet Castellanum et Arnoldum Hamensem et eorum fautores, ferè ad deditionem compulisset et coegisset, Henricus sibi metuens et suis cum Arnoldo Hamensi apud Broburgum nocte secessit, et munitionis vallum sine viris et viribus (proh pudor!) desolatum reliquit. Arnoldus autem munitionis aggerem corripit, et vallum im-
D piger insilit, et universæ Ghisnensis terræ partibus singulariter dominatur ut Comes, et universas terræ munitiones militibus, quotcumque opus est, munit et satellitibus. Henricus verò tantam sibi illatam injuriam, tamque notabile et notorium sibi objectum dedecus et opprobrium ægrè sustinet et indignanter accipit. Totius itaque malignitatis spiritu debacchatus bilis amaritudinem suscitat, omnemque accendit iram et indignationem, et ad miserrimæ Ghisnensis terræ depopulationem et subversionem totum suspendit animum. Sed cùm Arnoldus omnes universæ terræ Ghisnensis sibi subjecisset, ut diximus, et vindicasset munitiones, nec haberet Henricus ubi pedem securè figere posset in ea, cogitavit si quomodò Almari-vallum * vel aggerem firmare et aliquo bellico machinamento munire posset, per illius firmitatis munitionem totam Bredenardam, et sic universas terræ Ghisnensis partes sibi subjugare non dubitaret. * *Omerval.*

E Fuit autem prædives quidam in Bredenarda, de genere Echardensium ortus, *Cap.* 56.
nomine Almarus, qui tantùm in suis confidebat viribus et amicis, quòd contra Ghisnensem Comitem a Septentrionali parte Alderwicensis villæ aggerem præsumeret elevare et dunjonem firmare. Sed cùm propter temeritatis contumaciam et rebellionis præsumptionem a terra propulsus esset Almarus, nec immeritò, a Ghisnensi Comite, machinamentis bellicis et apparatibus super aggerem et ab Almaro priùs elevatis, a Comite postea dirutis et convulsis et ad terram prostratis, remansit agger suâ spoliatus munitione et vallo, et multo tempore post locus ille Almari-vallum vel agger non sine rei causa appellatus est.

Misit ergo Henricus Castellanus Broburgensis secretò geometricos et carpen- *Cap.* 57.
tarios ad Almari-vallum vel aggerem, ut locum cum geometricalibus perticis ambirent, et ad mensuram aggeris proportionaliter metirentur, et pro quantitate

Digitized by Google

loci, ignorantibus Arnoldo et Ghisnensibus, apud Broburgum turrim et bellica A
propugnacula, aliaque machinamenta clanculò construerent, et Almari-vallo in intempestæ noctis silentio, non sine militibus, viris et viribus adaptarent. Dixit ergo Henricus; et ecce facta et parata sunt omnia, et suo loco in sublime erecta et collocata. Munitionis autem illius castrum ad Florem nominavit, non quia in summitate turris erecta stetisset lancea, et in summitate lanceæ flores campi circumligati fuissent, ut quidam garriunt; sed quia in illius castri munitione militum et sagittariorum aliorumque bellatorum florem et electuarium ad Ghisnenses debellandos intromisit. Surgens ergo manè Arnoldus, et videns turrim et propugnacula cum cæteris bellicis machinamentis in Almari-vallo subitò et inopinatò erecta atque elevata, universam commovit in arma patriam. Advenerunt itaque Ghisnensis omnis terræ, quos sibi adsciverat, Barones, aliique multi et innumeri a pluribus locis evocati. Qui postquam simul convenerunt in unum B
apud Auderwicum, castellum quod ad Florem nominaverunt, obsederunt, et egressi quidam de Broburgensibus Ghisnensibus obviam, non sine multo utriusque partis sanguine Gossonem de *Norhout* interfecerunt, et multos hinc inde captivos abduxerunt. Sed cùm Broburgenses Ghisnensium turmas in fortitudine prævalere conspicerent, in castro suo apud Almari-vallum quàm citiùs potuerunt, recepti sunt.

Cap. 58. Ubi cùm persequerentur Ghisnenses, et Broburgensium castellum convellere et destruere se præpararent et accingerent, exclamaverunt Broburgensium sagittarii; et ecce a parte Broburgensis Castellani ab aliquo veniens sagitta stetit in capite Ardensis domini Balduini, et ad cerebrum usque penetravit. Arnoldus autem et omnes simul Ghisnenses, pro eo quòd tantæ dominationis Princeps tam graviter ferè usque ad mortem vulneratus esset, condoluerunt, et in gemitibus eum planxerunt inenarrabilibus. Retracto igitur pede, recessit Arnoldus C
a loco et sui, et non sicut superbum, sed sicut vulneratum Ardensis oppidi dominum in Ardeam detulerunt Balduinum. Quomodò autem idem Balduinus, suscepto vulnere, in periculo mortis cum venerabili de Capella S. Mariæ Abbate Theoderico super Ardensis Ecclesiæ præpositura colloquium et secretum habuit consilium, ad tempus scribere differimus (*a*). Broburgensis Castellanus audiens Ardensis oppidi dominum Balduinum ad mortem vulneratum, non audens ad Florem ulteriùs moram facere, cum suis Broburgum iterùm turpiter abscessit. Arnoldus verò cum suis callido pede persequitur; sed cùm ad Florem devenisset, turrim et tabulata lignorum et propugnacula cum vallo funditùs prostravit et ad terram dejecit, et hinc et illinc dissipavit, et apud Alderwicum maxima ex parte deferri fecit. Sicque Almari-vallum vel agger, ut quondam, usque hodie a suis turribus et machinamentis bellicis desolatus remansit et spoliatus. D

Cap. 59. Ab illo autem die non cessavit Broburgensis Castellanus Henricus Ghisnensem impetere et oppugnare terram. Sed veniens in manu forti et brachio extento, collectis viris, collectis viribus propriis et alienis, ad miserrimæ Ghisnensis terræ depopulationem et deprædationem, nullâ motus insontium pauperum prece vel calamitate, subinfertur et ingreditur, et oppida diruit, villas vastavit, Ecclesias in favillas convertit, homines captivavit, bestias et prædam abduxit. Convaluit autem Ardensis dominus Balduinus, et a vulnere sincerè curatus et ægritudine, pro recuperata corporis sanitate plenas in Sancta Ecclesia Deo retulit gratiarum actiones, et jam juxta consilium venerandi Patris et Abbatis S. Mariæ de Capella Theoderici, adjutorii vires cum Gandavensi Arnoldo ulteriùs non communicavit; nec cum eo jam ad consilium contra Castellanum ambulavit. Quod audiens Broburgensis Castellanus, congaudebat et congratu- E
labatur admodùm; et missis ad Ardensem Balduinum legatis cum epistolis, multas ei gratias egit quòd justas ulteriùs justo partes ampliùs oppugnare non intendat. Balduinus autem verisimiliter de promotione sua corde sollicitus et animo, cùm videret Albertum desidem et terræ nullatenùs appropinquantem neque subvenientem, remissis nunciis similiter cum litteris et epistolis ad Castellanum, sciscitatur ab eo, si neptem suam ab Alberto separare et eam sibi justo et ecclesiastico ordine copulare voluerit, seipsum tanquam Eustacium filium

(*a*) Tempus inflicti Balduino vulneris indicat charta ab ipso Lamberto cap. 137 recitata, cujus hæc est clausula : *Facta est autem hæc transactio in Ecclesia S Audomari Ardensis, et in plena Synodo Teruannæ solemniter recitata et approbata, Dominicæ Incarnat. anno* MCXLIV. Iperius verò cap. 43, col. 639 hanc epocham emendat sic : *Anno* MCXXXIX, *Ecclesia de Ardea.... data est Theoderico Abbati de Capella.*

Digitized by Google

A cum suis omnimodo possessionibus et amicis, devotum sibi fore, et cum omni diligentia et reverentia sincerum sibi exhibere servitium, et Arnoldum Gandavensem a terra repellere, et terram ab eodem Arnoldo liberare jactat, concedit et compromittit. Quod audiens et percipiens Castellanus jocundior admodùm effectus, remissis nunciis quantociùs ad Balduinum, omnia sicut ipse dixerat et postulaverat et in re voluerat, per omnia se ad voluntatem suam ita velle indicavit, rescripsit et renunciavit.

Misit ergo Castellanus Bernuinum de S. Audomari Ecclesia Presbyterum, *Cap.* 60.
aliosque simul Presbyteros et milites cum nepte sua ad Albertum; et expositâ ei viæ causâ, ægritudinem uxoris suæ cum aliis sufficientibus causis ei protulerunt, et accepto die et statuto judiciario ordine et ecclesiastico separati sunt Albertus et Beatrix: et Alberto in Anglia remanente, Beatrix ad patrem suum
B apud Broburgum reversa est. Quod ut perlatum est Arnoldo Gandavensi, rem, uti potuit, dissimulans, sibi suisque timuit; nam quod solùm verebatur, in proximo accidit. Balduinus etenim dominus Ardensis Broburgensem Castellanam * filiam Beatricem maritalis lege matrimonii, Comite Flandrensi Theoderico assensum præbente, jam sibi copulavit uxorem. Facti sunt itaque Broburgensis Castellanus et Ardensis dominus quasi pater et filius, quasi cor unum habentes et animam unam. Unde et conjurati Arnoldias partes lacessentes et inquietantes, miserrimæ conditionis pauperes rebus quantilisque cum minutis spoliantes et deprædantes, nihil Arnoldo, nisi in castris et munitionibus, illibatum aut intactum reliquerunt. Arnoldus ergo sibi timuit, et tamen intra terræ munitiones et oppidorum receptacula solito diutiùs obseratus et detentus, constanter in proposito perseverabat. Unâ autem dierum, cùm apud Ghisnas in Capella B.
C Mariæ redemptionis nostræ mysterium audiret,... ecce nuncius, et magno clamore ad portam vociferans, dixit Ardensem dominam Beatricem hac in nocte *Cap.* 61.
mortuam; addens etiam, ut mos est, mendacia veris, et cùm serò in vespere lac gustasset pinguedine concretum,

hausto cum lacte veneno,
Vix thalamum subiens mortis discrimen inivit....

Vixit igitur Beatrix ista paucis diebus cum Ardensi domino viro suo Balduino. Nam, sicuti superiùs diximus, quia calculosa fuit et diutino languore macerata et confecta, Ardeæ miserabili morte defuncta est, et in capitulo Monasterii B. Mariæ de Capella, quia in locum cimiterii Ardensis Ecclesiæ nondum subrogati erant in loco Canonicorum vel introducti Monachi, non sine lacrymabili suorum ejulatu et planctu,... honorificè sepulta est. Super cujus sepulchrum
D soror ejus venerabilis matrona Broburgensis Abbatissa, nomine Mathildis, post aliquot annorum spatium marmoream laminam superponi fecit.

Mortuâ itaque Beatrice et a patre et a suis multùm diuque lamentatâ, cùm Castellanus comprehenderet et intelligeret quòd nihil aliud superesset, nisi quòd pro qua pugnaverat causæ, et quam diu desideraverat terræ, eum omninò cedere oporteret, nullâ Ghisnensis Comitatûs expectatione aut vanâ spe ulteriùs in terra dèlectatus aut retentus; postquam ferè per quinquennium (*a*) terram Ghisnensem inquietaverat, per mediam terram Ghisnensem cum facibus et armis transitum faciens, apud Broburgum in sua tandem receptus est, et in terra Ghisnensi ulteriùs (ô provida fati fixa et immota manens series!) non pervenit.

Interea autem mortuus est Gandavensis Castellanus Winemarus (*b*). Sed dum *Cap.* 62.
Arnoldus filius ejus nimiùm intentus et sollicitus in acquirendo, imò jam adepto
E et acquisito apud Ghisnas detineretur Comitatu, Flandrensis honoris Comes et Princeps Theodericus, inconsulto Gandavensi, imò jam Ghisnensi Comite Arnoldo, Gandavensis burgi Castellaniam Curtracensi Vicecomiti Rogero ad tempus concessit et commisit habendam. Quam postea in pace degens Arnoldus Comes, ut filiam suam Margaretam uxorem duceret Curtracensis Vicecomes Rogerius, et quamdiu viveret, in pace tenere spopondit: quod et verbo simul et opere firmavit.

Arnoldus itaque, adepto non sine multo labore Comitatûs Ghisnensis honore, *Cap.* 63.
hominio (*c*) Flandrensium Comiti ritè exhibito, et jam in Ghisnensi terra

* *f.* Broburgensis Castellani filiam.

(*a*) Si Manasses Comes an. 1137, ut Chesnio videtur, mortem obiit, hoc quinquennium in an. 1142 incidit. Sed cùm priùs Ardensis Balduinus vulneratus memoretur, annus hic non facilè conciliatur cum charta superiùs relata.

(*b*) Post annum 1138, ut Chesnio videtur, obiit Winemarus Gandavensis Castellanus.

(*c*) Chesnius inter probationes familiæ Gandav.

Digitized by Google

pacificatis sibi Baronibus et in securitatis fide sibi allectis et in pace compositis, A
[cùm] in pacis tranquillitate vivere cogitaret, surrexit in eum Samurensis (*a*)
cum infinita cognationis suæ multitudine Galfridus, germanus ejus consangui-
neus et cognatus, ut verè dicere possit Arnoldus : nunquam tuta fides, sollici-
tumque aliquid lætis intervenit. Jactavit igitur Galfridus in medio, et dixit
quòd jure propinquitatis avunculo suo, Comiti videlicet Manassi, Ghisnensium
Comitatui hæreditariâ successione justiùs deberet accedere et succedere quàm
Arnoldus, eò quòd Ghisla mater Arnoldi et Adelidis mater sua sorores fuerunt,
et Ghisla mater Arnoldi junior exstiterit quàm mater sua Adelidis. Super quo,
(licèt superiùs de hac Adelide et ejusdem Adelidis liberis, quasi respirantes et
alterum Herculem, dum spiritum attrahat Atlas, supponentes, scribendi calamum
Samurensibus accommodaverimus) ne aliud tamen de alio Samurensibus in nobis
sublatrantibus in Ascrea valle somniasse videamur, excitati famâ facti, verum- B
que a veridicis et nihil fictitantibus prosequentes, dicimus quòd, Samurensis
Galfridi matre Adelide dudum mortuâ et sepultâ, sorore autem ejus Ghislâ
Gandavensis Winemari uxore adhuc vivente, et liberis ejus, videlicet Arnoldo
de quo sermo est, et aliis in flore juventutis adhuc vernantibus et virescenti-
bus, et utriusque, Galfridi videlicet Samurensis, Arnoldi quoque Gandavensis,
avunculo Manasse Ghisnensi Comite universæ carnis viam ingresso, et filiâ ejus
Rosâ et ejusdem Rosæ filiâ Beatrice mortuis simul et sepultis, nullo quoque e
corpore Comitis Manassis in terra Ghisnensi relicto semine; Samurensis Galfri-
dus non attendens matrem suam Adelidem dudum mortuam et sepultam,
amitam verò suam Ghislam Gandavensem adhuc vivam esse et superstitem (proh
nefas!) quasi recto procedente ordine, hæreditario jure avunculo suo succedere
deberet in Ghisnensis terræ Comitatum impudenter et irreverenter conspiravit, C
et in cognatum suum germanum, Arnoldum videlicet, cujuslibet ambiguitatis
relegato scrupulo, jam Ghisnensem Comitem, temerario modo calumniam fecit.
Sed ad semetipsum quandoque reversus Galfridus, eâdem facilitate quâ terram
Ghisnensem impudenter et injustè priùs calumniaverat, accepto super injuria sua
consilio, justissimum Ghisnensis terræ hæredem Arnoldum simul cum terra,
sicut oportuit et justè debuit, in pace reliquit. Ampliùs de Samurensibus si
quid expedit, ad Samurenses recurrite.

Cap. 64. Comes igitur Arnoldus post multas altercationes, post multos bellorum incur-
sus et tumultus, edomitis et pacificatis atque mitigatis tam exteris quàm in
terra conversantibus adversariis suis omnibus, demùm Ghisnensem Comitatum
obtinens, in terra securè et in pace resedit. Et quoniam plerisque fit magè grata
quies post longos sæpè labores, paci quantoque potuit studio intendebat et insis- D
tebat. Suos in terram Ghisnensem ad se evocabat et confovebat, istos secum
in domo et familia colligebat et manutenebat, illos in terra maritabat præ omnibus,
et in omnibus in gloriosâ liberorum jocundabatur propagine, et in eorum promo-
tione ferventiori nimirùm stimulo et sollicitudine animum irritabat et urgebat.

Cap. 65. Interea Ardensis dominus Balduinus cum Francorum Rege Ludovico et cum
Flandrensium Comite Theoderico, et cum aliis Flandriæ Baronibus Jerosoly-
* *Leg.* MCXLVII. mam peregrè profectus est, Dominicæ videlicet Incarnationis anno MCXLVI *.
Hic siquidem Balduinus terram suam, et Ardensis præcipuè castri curam Ar-
noldo *Gohel* de Surkis, qui et Castellanus Ardeæ dicebatur et erat, commen-
davit, et eum in rebus suis disponendis, usque dum rediret, Ballivum constituit
atque Præpositum. Arnoldus autem Markiniensis Vicecomes, qui sororem ejus-
dem Balduini duxerat, Adelinam videlicet, et ex ea unicam filiam jam adolescen- E
tulam et pulchritudinis vernantem lilio genuerat, indignabatur et ægrè tulit,
quòd ei terram suam commendatam non reliquisset. Sed dum patienter ad tempus
sustinuit, fama volat et nunciat Ardensem dominum Balduinum nunc apud Satha-
* *Leg.* Sataliam. niam * fame periclitatum, nunc in mari submersum, nunc inimicorum Christi
gladiis trucidatum, sic autem vel sic sine spe redeundi finaliter mortuum et
sepultum.

Cap. 66. Quo audito, Markiniensis Vicecomes Arnoldus, conciliato sibi et comparato
tam Flandrensis quàm Ghisnensis Comitis amore et benevolentiâ, Arnoldo
Gohel consentiente, aliisque Ardensis oppidi Paribus hoc ipsum adjudicantibus,

p. 92, refert litteras Theoderici Flandriæ Comitis anno 1142, quibus Arnulfus tanquam *Ghisnensis* *Comes* subscripsit.

(*a*) Sive Senemurensis, *de Semur en Briennois*.

Digitized by Google

A Ardeæ dominus effectus est. Stephanus igitur Elenardi de *Senighehem* filius, videns et intelligens Markiniensem Vicecomitem Arnoldum in Ardensis honoris dominum provectum esse et exaltatum, videnque ejusdem Arnoldi filiam unicam et tanti honoris et dominii hæreditariâ successione hæredem in tempore futuram, ad ejusdem filiæ conjugium aspiravit. Unde hinc et illinc concurrentibus et delatis viris et verbis, eam tandem in uxorem sibi fiduciavit et spopondit. Quod audiens Ghisnensis terræ Comes Arnoldus, sibi metuens, imò sibi, ut prudentis est, et posteris summa cum discretione præcavens et præmuniens, pensavit hinc, si jam dictum contractum et confirmatum foret matrimonium, in perpetuam jam pacificatæ terræ discordiam, et ejusdem terræ in brevi obventurum excidium; illinc animo deliberans, si jam dictam juvenculam filio suo primogenito Balduino acquirere et lege matrimonii copulare posset, seipsum et
B suos in terra perpetuâ posse pace gaudere arbitrabatur. Humiliatus itaque Comes prudentissimus, juxta prudentiam et seniorum consilium inclinavit se ad pacem, et secretò cum Ardensi domino Arnoldo et ejus uxore Adelina prælocutus brevibus verbis, eis viæ causam exposuit et intimavit.

Gratificati ergo Ardensis dominus et uxor ejus et admodùm facti lætabundi, *Cap.* 67.
filiam suam ad consensum ejus postulandum convocaverunt. Audivit itaque filia quod audire non displicuit, et ecce jam præsens astitit, et hilarata vultu jam assensum exprimens, et ad sciscitantis de consensu vocem patris et matris erectis auribus inclinata, nullique libentiùs unquam responsura sono. Complacuit igitur utrique parti utriusque patris sermo, et vox omnium una erat et voluntas dicentium, *fiat*, *fiat*. Duxit igitur Balduinus, Ghisnensis Comitis Arnoldi primogenitus, Ardensis domini Arnoldi filiam, virtutum titulo et proprii nominis
C appellatione Christianam, fitque gloria in altissimis Deo, et in terra Ghisnensi pax omnibus hominibus. Sic enim, uti diximus, ut perpetuâ pace gauderet, sui minoratus et humiliatus paulò minùs ab altitudine dignitatis et nominis Ghisnensis Comitis primogenitus, et jam jam Ghisnensis Comes futurus, ad similitudinarium multorum exemplum et imitationem nobilium, Ducum videlicet, Regum, Imperatorum, se humiliantium et propter similem causam sic uxorantium, inclinavit se ad hominis sui filiam lege matrimonii in uxorem dignanter et ovanter suscipiendam....

Comes autem Arnoldus et Ardensis dominus de Colvida nominatus Arnoldus *Cap.* 70.
in tantam amicitiæ conjuncti sunt confœderationem, ut unum par amicitiæ et quasi novi et nuper in vitam revocati Theseus et Pirithous prædicarentur; et quemadmodùm duæ manus ad unius adhibitæ sunt homini corporis sustentaD tionem, sic et isti duo quidem corpore, non animo, conjuncti sunt in una animi voluntate, quasi in uno corpore, ad totius terræ Ghisnensis consolationem et defensionem. Lætantur igitur omnes hinc et hinc Arnoldiadæ, et jam cessaverunt omnium undique persecutorum insidiæ. Lætatur et exsultat in pace Ghisnia, congaudet et congratulatur et Ardensis domini curia. Nec jam certant hinc Ghisnenses et hinc Ardenses, utri utris deferantur aut parere debeant, cùm alteri alteris vicario modo deferre contendant.... Quippè cùm dominus Comes suæ dominationis dignitatem temperet erga sibi subjectum hominem, et homo non attendens antiquam in Ghisnenses Comites rebellionem, debitæ subjectionis famulatum et reverentiam omni loco et tempore non dedignatur exhibere suo domino, suo Principi, ut Comiti. Facti sunt itaque Comes Arnoldus et Ardensis dominus de Colvida, ut jam diximus, nominatus Arnoldus, quasi cor unum et
E anima una, nec erat inter eos per universam Ghisniam aliqua in dignitate differentia, nisi quòd alter dicebatur Comes, et alter dominus: sed cùm extra patriam sæpissimè dominus diceretur Comes; tamen ubique in integritate sui nominis, et in honore suæ dignitatis manens semper quod erat et prædicabatur, et verè erat Comes.

Cognovit autem Ghisnensis Comitis Arnoldi filius Balduinus uxorem suam *Cap.* 71.
Christianam, quæ concepit et peperit Ardeæ Mabiliam, Joanni filio Petronillæ de Chisonio desponsatam uxorem. Concepit autem postea et peperit similiter Ardeæ Arnoldum de Ghisnis, quem nobis dominum a principio operis invocavimus et patricium *, propter quem et ad quem et de quo sudor in hoc opere * *f.* patronum.
nobis est et sermo... Peperit etiam venerabilis matrona Ardeæ, ubi, ut compendioso verum perstringamus eloquio, totius et tantæ propaginis et omnium

Digitized by Google

suorum mater effecta est liberorum, Willelmum strenuissimum quidem militem, A
sed in flore juventutis apud Colvidam mortuum, et Andriæ cum patribus suis
in assumptione B. Mariæ Virginis honorificè sepultum; Manassem quoque qui
ob insignem sapientiæ ejus et prudentiæ virtutem singularis quodam privilegio
amoris, post Arnoldum ejus primogenitum in tantam præ cæteris acceptus est
patris gratiam, ut ei Rorichoniam cum appenditiis et marisci spatiosi amplitu-
dine, aliaque empta et pretio comparata perplura contulerit beneficia; Balduinum
* *Chesn.* Meleiorum. etiam Clericum Morinensis Ecclesiæ Canonicum, et Neleiorum * non Nestoris
arvorum, sed Ecclesiæ S. Petri Apostolorum Principis juxta Montorium Pro-
curatorem et Personam, et Ecclesiarum in Anglia apud Steventoniam et Stisledas
* *Chesn.* Stitedas et Malingas. et Masingas * et Baigtoniam similiter Provisorem et Personam.

Per idem autem tempus contigit quòd Comes Arnoldus jam ætate maturus
Cap. 73. et senio gravis, ut in rebus suis disponendis sibi provideret et terræ, in Angliam B
proficisceretur: ubi cùm apud Niventoniam in propria mansione, quæ cum
pertinentiis ejus ex parte Ghisnensis quondam Comitissæ Emmæ ei contigerat
et exciderat, per aliquot dierum spatium moram faceret, gravi correptus [est]
ægritudine.... Mortuus est itaque Comes Ghisnensis Arnoldus, et Niventoniâ
apud *Santingheveld* delatus est et honorificè sepultus, Dominicæ Incarnationis
An. 1169. anno MCLXIX: quo anno Regis Stephani quondam filia, quandoque Boloniæ
* *Messines.* dicta Comitissa, habitum religionis apud Meschinense * Monasterium resumpsit,
et Ecclesiæ quæ pro ea interdictæ fuerant, absolutæ [sunt]....

Cap. 74. Balduinus igitur in omni sæcularitatis sapientia eloquentissimus, et in militia
pro quantitate corporis nulli per Flandrensium circuitum secundus aut posthabitus,
adeò ut meritò diceretur patris non degener hæres, acceptâ, ut moris est
sapientis viri, de morte patris consolatione, hominio Flandrensium Comiti C
Theoderico (*a*) ritè exhibito, Ghisnensium Comes effectus est. Cujus honoris mox
ut obtinuit dignitatem, justitiæ rigore per universam Ghisniam resplenduit,
adeò ut justis in judicio quasi judex justus et judiciarius, et injustis terribilis et
nihilominùs laudabilis diceretur, atque judicia faciens mirabilia. Qui licèt in
adolescentia, antequam in Comitatûs proveheretur honorem et sollicitudinem,
plerumque ætatis dissolutus incuriâ, plerumque corporalis sustentationis et rerum
constrictus penuriâ, penès vitæ necessaria minùs providus aut curiosus haberetur,
et cùm insipientibus minùs sapiens apparuerit, vel insipientiam simulaverit; in
Comitatûs tamen sublimatus honorem, mox quasi novum indutus hominem,
insipientes et malignos, qui semper oderunt sapientiam, ut iniquos odio habuit.

Cap. 75. A primis igitur inter prima pietatis opera Capellam sub honore B. Catharinæ
Martyris, instinctu et rogatu christianismæ uxoris suæ Christianæ, apud Montorium D
construxit et ædificavit, et in eadem Capella oleum ejusdem Catharinæ Virginis
et Martyris et sanctæ Virginis, et reliquias beatissimi Thomæ Martyris, cui
specialem et præ aliis propriam exhibere decrevit, imò debuit, reverentiam, eò
quòd militaribus eum applicuisset sacramentis et militis ei nomen imposuisset et
officium, collocavit....

Cap. 76. Deinde apud Ghisnas super dunjonem domum rotundam ex lapidibus quadris
ædificavit et excelsam in aëre suspendit. Quam in superiori parte machinæ planám
fecit et æquatam, ita ut plumbea tectura, trabibus et transtris superposita, pinnaculis
Cap. 77. ædificii sederet, et ex alto prospicientibus compareret.... Postea verò apud
Tornehem turrim quam prædecessores sui pridem construxerant, jam rimis fatis-
centem et hiulcam, et a lapidibus obrutis et a compaginibus disjunctis et dissolutis
ruinam minitantem, reparavit et reformavit, ita ut sibi ipsi, salvâ dialecticorum E
pace, a primo statu dissimilis videretur in reparationis factura....

Cap. 79. Interea sub ejusdem ferè temporis decursu, venerabilis matrona Ghisnensis
Comitissa Christiana concepit et peperit Ægidium, priùs quidem litteratum,
postea militem, qui nobilis viri et prudentissimi Eustachii de Mongardinio filiam
Christianam duxit uxorem; deinde Sigerum, qui similiter nobilis viri Henrici de
Seltunio juxta Memerim, in divisionem terrarum, unde nomen accepit, a gen-
tilibus olim constructam, filiam Adelidem duxit uxorem. Peperit etiam Adelinam
Balduino *go udeshen* vel de Marcisio, de Caiocho tamen nominato, priùs
desponsatam uxorem, postea verò militum strenuissimo Hugoni de Malo sive
* *Chesn.* de Malialceto. Molli-alneto *; Margaretam quoque Rabodoni de Ruinis * desponsatam uxorem,
* *Ib.* Rumis.

(*a*) Theodericus anno jam 1168 e vivis excesserat, præeratque Flandriæ tum Philippus ejus filius

Digitized by Google

A et Mathildem Willelmo filio Claremboldi de Timbonia * traditam uxorem, quæ sine corporis hærede vitam finivit.... * *Chesn.* de Timbronia.

Ægidium quoque de *Hasebroech*, qui Boloniensibus sub Duce Lothariæ Balduino (*a*) in voluntate et consilio venerandi Comitis Flandriæ Philippi præfectus erat a stapulis (vellet et nollet de Dominio-martini * Reinaldus, qui, ignorante jam dicto Lothariæ Duce, Comitatum Boloniæ sibi nuper (*b*) usurpavit) in manu forti liberavit et abduxit [Comes Ghisnensis Balduinus] et in sua reduxit. Qua in re Reinaldus, licèt ei et suis semper insidiosus exstitisset et infestus, de eo sub ejus memorandæ actionis articulo, linguâ veritatis et magnificâ *Caput Dei* juramento contestans, asseruit quòd nunquam tantæ probitatis et virtuosæ magnanimitatis usquam oculis prospexerit homiculum *. In cujus superbia dicti et extollentia, licèt nomine diminutivo usus sit detractoriè, non obticuit in eo probita- *Cap.* 82. * *Ib.* Domno-martini. * *Ib.* homunculum.

B tem magnificentiæ. Quod accipiens Comitum prudentissimus, non in iram concitatus est aut turpiloquium ; sed hanc moralitatis sententiam protulit et dixit : « Sæpiùs audivi quòd fas sit ab hoste doceri, fas commendari, fas et ab hoste » probari ».

Armiferam autem turrim et cœlo contiguam quis nesciat apud Sangatam ab eodem Comite Balduino firmatam, et fossatis circumcinctam, et ericiis et propugnaculis munitam, et hostibus magis invisam quàm expositam. Ut autem locus Sangaticus ab aliquibus nuper audientibus et loci situm ignorantibus notioris nominis et ob hoc majoris habeatur auctoritatis, ejusdem loci, Wichsandicis et Calaisiticis * nobis, imò loco in hac parte immurmurantibus, descriptionem ponimus. Fuit igitur ab antiquo locus quidam arenosus, Britannici Oceani littori contiguus juxta scalas Bertiniacas, nec longè a Walteri saltu inter Wichsandi- *Cap.* 83. * *Id.* Calaiticis.

C cum portum et Calaisiacum ferè medius, ubi quondam per medium dunarum sive arenosæ molis dorsum, maris æstus quodam naturali suo impulsu et violentiâ ad solidam usque irrumpens terram, subterfluentis in modum lacûs portum fecit, et securissima naves in statione recepit : ubi cùm inter dunas et fluvii solidatas oras hinc illinc sæpiùs impulsa, liberum non habens in mare meatum stagnaret, aqua inter dunas et terram solidam mariscum fecit profundissimum, ita ut ab indigenis gentilium puteus putaretur, et ejusdem appellationis nominaretur proprietate. Sed cùm postea Thetios unda vagæ objectu arenæ, fluctuantis æstu maris coadunatæ, fluctivagantis salsuginem maris jam dicto portui invideret et subtraheret, dunarum dorso aquarum impetu priùs erupto *, assiduâ nunc arenæ ventilatione in molem conglutinato et consolidato, seclusus est mariscus ab Oceàno. Unde quoniam maris æstus, sicuti jam diximus, dunarum ibi pridem * *Ib.* dompto.

D penetravit et perforavit arenam, loco jam dicto arenoso arenæ foramen, vulgò autem Sangatam indigenæ nomen indiderunt, mariscum autem sub ejusdem appellationis proprietate nominaverunt et villam. Hunc ergo sine nomine quandoque locum nominatissimum fecit magnanimus et magni nominis Comes Balduinus. Cùm enim pater ejus Comes videlicet Arnoldus, in villa quæ causâ jam dictâ Sangata dicitur, habitationis vix haberet domicilium, ubi salvo honore et dignitatis reverentiâ caput reclinaret : memorandæ memoriæ Comes Balduinus in eodem marisco, invito Boloniæ Comite Reinaldo et Boloniensibus, hinc inde Withsanticis et Calaisiticis, simul et omnibus Mercurritici territorii populis gannientibus, firmissimum fixit et firmavit castellum, et gloriosam turrim ab abysso terræ in aërem suspendit. Hæc autem turris propugnaculis et machinamentis bellicis munitissima, quot habet lapides, tot habet hostes. Unde et Trojanum

E Ilium, si pro quantitate regni et negotii tot et tantis viris armiferis cum sufficientibus munitum fuisset expensis, quot et quantis Sangatica turris, staret adhuc in gloria, gloria Trojugenum, nec equo decepta fuisset, nec palatium Priami, nec regnum corruisset, nec adhuc Græci, devictis Phrygiis, diem exsultassent victoriosum.

Enimverò cùm Boloniensium Comes Reinaldus Sangaticam turrim ædificari, et Ghisnensem Comitem Balduinum militibus et armis, deliciosis epulis et conviviis in ea frequenter exsultare et insolito more gloriari videret et invideret, sibi non minùs quàm terræ metuens, omnem accendit iram et indignationem, *Cap.* 84.

(*a*) Nullus Lothariæ Dux occurrit nomine Balduinus.

(*b*) Reinaldus de Domno-Martino Boloniensem Comitatum non ante an. 1186 est assecutus, quo Idam hæredem unicam uxorem accepit.

Digitized by Google

et coadunatis universæ terræ militibus et populis apud Ostrowicum juxta fluviacas oras secùs Sangaticam firmitatem, ut nomen et firmitatem Sangatæ destrueret et deleret, in constructionem, si quomodò posset, castelli fodere cœpit et firmare. Hìc ergo fossarii, ligonistæ, oneratores et bucharii, aliique firmitatis et fossati operatores et magistri, circumstantibus Principibus et universæ terræ militibus, operantur, et terram, quantùm possunt, in aggerem elevant, et fossatum in aggeris munitionem fodiunt atque firmant. Quod videntes Ghisnenses et Sangatici viri fortes et bellicosi, præ indignatione intumuerunt, et exclamantes eorum balistarii mortiferos pluunt in eos quadrillos et sagittas, adeò ut expergefacti et conterriti adversariorum et adversæ partis operarii, Principibus et militibus in fugam conversis, non sine multa sanguinis effusione opus relinquentes, uti usque hodie patet, imperfectum, turpiter abscesserunt. Hæc de situ Sangatæ et ejus firmitate nostræ sedulitatis paravit opera, ne quandò vetustatis situs Sangaticæ fundationis primordia a perennitatis deleat et abstergat memoria. A B

Cap. 85. An. 1176. Mortuo autem Ardensium domino Arnoldo de Colvida et ejus nobili uxore Adelinâ, unius anni revoluto cursu, Ghisnensium Comitissa Christiana cùm in lectulo ægritudinis, sicut mos est parturientis, postquam ultimò peperit, accubaret, et vir ejus Comes Balduinus in Anglia in disponendis rebus suis moram faceret; acceptis et auditis nunciis gravissimam usque ad mortem ægrotantis Comitissæ infirmitatem nunciantibus, vix ad ipsam, ubi Ardeæ jacebat, pervenit Comes, cùm Physici et magistri ejus, Hermannus videlicet et Godefredus, de vita ejus desperantes eam Comiti servandam et consolandam, ímò in proximo lugendam et plangendam reliquerunt. Quòd plasticis ergo medicamentis nil ei proficientibus, sed et eam in mortem provocantibus, ah! mortua est christianissima Comitissa Ghisnensis Christiana, Dominicæ Incarnationis anno MCLXXVII, VI Nonas Julii, et ad pedes matris suæ venerabilis matronæ Adelinæ, Ardeæ, eò quòd in Ardea nata fuerit et demùm in morte resoluta, Andrensis Ecclesiæ Monachis ad petitionem Ardensium acquiescentibus et consentientibus, in maceria templi apposita est ad patres suos et honorificè sepulta, præsentibus et funebrem cantilenam cum lacrymis celebrantibus venerabilibus Abbatibus Godescalco S. Bertini, Algero B. Mariæ de Capella, Petro Andrensi, Roberto Lischensi, et aliis pluribus Clericis et laïcis innumeris.... Sepulta est igitur nobilis matrona Ghisnensis Comitissa Christiana, et laminâ marmoreâ honorificè contecta (*a*). C

Cap. 86. Comes autem Balduinus, de sibi amantissimæ uxoris morte nullam admittens consolationem, in lectum ægritudinis immoderatæ per multos dies incidit, et præ nimio dolore et infirmitate sic mente consternatus fuisse dicitur, ut nec seipsum nec alium per multos dies agnosceret, sed nec bonum a malo, nec honestum ab inhonesto distingueret aut discerneret.... Fleverunt igitur sui milites et populi vicini et remoti, et dolor omnium pro morte Comitissæ habitus in miserabili Comitis ægritudine omnibus renovatus est. Tandem Dominus precibus populi sui pulsatus et humilitatem ejus respiciens, Comiti, imò servo suo suam ostendit misericordiam et salutare suum concessit et sanitatem. Convaluit igitur Comes de infirmitate, et renovatus est, sicut aquila, spiritu mentis suæ in agnitionem corporis Christi et Ecclesiæ.... D

Cap. 88. In consilio verò Principum adeò prudens dictus est idem Comes, in consilio et judicio discretus, quòd in corona regni Franciæ quasi gemma radiaret pretiosa, et in diademate Regis Angliæ quasi carbunculi petra coruscaret pretiosa.... In omnibus igitur et per omnia laudabilem eum virum jure prædicamus. Æmuli tamen ejus et nostri, quasi verum dixerint, hoc ei improperant quòd, rubescente aurorâ, promptiori animo corniculum auscultat venatoris quàm campanam Sacerdotis, avidiùs vocem leporarii quàm Capellani vel ejus Vicarii, priùsque a somno excitat aucupes quàm templi custodes, et magis applaudit accipitri vel falconi aerem gyranti et verberanti, quam Presbytero sermocinanti. Addunt igitur et vera, quasi nihil a vero dissentientes, et ob intemperatam renum ejus commotionem impatientis libidinis a primis adolescentiæ motibus usque in senilem ætatem eum exstitisse convincere nituntur, et jam quasi convincunt. E

Cap. 89. In tantum etenim, ut aiunt, in teneras exardescit puellas, et maximè virgines,

(*a*) « Hos versus, inquit Lambertus, pro epitaphio in maceria super eam scripsimus :

Hic Comitissa jacet florenti stirpe creata,
Parque viro sociata pari, Christiana vocata.
Julius in sexto Nonarum mense notetur,
Sicque dies obitûs in sæcula longa scietur.
Annus millenus centenus septuagenus
Septimus in Christo stat in ejus funere plenus.

quòd

Digitized by Google

A quòd nec David, nec filius ejus Salomon in tot juvencularum corruptione similis ejus esse creditur.... Hæc in ipsum et in nobis malignantes æmuli. Sed absit a mentibus discretorum hoc acceptum sibi esse et conveniens, quòd inimici nostri subsannationis rugas in nos replicantes unquam judices nostri sint aut nominentur. Sub eodem autem ferè temporis cursu quo Ghisnensis Comitissa Christiana mortua fuit et sepulta, genuit apud Ghisnas Guffridum Morinensis et Brugensis Ecclesiæ Canonicum, et in Anglia multarum Personam et procuratorem; Baldechinum quoque bastardum, Eustacium et Willermum, et re et nomine bastardum; Eustacium etiam Clericum, Ardensis oppidi alumnum, aliosque filios innumerabiles, et filias multigenas, nobilibus hìc illic viris provisoriâ patris industriâ et cautelâ maxima in parte conjugatas. De illis autem, genuinâ probitatis eorum poscente naturâ, alii moribus et actibus se militiæ præ-
B parant et accingunt; alii ludicris et teneræ indulgent ætatulæ; alii pædagogis servandi commendantur; alii scholis magistrorum curâ traduntur erudiendi; alii hìc illic nutricibus aut etiam matribus relinquuntur nutriendi. De quibus quoniam certum numerum non habemus (quandoquidem nec pater eorum nomina novit omnia) de eis aliquid dicere supersedemus. Si enim de eis veritatis historiam omninò prosequeremur, magis offendere formidaremus, quàm placere.

MONITUM.

C *WALTERI de Clusa opusculum de Ardensibus Toparchis suæ de Comitibus Ghisnensibus historiæ inseruit Lambertus Ardensis sub eadem capitum serie, uti jam præmonuimus, a capite nimirùm* 97 *usque ad* 147. *Primam itaque hujus opusculi partem videsis Tomo nostro XI, p.* 299 *et seqq. Fuit Walterus de Clusa Balduini Ardensis domini filius,* licèt minùs honesto loco genitus, *id est nothus, quod quidem ipsemet pluribus locis tradit, præsertim cap.* 134. *Hæc ejus ingenuitas plurimam ei fidem conciliat; sed ut verum fateamur, stylus Walteri vix discrepat a dicendi genere Lamberti Ardensis, qui forsan ipsum loquentem inducit, eò quòd ex ipsius ore Ardensium historiam di-*
D *dicisset. Quippè cùm in aula Arnoldi Ghisnensis, ingruentibus pluviis, simul detinerentur, rogatus Walterus de Clusa, ut de Ardensium gestis aliquid revolveret et explicaret,* coram omnibus et nobis hoc ipsum audientibus, *inquit Lambertus cap.* 96, appositâ ad barbam dexterâ, et ut senes plerumque facere solent, eâ digitis insertis appexâ et appropexâ, *narrare incœpit. Utut est, stemma genealogicum dominorum Ardensium præmittimus, quo superiorem opusculi partem subsequenti colligamus.*

Herredus, seu Herebertus Furnensis, cognomento *Crangroc.* — 1. ADELA de Selnessa, neptis Franconis Teruan. Episcopi. — Elbodon, frater Castellani Bergensis.

E Adela, conjux Eustachii I de Fielnis. — Adelidis nupta Roberto Elembon. — 2. ARNOLDUS I Ardensis, Senescallus Eustachii II Bolon. C. circa an. 1069. — Mathildis, filia Gaufridi de Marchisia.

3. ARNOLDUS II, cognomento Senex. *Conjux* Gertrudis Alostana. — Erementrudis. Helewidis. — Jocasta seu Ivisia. Emma. — Gaufridus Marchisiæ dominus.

4. ARNOLDUS III, cognom. Juvenis. *Conjux* Petronilla de Buchenio. — 5. BALDUINUS Ardensis dominus. — Manasses. Hugo. — Agnes. Aleisa. — 6. ADELINA nupta Arnoldo de Markinio.

Walterus de Clusa et alii nothi. — 7. CHRISTIANA, *conjux* Balduini II, Ghisnensis Comitis.

Digitized by Google

EX WALTERI DE CLUSA

HISTORIA ARDENSIUM DOMINORUM.

Cap. 118. MORTUA igitur uxore suâ Clementiâ (*a*), et in Ecclesia S. Pauli sepultâ et officiosissimè deploratâ, Sancti Pauli satis prudenter valedicens et relinquens Comitatum, suam apud Ardeam se transtulit Arnoldus, et novam ibi in medio fori ante portam interioris valli in honore beatæ Mariæ Virginis et S. Audomari Confessoris et Morinensis Episcopi, nec non et Sanctorum quorum perquisierat reliquias, magnam ædificavit Basilicam, et ab Ecclesia cimiterii cum suis evocavit sacrariis et reliquiis, omnibusque Ecclesiæ libris et ornamentis, Canonicos, et in nova Basilica quasi in sua Capella Deo in perpetuum servire constituit....

Cap. 119. Sciendum est autem, quòd Arnoldus vel Arnulphus Advocatus (*b*) dictus et Ardensis Ecclesiæ instaurator et Præpositus, quandòque Sancti Pauli Comes, dum Ghisnensium Comiti Balduino hujus nominis primo, ut domino parere dedignaretur et respueret, et ob hoc a Ghisnensi Comite sæpiùs impeteretur et causis persequeretur et armis, consilio Arnoldi filii sui et quorumdam aliorum Ardensis castelli dunjonem et alia quædam allodia sua a Flandrensi Comite Roberto, qui postea, debellatâ Antiochiâ, cepit Jerosolimam, Roberti, de quo jam diximus, Frisonis filio, in feodum suscepit, et ei hominium fecit et subjectionem compromisit. Unde et Flandrensis Comes ei concessit, ut hæreditario jure cum duodecim Flandrensis curiæ Paribus et Baronibus sedeat et judicet, et ut honoris eorum et dignitatis per omnia se Comparem glorietur et participem. Concessit etiam ei et in feodum dedit hæreditarium, ut quemlibet pro quacumque causa bannitum per annum unum et diem unum contra quoscumque suæ ditionis homines Ardeæ sustinere posset, dum non in corpus Flandrensis Comitis vel Comitissæ quidquam in propatulo moliretur aut machinaretur. Quòd si juri stare noluisset bannitus, in quamcumque suæ dominationis curiam coram quibuscumque judicibus eum securè producere potuisset, et sic quamdiu judicio stare noluisset, eum in terram suam reducere et in terra sua retinere potuisset. Sic ergo mundanas actiones cum secularibus satis laudabiliter disponens in sæculo, ægrotare cœpit; et cùm vocasset ad se Abbatem S. Bertini, convocatis etiam filiis suis ad se et Ecclesiæ suæ Clericis, coram omnibus valedicens sæculo, Monachus effectus et ad sanctum Bertinum delatus est. Ubi per aliquot dierum spatium suorum in pœnitentia deflens negligentias peccaminum, exuens et relinquens molem carnis simul et miserias, omni dubitatione remotâ, sedes receptus est in æthereas. Cujus corpus a Monachis in claùstro est honorificè sepultum et in mausolæo per sæcula memorando studiosissimè contectum.

Cap. 120. Mortuo autem Ardensi domino et Præposito Arnoldo sive Ernulpho Advocato, Eustacius de Hinniaco *, et Balduinus de Exclusa * ad Flandrensem Comitem Robertum convolaverunt et homagium sive hominium, quod Ardensi domino Arnoldo facere debuerant,... Flandrensi Comiti, nihil impudentes, nihil in obsequio verecundantes, exhibuerunt; et licèt propter tanti perfidiam sceleris multi illos increparent et redarguerent, et in opprobrium reproborum et perfidè delinquentium in ipsos conspuerent, Boloniensi tamen Comiti aut Ardensi domino aliquo subjectionis aut obligationis titulo ampliùs innodari constanter abdicaverunt. Unde et in iram conversus Ardensis dominus Arnoldus filius Arnulphi, si quos habebat accolas Hinniacenses vel Exclusenses apud

* de *Henni.*
* de l'*Ecluse.*

(*a*) Duas uxores Arnoldus Ardensis Toparcha duxerat, nimirùm Mathildem Gaufridi de Marchisia filiam et hæredem, ex qua plures liberos suscepit; deinde Clementiam, Hugoni I Sancti-Pauli Comiti priùs nuptam.

(*b*) Quâ ratione Arnoldus dictus sit Advocatus, declarat cap. 112. Walterus : « Siquidem hic Ar» noldus, *inquit*, cùm villicaturam sive Præposi» turam S. Bertini in terra Ghisnensi hæreditario » jure, a tempore venerabilis patris et Comitis » Walberti et antecessoribus suis accepisset, maxi» mam cum ejusdem loci Monachis familiaritatem » consecutus est : adeò ut per omnia Ecclesiæ suæ » fidelem, et in terra Ghisnensi eum Advocatum » suum dicerent et constituerent. Unde et ubique » terrarum Advocati nomen accepit. Hujus ergo » nominis impositionis causam et certitudinem » in multis Ardensis, Bertinensis, Audomarensis, » Morinensis, Hinniacensis Ecclesiæ, necnon et » Sancti-Pauli scriptis authenticis et privilegiis, » Arnoldus invenitur Advocatus nominatus ». Sic nimirùm Bethunienses Dynastæ Advocati Atrebatenses dicti sunt, ob impensum Vedastinæ Ecclesiæ patrocinium.

Digitized by Google

A Ardeam commorantes, in despectum et opprobrium Hinniacensium perfidorum et Exclusensium dominorum, perfidos deputavit et in servilis conditionis detrusit et inclusit opprobrium.

Arnoldus autem filius ejusdem Arnulphi Advocati, cognomento senex vel vetulus, acceptâ satis prudenter de morte patris consolatione, Ardeæ dominus effectus est et Ardensis Ecclesiæ Præpositus; et commutatâ quantociùs a fratre suo Gonfrido et comparatâ, quam pro militiæ servitio munus et munium a rege supra nominato Angliæ in Anglia perquisierant et simul acceperant, terrâ, fratri suo Gonfrido terram Marchisiæ * cum pertinenciis ejus, quæ ex parte matris ejus ei contigerat, hæreditario jure concessit habendam : sicque Gonfrido et hæredibus ejus deputata est Marchisia. Arnoldus igitur Ardeæ factus dominus et Flandrensis curiæ Compar et socius, Flandrensem curiam frequen- B tavit, Flandrensium nobiles quanto potuit studio honoravit, ut eorum opitulatione Hinniacenses et Exclusenses ipsum (proh pudor et perfidiæ nefas!) dedignantes et in illum contumaces et rebelles, apud Flandrensem Comitem maximè sibi acquireret et subjugaret. Ad quorumdam igitur subsequentium declarandam et elucidandam obscuritatem, ut videlicet Ardensis dominationis nobilitatem, prout concepimus, ex integro aperiamus, et Broburgensium genealogiam, prout nostræ adjacet narrationi, minùs providè intactam non relinquamus, cùm nec in hoc a narratione nostra vagantes digredimur aut discurrimus, ad quædam alia narrationi quidem nostræ non aliena, sed affinia, tam Ardensibus quàm Broburgensibus domestica, a veriloquis prænoniti et edocti patribus, Ardenses simul et Broburgenses ab Alostensibus in parte duxisse originem doceamus.

Cap. 121.

* de *Marquise dans le Boulonois.*

Fuit igitur pridem in terra Braibandorum nobilis quidam Alostensis dominationis *Cap.* 122. C hæres et dominus Balduinus cognomento Grossus sive Magnus, qui habuit uxorem nobilibus ortam natalibus nomine Mathildem, a viri sui grossitudine vel magnitudine simili appellatione Grossam vel Magnam nominatam. Siquidem hic Balduinus Grossus habuit fratrem Ingelbertum nomine de *Pebinghen* * et sororem pulcherrimam nomine Gertrudem, Ardensium domino Arnoldo seni sive vetulo, propter Arnoldum filium suum juvenem sive juniorem dictum, nominato, quandòque desponsatam uxorem. Genuit autem Balduinus Grossus ex uxore sua Mathilde Grossa Balduinum Luscum, propter barbæ prolixitatem dictum Gernobodatum, Alostensis terræ postea dominum, et Ivenum de Gandavo nominatum. Balduinus autem Gernobodatus ex nobilissima de Grembergio oriunda Luthgarda genuit Beatricem. Balduino autem Gernobodato universæ carnis viam ingresso et sepulto (*a*), Ivenus frater ejus non considerans justum aut hónestum aut fruc- D tuosum, fratris sui filiam Beatricem vivam et hæredem adhuc esse et superstitem, violenter irrupit, et quomodòcumque Flandrensium Comite Theoderico consentiente, immò assensum præbente, obtinuit. Sed et neptem suam Beatricem, Balduini videlicet fratris sui filiam, adhuc tenellam et juvenculam et rei eventûs ignaram et * sciolam, et quid de ea ageretur minùs consultè prævidentem, Broburgensi Castellano Henrico Deinardi (*b*) filio, relictâ sibi minimâ allodiorum, quæ ex parte matris suæ Luthgardæ in terra Braibandorum ei contingebant, portiunculâ, Wercià videlicet et Menithiâ, copulavit uxorem. Siquidem hic Broburgensis Castellanus Henricus, patre suo pridem Broburgensi Castellano Deinardo in Ecclesia S. Donatiani Brugensi cum Flandrensi Comite Carolo ante altare sancti Patris Basilii ad orandum genua flectente, a Brugensibus traditoribus inopinatæ mortis gladio interempto, cùm Comiti succurrere vellet nec E posset, simul enecato *, Ghisnensis Comitis Manassis filiam unicam nomine proprio Sibilam, nuncupativè Rosam, quæ in partu vitam exhalavit, priùs duxerat uxorem. Hic ergo Broburgensis Castellanus Henricus ex Alostensi Beatrice genuit septem filios, Balduinum videlicet, Walterum et Henricum, Gillebertum et Rodulphum, Sigerum et Walterum, et quinque filias, Mabiliam scilicet, Mathildem, Luthgardam, Adelidem et Beatricem. Balduinus itaque prior natu,

* Chesn. de *Petinghen.*

* *Leg.* nec.

* An. 1127.

(*a*) Galbertus in vita B. Caroli Boni, IX *Kal. Novembris*, inquit n°. 136, *feriâ secundâ ante festum S. Amandi* (an. 1127) *Balduinus ex* Alst, *obiit : qui unus etiam Par Pariùm Flandriæ, Domini sui Caroli traditionis notatus malo, non longè post hàc vitâ potitus exspiravit, leviori occasione mortis. Dum scilicet cornu flaret, et vento arterias intrinsecùs turgente, totius corporis sui vires ad flandum laborarent, ex abrupto medulla cerebri a naturali loco concussa erupta est per vulnus antiquitùs factum in fronte.* Balduinus quoque Ninovensis in chronico, *Anno* MCXXVII, inquit, *Balduinus Gandensis, primus inter primos Flandriæ et Brabantiæ, apud* Affleghem *in Monachum attondetur.*

(*b*) Chesn. *Devardi*, aliisque *Thevardi* et *Tangmari* dicti.

Digitized by Google

* post an. 1151. patre suo Henrico mortuo et apud S. Bertinum sepulto *, Broburgensis effectus Castellanus, (postquam de Alostensium terra, quæ sicuti jam demonstravimus, hæreditario jure ex parte matris suæ sibi contingebat, in exspectationem majoris recuperationis et gratiæ a Flandrensi Comite Philippo Torthonium perquisierat et Longam-Marcam et Becescotium, et ad tempus majora repetere protelavit et distulit) duxit in uxorem Julianam Duracensem Comitissam; sed nec ex eo concepit aut peperit, sed sine liberis ex eo conceptis mortua est et sepulta. Postea verò cùm duxisset idem Balduinus in uxorem Elisabeth, filiam Advocati Roberti de Bethunia, sine liberis mortuus est et [sepultus] in Ecclesia S. Mariæ Broburgensis, in qua et omnes Broburgenses Castellani sepulti sunt, præter Henricum primum, qui apud Sanctum Bertinum honorificè sepultus est. Primus autem Walterus adolescentulus mortuus est: Henricus autem jam miles factus obiit; Gillebertus verò, quia in torniamentando aciem perdiderat oculorum, Castellanus fieri refutavit; Rodulphus autem et Sigerus facti Clerici multas obtinuerunt Præbendas et Ecclesiasticas dignitates. Quorum Rodulphus Ecclesiæ Noviomensis factus Decanus, cùm in Noviomensis Ecclesiæ jamjamque raperetur et eligeretur Episcopum, mortuus est, et Peronæ sub choro Ecclesiæ sancti Fursæi cum summa veneratione sepultus; Sigerus quoque non multo tempore post mortuus est et in Ecclesia Beatæ Mariæ Broburgensi sepultus. Septimus igitur ex omnibus junior fratribus Walterus demùm factus Castellanus Broburgensis, duxit in uxorem Advocati Roberti de Bethunia filiam Mathildem, sororem Elisabeth, quam Balduinus frater ejus dudum duxerat uxorem, et ex ea genuit Henricum et Beatricem. Sed Waltero mortuo, filius ejus Henricus adhuc puer Broburgensis Castellanus effectus est. Soror autem ejus Beatrix apud Broburgum in claustro Sanctimonialium, non tam nutrienda quàm moribus erudienda et liberalibus studiis imbuenda tradita est. A B C

Ut autem juxta enumerationis ordinem de quinque filiabus Broburgensis Castellani Henrici hujus nominis primi veritatis historiam prosequamur, prima videlicet Mabilia, Balduino de Balliolo desponsata, facta est Iprensis Vicecomitissa; secunda scilicet Mathildis, studiis primò liberalibus tradita, honestate vitæ et meriti sanctitate inter Broburgensis Ecclesiæ filias et Sanctimoniales, Sanctimonialis et ipsa a Sanctimonialibus rapta et illecta potiùs quàm electa, Abbatissæ nomen accepit et officii dignitatem; tertia verò Luthgarda cuidam nobili viro super Rhenum degenti Arnoldo de Cuerthedra copulata est uxor et desponsata; quarta Adelidis nobili viro Stephano de *Sinninghen* legitimo conjuncta est matrimonio; quinta videlicet Beatrix omnibus ferè præstantior, audiens et intelligens quia bona est vita conjugalis, melior continentia vidualis, optima perfectio virginalis, virgo permansit in ævum, cui laus et gloria nunc et in ævum. Hæc igitur morum honestate, vitæ sanctitate, rerum largitate, innatâ bonitate, divinâ caritate, Clero quidem grata, Deo commendata, mundo prædicata, Sanctos imitata, Christo desponsata, sine habitu religiosa, sine nomine et dignitate Abbatissa, officii tamen sedulitate in omni sanctitate et religione Sanctimonialium non tam officialis quàm pedissequa, in propria domo residens, propriis contenta possessionibus et redditibus, post mortem sororis suæ venerabilis matronæ et Abbatissæ Mathildis, in loco Abbatissæ, præsente tamen Abbatissâ, vices Abbatissæ diligenter exequitur et opportunè. Ad ejus enim nutum et voluntatem et dispositionem omnes Sanctimonialium disponuntur actiones et negotia, necnon et ejus providentiâ omnes ejusdem loci cœnobiales tam servientes quàm Sanctimoniales proteguntur, gubernantur et procreantur *. Hæc ad subsequentium declarationem de Alostensibus et Broburgensibus et Bethuniensibus breviter et succinctè tacta, et propter quædam narrationi nostræ incidentia succinctè decursa, dicta sufficiant. Nunc autem ut susceptam narrationem ad finem producamus, ad Ardenses redeamus. D E

* procurantur.

Cap. 123. Cùm igitur Ardensis dominus Arnoldus, avus meus, cognomento senex, Flandrensem curiam frequentaret, et magnitudinis ejus fama ad universos regni Francorum Proceres pertingeret, et de eo veriloquâ voce bonum prædicando personaret, ad Alostensis domini Balduini Grossi (*a*) aures nomen ejus innotuit et

(*a*) Balduinus Grossus patri suo Balduino successit an. 1081, ex chronico Ninovensi, annoque 1096 in Palestinam profectus, ibidem neci occubuit. Quo temporis intervallo Arnoldi Ardensis matrimonium cum Gertrude Alostana contigisse necesse est.

Digitized by Google

militiæ decus et magnificentia. Unde cùm quodam die de quodam torniamento, quod in confinio Tornacensis provinciæ famosum exstiterat et gloriosum, ubi totius pondus et gloriam belligerantis diei et torniamenti, invidis etiam acquiescentibus, sustinuerat et sibi comparaverat, Alostensis Balduinus Grossus eum secum hospitari fecit, et solemniter eum et suos lautissimis procuravit cibis et potibus. Mane autem facto, in multis prælocuti sunt sermonibus, et Arnoldus duxit et legitimo sibi copulavit matrimonio nobilem nobilis viri sororem nomine Gertrudem, cum qua simul et ejus accepit allodia quæ in Castellania Brugensium possidebat apud Rodenbergum et Ostbergum et circa Isendicam et Vulendicam et Cuternessam. Veniens itaque Arnoldus cum uxore sua Gertrude suam apud Ardeam, solemniter, campanis sonantibus, a Clero et populo in sua receptus est Ecclesia, et ibi oratione factâ, brevi in suæ simul cum gaudio recepti sunt mansionis castellum. Ubi triduo quasi trietherica Bacchi effigiantes, cibis vacantes et potibus, in ludicris et jocis cum jocunditate et exsultatione solemnes celebraverunt nuptias.....

Cognovit autem Arnoldus uxorem suam Gertrudem, et genuit ex ea Arnoldum cognomento juvenem sive juniorem, Manassem et Balduinum et Hugonem Monachum, Adelinam, Agnetem et Alaisam. Cùm autem idem Arnoldus avus meus Ardeæ dominus, ad differentiam, sicuti superiùs memoravimus, filii sui Arnoldi junioris appellatus senex, in pacis tranquillitate et in prosperitate viveret, et indignantibus Ghisnensium Comite et Balingheniensibus multisque aliis, vivorum aquas fontium apud Bramas instagnaret et includeret et vivarium efficeret, et vivario molendinum superædificaret et construeret, insurgentes iterùm multâ vi et fortitudine Fielnenses, allodia quæ in Ardea sibi contingere et ad se spectare conjectabant hæreditaria, repostulabant. Sed cùm Ardenses cum indignatione responderent, se nulla Fielnensium obtinere prædia vel allodia : recedentes et in iram conversi, et iterùm accedentes Fielnenses et impetum in Ardenses facientes, eos lacessere cœperunt et fortiter inquietare. Ardenses verò non dissimiliter Fielnenses in prælium irritantes et provocantes, prædas eorum sæpiùs abduxerunt. Convocatis autem exercitibus, Fielnenses (quid enim verum dissimulare juvat?) non tantùm suas, sed et Ardensium prædas secum sæpiùs cum suis reduxerunt. *Cap.* 125.

Porrò et Ardensis dominus avus meus Arnoldus atrium Frelingheniensium, ut sua securiùs conservare posset animalia, firmo circumcinxit fossato : quod postea in dedicatione Ecclesiolæ in eodem atrio constitutæ, solo æquatum est. Sic autem per multum temporis invicem decertantes, invicem provocantes, et utrimque alteri alterutrum partim lacessentes, fremebant dentibus oppositæ partis alteruter in alterutrum. Sed post longam inter hos et illos altercationem et guerrantium utriusque partis assultus, tandem mediantibus utriusque similiter partis amicis, pace inter eos compositâ, amici facti sunt et in consanguinitatis amorem confœderati. Prædia enim Ardensium, quæ apud Fielnas cum inhabitantibus servis ab atrio cimiterii per medium forum circumquaque usque ad castellum continuè jacebant, Fielnensibus in partem cesserunt hæreditatis et permanserunt; prædia verò Fielnensium, si qua habebant apud Ardeam, in perpetuam permanserunt Ardensibus hæreditatem.

Post hæc autem cùm Arnoldus, filiis suis tam in venerea delectatione conceptis, quàm de nobili uxore Gertrude procreatis, militibus factis et in flore juventutis vernantibus, et Flandrensis curiæ nobilitate tumescentibus, Ghisnensi Comiti Manassi servire supersederet, et ei juxta hominii tenorem non tantùm devotus non existeret, sed etiam contumax et rebellis ei parere et obsequi contemneret, Comes eum nimirùm in multis infestavit et in multis molestavit : adeò ut Comes eum sæpiùs in suam, vellet nollet Arnoldus, effugaret, (nec enim verum dissimulamus) et non sine multa sanguinis effusione recluderet et obsideret Ardeam, et villæ domos et simul Ecclesiam.... in favillam converteret et in cinerem redigeret. Cùm autem eum usque in castelli munitionem effugatum perurgeret, et eum nec convincere nec ad deditionem cogere potuisset; cùm sentiret Comes milites circumquaque in auxilium Ardensium confluentes, et ob hoc ab Ardea recederet : exeuntes et in iram conversi et in furore ardentes Ardenses, associatis supervenientibus sibi in auxilium militibus, Comitem in Ghisnas, multis utrimque cæsis hostibus, effugaverunt. In voluntate tamen utriusque partis treugis utrimque concessis et acceptis, et fide in pacem ad tempus utrim- *Cap.* 126.

Digitized by Google

que datâ et acceptâ : Arnoldus, reparato exterioris Ardensis munitionis valli fossato et amplificato, et sepibus et ericiis consepto et constipato, turribus et bellicis machinamentis supererectis et in munitionem contra hostium impugnationem præparatis, fossatum magnum et profundum et amplum extra villam et cimiterium a superiori parte vivarii usque in Fubberti boscum vel nemus extendit, communia populi sui asiamenta * et planiciem camporum non minùs quàm totius villæ Ardensis domos infra concludens atque muniens, et super fossatum quercus et alias simul arbores, uti usque hodie patet, plantari fecit atque præcepit. Sub eodem autem temporis cursu fecit Hugonem filium suum in Ecclesia sancti Bertini Monachum, deditque cum eo ejusdem loci Abbati et Monachis in liberam eleemosynam, quidquid Bertinensis Ecclesia usque in hodiernum diem possidet apud *Rolinghem*.

* *Chesn.* aisiamenta.

Unum est autem, quod in transcursu verborum ponimus tam mirabile quàm memorabile : quòd videlicet cùm inter Ghisnenses et Ardenses major esset decertationis guerra, et Ardenses, quamdiu in terra Ghisnensium morabantur, semper Comiti Ghisnensium et suis rebelles et contumaces, non tantùm debitum ei obsequium denegabant, sed cum indignatione eum et suos persequebantur et infestabant; et Ghisnensis Comes nihilominùs et sui cùm in terra Ghisnensium conversationem haberent, simili infestatione et persecutione Ardensibus insidiabantur et eos infestabant : tamen cùm extra Ghisnensem patriam in quemcumque locum, in quamcumque curiam vel aulam, vel etiam in quocumque torniamento vel hospitio, hi cum illis conveniebant, Ardenses quò ampliùs in terra Ghisnensi Comiti et suis rebelles exstiterunt et contumaces, eò ampliùs in extraneis partibus Comiti suisque Ghisnensibus in servitio fuerunt promptiores et in fide non ficta devotiores; Ghisnenses verò, quantò in patria quantocumque jure vel merito fuerant Ardensibus truculentiores, tantò in externis locis, ubicumque simul conveniebant, illis placatum et quasi pacatum vultum exhibentes, eis apparuerunt mitiores et omnimodè benigniores. Honore igitur invicem prævenientes, exhibebant in alterutrum quod alterutri debebant, spontaneum devotionis beneficium.

Cap. 127. Postea verò, pace inter Ghisnensem Comitem Manassem et Ardensem dominum Arnoldum factâ et confirmatâ, super dunjonem Ardeæ miro carpentariorum artificio domum ligneam fecit, materiâ totius Flandriæ domos tunc temporis excellentem....

Cap. 129. Gertrudis autem Ardensis domini Arnoldi uxor, licèt nobilibus orta natalibus, nobilitate generis gloriaretur, et fastuosâ verborum et actuum continentiâ nobilitaretur et se efferret et extolleret; rerum tamen et divitiarum ambitiosa, cupiditatis vitio et avaritiæ infamiâ notabilis exstitit et famosa....

Cap. 130. Arnoldus autem, licèt a sæcularibus aliquantulùm haberetur in sæculo sæcularis, Deo tamen devotus erat, et in ejus servitio promptus.... Unde sicuti in chronicalibus Flandriæ scriptis quandòque audivimus, cùm Dominicæ Incarnationis anno MXCVI (*a*), XIV Cal. Decembris sedisset Concilium apud Clarummontem, et in eo Concilio Urbanus Papa totius orbis populum auctoritate Apostolicâ invitaret cum bellico apparatu adire Jerosolymam, de manibus Sarracenorum et Turcorum liberandam, ipse Arnoldus videlicet senex, hujus Evangelicæ non surdus auditor veritatis : *qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me,* signum crucis Christi in humeris suis affixit, et aptissimè et devotissimè tam in armis et in equis et sociis, quàm in sufficientibus expensis sub eodem Incarnationis anno cum Francorum Rege Philippo (*b*) et cum Flandrensi Comite Roberto, Roberti Frisonis filio, peregrè proficiscens et Jerosolymam adiens, pervenit et advenit Antiochiam. Ubí cognitâ omnibus et probatâ ejus in militia probitate et fortitudine, licèt faba unica, ut asserunt, sub eodem exercitu Antiocheno Bizantium valuisset aureum, et caput azini quinque solidos venderetur Bizantinorum aureorum; tamen semper fortis permanens et robustus, cùm debellata fuisset a Christianis Antiochia, et Jerosolyma, regnante Godefrido, de manibus Turcorum liberata, venerabili domino et consanguineo suo (*c*) de Puteolo vel Podio sive *Puio* opitulante, quod solum

(*a*) Non anno 1096, sed anno 1095 habitum est Concilium Claromontanum.

(*b*) Philippum Regem iter Jerosolymitanum susccpisse manifestus error est.

(*c*) Ademaro Episcopo Aniciensi seu Podiensi.

Digitized by Google

A optavit, feliciter et prospero cursu rediens et voti compos in Ecclesia sua apud Ardeam reportavit. Attulit enim sacri insigne trophæi de terra Jerosolymorum super aurum et lapidem pretiosum pretiosissimum sanctuarium, scilicet de barba Domini, de ligno Domini, de petra super quam Dominus ascendit in cœlum.... *Cap.* 131.

Arnoldus itaque filius ejus, cognomento juvenis propter jam dictam causam sive junior, tantò erat per universas coronæ regni Franciæ provincias notior et nominatior, quantò omnibus militibus in tota Ghisnia conversantibus in militia præstantior atque gloriosior. Qui cùm quâdam die in Curia Flandriæ coram Comite Theoderico Eustacium de Hinniaco conspiceret et eum ardentibus oculis intueretur, eum ad singulare bellum de proditione provocavit, eò quòd patrem suum et ipsum defraudasset, cùm Hinniacum a Comite Flandriæ, contempto Ardensis dominationis dominio, indebitâ juris insolentiâ suscepisset. Eustacius verò a Co-
B mite sustentatus, diffugium tamen quærens, sine responso, ut proditor, turpiter abscessit. Postea verò eumdem Eustacium coram Comite Boloniæ apud Boloniam simili modo propter eamdem causam de proditione provocavit ad bellum. Sed cùm nihil ei (proh pudor!) responderet Eustacius, cùm Arnoldus in eum manus mittere se accingeret et pararet, Eustacius per ostium a domo digrediens, vix tandem fugiendo et retrò non aspiciendo manus ejus evasit.

Post hæc autem Arnoldus senex filiam suam Agnetem Franconi de Narne- *Cap.* 132.
selia et de Harselia domino desponsavit uxorem, quæ concipiens peperit ei Balduinum aliosque filios et filias. Siquidem hic Balduinus, matre suâ Agnete quandòque mortuâ, et fratribus ejus Arnoldo, Manasse et Balduino, Hugone quoque Monacho facto, vivente adhuc Adelinâ mortuæ jam Agnetis sorore, Ardensis dominationis terram habere voluit. Sed cùm soror propinquior hæres
C adjudicata est quàm nepos, acceptâ quantâcumque ab amita, videlicet Adelina, pecuniâ, eam et terram absque calumnia in pace reliquit. Deinde aliam filiam suam Adelinam idem Arnoldus senex Arnoldo Vicecomiti de Markinio desponsavit uxorem.

Siquidem apud Markinium * fuit olim quidam Vicecomes Ghisnensis videli- *Cap.* 133.
cet Comitis, cujus vices in absentia Comitis agebat, et inde nomen habebat, nomine Elembertus. Hic Elembertus duxit uxorem in Anglia sanctissimi meriti * Marck *sive* Merck.
et placitæ Deo vitæ, nomine Mathildem, postea dictam et reverâ factam Sanctam, ex qua genuit idem Elembertus Eustacium et Paganum, et Adelidem matrem Henrici, Willelmi et Gufridi de Bello vel Bealloco. Sed Mathilde mortuâ, et ad pedem turris Ecclesiæ Markiniensis honorificè, prout debuit et promeruit, sepultâ, cùm ad venerabilem ejus tumbam sæpè et sæpiùs innumera
D comparuerint miracula, meritis et intercessione piæ et Deo caræ matronæ sanctæ Mathildis, superædificaverunt meritò filii ejus et populus sepulcro ejus quamdam, ut adhuc conspicitur, Capellam *, in qua, dum de ea et per eam majora * *Chesn.* capellulam.
contingerent et conspicerentur miracula, pausare posset et requiescere. Hujus tamen Sanctissimæ mulieris ossa, utrùm a parentibus suis, siquidem Anglicis, utrùm a Scoticis, ut aiunt quidam, abstracta et alibi fuerint collocata, melius est sub dubitatione quasi nescire, quàm dubitando temerè quasi pro certo definire. Postea duxit idem Elembertus Adelidem senis Eustacii de Liskis * sororem, ex qua ge- * *Licques.*
nuit Arnoldum, patre suo Elemberto quandòque mortuo, et fratribus suis, Eustacio videlicet et Pagano, altero post alterum in Vicecomitatum provectis et sine corporis sui hærede mortuis, Markiniensem factum Comitem et Ardeæ dominum, et Simonem de Markinio patrem Eustacii et Willelmi et Iviani de
E Calquella, et Nataliam Henrico de Ghisnis, patri Guffridi Baronis, traditam uxorem, et Windesmodam Pagano de *Norhout*, et Clarisciam Reinaro * figulo * *Ib.* Denemaro.
de *Tornehem*, et Heclam * Balduino Harscaro de *Indesham*, et Beatricem pri- * *Ib.* Heilam.
mùm Rogero de *Basinghem*, et Balam * sive Elisabeth Willelmo de *Erlehem*, * *Ib.* Belam.
et Sarram Fulconi de Mercuricio, patri Simonis de Calcata, legitimo desponsatas matrimonio.

Processit itaque Gertrudis in diebus suis, et non minimo de morte filii sui Manassis in terra Jerosolymorum mortui dolore concepto, non minùs quàm ætate confecta, macerata et gravis facta, resoluta est in mortem, et a filiis quidem deplorata, sed a populo siccis oculis et labiis vix apertis acclamata, et in cimiteriali Ecclesia sancti Audomari Ardensi honorificè sepulta.

Arnoldus verò senex, non multo tempore post, diutino languore correptus et *Cap.* 134.

Digitized by Google

afflictus , cùm mortem magis desideraret quàm vitam , nec tamen mori , quàm A
citiùs voluit , potuisset , fecit sibi apportari parvam cruceolam , quam in collo
suo per argenteam catenulam appensam de sepulcro Domini reportaverat , in
qua pilum unum de barba Domini reconditum verè credebat. Quâ allatâ et
collo suo per catenulam circumligatâ , vix orationem dominicam post inunctio-
nem olei dicere et finire potuit , cum circumstantibus filiis suis et amicis et
populis , cruceolam manibus amplectens et pacis osculo venerationem ei exhibens ,
et valedicens omnibus , obdormiens in Domino migravit a sæculo , et lugenti-
bus filiis suis et universo populo cum Clericis , sepultus est Ardeæ in templo
cimiteriali juxta sepulcrum uxoris suæ Gertrudis. Arnoldus autem filius ejus
juvenis sive junior , sive etiam Rufus nominatus , Ardensis dominus effectus est
et Præpositus. Qui cùm esset corpore plenus , staturâ inter proceros procerus,
facie decorus , miles nominatissimus , genere præclarus , duxit in uxorem Comi- B
tis Flandriæ Theoderici neptem , virginem quidem tam formosam quàm gene-
rosam , nomine Petronillam de Buchenio , inclytis parentibus et opulentissimis
oriundam.

Eodem tempore Balduinus frater ejus , qui et pater meus , cum virgine quadam
(pudet jam , et ecce non pudet dicere) patrui sui Radulfi scilicet Canonici filia ,
nomine Adella , rem habuit , quæ concepit et peperit filium ista vobis referentem
me de Clusâ Walterum. Postea verò idem Balduinus pater meus cum quadam
alia eminentis , immò supereminentis formæ , generosæ nobilitatis juvencula ,
Roberti Canonici et nobilis uxoris suæ Adelidis filia , nomine Natalia , virgi-
nabat ; et ex ea genuit Simonem jam adultum et juvenem mortuum , et famo-
sissimi nominis puellam , nomine Margaretam , ex qua genitus est Balduinus
bastardus , Willelmi fratris Ghisnensis Comitis Balduini filius , et Werinus Werini C
Morinensis Ecclesiæ Canonici filius. Arnoldus autem juvenis patruus meus , ante-
quam nobilem Petronillam duxisset uxorem , cum puella quadam de *Herchen* nata ,
nomine Heilvide , rem habuit , et ex ea genuit Robertum , nepotem dominæ videlicet
Adelinæ , quasi appropriato nomine vocatum , qui apud Colsbergium nobilem et
opulentam duxit uxorem nomine Matildem , ex qua genuit Arnoldum et fratres
ejus ; qui videlicet Arnoldus postea duxit in uxorem Christianam magistri Lamberti
Ardensis Ecclesiæ quandòque Presbyteri filiam , ex qua genuit Balduinum et fra-
tres ejus. Item Arnoldus juvenis patruus meus cum quadam puella Ardeæ rem
habuit , et ex ea genuit Mabiliam Rufam , cuidam Joanni de Oudelando juxta
Liskas desponsatam uxorem , ex qua multos habuit filios Joannes. Siquidem hic
Arnoldus juvenis patruus meus , postquam nobilem duxit uxorem Petronillam ,
licèt extra patriam munificus et liberalis et expensaticus diceretur , et circa mili- D
tiam quidquid militantium et torniamentantium consuetudo poscebat et ratio
quasi prodigaliter expenderet , in patria tamen non tam avarus fuit quàm parcus.
Unde et maximum auri et argenti dicebatur habere thesaurum. Licèt enim a
subditis parùm aut nihil , nisi quod ex debito et jure ei debebant , exigeret ;
tamen tam protervè et inhumanè redditus et alia debita sua et jura exigebat , ut
subditi sui et multi alii eum infestum haberent (*a*) et odiosum. Uxor autem ejus
Petronilla , juvencula quidem Deo placita , simplex erat et timens Deum , et
vel in Ecclesia Deo sedulum exhibebat officium , vel inter puellas puerilibus
jocis et choreis et his similibus ludis et poppeis sæpiùs juvenilem applicabat
animum.....

Cap. 135. Arnoldus autem juvenis vir ejus , quantò militibus gratior et acceptior , et su-
perioris dominationis Principibus Ghisnensibus minùs in servitio promptior et E
devotior , tantò inferioribus et subditis quâdam impropitiationis immanitate tru-
culentior et superbior. Unde et quidam servi ejus et subditi , familiares tamen
ejus et coquinarii , aliique de cognatione eorum exasperè et pravè progeniti ,
ad eum interficiendum conjurati , in mortem ejus conspiraverunt. Unâ igitur dierum ,
cùm idem Arnoldus in solemnitate Sanctorum Innocentium manè egressus ab
Ardea apud Bramas secessisset , quasi Missam saltem extra Ecclesiam stando
auditurus , (nec enim Ardensibus licebat Canonicis aut Presbyteris divina cele-
brare mysteria , eo præsente , nec quamdiu foret in Ardea , eò quòd in præsen-
tia Morinensis Episcopi juri stare citatus , contumax et rebellis obedire contem-
neret , et ob hoc ecclesiastici rigoris et excommunicationis sententiâ perculsus)

(*a*) *Malè apud Ludewig.* habebant.

quidam

Digitized by Google

A quidam de traditoribus nequissimis et sceleratis de numero eorum qui in mortem ejus conjuraverant, occurrens ad ipsum et accelerans, perfidissimi et perditissimi proditoris Judæ more mentiens, dixit : quòd quemdam rusticum divitem audisset et vidisset in Fulberti nemore secùs viam quæ ducit apud *Norhout*, eminentiorem totius nemoris quercum abscindentem. Ille verò, ut erat in terra, ut jam diximus, avarus et cupidus, et in subjectos truculentus et tyrannus, putans et sperans de rustico, qui tamen nullus erat, magnam se adepturum pecuniam, cum solo proditore solus, ne fortè percipiatur a rustico, in Fulberti nemus digreditur. Sed cùm per angustissimam semitam ad sonitum proditorum in quercum malleantium, quasi ad sonitum asciæ rustici quercum abscindentis, solus cum solo properaret, extrahens clavam sequens garcifer et proditor, quam in nemore ad jam conceptum perpetrandum facinus occultaverat, heu! dominum,
B heu! militem militarem, immò militiæ gloriam, heu! speciosum formâ præ filiis Flandrensium, in primo capitis ictu ab equo in terram protrahit et prosternit. Et accelerantes alii tantæ proditionis complices et conscii, manus in eum injecerunt, et extractis spatulis sive misericordiis immisericordissimis, eum immisericorditer jugulaverunt. Equus autem ejus apud Ardeam, quasi truculentos metuens sicarios, perterritus aufugit et recurrit. Garcifer quoque qui eum jugulaverat, aliis in mortem domini secum commaculatis hìc illic diffugientibus, quantociùs potuit, quasi hujus rei nescius, in coquinam suam (unus enim erat de coquinariis) adhuc sanguine commaculatus domini recipitur. Videntes autem famuli ejus et armigeri et equum adhuc insellatum et quasi perterritum ad ipsos confugientem, timuerunt ne fortè dominus suus aliquo casu, non tamen tam maligno, ab equo corruisset. Cùm autem ipsum quærerent, ecce viatores quidam
C et alii quidam simul admixti, non pedetentim progredientes, sed quantùm potuerunt gressum accelerantes, accurrerunt, voce timentium vel tumultuantium clamore magno vociferantes, et ingeminantes dominum in Fulberti nemore enecatum, morti datum et jugulatum se vidisse referunt. Tunc verò mœror et luctus omnium plangentium manibus atque dicentium : ô ubique prædicatum * Ardensis loci infortunium! ô in omnibus sæculis Ardense dedecus, licèt immeritum, et opprobrium!

* *f.* prædicandum.

Balduinus autem frater ejus, qui et pater meus, cùm apud Ghisnas cum Arnoldo Gandavensi ad vescendum resideret, auditâ tanti famâ infortunii, accepto secum cum aliis militibus Gandavensi Arnoldo, cujus se priùs contra Albertum Aprum confœderaverat amicitiæ, apud Ardeam ociùs advolavit ; et cùm fratrem suum de nemore cum luctu et planctu uxoris, fratrum et sororum,
D militum et populi in domum suam Ardeæ in feretro reduxisset, servato et vigilato eo in dolore et lacrymis unâ nocte, quandoquidem eò quòd excommunicationis erat vinculo innodatus, ecclesiasticam sepulturam ei exhibere non potuit : quod autem potuit faciens, extra atrium antiquioris Ecclesiæ Ardeæ, juxta magnum fossatum quod pater suus dudùm fecerat ab australi parte templi, eum non sine multorum clamore, planctu et lacrymis collocavit. Mox quæsitis mortidatoribus et proditoribus et consciis et consiliariis, et multis inventis, alios inrotavit, alios imparticavit, alios caudis jumentorum protrahendos et discerpendos adhibuit, alios in propriis domibus reclusos igne combussit, alios et alios diversorum diverso genere tormentorum afflixit. Multi verò de afflictorum parentibus præ timore et pudore non audentes palàm hominibus in patria comparere, perpetuum hìc illic subierunt exilium. Postea verò uxori fratris sui no-
E bili matronæ Petronillæ super dotalitio suo omnimodè, prout decuit et debuit, satisfaciens pater meus, et eam ad suos apud Buchenium quantocumque potuit honore reducens, Gandavensi Arnoldo non minùs quàm Flandrensium Comiti Theoderico hominio exhibito, Ardeæ dominus effectus est et Præpositus. *Cap.* 136.

Nec mora, circiter hoc tempus, Balduinus pater meus apud Aldèrwicum cum Gandavensi Arnoldo, qui in Ghisniam, vivente adhuc Beatrice Alberici Apri uxore, progressivâ successione Ghisnensis Comitatûs hærede, contra justum fasque piumque violenter jam irruperat, ad Almari-vallum * quod ad Florem nominaverunt Broburgenses, in quo Broburgensis Castellanus Henricus ejusque fautores, ad Ghisnensis terræ defensionem et subventionem contra Gandavensem Arnoldum et suos, in castellulo inopinatè facto quasi inclusi latitabant et ad resistendum et oppugnandum parati, properavit. Ubi invicem hinc assi- *Cap.* 137.

* *Omerval.*

Digitized by Google

lientes, hinc se defendentes, maximum belli certamen inierunt : cùm ecce A
Broburgensium sagittarii in Arnoldum et suos invalescentes, Ardensem dominum patrem meum Balduinum in tractu sagittæ in capite ferè usquè in cerebrum graviter vulneraverunt. Vulnerato itaque ferè ad mortem patre meo, et apud Ardeam in sua tandem reducto; multi nobiles, multi viri religiosi et Clerici ad videndum eum et consolandum ad eum convenerunt. Inter quos advenit etiam nominatissimi tunc temporis loci venerabilis Abbas B. Mariæ de Capella Theodericus, qui inter loquendum cum eo multa ad consolandum atque monendum, hoc etiam saluberrimum animæ suum consilium in verbo mellito et salutifero proponendo aperuit, et exhortando insinuavit : quòd cùm homo omninò laïcus esset et litteras ignoraret, ecclesiastica administrare beneficia, Præbendas dispensare Clericis vel altaria, Præposituram aliamve dignitatem in sancta obtinere vel bajulare Ecclesia, contradicentibus et super hoc anathema- B
tisantibus authenticis scriptis et Sanctorum Patrum decretis, ei nullatenùs liceret; et semel admonitus, nisi quantociùs resipisceret, Simoniacæ pravitatis maculâ turpiter infuscari, et cum Simone mago in partem societatis apud inferos demùm retrudi, saluberrimæ admonitionis verbo denunciavit. Balduinus autem pater meus libenter audiens et in mente colligens, sed et in accepto vulnere temporalem mortem et in æternæ damnationis posse quandoque relabi mortem metuens, repletus manè et maturè Dei misericordiâ, et Spiritûs Sancti paracleti debriatus et perfusus gratiâ, ad saluberrimum venerandi Abbatis et Confessoris ejus consilium, convocato mox Ardensis Ecclesiæ Canonicorum Capitulo, militibusque et sororibus suis et populo, coram omnibus et hoc ipsum annuentibus et vocem laudis in excelsis Deo extollentibus, Ardensis Ecclesiæ Præposituram, immò totam Ardeæ Ecclesiam cum omnibus appendiciis ejus et pertinentiis et dignitatibus, C
sub eadem libertate et sub eodem dominandi et possidendi jure, quo ipse et prædecessores ejus eam usque ad hoc tempus tenuerant, in manu jamdicti Abbatis et Monachorum suorum ibi præsentium resignavit, et in liberam et perpetuam eleemosynam eis et eorum successoribus liberè concessit, liberiùs dedit, liberrimèque privilegiavit (*a*).....

Cap. 138. Abbas itaque et Monachi gratanti animo grato Deo et sibi beneficio gratulanter et ovanter accepto , ad consilium patris mei Balduini et virorum religiosorum nihilominùs et Ardensium Canonicorum , concessam sibi et Ecclesiæ suæ datam et confirmatam a patre meo , et audientibus et assensum præbentibus Ghisnensium Comite Arnoldo et Balduino filio ejus , et Flandriæ Comite Theoderico et Philippo et Matthæo , Ardensem cum appenditiis ejus Ecclesiam in liberam sibi eleemosynam liberè et absolutè in perpetuum possidendam , D
a Morinensis Ecclesiæ Episcopo Milone primo , et ejusdem loci Capitulo , et a Remensi Archiepiscopo et a summo sedis Apostolicæ Pontifice confirmari et privilegiari impetravit. Hâc igitur amoris et gratiæ vicissitudine inter patrem meum et Abbatem vigente , et de die in diem valescente , postquam de vulnere capitis et læsione verè et sincerè convaluit et infirmitate , facti sunt unum par amicitiæ , facti sunt quasi cor unum et anima una , adeò ut quidquid pater meus apud Capellam in Ecclesia postularet , Monachorum facilem propitiationis sentiebat effectum , bonæ voluntatis affectum in operis executione percipiebat et efficacia. Unde et similis vicissitudine dilèctionis omnia quæcumque vellet et postularet piæ devotionis Abbas a patre meo , et pater meus voluntati ejus obtemperare non differret.

Cap. 139. Postea verò pater meus , acceptâ in uxorem Broburgensis Castellani nobilis E
Henrici et Rosæ Ghisnensis , Comitis Manassis filiæ , filiâ Beatrice , justissimâ Ghisnensis Comitatûs hærede , et jam Ghisnensis terræ (nec enim verum dissimulare decens est) Comitissâ , ipsâque post paucos dies mortuâ et in Ecclesia Beatæ Mariæ de Capella , quantâ potuit honorificentiâ , sepultâ , multis implicatus est negotiis pater meus et ad plurima plurimis solvenda compulsus est debita. Nam et ea quæ vel in militando , antequam in Ardensis dominationis promoveretur honorem , contraxerat , vel quæ satisfaciendo fratris sui uxori nobili Petronillæ in recompensationem dotalitii sui aliis debitis accumulaverat , vel quæ

(*a*) An. 1144, ex subjecta charta, cujus hæc est clausula : *Facta est autem hæc transactio in Ecclesia S. Audomari Ardensi, et in plena Synodo Teruannæ solemniter recitata et approbata , Dominicæ Incarnationis anno* MCXLIV. Eam verò epocham monuimus supra ex Iperio emendandam.

Digitized by Google

A etiam terram suam relevando hìc et illic a terrarum Principibus sollicitudinis suæ debitis adjunxerat, creditoribus solvere non tantùm tenebatur, sed etiam cogebatur. Et cùm jam etiam ea quæ ipse crucigerulus in sancto peregrinationis itinere quandoque secum defferre deberet, providâ sollicitudine et vigili curiositate meditando et perquirendo mentem jam quasi dilaceraret et corpus, memorato Abbati et Monachis de Capella, ut amicis dilectissimis, ut viris religiosissimis et sanctissimis, molendinum de Bramis cum adjacentibus quibusdam terris suis et marisco et piscatoria, quæ in Ardensis aquæ filo est ab orientali molendino Ardeæ usque in *Haudledam* * apud Mercuricium * deficientem, et dignâ vendidit pecuniâ, et in liberam eis contulit et confirmavit in perpetuum possidendam eleemosymam. Unde et Abbas, cùm non sufficeret ei pecunia ad satisfaciendum patri meo super emptione ista tam utili et Ecclesiæ suæ necessaria, feretrum
B B. Mariæ et quasdam cruces depilavit, et ab auro et argento decrustavit et exspoliavit. Inde ergo occasione sumptâ, quidam Ecclesiæ B. Mariæ de Capella æmuli et adversarii mentiendo in medium jactant, quòd pater meus Ardensem cum pertinentiis ejus et dignitatibus Ecclesiam Simoniacæ pravitatis et facinoris zelo ductus et seductus et circumventus, jamdicti loci Abbati et Monachis vendiderit; cùm tamen ante hujus marisci et piscariæ emptionem et solutionem, anno uno ferè et dimidio transcurso, Ardensem Ecclesiam eo quo jam diximus modo, divinæ pietatis et remunerationis intuitu, non eamdem Ecclesiam deprimendo, sed altioribus et dignioribus personis honestando et in altioris ordinis statum et gradum convertendo et producendo; non alicujus Simoniacæ machinationis æmulatione ab eadem Ardensi Ecclesia Canonicos expellendo et removendo, sed in omni sanctitate et religione viros sanctos et religiosos et eremiticæ
C et Apostolicæ vitæ Monachos in ea introducendo, liberè et absolutè in liberam contulit eis et confirmavit eleemosynæ possessionem....

* *Chesn.* Houdledam. * Merck *vel* Mark.

Post verò circiter hujus temporis decursum, cùm pater meùs Balduinus, præparatis omnibus in sanctæ peregrinationis itinere sibi necessariis, sanctum iter arripere deberet ut Jerosolymam peteret, venerabilis Abbas Theodericus, ne magnifici ab eo accepti beneficii quandoque ingratus inveniretur, juxta viri Sapientis ethicam accepti non immemor beneficii, optimum equum ferrandum, nòn alicujus Simoniacæ malignitatis recordatione præmonitus aut præmunitus, ut quidam Monachorum æmuli garriunt, sed solo divini amoris intuitu et in auxiliarem sancti itineris sustentationem, liberaliter obtulit et gratis, immò gratuito munere præsentavit. Præparatis igitur omnibus in itinere sibi necessariis, pater meus Balduinus, sociatis sibi terræ suæ militibus, Balduino videlicet Wallaniecto *
D et Marcilio de Bredenarda et quibusdam aliis, cum Flandriæ Comite domino suo Theoderico et cum multis Flandriæ Baronibus, sub patrocinio et ductu nobilissimi Regis Franciæ et sanctissimi Ludovici, cum multis Francorum Baronibus, militibus etiam et innumeris populorum millibus, Jerosolymam petiturus iter arripuit, et ut Dominicum venerari et, quod tamen nunquam visurus erat, sepulcrum videre mereretur, quanto potuit mentis et corporis affectu properavit. Profectio autem ista facta est Dominicæ Incarnationis anno MCXLVI, mense Maii (*a*). Commendaverat autem priùs et servandam dederat terram suam Arnoldo *Gohel* seniori de Surkis, eò quòd Castellanus Ardeæ dicebatur et erat, et quia eum prudentem virum cognoverat et sibi fidelem. Arnoldo tamen sororio suo Markiniensium Vicecomite super hoc magis grunniente et immurmurante, quàm benivolum præbente assensum.

Cap. 141.

* *Chesn.* Walamecto.

E Proficiscentes igitur per terram, et Romaniam ingredientes, pervenerunt tandem Constantinopolim, ubi multa perpessi incommoda, cùm Constantinopolitanum sibi jam sensissent Imperatorem infidelem et insidiosum, in Propontidis sinum devenerunt. Inde in Sathaniam vel in Sencliam * Francorum totus congregatus et extensus exercitus, multa sustinuit mala et infortunia. Multi enim fame, multi aëris inclementiâ, multi adversantium insidiis et ictibus, multi invaletudine corporis, multi qualicumque infirmitate correpti interierunt. Inter quos pater meus, non, ut mentiuntur quidam, fame deperiit, sed invalitudine corporis debilitatus et totis viribus destitutus, morti succubuit; et sicuti priùs rogaverat, in mare projectus, suis ampliùs nunquam comparuit.

Cap. 142.

* *Chesn.* Secliam.

(*a*) Neque anno 1146, neque mense Maio, sed 14° Junii anni 1147 Franciæ Regem Ludovicum VII itineri Jerosolymitano se commisisse certum est. Tamen paulò citiùs, ac Maio quidem ejusdem anni 1147 desinente, Flandrenses milites, ut Regem convenirent, movisse non inficias ibimus.

Digitized by Google

Cap. 143. Fuerunt tamen quidam, qui tricesimo, postquam hujus sanctæ peregrinationis A
* *Planques.* iter susceperat pater meus, anno, apud Plancas * juxta Duacum eum vidisse assererent. Anno enim Dominicæ Incarnationis MCLXXVI, fuit quidam pseudo-peregrinus religiosæ sanctitatis, sub ovinâ simplicitate incautos et simplices forsitan ut priùs et postea multos faciliùs ludificare et decipere posset, Duacum advenit: ubi sub albi velleris vestibus circumiens vicos et plateas, pœnitentiæ vestes, saccum et cilicium quasi non spontè piis et simplicibus ostentans hominibus, pœnitentiæ squalorem sub nivea barba et prolixa, et veneranda capitis canitie, simulavit. Addidit etiam, sed tamen quasi seipsum quis esset occultare volens, quòd Ardensis oppidi quondam fuisset hæres et dominus Balduinus; sed ut Christum lucrifaceret in abjectis vestibus exsulare et piis operibus insudare, quàm in suam Ardeam redire et hæreditariam domum et possessionem iterùm subire se potiùs elegisse, mendaci linguâ et fallaci asseruit. Hic igitur, quicumque vel B
qualiscumque Balduinus, cum jamdicti loci burgensibus nec non et adjacentis provinciæ Principibus loco et tempore locutus, ad consilium eorum viam, quæ a Duaco ducit ad Plancas, viatoribus ad transeundum admodùm gurgitosam et difficilem, transitivam et transmeabilem terreâ mole et lapidibus facere, et incalcatam construere præcepit: et super eam mansiunculam et domicilium faciens, operantibus in via operariis necessaria procuravit. Ipse verò asino vectus terræ Principes, Abbates et Burgenses et universum adjacentis terræ populum in auxilium viæ multa rogavit et multa perquisivit; et ut populi sibi venaretur et acquireret favorem, multa in oculis populi (ô subdolum hominem et hypocritam!) pauperibus quasi dispersit et erogavit, multa verò sibi et suis complicibus reservavit. Tandem verò notus, et immò quasi notus factus Abbati et Canonicis Hinniacensibus, se Balduinum Ardensem nominavit. Prior ergo domûs, nomine Guffridus, ut C
audivit ipsum esse Balduinum Ardensem nominatum, apud Ardeam, eò quòd ipse Prior de Ardensis terræ partibus oriundus esset, ociùs advolavit, indicans Ghisnensi Comiti et Ardensi domino Balduino et uxori suæ Christianæ, quòd avunculus suus Balduinus adhuc viveret, et apud Plancas juxta Duacum quasi peregrinus maneret. Addidit etiam multa alia quæ ab eo didicerat et audierat et viderat. Comes verò Balduinus rem quasi phantasticam audiens, Balduinum Ardeæ dominum dudum in sancta peregrinatione Jerosolymitana mortuum et in mare projectum fuisse constanter, ut verè potuit, affirmavit et dixit; istum autem Balduinum, qui apud ipsos nuper emerserat, trutannum esse et populi seductorem et pseudo-conversum non ambigere. Undè ad ipsum ire neque mittere curavit. Ego autem, ut audivi patrem meum vivere, non fixo modo credidi, sed tamen assumptis mecum aliquibus amicis meis senioribus, qui patrem meum D
olim benè agnoverant, quasi nescientibus Comite et Comitissâ, ad ipsum perrexi; locutusque cum eo multa, quandoque cum solo solus, quandoque cum aliquibus adjunctis, nihil in eo percipere potui, sed neque qui mecum ad ipsum venerant socii, unde certiores de ejus notitia esse potuimus. Imputatum est mihi tamen a plerisque et improperatum, eò quòd invicem alter alteri applausissemus, quòd multa dedisset mihi munera ut ejus filium me assererem. Tandem verò ab eo recedentes, vix in patriam ad Comitem redivimus, cùm ipsum a loco Plancarum secessisse et maximum thesaurum asportasse, et ipsum verè trutannum fuisse audivimus et verè cognovimus.

Cap. 144. Balduino igitur patre meo apud Sathaniam verissimè mortuo et in mare projecto, fama volat et ejus mortem Markiniensi Vicecomiti Arnoldo de Colvida sororio suo denunciat. Markiniensis igitur Vicecomes impiger Arnoldus Ghisnensis Co- E
mitis Arnoldi amorem sibi conciliavit; et hominio ei exhibito, ad Flandriæ Comitissam Sibyllam, Cybelem sive Cebiliam nominatam properavit. Comes enim Flandriæ Theodericus Jerosolymam peregrè profectus nondum rediit. Cùm igitur Arnoldus Markiniensis terram quam in ministerio sive in Castellaria Brugensium, et alia quæ in Ardea ex parte uxoris suæ Adelinæ sibi a Balduino sororio suo jam mortuo exciderant et contigerant, a jamdicta Flandriæ Comitissa postularet, et relevare, uti adhuc moris est et consuetudinis usus, vellet, surrexit Balduinus de Varneselia et de Harselia dominus, dicens se Ardensis dominationis et honoris propinquiorem esse hæredem, quàm Markiniensis Arnoldus. Sed cognitâ tandem rei veritate, cùm mater Balduini de Varneselia Agnes, soror siquidem Ardensis quondam domini Balduini et Adelinæ, Markiniensis Arnoldi

Digitized by Google

A uxoris adhuc vivæ et superstitis, dudum mortua erat; ut dignum utique et justum erat, propinquior hæres adjudicata est Ardensis quondam domini Balduini soror Adelina, quàm sororis ejus Agnetis filius Balduinus de Varneselia. Ad consilium tamen amicorum suorum centum marchis Balduino de Varneselia datis, et pace inter Arnoldum et Balduinum confirmatâ, Markiniensis Arnoldus jamdictæ Flandrensi Comitissæ, ùti mos inolevit et debuit, hominio exhibito, Ardensis honoris factus est hæres et dominus. Congratulabantur ergo ei Ardensis oppidi Pares et totius Ghisniæ Barones, congratulabantur et alii milites et universæ terræ populi. Principibus enim superioribus et terrarum Magnatibus extra patriam, prout majestati eorum convenire et expedire discretâ consideratione novit et debuit, cum reverentia servivit in magnificentia et gloria. Paribus autem se socium exhibuit, et militibus commilitonem mitem et affabilem, mili-
B tes verò miro venerabatur affectu. Unde etiam in terra sua residens decem milites, nunquam verò pauciores, familiares sibi et semper collaterales, Capellanum quoque et Clericos, et honestissimam secum in omni liberalitate et munifica sufficientia detinuit familiam. Talem igitur se non solùm in terra sua, sed etiam extra terram suam exhibuit, quòd in rei munificentia et reverendi Principatûs continentia magis videretur et plerumque diceretur Comes, quàm inferioris alicujus dominationis Princeps aut dominus. (*Ardensium hactenùs historia.*)

EX CHRONICO (*a*) ELNONENSI S. AMANDI.

C

Apud Martenium T. III. Thesauri Anecdotorum, col. 1397.

Anno MLXXVI Idibus Decembris, obiit domnus Abbas Fulcardus, cui succedit Bovo.

MLXXVIII (*b*), Cœnobium S. Salvatoris quod dicitur Aquicinctus, ædificatur.

MLXXXV, moritur Bovo Abbas. Hugo ordinatur Abbas, XIX calendas Januarii.

MLXXXVI, Cnuto Rex Danorum, pater Caroli Comitis Flandriæ, martyrizatur...

MLXXXVIII, Dedicatio Ecclesiæ B. Stephati a Rabodo Noviomensi et Gerardo Cameracensi, agente Hugone Abbate.

MXCII, Restauratio Cœnobii S. Martini apud Tornacum.

MXCIII, Robertus Comes obiit, et apud Casletum sepelitur.

D MXCIV, gravis mortalitas in Gallia facta est.

MXCV III, Ordo Cisterciensis cœpit institui.

MCII, mense Octobris Henricus Imperator venit hostiliter super Comitem Robertum, et cepit munitiones Sclusam et *Boleen* *, et depopulatus est igne totum Ostrevantum. * *Bouchain.*

MCIII, Comes Robertus pacificatus est cum Imperatore Henrico apud Leodium.

MCV, obiit Henricus Imperator (*c*), succedit filius ejus Henricus, et cometes toto penè mense Februario apparet.

MCVII, apud Trecas post Pascha Synodum habuit Paschalis Papa, in qua novum privilegium petitione domni Abbatis Hugonis a se confirmatum Ecclesiæ nostræ destinavit. Sequente Pentecoste, in deportatione corporis S. Amandi ad Lingonam multa miracula ejus meritis divinitùs sunt ostensa. VI Idus Septembris,
E die Dominico, obiit domnus Abbas Hugo, qui inter alia multa multùm utilia quæ fecit, utpotè vir sagacis industriæ, post incendium totum Monasterium nostrum cum templo S. Stephani renovavit: quo sepulto, mox concorditer electus est domnus Bovo in Abbatem.

MCVIII, Philippus Rex Francorum obiit: Ludovicus filius ejus succedit....

MCIX, obiit vir venerabilis Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus.

MCXI, obiit Robertus Comes, Hato * sepelitur: Balduinus ejus filius succedit. Ecclesia S. Michaëlis in periculo maris fulgure concrematur. * Atrebato.

MCXIV (*d*), obiit Lambertus Episcopus Atrebatensis. Successit Robertus ex eadem urbe natus.

(*a*) Quæ proximè antecedunt, videsis T. XI. p. 344. Id verò chronicon extenditur ad an. 1223.

(*b*) Anno 1079, ut alii tradunt.

(*c*) Anno 1106, 7 die Augusti Henricum obiisse testantur omnes coævi Scriptores.

(*d*) Lambertus alibi an. 1115 obiisse perhibetur.

Digitized by Google

MCXXI, v Idus Decembris, obiit Bovo Abbas. Succedit Galterus.... A

MCXXII, hiems aspera facta est asperrima.

MCXXIII, Gualterus dimisit Abbatiam. In Concilio Belvacensi Absalon electus est.

MCXXIV, fames valida fit.

MCXXV, clades vehemens.

MCXXVII, villa S. Audomari a Comite Guillelmo obsidetur (*a*), et Theodericus filius Theoderici de *Allesath* (*b*) fit Comes Flandriæ.

MCXXIX (*c*), Johannes Taruanensis anno Episcopatûs sui XXXI obiit.

MCXXX, Milo fit Episcopus Taruannæ.

MCXXXIII (*d*), Theodericus Comes Flandriæ duxit uxorem [Sibyllam] filiam Fulconis Andegavensis Comitis, postea Regis Jerusalem.

MCXXXVII, obiit Ludovicus Rex Francorum.

MCXL, Samson Carnotensis fit Remensis Archiepiscopus. Stephanus Rex An- B gliæ et Balduinus Hainonensis Comes cum Hugone *Champdavene* contra Theodericum Comitem conspirant. Quibus ille non sine gravi eorum jactura, terris eorum ferro, flammâ, hominum captione et animalium deprædatione, ac castrorum subversione viriliter restitit.

MCXLI, obiit magister Hugo (a S. Victore) Theologus.

MCXLIII, XIV Kalendas Februarii, tanta ventorum violentia facta est, ut etiam turres lapideas, domos et templa dejiceret, et arbores et silvas radicitùs eradicaret.

MCXLV, obiit domnus Absalon Abbas, vir magnæ reverentiæ et auctoritatis. Ab Eugenio Papa Romæ ordinatus est Episcopus Tornaci domnus Anselmus quondam Abbas S. Vincentii Laudunensis.

MCXLVII, obiit Anselmus Episcopus Tornacensis, successit Geraldus Monachus C Claræ-vallis.

MCL, Abbas Galterus dimisit Abbatiam, et transiit Claræ-valli. Successit Hugo Abbas Humolariensis.

MCLI, Monasterium S. Bertini incenditur.

MCLIII, obiit Eugenius Papa, successit Anastasius. Ascalon capitur a Christianis. Obiit venerabilis Abbas Bernardus de Clara-valle.

MCLIV, Stephanus Rex Angliæ obiit: Henricus nepos ejus ex patre Andegavensi et matre filia Regis Henrici, Comes Normannus, in regnum succedit.

MCLVI, Theodericus Comes Flandriæ Jerusalem proficiscitur (*e*). Kalendis Junii ingens turbo grandinis glacialis immixtus affluenter cum pluvia decidit: grossitudo siquidem quorumdam lapidum ipsius grandinis magnos excedebat....

MCLX, obiit Samson Remensis Archiepiscopus : succedit Henricus frater Lu- D dovici Regis Francorum, Belvacensis Episcopus, Monachus Cisterciensis.

MCLXIII, Comes Theodoricus Jerusalem proficiscitur, et Philippus filius ejus potenter dominatur Flandris et Vermandis.

MCLXV, obiit Gerardus Episcopus Tornacensis : succedit Gualterus Decanus ejusdem Ecclesiæ.

MCLXVII, obiit Theodericus Comes Flandriæ (an. 1168 ante Pascha.)

MCLXVIII, obiit domnus Hugo Abbas sancti Amandi, vir totius prudentiæ et sagacis ingenii, magnæque auctoritatis et reverentiæ in Christi Ecclesia: cujus providentia temporalis subsidii commoda filiis pro patribus nascituris præparavit, ita ut operum ejus quasi quædam trinitas possit inveniri; magnitudo scilicet, pulchritudo, utilitas; magna quantitate et ampla possessione, pulcra qualitate et

(*a*) Hujus obsidionis causa fuit perfugium quod præbuerant Audomarenses Arnoldo Dano, post cædem Caroli Flandriæ Comitis in repetendo ejusdem provinciæ Comitatu Guillelmi Clitonis seu Normanni æmulo. « Arnulfus Danus, inquit » Meyerus, absque ulla controversia Carolo » avunculo in Comitatum succedere debebat. » Hunc Normannus modis omnibus persecutus, » confugientem in oppidum D. Audomari ob- » sedit, parùmque abfuit quin præ impotenti ira » oppidum incenderit. Sed cives magno perterriti » timòre, pactis aliquot dierum induciis, portas » illi patefecere. Danus in ædem Bertinicam re- » fugit, coactus iniquas ab hoste accipere condi- » tiones, amissâque hæreditate, domum, quâ ve- » nerat classe, reverti ». Porrò in hac rerum conversione levitas Audomarensium eò magis miranda, quòd advenienti in Flandriam Guillelmo promptiores in obsequendo cæteris sese urbibus exhibuissent : quem certè affectum erga se remunerationis haud expertem reliquit, concessâ nimirùm ipsis suarum consuetudinum confirmatione.

(*b*) Id est, de Alsatia. Porrò Theodericus ille nonnisi an. 1128 sub finem Julii Comitatum Flandriæ consecutus est.

(*c*) Anno 1130 a Kalendis Januarii inchoato, quippè Joannes VI Kal. Februarii vitâ functus est, ex lamina plumbea in ejus sepulcro reperta.

(*d*) Nimirùm ante Pascha ; nam alii Historici differunt has Theoderici nuptias in annum 1134.

(*e*) Quater in Palestinam profectus est Theodericus, annis nimirùm 1138, 1147, 1157 et 1163.

Digitized by Google

A cauta dispositione, utilia fine et fructuosa perceptione.... Successit Johannes [qui] secundum Prioratûs locum uno anno tenuerat.

MCLXXI, Elnone Monasterio illatio corporis B. Albinæ ex illis Coloniensibus, III Nonas Novembris.

MCLXXII, obiit Galterus Episcopus Tornacensis : successit Everardus Archidiac.

MCLXXVII, crux geminata quæ apud nos est, in locis de cruce Domini Salvatoris habens, a Gualtero nobili milite de Wariniaco de Jerusalem allata, et Ecclesiæ nostræ oblata, a nobis est cum processione suscepta in gaudio, XVII Kalendas Maii.

MCLXXIX, Philippus filius Ludovici Regis Francorum unctus est Remis in Regem Kal. Novembris, anno ætatis suæ XIV.

MCLXXX, ignis divinus accensus est coram feretro S. Amandi apud Scaldi
B pontem, Nonas Julii. Obiit Ludovicus Rex.

EX BREVI CHRONICO CLARIMARISCI,

AD CALCEM CHRONICI HUGONIS VICTORINI.

Apud Martenium T. III. Thesauri Anecdotorum, col. 1385.

ANNO MXCVIII, Cisterciensis Ordo incipit.

MCIX, obiit domnus Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis.

C MCXI. Hîc captus est Paschalis Papa ab Henrico Teutonicorum Rege.

MCXIV, constructum est Cœnobium quod Clarævallis dicitur.

MCXX, Ordo Præmonstratensis incipit.

MCXXVII, Carolus Comes [Flandriæ] occiditur VI Nonas Martii.

MCXL, constructa est Abbatia de *Claromaresch*.

MCXLI, III Idus Februarii, obiit Magister Hugo S. Victoris Canonicus, qui hujus operis auctor exstitit....

MCLIII. Hîc reverendus et omni laude ac memoriâ dignus S. Bernardus, primus Clarævallis Abbas, vitâ, doctrinâ et miraculis clarissimus, relictâ mole carnis, migravit ad patriam æternæ felicitatis.

MCLXVI. Hoc anno translatus est Conventus de primo loco Abbatiæ ad istum, in die Parasceves.

D MCLXVIII. Hîc obiit Theodericus Comes [Flandriæ] XVI Kal. Februarii, qui annis XL regnavit.

MCLXX. Hîc S. Thomas Cantuariorum Archiepiscopus sub Rege Henrico, in basilica sedis suæ, ante altare, a militibus occiditur IV Kal. Januarii.

MCLXXIV, constructa est Abbatia S. Mariæ de *Thosan*.

MCLXXIX. Hîc illustris et inclytus juvenis Philippus, filius piissimi Regis Ludovici, Remis coronatur a domno Willelmo avunculo suo, Remorum Archiepiscopo, Sedis Apostolicæ Legato et Cardinali titulo S. Sophiæ, præsentibus omnibus Archiepiscopatûs Episcopis, vivente etiam patre suo, astantibus Comitibus ac totius regni Principibus, Kalendis Novembris.

E EX CHRONICO (*a*) SITHIENSI S. BERTINI,

AUCTORE JOHANNE IPERIO EJUSDEM LOCI ABBATE.

Apud Martenium Tomo III. Thesauri Anecdotorum. col. 584.

FRISONIS [Roberti] tempestate, Domno nostro Heriberto Abbate absente, et apud Autissiodorense Monasterium suum moram trahente, regiminis sui anno quinto, Rumoldus Abbas S. Winoci Bergensis, noster quoque Monachus, CAP. XXXVIII *parte* 4.

(*a*) Antecedentem hujus chronici partem Tomus XI, p. 380 exhibet. Ejus ibidem et in superioribus tomis VII, IX et X, toties censuram fecimus, ut de eo vix aliquid dicendum supersit. Commendat eam scriptionem auctoris sedulitas in investigandis antiquiorum monumentis. *Collegimus enim*, inquit

Digitized by Google

obiit : quo defuncto, sicut assolet, ablato capite, membra dissolvi, Monachi A
Bergenses, spretâ obedientiâ Abbatis nostri S. Bertini, elegerunt, non de collegio S. Bertini, ut tenebantur, sed de suo Bergensi collegio Ermengerum, virum probum et Religionis amatorem, qui fuit eorum primus Abbas de Bergensi collegio sumptus ; quod tamen eidem in partem cessit contrariam : nam præter vitiosum hunc ingressum, quem fortè Deus in eo punivit, dum Monachos suos ad religionem compelleret, invidè murmurabant; plus etiam dedignabantur ei obedire quem dudum habuerant socium, quàm extraneo.... Igitur Bergenses Monachi de quodam juvene nobili Ingelberto, filio filiæ Comitis Flandriæ Balduini Barbati, spe conceptâ ut illum sibi præficerent, si Ermengerum deponere possent (putabant enim juvenem eorum voluntatibus faciliter indulgere) multis igitur et falsis Ermengerum inculpantes, eum per Hugonem Diensem Papæ Legatum deponi fecerunt. Cùm ergo innotuit Roberto Frisoni qui tum B
in Flandria præerat, Ermengerum sic depositum, Ingelberto non consensit; sed quemdam cognatum suum, nomine Manassem, de Monasterio Virdunensi, eis nolentibus et reclamantibus, quibusdam etiam de Monasterio recedentibus, eis præfecit anno MLXXVIII : qui prudenter Ecclesiæ suæ res disponens, a Papa Gregorio VII annulum, mitram, sandalia impetravit; sed ab invidis accusatus, et a Comite de dilapidatione in causam tractus, respondit non Comitem, sed se esse Abbatem, et de suo non Comitem, sed se disponere posse et debere : quo responso Comes indignatus, ei Ecclesiam Bergensem prohibuit. Manasses igitur, assumptis sibi quæ poterat cum privilegiis et insigniis suæ dignitatis, abscessit; et sic usque hodie Bergensis Ecclesia pontificalibus caret. Ab hac die Ingelbertus præfatus communi consilio Abbas in Bergis constituitur, et sic tumultuantibus Flandrensibus, duobus etiam tantæ nobilitatis viris successivè ibi- C
dem Abbatibus institutis, Bergenses ab obedientia Abbatis S. Bertini sunt abalienati, Abbate nostro Heriberto absente, impellenteque potente manu Principis.

Orta Frisonis hac tempestate, domnus Abbas noster Heribertus hinc absens fuit, intendens suo Monasterio Autissiodorensi; et videns res hujus Ecclesiæ malè disponi, Autissiodorensi Monasterio resignavit, et ad hanc suam Ecclesiam
* *Cod. Alciac.* MLXXV. rediit, anno Domini MLXXII *. Eodem anno domnus Abbas Heribertus Suelgerium hujus loci Monachum misit ad Alchiacum locum nostrum, et eum ibidem primum Abbatem instituit. Sed vix duobus annis abbatiavit : quo defuncto, Heribertus instituit ibi Abbatem Norbertum Monachum nostrum anno MLXXVII.

Parte 5. *Col.* 585. Circa idem tempus (*a*) sub patre Stephano incœpit Ordo Grandimontensis in loco nuncupato Muretum in Diœcesi Lemovicensi, non longè a civitate Lemovica (*b*). Sed patre Stephano defuncto, fratres jussione divinâ moniti, trans- D
tulerunt Monasterium ad alium locum propinquum qui Grandismons dicitur, unde Ordo Grandimontensis appellatur. Hi fratres per omnia ferè Cisterciensis Ordinis instituta sectantur, hoc tamen addito quòd nunquam carnes pro quacumque causa comedunt. Habitum gerunt brunum sive griseum, tunicam scilicet et scapulare, desuperque non cucullam aut froccum, sed cappam antè scissam, et sunt quasi reclusi.

Anno Domini MLXXIX ædificari incœptum est Monasterium S. Salvatoris in

Iperius in prologo, *ex Legendis Sanctorum,... ex chronicis Paparum, Imperatorum, Regum Franciæ, Ducum Austrasiæ et Brabantinorum, Comitum Flandriæ et Ghisnensium ; itemque ex antiquitatibus hujus Ecclesiæ, ex annalibus, historiis et chronicis, archivis quoque publicis Ecclesiarum...; itemque ex textibus mille privilegiorum et cartarum authenticarum tam istius Ecclesiæ quàm aliarum Ecclesiarum.* In his autem quæ nunc recudimus, Herimannum Tornacensem plerumque secutus est Iperius et Andream Marcianensem, uti quandoque suis locis indicavimus ; res verò Monasterii sui Simoni quondam Abbati Bertiniensi acceptas refert anno 1147, quo ille mortalitatem explevisse dicitur. Ordo quem sequitur Auctor is est : *Dividitur*, inquit, *præsens opusculum in capitula* LVIII, *juxta numerum Abbatum qui hanc Ecclesiam hucusque rexerunt, cuilibet Abbati suum capitulum attribuendo. Capitula autem dividuntur in partes.*

(*a*) Stephanum in Mureti solitudinem haud ante annum 1080 secessisse, nec ante undecimi sæculi finem ordinis sui fundamenta jecisse, opinantur historiæ litterariæ Galliarum Auctores T. X. p. 413, quorum hæc præcipua sunt argumenta. Milo Beneventanus Archiepiscopus, apud quem Stephanus, donec ille vixit, demoratus est, non priùs anno 1075, ut demonstrat Ughellus, hominem exuit. Porrò Stephanus, hoc defuncto, Romam se contulit, ubi quatuor, teste vitæ illius scriptore, consumpsit annos. Ergo anno 1079 nec citiùs, imò fortè seriùs, Romæ valedixit. Inde verò ad patriam reversus, anno ibi propemodùm exacto, Muretum se tandem contulit; quâ in eremo solus anni unius spatio delituit; tum duobus anno altero sibi sociis adjunctis, vitam cum illis solitariam diu exercuit, antequam novi ad eum discipuli accederent. Paucos certè anno quarto adhuc habebat, cùm in eorum numerum Hugonem de Lacerta, virum pietate doctrinâque insignem, admisit.

(*b*) Distat quatuor aut quinque leucis ab urbe Lemovica ; a Mureto verò unâ duntaxat leucâ Grandis-mons, ad quem translatum est Monasterium.

insula

Digitized by Google

A insula quæ dicitur Aquicinctus, a viris illustribus Sigero et Waltero, annuente et consentiente Gerardo Cameracensi Episcopo.

Abbas Heribertus.... aliquamdiu dysenteriâ laborans obiit anno Domini MLXXXI, regiminis sui anno XVII, et sepultus est in medio Basilicæ quam ipse consummaverat. Tumba diademate auro et argento fabrefacto fuit honestissimè fabricata....

Johannes primus, hujus loci Abbas trigesimus nonus, hìc a puero nutritus sic profecit, ut... votis omnium Abbas eligeretur post Heribertum, et a Gerardo Cameracensi Episcopo, cui tum cura Morinensis Episcopatûs erat delegata, consecratur anno Domini MLXXXI.... CAP. XXXIX. *Parte* 1. *Col.* 586.

Quare cura Morinensis Episcopatûs fuerit delegata Gerardo Cameracensi Episcopo, causa fuit ista : quoniam Morinensis Episcopus erat tunc absens propter
B quoddam dissidium quo Morinenses solitâ insolentiâ contra suos Episcopos tumultuantes, tres ex ipsis sibi invicem immediatè succedentes confusibiliter ejecerunt. Primus fuit dominus Hucbertus, vir honestæ vitæ ac litteratus, quem Morinenses concorditer Episcopum elegerant post Drogonem (*a*). Hic dominus Hucbertus a Morinensibus magnâ confusione turbatur : quibus dum acriter resisteret, et semel cum paucis staret, ex improviso quidam, laxato equo, lanceâ eum graviter vulneravit. Cui Hucberto talis visio est ostensa : quâdam die, dum post matutinas Deo, sicut solebat, oraret quatenùs, si ipsi Deo displiceret quòd Episcopus esset, illi dignaretur ostendere, vocem audivit de supernis dicentem : *librum vitæ legi et relegi, Hucbertum Episcopum non inveni.* Quâ voce intellexit, non quia vitâ careret æternâ, sed Deo displiceret quòd Episcopus esset, vel quòd non obiret Episcopus. Sic Monachus sub domno Heriberto (*b*) Abbate efficitur
C in hoc Monasterio *Sithiu*, et post de vulnere convalescens, apud vetus Monasterium usque ad tempora domni Lamberti Abbatis nostri religiosissimè vixit, ibique sepultus est ad ejus humilium precum instantiam, se non dignum dicentis in *Sithiu* cum fratribus tumulari.

Secundus Episcopus per Morinenses ejectus fuit Albertus de Bello *, vir nobilis genere, per Flandriæ Comitem Robertum Frisonem violenter intrusus, qui Albertus ab omnibus est cum execratione terribili refutatus : unde grave valdè scandalum est exortum, Clerus in diversa dispersus et eorum bona direpta. Tandem invasor Ecclesiam sibi violenter occupans, improvisè ab Eustachio Morinensi Advocato linguâ mutilatus, et abscissis summitatibus articulorum turpiter ejectus, eo caruit quod iniquè præsumpsit (*c*). * *Al.* Lambertus de Bellolio.

Tertius ejectus fuit dominus Gerardus, quem post Albertum Morinenses in
D Episcopum elegerant; nihilominùs Morinenses contra hunc Episcopum suum more solito non cessaverunt acuere verba toxicata, donec eum per Urbanum Papam dignitate exutum ejecerunt * : qui postea visus est in monte S. Eligii juxta Atrebatum religiosam vitam ducere.... * Circa an. 1097.

Hujus Abbatis anno tertio, Balduinus Ghisnarum Comes et Ingelramnus Lillariensis dominus de peregrinatione S. Jacobi redeuntes per Pictaviam, hospitati sunt in Monasterio Carofensi. Videntes ibi religionem benè vigere, de Monachis Carofensibus secum ad has partes adduxerunt; et quidem Balduinus Ardense *, Ingelramnus verò Hamense Monasteria in honore S. Salvatoris fundaverunt anno Domini MLXXXIV.... *Parte* 2. *Col.* 588. * *Corr.* Andrense.

Anno Domini MLXXXV, Robertus Friso Flandriæ Comes filio suo Flandriæ Comitatum regendum commisit. Ipse verò ad Terram Sanctam et Hierusalem
E visitandam perrexit, ubi crebris et magnis victoriis fulsit; per eum tamen non est recuperata Terra Sancta, sed per filium ejus prædictum, ut post patebit. Ferturque unâ dierum, dum Friso sanctæ civitati Hierusalem propinquaret, porta civitatis semetipsam clausit et ingressum prohibuit; unde stupefactus quemdam Religiosum solitarium adiit, et eidem sua peccata confessus est, qui sibi pœnitentiam injunxit, specialiter autem de Comitis Arnoldi nepotis sui morte, et de perjurio in Aldenarda jurato, insinuans ei ut hæredibus fratris sui terram Flandriæ redderet, si Dei misericordiam consequi vellet: quod et facere promisit, et Hierusalem regrediens portam patentem invenit, et intravit (*d*). Post-

(*a*) Drogo anno 1078 vitâ functus creditur.

(*b*) Heribertus Abbas S. Bertini e vivis excessit an. 1081. Hucberti proinde secessus eo non seriùs anno collocandus est.

(*c*) Plures de eo exstant Gregorii VII Papæ epistolæ, olim a nobis recudendæ.

(*d*) Pugnantia secum frontibus adversis componit Iperius, dum hinc in Palestina Robertum hos

Digitized by Google

quam verò per aliquod tempus in Terra Sancta stetisset, in Flandriam rediit, A
sed promissa non tenuit : nam fratris hæredibus antedictis nihil penitùs nisi solam villam Duacensem reddidit....

Anno Domini MXC, Eustachius Boloniæ Comes et uxor ejus Ida, parentes
* Bullonio. et genitores illius clarissimi ac illustrissimi Godefridi de Willione * ac Balduini postea Regum Jerusalem, fundaverunt Monasterium B. Mariæ de Capella in terra de *Merk* juxta Calezium, in loco qui priùs dicebatur *Brocham*, et Monachis Hamensibus instituerunt....

Parte 3. *Col.* 590. Postquam Friso Robertus Flandriæ Comes de Terra Sancta rediit, graviter manum apposuit ad Ecclesiæ et Clericorum bona. Quare Clerus universaliter est conquestus Urbano Papæ II ; Papa verò litteras comminatorias Comiti destinavit :
* An. 1092. sed cùm emendare nollet, contra eum congregatum est Remis Concilium *, quo certi nuncii ordinati sunt et missi ex parte Concilii ad Comitem, qui eum B
monerent ut desisteret, et si opus esset, contra eum processus inciperent, producerent, et finaliter sententias fulminarent. Nuncii fuerunt Johannes S. Bertini, Gerardus de *Ham* Abbates, Bernardus Watinensis et Arnoldus S. Audomari Præpositi, qui venerunt ad Comitem Robertum Frisonem prædictum, qui tunc erat in Monasterio S. Bertini in Quadragesima, et eum monuerunt ut ante Ramos palmarum Ecclesiis et Clericis satisfaceret ; sin aliàs ex tunc eum excommunicarent, et terram ejus interdicto subjicerent. Quo audito, se Comes humiliavit, et Clericis ac Ecclesiis satisfecit anno Domini MXCII....

Parte 4. *Col.* 591 Friso Robertus Flandrensis Comes vitæ terminum faciens apud Casletum subitò et sine viatico obiit, et ibidem in Ecclesia Canonicorum quam ipse S. Petro fundaverat, in crypta sepelitur, anno Domini MXCIII (*a*) : cui in Comitatu successit Robertus Friso Junior filius ejus. Hic fratrem habebat Philippum, qui C
de solario corruens allisus obiit, et Bergis in Monasterio S. Winoci sepultus jacet. Iste Philippus pater fuit Guillelmi de Ipra, qui huic Ecclesiæ multa bona fecit, et ejus mentionem facimus in omnibus tricenariis nostris. Habuit etiam Robertus iste sorores quatuor, primam solam ex parte matris nomine Bertam (*b*), quæ fuit Regina Francorum, uxor Philippi primi et mater Ludovici Grossi, Francorum Regum ; secundam sororem ex patre et matre germanam (*c*), quæ fuit uxor S. Canuti Regis Daciæ, et mater Caroli postea Flandriæ Comitis ;
* Alsatiæ. tertia soror (*d*) germana fuit uxor Ducis Holsatiæ * et mater Theoderici postea Flandriæ Comitis ; quarta etiam germana, nomine Ogiena, fuit Abbatissa Messinensis. Duxerat autem Robertus Friso Junior uxorem Clementiam, filiam
* *sive* Magni. Willelmi *Hardi* * Burgundiæ Comitis (cujus Clementiæ frater fuit Calixtus, postea Papa hujus nominis secundus) de qua tres filios habuit, primum Bal- D
duinum *Hapkin*, qui patri successit in Flandriæ Comitatu ; secundum Willelmum, qui juvenis ante patrem obiit, et in hoc Monasterio sepultus est circa medium chori ; tertium verò (*e*) cujus nomen mihi nunc non occurrit. De hac domina Clementia scribitur in chronicis pluribus, quòd postquam tres filios prædictos genuerat, qui sibi sufficere videbantur ad Flandrensem successionem, timens ne si plures haberet filios, contra se invicem pro terra contenderent, unde bella et discrimina multa venirent, inhabilitatem ultra concipiendi sibimet procuravit (*f*) : quod licèt piâ intentione, indiscretâ tamen factum Deus in magnam convertit miseriam ; nam tribus filiis suis ante se mortuis, extraneos a suo sanguine Comites in Flandria regnantes oculis suis vidit, nec propter hoc guerræ seu tribulationes per patriam cessaverunt, sed potiùs invaluerunt, ut in sequentibus apparebit.

Domnus Johannes Abbas noster.... animam devotus reddidit anno Domini MXCV, et sepultus fuit in septentrionali cono claustri juxta introitum Capituli, postquam rexerat annis XIV (*g*).

tiliter se gessisse, illinc liberum ei tanquam pacificè peregrinanti sanctæ civitatis aditum patuisse narrat. Vide quid de hac narratiuncula sentiamus supra p. 419.

(*a*) De die Roberti Frisonis emortuali, nec de loco ubi mortalitatem explevit, inter Historicos non convenit. Alii quippè die 4 Octobris, alii 14 ejusdem mensis in castro *Winendal* eum obiisse narrant.

(*b*) Berta Philippi primi, Franciæ Regis, uxor patrem habuit Florentium Hollandiæ Comitem, matremque Gertrudem, quæ secundis nuptiis Roberto Frisoni copulata est.

(*c*) Adelam, primò nuptam Carnuto Daniæ Regi, 2°. Rogerio Calabriæ et Apuliæ Duci.

(*d*) Gertrudis, Henrici Lovaniensis primùm uxor, deinde Theoderici Alsatii.

(*e*) Philippum in cunis defunctum.

(*f*) Idem asserit Herimannus in hist. restaurat. Abb. S. Martini Tornac. *Arte muliebri egit*, inquit, *ne ultra pareret.*

(*g*) Diem ejus emortualem indicat epitaphium ibidem subjectum :

Quarta dies Martis, mortis singultibus atris
Clara, suis annis clausit pia gesta Johannis, etc.

Digitized by Google

A Lambertus hujus loci Abbas XL. ab infantia hìc regulariter educatus, per auditoria Gallicana ad litterarum studia destinatus est, indeque rediens magister puerorum effectus, illis grammaticam, illis philosophiam, aliis theologiam, quibus etiam docebat musicam.... Tandem Abbate Johanne defuncto, cunctorum licèt a principio discordantium, sed finaliter consentientium votis electus est in Abbatem, et a Gerardo tunc Morinensium Episcopo consecratus est, anno Domini MXCV. CAP. XL. *Parte* 1. *Col.* 592.

Hujus Abbatis anno primo (*a*) Canonici Atrebatenses, ægrè ferentes se tamdiu Episcopo Cameracensi fore subjectos, coram Urbano Papa II querelam deponunt, asserentes B. Vedastum a B. Remigio Atrebatensi civitati fuisse proprium ordinatum Episcopum, petentes ut eis Episcopus proprius ordinetur. Papa verò, quia Imperator Henricus rebellis erat contra Ecclesiam, et propter hoc excom-
B municatus a Gregorio Papa VII, contra quem Antipapam statuerat, a quo se fecerat coronari, videns Cameracenses Imperatori favere, Atrebatenses ab obedientia Cameracensis absolvit, et eis proprium Episcopum ordinavit Lambertum Archidiaconum Morinensem.

Eodem anno, Concilium celebravit Urbanus Papa in Claromonte civitate Arverniæ super recuperatione Terræ Sanctæ : in quo Concilio statutum est ut horæ B. Virginis quotidie dicerentur, officiumque ejus solemniter fiat in diebus Sabbatinis. In hoc Concilio Papa conqueritur. Jerusalem captam, Christianos oppressos a Saracenis, loca sancta profanata, consilium et auxilium quærens: ubi per ejus atque Ademari Podiensis Episcopi exhortationem ex omni regione Christianitatis promiscui sexûs, statûs et ætatis, innumeri cruce signati sunt, inter quos eminebat Hugo Magnus frater Regis Franciæ, Robertus Comes Flan-
C driæ, Robertus Dux Normanniæ, Godefridus Dux de Bullione, et duo fratres ejus Balduinus et Eustachius, eorumque cognatus Balduinus de Burgo filius Comitis Reitestensis, Boiamundus Dux Appuliæ et Tancredus cognatus ejus; Comites quoque [Hugo] S. Pauli, [Raimundus] S. Ægidii, [Balduinus] Hannoniensis, [Stephanus] Albæmarlæ, *Ust* (*b*), [Stephanus] Blesensis et Carnotensis, Auregiensis (*c*), Tolosanus (*d*), [Gaufridus] Perticensis, et [Guillelmus] Forestensis, Guido de Garlandia Senescallus Franciæ, Gerardus de *Roussillon*, Anselmus de Ribodemonte, et alii Barones magnifici; Legatus quoque Sedis Apostolicæ qui exercitui præerat pro parte Ecclesiæ, domnus Ademarus Podiensis Episcopus jam dictus, Episcopus quoque Montis-acuti cum Prælatorum et Clericorum multitudine. Hi omnes zelo Dei contra inimicos crucis Christi ad vindictam infrementes accinguntur, et nemine ipsos angariante, ad Hierusalem et Terram Sanc-
D tam iter arripiunt....

Anno post Antiochiam captam, id est anno Domini MXCVIII, Urbani verò Papæ nono, Philippi verò Francorum Regis anno XXXVIII, incœpit Ordo Cisterciensis per hunc modum. In Burgundia diœcesi Lingonensi Monasterium est Ordinis S. Benedicti Nigrorum Monachorum nomine Molismus, quod adhuc hodie sub eodem Ordine et habitu durat; Monasterium, inquam, illustribus viris, divitiis et religione conspicuum.... Molismensis igitur Abbas Robertus cum viginti de suis Monachis de Molismo in locum tunc vastæ solitudinis, qui Vallis-absinthii propter eamdem herbam quæ multùm inibi pullulabat, seu propter amaritudinem doloris ibidem in latrones et sicarios incidentium vocabatur, et nunc Cistercium nuncupatur (*e*), devenerunt; et freti consilio Odonis Burgundiæ Ducis, Walteri Cabilonensis Episcopi, et Hugonis Archiepiscopi Lugdu-
E nensis, dictam eremum in Abbatiam construxerunt, prædicto Roberto Abbate suscipiente curam et virgam pastoralem a Cabilonensi Episcopo diœcesano, Monachisque firmantibus stabilitatem. Nec multò post Abbas Robertus a suis Molismensibus repetitur, et jussu Urbani Papæ, licentiâque Cabilonensis Episcopi, Molismum reducitur, licèt invitus; et Albericus vir sanctus ejus loco Abbas Cistercii subrogatur.... *Parte* 3. *Col.* 596.

Lambertus igitur Abbas effectus statum ecclesiasticum et religionis valdè lap- *Parte* 4. *Col.* 597.

(*a*) Id est an. 1095, sed errat Iperius cum Andrea Marcianensi, quem exscribit.

(*b*) Deest *Ust* in cod. Alciac. Vox hæc porrò designat Comitem Aucensem d'*Eu*, qui tum erat.

(*c*) Cod. Alciac. *Aurengiensis*, id est Arausicanus, d'*Orange*. Is Comes fuit Ramboldus II, qui cum Raimundo S. Ægidii Comite in Palestinam profectus est.

(*d*) Tolosanus alius non est a Raimundo sancti Ægidii Comite.

(*e*) Non his nominibus olim Cistercium, quod in valle neutiquam positum est, sed Claravallis ante fundatum ibi a B. Bernardo Monasterium, appellabatur.

Digitized by Google

sum emendare cupiens,.... primò processit per hunc modum. Ecclesiâ Morinensi discordiissic malè dispositâ, ut exemplum reprobum esset universis; nam duobus Episcopis suis Hucberto et Alberto confusibiliter ejectis, addiderunt expellere tertium, scilicet dominum Gerardum : quo expulso, Canonici Morinenses elegerunt Erkembaldum Canonicum S. Audomari, virum nobilem atque prudentem, qui tam electionem quàm electores, quia dominos suos ignominiosè tractaverant, refutavit. Quod videns Abbas Lambertus, omnes Prælatos diœcesis adunavit. Reditur ergo ad electionem, et Abbates quidem elegerunt dominum Johannem Atrebatensem Archidiaconum, Monachum Montis S. Eligii, virum religiosum atque prudentem; Clerus verò atque Canonici Obertum de *Helchi* satis inferioris reputationis. Pater itaque Lambertus cum duobus Abbatibus ad Papam accessit; et litteris Clementiæ Flandriæ Comitissæ fulti, causam suam exponentes, citiùs sunt auditi (quia maritus ejus Comes Robertus in expeditione Terræ Sanctæ, ut prædictum est, laborabat) consilioque Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi tunc ab Anglia pulsi, id pro quo venerant impetrarunt. Ipsis recedentibus, pars adversa consensit, et dominum Johannem in suum Episcopum receperunt, anno Domini MXCIX, qui triginta annis Episcopatum sanctissimè regens, nullâ unquam cupiditate vel avaritiâ notatus fuit ab aliquo, discretus in judiciis, liberalis et pauperum recreator....

Corr. sexto. Hujus domini Johannis Episcopi anno secundo, Lamberti Abbatisnostri tertio *, id est anno Domini MCI, inclytus Flandriæ Comes Robertus secundus de Jerusalem et Terra Sancta per multos labores, victorias et triumphos expertus magnalia Dei, completoque suo peregrinationis voto, cum multa militari laude et gloria reversus, a Rege Principibusque Francorum honorificè tractatur, et in Flandriam veniens cum immenso gaudiorum jubilo receptatur. In qua sancta expeditione sic incomparabiliter se strenuè gessit, quòd non solùm utilis, verùm potiùs ut fulgur infidelibus esset terrori, sicque victoriosus et invincibilis, ut eum S. Georgii filium Turcorum et Arabum appellaret exercitus. Ipse brachium S. Georgii secum attulit, et Ecclesiæ Aquicinctinæ dedit. Ipse etiam Comes ordinavit et perpetuò constituit Præpositum S. Donatiani Brugensis suum Archicapellanum et Flandriæ Cancellarium. Anno quo de Terra Sancta reversus est, contra Tornacum (*a*) movit exercitum. Eo ibidem hyemante, Henricus Imperator contra eum vadit, sed inactus rediit, hyemis asperitate se coactum excusans. Comes etiam a Balduino Hannoniensi consobrino suo, filio Balduini Comitis, in expeditione Jerosolymitana defuncti, Duacum castrum quibusdam pactionibus et conventionibus obtinuit. Unde Henricus Imperator ad auxilium Balduini Comitis contra Robertum exercitum ducens Duacum vadit; sed utrimque pacto simulato magis quàm composito, inefficax rediit. Duacum verò Roberto Flandriæ Comiti remansit (*b*).

Parte 5. *Col.* 599. Ecclesiâ Morinensi, quæ totius diœcesis est caput, reformatâ, Lambertus Abbas noster Comitis Flandriæ consilio atque Johannis Episcopi Morinorum confisus, quod antè diu mente conceperat, religionem hìc reparare festinat. Incepit autem sic.... Roberto Comiti Flandriæ per medium Clementiæ Comitissæ supplicavit ut huic Ecclesiæ de religione consuleretur, et ne Monachi sui a religione deficerent, sed et Ecclesiam istam Cluniacensibus, ubi tunc fervor religionis erat, subjiceret, et obtinuit : quod tamen Monachos non latuit. Interim Johannes Episcopus Romam ad Papam tendit, cum quo Lambertus noster Abbas se proficisci simulans, iter arripuit, et Monachum quem secum assumpserat, sub custodia reclusit in quadam cella Cluniacensi. Ipse verò Lambertus Cluniaci remansit, professionem fecit, et eorum ordinem didicit. Tandem Episcopo de Roma sine Abbate reverso, Monachi nostri semel et iterùm et tertiò Abbati Lamberto mandant ut veniat, redeunti quidam obediunt, sed major pars obedire recusavit. Tunc ipse clam vocatis militibus suis, rebelles cepit et in diversis Ecclesiis dispersos inclusit. Regebat tunc Cluniacum vir sanctæ memoriæ Hugo Abbas, per cujus licentiam Lambertus de diversis Cluniacensium Monasteriis Religiosos viros huc adduxit, et hìc Ordinem introduxit anno Domini MCI....

Parte 6. *Col.* 601. Pater itaque Lambertus, duabus primoribus Ecclesiis hujus diœcesis, scilicet

(*a*) In aliis chronicis legitur Cameracum. Eam porrò expeditionem anno 1102 illigat Sigebertus.

(*b*) Andream Marcian. hìc exscribit Iperius, quem consulesis anno 1108.

Digitized by Google

A Morinensi et Sithiensi, qualitercumque reformatis, totum se Cluniacensibus indulgens, ad vicinas Ecclesias reformandas mentem intendit, opportunitatem nanciscens nunc ex Ecclesiarum vacationibus, nunc ex Monachorum dissensionibus : et eodem anno, scilicet MCI, Ecclesiæ Alchiacensi (cui de jure, consuetudine ac privilegio competit et debet ex isto Monasterio Abbas provideri) Roberto illius loci Abbate defuncto, Odonem Cluniacensem Monachum, virum exemplarem, ad Ordinem hìc reformandum pridem missum diligentiâ Hugonis tunc Cluniacensis Abbatis, Alchiacensibus Abbatem præfecit....

Itemque eodem anno, Ingelbertus Abbas S. Winoci Bergensis (si tamen per ostium intrasset) postquam XXXI annis illam Ecclesiam rexisset, positus in mortis articulo, palàm confessus est domnum Ermengerum Abbatem suum a se regnandi cupiditate minùs justè depulsum. Igitur eo defuncto anno Domini MCI,
B Bergenses Ermengerum resùmpserunt Abbatem, qui per Papam et Episcopum approbatus vix triennio supervixit. Tunc Bergenses de suis electionem fecerunt. Tunc Episcopus videns illam Ecclesiam indigere correctione, Comiti Flandriæ notificavit illam Ecclesiam per virum religiosum corrigi fore necesse. Comes hortatu suæ conjugis Clementiæ, per Lambertum Abbatem nostrum inductæ, consensit. Igitur instinctu Abbatis nostri Hermetem Priorem nostrum, hìc a puero nutritum, tunc Cluniaci commorantem, Abbatem in Bergis ordinavit. Die præfixo Comes et Proceres, Bruno Apostolicæ sedis Legatus, Johannes Episcopus Morinensis cum Clero, Abbasque noster cum Abbate novo et Monachis nostris, quos illuc ad Ordinem introducendum adduxerat, in Bergis adsunt. Bergensibus quaquaversùm dispersis, Abbas Hermes inthronizatur, anno Domini MCIV....

C Anno post hoc quinto, id est MCVII, fundari inceptum est Monasterium de Dunis.... Anno post hanc Dunensem fondationem secundo, id est anno Domini MCIX, ab Atrebatensibus Monachis S. Vedasti, procurante Abbate nostro Lamberto, susceptus est Ordo Cluniacensis.... *Parte* 7. *Col.* 603.

Vir Apostolicus domnus S. Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus et venerabilis Hugo Cluniacensis Abbas, duo magna Ecclesiæ luminaria, hoc eodem anno scilicet Domini MCIX, de hoc sæculo nequam cœlicas migrarunt ad sedes.... *Parte* 8. *Col.* 604.

Eodem anno Domini MCIX * Rex Francorum Philippus primus obiit et in Monasterio Floriacensi sepelitur. Post exequias Episcopi qui convenerant, cum filio Regis Ludovico venerunt Aurelianum, et propter regni turbationes ipsum ibidem in Regem inunxerunt, quarto die post sepulturam patris. Iste est Ludovicus cognomento Grossus, juvenis, strenuus, in bello acer, in pace pius, justus
D et religionis amator, cujus avunculus fuit Robertus Comes qui tunc Flandris imperabat. * *Corr.* MCVIII.

Hoc etiam eodem anno (*a*) dominus Lambertus Atrebatensis Episcopus obiit : cui Robertus ejusdem Ecclesiæ Archidiaconus successit....

Item eodem anno, id est anno Domini MCIX, Willelmus junior *, filius Comitis Flandriæ Roberti, apud Ariam moritur, et inde ad hoc Monasterium delatus et sepultus est ante locum ubi tunc erat altare majus : cujus sepultura artificiosè composita ex lapillis minutissimis diversorum colorum opere musiaco quasi depicta foret, armato milite fuit decorata.... *Parte*. 9. *Col.* 609.

Waldricus Laudunensis Episcopus a seditioso illius urbis pòpulo, quia eos a malè jurata communitate revocare volebat, occiditur *, domus Episcopi incenditur et cum ea Ecclesiæ B. Mariæ Virginis, S. Johannis, cum aliis vicinis
E concremantur. Quam seditionem Rex crudeliter vindicavit, ut posteris cedere debeat in exemplum.... * An. 1112. die 25 April.

Sequenti anno, id est anno Domini MCXI contigit Regem Franciæ Ludovicum contra *Dammartin* exercitum ducere, vocato secum Flandriæ Comite Roberto avunculo suo, qui in eo exercitu strenuissimè laboravit. Tandem negotio pro quo venerant ad votum peracto, unâ dierum cùm prædictus Comes Flandrensis per pontem Meldensem cum militum multitudine equitaret, equus fortuitò super eum cadens totum conquassavit. Inde deportatus ad lectum, tertiâ post hoc die decessit (*b*), postquam Flandrensibus imperasset annis XVIII ; cujus

(*a*) Lambertus an. 1115 vitâ functus est ex melioris notæ chronologis. Sed diem ejus emortualem notat Iperius in epitaphio :

Mundo decessit, cùm Maius ab Idibus exit.

(*b*) Rem paulò seciùs narrat Ordericus Vitalis L. XI, p. 837. *Quondam*, inquit, *Rex super Theobaldum irruit, et Robertum Flandrensem Satrapam cum aliis nobilibus secum habuit. Tunc ibidem a consulari*

Digitized by Google

corpus cum magna Procerum caterva translatum Atrebatum, et in Ecclesia A
B. Vedasti cum honore maximo sepultum est. Cui successit in Flandriæ Comitatu Balduinus filius ejus, qui postea dictus est *Hapkin* (*a*), vix pueritiæ ætatem excedens : qui statim ut Comitatum adeptus est, a Rege Francorum suscepit balteum et ordinem militarem, statimque se tantæ probitati exposuit atque justitiæ, quòd malis effectus est terribilis, bonis verò atque patriæ clypeus et tutela.

Inter cætera facta justitiæ, militem qui pauperculam de duabus vaccis prædaverat, duci fecit Brugis, et rogantibus amicis ne suspenderetur aut excæcaretur, Comes annuit ; sed cacabum cum aqua ferventi parari fecit, militemque, ut erat, vestitum et gladio accinctum in eo projici et bulliri fecit ad raptorum terrorem.

Item alios decem milites qui in nundinis Toraltensibus mercatorem prædaverant, captos recludi fecit in quadam domo. Cognatis eorum rogantibus B
respondit se velle loqui cum eis ; sicque domum cum aliquibus de suis intravit, et ut illos suspenderent jussit. Remanentibus eis præ timore amicorum, dixit raptoribus : « Si quis vestrùm socios suspenderit, evadere poterit » : quod unus illorum complevit. Tunc illum Comes cum chorda ad collum ejus et ad trabem ligata super scamnum stare compulit, ipseque Comes scamnum cum pede propulit, et sic ille suspensus mansit. Comes verò exiens et equum ascendens, amicis eorum dixit : « Intrate et eis consulite ut amodò se caveant a rapinis ». Qui cùm vidissent eos suspensos, confusi recesserunt (*b*). Talibus factis pavorem sic omnibus intulit, ut etiam thesauros inventos in via nullus attrectare præsumeret.

Paupercula quædam ante Ecclesiam S. Petri Gandavensis ei ad vesperas properanti conquesta est de suæ vaccæ furto : Comes eam rogat ut spatium audiendi vesperas sibi concedat. Illa inquit : « Domine, tunc impediret violentia militum ». C
Tunc ipse mantellum suum deponens pauperculæ tradidit dicens : « Hoc signo scias » me ad te post vesperas rediturum » : quod et fecit, et pauperculæ satisfecit. In quo ejus devotio, pietas et justitiæ promptitudo monstratur. Ipse Carolum cognatum suum, S. Canuti Regis Daciæ filium de Terra Sancta redeuntem secum retinuit, et eum plurimùm honoravit, ejusque consilio, quoniam prudens erat et justus, se et terram suam sic regebat, ut non solùm populus, sed etiam ipse
Parte 11. *Col.* 611. Rex eum utplurimùm formidaret.....

Ecclesia S. Petri Gandensis anno Domini MCXVII, a religione sic collapsa, ut potiùs dissolutionis videretur esse sentina, per domnum Arnoldum ejusdem loci Abbatem adjutorio domini Abbatis nostri Lamberti reformata est.... Regularis etiam correctio a Monachis S. Bavonis, licèt invitis, non multo post tempore suscepta est, similiter et a multis aliis Flandriæ Monasteriis. D

In Remensi quoque civitate, Abbatia S. Remigii, quæ potiùs regni fuisset appellanda nomine, sic religione et bonis exterioribus erat destituta, ut vix paucis ibi degentibus adessent subsidia vitæ. Abbas igitur illius loci ex assensu proprio et honesta causa resignavit. Cùm sic illius loci Monachis immineret electio facienda, domnus Abbas noster Lambertus, conventione factâ cum electis Sythiensium fratribus, adfuit, ad cujus nutum quasi omnium pendebat intentio. Qui Odonem Abbatem SS. Crispini et Crispiniani, quem de Suessione secum adduxerat, virum utique ad omnia sagacem, eis eligendum insinuat.... et sic
Parte 12. *Col.* 612. de Flandria religionis æmulos usque in Galliam propagavit.

Willèrmus Normannus qui Angliam conquisivit, Mathildem filiam Balduini Insulani, Flandriæ Comitis, uxorem duxit, de qua tres filios genuit, Willermum qui patri successit in regno, Robertum qui ex dono patris fuit Dux Normanniæ, et Henricum qui, decedente patre, mansit sine assignatione terræ, unde E
dictus fuit Henricus sine terra. Robertus secundus filius prædictus in conquisitione Jerusalem fuit cum Roberto Flandrensi Comite, Godefrido et aliis : quo
* An. 1100. ibidem cum aliis militante, Willermus Rex frater suus in venatione casu sagittâ percussus interiit *. Statim Henricus sine terra videns Regem fratrem suum mortuum, Robertum fratrem suum absentem, Angliam occupavit, et sibi regnum

familia fortè impetitus est, et majori virorum copiâ prævalente, in fugam versus est. Rege nimirùm cum suis fugiente, Flandrensis Marchisus in arto tramite cecidit, et ferratis equorum ungulis conculcatus resurgere nequivit, sed membris malè confractis difficulter sublatus, post paucos dies exspiravit.

(*a*) Andreæ Marcianensi Happiola dicitur, quæ vox idem sonat quod securis.

(*b*) Eadem severitatis exempla narrat Herimannus in Narrat. restaur. Abbat. S. Martini Tornac. Vide supra p. 394.

Digitized by Google

A usurpavit, expulso Willermo (*a*) nepote suo, filio Roberti Normanniæ Ducis prædicti. Robertus verò de Terra Sancta reversus, in Angliam obviam pergit fratri suo Henrico prædicti regni occupatori; sed Henricus victoriâ potitus Robertum in bello cepit *, et incarceratum usque ad finem vitæ suæ detinuit; puer verò * An. 1106.
Willermus filius Roberti prædicti, etiam ab eodem avunculo suo Henrico Angliâ et Normanniâ pulsus, penès Regem [Franciæ] mansit : de quo postea dicetur.

Hac de causa Flandriæ Comes Balduinus *Hapkin* iratus, Henrico Regi Angliæ valdè fuit infestus : unde cùm semel Henricus ei mandaret quòd super eum usque Brugis veniret, Comes Balduinus ei magnanimiter respondit, non esse necesse eum sic fatigari; nam ipsemet Balduinus ei Rotomagum civitatem suam, ubi tunc erat, obviam veniret, quod et fecit. Balduinus se usque ad portas Rotomagi cum quingentis militibus transtulit, et hastâ suâ portam, quam clau-
B sam reperit, feriens, Regem ad exitum sive congressum provocavit. Rex autem exire nolens vel non audens, respondit se contra fatuum vel furibundum juvenem exire nolle. Videns igitur Balduinus quòd nihil proficeret ibi jacendo, in despectum Regis nemora, cervos et bestias ejus dissipavit, et in Flandriam rediens *Cenkes* (*b*) castrum cepit, Hugone *Campdavaine* qui illud occupaverat, vi armorum expulso, castrum illud Carolo consobrino suo, filio Regis Daciæ, tradidit.

His gestis, cùm semel Balduinus Comes prædictus torneamenta frequentaret, contigit eum a quodam milite casu in fronte vulnerari, de quo nunquam curari potuit (*c*). Dicebatur enim quòd, Henrico Anglorum Rege agente, per quemdam falsum Chirurgum vulnus fuit intoxicatum : quo vulnere continuè per oculum suum stillante, inhabilis ad arma, languens quasi per annum, videns-
C que mortem hinc non posse evadere, contra matris suæ atque Baronum voluntatem Carolum consobrinum suum prædictum, filium S. Canuti Regis Daciæ sæpè dictum, sibi successorem et Flandriæ Comitem assignavit. Et nota quòd Willermus Normannus pro ista vice in Comitatu Flandriæ nullum jus vindicavit, sed Carolum, quia natu propinquior erat, succedere permisit. Hoc facto, Balduinus Flandriæ Comitatum dimittens, monachus est effectus in Monasterio S. Bertini, in quo ferè decem mensibus in habitu Monachali vivens, tandem dies suos devotissimè clausit, hìcque, Carolo Flandriæ Comite ejus successore
astante, electoque flore Flandrensi præsente ac Procerum multitudine, sepelitur anno Domini MCXIX, postquam Flandris imperavit annis octo. Memoriale verò ejus sive tumbam solemnem statuerunt et altam, ex ære fabrefactam et auratam cum cruce desuper posita et affixa, quæ adhuc hodie solemnis et honesta durat. Anniversarium autem ejus sub duplici solemnitate singulis annis hìc apud nos
D celebratur....

Gelasio Papâ defuncto et in Monasterio Cluniacensi sepulto, Wido Viennensis Archiepiscopus filius Burgundiæ Comitis, frater Clementiæ Comitissæ Flandriæ, et avunculus Balduini Comitis jam nuper defuncti, a toto cœtu Cardinalium in Cluniaco simul et concorditer eligitur in Papam, et Calixtus secundus nominatur.... *Parte* 13. *Col.* 614.

Anno Domini MCXX incœpit Ordo Præmonstratensis per domnum Norbertum magnæ pœnitentiæ et abstinentiæ virum, unde versus :

Anno centeno milleno bis quoque deno
Sub patre Norberto Præmonstrati cœpit Ordo....

Bergenses Monachi per id tempus Hermetem Abbatem suum, quem domnus Abbas noster Lambertus eis præfecerat, dolo circumventum Abbatiam abjurare
E

(*a*) Guillelmus nondum in lucem editus erat, cùm Henricus Angliæ regnum occuparet.

(*b*) Codd. Bertin. et Alciac. habent *Enker, Encre.* Illud porrò castrum expugnavit Balduinus anno 1115, teste Anselmo Gemblac.

(*c*) Conferenda hæc narratio cum Orderici narratione ad an. 1118, lib. XII, p. 843. « Balduinus, » *inquit*, acer juvenis, Flandrensis Satrapa, totis » viribus insurrexit in Regem Henricum, ut co- » gnatum suum in paternam revocaret hæredi- » tatem Guillelmum. Henricus Aucensis Comes in » primis consensu rebelles adjuvit : sed providus » Rex hoc comperiens, ipsum cum Hugone de » Gornaco Rotomagi comprehendit, et ad red- » dendas munitiones suas vinculis coartavit. Tum » Balduinus cum multitudine Morinorum usque » ad Archas venit, et villas in Tallogio, Rege » cum Normannis flammas spectante, combussit. » Moderatus igitur Rex Buras munivit, ibique, » quia plerosque Normannorum suspectos habuit, » stipendiarios Britones et Anglos cum apparatu » copioso constituit. Illuc nimiâ feritate frendens » Balduinus sæpè veniebat, et Britones ad exer- » citium militare lacessebat. Tandem a quodam » Hugone Boterello vulneratus est, et inde Albe- » marlam, quia Stephanus Comes et Hadvisa Co- » mitissa ei summoperè favebant, regressus est : » ubi sequenti nocte teneras carnes manducavit, » mulsum bibit, et cum muliere concubuit. Inde » lethifera ægritudo incontinentem juvenem cor- » ripuit, et a Septembri usque ad Junium mise- » rabiliter languentem ad ultima coegit ».

Digitized by Google

fecerunt; sed cùm, iniquitate perceptâ, dolum et fraudem contra allegant quæ nemini patrocinari debent, dixerunt se nunquam homini perjuro parituros : et invaluerunt voces eorum, et sic ipsum dejecerunt a Prælatura. Hermes igitur Abbas inde recessit, et Remis in Monasterio S. Nicasii usque ad obitum suum se reclusit. Post cujus recessum Episcopus quemdam virum religiosum, nomine Thomam, nuper ex Præposito Clericorum Regulari Canonico Sythiensem Monachum nostrum effectum, Bergensibus substituit. Hoc eodem anno, in depositione S. Bertini Cœnobium S. Winoci consumpsit ignis....

Parte 14. *Col.* 617. Anno Domini MCXXIV, domnus Abbas noster [Lambertus] subitò et ex improviso paralysi percussus, amissâ loquelâ, ferè mediâ parte corporis sui debilitatâ, plusquam biennio et usque ad obitum languit. Tunc Ecclesiæ turbantur hìc omnia, et quasi in cahos pristinum relabuntur.... Ad removendam igitur Cluniacensium suspicionem, remque Ecclesiæ regendam, consilio Episcopi domnum Simonem, qui postea fuit hìc Abbas, substituit. Econtra nostri Cluniacenses professi domnum Simonem prædictum deponi procurant, necdum anno finito. Sic quoque membra languida inter se, capite languente, compugnant. Tandem congregatis fratribus, Carolo quoque Flandriæ Comite et Johanne Morinorum Episcopo, quemdam Johannem nuper ab Abbate Lamberto de Regulari Canonico Monachum hìc effectum, ipso domno Lamberto vivente et quantùm poterat reclamante, cum strepitu magno multisque clamoribus elegerunt..... Hujus Johannis anno primo, pater Lambertus, postquam sic languerat, jam ferè triennio in extremis positus,.... animam Deo reddidit anno Domini MCXXV (*a*).

CAP. XLI. *Parte* 2. *Col.* 620. Carolus Regis Daciæ S. Canuti filius ex filia Roberti Frisonis secunda, Balduino *Hapkin* Flandriæ Comite sine hærede defuncto, Comes Flandriæ effectus est, vir strenuus, honestus, prudens, in bello ferox, in pace pius et justus, Ecclesiarum et religionis amator. Huic invidet Clementia Comitissa propter Willelmum Iprensem suæ cognatæ maritum, quem terræ præficere voluit, sed non potuit, et ideò cum Carolo pacem fecit, ei tradens Ariam, Sanctum-Venantium et Dixmudam. Carolus iste Hugonem Comitem S. Pauli vicit, et castrum S. Pauli cum aliis munitionibus ad terram usque prostravit. Walterium Hesdiniensem Comitem sibi subdidit, et eo de terra fugato, Comitatum alteri tradidit, sibi tamen necessaria assignavit. Subdidit etiam et potenter Comitem Montensem et Thomam de Conchi *; castellum etiam quod Eustachius Advocatus Morinensis in atrio B. Mariæ Tarvanæ construxerat, diruit, et Ecclesiam Morinensem a præjudicio liberavit.

* *Couci.*

In eleemosynis largus sæpè sua pretiosa vestimenta deposuit, et pauperibus tradidit, ut alios ad eleemosynam provocaret. Tempore caristiæ sive famis, quæ tunc valida fuit in patria, largissimas eleemosynas fecit, sic quòd præter id quod per suas gentes dispensabatur, ipse ad exemplum tribuendum unâ die plus quàm sex millia et octingentos panes suâ propriâ manu pauperibus tradidit, nec pati potuit quòd sua eleemosyna negaretur alicui ; quâ fame et inediâ durante, a Kal. Novembris usque ad novas fruges ipse cogebat Ecclesias et viros Ecclesiasticos de suo solito plus elargiri.

Erga Deum et viros ecclesiasticos sic fuit humilis et devotus, ut sæpè rogaret eos, quatenùs eum tempore et loco de suis defectibus reprehenderent, et pro eo Dominum exorarent. In curia sua Religiosorum et Ecclesiarum causas primò semper expediri fecit, dicens quòd hi qui servitio Dei invigilant, non debent in curia Principum detineri. Unde semel contigit hunc Johannem Abbatem ingredi curiam Comitis in die S. Epiphaniæ, etc. (*ut apud Herimannum Tornac. p.* 395.)

Pro hujusmodi factis fuit bonis amabilis, odibilisque malignis, sic ut plures ob hoc in ejus necem conspirantes machinarentur. Fuit quidam Bertulfus Præpositus S. Donatiani Brugensis, stipatus cognatis superbis, quibus quidam miles coram Comite servitutem imponebat, quam servitutem Comes toti parentelæ videbatur imponere : unde Præpositus invidit domino suo Comiti. Habuit etiam ipse Præpositus fratrem nomine Botsardum (*b*), qui quemdam vicinum suum nomine *Thamar* oppressit injustè; quibus Comes treugas imposuit, unde Præpositi

(*a*) Diem ejus emortualem signat epitaphium his verbis :

Quem genus ornavit, facundia notificavit,
At cinis ecce jaces, obitum signante sequaces
Dena Kalendarum, quem lux rapuit Juliarum.

(*b*) Botsardus, aliis Borsiardus et Buchardus dictus, fratruelis erat Bertulfi Præpositi.

crevit

A crevit odium. Comite igitur ad Franciam pergente, Botsardus, infractis treugis, multos contra ipsum *Thamar* excessus perpetravit. Comes verò rediens et hoc sciens, ut majorum terræ judicio de malefactoribus pleniùs ordinaret, Brugis accessit. Crastino Præpositus Guidonem de *Steenfort* misit ad Comitem intercedere pro fratre suo Botsardo; sed econtra Guido, precibus omissis, Comiti superbè imposuit injurias Botsardo illatas. Cui Comes respondit: « Botsardus illata » damna restituat, et suæ parentelæ libertatem probet, et sic poterit veniam » postulare ». Præpositus propter parentelæ libertatem indignans, sequenti nocte cum septem de suis, id est, Botsardo et Winrico fratribus suis, cognatisque Roberto et Winrico fratre ejus, Willermo de *Werneke*, Ingelramo de *Essines* (*a*) et Isaac in mortem Comitis secretè conspirantes, juraverunt ut hoc omnes lateret, donec perpetratum esset. Proditio tamen Comitem omninò non latuit,
B sed vix hoc credere potuit.

Crastino surgens Comes, ut solitus erat, se et opera sua Deo commendans, pauperibus dans eleemosynam, ad Ecclesiam S. Donatiani cum paucis Missam auditurus intravit, et ante altare B. Virginis se in oratione prostravit, et cùm septem Psalmos pœnitentiales et quindecim Graduales altâ voce, ut ei mos erat, prælegisset, unum de tredecim denariis quos ante se habebat, pro eleemosyna pauperculæ tradidit. Ecce Botsardus proditor cum suis conspiratis prædictis, nudis gladiis Comitem impetit, et sibi anteriorem partem capitis a vertice usque ad frontem cum dextero brachio amputavit; et cerebro pavimentum aspergens, eum multis et horrendis vulneribus confoderunt: sicque patri suo sancto Canuto per suos in Ecclesia trucidato Martyr conformatus pro justitia spiritum Deo reddidit, anno Domini MCXXVII, secundâ die Martii. Plures etiam de fidelibus ejus,
C scilicet Tannardum * Castellanum de *Bourbourch* intra ipsam Ecclesiam, duos filios ejus in villa, Walterum dispensatorem Comitis ab altari avulsum trucidarunt. Hujus Comitis martyrium prodigia præcesserunt, et miracula sunt subsecuta. Nam in Flandria multi fluvii sanguinei facti sunt ac etiam fossata, diuque sic manentes fœtorem magnum quasi sanguinis, præsagium hujus murdri, prætulerunt, miraculaque secuta sunt.... Simileque nefas in Burgundia eodem die præsumptum est, quòd quidam rei majestatis dominum suum Willermum Burgundiæ Comitem gladiis confoderunt in Ecclesia ante altare orantem. Corpus verò Caroli Comitis translatum est de Ecclesia violata ad Ecclesiam S. Christophori et reconditum feriâ sextâ sequente, et ab illa die judicium Dei contra proditores pestiferos inchoavit sic.

* *Cod. Bert.* Themardum.

Carolo Comite sic trucidato, proditores ad castellum quod in Brugis est se
D contulerunt. Vigesimâ verò die post mortem Comitis venit Gervasius dominus de *Praat* cum triginta equitibus, et licèt esset proditorum illorum cognatus, ipsos tamen cum villæ burgensibus primus aggreditur, et eos vi assultûs ad superiora fugere compulit; duos ex eis cepit, quos post multa tormenta, sociis eorum ab alto prospicientibus, frustatim incidit, et in cloacas projecit. Isaac unus de septem conspiratōribus prædictis in Monasterio S. Johannis juxta Morinum habitum religionis induit, quem Willermus de Ipra cum Morinensibus, habitu Monachi deposito et tonso capite, usque Morinum trahi fecit, et inde usque Ariam duxit, ubi eum Willermus in patibulo suspendi fecit. Bertulfus Præpositus de Brugis fugit usque *Warneston*, quem Willermus de Ipra cum Iprensibus cepit, et de *Warneston* nudis pedibus peditantem usque Ipram duxit, et Psalmos legentem: ubi horrendis contumeliis affectus et tormentis saturatus
E obiit. Guido de *Steenfort* a quodam Hermanno pro hac proditione provocatus ad duellum, victus et ad fatendum deductus, ad caudas equorum tractus de *Rumighem* usque Ipram, ibidem juxta Præpositum est suspensus. Citò post hoc eorum corpora fuerunt sepulta in Monasterio de *Formezele*. Botsardus qui Comiti mortis ictum intulit, fugiens ad Lisiam fluvium navim intravit, quam nullus unquam a terra movere potuit, quod multi pro miraculo recitant: sicque captus et Insulam deductus, et multis affectus molestiis, patientissimè ferens et crimen palàm confitens, petiit ut ipsemet sibi manum quâ scelus perpetraverat, amputaret, sed non obtinuit: tandem ipse membra sua patienter ad tormenta componens, in rota fractus et flexus interiit.

(*a*) Eorum nomina sic effert Gualterius in vita B. Caroli Boni n°. 34, *Guelricus frater Præpositi, Burchardus nepos ejus, et alterius fratris ejus Roberti filius Robertus, Guillelmus quoque Viroviacensis, et Ingrannus Esnensis, et Isaac Præpositi consanguineus.*

Digitized by Google

Parte 3. *Col.* 623. His gestis, Willermus Iprensis, postquam proditores sic correxerat, manum misit ad terram Flandriæ, prædones valdè compesquit; Ipram, Furnis, Casletum, Bergis, Balliolum et Ariam cum illorum confinibus sibi allegavit. Arnoldus Dacus ab Audomarensibus susceptus, in hoc Monasterio sibi munitionis castrum fecit. A

Rex Franciæ Ludovicus, dolens de morte Caroli, ut de malefactoribus vindictam sumat, in Flandriam venit; et licèt diversi Flandriam calumniarentur, ipse tamen Willermum Normannum nutritium suum, filium Roberti Normanniæ Ducis ab Henrico Anglorum Rege fratre suo detenti, filii Willermi Angliæ Conquisitoris ex Mathilde filia Balduini Insulani, sorore primi Frisonis Roberti, in Flandriam secum adduxit : qui Willermus, sicut alii prælibati, Flandriam sibi quantùm potuit confœderavit et usurpavit. Rex igitur, vocatis Morinensi et Tornacensi Episcopis et omnibus terræ Prælatis, Ecclesiam S. Donatiani reconciliari fecit, et defuncti Comitis corpus in ea sepeliri. Mirum dictu! corpus ejus quandò detectum fuit, recens et roscidum cùm suis linteis mirâ odorifragrantiâ recreavit omnes astantes, cùm tamen illa dies quinquagesima suæ depositionis esset. Post hoc Rex proditores qui in turri remanserant, videlicet Winricum fratrem Præpositi prædicti, cum suis de turri violenter per cancellos præcipitari fecit; et sic breviter omnis cognatio Præpositi residua quaquaversùm dispergebatur et fugit. B

Brugis his ita peractis, Rex cum Willermo Normanno Ipram adiit (*a*), cui Willermus Iprensis prædictus in pugnam obviavit, sed a quibusdam Iprensibus proditus captus est, et villa graviter a Gallicis spoliata; sed citò post hoc Willermus liberatus est et reconciliatus : sicque Rex in Franciam rediit. Post hoc Willermus Normannus, audiens Arnoldum Dacum in hoc Monasterio sibi castrum firmasse, huc accessit, Arnoldum (*b*) obsedit; cùmque vellent ignem apponere, Willermus ipse prohibuit, unde nullum penitùs damnum incurrimus, sed magnam infamiam, quia Johannis Abbatis nostri hoc factum dicebatur esse consilio. Arnoldum tamen Willermus Normannus coegit exire et totius Flandriæ jus abjurare : et ab hac die in antea Audomarenses cum hoc Willermo confœderati manserunt contra quemcumque usque ad finem vitæ illius, etiam Theodericum de Holsate *, verum et proximum hæredem, de quo statim dicetur : de qua confœderatione idem Willermus Normannus claram mentionem fecit in quadam charta quam eis concessit, ut postea suo loco patebit. C

* Alsatia.

Willermus iste Normannus, sic taliter qualiter Flandriæ possessione pro magna parte conquisitâ, consilio Normannorum suorum qui illi semper adhæserant, se et patriam regens, fuit terræ et populo gravis; quare plures de Flandria, tædio alii, invidiâ alii, alii autem Henrici Regis Anglorum pecuniâ ducti, ad Theodericum de Holsate, qui cognatus erat germanus Caroli ac etiam Balduini *Hapkin* nuper defunctorum, miserunt, rogantes ut ipse qui verus hæres erat et consanguinitate propinquior, in Flandriam veniret, et Flandriæ dominium assumeret : quod et fecit, Willermo primò in Insulam restitit; sibique Flandrenses qui eum vocaverant, adhæserunt. Sicque Flandriâ in se divisâ, multiplicata sunt mala in terra. Tandem Willermus et Theodericus ad prælium in campo de *Axpole* conveniunt (*c*), ùbi Willermo victoria provenit; Theodericus verò in castro de *Alost* se recepit, quod Willermus potenter obsedit, et cùm jam quasi immineret castri deditio, Willermus levi vulnere sagittâ sub pollice vulneratur : quo morti contiguus, vix quatuor diebus supervivens, monachicum habitum hujus Monasterii petiit, et in eo sibi sepulturam eligens obiit, et hìc delatus ad caput cognati sui Balduini *Hapkin* in habitu Monachi sepelitur, anno Domini MCXXVII (*d*); regnavitque in Flandria Theodericus de Holsatia pro eo, quem verum Flandriæ hæredem et Comitem Rex declarans, eum ad Flan- D E

(*a*) VI *Kal. Maii* (an. 1127) *Rex et Comes cum gravi exercitu obsedit Ipram*, inquit Galbertus in vita Caroli Boni n°. 121.

(*b*) Galbertus idem n°. 126 : *Duodecimo Kalendas Aprilis*, inquit, *in Benedicti Abbatis* (an. 1128) *Castellanus noster Gervasius... retulit quòd Arnoldus, nepos Caroli Comitis, jam secundâ vice subinductus erat in Sanctum-Audomarum fraudulenter a quibusdam civium. Quo rescito, Comes Flandriæ Willelmus cum potentia valida ab Ipra accurrit in Sanctum-Audomarum, ac in Ecclesiam S. Bertini obsessum fugavit, volens incendere Ecclesiam; coegitque ut Arnoldus ille abjuraret prorsùs Flandriam, simulque illi qui cum ipso obsessi fuerant.*

(*c*) Decimo tertio Kal. Julii an. 1128, ex eodem Galberto n°. 176 et seqq.

(*d*) *Corrige* MCXXVIII; Guillelmus enim Comes die 27 vel 28 Julii mensis hujus anni, post unum regiminis annum ac duos circiter menses interiit.

Digitized by Google

A driæ homagium recepit et approbavit : a quo Theoderico omnes postea Flandriæ Comites usque hodie sunt derivati.

Patet igitur ex præmissis quòd Guillermus iste Normannus verè Comes Flandriæ non fuit , nec unquam Flandriam totam , imò nec partem pacificè possedit : nam eo propinquior et verus hæres ei semper restitit , et contra eum bellans Comitatum obtinuit. Vide igitur si quid aut quantum valere debeant chartæ vel privilegia collata per eum , maximè illud in quo ipse Willermus præstitit Audomarensibus , dicens : Judicium Scabinorum erga unumquemque hominem eis se concessurum , et cætera similia. Specialiter hoc eis fuit promissum , quia cum eodem alligati contra dominum suum et verum hæredem bellaverunt , in quo facto Willermus fecit quod potuit , id est , promittere , sed verbum donationis in ejusdem chartæ textu non habetur (*a*)....

B Anno quo defunctus est Carolus Flandriæ Comes , Odo Abbas Alchiacensis , postquam illud Monasterium rexisset ferè septemdecim annis , obiit , cui successit domnus Simon Monachus hujus loci [S. Bertini] , ille scilicet cui cura temporalium hujus Ecclesiæ fuerat commissa , domno Lamberto Abbate nostro languente , et post hunc Johannem effectus est Abbas noster.... *Parte* 5. *Col.* 629.

Circa idem tempus * Honorius Papa II , postquam sederat annis quinque , mensibus duobus , diebus quatuor , obiit. Quo defuncto , Cardinales in electione contra se invicem sunt divisi ; pars una , scilicet minor , Petrum filium Petri Leonis , nobilis et potentis Romani , Cardinalem , Monachum Cluniacensem , in Papam elegerunt , et Anacletum nominaverunt ; major verò pars et sanior Gregorium tituli S. Archangeli Presbyterum Cardinalem elegerunt , et nominaverunt eum Innocentium II. Hinc inter eos schisma et discordia oritur tanta , * An. 1129.

C ut major confusio visa non sit in Ecclesia Dei....

Hoc tempore Ghisnensis Comes Robertus , aliàs dictus Manasses , cum uxore sua Emma Comitissa prope castrum de Ghisnis Ecclesiam in honore S. Leonardi et Monasterium construere proponentes , domnum Johannem Morinorum Episcopum loci diœcesanum , Johannem Abbatem S. Bertini , illius loci patronum atque personam , imò veriùs dominum , si sibi fuisset sua justitia conservata , super hoc negotio consuluerunt : qui , vocatis secum Matthæo Apostolicæ sedis Legato et duobus Archidiaconis Morinensibus , consensu utriusque Capituli , Morinensis scilicet et S. Bertini , hanc conventionis formam concordaverunt , et sic statuerunt hanc Abbatiam fieri , ut in ea perpetuò sint Moniales secundùm Ordinem et consuetudinem Monialium de Marchiliaco viventes.... Actum anno Domini MCXXIX. Comes verò morte præventus hoc ad præsens non com-

D plevit , sed citò post hoc Emma Comitissa perfecit.

Johannes Abbas noster, dum schisma hoc dictum recens esset , nec ad partes remotas divulgatum , ut diem servaret sibi per Papam contra Cluniacenses præfixum , cum Archiepiscopo Remensi Romam pergens , eum ad Cluniacum adduxit , ut , si posset , per ipsum aliquod pacis remedium cum Cluniacensibus inveniret ; sed non invento , ad iter inceptum properarunt. Appropinquantes ad Alpes , rumor eis advenit Honorium Papam obiisse , et Romanos in electione partes fecisse , ut jam proximè dictum est. Archiepiscopus hoc audiens Johanni Abbati nostro consilium dedit ne ultra procederet : sed Johannes non acquievit. Revertitur igitur Archiepiscopus sine Abbate. Abbas verò Romam veniens omnia turbata reperit. Audito itidem consilio ut recederet et neutri parti faveret , non assensit ; sed pertinaciter Petro Leonis adhærens , ab eo privilegium contra

E Cluniacenses obtinuit , propter quod illum Innocentius excommunicavit. Innocentius Papa in Franciam veniens a Rege Francorum fuit honorificè receptus. Ipse , Rege præsente , Ecclesiam Cluniacensem dedicavit ; postea in Claromonte Conciliò convocato , et deinde totâ sibi latinitate favente , Remis Concilium trecentorum Episcoporum et Abbatum celebravit : cui Concilio Johannes Abbas interesse seu mittere recusavit , unde iterùm ejus indignationem incurrit. Rex verò Philippum (*b*) filium suum per Papam Innocentium coronari fecit.

Rediens de Roma Johannes noster Abbas dominum piæ memoriæ Johannem

(*a*) Extat ea Carta inter probationes historiæ Ghisnensis p. 194 , in eaque Guillelmus pleno jure tanquam terræ dominus utitur vocibus *concedo , præcipio , liberos facio ,* etc. Et certè constat ex Galberto n°. 89 et 90 , omnes penè Flandrigenas fidem suam obligasse Guillelmo Comiti.

(*b*) Imò Ludovicum Juniorem , in locum Philippi nuper extincti , Papæ Innocentio in Concilio Remensi coronandum obtulit Ludovicus.

Digitized by Google

Morinensem Episcopum defunctum reperit, qui postquam XXXI annis Episcopa- A
tum strenuissimè rexisset, suis omnibus pacificè dispositis, non tam obiit quàm ad Dominum adiit.... Quo sepulto anno Domini MCXXX, cùm de Præsulis electione agitur, maxima pars populi Balduinum fratrem Flandriæ Comitis Theoderici, minorem ætate et sufficientiâ, conclamarunt Episcopum; sed ab Archiepiscopo et suffraganeis refutatus, per aliquod tempus in Ecclesia Morinensi commorans, negotia habentibus visus est respondere, et sibi non faventibus mala inferre pejora quàm minari: et cùm Remensis Archiepiscopus Morinensibus præciperet ut canonicè dignam personam eligerent, et hoc præ timore Comitis fratris dicti Balduini facere non auderent, vocatis duobus Archidiaconis et paucis Clericis, eorum electione Milonem quemdam, venerabilem virum, de nova institutione Norberti Præmonstratensem Monachum, consecravit Episcopum Morinensem, anno Domini MCXXX. Johannes verò Abbas noster Balduino priori electo inhæ- B
rens obstinatè, sicut et Petro Leonis, dum arundineo baculo innititur, perforatâ manu, cum cadentibus cecidit. Nam citò post venerunt litteræ Apostolicæ, quibus Innocentius Papa prohibebat ne Monachi Bertinenses ampliùs eum pro suo Abbate tenerent, nec eidem obedientiam exhiberent. Quibus litteris Johannes commotus, nuncium Papæ et recitatorem litterarum, quasi ulciscendo, manibus famulorum suorum publicè in Ecclesia verberibus afficiens statim egreditur, et hujus Ecclesiæ redditus unius anni sibi usurpans, Romam ad Petrum Leonis vadit: nec de eo postea apud nos aliqua nova venerunt....

CAP. XLII. *Parte* 1. *Col.* 631. Simon hujus loci Abbas XLII, Gandensis oriundus, vir religiosus et litteratus, sed impeditioris linguæ,.... domno Lamberto Abbate jam dicto circa finem sui regiminis infirmante, Vicarius est substitutus. Postea Alchiacensis Abbas effectus est: qui postquam dictam Ecclesiam quatuor annis gubernasset, ejecto per Papam C
Johanne dudum Abbate nostro, omnium hujus loci Monachorum voto concordi est hìc Abbas assumptus, et per Milonem Episcopum consecratus, anno Domini MCXXXI. In Alchiaco verò subrogatus est Abbas domnus Godescalcus, patruus domini Godescalci postmodùm Abbatis nostri.

* An. 1131. Hujus Simonis anno primo * domnus Alvisus hujus loci Monachus, qui ad ordinem reformandum Prior in Monasterio S. Vedasti fuerat effectus, ac deinde Abbas Aquicinensis electus, nunc est in Episcopum Atrebatensem sublimatus, vir probus et prudens et industrius valdè....

Eodem anno, Robertus Barbatus in terra sua de *Lisques* Ecclesiam fundavit in honore B. Mariæ Virginis, et in ea quatuor filios suos Canonicos sæculares, se ipsum quintum Præpositum instituit, et præbendas assignavit in honore S. Sepulcri Domini, ad quod visitandum cum suis quatuor filiis prædictis pergens, D
de sæcularibus regulares fecit et Canonicis Vatinensibus subdidit; sed Milo Morinensis Episcopus in plena Synodo, et consentientibus Canonicis Vatinensibus prædictis, mutavit eos in Præmonstratenses, quos de Monasterio S. Martini Laudunensis assumpsit, eisque domnum Henricum ejusdem Ecclesiæ S. Martini Monachum in Abbatem præfecit, anno MCXXXI....

Parte 2. *Col.* 634. * *F.* moribus Theodericus de *Holsat* Flandriæ Comitatum adeptus, et inde ad homagium a Rege receptus, Flandriam bellis et seditionibus valdè tribulatam invenit, ipsorum duris motibus * non assuetus; nam præter mala quæ a diversis hostibus imminebant, Willermus de Ipra Theoderico infestus, et sibi de castro Sclusa resistens, homicidiis, incendiis et rapinis contra eum debacchabatur: sed uxore Theoderici Comitis [Suenichilde] defunctâ anno Domini MCXXX, pro qua idem Willermus Iprensis causa consanguinitatis erat occultè, Theodericus, castro E
de Sclusa capto, ipsum Willermum Iprensem inde expulit: qui Flandriâ pulsus n Angliam transiit anno Domini MCXXXIII; quod magnum pacis incrementum Comiti dedit et patriæ. Accessit et alius Theoderico bonus eventus; nam Comitissa Clementia, vidua Roberti secundi, mater Balduini *Hapkin*, quæ tertiam partem Flandriæ dotis loco tenuerat, et duas Sanctimonialium Ecclesias *Bourbourg* scilicet et Avesnis juxta Bapalmis ædificaverat, in illo tempore obiit. Sicque Flandriæ pacificâ possessione adeptâ, Theodericus Comes secundam uxorem duxit Sibyllam, filiam Fulconis quarti Regis Jerusalem, anno Domini MCXXXIV: de qua genuit Philippum suum Flandriæ successorem, Matthæum Comitem Boloniæ et Margaritam Comitissam Hannoniæ.

Eodem anno, XIV Kal. Julii, facta sunt per Flandriam et Angliam tonitrua,

Digitized by Google

A fulgura et tempestates tanta, ut quidam crederent mundi consummationem adesse, quorum impulsu murus hujus villæ S. Audomari a fundamentis avulsus, LX pedum longitudine evolavit prope Furnis....

Anno sequente,.... excessus maris magnam partem Flandrensis maritimæ vastavit (*a*). Eodem anno Henricus Rex Angliæ obiit, cui successit Stephanus nepos ejus....

Rex Franciæ Ludovicus Grossus quinque filios habuit et filiam unam; primus Philippus, quem pater coronari fecit (*b*) a Papa Innocentio; hunc in Parisiis equitantem in medio vico S. Johannis * porcus anticipavit, per quem equus ejus cespitans cecidit; ipse verò sub equo collisus exspiravit. Secundus filius Robertus fuit purus idiota et regno totus inhabilis, et ideò per Regem et Proceres a regni solio refutatus et armis (*c*), et sibi datus est Comitatus Drocarum ac pro
B armorum insigniis scutum auro et lasuro distinctum, non cum liliis, sed per modum scutarii ambitum zonâ rubeâ quasi ligaturam in signum fatuitatis. Genuit iste Robertus filios et filias, qui cum suis seqùacibus postea Regi graves exstiterunt et regno, a Roberto dicti Robertenses, sicut nostris temporibus quidam contra Regem Franciæ alligati cum Rege Navarræ dicti sunt Navarrenses. Ab hoc Roberto Drocarum Comites descenderunt, semper sensu molles, arma prædicta deferentes. Duces etiam Britanniæ ab eo descendentes per medium cujusdam Petri *Malclerc* eadem arma cum quadra Britanniæ longo tempore detulerunt. Domini quoque de Conchiaco (*d*), unde unus illorum, ille scilicet qui castellum de *Conchi* construxit, se Regem coronari voluit, allegans se de antiquiori filio descendisse (*e*). Tertius filius fuit Ludovicus, vir satis sensatus, pius tamen et mollis, unde Ludovicus juvenis et pius nominatus est, quem
C Rex assensu Procerum in Regem coronari fecit. Quartus fuit Henricus Archiepiscopus Remensis. Quintus Petrus de *Cortenai*. Filia Constantia (*f*) nupta fuit Raimundo Comiti Tolosæ. Rex verò Ludovicus Grossus XXVII * anno regni sui obiit, et in Ecclesia S. Dionysii sepelitur anno MCXXXVI *. Cui successit filius ejus Ludovicus, qui duxit uxorem Aanordem filiam Willelmi Aquitaniæ Ducis....

* *Cod. Bert.* S. Jacobi.

* *Leg.* XXIX.

* *Corr.* MCXXXVII.

Cùm jampridem Johannem Abbatem nostrum Papa Innocentius a Prælatura dejecisset, fratres nostri minùs consultè, et contra Cluniacenses lite pendente, non consultâ curiâ, ad electionem procedentes, domnum Simonem Abbatem nostrum elegerunt. Quod videntes Cluniacenses, Papam Innocentium, qui de Roma fugiens apud eos fuerat hospitatus et eorum Ecclesiam dedicaverat, contra nos animarunt, eoque ampliùs quia Johannes Abbas noster prædictus Concilio
D suo quod Remis celebraverat, nec interfuerat cum aliis, nec etiam pro se miserat. Quare Innocentius Papa ad Cluniacensium supplicationem faciliùs acclinis, litteras conventui nostro direxit, quibus electionem domni Simonis Abbatis nostri, non ob defectum personæ, quia bonus et sufficiens erat, sed ob defectum electionis quæ lite pendente fuerat attentata, cassavit, præcipiens ut, domno

Parte 3. *Col.* 636.

(*a*) Cladem illam Renatus *Macé*, Monachus Vindocinensis, Poeta Gallicus XVI sæculi, alligat anno emortuali Ludovici Grossi, id est anno 1137, his versibus :

Au tems piteux dans lequel décéda
Louis le Gros, la mer tant excéda
En ses débords, qu'au pays d'Angleterre
Elle engloutit grant part de ferme terre,
Et maints gros bourgs en Flandre ruina.

(*b*) Monuimus supra Ludovicum juniorem a Papa Innocentio, non Philippum fuisse coronatum.

(*c*) Hìc apertè Scriptoribus coævis ac supparibus contradicit Iperius, dum Robertum Ludovici Grossi filium natu secundum fuisse asserit, eumdemque ob animi imbecillitatem regnandi jure privatum. Quòd enim Ludovicus Junior Philippum fratrem suum primogenitum fuerit proximè subsecutus, id testatur in primis Anselmus Gemblacensis, cujus chronicon in annum 1136 desinit. Ait quippè ad an. 1131, postquam infelicem Philippi narravit exitum : *Unde pater valdè mœstus Remos adveniens secundum natu filium* (Ludovicum scilicet) *secum advexit, et a Papa inungi et benedici et coronari fecit.* Quæ verba descripsit Albericus in suo chronico. Idem adstruit Mauriniacense chronicon. *Initur*, inquit, *consilium, ut Rex quantociùs ad Concilium* (Remense) *properaret, et Ludovicum filium qui post Philippum natus erat, subrogaret in Regem.* Denique Ludovici Junioris epitaphium ipsum hæreditario jure fratri in solio subrogatum fuisse perspicuè declarat his verbis :

Transit in hæredem pius ille prior Ludovicus
Nomine, sede, fide, nec pietate minus.

Ad Roberti stupiditatem quod spectat, hujus nec in gestis illius, nec in Scriptoribus Iperio anterioribus ullum occurrit vestigium ; imò virum fortem, strenuum, militari virtute præditum, nec consilii inopem, nec pietate carentem fuisse tota vitæ illius series evincit.

(*d*) *Cod. Bertin.* de Conchiaco. *Cod. Alciac.* de Couchiaco. *Rectiùs* de Codiciaco, *de Couci.*

(*e*) Ingelramnum III Codiciacensem Toparcham intelligit, unum scilicet e Primoribus Galliæ adversùs Blancham Reginam regnique, dum filius ejus Ludovicus IX per ætatem sui juris nondum esset, Administram fœderatis, ut ei videlicet clavum eriperent, non verò, quemadmodùm fingit Iperius, omni veterum testimonio destitutus, ut Ingelramnum in regali solio collocarent.

(*f*) Constantia primùm Eustachio Boloniensi Comiti, Stephani Angliæ Regis filio, nupsit anno 1140, deinde post hujus obitum anno 1154 Raimundo Comiti Tolosano.

Digitized by Google

Simone deposito, alium sibi Abbatem eligerent Cluniacensium consilio : quibus A
domnus Simon veneranter obtemperanr, oneri cum dignitate cessit anno Domini MCXXXVI, et in Gandavum locum sibi nativum secessit, ubi ferè duodecim annis religiosissimè vixit....

Hoc tempore Romani contra voluntatem Papæ Senatum renovare conati sunt; tantaque siccitas per Franciam fuit, ut flumina, lacus, fontes, putei siccarentur. Ignis quoque qui per venas terrarum intraverat, nec imbre, nec frigore, nec aliâ parte poterat extingui....

Temporibus istis, domnus S. Bernardus quasi stella matutina vitam Monasticam illustrans, nova Monasteria construens et vetera reformans, venit in has Flandriæ partes, ubi Ecclesiam B. Mariæ de Dunis ad arctioris vitæ normam instauravit, de ordine Nigrorum Monachorum ad Cisterciensem immutans. Domnus enim Fulco tunc Abbas illius loci se, conventum suum et Monasterium, B
in manus B. Bernardi resignavit, et ei obedientiam fecit, anno Domini MCXXXVIII. Ordinavit B. Bernardus illi Ecclesiæ Abbatem S. Robertum, de Brugis oriundum, virum devotissimum, qui primus fuit Dunensium Abbas de Cisterciensi professione. Hic domnus S. Robertus, postquam Ecclesiam Dunensem rexerat annis quindecim, assensu et electione B. Bernardi subrogatus est Abbas in Claravalle, domno S. Bernardo ad patres apposito.

Post recessum domni Simonis Abbatis nostri jamdicti, fratres nostri pro litteris Apostolicis antedictis valdè turbati sunt, maximè pro electione quam de consilio Cluniacensium fieri præcepisset. Maturato igitur consilio cum domno Milone Episcopo Morinorum, Romam miserunt, ipso Papâ Innocentio jam Romam reverso : a quo cum difficultate summa licentiam vix impetraverunt eligendi canonicè personam idoneam, secundùm Regulam B. Benedicti moremque ab an- C
tiquo in hoc Monasterio servatum. Sic quoque reversi tractare cœperunt de electione. Sed dum in diversa trahentes per multos variarent, tredecim mensium spatium sine Abbate pertransiit, nostris nunc hunc, nunc illum usque ad sextum eligentibus. Tandem, ut Deo placuit, elegerunt virum venerabilem domnum Leonium, tunc Lobiensem Abbatem, anno Domini MCXXXVIII....

CAP. XLIII. *Parte* 2. *Col.* 639.

Theodericus Comes Flandriæ et Sibylla ejus uxor in hæreditate sua propria juxta villam S. Audomari, inter paludes et nemora, Monasterium ædificaverunt in honore B. Virginis Mariæ et S. Bernardo tradiderunt, qui locum in Marisco situm Monachis Cisterciensibus instituit, et propter religionis pietatem Claromariscum appellavit, Abbatem eis præficiens domnum Goisfridum Monachum Claræ vallis, anno Domini MCXL. Postquàm verò rexerat annis ferè octo, subrogatus est Abbas Guillelmus, qui viginti annis præfuit.... B. Bernardus tunc D
patriam Flandriæ et Brabantiæ peragrans, hanc et alias plures Abbatias construxit : quæ omnes, quia per eum qui Abbas erat Claræ vallis fundatæ sunt, filiæ sunt Claræ vallis.

Circa hæc tempora defunctus est ille venerabilis Hugo de S. Victore (*a*).

Illo itidem tempore, Willermus de Ipra per Theodericum Comitem Flandriâ pulsus, ad Stephanum Angliæ Regem se transtulit; qui propter probitatis merita Regi carus effectus, ipsum et regnum suum ab inimicorum incursibus
* Glocestriæ. strenuissimè tuebatur. Unde et semel accidit, quòd Comes Claudiocestræ * Robertus, filius Regis Henrici ex concubina, contra Regem Stephanum arma moveret, ut eum regno aut vitâ privaret : cui Rex restitit. Sed conserto prælio, Comes Regem cepit, et carceri mancipavit. Quo cognito, statim Willermus de Ipra cum suis Comitem prædictum aggreditur, et bello cum eo gesto, E
Comitem cepit, et in eo campo Regem Stephanum liberavit. Accidit hoc anno Domini MCXLI. Quamobrem Rex Stephanus Willermum de Ipra valdè dilexit meritò et honoravit, sibique dedit Cantiæ Comitatum, et quamdiu vixit, eum inter regni sui primores exaltans honoravit. Interea dum præfatus Willermus toti sic Angliæ venerationi esset et timori, Deo disponente, contigit eum lumen oculorum amittere : unde ad lumen gratiæ flexus de gazis suis et Ecclesiis et pauperibus plurima delegavit. Hoc Monasterium igne fortuito conflagratum citò post de suo pro maxima parte reparavit....

Parte 3. *Col.* 640.

Anno Domini MCXLVI (*b*) Conrardus Imperator, necdum tamen imperiali dia-

(*a*) Hugonem Victorinum anno 1141 a Kal. Januarii inchoato, die Martis, XI Februarii, terris valedixisse jam aliàs ostendimus.

(*b*) *Corr.* Anno MCXLVII.

Digitized by Google

A demate consecratus, cum innumerabili multitudine transmarinum iter aggressus, transito brachio S. Georgii Iconium et Pamphyliam transiens, pravitate viarum, periculis, victualium penuriâ constrictus, Iconium rediit. Rex verò Franciæ cum multa militia, inter quos erant Comes Flandriæ Theodericus cum uxore sua Sibylla, et cum eis et in eorum obsequio Alvisus Episcopus Atrebatensis noster Monachus, et Leo noster Abbas Sithiensis, per Hungariam, Constantinopolim et brachium S. Georgii venit Iconium : in quo itinere domnus Alvisus Episcopus Atrebatensis obiit et sepultus est in Philippis civitate Thraciæ, cui in Episcopatu successit Godescalcus Abbas Montis S. Martini. Leo noster Abbas Bertinensis ultra progrediens, magnæ parti exercitûs Comitis Flandriæ præfuit quoad Clerum in Missis, in consiliis, suâ quoque sanctâ conversatione commendatus Regi, Comiti et Principibus exstitit valdè gratus. Tandem Rex
B et Imperator per Turchiam et Terram Sanctam plura bella gloriosè, non tamen prosperè, gesserunt, eorumque exercitus ferro, pestilentiâ, fame, tantisque infortuniis est attritus, ut de tanta multitudine vix et pauci repatriarent. Sicque Rex et Imperator sine prosperitate procinctum solventes redierunt anno Domini MCXLVIII *.

* *L.* MCXLIX.

Rediit et Flandriæ Comes Theodericus, sed Sibylla ejus uxor ibi Deo perpetuò servitura permansit (*a*). Erat enim filia Fulconis Regis Jerusalem nuper defuncti, sororque Balduini Regis Jerusalem tunc regnantis : quæ postquam cum marito Jerusalem venerat, infirmis et pauperibus in Ecclesia Monialium S. Lazari hospitalis S. Johannis Eleemosynarii ministrare cœpit cum humilitate tanta, quòd scabiosos et ulcerosos propriis manibus abluebat ; et si quandò sibi subreperet abominatio, ponebat de aqua balnei ipsorum ad os suum, semetipsam
C reprehendens et cordi suo dicens : « In eis Deo servi, quia si scindi deberes, » amodò in talibus occùpaberis ». Ipsa Regis fratris sui et amicorum suorum instantiâ permaximâ, licèt cum difficultate, obtinuit tamen a marito, quòd in tali opere posset ibidem usque ad vitæ terminum permanere. Pro tam sancto pioque divortio Rex gratias agens Comiti, cùm repatriare vellet, ipsum Comitem multis et magnis encæniis honorans, inter cætera jocalia data fuit ipsi Theoderico Comiti a Rege prædicto, consensu Prælatorum ac Principum, magna pars sanguinis Domini nostri Jesu Christi, quam Comes per manus domni Leonis Abbatis nostri prædicti in Flandriam detulit, et Brugis in Ecclesia S. Basilii collocavit anno Domini MCXLVIII * (*b*)....

Parte 4. *Col.* 643.

* *Corr.* MCXLIX.

Francorum Rex Ludovicus anno secundo postquam de Jerusalem rediit, Aanordem uxorem suam repudiavit : quæ repudiata ad thorum transiit Henrici
D Regis Anglorum, qui ex ea quatuor filios habuit, Henricum qui ante patrem obiit, Richardum qui patri successit, Godefridum Comitem Britanniæ, et Johannem Sine-terra ; tres quoque filias, unam Reginam Toleti, aliam Reginam Siciliæ, tertiam Ducissam Saxoniæ. Sic omnes terræ Reginæ repudiatæ, quas Rex per ejus matrimonium obtinebat, id est, Vasconiam, Aquitaniam, Pictaviam, etc. usque XIII Comitatus devenerunt ad manus Anglicorum, unde multa mala provenerunt regno Franciæ usque in hodiernum diem. Rex verò Francorum Ludovicus uxorem duxit Constantiam, filiam Alphonsi Regis Hispaniæ, Toleti, Legionis et Galiciæ, de qua filias habuit duas, unam [Margaretam] Henricus Henrici Regis Anglorum filius accipere debuit (*c*), sed malitiâ patris sui, qui eam turpaverat, ad ejus nuptias non pervenit ; ipsa post nupta fuit [Guillelmo] Comiti Pontivi....

Parte 5. *Col.* 646.

E Anno Domini MCLIV, Stephanus Rex Angliæ moritur, cui successit Henricus junior, filius [Mathildis] filiæ majoris Henrici : qui Flamingos odio persequens, Willermum de Ipra cum eis expulit ab Anglia. Willermus verò in Flandriam rediens, apud Lo castrum suum territorii Furnensis, Monasterium Canonicorum Regularium fundavit in honore S. Petri, ubi septem annis vixit :

(*a*) Non in hac secunda peregrinatione, sed in tertia quam suscepit Theodericus anno 1157, Sibylla uxor ejus Jerosolymis remanendi, adeoque ibidem se vovendi licentiam ab eo petiit et impetravit.

(*b*) *Hoc anno*, inquit Iperius, *id est anno Domini* MCXLVIII, *domnus Simon quondam Abbas hujus loci, et qui chronica hujus Ecclesiæ a tempore Roderici hucusque descripsit, hìc de Gandavo regressus obiit.* Hinc patet quantæ auctoritatis habenda sit Iperii historia a coævo auctore descripta. Sed ut fateamur quod res est, et ex subjectis notis liquet, monumenta a se visa non semper feliciter coagmentavit Iperius.

(*c*) Imò accepit : quam verò pater defloravit erat Aleidis pacta Ricardo Aquitaniæ Duci, quæ ad ejus nuptias non pervenìt.

Digitized by Google

sicque dans requiem temporibus suis, plenus dierum hominem exuens, in eodem A
S. Petri Monasterio sepelitur....

Parte 6. *Col.* 648. Anno Domini MCLVI, Fredericus Imperator uxorem suam injustè dimisit, et aliam superduxit, propter quod eum Papa et Cancellarius ejus Rollandus, hujus Papæ successor immediatus, fortiter arguerunt: quod Imperator agrè ferens, Cardinalibus Romanis introitum Ecclesiarum et civitatum regni sui interdixit. Unde orta est inter Papam et Imperatorem magna discordia.... Finaliter eum Papa propter hoc divortium excommunicavit, anno Domini MCLVIII. Hæc discordia fuit initium schismatis citò post exorti in Ecclesia Dei....

Parte 7. *Col.* 650. Adriano Papa sepulto, ortum est schisma permaximum in Ecclesia Dei; nam Rollandus Cancellarius, etc. (*ut apud Andream Marcian.*)

Anno Domini MCLVIII, dominus Milo Morinensis Episcopus, vir vitæ venerabilis et religionis amator, postquam sedem Morinensem rexerat annis XXVII, B
migravit ad Dominum. Cui successit Milo ejus Archidiaconus, Monachus B. Mariæ de Bosco....

Godescalcus Atrebatensis Episcopus, capitis dolore gravatus, Episcopatum dimisit: cui per suggestionem Henrici Remorum Archiepiscopi domnus Andreas Cisterciensis Abbas subrogatus fuit, anno Domini MCLXII....

Balduinus Rex Jerusalem, filius Fulconis Regis, circa idem tempus sine liberis obiit: cui successit frater ejus Amalricus Comes de *Joppen*. Theodericus igitur Comes Flandriæ, qui sororem ejusdem Regis uxorem habuerat, ad Jerusalem et Terram Sanctam jam quartâ vice transfretavit, Philippum filium suum ad custodiam terræ suæ Flandrensis dimittens, omnipotentem ei tribuens plenam et liberam facultatem de omnibus: qui Philippus probus et prudens, omnia prudenter et excellenter est executus.... C

Parte 8. *Col.* 652. In Jerusalem existente Theoderico Flandriæ Comite, Philippo quoque filio ejus Flandriam disponente, Leo noster Abbas a Philippo prædicto receperat in eleemosynam quamdam terram XXXII mensurarum in territorio Furnensi, quæ de feodo Comitis exstiterat, Lambertum, cujus erat illa terra, Monachum faciens. Sed regresso Theoderico (*a*) de Jerusalem, Abbas noster in causam tractus est ab amicis dicti Lamberti, et eidem Abbati nostro dicta terra abjudicata, eò quòd filius patrem viventem exhæreditare non poterat; et sic dicebant quòd hoc feodum Philippus, vivente patre suo Theoderico, non poterat alienare. Postea verò, defuncto Comite Theoderico, hæc terra recuperata fuit, judicante curiâ Philippi Comitis, quòd, quia privilegium ejus habebamus, Comes suum privilegium sigillatum cassare non poterat; et sicut pater factum filii, quamdiu vixit, potuit infirmare, sic filius ejus Comes effectus, id quod per se factum D
fuerat, conservare debebat....

Domnus Leo Abbas noster jam senio confectus, secundo ante obitum suum anno lumen oculorum amisit, quod infra annum medicamentis adjutus recuperavit, licèt non ita clarè.... Theodericus tum Flandriæ Comes de Jerusalem jam quartò reversus, cum filio suo Philippo in parochia S. Willebrordi villam novam et portum novum fecerunt, quem nominaverunt Neoportum et nunc dicitur Gravelingas, et ad hoc faciendum magnam partem Berquariæ, quam Robertus Flandriæ Comes pro anima Willelmi filii sui huic Ecclesiæ donaverat, sibi usurpaverunt. Ast contra senex Leonius, semper fortis et constans, non laboribus, non senio, non infirmitati parcens, Comitem adiit, eum constanter arguens et sua requirens: quem Comes tam pro ætatis reverentia, quàm pro antiquæ familiaritatis amicitia benignè suscipiens, cum spe bona domum reverti E
suasit, sibi redditâ Berquariâ.... Tandem cùm tempus advertit solvendi mortalitatis debitum, ecclesiasticis munitus sacramentis, in fide firma sanctæ matris Ecclesiæ migravit ad Dominum, anno Domini MCLXIII....

CAP. XLIV. *Parte* 1. *Col.* 653. Domno Leonio Abbate defuncto, Arnoldus Affligemensis Abbas hìc concorditer eligitur, sed ab Episcopo Cameracensi ad quod electus fuerat pervenire non permittitur. Reditur ergo ad electionem, et vota nostrorum in diversa sparguntur; sed sanior pars in domnum Godescalcum Hamensem Abbatem consensit. Fuit autem consecratus per domnum Milonem Morinensem Episcopum, anno MCLXIII....

(*a*) De tertia Theoderici peregrinatione, quam quippè Leonius ante peregrinationem ejusdem Iperius silentio pressit, id intelligendum videtur, Comitis quartam e vivis excesserat.

Rex

Digitized by Google

A Rex Anglorum Henricus efferatus in superbiam, assensu Roderici Eboracensis Archiepiscopi, Gisleberti Londiniensis et quorumdam aliorum Episcoporum omniumque Baronum suorum, impellente Richardo Pictaviensi Archidiacono consiliario suo, contra jus fasque pro suis gratibus omnem dignitatem et ecclesiasticæ disciplinæ censuram sibi violenter usurpavit, anno Domini MCLXIV. Quamobrem B. Thomam Cantuariensem Archiepiscopum, virum gloriâ et honore dignum, huic apostasiæ se constanter opponentem, ab Anglia eliminavit, anno Domini MCLXV. Qui Cantuariensis [illegible]tenter ad Galliam transfretans * applicuit Gravelingis; sed timens prodi apud Regis Angliæ nuncios ad Papam et ad Regem Franciæ missos, qui eâdem quasi die in proximo portu applicuerunt, ut meliùs occultaretur, peditando venit Claromariscum; et quia jam hoc divulgatum sensit, statim de nocte scapham ascendit, et per stagnum Mera dictum B venit ad vetus Monasterium, eremitorium quondam gloriosi Confessoris Bertini, ubi per tres dies latuit. Die autem quarto, ad petitionem domni Godescalci Abbatis nostri in hanc Abbatiam venit, susceptus cum gaudio.... Die crastinâ nuncios suos ad Regem Franciæ in Compendio, et inde Senonis ad Papam Alexandrum misit, ut gratiam utriusque captaret, et contra Regis Angliæ nuncios provideret; et ubique gratè recepti sunt, Regis Angliæ nunciis minimè exauditis. Cùm paucis diebus hìc stetisset, in equis et equitatu multo recessit, quem Milo Episcopus Morinensis et Abbas noster pro viri sancti reverentia viæque securitate eum usque Suessionem perduxerunt: ad quam crastino die Rex Ludovicus advenit, et alacri vultu sanctum Archiepiscopum recepit, pacem et securitatem per regnum suum et sumptus de fisco suo, quamdiu exsularet, concessit, locum ei mansionis assignans in Pontiniaco Burgundiæ Monasterio. C Inde cum gratiarum actionibus a Rege licentiatus, Alexandrum Papam Senonis adiit, et benignè receptus in manus Papæ resignavit Archiepiscopatum (*a*); et sic ad Pontiniacum rediens, ibi Monachus efficitur, Archiepiscopatu non obstante. Rex Angliæ, cùm a nunciis suis audisset requèstam suam a Rege et a Papa repulsam, ultra modum excandescens in ira, omnes res Archiepiscopi et suorum confiscari præcepit, totamque cognationem ejus et omnes qui sibi servitio vel quovis titulo attinebant „ proscriptos addixit exilio, non parcens ordini, conditioni, sexui vel ætati. Ordo, sexus, ætas, conditio nullo gaudet hìc privilegio; tota simul exit cognatio et navigio in Franciam transierunt: quibus Rex Ludovicus cum suis Francis valdè compatiens, eosque recipiens per diversa loca distribuit. Equidem ab Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Baronibus, Castellanis, a singulis aliqui recipiuntur; mulieres verò et parvulos D cum cunabulis Monasteria Monialium suscipiunt. In hoc Monasterio S. Bertini recepti fuere plures Monachi Cantuarienses cum Priore et familia eorum. Illud enim Cantuariense Cathedrale Monasterium a longis retrò temporibus fuit semper et est de specialibus societatibus nostris....

Parte 2. *Col.* 655.

* die 2 Novembris.

Sequenti anno, id est MCLXVII, Sibylla Comitissa Flandriæ, uxor Theoderici Comitis, postquam decem annos Deo servierat in hospitali S. Lazari, obdormivit in Domino, et tertio (*b*) post hoc anno obiit maritus ejus Theodericus Flandriæ Comes, postquam Flandriam rexerat annis XXXII: cui successit Philippus filius ejus, vir prudens et strenuus, qui filiam Radulfi Viromandiæ Comitis uxorem habuit: quo Radulpho mortuo, Philippus Viromandiæ Comitatum ratione uxoris suæ obtinuit.

Eodem anno (*c*) Balduinus, filius Balduini Comitis Montensis, uxorem E duxit Margaretam sororem Philippi Flandriæ Comitis, de qua genuit Balduinum inclytum, postea Flandriæ Comitem et Imperatorem Constantinopolitanum. Nota quòd per hanc viam successio Flandriæ rediit ad hæredem verum et rectam lineam: nam, ut in præcedentibus patet, Friso Robertus fuit injustus possessor; nam Arnulfum nepotem suum in bello juxta Casletum occidit, et fratrem hæredem ejus Balduinum de terra fugavit, solum ei Duacum restituens: a quo Balduinus iste qui Margaretam Philippi sororem uxorem duxit, directâ

(*a*) Verùm hunc ipsi Archiepiscopatum reddidit Pontifex his verbis: *De tuo ingressu* (in Archiepiscopatum) *quum puram feceris confessionem, resignatione factâ, quâ potuit et debuit dilui culpa delicti, jam securè de novo poteris de manu mea Pontificalis officii curam recipere, dum te in integrum ducimus restituendum.* Vita S. Thomæ Cantuar. p. 80.

(*b*) Imò sequenti anno 1168, Theodericus obiit, qui annis proinde 40 Flandris imperavit.

(*c*) Gislebertus Montensis nuptias Balduini et Margaretæ retrahit in annum 1169, quas *tempore Paschali, mense Aprili,* celebratas fuisse tradit.

Digitized by Google

nativitatis lineâ descendit; unde filii ex hoc matrimonio nati utrâque lineâ Flandrensi sunt exorti, ex parte scilicet patris de linea directa, ex parte matris de linea usurpantis (*a*). A

* An. 1169. Eodem anno * Milo hujus nominis secundus Episcopus Morinensis obiit, cui successit Desiderius Archidiaconus Tornacensis.

* An. 1170. Ludovici Francorúm Regis anno xxxv * atque Philippi Flandriæ Comitis secundo, Henricus Rex Angliæ Henricum filium suum in Regem coronari fecit per Rogerum Eboracensem Archiepiscopum in præjudicium Cantuariensis Ecclesiæ.... Eodem anno Ludovicus Rex Francorum et Henricus senior Rex Anglorum ad mutuum convenere colloquium, ubi per Francorum Regem, præsente B. Thomâ Cantuariensi, pax ipsius B. Thomæ fuit concordata; sed ex parte Regis Anglorum magis ficta quàm facta. Nam anno sequenti, qui fuit septimus exilii sui, in Adventu parùm ante Natalem, B. Thomas ad sedem B suam revertitur, Philippo Flandriæ Comite per Flandriam usque in Angliam conducente et comitante. In transitu ipse beatus Archipræsul Capellam in *Male*, hospitio Flandriæ Comitis, consecravit, et citò post, id est quintâ die Natalis Domini, ipse B. Thomas Cantuariensis Archiepiscopus et totius Angliæ Primas a militibus Regis Angliæ, qui eum simulatâ pace revocaverat, circa horam vesperarum in sua Cathedrali Ecclesia, ante altare S. Benedicti, capite mutilato, excusso sparsoque cerebro, in congregatione pretiosorum Martyrum coronatur a Domino....

Circa hoc idem tempus domnus Godescalcus Abbas Alchiacensis, avunculus domini Godescalci Abbatis nostri, diem clausit extremum, et Alchiacenses Monachi Abbatem sibi elegerunt de collegio suo proprio domnum Warinum; sed nobis reclamantibus, noluit eum Episcopus confirmare, donec ipse Wa- C rinus hìc Monachus est effectus, et solemniter hìc professionem fecit in manibus Abbatis. Quo facto, Alchiacenses eum elegerunt jam Monachum nostrum Bertiniensem, sed eodem anno depositus fuit, et ejus loco electus domnus Willermus Hospitalarius noster....

Parte 3. *Col.* 659. Anno MCLXXIII, Episcopus Atrebatensis Andreas obiit, et iste [Robertus Ariensis Præpositus] eligitur, sed non consecratur. Anno sequenti, industriâ Comitis Flandriæ in Cameracensem item Episcopum electus, etiam consecrationis dignitatem non est assecutus; nam citò post hoc, ipse qui hanc Ecclesiam et plures alias per Flandriam et Viromandiam tam Ecclesias quàm nobiles tantis oppressionibus fatigaverat, jussu nobilis viri Jacobi de Avesnis, in Condato a lenonibus et vilibus Ribaldis ignominiosè perimitur, anno Domini MCLXXIV....

Parte 4. *Col.* 661. Quæstio mota fuerat, Roberto Ariensi Præposito adhuc vivente, inter dom- D num Godescalcum Abbatem nostrum et Abbatissam de *Bourbourgh*.... Quæ controversia duravit toto tempore Abbatis Godescalci.... [qui] post tot labores et luctas continuas lecto decumbens, sacramentis ritè perceptis, appositus est ad patres, anno MCLXXVI.... Elegerunt ergo domnum Simonem, virum venerabilem vultu et elegantis staturæ, anno MCLXXVI....

CAP. XLV. *Col.* 663. Frederico Imperatore excommunicato per Adrianum Papam, litterisque mordacibus invicem sibi missis, inde schisma durissimum ortum est in Ecclesia Dei. Imperator, Adriano defuncto, cum ejus successore Alexandro pessimè fecit, et contra eum tribus Antipapis obstinatè adhæsit. Rex verò Francorum Alexan-

(*a*) Originem Montensium Comitum declarat Willelmus Abbas Andrensis in chronico ad an. 1195, apud Acherium T. II. Spicil. *in-fol.* p. 825, in hunc modum: « Originem enim ducunt, *in-* » *quit,* ex sanguine imperiali Romanorum et re- » gali Francorum. Balduinus Insulanus Comes Flan- » driæ, ortus de genere Caroli Calvi Imperatoris » Romanorum et Regis Francorum, duxit uxo- » rem Adelam filiam Roberti Regis Francorum, » et genuit ex ea Balduinum Hasnoniensem, Co- » mitem Flandrensem et Hainoensem, et Rober- » tum Casletensem fratrem ejus. Balduinus Has- » noniensis duxit uxorem Riceldem, relictam » Herimanni Comitis Montensis, quæ erat de san- » guine imperiali et soror S. Leonis Papæ noni; » et genuit ex ea Arnulfum Comitem Flandren- » sem, quem Robertus patruus ejus interfecit in » bello Casletensi et Balduinum Jerosolymita- » num, Comitem Hainoensem, fratrem ejus. Bal- » duinus Jerosolymitanus duxit uxorem Idam fi- » liam Henrici Imperatoris quarti, et genuit ex » ea Balduinum, cui abstulit Robertus Comes » Flandriæ Duacum castrum. Hic duxit uxorem » Iolendam, filiam Gerardi Comitis de Wassem- » berga, et genuit ex ea Balduinum, qui Valen- » tianenses sibi rebelles optimè retinuit, et alia » utilia Comitatui adauxit. Hic quoque duxit uxo- » rem Hermensendem, sororem Henrici Comitis » Namurcensis, ex qua genuit Balduinum Mar- » chionem, cui etiam multoties accesserunt feli- » ces successus : qui duxit uxorem Margaretam » sororem Philippi Comitis Flandriæ, qui ei ge- » nuit Balduinum Comitem Flandriæ et Hainoen- » sium, Philippum quoque et Henricum. Duxit » autem Balduinus, adhuc vivente patre, uxorem » Mariam, filiam Henrici Comitis Campaniensis, » quam genuit ex [Maria] filia Ludovici octavi » (*corr.* septimi) Francorum Regis ».

Digitized by Google

A dro Papæ, qui ad eum confugerat, semper auxilio fuit. Quare Imperator in odium Alexandri, ut Regem et regnum Franciæ turbaret, cum armorum multitudine, Regibus quoque Daciæ et Bohemiæ sibi ferentibus auxilium, Burgundiam intravit; sed Anglorum Rege cum Rege Franciæ conjuncto, Imperator nihil profecit (*a*). Videns itaque quòd in vanum laboraret, videns etiam intrusos Antipapas suos excommunicatos malâ morte deficere, Alexandrum verò in ante prosperari;... idcirco missis Alexandro solemnibus nunciis, rogat ea quæ pacis sunt. Anno igitur MCLXXVII, facta est lætitia magna per orbem terrarum; nam Fredericus Imperator ad unitatem Ecclesiæ et obedientiam Papæ est reversus, schismaticis suis et Papatûs invasoribus derelictis.... Sicque Ecclesia Dei jam annis XVIII dicto gravi dissidio fatigata reformatur....

Anno MCLXXIX, defunctus est domnus Willermus hujus loci Monachus et
B Abbas Alchiacensis: cui successit Walterius hujus loci Monachus.

Hoc tempore, maxima maris inundatio villam Brugis involvit. Quamobrem Comes Flandriæ [Philippus] stancam contra mare fecit, et super illa villam nomine *Dam*, quæ in sui principio vocata fuit *Hendedam*, propter cuniculum in stanca defossum: unde pro signo suo bellico deferunt vexillum suum rubeum cum alba fascia, in qua depictus est seu formatus cuniculus rubeus quasi per stancam decurrens. Huic villæ privilegium dedit, ut sint liberi per Flandriam ab omni exactione. Datum anno MCLXXX. Iste Comes quasi omnes Flandriæ leges dedit anno MCLXXX. *Parte* 3. *Col.* 666.

Ludovicus Rex Francorum, sumpto secum Philippo Flandriæ Comite, peregrinus Cantuariam pergit ad S. Thomam, et quem viventem dilexerat, jam in cœlis sublimatum diversis muneribus et oblationibus veneratur. Henricus
C quoque senex Rex Anglorum eum honorificè suscepit. Eodem anno * Ludovicus Rex Philippum filium suum in Regem Franciæ sublimavit, et Remis per Willermum Remòrum Archiepiscopum coronari fecit; qui Philippus uxorem duxit Elisabetham filiam Balduini Comitis Montensis ex Margareta sorore Philippi Flandriæ Comitis progenitam, patre assentiente, sed matre totis viribus contradicente.... * An. 1179.

(*a*) Videtur hic locus intelligendus de congressu Frederici Imperatoris cum Francorum Rege Ludovico apud Lovigennam habito, anno 1162, de quo consule Hugonem Pictavinum in historia Vizeliac. T. XII. superiori p. 329. et seqq.

D EXTRAIT DE LA CHRONIQUE DE CAMBRAI

ABRÉGÉE ET CONTINUÉE PAR UN ANONYME.

CET abrégé n'est que la traduction d'un Ecrit latin dont il nous reste deux fragmens, qu'on croit avoir fait partie du Gesta Cameracensium Episcoporum. *Mais on se trompe, puisque dans l'un de ces fragmens, l'Auteur parlant de la séparation de l'Évêché d'Arras d'avec celui de Cambrai, renvoye lui-méme aux Gestes en cette maniere:* Quæ videlicet omnia multaque alia mala si quis pleniùs nosse voluerit, Gesta Pontificum requirat. Nos
E autem successiones Pontificum ab illo tempore usque ad præsens tempus per annos ferè centum, id est, ab anno Incarnati Verbi MXC, usque ad annum MCLXXX summatim designare intendimus. *Ce qui nous reste de l'Ecrit latin ne va que jusqu'en* 1095, *mais la traduction s'étend jusqu'en* 1135 *et s'arrête-là, quoiqu'elle ait été faite dans le* XIII^e^ *siècle, du tems d'Enguerran de Crequy, comme on le voit par le catalogue des Evéques qui est à la tête du Ms. enchaîné de l'Eglise de Cambrai, sur lequel notre copie a été faite. Pour prouver la conformité des deux Ecrits, nous imprimerons au bas des pages les fragmens latins qui nous restent; mais on pourra se convaincre par la comparaison, que l'Ecrit que nous imprimons est la traduction d'un Ouvrage plus*

Digitized by Google

étendu, et peut-être des Gestes des Evêques, qui sont perdus. En revanche l'Abréviateur latin a inséré dans son écrit d'autres choses concernant Saint Gery et son Eglise, qui ne sont pas dans la traduction. A

An. 1076. APRÈS S. Liebert fu Evesques Gerars li secons. Si fu S. Liebers ses oncles, homs de grant valour, plains de boines meurs, et fu eslis à grant joie par le commun assent del Clergiet de Cambray, el tamps l'Empereur Henry le second, qui s'assenti volentiers à l'eslection, et moult s'en esjoi. Puis fu sacrés de Huon l'Evesque de Dyense que on appelle Dye, en la cité de Augustudune que on appelle Otun. Puis vint à Cambray et fu rechups de son peule à très grant reverence. Si comme il fu confremés en se Evesquiet, si se pensa B forment de garder les drois de s'Eglise, et d'acquerre l'amour de ses subgis, et de pais avoir à ses voisins. Dont au commenchement il quist pais à Huon le Castellain d'Oisy, lequel ses oncles S. Liebers avoit senti tousjours anemi. Li Evesques Gerars par le consel Robert Comte de Flandres le viel et par les Barons de Flandres, procura que il fust ses homs et ses amis par foi et par serment; mais li Evesques retint en sa main les rentes de le Castellerie par dedens la Cité. Adont commencha li peules à cultiver ses terres qui avoient estet desertes par les guerres, si que en brief tamps furent tout raempli.

Ainsi comme le Clergiés et tout li peules estoit en si grand plentet de pais, si ala li Evesques Gerars à l'Empereur de cui il avoit rechupt si grant honneur. Mais ne fu pas alés loing, quant li Bourgois de Cambray par malvais consel jurèrent une Commugne, et fisent ensamble conspiration que de longtamps avoient C murmurée, et s'alierent ensamble par serment que se li Evesques n'otrioit celle commugne, il li véeroient * l'entrée en la Cité, et ainsi fu fait. Adont estoit li Evesques à Lobbes, et li fu dit que li maulx peules ot fait, et il tantost guerpi sa voie; et pour ce que il n'avoit pas gent pour lui vengier de ses Bourgois, il prist o * lui son bon amit Bauduin le Comte de Mons, et ainsi vinrent à la Cité o grant Chevalerie. Dont orent li Bourgois closes leurs portes, et manderent à l'Evesque que il ne lairoient entrer fors lui et sa maisnie *; et li Evesques respondi que il n'y entreroit pas sans le Comte et sa Chevalerie, et li Bourgois le refuserent. Quand li Evesques vit le folie de ses subgis, si l'en prist grans pitiés, et desiroit plus à faire misericorde que justice. Adont leur manda que il traiteroit des coses devant dites en sa court en boine maniere, et ainsi les assaia *. Lors fu li Evesques laissiés ens, et li Bourgois repairoient en leur maisons à grant joie, D ainsi que tout fust oubliet che qui devant fait estoit. Mais il avint après un poi de tamps par avanture, par le pechiet dou peule, sans le sceu et le consentement de l'Evesque et contre sa volenté, que grans plentés de Chevaliers les assallirent

* défendroient, *vetarent.*

* avec.

* maison.

* appaisa.

FRAGMENTUM EX GESTIS

EPISCOPORUM CAMERACENSIUM.

SUB tempore quo Henricus secundus Romanum tenebat imperium, successit secundus Gerardus ad Cameracensem Episcopatum post avunculum suum Lietbertum, habitâ Cleri et populi Cameracensis omnium electione cum assensu et dono regalis potentiæ : qui mox sacratus ab Hugone Diensi, præcepto Hildebrandi tunc Apostolici, apud Augustidunum, regrediens honorificè receptus est a commisso sibi populo Cameracensium. Cùm autem in suo introitu suscepti officii [munus] voluit exercere, et sibi commissis debitam dilectionem conferre, et pacem de inimicis acquirere, imprimis Hugonem Castellanum, quem usque in finem suus prædecessor Lietbertus passus est inimicum, per Comitem Robertum senem et per Principes Flandriarum præparavit sibi hominem et amicum, tam per fidem quàm per sacramentum. Retinuit tamen Episcopus in suis manibus redditus Castellani qui continebantur infra urbem Cameraci. Ex illa verò concordia terræ quæ incultæ erant, negotiantur; rerum abundantia citiùs reformatur, quòd inopia retrohabita tota obliviscitur.

In plenitudine ergo pacis et gaudii Clero et populo intùs et foris posito, decrevit Episcopus Imperatorem adire, de quo ipse honorem receperat sanctæ Cameracensis Ecclesiæ. Sed non longè adhuc multùm recesserat, cùm cives Cameraci malè consulti conspirationem multo tempore susurratam, et diu desideratam juraverunt communiam. Adeò sunt inter se sacramento conjuncti, quòd nisi factam concederet conjurationem, denegarent universi introitum Cameraci reversuro Pontifici : quod et factum est. Episcopus enim adhuc per Lobias transiturus, a suis fidelibus audivit quod fecerat iniquitatis populus; statimque revertens atque suos homines adversùs tot cives videns numero esse impares et virtute inferiores, accepit secum amicum suum, scilicet Balduinum Montensem Comitem, ad arcendam civium superbiam et ad delendam eorum profanam communiam. Cui non sine militia Comitis Cameracum intrare volenti populus conspiratus contradixit ingredi. Verumtamen Episcopus stultitiæ plebis suæ malens misereri quàm ulcisci, obtulit illis fidem facere quòd in curia sua tractaret aliquando de facta contra eum conspiratione. Datâ itaque fiduciâ, cives domum læti reversi sunt, quasi sedatâ et oblitâ eorum injuriâ. Sed suis fortassè peccatis exigentibus, inscio Præsule, sublato rei,

Digitized by Google

A en leur hostelz et en occirent aucuns, et pluiseurs navrerent. Dont furent li Bourgois trop esbahi, et fuirent à l'Eglise S. Gery; en le fin furent pris et delivret devers l'Evesque. Ainsi fu celle conjurations et la Commugne deffaite, et jurerent desoremais feuté à l'Evesque.

Après ces coses fu machinée une grans traïsons contre l'Evesque. Mais par l'aide de Dieu ne vint mie à fin. Car il ot adont un grant Bourgois à Cambray qui estoit marcheans, cognus par maintes terres, qui ot nom Wibers. Ichieulx ot occis un sien frere marcheant très saige en la conjuration devant dite; pour lequel chose il avoit à l'Evesque ire continuel et haine mortel. Dont parla chieux Wibers as anemis l'Evesque, et leur promist à baillier la Cité. Si fu dit à l'Evesque, et chils fu pris et respondi à l'Evesque qu'il n'avoit mie machinée celle traïson, mais si anemi li avoient requis qu'il le fessit, et ne volt pas nommer lez
B traitours. Dont fu dit par jugement qu'il devoit estre pugnis griefment jusques à tant qu'il gehiroit * lez traitours, et fu loiés à une estache par jugement, et batus de deux verges cruelment; et nequedent riens ne regehi. Quand ce virent li sergant l'Evesque, si li lierent les mains deriere son dos, et le menerent par la Cité à guise de traitour, puis le misent hors des murs et li tranchirent le langhe et li creverent les deux yeulx. Puis mourut et fu enfouis as camps.

* déclareroit.

Après ces coses rebella Hues Castellains d'Oysi contre l'Evesque, et renouvela son malisse de la Castellerie dedens la Cité, pour chou que li Evesques avoit retenus les biens en sa main. Dont prist li maulx Hues à guerroier, et saisi les biens de l'Evesquiet en la Cité d'Arras et tout environ, et chiaulx de Maruel et tout là où il pot ailleurs, et les biens des Eglises de Cambray il saisi, arst et gasta. Et ceste persecution dura par tant d'ans, et fu si la terre gastée, qu'il
C convint les habitans des villes guerpir leur païs et aler mendier. Quand li boins Evesques vit si grant tribulation et de ses subgis si grant destruction, si ne pot plus souffrir : dont ala au Comte de Flandres Robert le second et li donna cc mars d'argent pour chou qu'il li aidast à relever la misere de ses gens, et le vengast de son mal anemi Huon. Ainsi fu fait. Car li Quens par sa force le cacha hors del païs, et il tristes et confus ala en Engleterre, et fu iluec par longtamps ainsi que en escil *; et souffri grans povretés et moult d'aversités, et n'avoit mie esperance de repairier en son païs tant que li Evesques vesquist.

* exil.

Quand li boins Evesques Gerars vit que Dieux li avoit fait pais de ses anemis, si travailla forment qu'il et ses gens puissent estre aseur à son tamps, et puis lui en après en sa Cité, contre Huon devant dit ou contre aultres anemis.

auctore, a militibus pecuniam superborum civium rapere desiderantibus in suis domibus subitò invaduntur, et ut quisquis obvius fuit inimico inimicus aut vulneratur aut interficitur. Sic casu repentino cives attoniti, in Ecclesiam sancti Gaugerici confugiunt universi, sed ad ultimum devicti ultrò in captione deliberantur Episcopi. Expoliatur itaque civitas, cives amittunt pecunias, ultionem patitur iniquitas, destituitur tota conjuratio, facta iterùm fidelitas juratur Episcopo.

Post hanc exterminatam communiam, mox machinata est quædam iniquitas adversùs Pontificem, quæ per Dei providentiam non habuit radicem, nec venit ad perfectionem. Quidam civis venerabilis nomine Wibertus et mercator per multas terras cognitus, in præfata communia quemdam fratrem suum Fulbertum concivem et commercatorem prudentissimum inter occisos interfectum perdiderat. Unde iram continuam et mortale odium super Episcopum occultè ferebat. Quapropter pactionem habuit cum inimicis Episcopi quòd eis traderet civitatem Cameraci. Sed quomodo accidit de cogitata proditione, non solùm præsentibus, sed etiam posteris volo significare. Idem enim Wibertus illam fieri dispositam confessus est Episcopo proditionem, ab eo quippe non machinatam, sed per eum fieri ab inimicis Episcopi sibi latenter quæsitam : quos quia noluit nominare Pontifici, judicatum est illum tamdiu debere plecti, donec proditores illos cogatur confiteri. Ergo Wibertus ille per judicium ad stipitem ligatur, duabus virgis crudeliter flagellatur, et tamen nihil ampliùs confitetur. Quare servientes Episcopi ipsum nudum ligatis manibus post tergum per mediam civitatem sicut latronem, sicut proditorem extra muros duxerunt, linguam abscidentes oculos eruerunt, novissimè interfectum sui parentes pudibundi et dolentes secùs viam publicam sepelierunt. In homicidio itaque quod sit pro virtute tenenda justitiæ, testatur Angustinus Episcopum non peccasse; ait enim, *occidere hominem non semper est criminosum, sed malitiâ et non legibus occidere est criminosum.*

Sedatâ igitur prædictâ civium conjuratione, brevi adhuc præterito tempore, a prælibato Hugone Castellano renovata est malitia de Castellania quam infra Cameracum retinuerat Episcopus in manu sua. Bona namque Episcopi apud Atrebatum tam circa quàm infra, et apud Mariolum et ubicumque potuit omnia dissipavit : bona etiam Ecclesiarum Cameracensium ubique depopulata combussit et consumpsit. Extensa igitur per annos plurimos Castellani persecutio et terrarum continua vastatio indesinenter compellit rusticos villas dimittere, rebusque ablatis, vagos et exules per aliena mendicare. Cujus malum intolerabile sapiens Episcopus non valens tolerare, secundo Roberto Flandriarum Comiti marchas argenti ducentas tribuit, propter miseriam inopum et gemitum pauperum, ut illum Hugonem a Castellania omninò exhæreditaret, et a finibus Cameracensium, imò Flandriarum procul expelleret. Quid dicam ultra ? factum est ita; fugatum Hugonem recepit Anglia. Ibi exilium, ibi paupertatem, ibi multa sustinuit contraria. Nunquam sibi ad patriam revertendi occurrit animus, quamdiu vir providus domnus Gerardus vixit Episcopus.

Dum verò videret Episcopus in futuro providentissimus quòd terræ suæ de inimico Hugone pacem concesserat Deus, in tempore pacis laboravit fieri,

Digitized by Google

Dont ot consel moult profitable à lui et al païs ; car il fist fremer toute la Cité A
de murs de pierre et relever les fossés et pluiseurs tours edefier el mur. Car
* pieux. li Evesques Gerars li premiers l'avoit fait clore de peil * tout environ. Puis fist-il fremer un grand castiel dedens la Cité de moult hault mur, et estoit environnés de profont fosset et terrible. Et dedens ce castiel estoit li Eglise Notre Dame et li Abbeye S. Aubert.

Anno mcvii. Ibi scriptor historiæ chronographicæ Castelli narrat Duacum ab Imperatore Henrico obsessum, pacem inter Imperatorem et Comitem Flandriæ initam, Imperatoris adventum Cameracum, ejus in cives iram precibus

(*a*) Lambertus Waterlosius, vulgò *Waterlos*, Canonicus Regularis ad S. Aubertum Cameracensem, sæpiùs de seipso mentionem facit in Chronico, præsertim anno 1152, ubi ait: *Opus hujus Chronicæ anno ætatis meæ quadragesimo quinto composui. Nam circa Domini Adventum post Matutinorum officia regulariter completa, in lecto cùm deberem soporari, piè cœpi plurima meditari (nec tamen meditatio fuit inanis); cùm subitò occurrit memoriæ, Domino inspirante, corpus*
E *hujus præsentis Chronicæ in actu ac in voluntate. Quod opus seriatim scrutando carmine dictavi, plurima in invicem copulando adunavi; quædam autem ex annalibus libris, vel ex quibusdam schedulis, vel etiam a viris veridicis auditu vel intellectu assumpsi; quàm purè discere quivi vel a memetipso retinere valui de propriis et aliorum actibus, tam futuris quàm præsentibus legendum in perpetuum enucleavi. Duo enim verò proœmia in initio libri eructavi. In primo a laude Creatoris incœpi sic:* Jesu Christo Dei summi patris unico filio, etc. *in quo continetur gratiarum actio cum oratione; in secundo annotavi desiderii mei æstum, et ea quæ in eo subjecta sunt, scilicet actuum meorum aliorumque protelando et calculando diversa tempora, et in eo quibusque seriatim determinans subscripsi diligenter indicia; sicque in finem protraxi volumina.* Operæ pretium visum est hæc prælibare, ut intelligatur scribendi ratio Waterlosii, quippè cujus scriptura maxima ex parte deperiit. Ab anno 1100 usque ad annum 1148 excerpta solummodò ex ea habemus, quæ ab interitu vindicarunt Andreas *Potier* in historia chronographica Ms. oppidi Castelli in Cameracesio, necnon Martinus de *Laleu* Canonicus Aubertinus in libro Miscellaneorum ejusdem Cœnobii, cui titulus *Olla putrida*; sed sensum auctoris potiùs quàm verba ii repræsentant. Ab anno verò 1149 usque ad 1170 fragmentum integrum descripsimus ex collectaneis DD. *Mutte* Decani Cameracensis, ex quo etiam nonnulla instituto nostro aliena resecuimus.

(*b*) Martinus de *Laleu* cùm relegeret seriem Episcoporum Cameracensium a Pavillonio scriptam, quæ in eodem Miscellaneorum libro exstat manuscripta, de Odone Episcopo addidit: *consecratus fuit anno* 1105, et primò venit Cameracum anno 1107, ex Waterlosio.

(*c*) Obitus Manassæ in hujus Monasterii necrologio sic notatur: xv *Kal. Octobris obiit Manasses Remensis Archiepiscopus, Canonicus noster. In cujus anniversario pauperes habere debent duos sextarios siliginis et duos modios vini.*

Digitized by Google

Walcheri Episcopi mitigatam , privilegiorum et Communiæ civium abrogatio- A
nem. Ac deinde subjungit quòd illa hoc anno contigerint , tum ex Autbertino chronico , tum ex veteri catalogo ms. Episcoporum Cameracensium.

Anno MCXV. Domnus Adam Abbas obiit VI Nonas Julii , ut fertur , homo pacis et pulcher aspectu , eloquioque suavis : cui domnus G. [Gerardus] successit parentibus vir nobilis , sed moribus dissimilis. Parùm duravit. (*Martin. de Laleu ex Waterlosio.*)

Anno MCXVI. Gerardus a providentia Ecclesiæ sibi commissæ recessit : cui domnus Gualterus Levita Ecclesiæ S. Vindiciani , e fratribus Montis S. Eligii , electus successit , temporibus Ricuardi Abbatis , IV Kal. Septembris. Primus adventus ejus apud Cameracum anno primo ordinationis D. Burchardi. Ipsum verò in Septembri in Sacerdotem consecravit, postea fratribus in Abbatem præfecit. (*ibid. ex eodem.*) B

Anno MCXVIII. Primùm Cameracum veni (*verba sunt Waterlosii apud Martin. de Laleu*) VII Kal. Novembris , feriâ VII , anno ætatis meæ XI , D. Gualteri Abbatis tertio.

Anno MCXIX. Hoc eodem anno idem Episcopus Burchardus Ecclesiam S. Lazari consecrat. (*Potier.*)

Anno MCXX. Hoc anno prope Cameracum curtis S. Autberti quæ Tiletus dicitur, cum omnibus impensis ejus et quodam converso H. nomine , III Idus Septembris fuit incensa , illucescente feriâ sextâ. Et Decembrio intrante bellum initur inter Episcopum Burchardum et Hugonem Castellanum. (*Idem ex Waterlosio.*)

Anno MCXXII. Quidam miles seu nobilis nomine Gerardus ab aliquibus dictus *Maufilastre*, patriam Cameracensem vastavit et ædes incendit usque ad nos- C
trum castrum Cameracensium. Huic malo adjunxerunt se quidam milites de Ostravandia , qui etiam incursionibus suis patriam infestabant. Videns igitur Episcopus se parem non esse eorum viribus , cum subjectis suis consilio habito , Comitem Flandriæ Carolum supplex rogavit , quatenùs dominatum Cameracensem reciperet ac Cameracenses protegeret contra tot hostes ; quod et libentissimè Comes præstitit. Hinc Carolus Comes ab Imperatore dominium Cameracesii petiit , qui ei satis amicabiliter concessit ; unde non modica lætitia de ejus dominatu Clero et civibus fuit , quoniam hactenùs valdè attriti erant ; et ad ejus adventum (nam Cameracum venit sæpiùs ab illo tempore) omnia mox sedata sunt et de inimicis vindicta obtenta. (*Idem ex Waterlosio.*)

Anno MCXXIII. Hoc anno Radulfus Archiepiscopus Remensis obiit , XI Cal. Martii , (*a*) cui Rainaldus Brientii filius successit. (*Ibid.*) D

Intrante verò Augusto (*b*) mense , facta est non minima populi adunatio a Rege Galliæ Ludovico , timore Henrici Imperatoris. (*Ibid.*)

Eodem anno , II Idus Octobris factum est in urbe Cameraci grave incendium per accidens , ubi S. Norbertus interfuit ; objectu autem reliquiárum S. Gaugerici extinctus est ignis. (*Ibid.*)

Anno MCXXIV. Hoc anno gravis pestilentia famis super terram extitit , ex quâ nonnulli fame perierunt. (*Ibid.*)

Anno MCXXVI. Hoc anno valida ubique fames extitit. (*Ibid.*)

Anno MCXXIX. Hoc anno civitas Cameracensis IX Cal. Augusti concrematur. Idem patitur Atrebatensis XVIII Cal. Octobris , et mors animalium fit pessima. (*Ibid.*)

Anno MCXXX. Burchardus Episcopus Cameracensis obiit III Nonas Januarii. E
(*Laleu ex Waterlosio.*)

Anno MCXXXI. Innocentius Papa veniens Cameracum in Ecclesia B. Autberti Missam celebravit , feriâ secundâ hebdomadæ secundæ Quadragesimæ. (*Idem.*)

Lietardus Cameracensis Electus Remos se conferens consecratur in Episcopum , hoc anno , a Reginaldo Archiepiscopo , VI Kal. Maii. (*Potier.*)

Anno MCXXXIII. Sub hoc anno Auctor historiæ chronographicæ fusè narrat rebellionem Gerardi dicti *Maufilastre*, nobilis viri , contra Lietardum Episcopum , cui infensus erat : incendium oppidi Castelli quod Gerardus vi ceperat et quin-

(*a*) Radulfi mors ad annum 1124 pertinet a Januarii Kalendis inchoatum. Notatur autem hic veteri more quo anni exordium a Paschate sumebatur.

(*b*) Expeditionem hanc anno sequenti consignant alii Chronographi.

Digitized by Google

A que Ecclesiarum ibidem, cædes et deprædationes ab eodem Gerardo. Bellum Gerardo a Symone de Oisiaco Castellani Cameracensis filio et Cameracensibus illatum, et Lietardi Episcopi pertinaciam qui pacem cum Gerardo inire noluit, nisi duris conditionibus. (*Hæc verò omnia ex Waterlosio didicisse videtur, sed ejus se testimonio uti, non, ut aliis locis consuevit, hic admonet.*)

Oratorium B. Mariæ in Ecclesia S. Autberti a Lietardo Episcopo consecratur. Ipse autem hinc abiit anno MCXXXV, ab Archiepiscopo suspensus, nec ultra rediit. (*Laleu ex Waterlosio.*)

Anno MCXXXV. Cives Cameracenses in absentia Lietardi bona Episcopatûs seu redditus retinent, et ex eis domum Episcopalem reædificare statuunt; sed dum celeri opere ædificium promovent et assurgere faciunt, V Kalend. Nov. hujus anni, in festo videlicet sanctorum Simonis et Judæ, vehemens ventus ex-
B surgens obruit omne opus eorum. (*Potier.*)

Anno MCXXXVI. Waterlos in suo chronico asserit ipsum (Nicolaum Episcopum Cameracensem) fuisse Præpositum Ecclesiæ Cameracensis et infra ordinem, sineque assensu civium in præsentia Lotharii Imperatoris Aquisgrani in Pascha domini electum, quòd fuerit vir nobilis et benè morigeratus. Ita igitur electus a Curia Imperiali rediens, Remis XII Kalend. Januarii Episcopus consecratur; et inde ad propriam sedem remeans, sollicitè perquirere et agnoscere cœpit statum patriæ Cameracensis, qui ei infensi, qui verò amici aut in eum propensi essent, sedulò advertit. Gerardum verò Maufilastrum, qui in Novo-castello turrim Episcopalem detinebat, cepit, turrimque in potestatem suam redegit. (*Hæc eadem refert Waterlos in suo chronico ad hunc annum, inquit And.* Potier.)

Anno MCXXXVII. Causam belli Autbertinus chronographus aperit in suo chro-
C nico hoc anno inquiens : « Belli autem causa hæc erat. Dominus Nicolaus cùm
» turrim episcopalem recepit anno superiore, inconsultè aliquantulùm mandavit
» ut servorum Gerardi oculi eruerentur. Ob injuriam ergo factam suis servis
» Gerardus Malus-filiaster circa mensem Maium arma sumit. Verùm miserando
» fine in Novo-castello existens ab hominibus ejusdem castri interficitur, II Nonas
» Julii ». (*Hæc ille, teste And.* Potier.)

« Anno MCXXXVIII. Mortuo Gerardo *Maufilastre*, vel inhonestè obruto in
» Novo-castello, grandis controversia oritur mox inter cives Cameracenses et
» Simonem Castellanum pro castro quod nuncupatur S. Autberti. Nam cives
» illud unanimiter satagebant obruere; sed Castellanus, utpote tutor filiorum
» germanæ suæ, conabatur defendere, ac de illorum manibus liberare. Utro-
» rumque tumultus aures Præsulis graviter perculit. Præsul enim cives suos cu-
D » piebat sedare, et Simonem, utpote filium amitæ suæ, ex fide juvare. Ex
» qua re cives commoti in ira Comitem Balduinum Haynoensem adierunt, ejus-
» que auxilium contra Castellanum postulaverunt. Ab utrisque verò datâ fide
» determinatam diem postulaverunt. Comes itaque cum copiis et cives Came-
» racenses conglomerati, castrum quidem S. Autberti impugnare cœperunt, sed
» parùm profecerunt; nam illi qui infra castrum consistebant, viriliter rebella-
» bant. Tunc Comes cum civibus revertens Cameracum intravit, et Episcopus
» ex altera parte exivit et Oysiacum castrum petiit. Cives verò insaniâ non mo-
» dicâ ob istud accensi, adversùs Episcopum et Simonem Castellanum in malo
» conspirati, armis hostiliter insurgunt huc illucque debacchantes, nemini nec
» propter Deum nec propter hominis alicujus reverentiam parcentes, castra
» villasque per circuitum igni trâdentes, fasque nefasque sibi licitum arbitrantes.
E » Quorum dementiam et Hugo senior Castellanus et Simon ejusdem filius sus-
» pectui habentes, Theodericum Comitem Flandriæ acriter coacti requisierunt,
» illi sua infortunia exponentes et plurima Comiti spontaneè spondentes. Qui
» mox in ejus auxilium Michaëlem Signiferum suum, virum armis strenuum,
» deliberavit ad compescendum contumaciam Cameracensium ». (*Hæc chronicon Autbertinum, eodem And.* Potier *referente.*)

Prosequitur de statu communitatis Cameracenæ urbis.

« Placet hìc (*inquit*) paulisper immorari, res siquidem ipsa hortari videtur ex
» Communia et statu, moribusque civitatis supra repetere, et tempus admonet
» latiùs aliquid disserere. Igitur in initio Communia fœderationis fuit grata, quia
» optimi viri eam tum sanxere, vita quorum justa, simplex, innocens fuit, ac
» sine cupiditate agitabatur; sua cuique satis honestè placebant, jus bonum apud

Digitized by Google

» ipsos valebat, concordia maxima, minima avaritia inerat. Civis civem hono- A
» rabat, dives minorem non exprobrabat; jurgia verò, discordiæ seu lites a seipsis
» diligenter refutabant, magnum gloriæ certamen habere satagebant. Quomodò
» autem immutata, vel quemadmodum ex honesta in inhonestam repentè sit
» commutata, vel ex pulcherrima pessima ac flagitiosissima, patens est causa.
» Postquam verò cives paulatim cœpere torpescere, et alter in alterum insurrexe-
» re, scelera sceleratorum multa reliquere, quisque sua inhonestè dilatavere : de
» qua re Sapientis sententiam profero. *Ambitio multos mortales falsos fieri subegit,*
» *omniaque venalia habere edocuit.* Alius etiam sic protulit. *Postquam in animos*
» *subiit furor, ægraque stultis invidia, inde regendi sævus amor, ruptæque vices*
» *jurisque secundi ambitus impatiens, et periit jus fasque bonumque.* Sic gradatim
» vi, mendacio, perjurio inferiores quoque opprimere cœpere; jus, æquum,
» urbis bonum sic evanuit, corruit et etiam dominium. Unde ex verbis Sancti B
» Prophetæ sententiam contra eos indico : *justitia habitavit in ea,* scilicet in ex-
» ordio Communiæ suæ, *Principes ejus facti sunt infideles, socii furum. Omnes*
» *diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non judicant, et causa viduæ non*
» *ingreditur ad eos. Væ qui sapientes estis in oculis vestris et coram vobismetipsis*
» *prudentes. Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscen-*
» *dam ebrietatem, qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi auferr-*
» *tis ab eo. Conversum est enim retrorsùm judicium et justitia longè stetit.* Longè
» verò ab illis stetit justitia, sed sibi nimis propè abusus et stultitia, quandò
» inconsultè sapientum virorum salubre consilium recusavere, Dei bannum ab
» Episcopo super se datum subsannavere; cùm Sanctus.... dicat : *Prælati sen-*
» *tentia est timenda sive justa, sive injusta sit data.* Alvisium quoque Atrebaten-
» sium Episcopum virum eruditum omnique consilio peritum, nec semel, sed C
» tunc properantem pro pace reformanda inter se audire contempsere. Idcircò
» satis ignominiosè coram hostibus corruere. Namque ultra modum erecti extol-
» lentia loquebantur adversùs dominum, et adversùs Christum ejus, scilicet
» Nicolaum Episcopum, inania ; cùm Propheta dicat ex persona Domini : *nolite*
» *verbis malignis christos meos tangere.* Castellanum minis, stultiloquiis vitupe-
» rabant, Presbyterum seu Clericum, Monachum vel conversum subsannabant :
» vix quispiam transire poterat per eos absque calumnia. Nam gloriabantur atque
» quasi potentes in potentia sua : sed ille qui alta a longè despicit, de sublimique
» Ecclesiam respicit, flagellari ac humiliari in superbia sua dignè permisit. Qua-
» dam ergo die cum multitudine sua, cum signis et buccinis, omnique manu
* *Crevecœur.* » armata ab urbe procedentes, ad castrum quod vocatur *Crevecort* * iter suum
» applicant, illud omninò expugnare satagentes, ferocitatem animi sui incon- D
» sultè satis agitantes, posse sibi terram redigi ad navigandum præ fortitudine
» putantes, et mare ad ambulandum mentis præ elatione arbitrantes. Nunciata
» est ergo Simoni Castellano a quibusdam Communiæ progressio : qui mox sui
» ad auxilium Michaëlem Comitis Flandriæ Signiferum, qui illis in diebus apud
» Sclusam morabatur, cum militibus suis accersivit, de arrogantia hostium ins-
» truxit, secretum nunciatum ei revelavit. Igitur vir prudens, armis eruditus,
» cuncta quæ a Simone perceperat seriatim militibus suis exposuit. Instruens
» ergo proprios militaribus disciplinis, omnes diligenter audaciâ et virtute ar-
» mavit, et ut essent in prælio parati, accuratè satis præmonuit. Urbani verò
» indomiti velut ursi, huc illucque discursantes, suam satiari ingluviem hostiliter
» meditantes, quippè qui nec inducias dare, nec manum a malitia volebant re-
» trahere (pro talibus Propheta precatur : *Dissipa Domine gentes quæ bella volunt*) E
» sicque in malitia sua permanentes, ac in multitudine plurimùm confidentes,
» hostis super eos signis datis repentè adfuit, occidit, dissipavit, fugavit. Et qui
» paulò antè sidera cœli se arbitrabantur contingere, supra humanum modum
» superbiâ repleti, fluctibus maris etiam videbantur imperare, montiumque alti-
» tudines posse in statera appendere; in brevi hora paucâ hostium manu humi-
» liati turpiterque fugati, sauciati, manibus a tergo vinctis, miseri ac nudi ab
» hostibus suis nunc calamitate maximâ deducebantur ad terras extraneas cap-
» tivi, ut meritò de illis Propheta dixerit : *Dejecisti eos dum allevarentur, quomodò*
» *facti sunt in desolationem suam?* Quos nemo antè propter extollentiam animi
» tolerare poterat, dati erant opprobrium vicinis suis per circuitum. Numerus
» illorum qui illic occisi sunt xc feruntur : ccc ampliùs minusve capti asserun-

Digitized by Google

A » tur: sauciatorum non fuit numerus. Hoc modo Communia urbis dissipata est
» XVI Cal. Februarii, feriâ secundâ. Concordia verò Episcopi et civium facta est
» post Pascha; sopitâque omni malitiâ, domnus Episcopus ad urbem rediit cum
» gloria ». (*Hæc Autbertinum chronicon apud And.* Potier.)

Anno MCXXXIX. « Gratiâ Dei (*verba sunt Waterlosii apud Martin. de Laleu*)
» a domno Nicolao Episcopo consecratus sum Sacerdos, anno ætatis meæ XXXII;
» nam per sexdecim annos Diaconus fui. Apud S. Vedastum primam Missam ce-
» lebravi de S. Lamberto Martyre ac Episcopo. Illic quippè corpus B. Autberti
» Præsulis pro quadam necessitate Ecclesiæ nostræ deportatum fuerat, anno quarto
» domni Nicolai ».

Anno MCXL. Chronographus S. Autberti notat anno quarto domni Nicolai corpus S. Autberti pro quadam necessitate suæ Ecclesiæ deportatum fuisse apud
B sanctum Vedastum Atrebatensem. (*Potier.*)

« Hoc etiam anno (*ut fert idem Auctor*) paludes et fontes, qui per aliquot
» annos tantâ defecerant siccitate, ut putarentur non posse denuò defluere, mi-
» rantur multi non solùm fluere et solito majores aquas emittere. (*Potier.*)

» Eodem quoque anno (*ait idem Auctor*) magna extitit conspiratio Stephani
» Anglorum Regis, Balduini Hannoniæ Comitis, Hugonis de Candavena S. Pauli
» Comitis, in Theodericum Flandriæ Comitem (*a*). Quorum viribus Comes ipse
» fortiter reluctatus, gravi eos jacturâ multavit, ferro, flammâ, carcere, variisque
» spoliis ex hostico relatis. (*Potier.*)

» Anno MCXLII. Hoc anno (*ut scribit chronicon Autbertinum*) plaga ignis divini
» iterùm multos adussit, sed per intercessionem Dei genitricis Mariæ liberantur ».
(*Potier et Laleu.*)

C Anno MCXLIV. « Hoc etiam anno (*ut refert chronicon Autbertinum, inquit And.*
» Potier) hyems nimietate pluviæ ac vehementiâ ventorum periculosa extitit et
» damnosa, in tantùm ut silvas, templa, turres et ædificia quæ firmissima putabantur,
» aut funditùs subverterit, aut magna ex parte destruxerit. Triticeæ messis maturitas
» et collectio provenit tardiùs solito; quia nimietate pluviæ impediente, vix po-
» tuerunt messores octavo Cal. Septembris metere: quod aliquoties vidimus eos
» octavo Calendas Augusti messuisse. Unde fames gravissima multos afflixit, et
» panis penuria depauperavit. Atrebatensis enim mensura quæ nuncupatur *Men-*
» *colt* XV solidis emebatur; Cameracensis quæ satis minor habetur, X solidis ven-
» debatur. Unde nonnulli propter famis intemperiem compulsi sunt de terra sua
» et cognatione egredi ». (*Hæc ille.*)

Anno MCXLVII. « Hoc quoque anno (*ut habet chronicon Autbertinum*) multi
D » Proceres, inter quos Theodericus Comes Flandriæ, ad militiam sacram profi-
» ciscuntur. Interim verò Balduinus Comes Hannoniæ factum fœdus inter ip-
» sum et Flandriæ Comitem abrumpit, et cuncta armis et rapinis cædibusque
» vastat. Sed Comitissa Flandriæ cùm precibus multis a similibus eum revocare
» niteretur, nec obtineret; tandem a partu, cui vicina fuerat, liberata, arma in
» eum concitat, refrænat, illumque fugat, et Hannoniam multis cladibus in-
» festat ». (*Potier.*)

Anno MCXLVIII. « Hoc anno Eugenius Papa in Remis generale Concilium
» Dominicâ *Lætare* tenuit, ubi plures de remotis partibus Oceani Episcopi et
» Abbates convenerunt, in quo justè quidam Britannicus hæreticus *Eons* * no- * *Eon.*
» mine fuit damnatus ». (*Ita chronicon Autbertinum, teste And.* Potier.)

« Sequenti mense Septembri, incendium grave factum est Cameraci. Nam Epis-
E » copalis Ecclesia B. Mariæ cum omnibus officinis suis atque omnibus Episcopii
» domibus ac omni castello, unà cum Ecclesia S. Autberti igne vastata sunt ».
(*Hæc Autbertinus chronographus, inquit And.* Potier.)

Quod etiam versificè futuris annotavit idem Auctor.

Idus in octavo Septembris, amara vorago
Urbem vastavit Cameracam, parte cremavit
Quippè domos, templa Sanctorum parva vel ampla.
Pluribus ipsa ruina fuit mors sic inopina.
Contigit in milleno Verbi corpore sumpto
Anno centeno sexto per octo multiplicato.

(*a*) Eo spectabat hæc conjuratio, nempe, ut amoto e Flandriæ Comitatu Theoderico, Guillelmus Iprensis in hujus locum sufficeretur.

Digitized by Google

Anno MCXLIX. Domnus igitur Samson Remensis Archiepiscopus pluribus de A
causis ascitus fuit partibus in istis; partim pro discordia Comitum, partim pro benedictionibus Ecclesiarum. Nam infra hebdomadam Pentecostes Abbatiæ Valcellensis Ecclesiam benedixit. Sabbato nempe Pentecostes in unum Comites convenerunt, scilicet ad montem qui nuncupatur Specula S. Remigii, et cum illis Archiepiscopus, necnon et Episcopi G. [Goslenus] Suessionis, N. [Nicolaus] Cameracensis, B. [Balduinus] Noviomensis, G. [Geraldus] Tornacensis, M. [Milo] Tarvanensis, aliæque nonnullæ satis præclaræ personæ adfuerunt, vulgique ignobilis multitudo ab utraque parte, imperio dominorum suorum, cum armis institerunt. Dominis sanè de pace ac concordia honestè placitantibus, subitò discordia immoderata oritur cum militibus. Siquidem junioribus more suo cum armis in campo ludentibus, *** miscuit se illis hostibus ille nostri semper gravis adversarius. Tergiversatione suâ jam malignus artem no- B
cendi tantùm infecerat, ut non solùm sanguinem illic fundere vellent, verùm etiam neces utrique in invicem sibi inferrent. Illis autem inter se pugnantibus, in vulgo pervenit tumultus, qui more suo rapidi super ardua cœli, conclamant: quorum clamor modicè Principum perculit aures. Qui rem sciscitantes et agnoscentes, mox sapientiores illic dirigentes, quatenùs tumultum stultorum festinè sedarent, inter quos Raso de Gaudra, quasi unus de Flandriæ Baronibus adfuit; verumtamen cùm vellet illos pacificè sedare, quidam malè agitatus a dæmonio, Principem prædictum prostravit in campo. Occasione autem istâ placitum versum est in planctum, utrisque Principibus cum suis ad arma concurrentibus. Domnus Archiepiscopus cum Episcopis et Abbatibus de colloquio tristis abscessit quantociùs. In crastino verò S. Petri Hasnoniensem Ecclesiam Archiepiscopus dedicavit. Regressus igitur a *Rebroys*, Augustum mensem apud Barastrum fecit. C
Dominus ergo Comes Flandriæ, vellet nollet Comes Hainoensis, castrum quod nuncupatur *Cauhautim* ad radicem montis S. Remigii firmavit. Interea dum Comes Hainoensis plures ad auxiliandum sibi ex diversis locis excitavit, videlicet H. [Henricum] Episcopum Leodiensem dominum suum, et Comitem de *Namur* socerum suum, et N. [Nicolaum] Episcopum Cameracensem; hi omnes cum copia militari ad adjuvandum ipsum pari voto festinè accurrerunt, quatenùs opus Comitis Flandriæ vi suâ in nihilum redigeretur. Postquam etenim ad locum omnes unà convenerunt, neque Comitem Flandriæ de loco amoverunt, sed neque ab opere suo fraudaverunt; et ita ignominiosè unusquisque ad propria remeaverunt.

Hyems gravis extitit, et plurima nix quæ a festo S. Nicolai cœpit, et usque ad Calendas Martii ferè duravit.

Anno MCL. Igitur fratribus Ecclesiæ nostræ detrimenta maxima in brevi spatio D
ex ordine acciderunt. Nam antea, videlicet in Decembrio mense, XXI amissis jumentis, a clientibus Comitis Hainoensis damnum grave pertulerant. Januario verò intrante, curia peroptima villæ S. Auberti ex foco ruris incensa fuit, videlicet nonnulla bona simul perierunt. Martio penè exeunte, fratrum etiam fossæ, quæ cum grandi labore et expensa satis accuratè a fratribus ex integro renovatæ fuerant, ex nimio gelu noctis, sine morte tamen alicujus, corruerunt: ubi fratres plus minusve quàm centum librarum damnum amiserunt. Ceciderunt autem quarto Calendas Aprilis post matutinorum decantationem, feriâ quartâ hebdomadæ quartæ Quadragesimæ; sed in eodem anno per Brunellum cæmentarium de S. Quintino, scilicet virum honestum artisque suæ sat peritum, in gradu pristino ac meliori, uti cernitur, tutiùs reparatæ sunt. Semper denique Pascha
de more celebratum.... E

Theodoricus Comes Flandriæ in Septembrio contra castrum *Raucourt* exercitum suum admovit, quod quidem Comitis B. [Balduini] Montensis erat, valdèque munitissimum fossâ et lapide. Illud siquidem *** extiterat in campi planitie, nec tamen corroboratum aliquâ sylva vel aggere. Ergo Comes illud repentè adgreditur, sicque per gyrum castri exercitum collocat. Nam Comes idcircò illud in primis obsidebat, quoniam urbanis Duacensibus perinde obstaculum seu grande periculum imminebat, nec castrum Duacum quempiam ingredi vel egredi pacificè sinebat. Ordinatis præterea circa *Raucourt* Comes undique custodibus, e castro egredi vel ingrédi aliquem solito non permittebat. Fortissimi equidem quique intra existentes, in primis haud segniter resistentes, sed acriter adversùs balistas et machinas Comitis machinas interiùs pari modo statuentes, fossâ, muro, turre

Digitized by Google

A lapideâ utcumque confidentes, sese interiùs sine metu agitabant. Comes quoque Flandrensis exitus rei absque cruoris suorum effusione patienter sustinens, modestè suorum audaciam crebrò comprimens, nam sæpiùs repulit murum effodere gestientes. Interea deficiente intùs alimoniâ, domino suo Comiti B. [Balduino] cursorem legaverunt, quatenùs auxilium eis præberet, annonamque quantociùs transmitteret. His igitur per nuncium cognitis, animo Comes consternatus est; quò se verteret, quid ageret, vel quomodò suis subvenire posset, apud se diu hæsitans vel deliberans. Tandem spiritu roboratus, præparatisque necessariis, et assumptis secum militibus cum peditum multitudine, non veritus partem exercitûs quæ ad castra observanda remanserat; sed omnem suum ducatum coram illorum oculis ad castrum nuncupatum cum robore superbo perduxit, necnon advecta necessaria castro intromisit. Comes enimverò Flan-
B driæ cum majori militum parte pro causis quibusdam aberat. At pauci qui ad excubias remanserant, et cuncta gestæ rei animo perceperant, graviter penès se ferebant. Verùm nonnulli plurima intra se vertebant: « Hæc sic fata tulere » diem, dicendo; mortis vitæque nobis est pudor. Nam nobis militum virtus » abest, hostis multus; ast Comiti omnia oportuna ». Post hæc milites orare ac hortari sese ne deficerent, neu paterentur hostes a castro revertentes vincere se. Hujuscemodi hortatione penès se habitâ, probus quisque parem audaciâ animo roborabat, rati tutiùs in prælio fore omnes mori malle, quia Comes sic cum suis inexpugnabilis ad propria reverteretur pacificè. Enimverò Comite a castro cum copiis suis repedante, isti illis occurrunt, ab utrisque congressio fit valida. Pugna ingens oritur, furit istinc hostis et illinc. Sic verò populis rabiem fortuna cruentam attulit, paulùm in verba sese minasque cunctantur, mox et jactis
C sermonibus iræ intumuere satis. Sic inter ipsos confligitur, tamen major in exiguo regnabat corpore virtus. Ast enim dominus Comes si se cum peditibus pessumdedisset, aliquis de multitudine sua vix evasisset; pars tamen quædam suorum illic corruit, pars etiam major vulneribús debilitata capitur, atque a tergo ligatis manibus vincitur. Sic sociorum Comes solatio spoliatus, ac infortunatus, amissis quampluribus, demùm cum paucis de prælio inhonestè aufugit. Superveniens autem caligo noctis utrosque diremit; acta tamen sunt hæc quâ die penès nos beati Airidii (*a*) Abbatis solemnitas celebratur. Horum videlicet militum temeritas fortè, judicio meo, cum probro gloriam ex temeritate invenit.

Interea diebus perpaucis evolutis, Comes cum equitatu suo ad oppidum sæpefatum revertitur. Cognitis militum actibus, ingens Comiti gaudium subortum est. Milites denique læti acta Comiti edocent, sua quisque fortia facta adfert. Quippè
D res humanæ ita sese habent, in victoria gloriari vel ignavis licet; adversæ res bonos etiam deterrent. Postea dominus Comes more militiæ meritos in prælìis donat, universos in agmine laudat, atque agit gratias, hortatur ad cætera quæ sunt lenia. Deinde obsidionem Comes renovari perurget, omnia videlicet genera jaculorum, scilicet balistas ac machinas, pontem etiam quemdam sat artificiosè constructum, muro agitari jubet. Denuò patriæ residui exercitûs partem per bannum evocari mandat, quatenùs ætatis omnes pubes armati ad expugnandum castrum ociùs properent. Igitur Comes pro tempore atque loco paratis omnibus, cuncta castri mœnia exercitu circumdat, principibus suis imperat ut quisque invadat. Uti paulò superiùs edocuimus, id oppidum in campo situm magis opere quàm naturâ erat munitum, fermè nullius rei egens, annonâ, viris, armis refertum. Dispositis ergo per castri gyrum balistis vel machinis, intùs
E consistentes perurgeri validè cœpere; saxa scilicet ingentia jacere, quosdam sauciare, alios utcumque opprimere, omnia illorum incommoda fœda evenire, hostes instare, nemini econtra parcere, nemini pacem locumque habilem patiuntur habere. Nam diversis in locis murus extrinsecùs obruebatur. Deinde applicari pontem muro, armatis desuper impositis, admodùm moliebantur. Postquam pons muro applicatus est, dissoluti sunt corde, ampliùs non valentes hostibus resistere. Nam super eos repentè irruerat timor ac tremor, scilicet penè mortis imago, jam dirus quippè veluti parturientis omnes apprehenderat dolor. Murus denique machinis forinsecùs ex parte demolitus est, et quidquid interiùs honestum habebatur dirutum vel igne corruptum, seu prædæ hostium distractum. Acriter acciti ad arcem velociùs confugerunt. Ibidem magis ac magis ur-

(*a*) Fortè S. Aredii, cujus solemnitas die 25 Augusti celebratur.

Digitized by Google

geri ab hostibus cœpere : quisque gemit fortis lacrymis a corde subortis ; artantur A
fundis, telis, et undique saxis. Sic gemitibus nonnulli vocem dant ad sidera
cœli : orant cum lacrymis, *parce Comes miseris*. Igitur Comes, his auditis,
motus pietate super afflictos, et maximè quorumdàm amicorum suorum interventu
illicò patrata fuit deditio ; quoniam valdè *** erant deditionem petere. Tandem
Comiti vadibus securitatis traditis, omnes ab arce evocati, incolumes abire
sunt permissi. Nempe sic seorsùm ordinata fuit concordia, quatenùs a non mul-
tis Comitis hominibus dubitaretur de victoria, an victoriam obtinuissent, nec-
ne. Omnibus ergo licentiâ abeundi datâ, priùs rogis habitaculis suis injectis,
festinè cum gaudio discessere. Verumtamen de victoria hoc potiùs credendum
est ; quippè seipsos unà cum arce Comiti tradidere, quatenùs vitâ sibi permissâ,
illæsi discederent. Namque in sequenti anno jussu Comitis Flandriæ arcem præ-
dictam solo tenùs obrutam, non muros, veraciter agnovimus. Hoc modo finis B
castri *Croochurt* * fuit....

* *Corr.* Raucourt.

Anno MCLI. Operæ pretium reor doceri fidelibus præteritorum gesta dierum,
ut intelligant tam Ecclesiastici quàm seculares, et omnis ætas, Ecclesiam
nostram a Domino disciplinæ flagello extitisse non modicè correptam, per trium
annorum orbitam. Multiplicibus interea verberibus eam constat examinatam,
incendio, personarum potentum oppressione, animalium nostrorum amissione,
fossarum nostrarum subversione : iis et aliis hujuscemodi verberibus eam constat
esse acriter adtritam. Cujus tandem miseriæ Dominus omnipotens compatiens,
atque rursùs compatiendo videns miseriam, illiusque filiorum lacrymas vel
miserias piè consolans, sicque eam in meliori quàm priùs atque splendidiori
gradu utcumque laudabiliter restituens, eam uti aurifaber prudens qui auri sordes
in camino rogi purgat et excoquit, sic Dominus suæ æquitatis virgâ rubiginem C
ejus ad purum emundavit et excoxit. Quarto siquidem combustionis suæ anno,
post nimiam incendii calamitatem, ab Abbate Gualterio cæterisque ejusdem loci
fratribus pulcherrimè ad plenum reædificata est. Eodem anno domnus Nicolaus
Episcopus in eadem Synodum suam in festivitatis die S. Lucæ Evangelistæ ad-
gregavit honorificè....

* An. 1151.

Hoc anno * etiam in hebdomada Quadragesimæ tertia, feriâ scilicet sextâ,
contigit hujuscemodi inter B. Mariæ Canonicos et civitatis urbanos conclamo-
sam et inauditam fraude subdolâ fraudatoris fieri perturbationem. Extitit equidem
quidam scholaris B. Mariæ Virginis ex Canonicis, Eustachius nomine vocita-
tus, a puero non modicè litteris eruditus, vir valdè locuples et nummosus,
nihilominùs refertus parentibus, sed aliquantulùm impar verbis et actibus. Hìc
parumper articulum retineamus, ac de moribus hujus viri aliquid aperiamus. D
Vir quippè prædictus erat Ecclesiasticus, oratione sollicitus, ast lingua immode-
ratus... Hujus ergo viri vulgatum facinus civiumque detestandum discidium,
stilo quamsuccinctè fari adtentabo. Enimverò dominus Eustachius nepotes pro-
prios in æde sua uti filios germanæ suæ secum locaverat, ætate quidem juniores,
omni disciplinâ vagos et inopes, quibus jam res privata paulatim minuerat vel
imminuta erat, quod illos ad facinora perpetranda facillimè incitabat. Nam semel
quidem quivis imbutus malis artibus haud facilè libidinibus caret. Nepotes igi-
tur hujusce domini ab omnibus in urbe habitantibus, utpote scurræ famosi,
dinoscebantur ; acta verò quorum et turpis infamia ipsimet domino admodùm
displicebat. Nam de illis crebriùs conquerebatur, quandoquidem de suis pro-
priis rebus in æde locatis sæpiùs furtim asportabant. Contigit ergo die quâdam
ut pro commissis suis a suo domino uti meriti acerbiùs solito objurgarentur. Tunc E
veriti sunt ne pro suis nequitiis a domini sui lare pellerentur ; ob hujuscemodi
dolos quibusdam garsionibus et proditionem inhonestam in æde domini sui secum
degentibus machinantes, quatinùs more solito triticum, uti secum consueverant,
ex penu domini sui asportarent consulentes ; fœdam rem sic agitantes. Prædicti
nempe garsiones, illos rati sic sibi fideliter dixisse, non sub tergiversatione, sta-
tim cuidam fantes Agasoni commonent, ut, uti ab eis acceperat, noctu ad eos
cum asino festinaret. Nepotes ergo prædicti domini rem scientes, insidias illis
fraude prætendentes ; ubi verò animal extitit onustum, de latibulis suis consur-
gentes, strepitum grandem fecere : hoc agentes, quatinùs omnis vicinia occur-
reret, et ut eorum dominus a stratu consurgeret. Hæc autem cuncta subdolè
ac fictè agebant, uti dominus illorum amodò eos sibi fidos crederet, quos sibi
fallaces

Digitized by Google

A fallaces probarat vel fures. Dominus enim ob strepitum a somno expergefactus, illicque uti leo rugiens adcurrens et de re sciscitans, atque injuriam sui reperiens, predictos garsiones in superiori domo deducere jubet, deinde vestibus illos ex toto nudari mandavit. Quibus nudatis, in tantùm macerati verberibus fuere, quòd cruor proflueret e corpore. Agasonem denique ejusdem ad domûs trabem f une suspendêre, illum flagris utique graviter cecidêre. Sic toto corpore cruentatum et ferè exanimem demisêre. Postea nepotes Clerici ut vecordiæ suæ satisfacerent, ad penu domini sui cucurrerunt; inde lardi frustum assumpserunt et succenderunt (heu proh dolor ! o nequitia sceleris inaudita !) sic hunc super misellos guttatim suffuderunt. Quid verò postea de miseris illis actum sit nondum penès nos ratum habemus, sed crastinâ die illucescente, prædicti Agasonis familia illum requirentes, tandem in domo Clerici vinctum repererunt;
B moxque illum ad propria reducentes diris tormentis tormentatum, omnibus publicè publicarunt quòd illi garsiones sub tali supplicio defecissent, in cloacisque domûs postmodùm projecti forent. Interim velox fama in populo exiit, quòd tale facinus perpetrassent. Post hæc in Communia homo ille convocatur, de sermone vulgato requiritur, malum verò, quippè isdem publicaverat in vicinia, palàm protulit in Communia. Postea super domino Eustachio ejusque nepotibus in Communia lacrymosis singultibus conqueritur, et quòd innocens a nocentibus injustè sit flagellatus. Interim a senioribus Communiæ adjuratus super garsionibus concrematis, denuò testimonium perhibuit, affirmansque quòd eorum quidem corpora in cloacis projecta forent. Utrùm ergo verum falsumve fuerit, hactenùs penès nos dubitatur. O detestandum ab hominibus testimonium, adversùs Subdiaconum et Canonicum ! cùm auctoritas proferat : in ore duorum vel
C trium stabit omne verbum. Illic siquidem intererant quidam scilicet de majoribus Communiæ, qui domino Eustachio et ejus nepotibus infesti valdè fuerant, qui ad invicem proferebant : « Emendemus istud festinè facinus ingens ». Quorum clamor ab omnibus exauditur ; nam aliùd alius, et alter aliud acclamabant : « Dominus Eustachius, inquiunt, et nepotes ejus vivi conburantur ». Sed alii aliud : « Nequaquam, scilicet dominus, sed ab urbe a canibus citiùs » pellatur, et nepotes ejus laqueo suspendantur »…. Sic sic Clericus indiscussus in Communia fuit condemnatus ; sententia verò quæ super eum data fuerat in Communia, ociùs ei ab amicis suis est patefacta, quatinùs sibi et domui suæ provideat absque mora.

Illis autem diebus dominus Episcopus ab urbe pro quibusdam negotiis recesserat. Reverso de via domino Episcopo, statim Clericus eum uti dominum utriusque
D legis adiens, illique calamitatem suam seriatim exponens, et quid ageret, quò se verteret, ob Communiæ terrorem ab eo lacrymabiliter sciscitans, hæc domino Episcopo advertens : « Domine Pater, ubique sub tuitione vestra dego. Nam Cle» ricus quidem vestras sum et homo vester. Equidem propriis manibus hominium » vobis spopondi, nunc postulo uti dominum, quatinùs meis potenter subve» niatis infortuniis, ut oportet, in præsentibus negotiis ». Ad hæc dominus Episcopus ei jocosè subintulit : « Fili, omnia tua sub nostra sunt tutela ». Sic ab Episcopi præsentia Clericus discessit cum lætitia. Crastinâ verò die factâ, nonnullæ personæ coram Episcopo, scilicet Archidiaconi et Abbates Episcopii convenerant, cum quibus etiam Clericus sese purgaturum obtulerat. Ergo illis de rebus suis honestè tractantibus, maximè de re quæ Clerico eidem acciderat, eam coram cunctis adstantibus offerebat se purgaturum secundùm leges,
E vel quidquid ipsi ordinarent vel juberent facturum se, quòd immunis a crimine sibi opposito foret. Nondum inter se ad purum rem Clerici discusserant (nam alius aliud, et alter aliud censebant. Unum nonnulli proferebant Clericum non debere pati a populo judicari ; aliique dicebant quòd in cunctis sufficere deberet quod in eorum auribus Clericus sonuerat) enimverò dominis sic sic inter se disputantibus, auditur campana Communiæ atque vehemens fit tumultus in urbe, a quibusdam etiam domino Episcopo nunciatur quòd Communia in unum ob domum ejus obruendam congregaretur. Dominus verò Episcopus, his auditis, accersitis personis suis, scilicet Abbatibus et Archidiaconis, eis præcepit dicens, quatinùs majoribus Communiæ sua ex auctoritate dicerent ut ab opere pravo quiescerent, atque omnes in præsentia sui festinè convenirent ; nam pro Clerico suo cunctis satageret. Majores autem Communiæ mandatum Episcopi, quod

Digitized by Google

per personas illis mandaverat, audire contempserunt. Rursùs Episcopus illis per A
easdem personas et per plures remandavit, atque per fidelitatem quam sibi fecerant, et per auctoritatem Papæ ac per majestatem Cæsaris domini sui, atque per christianitatem suam eos obtestans, ut nemo manum super Clericum vel in illius rebus mittere audeat, priusquam coram omnibus examinatus foret. Qui unanimiter ejus imperium postposuerunt; sed statim concurrentes uti vesani ad domum Clerici quæ infra B. Mariæ atrium consistebat, illam obruerunt in sancta Quadragesima, et quidquid interiùs repererunt in auro vel argento, tam in vestibus quàm in stipendiis, abstulerunt. Hoc detestandum malum contra jus sanctæ Ecclesiæ adversùsque auctoritatem domini Episcopi Communia gessit, damnumque Clerico cum quibusdam sociis suis ampliùs quàm mille libras intulerunt. Denique dominus Episcopus super his animo valdè conturbatus, Dei bannum super eos et super civitatem consilio authenticarum personarum justè im- B
posuit; sed Clerico parùm profuit, quoniam nihil omninò illi pro banno reddidere.

Hugo Ecclesiæ sancti Vindiciani Montis S. Eligii Abbas nuncupatus, ægritudine in se nimis invalescente, honestè deposuit onus regiminis cum propria deliberatione, virque religiosus plurimùmque litteratus (*a*) post hæc regiminis onus suscepit Radulfus, a puero in eadem Ecclesia enutritus, vir per omnia dulcis ac mitis, moribusque pollens honestis, verèque ab omnibus ejusdem loci fratribus secundùm Ecclesiæ normam religiosè ac sine discordia extitit electus; atque a venerabili Dei cultore Morinensium Episcopo Milone, Dominicâ secundâ consecrari meruit post Pascha, in Atrebatensium B. Mariæ semper Virginis Ecclesia : quod fuit decimo Calendas Maii, cùm officium Missæ modulatur *misericordia Domini*. Enimverò misericordia Domini perennitùs illi permaneat et semper eum ab omnibus adversitatibus custodiat. Is autem antecessoris C
sui Abbatis Ricuardi, bonæ memoriæ viri, nepos extitit.

* An. 1151. Eodem anno * ante mensem Augustum, gravis venundatio tritici subitò invaluit, ita dumtaxat ut publicè Cameracensis mensura plusquam IX solidis venderetur. Pestis etiam animalium gravissima in linguis eorum extitit, maximè caballorum.

Rex ergo Ludovicus Galliæ, ante mensem Augustum, adversùs Comitem Andegavensem exercitum direxerat, sed Principum consilio inter se confœderati, sic quique cum pace regressi sunt ad propria. Andegavensis verò Comes, post habitam cum rege concordiam, cùm domi sanguine minutus foret, a quibusdam infectus veneno vitâ caruit dolo (*b*). Cui filius ejus successit nomine Henricus.

Abbas Montis S. Martini, nomine Godescalcus, Atrebatensis Episcopus eligitur, Remisque ab Archiepiscopo Samsone undecimo Calendas Octobris consecratur. D

Ægidius ergo adolescens, natus ex Gerardo Malo-filiastro, uxorem duxit nomine Bertam, Comitis Balduini Hainoensis sororem non germanam, absque illius assensu sibi desponsatam (*c*). Unde Comes non modicè irâ commotus, arma statim contra illum sumpsit, intrante mense Octobri. Sic quippè ab illo tempore quo illam duxerat, et usque ad Pentecosten, vellet nollet, eam secum domi vi et armis assiduè retinuit; sed febri validâ in Ægidium invalescente, quæ illum acriter omni die agitabat, compulsus amicorum suorum consilio qui de guerra sua honestè per omnia illum juverant, eam dimisit, palàm abjuravit; sicque pace restitutâ cum Comite, siluit terra quæ nimis fuerat bellis attrita.

Comes Thiebaldus de Blesis, vir multarum eleemosynarum patrator, infra Domini Nativitatem (*d*) moritur. Cui successit ejusdem filius nomine Henricus....

Anno MCLII. Ægidius rursùs adolescens Bertam abjuratam in matrimonium E
a Balduino Comite Hainoensi fratre prædictæ Bertæ recepit absque licentia Sacerdotali.

Eodem anno, Radulfus Comes Viromandorum obiit, qui filiam Theodorici Comitis Flandriæ conjugem in eodem anno duxerat, Lauream nomine, spe-

(*a*) Hugonis obitum anno 1151, die 12 Augusti consignant Galliæ Christianæ novæ Auctores, nullâ factâ mentione abdicationis quæ hunc annum antecedere debuit, aut saltem illius initio contingere, quandoquidem Hugonis successor mense Aprili illius anni jam sedebat.

(*b*) Potior habenda fides gestis Comitum Andegavensium, quorum Auctor in ipso Comitatu Andegavensi degens, necnon Gaufrido coævus, mortem illius alteri causæ assignat, his verbis : *Gaufridus... dum a colloquio Regis Francorum in confinio Normanniæ et Franciæ facto rediret, nimio calore ipsum urgente, balneo cujusdam fluvii usus, febri permultâ occupatus apud Castrum-Ledii venit, ibique non sine dolore et luctu suorum interiit.*

(*c*) Berta soror uterina fuit Balduini IV Comitis Hainonensis, utpotè ex Yolanda Balduino III primùm nupta et ex Godefrido de Buchinio (*de Bouchain*) secundo ejus marito prognata.

(*d*) Id est, ineunte Januario an. 1152.

Digitized by Google

A ciosissimam valdè. Is terram benè tenuit, sed avaritiâ incomparabilis fuit. Moriens quippè terram cum filiis Ivoni Comiti Suessionis ad custodiendum reliquit....

Rex igitur Ludovicus pueriliter causidicans Reginam uxorem suam, filiam scilicet Comitis Pictaviensis perpulchram, ab illo tempore quo Jerusalem unà perrexerant usque ad præsens, convocans imprudenter hoc anno * personas * An. 1152.
quasdam de regno, illisque indiscretè cordis arcanum ebulliens, mox eorum usus consilio non sano, eam extemplò abjuravit, omninò deseruit : quæ mœsta repatrians ad gentem suam, Henricus filius Comitis Andegavensis eam sibi mox in matrimonio copulavit. Rex autem hoc audiens et veraciter intelligens, motus animo graviter condoluit, atque illam deseruisse pœnituit; nam concitò contra illum bellum inordinatè concitavit. Post tempus igitur intra se pugnaverunt, terram ex utraque parte spoliaverunt, quamplurimos captivaverunt. Tandem
B virorum consilio sapientum ad tempus confœderati sunt.

Opus hujus Chronicæ anno ætatis meæ quadragesimo quinto composui, atque placet hoc modo actum promere. Nam circa Domini Adventum post matutinorum officia regulariter completa, in lectulo cùm deberem soporari, piè cœpi plurima meditari (nec tamen meditatio fuit inanis) cùm subitò occurrit memoriæ, Domino inspirante, corpus hujus præsentis Chronicæ in actu ac in voluntate. Quod opus seriatim scrutando carmine dictavi; plurima in invicem copulando adunavi; quædam autem ab annalibus libris, vel ex quibusdam schedulis vel etiam a viris veridicis auditu vel intellectu assumpsi, quampurè discere quivi, vel a memetipso retinere valui de propriis et aliorum actibus, tam futuris quàm præsentibus legendum in perpetuum enucleavi. Duo enimverò procemia in initio libri eructavi; in primo a laude Creatoris incœpi sic : *Jesu Christo Dei*
C *summi patris unico filio, et cætera,* in quo continetur gratiarum actio cum oratione. In secundo annotavi desiderii mei æstum, et ea quæ in eo subjecta sunt : scilicet actuum meorum aliorumque protelando, calculando diversa tempora, ac in eo quibusque seriatim determinans subscripsi diligenter indicia : sicque ad finem protraxi volumina.

Ante ferè Nativitatis * Jesu Christi celebritatem die quinto, relatum est Ni- * An. 1152.
colao Cameracensi Episcopo, quòd Flandrensis Comes Theodoricus nomine accuratè sat se præpararet causâ Imperatoriæ majestatis visendæ, vel ob dignitatis Cameracæ potestatem requirendam. His igitur cognitis, Episcopus animo non modicè consternatus, personis suis cum civibus conglomeratis in unum, habuit cum illis consultum seorsùm. Angustiari denique super pluribus cœpit; siquidem os familiare sibi aberat; ast Comes divitiis parentibusque in Regis
D Curia perpollebat. Corroboratus tandem opere quarumdam personarum suarum sapientum consultis, præparatâque re necessariâ itineris, ad Curiam quantociùs profectus est cum paucis : quem Comes paulò præcesserat, et a Rege cæterisque totius aulæ majoribus præpotentissimè cum suis sublimatus adeò fuerat, ut in die Nativitatis Jesu Christi coram Rege Frederico coronato gladium portaverit. In crastino verò a Rege Comes feodis suis *** requisitis cum Cameraca dignitate, illic Ducibus totius Monarchiæ cum satrapis astantibus Regique faventibus, hominioque Regi jam completo ex omnibus, cùm domi lætus et alacer Comes rediret, quasi cum suis pransurus, post prandium verò ad propria cum hilaritate repatriaturus, contigit illi hujuscemodi impedimentum fieri. Siquidem a Rege sibi dari epistolam Comes super his memoratis postulaverat, ut ubicumque in locis pervecta foret et lecta, obedirent Comiti sine mora.
E Comes ergo in loco suo Matthæum [Lotharingiæ] Ducem et cognatum reliquerat, ut epistolam acceleraret. Nam cùm ab eodem Duce accitus scriba foret, atque scripturus epistolam in camera Treverensis Archiepiscopi disposuisset; in eadem hora Nicolaus Cameracensis Episcopus superveniens, ab eodem scriba repentè requisivit de sententia : qui mox Episcopo illius epistolæ arcana seriatim denudavit, sicque Episcopum munivit. Postea subintulit, et ut clam ob Matthæi Ducis terrorem a camera discederet præmonuit. Sic utique Comes et Dux proditi ab eodem scriba fuere. Episcopus igitur Nicolaus a camera egressus, statim occurrens Archiepiscopis, scilicet Coloniæ, Maguntiæ, Treveris, Episcopoque Leodicensi, cujus sustentabatur utcumque amminiculo, hujuscemodi verò Episcopus orationem coram illis eructavit : « Dominorum igitur » meorum sublimium cœtus nunc querelam meam lacrymosam auribus perci-

Digitized by Google

» piat, simulque sincerus amicorum omnium affectus agnoscat, mecumque A
» compatiendo singultum emittat et doleat, quoniam abjudicatum a Principibus
» me dolosè comperi in Regis præsentia (tamen absque vestra examinatione et
» sententia) dignitatemque Cameracensem, quam a prædecessore domino nostro
» Rege Conrardo, vobis omnibus laudantibus, astipulantibus et confirmanti-
» bus, obtinueram, dominus noster Fredericus nunc inclytus Rex constitutus
» Comiti Theodorico Flandrensium inconsultè contradidit. Si igitur justum,
» consentio; sin autem perversum, æquo libramine vestro subvertite. Nequa-
» quam, domini mei, in ullo hæsito vos injuriam injustè irrogatam a Comite
» Flandrensi velle pati, cùm sciam sagaciterque profitear habenam omnem totius
» regni Theutonicorum vestrâ, inquam, prudentiâ excellenter relevari, et guber-
» nari; hostes utique abjici, amicos tueri, laude vestrâ cunctos pace frui, op-
» timè intellexi. Enimverò si sic, inquam, domini totius regni, sinitis Co- B
» mitem a regni finibus cum dignitate mea liberè posse regredi, mea, inquam,
» abominatio tanquam vestra fiet vituperatio. Igitur, domini, voce submissâ
» posco quatenùs vos pro me satagite; satagite, inquam, domini totius regni
» dominium obtinentes, ob mei regnique injuriam illatam velociter assurgite,
» conflictum ordinate, ne Comes contra nos gloriosè glorietur, vel absolutè
» repatrietur ». Hujuscemodi modum locutionis Episcopus coram illis protulit, atque finem dedit. Ad hæc perpaucis verò sermonibus Præsuli Præsules reddidere subnotata : « Amantissime verò confrater, nequaquam patiemur tibi hoc dedecus
» fieri, scilicet cùm gratia ista injuria tua, nequaquam tua, immò nobis ut
» propria potiùs reputetur ». Igitur cuncti, datâ et confirmatâ penès se sententiâ, festinè ad Regis Curiam perrexere, ac de re quasi ut inscii agentes siluere.

Contigit autem ut Matthæus Dux, utpotè nepos Comitis Flandriæ ac soro- C
rius Regis, cum epistola scripta ex camera prodiret, dominoque Regi traderet : qui mox Episcopo Treverensi tradidit legendam; Pontifex verò Regi reddidit perlectam. Dux autem Matthæus instabat, quatenùs sigillo Regis epistola sigillaretur. Assurgens igitur Nicolaus Episcopus a loco sessionis, Regem honestè postulavit quatenùs epistolæ illius sibi daretur facultas legendæ. Acceptâ namque legendi facultate Pontifex a Rege, perlectâque epistolâ, exclamavit Episcopus in præsentia Regis ac totius Curiæ, dicens : « Audiat verò Regis Curia,
» dominorum ac confratrum conventus omnium aure non surdâ percipiat ac in-
» telligat, quòd Flandrensis Comes a Rege postulavit et requisivit donum con-
» secratum, contra regni fas, nefasque ». Ad hæc concordes unâ voluntate Episcopi atque Archiepiscopi consurgunt, cum grandi acclamatione simulque cœtus omnis Ecclesiasticus vociferabat, a Comite Flandrensi Episcopo Camera- D
censi prædictam violentiam factam fieri nolle pati. Econtra Dux Matthæus cæterique Principes unà conclamabant, omninò fore sancitum quod in eorum præsentia dominus Rex Comiti Flandriæ concesserat. His ergo Rex auditis, animo motus, omnesque ad pacem studens sic reformari, eos festinè sedavit; atque de loco suo Rex consurgens, cum quibusdam majoribus Curiæ consilium seorsùm tenens, Comiti Flandriæ ut ad se quantociùs venire satageret, remandavit. Reversus verò Comes ad Regis Curiam, atque consilii fortè ignarus, a Rege statim accitus, protulit in hoc modo Rex sententiam, cunctis astantibus et audientibus, donum stare non posse quod sibi Comes Flandriæ dari poposcerat de Cameraca dignitate, quoniam Præsul Cameracensis contraibat, unàque totus Ordo ecclesiasticus telluris Teuthonicæ, qui fortè præsens illic aderat. Igitur his Comes auditis, motus animo, cum eodem mota Optimatum ac Pro- E
cerum omnis multitudo, admirantes valdè de cita Regis mutatione, verbis minisque in invicem contendunt. Statim sæva altercatio seu confusio inter Palatinos oritur; nam omnis sæcularis monarchia Flandriæ Comitem juvabat; ex altera parte dignitas omnis ecclesiastica Nicolaum Episcopum fovebat ac roborabat. Vix verò utrorumque malitia extitit a Rege sopita vel sedata. Prævaluit tandem ad horam illic potestas ecclesiastica. Agnoscens igitur Cameracensis Episcopus se prævaluisse, Comitemque cum ira repatriaturum fore, in futuro sibi præcavens, inducias a Comite sibi dari petiit usque ad festum B. Remigii. Comes autem econtra jurgando, minando, proferens non daturum ullo pacto inducias Episcopo alias, ore superbo Comes promens hoc potiùs se facturum quòd libentiùs caput illius a scapulis auferret, nisi Dei ordinatus foret, quàm

Digitized by Google

A inducias sibi concederet. Intelligens autem Episcopus pro certo Comitem permanere in malitia, dominum Regem adiit, postulavit quantinùs sui gratiâ sibi a Comite obtineret inducias. Econtra verò Matthæus cæterique Duces regni adversabantur Episcopo, Comiti dicentes hoc modo : « Nunquam Comes benè » teneas terram, nisi in brevi spatio ejus destruxeris patriam ». Vix dominus Rex Fredericus pro Præsule Nicolao usque ad Pentecosten a Comite inducias obtinuit. Comes verò cum grandi ira discessit a Regis præsentia, sicque regressus est ad propria. Episcopus igitur ad horam cum Rege remansit, terræque suæ munimen requisivit et impetravit. Postea Episcopus prope Epiphaniam cum gratia rediit ad sedem propriam.

Quarto Calendas Januarii (*a*) eclipsis solis circa horam diei meridiem fuit. Consecratio oratorii Beati Michaëlis Archangeli, quod constitutum est in turri
B majori Ecclesiæ S. Autberti Præsulis, extitit facta a Nicolao Episcopo venerabili, quarto Calendas Octobris.

Anno MCLIII. Splendor nimius in nocte apparuit, qui signum terribile de se mortalibus præbuit, quarto Calendas Januarii. Intervallo autem modico facto, subsecutum est tonitrui mirabile signum. Septimo Calendas Februarii, eclipsis solis extitit.

Anno ætatis meæ quadragesimo sexto, feriâ quartâ quæ quinto Calendas Martii extitit, ab Abbate Gaultero *Wahenchort* obedientia est mihi concessa, fratrum etiam assensu cum totius Capituli gratia, duos nempe mecum habens adjunctos in societate Levitam et Presbyterum, magistrum scilicet Godefridum atque Rainaldum.

Hoc anno * Eugenius Papa obiit. Hic ex Clarevallensibus Monachis primus * An. 1153.
C electus extitit.

Eodem anno famosissimus ille Dei cultor Bernardus Abbas Clarevallensis nuncupatus, de hoc seculo nequam perrexit ad requiem.

Rex quoque Ludovicus, nimis impatiens, rursùs adversùs Henricum Normanniæ Ducem bellum renovat; adjurat verò regni Principes, convocat in auxilium sui de remotis etiam partibus milites, quatinùs illius dominatui patriam subjiciant, hostes utrimque gladio, igne prosequantur. A Rege denique Theodo-
ricus Comes Flandriæ commonitus, utpotè Regis cognatus, militarique acie refertus, vir acer ingenio armisque strenuus, pari modo cum cæteris Principibus in auxilium sui est accersitus. Siquidem illo die quo B. Margaretæ Virginis festivitas celebratur, Rex Galliarum cum Comite præfato quasi præliaturi in Normanniam cum copiis suis militaribus adversùs Ducem nuncupatum acies
D suas direxerunt. Post spatium verò unius mensis exercitum illic agitantes, quæque opulenta patriæ lacrymabiliter depopulantes, demùm ad quoddam firmissimum castrum Vernona nomine nuncupatum exercitum applicantes, illud præliando expugnantes, pace tandem cum illis datâ et firmatâ, et ab illis vadibus acceptis securitatis, Rex cum suis alaceritr regressns est a Normannia.

Patris nostri jussu Gaulteri, tam ad notitiam futurorum quàm præsentium aliquid decet interserere huic operi ex actibus Nicolai Episcopi urbisque infortunio Cameracensis, vel etiam ex proditione Simonis. In primis verò gratiam Spiritûs Sancti ardenti desiderio mihi postulo dari, quatinùs jubentis imperio quidem impigrè obsecundare, fructumque mihi atque aliis ex obedientia ovanter valeam elicere, ut illorum acta posteris æternaliter legenda vel potiùs cavenda tradantur, ne scilicet (quod absit) a notitia futurorum aliquâ oblivionis fuligine
E vel vetustate fuscentur. Idcircò sensum a segniciei torpore decet excutere, et amodò acta de supradictis convenit historicè narrare. Nicolaus igitur Episcopus Cameracensis quodam tempore, corporis ægritudine acriter prævalescente, votum vovit se, Domino permittente, apud sanctum Jacobum iturum; sed accidentibus negotiis pluribus, iter illud diu fuerat impeditum. Tandem hoc anno * * An. 1153.
Episcopus in Domino corroboratus, hebdomadâ Quadragesimæ quartâ, post præparata quæ erant itineri necessaria, profectus est in via. Interea inter Comitem Flandriæ Præsulemque urbis Cameracæ firmiter ex utraque parte concessâ pace, usque ad sui reditum ex integro permanserunt induciæ. Circa quippè S. Joannis Baptistæ festum reversus est Præsul ex via; sicque ab omnibus patriæ majoribus honorificè receptus est et cum grandi gloria. Siquidem gloria illa versa est subitò

(*a*) Hæc solis eclipsis contigit quarto Nonas Augusti an. 1152, ex tabulis astronomicis.

Digitized by Google

hoc tenore in mœstitiam; nam post prandium in domo Præsulis, cùm simul A
Clerici vel milites apud se de utilitatibus suis tripudiando tractarent, ipsemet dominus Præsul sospes ac lætus valdè quibuscumque sciscitantibus de propriis viæ actibus jocosè narraret, statim Satan inter eos vacando fuit, discordiæque zizaniam hoc modo inter eos miscendo miscuit, sicque artis illius calliditate consita pullulavit ac prævaluit. Erant quippè illic inter alios avunculus et nepos, Simon scilicet Castellanus et Ægidius, Joannes equidem de *Marchuin* prædicti Simonis cognatus, quos Satan extemplò nequitiæ suæ veneno infecit, a quibus gravis in illa hora et nimis acerba suborta est controversia. Nam isdem Joannes, Episcopi licentiâ, castrum quod nuncupatur *Marchuin* firmaverat; ex alia verò parte ad cumulum perturbationis Hugo Castellanus de Pulchromanso, ejusdem Joannis cognatus ac prædicti Simonis consanguineus, eodem modo castrum Minsendis-culturæ nuncupatum, arbitrio nihilominùs Comitis Flandriæ, B
ab imo in sublime statuerat : quorum verò municipia oppidò Simoni et ipsius hominibus videbantur esse contraria. Expedit enim hìc ista obmittere, articulumque prorsùs ad initia reducere. Castellanus autem memoratus, cernens in sui præsentia stantem cognatum suum Joannem, hoc modo illum verbis aggreditur : « Dic verò, Joannes, quomodò ausus fuisti firmare castrum quod nuncu» patur *Marchuin*, absque licentia mea »? Ad hæc Joannes sic reddidit : « Auctoritate, inquiens, domini Nicólai Præsulis firmavi, atque firmabo ». Audiens verò ista Castellanus proferri, continuò cœpit insanire; Joanni turpiter infit cum grandi elatione : « Fili meretricis, mihi constanter sic loqueris »? Filii verò Joannis (duo quippè illic aderant præsentes) hæc tam contumeliosè a Simone comperientes dicta fuisse, vehementer sunt indignati, atque repentè cum gravi jurgio ista reddiderunt Simoni : « Domine Castellane, quàm superbè C
» contra patrem nostrum faris, immò adversùs totius generis tui dignitatem agis! » Nam ubi amitam tuam publicè criminaris, valdè temerè te ipsum aure om» nium audientium ignominiosè abominaris ». Audiens autem Castellanus a filiis Joannis contra se verba ista proferri, magis magisque in illos procaciter nequiores contumelias superbâ facie promebat; cujusdam illorum se oculum evulsurum a capite minando, quem unicum possidebat, ipsos quoque in locum immundissimum projecturum turpiter memorando aiebat. Unde juniores accensi sunt adversùs Castellanum irâ et grandi furore, mox suas exaltantes voces nimis furibundè in altercationem; sed unus illorum, junior equidem ætate, palàm omnibus subnotata protulit in subsannatione : « Nos quippè cum patre nostro, » Castellane inique, minaris assiduè et publicè criminaris, prorsùsque hostili » dente acriter propinquos corrodis; sed Guinriboldus scholasticus ille famosus, D
» si adhuc degeret in carne, apud ipsum ex pluribus nunc conquereremur cum » festinatione, qui conturbernalis quondam matri tuæ, ac satis domesticus pu» blicè vel privatim a pluribus dinoscitur extitisse. Sed quandoquidem in al» tercatione ista præsentialiter deest, nec nobis quidem idoneum publicè testi» monium conferre potest, perinde mihi.... Heu! dicendum est * apostrofa. Sed * sic.
» quid silendum est hìc? non ». Rursùs junior, ironiâ suâ reinceptâ, cœpit sic fari : « Audi, Castellane, omnisque cœtus simul astantium in hac æde audiat; » nam apud me restat vilis quidem, nec inutilis tamen, velis nolis, tibi responsio ». Junior mox exclamat in voce : « O Joannes de Osiaco, cognomento Papa» larde, mihi succurre in præsenti disputatione, atque fac æquum judicium » inter affines cum velocitate. Tu quidem familiaris cubicularius es dominæ » tuæ Castellanæ, atque optimè actus nosti qui aguntur in domo domini tui E
» Castellani illicitè ». Comperiens pro certo Castellanus adversùm se sententiam esse prolatam in sui confusione, irâ suffusus vehementi, exclamat cum furore : « Qui sunt fideles mei, jungantur mihi ». Ad vocem cujus Ægidius nepos ejus accurrens cum pluribus, et evaginato mucrone, nisus est percutere Joannem. Castellanus verò moliebatur per capillos affligere Joannis filium juniorem, et nisi dominus Episcopus festinè accessisset, atque se medium statuisset cum sapientioribus patriæ, illic cruor quorumdam effusus fuisset non modicè; lis tamen quorum vix sedata extitit a domino Præsule, atque Ægidius ut leo rugiens expulsus fuit ab Episcopali æde, ob sui malitiam, cum maxima discretione. Postea dominus Episcopus personis suis in unum cum civibus conglomeratis, salubre sibi dari consultum poposcit ab eis super tumultibus istis. Episcopo sanè hujusce-

Digitized by Google

A modi pauci qui intererant doctiores responsum reddidere : « Honorande Pater, » inquiunt, homines utrique tui sunt, Castellanus videlicet et Joannes ; sed » æquum arbitramur ut Joannes ejusque filii contumeliam immoderatè ab illis » erogatam domino Simoni Castellano palàm omnibus emendent, ne scilicet » (quod absit) illorum cavillatio subitò in detrimentum pejus suboriatur, et » hujus terræ regio maximè cum habitatoribus suis periclitetur ». Hujusmodi consilium Episcopo datum omnibus illic astantibus placuit. Denique Præsule a consulto regresso, jubet statim astare discordantes in præsentia sui ; et proloquens in primis ea quæ pacis erant, atque cupiens illos sanæ in pacis et concordiæ statum reformari, blando sermone Simonem sic adgreditur : « Tædet me, inquit, » fili, pro injuria tibi facta in præsentia mea, et mecum omnis Curia mea op- » pidò condolet pro te ; sed et illi jam plurimùm infra sese pœnitent infamiam
B » inconsultè protulisse. Unde, fili, obsecro te per amicitiam quæ inter hominem » et dominum immobilis esse decet, vel etiam per illam carnis cognationem » indissolubilem quæ sat in nobis viget ubique, quatenùs Joanni ac filiis ejus » indulgeas stultiloquium, *** illorumque pro mea postulatione humillima » oblivioni in perpetuum tradas ». Episcopo ad hæc ore torvo Heros infit : « No- » li, noli a me repetere ista, Episcope, quoniam mallem potiùs fieri filius ge- » hennæ, aut totius terræ meæ priùs totam dignitatem amittere, quin me non » ulciscar ex Joanne vel ejus semine ». Ad hæc Præsul sic reddidit : « Si » pro me, Castellane, Joanni ac filiis ejus prædictam noxam non vis in- » dulgere, sta et audi nunc, astante omni Curiâ meâ, quod tibi pro Joanne » et filiis ejus spondeo, scilicet ab illis injuriæ dictæ omninò fieri tibi emenda- » tionem secundùm utrorumque meorum vel tuorum hominum sanè ordinatio-
C » nem ». Econtra irâ saginatus Castellanus, ista voce spumabat, neque se illis indulsurum, neque recipi velle ab illis emendationem, immò se in illorum grassari sitibundè necem. Dominus verò Episcopus ista pro certo comperiens, ac de sessionis loco se erigens, publicè vocem elevans, Castellanum semel vel bis coram omnibus adjurans, quatinùs aptum in curia sua diem acciperet, atque ei plenariam super his omnibus satisfactionem se facturum commemorans ; Castellanus verò non adquiescens voci domini sui Præsulis deprecantis, sede Curia protinùs irâ fervens cum suis abcessit, sicque domino suo Episcopo in brevi spatio proditionem detestandam injustè machinavit.

Evoluto perparùm circulo dierum, increbrescentibus utcumque malis, fama impigra Antistitis auribus pertulerat, quòd prædictus Simon sese cum oppidis suis vellet subjicere Comiti Flandriæ ; quod sibi nequaquam fieri liceret absque li-
D centia domini Præsulis ac majorum patriæ, et assensu totius urbis et Communiæ : qui mox ab Antistite consilio quorumdam accitus, ac de sententia requisitus, in Præsulis præsentia utpotè vulpis dolosa cuncta denegat ; alioquin si dominus Episcopus de fama sibi denudata in aliquo adhuc adversùs eum dubius foret, purgaturum sese spopondit, personis suis astantibus citâ velocitate in ejus Curia, de infamia sibi injustè imposita. Discessit sic, sic, inquam, absolutè Castellanus a Præsulis præsentia, et ampliùs Cameracum non intravit, quoad malitiæ suæ proditionem compleret, omni bonitate fuscatâ.

Peractâ igitur Comes Flandriæ expeditione, * quâ cum Francorum Rege per- * An. 1153.
rexerat adversùs Ducem Normanniæ, felix ac sospes revertitur ad propria cum pace. Ad quem Simon delator citus malorum omnium patriæ, atque Præsulis proditor et Communiæ, famâ reversionis ejus auditâ, cum velocitate perrexit,
E fallaciter verbis cicutinis (*a*) Principem delinivit, incitavit, quatinùs sibi credat, velociùs acquiescat, quandoque Cameracensem provinciam ab illo diu desideratam cum festinatione dominatui ejus fore subjiciendam. Hoc modo Consuli persuasit, sibi et posteris suis laqueum tetendit ; nam scriptum est : qui parat proximo suo foveam, primus incidet in eam. Nam laqueo fraudis suæ Comitem illaqueavit et illaqueatus est, decepit et deceptus est. His igitur omissis, seriatim historiam prosequamur.

Igitur Comes, auditis Simonis Castellani sermonibus, atque in armariolo cordis cunctos concludens, in parte dubius, nec credens, convocatis ad se seorsùm majoribus aulæ, vel eis qui semper sibi assistere solebant, vel quos sanioris consilii esse agnoscebat, sibi dari sanum consultum ab eis super Simone scis-

(*a*) Cicutinis, hoc est venenatis a cicuta.

Digitized by Google

citabatur, quid ageret, vel eum in hominem reciperet, vel omninò refutaret. A
Facta est etiam non modica cavillatio inter Barones hæc agnoscentes, atque acta Simonis vituperantes, ob amicitiam Pontificis, quoniam illorum pars permaxima Pontificis erant affines; quædam tamen illorum pars Comiti super hoc hujuscemodi responsum utile reddiderunt: « Consilium autem Comes a nobis » requiris? consilium enimverò nostrum est, quatenùs in hominem Simonem » recipias; hominium coram omnibus planè vobis faciat, fidelitatemque vobis » filiisque vestris servandam juret amodò et in perpetuum ». Advocatus Castellanus in præsentia, quidquid Comes quæsivit, sacramento sancivit; sed miser citò fraudavit. Eadem tamen die perjurus ac fallax jucundior effectus exivit de Curiâ, revertitur ad propria cum ingenti lætitia, postponens Præsulis proficua munia, se gesturum spondens adversariis suis plurima incommoda. Quod et fecit, ut dicetur in subsequentia. B

* An. 1153. Arripio hujus gestæ rei veritatem sic enarrare. Mense mediante Augusto *, quandò a nonnullis manipuli jam recepti referuntur, Simon sæpefatus qui malitiosè adversùs Episcopum, vel totius stirpis suæ patriæque salutem interiùs agitabatur, fervens rursùs Comitem adit, cicutinis verbis excitat, inflammat quatinùs populum suum commoveri faciat et exercitum fortem congreget. Ignis verò qui in illius furore succensus ardebat, nondum extingui valebat, quoad perfidus ipse plurima sanè pateretur incommoda, sibi justè retribuente Dei providentiâ. Festum verò B. Mariæ semper Virginis Assumptionis instabat, cùm Comes, inito consilio cum Principibus suis, velociter per bannum exercitum mandat congregari, et ut omnes in proxima Dominica quasi vir unus Atrebato essent parati. Ut Comes suis mandaverat, impletum extemplò dinoscitur; et Simon, his cognitis, alacer efficitur. Feriâ namque secundâ illucescente quâ præ- C
clara dies Apostoli Bartholomæi ab omnibus solemnizabatur (*a*), continuò exercitus fortis ab urbe Atrebato removetur, Helgoto ducente de Bantiniis, quem Simon ob deducendum exercitum fidelem et fidum Comiti deliberaverat. Is
* *Thun-l'Evêque.* verò infidus apud Thunnium * villam Præsulis recto tramite robur exercitûs duxit; illius oppidi habitatoribus solemniter feriantibus, subitò irruit super eos diræ mortis imago; mox illorum vox immutatur, dans et ad æthera planctum. Prædones verò in primis villam adgrediuntur, quæque præclara depopulantur, domos incendunt, homines occidunt vel capiunt, curtem etiam Episcopalem invadunt, prædam sibi alternatim dividunt; infortunia ingentia illis in illa die acciderunt. Superveniens ergo Comes cum suis, tentoria sua illic fixerunt. Dominus verò Præsul, his auditis, in crastino motus animo, sui suorumque sollicitus, accersitis pluribus init consilium cum sapientibus, jubet portas urbis obse- D
rare, per portas verò *Malli* et *Salis* exire ac intrare mandat. Milites verò qui infra mœnia accersiti ab Episcopo extiterant, valdè militiâ virtutis elucebant. Hi horâ diei primâ, ignorante Præsule, ab urbe armati exierunt, ad castra Flandrensium perrexerunt, opprobria vel convitia vocibus propriis in eos jaculaverunt. Hujusmodi eorum acta Comiti provulgantur, qui Gisleberto de Bergis Signifero statim præcepit ut exiret, juventutemque militum præpararet, et adversùs hostes præparatos in campum ad præliandum deduceret. Postquam verò in prælio illi parati habentur, nostrates campum relinquunt, ad *Salis* portam quantociùs redeunt; illi verò volucri cursu nostrates insecuti sunt. Conflictus verò militum ab hora diei tertia inceptus, in summoque vesperi tandem finem accepit. In illo quippè certamine quidam occisi sunt, et quidam capti sunt, non modica caballorum exitia utrique parti contigerunt. Feriâ quartâ Comes in castris E
cum suis pacificè siluit. Interim sancti viri ac religiosi Comitem adeunt, de pace admonent, de incommoditatibus futuris sollicitant. Heros enim ad hæc illis infit: « Sciatis pro certo, fratres, alicui me nolle malum machinari. Tandem » si nobis recognosceretur fas quod mei antecessores in patria justè possederant ». Intervenientibus denique religiosis viris, a Comite Episcopo Nicolao datæ sunt induciæ per dies octo. Feriâ quintâ, illucescente aurorâ, rogum castris injecerunt, pacificè recesserunt, ab illis penitùs citra Scaldim fluvium cuncta depopulata sunt.

Nicolaus igitur Episcopus cum militibus et Communia urbis, finitis induciis,

(*a*) Anno 1153 cujus littera Dominicalis erat D, festum S. Bartholomæi in secundam feriam reverà incidebat.

municipium

Digitized by Google

A municipium Simonis admodùm firmum super fluvium Scaldim situm, nomine *Noeles*, invadunt, incendunt, solo tenùs obruunt, omnes ferè occidunt vel capiunt; fumus verò incendii palàm in alto se subrigens, famam malitiæ de se propalabat. Speculator namque in Osiaci turre locatus extiterat, qui speculans a longè domino suo Simoni fumum apertè pronunciat, damnaque quæ ab Episcopo et Communia sibi fiebant, manifestat. Perterritus verò Simon, his auditis, sciscitans in qua parte dispendium rogi cerneretur, illi dixisse speculator fertur apud *Noeles* castrum. Qui mox congregans milites cum peditibus, ire jubet ad auxilium illorum : sed reformidans ire propter multitudinem, cùm subitò quidam ei obvius occurrens, eique valedicens, nunciat reliquisse se Comitem apud Sclusam cum quibusdam Principibus. Simon verò, his cognitis, alacer efficitur; Comiti per velocem cursorem dispendia terræ suæ denunciat, et nisi citò per
B ejus auxilium relevetur, tota periclitabitur. Consternatus autem animo Comes, his rescitis, quoniam illic cum paucis advenerat, tandem roboratus corde, affirmans, *non sic evadent;* convocans et congregans quos secum habebat, et transiens ad Simonem, Simonique Castellano associatus, facti sunt non modica turba. Properantes autem conglomerati eunt ad locum incendii. Nam prædictum castrum Episcopus et Communia destruxerant, et plurimùm jocundati, unanimesque conspirati ad majora perpetranda voto anhelabant; cùm subitò eminùs Comitis vexilla speculantur, et cæterorum Baronum apparere insignia. His cognitis pro vero, trahunt ab imis cordis in alto suspiria. Comes verò superveniens cum suis, ut leo fremens et rugiens, quærens quem devoret, datoque signo, post eos exclamat : « In virtute percutite; percutite, nemini parcite ». Omnes verò, his auditis, attoniti ac pavore perterriti, omnes sunt in fugam con-
C versi, ubi nonnulli occisi sunt, et plurimi capti sunt; vulneratorum nemo scivit numerum. Dominus etiam Episcopus vulneratur, et captus foret, sed ob dignitatis suæ majestatem dimissus est; tamen equum suum amisit. Quid proferam de cæteris? Joannes de *Marchuin* a Bernardo de *Rosbes* captus est : ad quem Simon perveniens Castellanus, ejus nepos, gladio extracto caput illius amputare nisus est, nisi a circumstantibus foret retentus; tamen, vellent nollent, eum bis in capite percussit, illumque semivivum reliquit, sicque se de Joanne vindicavit. Et Joannis filius siquidem captus fuisse perhibetur. Nepos etiam Episcopi Galterus de *Lens* in eadem captivitate cecidit; in flumine verò Scaldi nonnulli necati sunt. Eâdem quippè die conversa est cithara Cameracensium civium lætantium in luctum plangentium. In hac ergo secunda urbis destructione et Communiæ majores natu ferè capti sunt Balduinus, Petrus, F. filius B. et alii
D plurimi, quos enarrare tædium est. Illic quippè referuntur, centum occisi, et trecenti vel ampliùs sunt vinculati. Actum est hoc tertio * Nonas Octobris (*a*) * An. 1153.
feriâ quintâ, in die S. Remacli Confessoris Christi.

Honorande Pater, jussis tuis mentis benevolentiâ utcumque obtemperans, malens pati erubescentiam apud peritos quàm irrogata mala civium nostrorum tempore nostro sub silentio ponere, et jussis tuis, ut decet, non obsecondare; placet igitur his malis sic finem ponere, quoniam longum est singillatim quæque transcurrere.

Postea dominus Episcopus Nicolaus Simonem cum omni posteritate futura ex Castellatura amodò et in sempiternum deposuit, Comitique Flandriæ ac semini ejus irrefragabiliter possidenda tradidit. Namque in invicem conglutinati sunt vinculo dilectionis Comes et Episcopus, et Simon cecidit in foveam resu-
E pinus. Comes verò receptus est in urbe ab Episcopo et Communia, Calendas Novembris, cum uxore ac filiis, cum ingenti pompa et gloria, et cessavit perparùm hostis patriæ cum malitia.

Anno MCLIV. Hoc anno, Ludovicus Rex Galliæ uxorem duxit filiam Regis Hispaniæ. Dominus Samson Archiepiscopus Remensis cum domino suo Ludovico Rege in obsidione Acuti-montis perrexerat; sed cum suis ab interioribus castri defendentibus ignominiosè fugatus est, ubi nonnulli ex parte sua cædè mactati sunt, quamplurimi vinculati in ergastulis extraneorum ducti sunt....

Anno MCLV. Concordia inter Regem Angliæ ac Ducem Normanniæ hoc tenore sancita est, quatinùs post mortem Stephani Regis Dux efficiatur Rex,

(*a*) Lege Septembris. Festum enim S. Remacli in diem tertium Septembris seu tertium Nonas ejusdem mensis incidit, qui dies anno 1153 cum feria quinta reipsà concurrebat.

Digitized by Google

et filius Regis ab ipso rursùs Ducatum Angliæ obtineat (*a*) : quod utrisque contigit utique in brevi spatio. Nam eodem anno prædictus Stephanus Rex Angliæ, ordinante Deo, defunctus est, et hæreditarium regnum Duci, quod injustè ablatum extiterat, justè Duci restitutum est. A

Miraculum quod hujusmodi temporibus Roberto (*b*) tyranno, filio Thomæ de * *Couci.* *Cochi* * contigit, primò posteris memorandum. Prædictus verò tyrannus suspicionem pessimam circa uxorem diu in mente deliberans, cùm nequaquam illam ludibrio ac voluntati suæ, timore parentum illius, posset turpiter illudere, quia nobilis erat, utpotè filia Hugonis Comitis Campi-avenæ : tamen unam ex illius famulabus, quæ familiaris semper ei in obsequio inhærere cernebatur, et quosdam de familia, utpotè conscios dominæ suæ, in conspectu multorum eos accersivit, criminavit ac pessimè divulgavit, statim illos comprehendi jussit absque rationis libramine, sicque indiscussos et inauditos in quodam tugurio extra B oppidum deduci precepit, rogoque succenso, in medio eos præcipitare mandavit. Sed illa virtus antiqua et verè divina, quæ tres pueros de incendio ignis liberavit, temporibus Nabuchodonozor Regis, non defuit, sed adfuit. Ignis quippè in conspectu omnium tugurium devoravit, eorumdem ligaturas incendit, capillos vel vestimenta eorum in nullo penitùs fuscavit ; sic sine læsione rogi, Deo miserante ac concedente, illæsi exiere, magnificas gratiarum actiones Christo Domino liberatori suo ex intimo cordis reddidere.

Anno MCLVI. Memoriæ tradendum est quod vetustate deletur et obliviscitur. Atrebato namque in Ecclesia majori B. Mariæ, Dei gratiâ providente, conventus factus est magnus tam Clericorum quàm laïcorum Magnatorum, inter quos extitisse fertur dominus Samson Archiepiscopus cum Episcopis subnotatis, Balduino Noviomi, qui etiam ad populum verbum Domini fecit, bonæque C memoriæ Milone Morinorum, atque Godescalco ejusdem Ecclesiæ Antistite, * *Corr.* Ivone. Theoderico unà Flandriæ Comite cum conjuge sua, Simoneque * Suessionis Consule, cum parte maxima Principum Flandriæ, feriâ sextâ post Ascensionem Domini, exceptâ plebium turbæ non modicâ multitudine. Præfatus quippè Comes cum uxore, cum quibusdam Principibus Flandriæ, cruces suas de manu domini Archiepiscopi et aliorum Episcoporum cum ingenti gaudio eodem die illic acceperunt, nonnullis mœstis, diris vocibus cum fletu miscentibus ; vix se quispiam in præsentiarum poterat cohibere ab imbre lacrymarum. Comes tamen cum suis alacer et lætus permanebat, animatus S. Spiritûs fervore ; sed illic diversi diversa sapiebant, et clamabant et flebant ; quidam pro amissione Comitis et desolatione patriæ, quidam moti pietate, quidam affectuosè pro propinquorum separatione. Quis enim illic fervidum pectus gestaret ? Flebat ergo do- D minus Archiepiscopus, flebant Episcopi, flebat quippè magnus cum minori. Quid autem in illa contigerit hora linguâ promamus veridicâ. Namque de cœlo aquarum tanta stillavit abundantia, ut multi mortales admirarentur de tam cita grandi pluvia. Quatuor vel tres viri et mulier in momento egressi ab urbe fuerant, ad terram argilosam pervenerant, ob nimiæ pluviæ tempestatem quidam fossam intraverant, terra supra eos illic cecidit, sicque tres sunt obruti ; vix quartus semivivus evasit.

Obiit bonæ memoriæ Alardus Presbyter, sexto Idus Septembris.

Anno MCLVII. Quinquennio nostro apud *Wahunchurt* completo, cum propria voluntate ad fratrum societatem revertor, quarto Calendas Aprilis.

Theodericus Comes, accersitis Principibus totius terræ quasi virum unum in aula majori Atrebatensi, quartoque Idus Maii primâ (*c*) Dominicâ post Ascensionem E Domini conventus haberetur, de pace tractare diligenter cœpit, de statu etiam regni, utpotè qui jam recessurus a suis et peregrè profecturus erat Hierosolymis. Turba verò undique non modica confluebat, ad tam excellentis operis Comitis efficaciam, inter quos nonnulli Præsules, Abbates, Presbyteri, Clerici, laïci, mulieres, utriusque sexûs infantes occurrentes in loco subsistebant. Nicolaus ut Præsul Cameracensis cum suis majoribus advocatus extiterat, sed excusatione

(*a*) Anno 1153, die 6 Novembris, Wintoniæ inita est hæc concordia, quæ Stephano, sequenti anno, die 25 octobris vitâ functo, suum protinùs sortita est effectum.

(*b*) Robertus ille secundus, Thomæ de Codiciaco et Melisendis tertiæ hujus uxoris filius, Toparcha Bovæ Ambianorumque Comes post obitum patris fuit. Cæterùm quæ narrat hic Waterlosius, eadem anno 1154 recitat continuator Sigeberti sub nomine Roberti de Monte vulgatus.

(*c*) In apographo nostro legitur : *primâ Dominicâ post Passionem Domini*, errore Librarii.

Digitized by Google

A repertâ, occurrere Comiti noluit, sed ab illo totum sese abalienavit. Simon quoque Castellanus convocatus ab eodem Comíte, quatinùs Atrebato cum Principibus suis occurreret, renuit; sed fœdus statim abrupit, hominium ei remandavit, sic diu insertam cordi malitiam palàm detexit. Eâdem verò die idipsum Gerardus Præpositus Duacensis ejus hominium abnegavit, quod ei postea ad nocumentum contigit, quoniam valdè attritus egestate fuit. His auditis, Comes turbatus est, et omnes a minimo usque ad majorem cum eo. Ordinatâ tamen Comes in crastino viâ, unà cum conjuge et quibusdam Principibus qui proficisci secum decreverant, profectus est cum ingenti mœstitia, quoniam terram turbari ab infestis hostibus agnoscebat, quam filio suo adhuc adolescenti, utpotè infra quindecim annorum, ad compescendam relinquebat; timebat enim ne aliquid inhonestum puero accideret, et sui eum ne deciperent vel fallerent.

B Precibus tamen magnis Comes instabat, puerum Deo commendans suisque hominibus, atque ut fidelitatem puero custodiant quibusque sibi obviantibus precabatur. Principes ergo petitiones Comitis audientes, lacrymasque matris condolentes, pietate moti sunt, consolatoriis verbis eos consolabantur: « Postula» mus piè vos a lacrymis abstinere, quoniam meliùs erit filio terræque, quàm » æstimatis. Namque in omnibus præceptis vestris puero obtemperabimus, et » sanum atque incolumem vobis eum restituemus ». Istis allocutionibus Comes relevatus ac lætior effectus cum pace discessit, iter suum peragraturus.

Philippus ergo Comes adolescens, post discessum patris multitudine congregatâ, Dominicâ post Pentecosten primâ *, contra Simonem perrexit; in feria secunda apud *Hinci*; tandem ibi castra locavit, pernoctavit, totam usque ad turrim vastavit. In summo verò mane Metturias, totamque terram usque ad

C Osiacum ex utraque parte incendit, ipsumque castrum Osiacum eâ die igne graviter afflixit; apud Mewrias eâdem nocte tandem cum exercitu suo repedavit. Licentiâ ergo concessâ omnibus in crastino, unusquisque regressi sunt ad propria cum gaudio. Hæc prima congressio Comitis Philippi contra Simonem. Mense verò Augusto jam appropinquante, atque segetibus candescentibus, Comes Philippus multitudines suas quasi arenam quæ est in littore maris, rursùs adversùs Simonem coacervat, iter suum ad *Hincin* properat; inito autem consilio, turrem obsedit, ordinansque machinas adversùs eam, expugnavit illam; nam qui intus erant perterriti sunt, eique resistere nequaquam valuerunt, sed potiùs turrem ei tradiderunt, quarto Calendas Augusti, feriâ secundâ. Nempe per novem dies turris est obsessa, cum grandi gloria et lætitia. Amissio verò hujus turris Simonem valdè perterruit, et Philippum Comitem dominio sublimavit.

D Actum est hoc anno Incarnati Verbi millesimo centesimo quinquagesimo septimo, Indictione v, Epacta viii, Concurrente i, iv Calendas Augusti, feriâ secundâ, post discessionem Theoderici Comitis feliciter.

Anno mclviii. Philippus Comes denuò in Maio partem exercitùs sui contra Simonem hostem pessimum et rebellem in unum convocat, et castrum de *Sauci*, consilio quorumdam, adversùs Osiacum cum maximo labore et fortitudine construxit, quod postea ab eodem Simone obrutum fuit quinto Calendas Januarii *, et hoc dolo et factione servantium actum est; sed tandem omnes qui in eo reperti sunt, occisi vel capti sunt. Appropinquante mense Augusto * Comes Philippus omnem exercitum, scilicet populum multum quasi arenam quæ est in littore maris, equitum peditumque adunavit, terram Simonis vastavit, Osiacum castrum per dies aliquot obsedit. Dominus verò eo tempore

E nimiam pluviarum inundantiam in castris eorum stillavit, (mirum dictu!) pluribus illorum amissis, homines vel equi vix periculum evaserunt. Sanè habitantibus vel defendentibus municipium profuit hujuscemodi prodigium. Præfatus verò Comes, utpotè adolescens, in obsidione castri proditionem suorum illic sibi comperiens fieri, protinùs a loco tristis discessit, quoniam non est actum ut voluit. Peculiaris verò illo in tempore Comitis consiliarius erat quidam Gauterus de Vadis nuncupatus. Tamen Duacensis Castellanus, vir acer ingenio et armis strenuus, inimicis quidem suis erat formidolosus, fulgur, gladius, pestis, amicis verò, pater, tutor, provisor, alloquio lenis, finem vitæ in Septembrio, siccinè tandem ordinante Deo, fecit. Robertus Bethuniæ nomine nuncupatus Advocatus, a Philippo Comite raptus, sub custodia publica in turre Duacensi retruditur, ob multiplices nequitias quas agitabat: tandem tran-

* An. 1157.

* *f.* Junii.

* An. 1158.

Digitized by Google

sactâ hebdomadâ, ejectus de custodia, Comiti spopondit fidelitatem servandam A
et patriæ jura tenenda.

Fredericus Imperator noster contra Mediolanenses exercitum fortem et magnum ducit. Reges qui priùs discordes erant ab invicem, cum gratia maxima hoc tempore concordes fiunt, scilicet Rex Gallicus et Anglicus, adeò ut matrimonium puerorum suorum fecerunt. Namque, [Henricus] filius Regis Angliæ [Margaretam] filiam Regis Galliæ accepit, et quidquid præliando Regi Angliæ Rex Gallicus abstulerat, pacificè reddidit.

Pater verò meus bonæ memoriæ Alufus jam nimio confectus senio, quinto Calendas Martii tum dormitionem in Christo accepit. Mensem Augustum apud *Aenes* peregi....

Anno MCLIX. In octavis Pentecostes, quod VII Idus Junii extitit, jam die advesperascente (horribile quidem dictu, sed horribilius actu) tam imminens B
tonitruum cum ingenti pluvia et cum maximo turbine venti super terram extemplò venit, ut mortalium corda vehementiùs ultra solito turbarentur. Namque in locis pluribus, hominum habitationes subvertit, quosdam in eis morte contrivit, nonnullam partem avium necavit, terræ fructus, silvas, fabas et cætera ex parte delevit.

Nondum finitâ guerrâ inter Philippum Comitem et Simonem, albescentibus messibus præ maturitate, populum suum denuò Comes Philippus in unum congregat, ad debellandum Simonem properat, exercitum tandem ante *Havennencurth* protrahit, illic per dies aliquot sedit. Castrum verò impugnat, sed non expugnat, quoniam propter Ædigii nepotis Simonis amicitiam dimisit ac deseruit; partem tamen muri illius castri confregit. Terram verò ex parte illa incendio graviter afflixit, ubi nonnullæ villæ cum castris *Marchuin, Noellet, Canthen,* C
vastatæ sunt decimo Calendas Augusti, anno millesimo centesimo quinquagesimo nono. Rumor tamen in castris erat, quòd Comes senior [Theodericus] cum pace reverteretur, sed ignari erant utrùm verum fictumve foret. Die autem primâ post B. Mariæ Virginis Assumptionem, Atrebatum venit, a suis honorificè receptus est cum maxima pompa, plebis Clerique tripudio; inde tamen dolor et luctus contigit in populo, quia Comitissa non est repatriata cum domino suo....

* An. 1159. Mirabilia quæ gesta sunt hoc anno *partim posteris enarrare tentabo. Nam omnes ferè Reges christianorum moti sunt a facie Dei Sinaï. Benè dico a facie Dei Sinaï, quoniam nec capillus hominis movetur absque Dei nutu. Multæ verò tribulationes hoc anno diversis in locis agnoscuntur fuisse. Imperator etiam noster Fredericus per annum circiter pugnans contra Mediolanenses, eos infra mœnia contrusit, sed nondum expugnavit. Imperator verò Constantinopolita- D
nus exercitum adversùs Sarracenos ducit, cum quo Rex etiam Jerosolimitanus pari voto Sarracenos debellaturus jungitur. Imperator quoque Galiciæ Sarracenos et ipse congreditur. Reges igitur Oceani qui in anno superiori pacificati extiterant, rursùs instigante inimico, scilicet Rex Galliæ atque Angliæ, ad bella inter se acriter incitantur. Regium verò discidium Tolosa urbs antiqua manifestavit. Discidii exordium. Namque urbem Tolosam Comes S. Ægidii [Raimundus] Regis Galliæ sororius obtinebat, quam Rex Angliæ jure sibi hæreditario ex parte conjugis suæ possidendam reclamabat. Unde Rex Anglicus animo excitus, ab insulis maris et a diversis gentium locis exercitum magnum et fortem convocat et congregat, quasi Comitem S. Ægidii debellaturus, atque Tolosam præliando in gente valida de manu Comitis erepturus, sperans sese sic sine contradictione urbem recepturum. Et erat arrogantiâ libidinis E
instigatus. Causa verò profectionis Regis Galliæ, cur profectus sit cum Rege Angliæ apud Tolosam, hæc extitit, quoniam mansuetus Rex Galliæ suâ dulcedine discordes in concordiam reformare satagebat. Cùm igitur utrique Reges, utpotè amici et socii, pari voto pacificè (*a*) prope prædictam urbem pera-

(*a*) Multâ sollicitudine satagebat Rex Francorum ut Anglorum Regem a proposito revocaret; quippè, teste Roberto de Monte, *Octavo Idus Junii, VII et VI, inter Regem Francorum et Regem Anglorum, et Episcopos et Barones utriusque partis, fit collocutio apud* Hilliricort, *de conventionibus videlicet quas inter se super matrimonio sobolis suæ antè habuerant, et de exercitu Regis Anglorum Tolosam ituro: ubi ad concordiam non venerunt, quia Rex Francorum nolebat concedere ut Tolosam acciperet, propter sororem suam et nepotes.* Deinde circa Octavas S. Joannis Baptistæ, ait, *Ludovicus Rex Francorum cum Rege Anglorum colloquium habuit, de obtinenda videlicet pace cum Comite S. Egidii, prope Tolosam. Sed cùm nihil pacis obtentum fuisset, ortâ inter eos simultate et tantæ retrohabitæ pacis discordiâ, malo totius patriæ ab alterutro divisi sunt.*

Digitized by Google

A grassent , mox Rex Anglicus typo superbiæ inflammatus , a Regis Francorum eonsortio sese alienavit. Unde non modicè consternatus animo Rex Gallicus , quoniam cum eodem cum paucis profectus fuerat , quid ageret , quò se verteret , anceps erat. Inito tamen salubri consilio cum suis , transtulit se illicò ad Comitem S. Ægidii : a quo receptus est honorificè , in tantum ut urbem sæpefatam Regiæ potestati Comes traderet conservandam , necnon in totius regionis dominium Regem Galliæ sublimaret. Hoc verò Rex Angliæ pro vero comperiens , corde dissolutus est ; amodò sciens se parùm in partibus illis proficere , Regem autem semper supercrescere , se verò paulatim decrescere. Ante sancti quippè Joannis Baptistæ * festum illic cum grandi exercitu pervenerat , circa festum sancti Remigii cum emolumento brevi ad propria cum suis revertitur. Guerra tamen usque ad Adventum Domini inter Reges perduravit. Ab Ad-
B ventu Domini tandem usque ad Pentecosten inter se fœderati sunt.

* An. 1159.

Hujus verò Ecclesiæ Abbas Gauterus nomine nuncupatus , jam grandi senio confectus , atque gravi molestiâ corporis infectus , præcavens in futuro sibi et Ecclesiæ , ne per imbecillitatem corporis sui fratres disturbarentur , bonaque fratrum paulatim ab infestantibus utcumque minuerentur et fraudarentur , sibi successorem dari petiit. Hoc sanè fratres absque potiori consilio agere noluerunt. Ob id verò ab eodem Patre vir magnæ sanctitatis Abbas Valcellensis R. [Ricardus] advocatus extitit , denudans illi debilitatem corporis. Tandem consilio hujus viri salubri regimen Ecclesiæ Abbas deseruit atque absolutionem accepit , anno scilicet procurationis suæ quadragesimo quarto cum mensibus tribus additis , et ordinationis Sacerdotii sui æquè anno feliciter. Nicolaus verò Episcopus noster illis in diebus aberat ; namque Mediolanum ad Imperatorem pro
C pace quærenda perrexerat. Fratres verò consilio inter se habito , Dei tamen adjutorio , alium sibi provisorem extemplò elegerunt , Priorem scilicet Ecclesiæ Galandum nomine , a puero secum educatum in Ecclesia , virum modestum , benè morigeratum , cum grandi lætitia et absque omni discordia : personis Ecclesiæ B. Mariæ Virginis astantibus , atque collaudantibus per omnia Samsone Archiepiscopo , H. [Hugone] Decano , W. Cantore , G. Cancellario cum Abbate sancti Sepulcri , R. Valcellensi. Acta sunt autem hæc sexto Calendas Decembris , feriâ sextâ ; et quoniam Pater memorandus longo tempore cum eis in maxima prosperitate et honestate degerat , in cujus diebus Dominus Ecclesiam feliciter multiplicaverat ; honestè fratres illi necessaria vitæ ejus servientibus ordinaverunt.

Hyems longa fuit , et pestis subsecuta est.

Discordia Romanæ Ecclesiæ gravis facta est inter duos Electos , scilicet Vic-
D torem et Alexandrum ; Victor quippè Imperatorem obtinens , Alexander Guillelmum Regem Syracusanum sibi confœderatum habens. Nicolaus ergo Præsul ab Imperatore Frederico lætus ac sospes cum gratia revertitur , Theodorico mox Comiti Flandriæ amicitiæ pace confœderatur ; sicque durus hostis discordiæ a finibus nostris ejicitur. Pax verò inter Episcopum Nicolaum Cameracensem et Theodericum Flandrensem Comitem reformata est Bapalmis castro , decimo quarto Calendas Februarii * , Frederico Imperatore nostro utcumque astipulante.

* An. 1160.

Anno MCLX. Cameracum Theodoricus Comes cum filio suo Philippo post concordiam factam cum Episcopo primùm venit , securitatem urbis et patriæ ab omnibus absolutè recepit , jure tamen salvo semper Præsulis. Nonas Aprilis actum est.

Visa sunt signa in cœlo in modum circulorum circa solem , horâ nonâ diei ,
E tertio Calendas Maii. Fulmina super terram innumerabilia tertio Calendas Julii micuerunt , horâ diei sextâ ; quippè in locis diversis multos mortales opresserunt et temporibus istis tam grandia non sunt audita.

Mathæus verò , Theodorici Comitis Flandriæ filius junior , uxorem , patre inconsulto , Stephani Regis Angliæ scilicet filiam , duxit , quæ a nonnullis Deo dicata vulgabatur : quamobrem mœstitiâ pater excitus , in filium armis non segniter insurrexit , quoniam nuptias execrabiles filium fecisse mœsto pectore ferre non æquanimiter poterat.

Regina Galliæ [Constantia] quarto Nonas Octobris defuncta est. Ludovicus nempe Rex eodem tempore sive in eodem mense , consilio quorumdam Optimatum suorum , uxorem aliam duxit , sororem scilicet Henrici Comitis , quæ filia Theobaldi Comitis de *Blois* fuit. Auditâ verò hujus matrimonii famâ , Rex

Digitized by Google

Anglicus irâ commotus, contradicere modis omnibus adtentavit; sed Gallicus Rex potiori consilio potitus, ejus fallaciis nequaquam obtemperavit. Grandi malitiâ mox infectus Rex Angliæ, adversùs Regem Galliæ tria fortia municipia nequaquam vi, sed dolo et falsitate abstulit, Gisonem * nomine, et duo alia, et pactionis fœdera opere fœdavit, nominique suo maculam intulit.

* Gisortium.

Hoc etiam anno * non modica suborta est in sancta Ecclesia altercatio de duobus Electis, scilicet Victore et Alexandro. Ecclesia namque Teutonici Imperii a Frederico Imperatore in unum cum suis convocata Papiæ, inito Concilio post B. Mariæ Purificationem, Papam Victorem in Papatum totius orbis et Romanæ Ecclesiæ suscipiendum, discussum et examinatum approbavit ac irrefragabiliter sancivit. Imperator verò Fredericus, his gestis, omnibus regnis, insulis, Regibus, Ducibus majoribus, minoribus per climata mundi commorantibus in fide Christi, scripto mandavit, quatinùs Electo suo unà secum assentirent, unanimes obedirent. Non tamen omnibus sententia placuit, sed inter se inito consilio, Rex Gallicus et Rex Anglicus cum utriusque regni Episcopis, scripto Imperatoris assensum præbere noluerunt. Monachis verò Clarevallensibus maximè super hoc negotio laborantibus, atque stimulantibus quatinùs Alexander reciperetur, quoniam parti illius favebant et per omnia illum juvabant. Prope ergo festum B. M. Magdalenæ, a memoratis Regibus utrorumque regnorum Ecclesiam placuit congregari Belmaro (*a*), quatinùs illic discuteretur de discidio sedis Apostolicæ. Illic siquidem nuncii Frederici Imperatoris Regibus cum epistolis occurrerunt. Regibus sanè tractantibus de Imperatoris legatione atque de discidio sedis Apostolicæ, quidam cum Imperatore Victori assentiebant; quidam verò acriter resistebant, sed potiùs Alexandro Papæ obediendum malebant. Ob hanc causam nunciis amotis Imperatoris in spe concordiæ, tertiâ die illis dimissis a Regibus cum pace, mox Regis Angliæ factione Alexander Papa in Gallia ab omnibus recipitur; et sic peregrè in Anglia intruditur, sicque Dei Ecclesia per orbis climata confunditur, nisi manu Dei validâ relevetur.

* An. 1160.

Anno MCLXI. Magnatorum verò istorum cœtus advocatus est Cameraci per Nicolaum Episcopum, duodecimo Calendas Aprilis, Samson Remensis Archiepiscopus, Gauterus Laudunensis Episcopus, Balduinus Noviomensis Episcopus, cum ecclesiasticis personis. Theodericus autem Comes Flandriæ cum filiis, Comitibus Philippo et Matthæo interfuerunt, necnon Comes Suessionis Ivo cum nonnullis præclaris Baronibus; a quibus abjudicatum est Gavalum (*b*) hujus territorii Ægidio de S. Auberto.

Tradita est mihi obedientia de *Otviler* a domino Abbate, cum assensu totius Capituli, sexto Nonas Julii. Curam verò loci illius a domino Episcopo Nicolao, quarto Idus Augusti, suscepi.

Robertus de *Cochi* * a captivitate sua liberatur, quæ sibi per Guillelmum Syracusanum Regem pernicitùs acciderat (*c*).

* Couci.

Samson Archiepiscopus Remensis, decimo Calendas Octobris, obiit, magnæ gloriæ persona in Dei enituit Ecclesia.

Dispendium verò hujusmodi lugubre nostris in diebus fieri contigit. Principalis verò Ecclesia Beatæ Mariæ post concrematione suam ab Episcopo et a Clero et ab omni populo cùm maximo labore ac quæstu diligenter foret recuperata, turres etiam Ecclesiæ per quinquennium ferè in altum mirè artificialiterque porrectæ; sic opus consummatum omnibus cùm placeret, Dei judicio permittente, omnia occulta cui sunt manifesta, turres cum optimis campanis solo tenùs secundo Nonas Decemb. corruerunt. Tota verò civitas versa est in lamentum.

Anno MCLXII. Hoc anno Henricus Belvacensis Episcopus, Ludovici Regis frater, in Episcopatu Remensi sublimatur.

Primâ noctis horâ tonitruorum coruscationes terribiliter invaluerunt, decimo sexto Calendas Februarii. In eodem verò mense, tertio Calendas Februarii,

(*a*) *Lege* Bellovaco, salvis nihilominùs grammaticæ legibus. Verùm anno sequenti Concilium istud habitum est.

(*b*) Gavalum seu Gaballum census quem homines de corpore seu capite præstant domino suo.

(*c*) Robertus ille dominus Bovæ cum fratre suo Ingelramno Codiciaci Toparcha transmarinum iter anno 1147 fuerat aggressus, videturque illud anno 1157 repetiisse cum Theoderico Flandriæ Comite; ac tum fortè sive eundo, sive redeundo, ut erat petulantis, imò ferocis animi, in offensam Guillelmi II Siciliæ Regis audaci aliquo facinore, dum in regno illius diversaretur, incurrit; quod in causa fuerit, cur illum carceri manciparit. Hæc conjectando, quandoquidem nulla suppetunt quæ nos certi quid edoceant monumenta.

Digitized by Google

A tonitrua similiter audita sunt; sicque per universam regionem occiduam tritici venundatio gravis invaluit.

Apud verò Mediolanum Imperator Fredericus per quinquennium cum exercitu residens, tamen in anno quinto prævaluit. Habitatores urbis seipsos cum urbe tradiderunt Regi. Rex verò victor omnium illorum, ut diu optaverat, existens, cives a loco dispersit, urbem solo tenùs ferè obruens, de inimicis suis utcumque triumphavit. Postea verò Papam Victorem semper carum tenens et secum ducens, et sic victoriam obtinuit. Post expugnationem igitur Mediolanensium Fredericus Imperator regressus, generalem Curiam disposuit apud urbem *Betzençon* fieri quarto Calendas Augusti *. Per epistolas quippè suas Regibus occiduis gratiosè mandaverat gloriosus Imperator Fredericus, jam non auctoritate regali nec dominatu imperiali fretus, sed divinâ miseratione inspiratus, B quatinùs sibi clam occurrerent memorato loco, quasi de pace et concordia sanctæ Romanæ Ecclesiæ tractaturi. Auditis verò litteris Imperatoris, Oceani Reges in primis unanimes corde jocundati, ad Curiam præfatam copiam veniendi facilitate suâ per nuncios assensum Imperatori præbuerunt. Nec mora, inito ad invicem consulto Reges, et mutatâ sententiâ, sanè quæque Imperator eis in bono mandaverat, Reges præfati pari voto irritando subsannaverunt, ac pro nihilo reputaverunt. Hujusmodi verò convocationis Curiæ ista dignoscitur fuisse et creditur causa. Duorum namque Apostolicorum virorum per universum clima sæculi periculosa valdè controversia imminebat, quæ nonnullos peste suâ inficiebat, valdèque clade affligebat. Unde egregius Imperator mente motus, omnibus tam majoribus quàm minoribus satagere cupiens, nonnullos reformari ad fidei unitatem et pacem Ecclesiæ Dei laborans, sententiam B. Pauli Apostoli exprobra- C tionis ad subditos in memoriam habens, dicentis, *cùm sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundùm hominem ambulatis? Cùm dicat aliquis; ego quidem sum Pauli, alius autem Apollo, nonne homines estis?* Sententiam ergo Apostolicam in prisco tempore gestam scimus, nunc tempore præsenti renovatam flebiliter plangimus, omni die magis ac magis nævum sordidum pullulare in pejus cernimus. Fredericus autem Imperator scandalum grave ac perniciosum inter regna sciens, sese medium objicere causâ pacis satagens, ut quondam Apostolus Paulus, inter discordantes sese piè intromiserat. Nempe Gallia cum Anglia cultu celebri Papam Alexandrum colebat ac sequebatur. Ad augmentum verò tantæ perniciei et controversiæ, Imperator Fredericus omni corde cum universa terra Theutonica Victorem Papam laudabat, fastigium Papatûs ipsi Victori attribuebat. Hujusmodi namque placet Curiæ mentionem D posteris tradere, ad quam nonnulli nobiles potentes utriusque legis, scilicet Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, Ducum, Comitum, Tyrannorum, causâ pacis advenerant, necnon vulgi multitudo illic confluxerat. Inter Proceres etiam non infimus Nicolaus Cameracensis Episcopus adfuit, in primis devotè ab Imperatore et cum gratia receptus est; sed postea, turbatâ omni pace, consilio quorumdam pravorum hominum Reges inter se fascinati, advocatio Curiæ ad nihilum redacta est : ex qua Episcopus mœstus et valdè turbatus propter discidium Romanæ Ecclesiæ ac Regum discedens, ad propriam sedem reversus est cum maxima mœstitia, ex qua eum Dominus omnipotens gratiâ suâ postea omninò eripuit.

* *Corr.* Septembris. An. 1162.

Hyems gravis extitit, et mors pecudum valida subsecuta est.

Anno MCLXIII. Dulcis verò ac laudabilis amicus, bonæque memoriæ vir, E Montis S. Eligii Abbas, nomine Radulfus, nepos meus, Nonas Martii in Christo dormitionem sanè obtinuit, anno prælationis suæ duodecimo.

Galterius Abbas senior Ecclesiæ B. Auberti Cameracensis de hoc sæculo, tertio Calendas Aprilis, migravit ad Dominum.

Godefridus etiam filius Comitis Balduini Hainoensis, septimo Idus Aprilis obiit, Tyro futurus in Pentecosten, cujus morte terra sua valdè condoluit.

Domino igitur opitulante, scripturi posteris sumus quæ gesta sunt hoc anno. Dominus quidem Jesus-Christus terribilis est in seipso, terribilis in superioribus seu in inferioribus, omnia infra et extra concludens, continens vel possidens, ut potens potenter cuncta decernit in sæculo; nam peccatores aliquandò a superioribus minatur, quandoque pœnas injustis justas immittit, aliquandò ad filiorum correctionem vel ad detrimentum pravorum hominum. Contigit verò quarto

Digitized by Google

Nonas Julii, ad correctionem filiorum, fulmen de superioribus advenisse super Ecclesiam S. Sepulcri Cameraci, et intra Ecclesiam terribilia exercuisse facinora. Nam altare in media statutum Ecclesia ex loco suo amovit, majestatem Domini honestè sculptam ac positam in superioribus Sepulcri confregit, in pulverem redegit, et alia plurima incommoda perpetravit. A

* An. 1163. Eodem anno * Godescalcus Episcopus Atrebatensis ab Episcopio discessit, causâ infirmitatis suæ, anno duodecimo ordinationis suæ : cui successit quidam Andreas de ordine Clarevallensium....

Comitissa Flandriæ nomine Sibylla, spretis hujus mundi illecebris, toto mentis conamine secuta Dominum, Jerosolymis est defuncta, summi largitoris exspectans felix feliciter vera præmia.

Judæi apud Parisios, eodem anno in die celebrationis Passionis Domini, quemdam adolescentem Christianum nomine Ricardum, ob Christi despectum, cruci affixerunt, in cujus memoria Dominus Jesus-Christus signa perpetrat inenarrabilia. B

Anno MCLXIV. Hoc anno Ecclesiæ beati Autberti Cameraci consecratio valdè celebris a domino Nicolao Episcopo, anno suæ ordinationis vigesimo octavo, in honore beatorum Apostolorum Petri et Pauli, sanctique Autberti ejusdem loci quiescentis, facta est Kalendas Maii. Nicolaus ergo Episcopus, adhibitis secum Dei cultoribus Coepiscopis istis, Gautero Lauduni, Balderico * Noviomi et Theoderico urbis Ambianæ, opus excellentissimum cum maximo Cleri et plebis tripudio in illa die solemniter compleverunt.... Hujus verò diei benedictio, post duas ejusdem Ecclesiæ concremationes quæ a Deo eidem permissæ sunt evenire, Domino justè dispensante omnia, hodiernâ die est reddita. Nam prima ejusdem Ecclesiæ concrematio anno MXCIX, in die illa in qua Fulco de Novo-castello in hac urbe occisus fuit, accidit, scilicet tertio Idus Augusti. Alia quippè concrematio temporibus Nicolai Episcopi anno millesimo centesimo quadragesimo octavo fieri contigit, octavo Idus Septembris.

* *Corr.* Balduino.

C

Amotus fraudulentiâ me insidiantium de *Otvilers*, Borteriis sum Dei gratiâ restitutus.

Ægidius filius Simonis Castellani præliando periit, quarto Kalendas Augusti.

Comes Flandriæ nomine Theodericus rursùs peregrinando Jerusalem repetiit (*a*) et filius ejus Philippus pace inauditâ terram sibi subjiciens, et nomen probitatis cum digna laude in perpetuum sibi acquisivit, et valdè nomen ejus celebre factum est per omnes insulas Oceani.

Victor Papa, quem Imperator Fredericus statuerat, hoc anno defunctus est : quo defuncto, alium in loco ejus sublimaverunt. D

Hiems longa et acerrima usque in Martio mense perduravit....

Rex Angliæ, contra ecclesiasticum ordinem lubricus, lubricè insurrexit, maximè [Thomam] virum sanctimoniæ, largum eleemosynatorem, Episcopum Cantuariæ, ab Episcopio cum Sacerdotibus suis expulit : in Anglica verò terra Dominus signa sua concitò manifestavit per supradictum Episcopum.

Anno MCLXV. Narraturus verò posteris ea quæ Dominus per dignissimam Matris suæ memoriam in diversis mundi partibus operari dignatus est, operam narrandi sic sanè adgrediar. Cameracam in primis igitur urbem antiquam ponam. Urbem verò Dominus memoratam per Matris suæ memoriam longè latèque celebrem quondam statuerat; sed ad horam peccatis habitantium Matris Dei honos qui debetur, parumper declinaverat. Dominus autem hoc anno per climatum partem hujus orbis, prodentibus miraculis, fanum suæ Genitricis et urbis auxit ac perpulchrè renovavit. (*Narrat varia miracula Deiperæ Virginis, sed et imposturam vetularum sagarum, quas Pytonissas vocat.*) E

Feriâ quartâ Pentecostes, horâ diei nonâ, adveniens a mari Britannico ingens procella, omnem occidentalem plagam occupans, non modicè illam vexavit et attrivit; nam in mari nuncupato cursum et dispendium suum arripiens, terrasque has pertransiens, scilicet Normanniam, Ambianensem, Viromandensem, Atrebatensem, cuncta interiùs comminuens, arbores, segetes, fabas, lina, hominum habitationes obruens et dissipans. Terram verò Atrebatensem procella

(*a*) Transmarinam hanc Theoderici peregrinationem, quæ quarta fuit, ad annum 1163 retrahit Pagius cum Meiero.

graviter

Digitized by Google

A graviter attrivit ; illius regionis plebs diu dispendium suum luxit , ac flevit ; subsecuta est venditio tritici quæ in diversis locis nonnullos afflixit.

In hoc anno * , dominus Fredericus semper Augustus , domini Caroli Magni Regis corpus de sarcofago sustulit , et in vase aureo diligenter et honorificè restituit , quarto Calendas Januarii , Episcopis regni non modicè lætantibus cum Curiæ Optimatibus. * An. 1165.

Comes Philippus Flandriæ adolescens Curiæ Aquisgranis cum grandi apparatu domino Imperatori occurrit ; in Natalitio Domini videlicet domino Imperatori hominium constituit , cum Regina nepte sua etiam amicitiam indissolubilem composuit , et auxiliatricem sese Comiti profuturam , si necessitas incumberet , sanè spopondit.

Anno MCLXVI. In diversis locis intemperies aëris hoc anno gravis facta est per
B partes Oceani ; grando cum vi lapidum super annonam mortalium cecidit , quæ magnum detrimentum pluribus contulit , maximè Monachis Valcellensibus Deo servientibus et B. Auberti Canonicis eidem sancto servientibus. In villa quæ sanctus Aubertus dicitur totius anni ferè stipendium amiserunt , unà cum habitatoribus ruris illius. Hæc grando in feria quinta Pentecostes cecidit in Cameracensi pago cum fulmine lapideo. Luxit diu nostra regio.

Fredericus semper Augustus exercitum suum contra Romanos mendaces rursùs hoc anno amovet.

Hyems gravis , et longum tempus seminandi homines habuerunt ; nam in Februario ferè nihil operis gesserunt , mediante Martio tunc primitùs seminare cœperunt.

Rex Franciæ [Ludovicus Philippum] filium de sua uxore genuit.

C Circulus magnus in cœlo visus est circa horam diei sextam , duodecimo Calendas Aprilis , cum aliis signis quæ in eodem circulo apparuerunt.

Anno MCLXVII. Desidia * Henrici Regis Angliæ utique diffamata est omni velocitate adversùs Regem Galliæ , in hac tempestate fasque nefasque prodeunte. Missus est tandem Petrus , miles fortis , frater junior Regis Galliæ , contra subdoli Regis perfidiam domandam , probitas cujus a pluribus sanè collaudabatur. Is nempe iter cum sociis arripiens per quoddam Regis Angliæ municipium valdè munitum , nec habens quò sese declinaret , vel quò se diverteret , agnoscensque hostes adfore ; sic sibi suisque consulens , audacter arma cum sociis arripiens , hostium cuneos triumphando pertransiit , partem prostravit , manu partem cepit , victoriamque de adversariis suis cum laude obtinuit. Victoria hujuscemodi longè latèque per Oceani insulas celebris divulgata est , nec tamen fervida
D Regis Angliæ perfidia pro his est sopita ; sed sibi consulens ac plurimùm in ærariis suis confidens , missis velociter cursoribus suis cum litteris per insulas Oceani , ac multitudine militum peditumque arma portantium congregatâ , dieque sub una invicem constitutâ omnes in unum conveniunt , iter suum arripiunt : quibus Matthæus Comes , frater Philippi Comitis Flandriæ , cum paucis obvius factus , extemplò invasit , dissipavit , omnes in fugam turpiter convertit , majores nonnullos manu cepit , cujus valdè nomen celebre ac opus clarum in locis pluribus magnificatur. Nam idem Matthæus Regi Angliæ illis in diebus justè adversabatur , propter quasdam possessiones (*a*) quæ sibi a Rege injustè denegabantur ; idcircò domino Regi Galliæ confœderatus erat certamine : qui verò evasere de prædicto prælio , ignominiosè nudati quique rediere ad propria. Post hæc Matthæus Comes habebatur clarus et probus in aula Regis Franciæ ,
E ac nimis formidabatur in palatio Regis Angliæ. * *f.* perfidia.

Urbs Cameraca quondam splendida et nobilis habitatore facta , noviter nobilitate suâ flebiliter viduata , interiùs vel exteriùs flebilis et attrita , planctu plange , luctu luge , quæ cares tanto honore vel es destituta tali Pastore. Nicolaus Præsul , flos Præsulum , parentum insignis multitudine , fortis , alloquio affabilis , caritate mirabilis , in mensa dapsilis , familiaribus suis amicabilis , hostibus suis formidabilis , patriæ tutor , civium bonorumque omnium coadjutor , tantus ac talis vitâ caruit , quia Calendas Julii * ex hoc sæculo transiit , carnis glebam exuit , piam in Christo dormitionem cum patribus suis felix feliciter obtinuit. Moritur autem bonæ memoriæ Pontifex ordinationis suæ anno trigesi- * An. 1167.

(*a*) Nempe Moritonii Comitatum , quem , ut partem hæreditatis Stephani Regis , jure uxoris suæ Matthæus reposcebat.

Digitized by Google

mo secundo : Præsul per climata mundi valdè celebris, non solùm Archiepis- A
copis et Præsulibus, verùm Regibus et Ducibus, cum Principibus hujus sæculi clarus extitit.

Fredericus noster Imperator reversus, iter suum cum exercitu forti et magno reparans adversùs Romanos qui ejus perjuri erant, tandem Papiæ urbi hyemavit, etc....

Remis Metropolis, civitas olim nobilis et inclyta in his diebus ab Archiepiscopo Henrico inhonestè tractata, de dignitate sua valdè attrita, gemit quod amisit, patitur dolens quod non meruit. Civitas diu ab eodem domino valdè aporiata est. Tandem dominus Archiepiscopus pacatus est istorum nobilium Comitum, Philippi Flandriæ, Henrici Campaniæ consilio, cives omnes sunt restituti in gratia, et amissa restituta, cum libertate sancita.

Mors crudelis et amara nemini parcis, nec avara, ut apertiùs proferam, B
pro te vitam nimis gerimus miseram : quoniam non licet quemquam tutam capere requiem, seu quemquam suspectum adfore tuam diffugere paratum ingluviem. O mors metuenda ! O mors semper intuenda ! cedros mundi altas destruis, cuncta mundi nascentia obruis..... Namque has cedros altàs ac sublimes valdè dejecisti, o
* An. 1167. mors ! in præsenti anno * ab hoc sæculo per te sunt abstractæ majores personæ ac Ecclesiasticæ, dominus Rainaldus Coloniæ Archiepiscopus, dominus [Henricus] Leodiensis Episcopus, dominus Nicolaus Cameracensis Episcopus, dominus Theodericus Ambiani Episcopus, dominus Balduinus Noviomi Episcopus, dominus H. (*a*) Silvanectensis Episcopus. Istæ tam sublimes personæ pretio nequaquam aliquo valuerunt sese redimere.

Post dormitionis Nicolai Præsulis diem sibi a Deo constitutum, quem valet C
præterire nemo mortalium, Ecclesia Cameracensis viduata nequaquam absque grandi detrimento patriæ diu valebat persistere in sua viduitate. Unde factum est ut nonnullæ secundùm Dei timorem et honorem Ecclesiasticæ personæ, atque totius patriæ Proceres ac vulgus plebeium innumerabile unà conglomerantes, sicque cum summa *** super Ecclesiæ sanctæ statu ac viduitate diu tractantes et plurimùm inter sese volventes, major tandem pars sibi salubre consilium repererunt, quoniam unanimes in Domini auxilio perstiterunt ; aversa pars altera diversi diversa senserunt, schismatici schismatica opera concitaverunt, sed parùm in hoc profecerunt, nam domino Alardo Archidiacono adhæserunt. Major pars, ut superiùs prælibatum est, et sanior, oculo puritatis et columbinæ simplicitatis mala totius patriæ utcumque prospicientes, nihil melius apud se diu volventes ac tractantes, nil honestiùs reperire valentes quatinùs sibi et Ecclesiæ Dei sanctæ Petrum admodùm adolescentem eligerent in patrem, ut per D
eum Dominus pacem urbi, omnique populo patriæ concederet ; auxilio Dei tandem hilari corde sibi Petrum statuerunt in patrem, ætate quidem juvenem, sed nobilitate insignem, utpotè Theoderici Comitis filium, fratremque duorum Comitum insignium, Philippi Flandriæ Comitis atque Matthæi Boloniæ Ducis. Huic electioni factæ pars major et sanior unanimiter ac fideliter assensum, omnes Abbates et quidam Archidiaconi, cives urbis præbuerunt ; Alardum Archidiaconum cum omni ejus parentela ad horam refutaverunt. Comiti Theoderico et fratribus omnia hæc gesta super electione facta citiùs nunciantur ; læti ultra modum efficiuntur. Statim pater pro filio, fratres pro fratre, Domino immensas gratias referunt ; Comes cum filiis omnibus personis totius Episcopatûs Cameraci, Abbatibus, Archidiaconis, majoribus, minoribus, cum urbis habitatoribus, cum maxima devotione super facta electione gratiarum actiones reddunt. Petrus E
verò adolescens, his auditis et cognitis, valdè mœstus efficitur. Post hæc Comes Theodericus cum filiis novâ luce referti, pro gaudio ab Ecclesia Cameracensium suscepto, inito consilio et accitis notariis suis, domino Frederico Imperatori super electione facta, pater pro filio, fratres pro fratre scripta sua studiosè direxerunt, non solùm Imperatori, verùm etiam super hoc negotio maximè Imperatrici ; quoniam neptis erat Theodorico Comiti domina Imperatrix, quæ fidelis eorum scriptis semper extitit in omnibus auxiliatrix. In hac ergo legatione, Abbas quidam Montis S. Martini officio est functus, ex parte Camera-

(*a*) Lege A. nimirùm Almaricus sive Amauricus, qui anno 1167 obiit ex chronico Nangii, Annalibus Cisterciensibus et speculo Vincentii Bellovacensis, idque v Kal. Julii ex necrologio Silvanectensis Ecclesiæ.

Digitized by Google

censis Ecclesiæ assignatus, vir linguis eruditus et vitâ religiosus, atque ex parte domini Theoderici Comitis quidam milites nobiles et eruditi viri, de propriis familiaribus suis acciti. In hac legatione Missi pari assensu, pari voto et corde perfecto epistolas secum portantes profecti sunt. Abbas prædictus epistolas secum habens sigillatas Archidiaconorum sigillis, totiusque B. Mariæ Virginis Capituli assensum, omniumque Abbatum et civium urbis utile scriptum deferens, tamen unum assignatum sigillo B. Mariæ Virginis nequaquam fratres Capituli, neque cives urbis B. Mariæ sigillum habere valuerunt; quoniam dominus Alardus sigilli custos erat, qui omninò in quantùm valebat, cæteris resistebat. Aversatrix pars pro domino Alardo domino Frederico Imperatori per quemdam pseudo-Abbatem de sancto Gisleno, nomine Gossichinum, virum adplenè litteris eruditum, sed scelestum et profanum, illo tempore Remensi ab Ecclesia jam damnatum et depositum (*a*) per talem et per prædictum litteras bullatas per sigillum B. Mariæ absque assensu Capituli fallaciter ac inutiliter direxerunt, ponentes scriptum in eis mendax, omnium Archidiaconorum, Abbatum et omnium civium sese habere assensum idoneum; insuper et domini Balduini Comitis Hainoensis, et omnium Procerum terræ Cameracensis, sanum testimonium super domini Alardi Archidiaconi electione facta digna et justa, ubique in aula regia celebri voce affirmantes, quæ postea vilis est habita, et justè cassata : quoniam Imperatori falsa detulerant, ut in subsequentibus veraciter proferemus. Namque nuncii domini Alardi nuncios domini Comitis et urbis anticipaverant, Curiam cum mammona deceptoriæ artis intraverant, diligenter Imperatorem verbis deceptoriis salutaverant, sibi plures aulicos illexerant, plurima majoribus Curiæ dona tribuerant, et ampliora sese daturos pluribus munera spoponderant, si electioni prædictæ domini Alardi optimi auxiliatores permanerent.

Prosequamur nostræ seriei ordinem : quid acciderit litterarum portitoribus Capituli electionis sanctæ, unà cum Flandriæ Comitum nunciis, scriptis diligenter cæteris * assignemus futuris. Priores nuncios domini Alardi dominus Abbas Montis S. Martini post triduum, cum Flandriæ Comitum legatis iter suum properantes, subsecuti sunt, Papiam urbem tandem gaudentes intraverunt; priorum nunciorum domini Alardi nullius fallaciæ timorem habentes, devotissimè

* *f.* sæculis.

domini Regis majestatis præsentiam requisierunt, inventamque, ut dignum erat, cum omni diligentia ex parte totius B. Mariæ Capituli, Abbatum Episcopatûs, Archidiaconorum Ecclesiæ, urbisque civium salutaribus verbis salutaverunt, litteras quas secum detulerant, protinùs domino Regi præsentaverunt. Nondum his ad plenum completis, astabant Theoderici Comitis et filiorum nuncii magnificè Imperatorem verbis pacificis salutantes, Regi quas secum attulerant epistolas offerentes. Postea dominorum suorum seriatim negotia domino Regi exponentes, tandem finem complentes, ab eodem gratanter et honorificè resalutati, et amicitiæ verbis et actibus remunerati sunt. Nam dominus Heros prædictos Principes sciverat nobiles ac valdè potentes plurimùm apud sese valere, maximè quia eos jam noverat affines et cognatos affore Imperatrici sibi conjunctæ, illorum legati propter eorum reverentiam ab eodem Rege honorificè sunt recepti. Dominus Rex nuncios prædictos lætâ facie respexit, benè venisse jocosè intulit : « Jubeo fieri pro dominorum vestrorum reverentia, quatinùs » apud nos mansionem faciatis, et dabuntur vobis ex stipendiis nostris ciba» ria omnibus cum vestris animalibus ». Inclinatis cervicibus domino Regi, gratiarum actiones reddiderunt præsentes Missi, his auditis; nostrates verò, quamdiu illis placuit, stipendia Regis abundè susceperunt; quandò verò voluerunt, hospitia sua infra urbem petierunt. Post hæc Philippi Comitis mandatorum ipsi memores, curiosè loci opportunitatem quærebant, quomodò soli cum sola Imperatrice loqui valerent, sicuti a dominis suis institutum erat illis in Flandria. Illis verò in talibus occupatis, contigit hujusmodi præsidium illis divinitùs fieri. Nunciatum nempe Reginæ fuerat advenisse Flandriæ nuncios apud dominum Imperatorem. Regina mox ardore fervens, functæ legationis causam

(*a*) Nullum exhibent S. Ghisleni Abbatem nomine Gossichinum Galliæ Christianæ Auctores. Verùm Enguilberto seu Engelberto hujus loci Abbati, anno 1164 e vivis erepto, proximè subjiciunt Leonem anno 1170 vel etiam seriùs demortuum, cujus tamen nomen primùm comparet in charta Hugonis Regitestensis Comitis, data anno 1166 ex chartulario S. Remigii Remensis. Collocandus itaque Enguilbertum inter et Leonem videtur Gossichinus, cujus depositio, quam commemorat scriptor noster, intra biennium contigerit. Neque enim fas est Auctori coævo atque oculato testi hac in re contradicere.

Digitized by Google

investigans, diligentiùs pro vero sciscitans et intelligens, advocans concitò ex A
propriis astantibus fidelem, illique præcipiens quatinùs cognatorum suorum Flandriæque Comitum legatos requireret, honorificèque sibi præsentaret; præsentati verò Reginæ refecti sunt grandi jucunditate. Astantes quippè Reginæ honestè salutaverunt Reginam, ab illa diligentiùs resalutati atque sunt honorificè recepti. Deinde ex statu Flandriæ ac cognatorum suorum Comitum incolumitate diu sciscitans, tradiderunt Reginæ domini Philippi signa, quæ sibimet in Nativitate Domini causâ cognationis et amicitiæ magnæ in invicem pepigerant vel composuerant. Remisit Reginæ Philippus Comes cum litteris sigillatis illa signa, quatinùs per Reginam super fratre suo obtineat quæsita præsidia. Litteris autem lectis, et aure percipiens causam legationis cum remissis signis, ultra modum hilarem sese legatis ostendit, aperiensque os suum : « In veritate comperi ve-
» ridicos fore nuncios cognati nostri Philippi, Regina infit. Oportet nos dili- B
» genter ex dominis ac nepotibus nostris vocem audire, sollicitè pro negotiis
» illorum curam habere, auxilium illis utcumque præbere. Quippè spondeo,
» promitto, quantociùs devotam auxiliatricem illis nos fieri, ut præsens nego-
» tium postulat, vel amici nostri nobis mandant, vel dulcia signa nobis remissa
» repetunt. Affectuosè vobis Missis annuncio : ingrediar verò citiùs ad dominum
» Regem, quatinùs pro nepotis nostri electione gratiam cum salute obtinere
» valeamus, vestri curam certo fine compleamus; opprimentiumque vos partes
» dono Dei et nostro suffragio cassabimus ». Siquidem aures Reginæ primitùs allata fama introierat, partem adversatricum Episcopatum Cameracensis Ecclesiæ quærentium advenisse, pluresque aulicos fulvo metallo jam partim corruptos intellexerat, muneribus et vasis datis corda Curiæ Magnatorum in auxilium sibi utcumque adtraxisse. Unde spem maximam obtinendi Episcopatûs dignitatem C
gloriabantur, et quasi potentes in potentia prævaluissent, nostrates ubique adversabantur. Nec diu promissis domina Imperatrix distulit, quin ingressa ad Regem, ut legatis nostris ordinaverat, sicque adstans coram Rege claro sermone secreta cordis eructavit : « Astamus quippè domino nostro Regi, non præsumentes in
» audacia nostra, sed in gratiam vestri, quæ in nobis uberrimè redundat. Ne-
» quaquam, Princeps sublimis, nos existimes præsumptione vel arrogantiâ fortè
» aliquâ conspectui vestro astare; sed potiùs humilitate ac mansuetudine, pros-
» trato corpore, submissâ voce, per gratiam vestri petitionem nostram cupimus
» vobis ostendere. Petitio autem nostra hæc est : domino nostro Regi si placet,
» petimus a domino Rege quatinùs Petro nepoti nostro, germano Philippi
» Comitis Flandriæ, Cathedra sedis Cameracensis detur ». Imperatrix suæ petitionis seriem peroravit. Rex Reginæ sic responsum reddidit : « Amantissima D
» nostra, petitionis vestræ auditu sonum comperiens, nec in animo parvipendens,
» sed diligenter amplectens et opere implere cupiens, nequaquam petita vestra
» vobis absque nutu et consulto Curiæ et Principum adimplere satagimus. Dulcis
» soror et amica, ne diffidas, quoniam vestram et amicorum vestrorum petitio-
» nem non refutamus; sed utcumque tempus administraverit, hanc suscipien-
» dam et honorandam ac sublimandam fide et opere parati sumus. Protestamur
» vobis pro certo, allatæ sunt nobis et Principibus Curiæ aliæ litteræ primitùs,
» pro cujusdam Alardi Archidiaconi electione, quæ in conspectu omnium Prin-
» cipum Curiæ et assistentium nobis fuerunt præsentatæ; utrorumque verò elec-
» tiones in Curia nostra assensu nostro ac Principum discutiendæ sunt. Nam, amica
» nobis, cuncta pro vero noveritis : in Curia nostra primæ litteræ jam apud nos
» plures intercessores ex Principibus locum obtinuere; sed nostra semper fidelis, E
» benè confidas, quoniam vobis ac vestris bonum faciemus ».

Dominus Imperator Fredericus parti Reginæ sibi associatæ sanè favens, Duces ac Principes adgregans, ex altera parte legatos Cameracensium utrarumque litterarum ferentium ante se advocans, eorum electiones in præsentia sui et Principum jussit recitare ac discutere, quatinùs pleniùs veritatem gestæ rei Principes intelligerent, lanceque veritatem discernerent. Litteris recitatis utrarumque partium, et a Principibus diligenter auditis et examinatis, nihil veriùs intelligere valentes, Principum adstantium judicio rei gestæ veritatem scrutantium, electio cum litteris domini Alardi cassatæ sunt, quoniam minùs in sese veritatis continentes, ab illis justè in Curia condemnatæ ac viles reputatæ sunt. Tamen quibusdam Curiæ de majoribus judicium displicuit, quoniam non est actum ut

Digitized by Google

A pecuniâ corrupti extiterant *, nec veritati contraire omninò quibant ; nam dominum Alardum ubique litteræ Capituli et Archidiaconorum Ecclesiæ, et Abbatum ac civium idoneum testimonium, quod in litteris suis falsè posuerat, adversabantur. Idcircò spretus est ipse et sui cum muneribus datis : Curia omnis litteris Capituli Ecclesiæ Cameracensis, ac litteris Flandriæ Comitis assensum fideliter astipulaverunt.

* existimaverant.

His hujuscemodi completis, Regina ingenti gaudio afficitur. His auditis, nostrates nihilominùs lætitiâ magnâ replebantur, quoniam adversarii eorum in Curia voce publicâ falsi delatores adjudicabantur. Nostrates quippè longitudine itineris valdè aporiati, reditum cum licentia sibi dari optabant ; ex providentia verò domini omnia providentis actum est, ut dominus Imperator post hæc consilio Principum Curiæ sibi Reginam præsentari juberet, quæ præsentata et ads-
B tans, Dominus Rex in hæc verba prorupit : « Nostra sociata semper fidelis et » cara, concedo vobis et amicis vestris Cathedræ sedis Cameracensis dominium » Ecclesiæ, ut petisti et amici vestri vobiscum petierunt ; vos pro nepote vestro, » illi super fratre suo ». Domina Regina intelligens sibi dici talia nimis efficitur læta. Pro collatis beneficiis domino suo Regi statim gratiarum actiones immensas reddidit. Mox dominus Rex cum Regina legatos prædictos sibi advocantes, licentiam remeandi quam diu optaverant tribuentes, datis litteris et signatis a domino Rege, Rex illis ait : « Revertentes revertimini ad regiones » vestras cum fiducia. Dominus Abbas salutet personas Ecclesiæ cum urbis civi-
» bus ex parte nostra. Flandrenses dominos suos et amicos suos ex parte nostra
» et Reginæ salutent ex gratia. Missuri sumus nuncios nostros cum epistolis ci-
» tiùs ad urbem post vos, qui cuncta Capitulo et civibus nostris secundùm
C » libitum nostrum exponent, et amicis Reginæ petita bona et impetrata solli-
» citè pronunciabunt ». Cum hac quippè spe ac fiduciâ legati nostri revertuntur ad propria.

Officio suo apud Curiam utrique Missi peracto, discedunt a Curia, ut prælibavimus, ad proprios dominos revertentes cum pace et lætitiâ. Dominus, inquam, Abbas Montis S. Martini cum sociis et cum ingenti fiduciâ rediit ad Capitulum B. Mariæ, a quo missi extiterant. Occurrunt illis statim omnis Ecclesiasticus ordo cum gaudio et cum civibus urbis. Deosculatus verò ab omnibus, dominus Abbas omnes salutavit ex parte Regis ac Reginæ. Deinde dominum Abbatem ex pluribus sciscitantur, scire cupientes actionis suæ modum apud Curiam. Exposuit illis plurima incommoda ex parte sibi contradictoria ; quid illi contigerit in Curia, quomodò ipse et sui auxilio Reginæ postmodùm in gratiam
D sint recepti, seriatim peroravit. Certas secum non ferentes litteras, tamen dominum * quæsitum in spe bona et firma habendi omnes posuit ; sed tarda missio legationis Imperatoriæ promissæ aliquantulùm nostrates postmodùm fecit titubare. Goscichinus pseudo et falsus delator, Abbas S. Gisleni nuncupatus, pro quo apud Curiam ierat, satis ignominiosè absque gratia ad eumdem revertitur, fallaciâ suâ domino Alardo et amicis illius hilarem vultum extrinsecùs ostendens, ab interioribus suæ magnæ pravitatis ubique odorem spargens, nec errori suo modum imponens ; sed domino suo Alardo et pluribus dementans, apud Curiam Regis cuncta sese pro quibus perrexerat impetrasse, pro vero pronuncians et affirmans. Quandoquidem totus extiterat error homo præfatus, ut ostendimus, meritò restat ut errare quosdam post se locutionis suæ assertione fecerit. Flandrenses quippè Missi cum regiis litteris ad dominos suos cum lætitia revertuntur, do-
E minis suis gratiam pro quibus apud Curiam perrexerant magnam invenisse, fiduciamque Episcopatûs Cameracensis obtinendam non dubitativè pronunciantes, sed veraciter affirmantes. Salutationes nempe Imperatorias dominis suis ex parte illorum repræsentantes, et gratiam quam apud utrosque ex parte dominorum suorum in aula regia obtinuerant, quàm benignè Rex eos receperit, quàm lætâ facie Regina, quàm auxiliatrix devota illis extiterit, relatione fideli vix explanare valebant. Auditis his, pater cum filiis admodùm sunt jucundati. Postea valdè ad horam sunt iidem Duces mœstificati, in Imperatoria legatione diu expectata, quoniam et ipsi de salute promissa non modicè desperaverunt. Tandem circa omnium Sanctorum solemnitatem urbem Cameracensem Missi a Rege cum epistolis regiis intraverunt.

* f. donum.

Proferemus ut memoriam de pluribus teneamus, quòd cùm tarda Regis pro-

Digitized by Google

crastinatio quosdam patriæ Principes valdè lætos efficeret, nostrates interiùs corde A
* An. 1167. attriverat. Dominicâ * ante omnium Sanctorum solemnitatem, ut prælibavimus, omnes Ecclesiæ personæ in unum adgregatæ sunt, quasi domini sui Regis obedientiam audituræ, jus et præceptum imperiale gratulabundæ suscepturæ. Spes plures fefellit ; quoniam aliud illis evenit. Missi tandem a domino Rege cum epistolis regiis in urbe cum gaudio ab omnibus recepti extiterant. In hac legatione officio functus idem Abbas S. Remacli, cum quibusdam personis qui omnes parti domini Alardi et electioni, in quantum poterant, favebant. Illud periculum citiùs divulgatum est infra urbis mœnia et coram populo; fit tumultus maximus in urbe, quòd nequaquam Abbas prædictus et socii electioni Ecclesiæ et urbis non assentirent. Idcircò vociferantes sese unà conglomerantes, fit ex illis mox non modica turba, quodam milite Fulcone ductore ; ante processionem peractam B. Mariæ semper Virginis Ecclesiam intrant, timentes ne per B
legatos missos eorum electio minueretur vel cassaretur. Animata tandem consilio et auxilio ejusdem Fulconis turba prædicta, cœperunt voces immensas emittere : « Non alium omninò recipiemus dominum præter Petrum Electum nostrum, » Theoderici Comitis Flandriæ filium ». Clamaverunt hæc vel bis vel ter. Ex hac enim vociferatione legati et adversarii Ecclesiæ et electionis prædictæ retrorsùm omnes abierunt. Nondum Regiæ legationes Ecclesiæ personis et urbis civibus expositæ extiterant. Missi tandem a Rege valdè aporiati, quoniam non tracturi erant ad libitum illos, tamen vellent nollent, Clericis et civibus imperium legationis suæ apertè dilucidaverunt. Dominus autem Imperator in litteris suis omnibus Ecclesiæ personis et civibus gratiam sui affectuosè mandabat. Mandabat rursùs propter duas electiones quæ ante sese præsentatæ ab altercatoribus extiterant, ut unam et meram electionem infra spatium dierum sexaginta perage- C
rent ; hoc spatium a domino Rege obtinentes eligendi quemcumque vellent. In litteris suis priùs Rex discretè scribi jusserat, de Petro Theoderici Comitis Flandriæ filio, si placeret Ecclesiæ personis ac civibus, non illud sibi displiceret, imò complaceret, et assensum suum per omnia sanè præberet in ejusdem prædicti electione. His cognitis et auditis, turba urbis præ gaudio vocem exaltat in sublime. Clerici cum populo nihilominùs pari voto spatium obtinentes eligendi quemcumque vellent, Theoderici Comitis Flandriæ filium feriâ sextâ post
* An. 1167. festum S. Nicolai * diligenter elegerunt. Celeri nuncio patri cum fratribus Cameracenses super electione facta rursùs mandant, quatinùs citiùs Clericis et civibus accurrerent, secumque Electum prædictum adducerent : qui statim adducentes secum Electum, Clericis ac civibus urbis illum præsentantes, mox illum rapuerunt, in Dei Ecclesiam intronizaverunt, in sede pontificali cum maximo tripudio statue- D
runt, Clerici *Te Deum* devotè cecinerunt. Actum est feriâ quartâ, quâ dies celebris festa B. Auberti Præsulis in urbe solemnizabatur, id est Iduum decembrium.

Stellæ in cœlo micantes visæ sunt nono Calendas Januarii, sic sibique ad invicem convenerant, quatinùs trium spatio pedum separatæ non æstimarentur, scilicet Mercurius et Venus. Fulgor stellarum, et aspectus earum, mortalium hominum corda valdè absterruerunt.

Inter hujus mundi naufragia prodest parùm pluribus gazarum copia. Nam mors suspecta atque repentina, quæ semper clamat, *Affer, Affer*, vox est serpentina, corrodens mortalium interiora, devorare non cessans donec cunctos perducat ad interiora ; mors nimis amara obruit quæque majora. Theodericus Comes Flandriæ, strenuus armis, provectus ætate, post plurima periculorum certamina, postque præclaros nonnullos actuum suorum labores (nam Jerusalem E
quater vir nobilis repetiit, et rursùs iter suum, Domino providente, Jerusalem cupiens revisere satagebat) omnique terrâ jam sedatâ post concordiam cum filiis ordinatam, hoc anno (*a*) præventus morte, felix Princeps dormitionis diem a Domino felix feliciter accepit. Sepelitur tandem a filiis suis circa Epiphaniam honorificè in Ecclesia B. Mariæ semper Virginis Watiniensi, quam struxit Comes Robertus avunculus suus rediens Jerusalem. Hic talis ac Princeps emeritus secundo Nonas finitur, et feriâ sextâ quod extitit Nonas Januarii cum ingenti planctu in antro diligenter reconditur.

Hyems gravis extitit, incipiens a decimo Calendas Januarii et usque ad deci-

(*a*) Theoderici obitus in annum 1168 cadit a Januarii Kalendis inchoatum. Anni autem initium ducit Lambertus a Paschate vel a 25 Martii die.

Digitized by Google

A mum septimum Cal. Aprilis perseveravit, infra quod terminium nec seminare nec arare homines quidpiam valuerunt. Pestis valida pecudum et apum subsecuta est.

Anno MCLXVIII. Antiquo incitante adversario, rursùs ad omnia bella inter sese facienda Reges post Pentecosten præparant suas munitiones. Inde dolor et gemitus maximus in populo efficitur. Reges diu inter sese præliantes et multa mala machinantes, ex fallaci superbia inflati populum Dei ex utraque parte igne et ferro graviter vexantes, tandem nutu Dei in die Sancta Epiphaniæ (*a*) Rex Angliæ adveniens, suamque superbiam confitens, cum omni humilitate domini sui dominium palàm recognoscens, ac de transactis veniam quærens et impetrans, fidelitatem amodò Regi Franciæ servandam in perpetuum spopondit.

Luna visa est amisisse lumen claritatis suæ, decimo tertio Calendas Octobris, mediâ nocte, ut multi illam aspicientes mirarentur de subita ejus obfuscatione,
B cùm plenariè tamen a pluribus cernebatur, nec lucebat, sed potiùs colorem sanguineum obtinebat (*b*).

[Post] orbitam solaris transactam, et electionis discordiam omnem sopitam, dominus Petrus Electus noster consilio et auxilio fratris sui Philippi Comitis Flandriæ utcumque corroboratus, impensisque totius itineris præparatis quæ ad tam magnum negotium convenienter congruebant, tandem circa festum S. Michaëlis Archangeli *, iter suum cum maximo comitatu et apparatu honestè aggreditur; * An. 1168.
sicque ad castrum *Gendanse* * illinc pervenitur. Ordinans verò illic qui secum * L. *Gordense*
ad Imperatorem proficisci deberent (Abbates quippè urbis ad propria cum pace remisit) quosdam Ecclesiæ Archidiaconos cum quibusdam majoribus urbis secum retinuit; Aquisgranis cum omni apparatu suo incolumis pervenit, ubi a Domino asperis febribus coartatur. Post dies aliquot ex sua ægrotatione convalescens, iter
C suum rursùs arripiens, portas urbis Coloniæ ingreditur, ubi a pluribus honorificè veneratur ac suscipitur. Illic quippè nostro Electo facti sunt obvii principales Imperatoris nuncii; tres isti famosi sunt, dominus H. (*c*) Coloniæ Archiepiscopus, dominus H. * Maguntinæ urbis Archiepiscopus cum Duce famosissimo Saxoniæ * *Corr.* C. *id est,* Christianus.
[Henrico] qui ex domini Imperatoris parte ad utrosque Reges, scilicet Galliæ atque Angliæ, pacis causâ reformandæ dirigebantur. Qui Electi nostri adventu nimis jucundati atque exhilarati, lætitiâ ingenti affecti, suasoriis verbis illum ex parte Regis conveniunt, proferentes domino Regi ac Reginæ placere, si retrò secum in legatione comes et ductor revertatur. Verum quidquid ab illis proferri audiebat credens, sic ad horam extitit deceptus; nam Regi et Reginæ displicuit illud opus, quoniam præstolabantur adventum ejus. Tandem illis socius in via sociatus revertitur, ex cujus ducatu plurimùm securiores effecti, post proprias re-
D giones transactas, Cameracum intraverunt. Intrantes in urbe prædicta, ab ipso Petro et ab omnibus Clericis et civibus accuratissimè, ut decebat, sunt recepti, quibus Principibus etiam obvius Comes factus est Philippus: quos omnes deosculans et cum eis in urbe cum maximo tripudio remanens, de omnibus stipendiis ab eodem Comite providè ac diligenter II Idus Octobris procurati sunt. Postea illis ducatum usque ad Reges præfatos cum temporalibus stipendiis diligenter præbuit. Cum Regibus nuncupatis diu sermonem procrastinantes legati Theutonici regni, de statu sanctæ Ecclesiæ ac de pace Regum inter eos reformanda diu apud sese tractantes, tandem finem dederunt. Nam directi a domino suo Imperatore super hoc negotio admovendo advenerant. Finem sermonibus dantes, gratiâ a Regibus legati ad propria remeandi quæsitâ benignèque ab eis concessâ, iter suum rursùs per Cameracum dominus H. * Archiepiscopus Maguntinus cum ex- * *Corr.* C.
E cellentissimo Duce Saxonico reflectuntur; Electum nostrum dominum Petrum in urbe reperiunt, secum honorificè ad Imperatorem reducunt, affectuosè domino Regi commendant, sicque illum cum fratribus apud aulicos Regis virtute, potentiâ, nobilitate magnificè magnificant; a domino Rege cum pluribus Curiæ amplexatur, deosculatur, honoratur noster Electus. Postea domina Imperatrix cum præsentibus nunciis, viris eximiis, dominum Regem pro nostro Electo exorabant, quatinùs gratiâ sui dignitatem Cameracensis Ecclesiæ præsenti Electo a dominio ejus requisitam absolutè cum Consulatu totius patriæ concederet. Nec diu distulit Heros. Inflammaverant petitiones Reginæ ac istorum Principum ani-

(*a*) *Anno gratiæ* MCLXIX, inquit Gervasius Dorobernensis, *convenerunt Reges et Principes die Epiphaniæ apud Montem-mirabilem, de pace jam formata collocuturi.*

(*b*) Lunæ centralis erat eclipsis quam ephemeridibus suis notarunt Astronomi.

(*c*) Lege P. id est Philippus, qui tum sedi Coloniensi post Rainaldum præerat.

Digitized by Google

mum Regis in amicitiam Electi nostri vehementer. Hilari vultu post hæc dominus Rex coram sese dominum Petrum advocans et statuens, in præsentia totius Curiæ ac Principum tradidit illi Præsulatûs fastigium, patriæque Consulatûs dominium, sic proferendo : « Quæ juris nostri sunt in terra illa habenda et possi- » denda infra et extra vobis in dono amodò concedo tenenda. Præcipio etiam » vobis auctoritate nostrâ et dominio, ut quidquid a Comitatu, nemora, oppi- » da, munitiones, et si qua sunt alia, fraude, vitio, negligentiâ antecessorum » tuorum noveris ablata vel perdita, omninò Ecclesiæ sanctæ et Comitatui res- » tituas tuâ et amicorum potentiâ. Jubeo quippè pro his omnibus a te nobis » hominium fieri coram Principibus regni ». Et factum est. A

Post hominium datum, instabat dominus Archiepiscopus Coloniensis adversùs nostrates, in quantum valebat et poterat voce et actu adversabatur, immemor honoris Ecclesiæ sibi exhibiti; et domini Petri factum habebatur. Suggere- B bat quippè domino Regi quatinùs D. Petrus cum Ecclesia Cameracensi subjectionem faceret Ecclesiæ Coloniensi. Electus verò noster cum præsentibus Ecclesiæ filiis ista cognoscentes et audientes, gravè ferebant, nec ejus vocibus adquiescere satagebant, sed viriliter in facie illi resistebant. Tandem nostrates valdè ab Archiepiscopo aporiati super hoc negotio jam extiterant. Unde dominus Electus

* *Corr.* C. Petrus convocans ad sui consultum Reginam et dominum H*. Maguntinum Archiepiscopum unà cum domino Duce Saxonico, viro utcumque honestissimo, quorum semper forti munimine protegebatur ab omni insidiantium infestatione, consilio peracto, reversi sunt unanimes coram domino Rege. Adstantes quippè Regi Regina cum nuncupatis Principibus, exorabant dominum Regem quatinùs D. Petrum cum suis liberè et absolutè sui gratiâ ad propria remeare permitteret. Sic sic sunt auditi Regina cum Principibus dictis et exauditi, eruerunt- C que dominum Petrum cum Ecclesia Cameracensi a subjectione domini Archiepiscopi Coloniensis. Electus noster cum suis dominium Coloniensis Ecclesiæ evasisse gaudentes, Remensis Ecclesiæ subjectionem antiquam magis retinere ferventes et ex majori dilectione habentes, utpotè matrem spiritualem utcumque amplexantes et diligentes, post sopitam controversiam ex nuncupata Cameracensis Episcopatûs subjectione, D. Petrus noster Electus, quæsitâ benignè a domino Rege remeandi licentiâ, sicque gratanter acceptâ, revertitur cum suis ad propria cum omni prosperitate et gratia. Epistolas verò Regias secum advehens, personis Ecclesiæ, civibus urbis, Principibus patriæ missas, in sese omnia jura patriæ prædictum nostrum Electum de manu Regis suscepisse continentes et affirmantes, et ut omnes illi a maximo usque ad minimum obediant, ab auctoritate legali universaliter omnibus præcipitur. Placuit domino Regi quatinùs per eas- D dem epistolas cuncti plenariè intelligerent donum Episcopatûs cum Consulatu patriæ sibi confirmatum regaliter et in via sua sancitum. Noster quippè Electus

* An. 1168. urbem remeans cum suis, circa festum S. Nicolai * sospes et cum gaudio ingreditur, ab omnibus solemniter suscipitur; sicque a personis Ecclesiæ cum grandi strepitu rapitur; in majori sede, ut decebat, intronisatur, sublimatur; *Te Deum laudamus* a dominis Ecclesiæ cum jubilo reboatur. Hymno Dominico sic completo, Electo prædicto domini Ecclesiæ cum cæteris pluribus approximant, causâ fraternitatis et amicitiæ sanctæ illi pacis oscula tribuunt. Post hæc quidam illi hominium faciunt, quorumdam securitatem illorum recipit, reddens unicuique feodum suum, secundùm quod erat sibi propriè proprium habere licitum. Post hæc terra Cameracensis pacem, Domino concedente, obtinuit, et Petro principante diu siluit. Ab ordinationis verò suæ diu amotus est die, ob dis- E cidium grave sedis Apostolicæ....

Anno MCLXIX. In procemio hujus libri subnotavimus, quoniam nostræ memoriam prosperitatis seu adversitatis quotannis in hoc opere describere sanè decrevimus. (*Narrat hìc adversâ valetudine hoc anno se conflictatum.*)

Fredericus Imperator Reginæ consilio, atque Archiepiscoporum seu Episcoporum, Ducum ac Comitum, sive Procerum Theutonici Regni, filium suum Aquisgranis in Regem sublimavit in die Assumptionis B. Mariæ semper Virginis. Illic quippè et dominus noster Petrus Electus cum cæteris advocatus interfuit, utpotè nepos Regis consecrati.

* An. 1169. Idus Septembris * Milo Episcopus obiit Morinæ urbis nuncupatus, vir religiosus atque plurimùm morigeratus.

In

Digitized by Google

A In Septembrio * qui missi a Rege et a domino Patriarcha atque a cæteris confratribus Christianis in terra Jerusalem habitantibus nuncii fuerant, tandem Franciæ terram post multa maris naufragia intraverunt; ut illis injunctum extiterat, Regem Franciæ recto tramite quæsierunt, Parisius, Domino disponente, repetunt, causas legationis suæ cum luctu et gemitu Regi et cæteris fidelibus partim explanaverunt. Denique Regi tradentes epistolas quas secum detulerant, missas a Rege et a domino Patriarcha et ab omni populo, cum clavibus urbis portarum Jerusalem cum ingenti mœstitia et clamore reddiderunt. Lectis verò epistolis atque Regi et omnibus astantibus diligenter expositis, luctuosè opprimi a Sarracenis regnum Christianorum auditu intellexerunt, cum amissione turrium multarum patriam observantium. Animo Rex pro afflictione Christianorum sive pro expugnatione turrium factâ attritus, præ dolore compassionis Christianorum B lacrymasse perhibetur; pari dolore Regi circumastantes cuncti lacrymas cum diris ejulatibus effuderunt. Postea nuncii ista Regi dicta ediderunt : « Christi Eccle- » sia Jerosolymitana omnisque orientalis christianitatis, specialiùs super omnes » Reges sive Duces, o Rex Francorum, auxilium a te, a populo tuo anxiè » efflagitat, ac studiosè requirit ». Rex igitur postea nunciis ista dulciter reddidit : « Dei gratiâ, voluntas nostra ad succurrendum semper parata est et erit » Dei regno ejusque populo ; sed plurimùm Regis Angliæ malignitatem atque » dolum vereor, ne nobis ac regno post discessum nostrum, si Dei populo et » civitati sanctæ succurrere voluerimus, insidietur. Unde, fratres, ejus studiosè » affectum perquirite, quantociùs properate, illum sanctis admonitionibus exci- » tate, quatinùs nobis populoque nostro cum populo suo socius fidelis fideliter » societur in hoc præsenti negotio, ut velociùs auxilium præbere valeamus peri- C » clitanti populo ». Præcepto Regis obtemperantes legati Jerusalem, volucri cursu petierunt Regem Angliæ, repertumque ex dominica voce salutaverunt; salutatoque Regi et Principibus causas suæ legationis, infestationes Turcorum, amissiones munitionum terræ Jerusalem, et quomodò ab avunculo suo domino Rege (*a*) et a domino Patriarcha et ab omni populo Christiano directi sunt, absque lacrymarum effusione præ dolore non valuerunt seriatim enodare. Rex ergo, his auditis, ex quadam animi dulcedine excitus, pro Christianorum miseriis suspirans, maximè avunculi sui Regis angustias, et procellas quas omni die ab infestantibus Paganis et Turcis patiebatur, rememorans, atque diu in corde revolvens, infra se Rex plangens oculos a lacrymis præ dolore cohibere non valuit. Postea legati fideles Regem prædictum sanctis admonitionibus exhortantes, atque animum Regis ex pluribus actis sciscitantes, animum Regis in amo- D rem et societatem Regis Franciæ componenda diu colloquentes, ad hoc laborabant, quatinùs inter sese Reges sociati Dei populo periclitanti auxilium velociùs præbere non distulissent. Sed Rex infidus legatos audire prorsùs distulit; atque de die in diem eos procrastinans, nihil boni vel veritatis ab eo reperire valentes, omni bono frustrati et ab eo tædio aporiati, tandem in Franciam sunt reversi, et a domino Rege atque Principibus patriæ honorificè sunt honorificati ac recepti....

* An. 1169.

De discordia Electi nostri domini Petri et civium facta huic operi placet aliquid ex ea ad memoriam futurorum interserere. Nam quædam scriptis commendantur ob sapientium probitatem retinendam seu recitandam, vel ob imperitorum cavillationem devitandam sive comprimendam. Ratus sum mihimetipsi super his studiis quoddam emolumentum satis profuturum, scilicet ut describere queam urbis E Cameraci civiumque in ea habitantium vecordiam, posteris quidem ad capessendam unitatem et pacem stilo brevi *** relationem, sicque legentibus nostræ relationis hìc exordium enucleemus intellectum. Sepulto quippè domino Nicolao Episcopo, nequaquam diu post ejus funus urbis cives distulerunt; sed protinùs in unum, ut vecordes nullius rationis utentes, conglomerati, Episcopalem Thunnii domum opere præclaram, quam vir excellentissimus cum summo studio et cum grandi labore impensisque magnis sibi suisque successoribus celebris celebrem statuerat et sublimaverat, repentè inito consilio, corde vesani, mente tumidi, nil boni attendentes, occupant; cunctaque sibi illicita licita sibi arbitran-

(*a*) Amalricus tunc Rex Jerosolymorum frater erat consanguineus Gaufredi *Plantagenet* Comitis Andegavensis, utpotè Fulconis Junioris primùm Comitis ejusdem provinciæ, ac deinde ad Jerosolymitanum regnum evecti, et Melisendis secundæ hujus uxoris filius. Proinde patruus, non avunculus Henrici II Angliæ Regis extitit.

Digitized by Google

tes, sic quæque domûs interiora opera præclara statim confringunt, partem illius habitationis solo tenùs obruunt, postea domui rogum imponunt. Post peracta ista, ut superiùs annotavimus, translato ab hoc sæculo denique Nicolao Præsule, Dei gratiâ providente, Petrus adolescens, juvenis ætate, nobilis genere, utpotè frater Philippi Comitis Flandriæ, Præsulatûs habenas felix feliciter obtinuit : qui mox adeptus dominium Præsulatûs, in sedeque propria intronizatus, firmiterque ex utraque parte radicatus, in eo citiùs plurimùm convaluit. Propria verò quæque sua utcumque perscrutans ac diligenter sciscitans, dominus Heros inter Episcopales ruinas statim reperit domum Thunnii a suis civibus indiscretè destructam esse ac combustam. Postea dominus Petrus Electus, accersitis personis Episcopii, atque illis denudans animi sui decretum, atque valdè conquerens super domûs Thunnii combustionem a civibus suis inhonestè peractam : « Idcircò a vobis quærens dari nobis posco, domini et confratres, » super hoc negotio salubre consilium ». Hæc autem proferens personis, siluit. Tractantibus apud se personis, domino prædicto super inquisitione sua optimè obtulerunt responsum : « Manifestamus vobis pro certo expedire ad cives vestros » de perpetrato damno vobis et Ecclesiæ peracto primitùs admonitionem publi» cam fieri, antequam illis aliquam injuriam machinetis ». Nec diu dominus Electus personarum suarum datum consultum distulit ; sed velociùs in præsentiarum sui majores Communiæ advocans, studiosè ab eis sciscitabatur qua de causa Episcopalem Thunnii domum destruxissent vel incendissent. Cives Electo, his auditis, mox parabolâ suâ patratâ, responsa reddiderunt incongrua : « Audi » clementer civium tuorum rationes, noster pie Princeps, quas nunc pro vero » vobis innotescimus. Jus fore nostrum et proprium per circuitum urbis nostræ » arbitramur, et abortiva quæque castra illicitè constructa potestatem obruendi » concessam ». Rursus hæc et addentes : « Possidemus supra nuncupata cuncta » in feodo a domino Imperatore, ut prælibavimus, atque nobis perpetualiter » sancitum affirmamus. » Plurima cives perversi perversè componentes inter alia retulerunt : « Bone domine, pro certo dignare intelligere hujusmodi veri» tatem, et non reperies in nobis nævi maculam. Nempe antecessor vester Epis» copus, nobis contradicentibus, inconsulte prædictum castrum construxit. » Idem quippè moriens rursùs nobis pro salute sua castrum solo tenùs obrui » mandavit ». Istud quippè cives penitùs mendosè protulerunt. Sic sic semetipsos assertionibus propriis illexerunt. Nequaquam dominus Petrus civium suorum falsam cavillationem sibi expositam veritus, sed plurimùm in personarum suarum autenticarum adminiculo fretus, civibus illicò in faciem audacter resistens, omnium mox civium prolocutiones vel assertiones ratiocinando veris responsis cassavit. Erigens autem sese erga cives suos, sententiam consultè protulit : « Urbani nostri, diligenter scrutamini atque considerate quid in præsentia nostri » personarumque auribus recognovistis et pertractastis. Mandatum habuisse super » domo Thunnii ab antecessore nostro domino Nicolao Episcopo bonæ memo» riæ obruendi plenariè vobis astipulatis. Quamobrem hujus relationis testes » idoneos nunc a vobis exigo ; alioquin per salutem Cæsaris profero : nisi testes » idoneos audiero vel videro, omnes vos hujus relationis cives falsos approbabo ». Pavore majori quàm credi potest cives urbis super responsis Electi auditis sunt perterriti et angustiati, quò se verterent penitùs ignorabant. Tandem sibi dari cives inducias ab Electo fraude petierunt, et gratiam diu respondendi obtinuerunt.

Interim cives perscrutantes apud sese plurima, meditantes quæque inania, tandem sibi valdè nocitura, litteras Imperatori per quosdam urbis majores adversùs dominum suum, Petrum scilicet, direxerunt contrarias cum ingenti gratiarum copia ; sanctum et insontem apud aures regias, civium et totius patriæ quasi tyrannum atque vastatorem divulgantes. Per hujusmodi facinus contra dominum Petrum Electum primitùs cum fraude cives insurrexerunt, laqueos insidiosè illi tetenderunt, parùm profecerunt ; sed valdè irritati sunt, in tantùm, ut quidquid domino Regi pro domini Electi accusatione obtulerunt, penitùs absque gratia amiserunt. Nam pecuniæ oblatæ Regi Reginæque, quæ neptis Electi Petri esse dignoscitur, valdè contrariæ extiterunt, sicque ab eodem omni bonorum sua prosperitate cassati sunt. Demùm ob legationis suæ dolum vix evasere periculum. Apud Curiam civium legati diu sunt nimis aporiati ; pars quædam nunciorum apud Curiam remansit, pars alia ad cives satis confusè reversa est ; quid

Digitized by Google

A sibi accidisset in Curia sociis dixere, seriatim detegentes incommoda. His cognitis et auditis, intrinsecùs mœstificatur omnis civitas. Quidam sciscitantes quomodò legati sese apud Curiam residui obtinerent, illis responsum est quòd affligerentur grandi pavore ac mœstitudine. Magis ac magis turbatur civitas. Circa quippè solemnitatem Sanctorum Omnium * urbis nuncii submisso vultu revertuntur, cum quibusdam legatis Regiis pecuniâ adductis. Civitas de adventu illorum spem perbrevem sibi speravit. Nam ut dicit proverbium : *aliquandò spes reficit, dominum fallit et ipsa suum.* Omnis civitas quæ lætata in adventu aulicorum legatorum ad horam non modicè exultavit, cum velocitate ab ea recessit spes omnis. Nam legati mercede adducti, postquam in præsentia domini Petri Electi sunt intronizati et auditi, utpotè mendaces, inhonorati sunt ab ipso domino et ab omnibus Ecclesiæ personis. Postea dominus Petrus Electus futurus An-
B tistes, intelligens quæ gesta a civibus in Curia extiterant, lætior efficitur ; sicque acrior, uti meruerant, contra perjuros suos assurgit, cunctos sibi infestos publicè denunciat, et ut hostes ab ipso et a suis amicis cives ubique amodò sese observent. Mœstificatur civitas omnis super Electi edictis.

* An. 1169.

Interim dum hæc et alia in curia Electi causidicarentur, a domino Archiepiscopo Henrico, petitione domini Philippi Comitis Flandriæ, directus est domino nostro Electo Petro Drogo quidam Sacerdos nomine, vir eruditus omnium sæcularium disciplinis, qui Electum juvenem erudiret, domumque cum rebus custodiret, leges ac patriæ jura decerneret. Assistens autem recens causidicus altercationibus Electi et civium, aperiensque os suum infit : « Si domino nostro » Petro et cæteris Ecclesiæ personis placeret, sententiam super his omnibus » utiliter darem, sicque altercationum vestrarumque partium finem imponerem ».
C Placuit omnibus personis sententia Drogonis : « Audiat, inquit, dominus nos» ter personarumque conventus. Isti dolosè contra Dei Ecclesiam dominumque » suum malitiosè omnique veneno referti egerunt ; Dei sententiâ interiùs per» cutiantur, et foris ab amicis vestris et hostibus merito proprio devastentur, » donec Ecclesiæ Dei et domino suo satisfactionem fecerint, et damnum plenariè » restituerint. » Placuit Sacerdotis consilium domino Petro Electo cæterisque personis astantibus. Cives statim obligati sunt Domini nostri gravi sententiâ. Civibus in stultitia sua perseverantibus, nec finem malitiæ suæ dare volentibus, Dei ligatura super eos perseveravit usque ad Purificationem * B. Mariæ semper Virginis, sicque Dei banno interiùs urbani arcebantur, gladio ac pavore hostium exteriùs merito suo cruciabantur ; namque spem ab illis nunciis qui Curiæ Regis remanserant, cives profuturam sibi sperabant, sed apud Curiam omni
D bono cum gratia caruerunt. Attriti hujuscemodi ex utraque parte valdè cives ac perterriti, videntesque quòd parùm apud Regis Curiam profecissent, munera sua sic amisissent, nec gratiam Curiæ alicujus juvaminis obtinuissent, corde ac omni robore dissoluti sunt. Demùm cives, vellent nollent, thorum cervicis superbæ submiserunt, stultitiam suam agnoverunt, a domino Petro Electo veniam malitiæ suæ sibi dari postulaverunt, gratiam cum absolutione ab ipso domino, sopitâ omni malitiâ, receperunt ; sicque Ecclesiæ dominoque Petro cives sexentas libras monetæ publicæ pro castri Thunnii destructione vel pro ejusdem restauratione persolverunt. Hujus relationis finem imponamus. Quare hæc scripsimus quærens, agnoscat ob sapientum probitatem ac laudem posteris commemorandam, insipientum quoque stultitiam devitandam.

* An. 1170.

Annus præsens pluvialis valdè contigit. Inundatio imbrium a mense Maio inci-
E piens ferè usque ad Februarium mensem pervenit. Ante festum B. Joannis Baptistæ quidam ventus gravis adveniens partem permaximam segetum prostravit, locis in diversis Oceani horrorem incussit, sed Dei misericordiâ ordinante, humano generi ex his aliqua molestia non contigit. Hyems quippè gravis et aquosa, fulmina in sese contra aëris naturam continens. Nam in Decembrio mense plurima tonitrua coruscationibus audita sunt, unde nonnullæ Oceani in insulis Ecclesiæ attritæ, maximè circa littora maris Flandriæ sunt periclitatæ, quinto Calendas Januarii. Februarius mensis ultra modum splendidissimus apparuit, copia vini defuit, quoniam aquarum inundantiâ deperiit. Ovium seu apum locis in diversis acerrima pestis desævit.

Jacobus filius Nicolai de Avennis post Pentecosten * multitudine permaximâ

* An. 1169.

Digitized by Google

coadunatâ, castrum *Valecurt* pugnando congreditur ; occisis interiùs plurimis, castrum sibi restituit. A

*Maufilastre. MCLXX. Ægidius natus ex Gerardo Malo-privigno * turrim de Businiis ædificare cœpit. Sapientes quidam patriæ plurima in corde volventes, futuris vaticinantes per gyrum commorantibus, opus illud patriæ detrimentum, Ecclesiæ Dei fore dispendium, superbiæ locum, hostilitatis castrum, impiorum receptaculum, sed piorum impedimentum fieri pluribus prædixerunt.

Philippus Flandriæ Comes cum equitatu maximo causâ orationis apud sanctum Ægidium cum devotione nimia perrexit, necne piæ intentionis incendio in-

* Roquemadour. flammatus, B. Mariæ memoriam de Scopulo S. Madonii * perquirens, munera quæ secum pretiosa detulerat devotè offerens, in Ecclesia illa votum suum persolvens, Deo et Genitrici ejus seipsum commendans, ad patriam cum prosperitate Dux ipse repatriatur, regni sui plebs omnis jucundatur, viduarum et orphanorum B corda super adventu tanti judicis relevantur, ab ipsis Jesu-Christo laudes immensæ pro domino suo Philippo sibi restituto redduntur.

Febris varia, pestis atque nociva nimis anxiari nos valdè incœpit ante festum S. Joannis Baptistæ ejusdem præclaræ Nativitatis, atque affligens corpus cum membris, horrorem nobis mortis incussit, vix nos tandem post plura incommoda reliquit.

Dux Lotharingiæ seu Lovaniensis adversùs B. [Balduinum] juniorem Hainoensem Comitem militari acie congrediens, intra sese militari more diu debacchantes, demùm ipse Dux cum copiis suis superatur, plurimùm dehonestatur ; ex parte cujus ultionis gladio nonnulli occubuerunt, plurimi vincti captivi ab hostibus suis flendo, ejulando per diversas terras sat ignominiosè deducti sunt. Ægidius miles de Sancto-Auberto cum suis dictus famosissimus et clarus in hoc prælio C ab omnibus est divulgatus ; nempe in certamine miles fortis hostibus ostendit quantæ fuerit probitatis. Actum est hoc III Idus Julii (*a*).

Ostensurus scriptis ætatis nostræ futuris accidentia, Duaci castri huic operi placet apponere diu lamentanda incendia. Dies nempe erat lætitiæ, cùm focus luctuosus ex castro consurgit horâ illius diei in meridie ; totius castri pulchritudo (duæ partes vel ampliùs) ab incendio rogi periit : ex quo etiam foco nonnulli (heu proh dolor ! flendo profero) tam cives castri quàm villarum alienigenæ occursantes rogo, in domibus sive in plateis incendio interierunt. Gazæ quippè

* An. 1170. illius loci ab incendio plurimæ perierunt. Decimo Calendas Septembris * (dies quippè Dominica celebrabatur ab omnibus in lætitia) flagellatione summi judicis qui decernit cuncta, habitantium illius castri lætitia illis ab eodem disponente vertitur subitò in flebili mœstitia. D

Anni hujus explanaturus laudes, insignia promamus sic hujus quoque sibi convenientia. Æstas quippè rutilans delectabilis extitit et sicca, florum frondiumque ornata, agricultura peroptima, vindemiæ bonæ ; pars ovium et apum residuarum transacti anni dedit beneficia. Viridaria cum nemoribus interiùs referta extiterunt omni copiâ. Augustus mensis nihilominùs calidus et siccus omnibus copiis abundans, Deo providente, humano generi attulit non modicè consolationem sive ubertate suâ pauperum relevationem. September cum Octobri omni abundantiâ ditati vini, panis, olei, ac mellis, pulchritudine solis, sanitate aëris, pomorum silvarumque copiâ extitit. Dignè huic tempori valeamus de prophetia comparare quod scriptum in ea reperitur : Dominus enim dedit benignitatem et terra nostra protulit verè fructum suum....

Henricus Remis Metropolis Archiepiscopus quemdam militem nomine Bal- E duinum, armis strenuum, bello eruditum, parentum fortitudine ac multitudine non modicè vallatum, ab urbe sua pro quibusdam causis pepulit, vehementer afflixit. Miles prædictus affligi sese utcumque reperiens, nec dominum suum posse flecti ullâ ratione ad sui gratiam obtinendam videns, recedensque flens, amicorum et parentum suorum, quorum non modicè fortitudine circumdatus extiterat, auxilium anxiè petebat. (*Cætera desunt.*)

(*a*) Gislebertus Montensis id prælium mense Augusto gestum fuisse tradit. Sed potior fides tribuenda videtur Waterlosio, qui diem notavit.

Digitized by Google

A

BREVIS ANONYMI APPENDIX (*a*)

AD BALDERICI CHRONICON CAMERACENSE ET ATREBAT.

Post istum Gerardum qui in ista Ecclesia, ut ferunt, priùs Monachos restituit, fratremque suum Eilbertum (*b*) Abbatem præfecit, domnus Lietbertus vir omninò sanctitate conspicuus in Episcopatu successit. Post hunc alter Gerardus. Post hunc Manasses, Suessionensis Ecclesiæ Clericus. Post hunc Galcherus, Tornacensis Ecclesiæ Canonicus. Post hunc Odo. Post hunc Burgardus.
B Post hunc Lietardus. Post hunc domnus Nicolaus, Gosuini de Montibus frater, qui anno Domini MCLXVII apud Valcellas obiit, sed ad Cameracum tumulandus honorandè translatus, sepultus est in vestibulo Ecclesiæ B. Mariæ, ante altare Sancti Johannis Baptistæ. Domno Nicolao successit Petrus, filius Theoderici Comitis Flandriæ, et rexit Ecclesiam annis IV : sed postea, ut erat juvenis, Clericatum deposuit et electionem Episcopi dimisit, et uxore acceptâ Comitissâ ***. Cui in Episcopio Cameracensis Ecclesiæ Robertus, qui dicebatur Præpositus Ariæ, successit, et rexit in electione Ecclesiam Cameracensem per V menses, et a complicibus Jacobi [de Avennis,] ut fertur, apud Condatum inter duos pontes interfectus est, et apud Ariam tumulandus translatus. Roberto Alardus Archidiaconus ejusdem Ecclesiæ successit, et rexit Ecclesiam anno et dimidio, et mortuus est plenus dierum. Huic successit Rogerus, frater Hellini
C de Wanrigavo, vir totius bonitatis, et honestatis moribus adornatus. Hic anno Domini MCLXXIX Concilio Romano ab Alexandro Papa celebrato interfuit, et ibidem in Episcopum consecratus est a Willelmo Remensi Archiepiscopo et Apostolicæ sedis Legato, in Ecclesia sanctæ Savinæ.

* Nivernensi.

(*a*) Extat hæc Appendix in Codice Regio 5533 A, ad calcem chronici Balderici, cujus extremam partem recudimus T. XI, p. 122.

(*b*) Eilbertus seu Elbertus, Gilbertus etiam dictus, Abbas fuit Maricolensis : cujus Ecclesiæ alumnum se prodit Anonymus hujus Appendicis scriptor.

EX BALDERICI CHRONICO (*a*)

D

ABBREVIATO ET CONTINUATO PERANONYMUM ATREBAT.

Domnus Gerardus junior Lieberto successit * : post cujus decessum Christus Dominus Atrebatensem plebem visitavit, et consilio domini Walberti Præpositi, labore etiam quorumdam Clericorum Atrebati, civitas illa nobilis proprium habere Pastorem et Episcopum promeruit. Beatæ namque memoriæ Urbanus Papa secundus tantæ civitatis dolens desolationem, eamdem a jurisdictione Cameracensi (*b*) emancipavit, et libertatem eligendi proprium Episcopum in perpetuum ipsi concessit. Elegerunt itaque domnum Lambertum, genere Gisnensem, Cantorem Insulanum, qui post multos labores itineris a domino Papa Urbano Romæ in Ecclesia B. Mariæ quæ appellatur Nova, in Episcopum

* An. 1076.

(*a*) Compendium istud Balderici habetur in ms. codice S. Sepulcri Cameracensis, post vitam B. Lieberti, incipitque ab his verbis : *Auctores Cameracensis et Atrebatensis urbis ignorantur*, etc.

(*b*) Occasione nimirùm schismatis in Cameracensi Ecclesia excitati, quod perspicuè testatur scriptor vitæ B. Heldemari Eremitæ, Aroasiæ Cœnobii conditoris, apud Bolland. T. I. Januarii p. 832 : « Eodem sanè tempore, *inquit*, gravi schismate laborabat Ecclesia, dum summus Pontifex » Urbanus prædecessoris sui Gregorii VII, qui » laïcos omnes personas Ecclesiasticas per annulum et baculum investientes excommunicaverat, decreta servaret, et per totam Latinitatem » observari præciperet. Et quia, dolente capite, » solent et cætera membra dolere, ipsa quoque » Cameracensis Ecclesia, defuncto Gerardo Episcopo suo (an. 1092) per duos, Walcherum scilicet » et Manassen, qui de Episcopatu contendebant, » graviter usque ad cædes et homicidia disturbatur. Hinc verò occasione captâ, Atrebatenses » Clerici, favente sibi Widone Lemovicensi Episcopo et Francorum Rege Philippo, summum » Pontificem Urbanum adeunt, et per ejus manum, Cameraco tacente, quemdam Lambertum Guisnensem, anno Domini MXCIII, Episcopum sibi ordinari faciunt; et Ecclesiâ suâ a » dominio Cameracensis exemptâ, cum suæ libertatis privilegiis suo deinceps Episcopo gaudere » cœperunt. Unde et parochiis Episcopatûs utrimque rescissis, Rochenias (vicus est Aroasiæ propinquus) hujus loci matrem Ecclesiæ infra terminos Atrebatensium contigit remanere ».

Digitized by Google

est consecratus * : a quo etiam acceptis nostræ libertatis privilegiis , totius Remensis provinciæ Legatus effectus cum honore ad propria remeavit ; ubi rebus Ecclesiæ suæ , prout tempus exigebat , benè dispositis , migrans a sæculo in Ecclesia sanctæ Dei Genitricis requiescit. A

* An. 1093.

Domnus Robertus , genere Atrebatensis , illi successit * : qui post plurima quæ Ecclesiæ suæ beneficia contulit , etiam horas B. Mariæ in conventu Canonicorum primus decantari elaboravit. Unde ad meliora vocatus , in supradicta Ecclesia diem suæ resurrectionis securus expectat.

* An. 1115.

Tertius fuit * domnus Alvisus , quondam professus S. Bertini , genere Flamingus , Abbas Aquicinctensis , cujus magnanimitatis usque in hodiernum diem perseverant insignia. Sed in via Jherusalem defunctus * apud Philippopolim requiescit sepultus.

* An. 1131.

* An. 1147.

Domnus Godescaldus , genere Balbatinus , Abbas de Monte S. Martini , illi quartus Episcopus successit * , vir in eleemosynarum largitione probatissimus ; qui post sui Episcopatûs resignationem in multa patientia proprii corporis sustinens dolores , in Ecclesia S. Martini apud Laudunum Clavatum , ubi priùs professionem fecerat , in Christo dormiens , gremio suæ matris complectitur. B

* An. 1150.

Post cujus discessum domnus Andreas , nativitate Parisiensis , Abbas de *Sarnay* in Ordine Clarevallensi , Ecclesiæ regimen suscepit *. Sed post multos labores reddens terræ quod suum est , in supranominata Dei Genitricis Ecclesia manibus suorum devotè est tumulatus.

* An. 1161.

Post illum domnus Robertus, Ariensis Præpositus , genere Karnotensis , solo electionis titulo militans , Ecclesiam duobus ferè annis absque Pontificalium exhibitione tenuisse dignoscitur. Postmodùm tamen ad Cameracensem Ecclesiam transiens , apud Condatum villam miserabiliter paucorum manibus est interfectus *. C

* An. 1174.

EX BALDERICI (*a*) CHRONICO

ABBREVIATO ET CONTINUATO PER ANONYMUM CAMERAC.

* An. 1076.

POST beatum istum Deo et hominibus commendabilem [Liebertum] Gerardus nepos ejus moribus et genere , communi Cameracensium * [electione] et assensu Henrici II Imperatoris , mandato Apostolici tunc apud Augustudunum commorantis * , ab Hugone Diensi Episcopo est consecratus (*b*) in Episcopum ; et ad sedem suam reversus , interveniente Roberto Flandriarum Comite , Hugonem Castellanum suum a domno Lieberto priùs ejectum , in hominem recepit et amicum ; retentis tamen in manibus suis redditibus Castellani qui infra muros civitatis continebantur. Unde cives in unum conspirantes , Episcopo absente , diu desideratam conjuraverunt Communiam. Episcopus autem cum gravi multitudine , pace simulatâ , revertens , et ad judicium Curiæ suæ conjuratores invitans , civitatem est ingressus : et ecce milites ipsius pecuniam civium desiderantes super incautos irruunt et occidunt , et direptâ multorum substantiâ , viventes in fidelitatem Episcopi , abjuratâ Communiâ , reducuntur. Conjuratione tamen iterùm factâ contra Episcopum , Wibertus quidam qui fratrem suum in prædicta seditione perdiderat , eam Episcopo propalavit ; sed quia juratores prodere noluit, virgis flagellatus et ligatis a tergo manibus , abscissâ linguâ , oculis erutis , percussus gladio in via publica est tumulatus. D E

* falsum.

Hugone autem Castellano Episcopi interim Episcopum et suos enormiter infestante , Robertus Flandrensis muneribus et beneficio Gavalli (*c*) provocatus , ipsum jure Castellaniæ penitùs privavit , et Anglia profugum et quærentem refugia tuto suscepit latibulo. Ut verò civitas interiùs secura quiesceret , muro lapideo et vallo a terræ visceribus elevato , decenter Episcopus eam munivit ,

(*a*) Missis quæ ex Balderici Chronico mutuatus est Anonymus Cameracensis (quippè rivulos spernere licet , ubi fons ipse suppetit) ejus continuationem post tempora Lieberti , quousque extenditur Balderici Chronicon , damus. In ea etenim se Cameracensium Episcoporum gesta compendiosè prosequi testatur Anonymus : quæ cùm deperdita sint , eò pluris facienda hæc compendiosa series quam descripsimus ex Cartulario ms. sæculi XII , signato A in archivis cathedralis Ecclesiæ Cameracensis.

(*b*) Gerardus hic in Alostensi territorio natus , e Monasterio S. Vedasti , ubi Præpositi vices sub Adolfo Abbate gerebat , ad infulas Cameracenses assumptus est anno 1076. (*Gall. Christ. T. III. col.* 21.)

(*c*) Seu *Gabli* , id est , censûs , tributi.

Digitized by Google

A et castellum intra civitatem, relevatis fossatis et turribus multipliciter implexis, firmavit artificio quodam commendabili.

Sub diebus illis fundatum est Aquiscintense Cœnobium (*a*) Dei specialiter inter homines habitaculum, per duos milites Walterum scilicet et Sigerum: quorum propositum diligenter promovens Episcopus, de feodo suo et beneficiis suis locum concessit locupletari. Haffliginense (*b*) quoque Monasterium, Dei secretarium, prædicti Pontificis auctoritate per homines laicos et idiotas ad eum deductum est religionis cumulum, quòd usque in hodiernum prærogativam obtineat Monastici ordinis, et privilegium quotidianæ in pauperes erogationis.

Præter hæc omnia, providens sibi in futurum Episcopus, allodia sua de *Lestines* et de *Wolrehem* et altaria plurima, sicut in privilegiis ejus invenitur, in usibus Canonicorum suorum contulit liberaliter: et Hospitale pauperum juxta
B Ecclesiam S. Crucis de novo reparavit: Ecclesiam quoque B. Dei Genitricis olim combustam et dirutam a capite superiori usque ad chorum sancti Joannis multis impensis et expensis reformavit in melius; et ita regens Episcopatum per sexdecim annos et dimidium (*c*) ad patres suos appositus, sepultus est in * An. 1092.
medio Ecclesiæ sanctæ Dei Genitricis.

Gerardo Episcopo ad meliora translato, gravis dissensio nata est inter Clerum et populum. Clericis enim per multum tempus ex intestina discordia eligere dissimulantibus, cives cum casatis quemdam Manassem Francigenam elegerunt in Episcopum; et Clerici communi voto instituerunt dominum Maselinum Sacerdotem et Præpositum; qui tamen ad declinandum populi furorem gratis cessit, et multi ex Clericis Manasse adhæserunt. Quare paratis omnibus itineri suo necessariis, asportatis secum de thesauris Ecclesiæ aureo calice et duobus
C candelabris argenteis, ad Imperatorem [Manasses] est profectus; sed non impetratâ ipsius benevolentiâ, sine beneficio regalium ad suos redivit inglorius: ex hoc graviter Clericis longè a civitate depulsis, nisi sacrosanctis tactis jurassent quòd nec per epistolam nec per nuncios Manassen apud Imperatorem impedissent.

Sub hoc rerum tumultu Attrebatenses, quod diu ante conceperant opere complentes, proprium sibi de mandato summi Pontificis præfecerunt Episcopum, et a subjectione Cameracensis Ecclesiæ suam cervicem, occasione discordiarum quæ Cameracenses graviter affligebant, nullis se opponentibus, excusserunt. Casati etiam ad libitum suum omnia diripientes, munitiones plures circumquaque erexerunt, præstantes hominium Comiti Flandriarum, ut securiùs quæ invaserant obtinerent. Talibus rerum mutationibus quasi de gravi somno evigilantes tam cives nostri quàm Clerici, mutato in meliùs proposito, Remorum Archie-
D piscopi consilio et assensu Imperatoris, Walcherum Ecclesiæ suæ Archidiaconum, ob defensionem injuriarum suarum, in Pastorem elegerunt et Episcopum. Ipse verò confisus in Deo salutari suo, collectis amicis suis et solidariis, castrum de *Goy* in Arroasia et de *Rumilly*, Manasse (*d*) perempto, speluncam quoque latronum *Saucit* diruit et terræ coæquavit. Primos suæ vocationis dies istis futuræ probitatis dedicavit argumentis. Postmodùm verò cum litteris Apostolicis Rainaldo suo Metropolitano præsentatus est, ut ei munus consecrationis impenderet; sed Manasses ejus adversarius superveniens et domnum Papam appellans, ne promoveretur interdixit. Walcerus verò nihilominùs consecratus in Episco-

(*a*) Sive Aquicinctinum (*Anchin*) sic dictum a circumfluentibus aquis, positum ad Scarpam fluvium secundo milliari ab urbe Duaco, annoque 1077 fundatum, si fides Herimanno S. Martini Tornacensis Abbati, qui in historia restaurationis Monasterii sui n° 55, conditum illud ait quindecim annis ante restauratum Martinianum, quam restaurationem illigat anno 1092. Charta nihilominùs Gerardi Episcopi quâ fundationem Aquicinctinam confirmat, nonnisi anno 1079 data fuit. *Vide Galliam Christ. T. III. col.* 408. *ibidemque inter Instrum. col.* 87. n° XIV.

(*b*) Usitatiùs Afflighemense (*Afflighem*) dictum, in finibus Brabantiæ ac Flandriæ situm, Bruxellam inter et Gandavum, uno circiter milliari ab Alosto, olim in diœcesi Cameracensi, nunc in Machliniensi, cujus primordia sic describit Albericus ad an. 1083. *Afflighinense Cœnobium tale, auxiliante Deo, sumpsit exordium. Prædicante Witerico* (Monacho Blandiniensi) *servo Dei, quinque milites* (sex, sextus quorum postea cæteros deseruit et turbavit) *suis integrè renunciant, inter quos Gerardus Niger, qui præ cæteris excellentior videbatur, doctoris sui consilio animatus, cum sociis locum* Afflighem *dictum, sicut nomine, sic omni barbarie incultum, quippè qui latrocinantium tantùm conventiculis aptus erat, ædificare et claustrum in eo exstruere aggreditur.* Et post aliqua subjungit ad annum 1086: *Afflighemensis Cœnobii fundatores, qui, omnibus abjectis, ita nudi ad ædificandum convenerant claustrum, ut nihil secum præter panes tres, dimidium caseum et pauca ferramenta detulerint, vix tribus annis exactis, a Gerardo Cameracensi Episcopo in honore Petri et Pauli Ecclesiam dedicari fecerunt.*

(*c*) Anno 1092, XI die Augusti, obitum Gerardi consignant Galliæ Christianæ novæ Auctores Tom. III. col. 22, quoad diem a Raissio et Baluzio dissentientes, quorum prior 31 Julii, alter mensis ejusdem tertium pro emortuali die hujusce Pontificis notat.

(*d*) Non quidem Manasse Electo Cameracensi, sed altero Manasse illius loci de *Rumilly* Toparchâ.

Digitized by Google

pum, quod ad securitatem patriæ reliquerat imperfectum, subjiciens adversarios, A
* An. 1095. suos defendens, multâ complevit sagacitate. Interea * proficiscens ad generale Concilium quod domnus Urbanus Papa apud Claremontem celebrabat, contra præsumptionem Atrebatensium declamaturus, Manassem adversùs ipsum plurima proponentem incautus offendit, et non expectato judicio a Concilio recedens, sententiam excommunicationis incurrit, et Manassæ confirmata est electio auctoritate Concilii per contumaciam adversarii, licèt minùs haberet canonicæ institutionis. Ex hoc ergo conjurantibus cum Walcero Clericis et civibus quòd eum nullâ ratione desererent, promissam ei semper exhibendo operam, Manasses Remensium Archiepiscopus, Electi Manassæ avunculus, interdicto totam terram subjecit, quæ Walceri cognoscebatur obedire mandatis. Unde multi qui sanum sapiebant ex Clericis et laïcis, ab ejus fidelitate sive familiaritate recesserunt, impetrantes ab Archiepiscopo ut consecrationis honorem Manassæ nepoti B suo conferre non differret.

Quo facto, licèt domnus Walcerus gravius sibi periculum instare cognosceret,
* d'Oisy. castellum tamen Ogeyum *, Busiginium et de Busseniis, assultibus infinitis et bellorum virtute vicit et diruit, in pace gratissima civitate suâ et suis in integrum restitutis. Clericis tamen quammaximè propter interdicti sententiam ab ejus latere defluentibus, ad Imperatorem Henricum consilii causâ et auxilii divertit, et Manasses cum gloria susceptus est in sede Pontificali. Non multùm tamen gloriatus est in subditorum devotione; quia, revertente Walcero cum nunciis et militibus Imperatoris, paucis comitantibus timore supervenientium, civitatem cui solo præerat nomine, re spoliatus, specie tenùs militans, deserens exivit, et quasi de novo cives et Clerici domno Walcero per Imperatoris mandatum sunt confœderati. C

* An. 1102. Procedente verò tempore * Roberto Flandrensium Comite ex mandato Archiepiscopi in peccatorum suorum remissionem, quia diutiùs erat excommunicatus, contra Cameracenses arma movente, Rex Henricus in ultionem illarum injuriarum partes istas est aggressus, et ceciderunt ab impetu exercitûs sui
* Marcoin. castella ista, Marconium *, *Paluels*, Incenium *, Esclusa, Bulcenium *; sed
* Inchy. tempore hyemandi Imperatore in terram Germaniæ recepto, Robertus Cameracensibus imminet, et jacturam suorum penitùs in ipsos refundit: eâ tamen
* Bouchain. conditione pax demùm intercessit, quòd nisi Imperator tempore graminis superveniret, ipsum Robertum et successores ejus in dominos et patronos in æternum susciperent. Sic igitur sub nomine pacis bello suspenso, mandant Cameracenses Archiepiscopo, quatenùs ad ipsos veniret beneficium collaturus absolutionis: quod et factum est, Walcero interim apud *Estruem* præsidium suum D commorante, quod per majores terræ ab alto dejectum adhuc ruinarum suarum servat indicia. Walcerus autem suorum patrocinio fortior effectus, ad civitatem denuò, pacato sibi Godefrido filio Anselmi, quem Cameracenses sibi contra Episcopum præfecerant, adhuc excommunicationis portans notam penetravit, translato interim domno Manasse ad Suessionensium Episcopatum, qui tunc temporis Pastore carebat (*a*). Igitur pro domno Walcero supplicaturi Cameraci Majores et Canonici domnum Remensem adierunt; sed ipse domini Papæ quas de novo receperat litteris in medio publicatis, præcepit in virtute obedientiæ ut statim Episcopum eligerent, quia Walcerus Episcopatûs dignitatem sine retractatione demeruerat.

* An. 1105. Electus * itaque est ab omnibus domnus Odo S. Martini Tornacensis Abbas, et post triduum electionis suæ ab eodem Archiepiscopo in Episcopum conse- E cratus; et reversus Tornacum celebravit Ordines et Synodum, nihil habens de regalibus, licèt Cameraci receptus, sed solùm militans fidelium suorum stipendiis quæ ipsi gratis offerebantur. Walcerus autem omni spe destitutus, ad Obertum Leodiensium Episcopum se contulit, et post Apostolorum limina visitans, ab Apostolico in eum statum quem habuerat ante Episcopatum ex integro est restitutus, et ad extremum omnibus pro Christo derelictis, in Monasterio sancti Nicolai de Sylva sub habitu et religione Monachorum degens, correctis vitæ

(*a*) Novum is locus nobis suppeditat argumentum ad revincendum eorum errorem, jam a nobis auctoritate Gallici chronici Cameracensis exagitatum, qui Manassen ad Suessionensis Ecclesiæ sedem post Hugonem anno 1103 evectum diversum esse fingunt a Manasse Cameracensi Episcopo, cùm tamen utrumque Remensis Ecclesiæ Clericum ac Manassis Archiepiscopi Remensis patruelem fuisse non inficientur.

prioris

Digitized by Google

A prioris excessibus, actus suos fine bono conclusit. Odo autem Episcopus per Robertum Flandrensem, qui Cameracum de manu Imperatoris Henrici in feodo tenebat, intra urbem receptus est; sed Imperatoris Henrici qui patrem suum persequebatur potentiâ longiùs ejectus, quia Flandrensium Comes Imperatori reconciliatus civitatem nostram ipsi liberè reddiderat, apud Inciacum mansionis suæ invenit diverticulum, donec mediante summo Pontifice, Imperator Henricus per virgam et annulum, sicut ipsi Papa concesserat, Odonem de Episcopatu liberaliter investivit. Sed revocato privilegio talis concessionis, quod contra Canones domnus Papa Imperatoribus indulserat, Odo Episcopus propter formam et modum suæ investituræ depositus (*a*), Aquicinctum perveniens sub obedientiæ mandato dormivit in Christo.

Domnus Burchardus, Imperatoris familiaris et intimè notus, communi elec-
B tione et dono Imperatoris successit Odoni; sed propter discordiam inter Papam et Imperatorem super investitura per virgam et annulum, per biennium consecrationem obtinere non potuit (*b*), multis ei suam dejectionem comminantibus. Sed tandem interveniente merito vitæ, quo specialiter inter comprovinciales enitebat, et impetratis super hoc domini Papæ litteris, quod diu desideraverat, oleum consecrationis est consecutus, et quidquid distractum fuerat de mensa Episcopali, theloneum scilicet, monetam et molendinos, multâ pecuniâ redemit de manu creditorum, modis omnibus elaborans ut dispersa colligeret, diruta ædificaret, inventa non minùs fideliter reservaret. Novum etiam Castellum * quod de dono Imperatoris, sicut superiùs dictum est, Ecclesiæ Cameracensi appendet, de manu Balduini et Caroli Comitum Flandriæ liberum mirâ sollicitudine recepit, licèt Robertus ultimus et Balduinus filius ejus illud de
C manu Imperatoris sibi beneficiatum et in feodo tenuissent. Perempto * etiam Carolo Comite apud Brugas horrendâ proditione, Hugo Castellanus Castellaniam Cameracensem, quam de prædicto Comite tenebat, ab Episcopo, sicut decebat, hominio facto et fidelitate præstitâ, suscepit, demolito priùs castello quod in *Crevecœur* in receptaculum prædonum fuerat ab eodem Hugone constructum (*c*).

* *le Câteau-Cambresis.*

* An. 1127.

Istius Episcopi monitis et consilio Werimboldus civis quidam iter perfectionis arripiens, in hac civitate Cameracensi multâ pecuniâ pedagium redemit, et demùm in hospitali pauperum juxta sanctæ Crucis Ecclesiam pauperibus pauper pro Christo effectus humiliter curam exhibuit. O verè commendabilem Episcopum! qui in locis valdè a sua sede remotis genitus, et apud Cameracenses advena, plus suis per industriam contulit quàm nobiles nostri vel pompâ sæculi
D vel amplitudine carnalis generationis. Itaque post infinita beneficia suis et Ecclesiæ suæ collata, sicut in gestis et scriptis ejus legitur, plenus operibus bonis et eleemosynis, in consortium fidelium virtutum pennis transmigravit (*d*).

Eodem tempore * Papa Innocentius cum multitudine Episcoporum et Cardinalium per Cameracum transiens, descendit Leodium cum Lothario Rege et Principibus Germaniæ, multa de statu Ecclesiæ collaturus, in qua collocutione obtentu Regis Lietardus Cameracensium Episcopus efficitur. Post suam consecrationem quasi nihil ampliùs sperans vel timens, sibi plenè deditus, minùs intentus liberalitati, omnibus factus est odiosus. Unde Gerardus cognomine *Maufillastres* adversùs Episcopum insurgens Novum-castrum cepit et incendit, et cum multitudine inhabitantium et sanctorum reliquiis quinque Ecclesiæ ignis violentiâ (*e*) deperierunt; Episcopi autem bona circumjacentia sine contradictione

* An. 1131.

(*a*) De hujus Pontificis abrogatione silet Herimannus Tornacensis; quin ipsum abdicatione spontaneâ ob invaletudinem Episcopatum dimisisse refert his verbis: *Domnus.... Odo Cameracensis Episcopus.... infirmitate corporis gravatus Episcopatum reliquit, seque Aquicinctum in lectica deportari fecit.... sicque infra octo dies idem Episcopus defunctus est.* Quod certè longè probabiliùs videtur, tum quia coævus Odoni fuit Herimannus, tum quia depositum a Paschali, ob acceptam eo tempore quo ipsam ille probaverat, regiam investituram, Odonem fingere absurdum est. Cæterùm hujus obitum diei 19 Junii anni 1114 adscribunt Galliæ Christianæ novæ Auctores.

(*b*) Hinc est quòd in diplomatibus suis ab anno tantùm 1116 Burchardus Episcopatûs sui numeret annos.

(*c*) Waterlosius ad an. 1120. *Decembrio intrante*, inquit, *bellum initur inter Episcopum Burchardum et Hugonem Castellanum.* Carolo verò perempto, sublatâ jurgii causâ, pax efficitur.

(*d*) In catalogo ms. Hasnoniensi Burchardus legitur mortuus anno 1131, die 3 Januarii (*Gallia Christ. Tom. III. col.* 27.)

(*e*) Waterlosius ad an. 1133, teste Andreâ Potier in historia ms. oppidi Castelli in Cameracesio, narrat *rebellionem Gerardi* dicti Maufilastre, *viri nobilis, contra Lietardum Episcopum, cui infensus erat; incendium oppidi Castelli quod Gerardus vi ceperat, et quinque Ecclesiarum ibidem, cædes et deprædationes ab eodem Gerardo; bellum Gerardo a Simone de Oisiaco, Castellani Cameracensis filio, et Cameracensibus illatum, et Lietardi Episcopi pertinaciam, qui pacem cum Gerardo inire noluit, nisi duris conditionibus.*

Digitized by Google

Gerardus suis distribuit, reliqua verò ad nutum suum possedit. Solus Simon A
d'*Oisy*, filius Castellani, dolens super desolatione Episcopatûs, adversùs Gerardum werram viriliter movit, et tandem reduxit in amicitiam Episcopi Cameracensis, tali satisfactione præmissâ, quòd miles daret quinque solidos et quilibet peditum viginti denarios ad restaurationem Ecclesiæ beatissimi Andreæ; et sic omnes prædictæ iniquitatis participes sunt absoluti, sed pro contemptu Episcopi nihil horum datum est executioni.

Præpositus etiam domûs Episcopalis, quem propterea, ut in ore multorum erat, destituere conabatur Episcopus, ut infra proprium domicilium licentiùs suis abuteretur voluptatibus, cum quibusdam Clericis et civibus domno Remensi manifestè suggessit, quòd Episcopus declinans palatium propter enormem suam libidinem, ad domos divertebatur privatorum; quòd Præbendas venderet, et Ecclesias nonnisi condicto pretio consecraret. Domnus ergo Remensis sub præsentia B
tantùm quinque Episcoporum paternè conveniens Lietardum, ex ore ipsius quæ proponebantur non esse falsa intellexit, mandans et consulens ut infra proximam Epiphaniam, ne publicè convinceretur, quasi spontaneus recederet et ibidem ultra non compareret : quod se facturum sub præsentia Coepiscoporum suorum Lietardus Episcopus confirmavit (*a*). Sed digressus ad Imperatorem, postulabat ut per ejus interventum misericordiam apud dominum Papam et Archiepiscopum inveniret, ibique impetravit privilegium quòd Præpositus prædictus et servientes Episcopi non feodati, invito Episcopo, ministeriis ejus se ingerere non præsumant. Dissimulante autem Episcopo post elapsum terminum quod promiserat, supervenerunt litteræ Archiepiscopi et summi Pontificis auctoritas, ut festinanter ab Episcopatu recederet, plangendus per omnia quòd vir litteratus et venustate corporis commendabilis prædictâ notabilis infamiâ cum vultûs sui confusione et C
nominis opprobrio a sede Episcopali turpiter dejiceretur.

Deposito Lietardo, Cameracenses Othonem quemdam Præmonstratensis Ordinis Canonicum elegerunt, eâ conditione si Imperatori placeret facta electio, sed ipso nullo modo præbente in hoc assensum, missi sunt duo Abbates Walterus Sancti Autberti et Parvuinus Sancti Sepulcri, ut per gratiam Imperatoris idoneum Ecclesiæ Cameracensis Episcopum providèrent.

Electus (*b*) est itaque per Dei providentiam domnus Nicolaus ejusdem Ecclesiæ Præpositus, a primis ibidem annis enutritus, cunctis acclamantibus et Imperatoris favore super hoc plenissimè gratis impetrato. Multitudo namque Principum qui tunc in Curia constituti fuerant, ipsum Electum et amicum et consanguineum suum recognoscebat. Susceptus igitur cum gaudio inæstimabili a Clero et populo, quantus futurus esset in prima sui vocatione monstravit. Gerardum namque *Maufilastre* qui Novum-castrum Episcopi et bona Episcopatûs violenter occupata tenebat, cùm a colloquio Simonis de *Oisy* minùs cautus reverteretur, Episcopus eum apud Thunium * villam suam, nulla pro libertate Ecclesiæ timens subire pericula, cepit, et usque intra civitatem captum adduxit cum multitudine armatorum copiosa. Ibi receptis obsidibus et multis juramentis de fidelitate sibi servanda in posterum, recepto etiam Novo-castro cum suis appendiciis, Gerardum dimisit, collocatis insuper hominibus suis in castro de Sancto-Auberto, ob majorem terræ suæ et suorum securitatem. D

* *Thun-l'Evêque.*

His ergo primitiis commendabilis honorem suscepit consecrationis, solùm dans operam circa Ecclesiæ suæ exaltationem, cui se totum totâ sollicitudine impendebat. Cunctis itaque sub tranquillitate pacis gaudentibus, prædones quidam de familia Gerardi *Maufilastre*, terram istam depopulantes, dignam maleficiis suis E
pœnam a Cameracensibus receperunt. Quare Gerardus, ruptâ pace quam diu invitus simulaverat, werram Episcopo indixit et civibus, validis terram suam firmans munitionibus; et Episcopus Novum-castrum vallo et turre firmissimâ munire non supersedit. Collectâ itaque gravi pugnatorum copiâ, Gerardus castrum obsedit prædictum, sed manifesto Dei judicio, dum præ cæteris ferventior instaret, nullo suorum vulnerato vel lapso, solus corruit (*c*) et intra muros uncis

(*a*) An. 1135, inquit Waterlosius, *Lietardus hinc abiit ab Archiepiscopo suspensus, nec ultra rediit.*

(*b*) Waterlosius ad an. 1136, teste Andr. *Potier*, narrat *Nicolaum sine assensu civium in præsentia Lotharii Imperatoris Aquisgrani in Pascha Domini fuisse electum, quòd fuerit vir nobilis et benè morigeratus. Ita igitur electus a Curia Imperiali rediens, Remis* XII *Kal. Januarii Episcopus consecratur, et inde ad propriam sedem remeans,... Gerardum Maufilastrum, qui in Novo-castello turrim Episcopalem detinebat, cepit, turrimque in potestatem suam redegit.*

(*c*) *Ob injuriam ergo factam servis suis*, inquit Waterlosius ad an. 1137, *Gerardus Malus-filiaster circa mensem Maium arma sumit; verùm miserando fine in*

Digitized by Google

A ferreis protractus, multisque confossus vulneribus et lapidibus obrutus, priùs terribilis, nunc occubuit miserandus; pro cujus nece miserabili majores terræ graviùs Episcopo comminantes, multis et variis tumultibus ipsum tandem ad hoc induxerunt, ut illos omnes qui manus extenderant in Gerardum, a finibus terræ suæ procul eliminaret.

Sed pace foris reformatâ, seditiones interiùs oriuntur : cives etenim Cameracenses Comitem Hannoniæ intra muros suos contra Episcopum receperunt, cum eo fœdus facientes; quia castrum de Sancto-Auberto Simoni nepoti suo de *Oisy* contra consilium eorum et voluntatem in feodo tenendum concesserat (*a*). Unde etiam domum Simonis infra urbem in contemptum Episcopi diruentes, sententiam excommunicationis et interdicti et Comes et cives canonico judicio incurrerunt. Omnibus tamen his turbationibus per Dei gratiam et auxilium Comitis
B Flandriarum [Theoderici] in pace terminatis, post famosam illam stragem apud *Crievecuer* factam, et hæreditas sua filio Gerardi, factâ fidelitate et hominio, est restituta, et competens satisfactio facta est Episcopo pro excessibus supranominatis.

Evoluto postmodùm non multo temporum curriculo, Comes Flandriæ Simonem de *Oisy* adversùs eum rebellantem multùm cœpit werris affligere et munitiones ejus occupare; sed dominus Episcopus, vir moribus prædicabilis, ipsum sicut hominem suum, sicut nepotem suum et amicum suum, cœpit consilio et auxilio super omnes defendere, non timens iras majorum ob suorum protectionem in se provocare. Tandem ipso mediatore in hanc pacis formam convenerunt, quòd Comes Flandrensis de manu Episcopi suscepit in feodo Osyacum et Castellaniam Cameracensem, quam immediatè priùs Simon de Episcopo te-
C nuerat, et Simonem de prædictis Comes sæpedictus feodavit providâ circumspectione, quòd in modo pacis de jure Episcopi nihil deperiit, sed potiùs hominium Flandrensis accrevit (*b*).

Exorto * interim famoso schismate in Romana Ecclesia inter Alexandrum et Octavianum, Imperator Fredericus cum universo imperio suo partes secutus est Octaviani; Franciâ totâ cum reliquo terrarum orbe Alexandri electionem sequente, gravis exorta est in Ecclesia Dei dissensio, unitatem Christi dividen- * An. 1159.

tibus illis qui sua sequuntur et non quæ Jesu-Christi. In hac autem divisionis varietate cum digna memoria recolendus Nicolaus Episcopus ita se gessit medium, quòd nec ab obedientia Remensium, quibus in spiritualibus obnoxius erat, Alexandro subjectus resiliret, nec Imperatoris offenderet partes, quibus de regalibus suis fidelis et devotus esse tenebatur. Itaque sub hac rerum incertitudine matu-
D rus operibus, magnanimitate præclarus Episcopus, in cordis contritione et confessione oris Domino Deo suo satisfactionem promittens (quia quâ ingemuerit horâ peccator, exauditur) apud sanctum Quintinum ægritudine gravatus, et in Monte Sancti Martini circa finem suæ diœcesis exemptus est a terrenis. Relatus est igitur ad sedem suam suorum manibus, et gloriosam in Ecclesia Dei Genitricis in parte occidentali, nunquam postmodùm visurus occasum, consecutus est * sepulturam (*c*). Sub specie etenim sæcularitatis vir iste militans, inter sæculares omnibus se pro tempore conformans, licèt aliquandò terrenæ contagionis maculas contraxerit, multitudine tamen benefactorum quæ diversis in locis liberaliter contulit, delictorum suorum sarcinam in subditos suos misericors per Dei misericordiam abjecisse credatur, quia nullum bonum a bonorum retributore manet irremuneratum. * An. 1167.

E Domnus Petrus, Philippi nobilissimi Flandriarum Comitis frater co-uterinus (*d*), Sancti-Audomari Præpositus et Flandriæ Cancellarius, obtentu fratris sui, cujus terror per terras finitimas et fama nominis per longè positas latè se diffuderat, elèctus est in Episcopum, multis electionem approbantibus, quamplurimis, licèt factum displiceret, opponere se non audentibus. Imperatoris etiam factæ electioni accessit assensus, quia quamplurimis internunciis Comitis fractus, licèt in primis

Novo-castello existens ab hominibus ejusdem castri interficitur, pridiè Nonas Julii.

(*a*) Vide Waterlosium ad an. 1138.

(*b*) Eadem an. 1153 enucleatiùs narrat Waterlosius.

(*c*) De Nicolai morte ac sepultura ita Balderici continuator : *Post hunc domnus Nicolaus Gosvini de Montibus frater, qui anno Domini* 1167 *apud Valcellas obiit, sed ad Cameracum tumulandus honorandè translatus, sepultus est in vestibulo Ecclesiæ B. Mariæ ante altare S. Johannis Baptistæ.*

(*d*) Philippus et Petrus, ambo ex Theoderico de Alsatiâ Flandriæ Comite et Sibylla Andegavensi, Fulconis Jerosolimitani Regis filia, Theoderici secundâ uxore nati sunt.

Digitized by Google

pubertatis annis consisteret Electus, acquievit, ratum habens quòd Curia Romana dispensans de ætate et ordinibus, non improbabat. Dum verò moras innecteret Electus in adeundo Imperatorem, Cameracenses sibi volentes providere in futurum, ne novæ circumquaque surgerent munitiones, Thunium * Episcopi quod domnus Nicolaus Episcopus construxerat, penitùs diruerunt; sed Electo viriliter eos expugnante, coacti sunt demùm multâ pecuniæ erogatione restituere, quod sicut gens indomita destruxerant contumaci præsumptione.

* *Thun-l'Evêque.*

Sed diebus Electi istius civitas nostra cum finitimis suis circumquaque quievit, nullis audentibus vel valentibus Flandrensium impetum sustinere, quorum potentiâ et viribus suos et sua solo electionis nomine militans domnus Petrus protegebat. In omnibus autem suis actibus, sicut juvenis et nobilis, multis erat commendandus, nisi quòd de patrimonio Christi suæ satisfaciens nobilitati, nunquam ad sacros ordines et consecrationis honorem aspiravit, Episcopi portans non onus, sed honorem, abhorrens officium, sed cum omni integritate Episcopatûs quærens emolumentum. Quare post plures electionis suæ annos prorumpens ad hoc quod diu affectaverat, abjectâ dignitate suæ electionis et Clericalis professionis libertate, habitum induit militarem, ad lasciviam sæculi et pompas mundi relapsus, ducens uxorem Comitissam Nivernensem ut filios carnis procrearet, repudiatâ sponsâ Christi quæ sine sûi corruptione filios parit spirituales. Non multùm tamen delectatus est in terrenis, quia non est flatus hominis in manu ipsius, sed in ejus potestate qui terribilis est apud Reges terræ, in terra uxoris sublatus de medio, in multa delictorum suorum pœnitentia, apud Hilsodunum sepultus, nostræ mutabilitatis exemplum immaturâ morte præventus viventibus dereliquit (*a*).

Robertus Ariensis Præpositus et in Atrebatensi Ecclesia obtinens prærogativam electionis, vir mirabili fortunæ prodigio de modico et humili in præclaros dignitatum gradus sublimatus, utpotè Turonensis Thesaurarius, Sancti-Audomari, Sanctique Amati Duacensis et beati Donatiani Brugensis Præpositus, Flandrensium Comiti Philippo singulariter familiaris, multis Clericorum reclamantibus, in Cameracensium Pastorem est electus ab illis qui fortunæ beneficium in eo mirantes, sperabant quòd Ecclesiam suam singulariter exaltaret, qui singulariter exaltatus mundo stuporem incusserat. Imperator etiam ut investituram regalium susciperet ad preces descendens, offerendo priùs ipse prævenit, et regalibus nunciis multò uberiùs præmissis, ad sedem suam cum multa gloria suscipiendum destinavit. Constitutus ergo in sede vocationis novæ, plurima præter fidem et spem audientium promittebat, et auream se redditurum Ecclesiam suam pollicebatur, ex abundantia rerum affluentium sibi præsumens, ignorans tamen quid pararet sibi dies post futura. In his igitur sibi prosperè succedentibus, majorum adversùm se odium provocavit et invidiam, in tantùm quòd apud Condatum diœcesis suæ vicum, dum multitudine modum excedente transiret, a paucis ipsi insidiantibus percussus occubuit (*b*), miserabiliter a suis derelictus, crudeliter a nefariis interfectus, subitâ mutatione manûs Altissimi de summis relatus ad ima : ipsâ rerum experientiâ docens nos efficaciter, nullam rebus humanis, quantumcumque applaudant, adesse constantiam. De loco igitur occisionis suæ Ariam relatus, ubi multa munificentiæ suæ monumenta relicta sunt oculis intuentium, gloriosè sepultus faciem Conditoris sui in extremo suscitandus præstolatur intuendam.

Domnus Alardus Cameracensis Archidiaconus et Thesaurarius, vir omnium rerum affluentiâ ita divino munere superabundans, ut promptuaria ejus plena eructarent ex hoc in illud, et beatum dicerent omnes dominum et domum

(*a*) Anno 1174 Episcopatu cessit Petrus. Biennio verò post Mathildem primùm Odoni Exoldunensi Toparchæ, deinde Guidoni Comiti Nivernensi conjunctam, in uxorem duxit, quacum haud diu vixit, mortuus videlicet anno 1177, mense Augusto. De illo Robertus de Monte ad hunc annum, *Petrus*, inquit, *frater Philippi Comitis Flandrensium, acceptâ Comitissâ Nivernensi, quæ fuerat uxor domini Isoldunensis castri, mortuus est, et ideò forsitan quia militiam spiritalem, id est Clericatum, dimiserat, utpotè qui fuerat electus ad Episcopatum Cameracensem.*

(*b*) « Robertus, *inquit Gislebertus Montensis ad an.* « 1174, a Cameracensi Ecclesia electus, bona » Episcopatûs studiosiùs cœpit perquirere, super » quibus mota est controversia inter ipsum et Jacobum de Avethnis. Cùm autem ipse Electus, » tempore Autumnali, in Brabantiam ad prædium » Episcopatûs *Melin* transire vellet, quia super » minis Jacobi sibi illatis dubitabat, a domino » Comite Hanoniensi conductum securum requisivit : cui dominus Comes virum nobilem Ludo» vicum de *Frasne* conductorem præbuit. Ipso au» tem Electo per Condatum Jacobi castrum abs» que metu aliquo transeunte, prætentis sibi a » quibusdam servis Jacobi insidiis, turpiter ab illis » in descensu pontis interfectus fuit ».

Digitized by Google

A cujus hæc essent, quibusdam reclamantibus, in Pastorem et Episcopum et meritis suis et majorum suorum obtentu fuit electus. In Italiam proficiscens, ut munus regalium de manu Imperatoris susciperet (quod, licèt de majoribus quidam reclamarent, efficaciter obtinuit) et ad sua reversus vir sine dolo, sed et mitissimus in populo suo evidenter apparuit, expertus in successorum doctrinam et exemplum, quòd in potentia multitudinis et in prælationis dignitate pax hominis et abundantia rerum non existit, sed beneplacitum est Domino super timentes eum et in eis qui in mediocritate sua sperant per misericordiam ejus. Sic tamen se exhibuit in diebus senectutis suæ, in quibus et vocatus ad altiora fuit, ut se præberet diligendum omnibus, et ad exequendum quod susceperat Episcopatûs officium præter vires corporis multotiens exhiberet officiosum. Consummatus autem in brevi (*a*), ne malitia cor ejus immutaret, apud Valcellas se sepe-
B liri decrevit, ut Religiosorum obtineret precibus quod sibi de propriis meritis provenire non præsumebat.

Post transitum domni Alardi domnus Rogerus de *Waurin* (*b*), Archidiaconi et Thesaurarii obtinens dignitatem in Ecclesia Cameracensi, communiter electus est (*c*), et sine difficultate investituram recepit de manu Imperatoris, quia quondam gratiam ejus promeruerat, cùm ipsum et dominum Alardum Episcopum pridem in pacis unitatem revocasset: Consecratus etiam fuit solemniter Romæ in monte Aventino in Ecclesia S. Sabinæ, a D. Willelmo Remorum Archiepiscopo et ibidem Cardinali creato in Concilio Lateranensi a domino Papa Alexandro, priùs mitratus (*d*) quàm consecrationis obtineret dignitatem. Suis verò postmodùm cum omni jocunditate restitutus, cum summa pace rexit Ecclesiam, hoc solùm excepto quòd Comes Flandriæ, Episcopo moram Romæ faciente, Præposituram Novi-castri, ipso nesciente, multâ pecuniâ comparavit, occupaturus totum
C jus Episcopi ratione suæ portionis, nisi providâ sollicitudine remedium Episcopus tantæ præsumptioni sedulus adhibuisset. Nulla namque timens pericula vel mortis vel exilii, majoribus Flandriæ et ipso Comite contra eum insurgentibus, hoc multis expensis et laboribus exhaustus tandem evicit, quòd Præpositura post mortem Comitis libera ad jus Episcopi devolveretur, et Comes eam dum viveret, jure suo tantùm contentus, assignatis in morte sua cui placeret septingentis libris, quietè possideret; et hujusmodi transactio confirmata est Imperatoris et Regis Franciæ et majorum quorumlibet, quorum in hoc testimonium valere potuerit, privilegiis.

Ortâ postmodùm inter ipsum et cives suos discordiâ, quia Communia civitatis minùs licenter et libenter contra libertatem Clericorum manus extendebat,
D ad Cæsaris audientiam fuit appellatum: ubi majoribus Curiæ Pontifici adnitentibus, quia Communiæ conjuratio omnibus Ecclesiæ libertatem diligentibus est odiosa, ab Imperatore solemniter Communia Cameracensis fuit abjudicata, concessaque fuit Episcopo Imperatoris edicto potestas ordinandi de civitate et civibus, prout Ecclesiæ tranquillitas et Episcopi sententia decrevisset; et super hoc privilegium fuit indultum et Principum testimonio consignatum, et omnia Communiæ insignia fuerunt penitùs exterminata. Domino autem Episcopo minùs discretè quoddam jugum servitutis gravissimæ civibus suis se impositurum comminante, cùm potiùs a severitate foret temperandum, cives ad Imperatorem festinantiùs, cum multa pecunia recurrentes, eliminato Communiæ nomine quod semper abominabile existit sub nomine pacis, cùm tamen pax non esset, contra Episcopum et Clericorum libertatem, sicut hodie est experiri, privilegium suâ voluntate et seditione plenum reportaverunt. O primam felicitatem magno per-

(*a*) Anno 1178 Alardi notatur obitus in catalogo Hasnoniensi ms. sed potior fides debetur Gisleberto Montensi, qui illum anno 1177 illigat cum Auctario Aquicinensi.

(*b*) Filius Rogeri de *Waurin*, Flandriæ Senescalli, et Isabellæ de Bethunia.

(*c*) Favore Balduini Comitis Hannoniensis. Ut enim scribit Gislebertus Montensis ad an. 1177: « Defuncto domino Alardo Cameracensi Episcopo, orta est dissensio in Cameracensi Ecclesia super episcopali electione. Dominus etenim Comes Hanoniensis pro consobrino suo Gaufrido de Toenio, viro honesto et admodùm literato, ut ad Episcopatum illum promoveretur artiùs laborabat; econtra vir nobilis et in Cameracensi regione potens Hugo de *Oisi*, qui a Comite Hanoniensi castra duo ad Comitatum Hanoniensem pertinentia in feodo ligio tenebat, scilicet *Crievecuer* et *Allues*, pro fratre suo Petro, ejusdem Ecclesiæ majore Archidiacono, modis quibuscumque poterat, ad dignitatem illam acquirendam intendebat. In hac quidem dissensione domnus Rogerus de *Waurin*, acquisito sibi Comitis Hanoniensis auxilio, in Episcopatu Cameracensi electus fuit et consecratus: qui postea (an. 1191) in transmarinis partibus ad auxilium Dominici sepulcri decessit ».

(*d*) Jus mitræ nondum penès quemlibet Episcopum erat; sed ex speciali Pontificis Romani privilegio pendebat.

Digitized by Google

mutatam infortunio, dum privilegium libertatis in quædam servitutis instituta commutatur ! A

Werris præterea et multiplicibus tum familiarium suorum persecutionibus, tum amicorum suorum causis et necessitatibus, quasi in area tritici trituratus Episcopus, in illa famosa peregrinatione quandò a Saracenis novissimè subjugata fuit Jherusalem, cum cæteris iter arripuit peregrinandi, desiderans laboribus et sudore proprii corporis diluere quod inter nos conversatus ex episcopalis negligentia regiminis contraxerat et humanæ culpâ contagionis. Multis autem exhaustis periculis, ad sanctæ civitatis perveniens obsidionem, cœpit gravius infirmari, et apud Tyrum relatus, Episcopatum resignans et pauper effectus pro Christo, sub
* An. 1191. habitu Canonicorum regularium migrans a sæculo * cum planctu omnium familiarium suorum ei assistentium (*a*) in sanctæ Crucis Ecclesia monumento receptus, extremâ sui abjectione pœnitendi monimentum suis deseruit, conferens in refec- B
tionem Canonicorum quotidianam regeriam quatuor mencaldorum farinæ per hebdomadam, ut indeficiente pane, eorum orationibus in æternum reficiatur.

Quot autem et quanta Patres prædicti contulerunt Ecclesiæ nostræ beneficia, licet ex privilegiis nobis indultis perpendere manifestius, quia nobis ipsorum largitione quotidiani panis abundantia confertur, eâ conditione ut fideliter jura matris suæ servantibus etiam cœlestis retributio conferatur. Sed ecce in die Domini, infidelitatis timemus argui, quia, nobis quasi nescientibus, de integritate et dignitate Episcopali quæque pretiosa deperierunt, castra videlicet ista *Paluel*, *Oisy*, *Haveraincourt*, *Crievecuer*, *Wallaincourt*, *Busignies*, *Saint-Obers*, *Hordain*, et facta sunt nobis quasi clavus in oculis, cùm deberent esse propugnacula securitatis ; forastrum quoque regium quod Episcopis datum est in usus venandi, et deputatum in defensionem Marcæ Imperialis, ita penitùs deperiit, quòd nec C
sylvæ penitùs vestigia retineat, nec aliquod præbeat obstaculum incursantibus : in quibus omnibus revocandis, prout tempus exigit, unicum restat consilium, ut evaginato gladio Petri, alius quem adhuc vagina concludit, efficaciter conseratur. (*Quæ sequuntur scripta sunt aliâ manu, sed adeò mutila ut ex eis certi quidquam vix elicere fas sit.*)

(*a*) In concatenato Cameracensis Ecclesiæ codice legitur : *cum plurimorum displicentia*, sed atramento recentiore scriptum.

EX GISLEBERTI MONTENSIS PRÆPOSITI HANNONIÆ CHRONICO (*a*). D

Descripto e ms. Codice (*b*) *Canonissarum S. Waldetrudis Montensis.*

Cum de gestis et genealogia dominorum Comitum Hanoniensium, Imperatorumque quorumdam Romanorum et Constantinopolitanorum, et Regum Francorum, Iherosolymitanorum, et Siciliæ et Anglorum, multorumque quoque Principum et aliorum nobilium, cum ipsis Comitibus sub brevitate dicere proposuerimus, ab Hermanno Comite, qui post quamplures Comites Comitatum Hanoniensem jure hæreditario possedit, et ejus uxore Richelde Comitissa, muliere prudentissima ac potentissima, initium habere volumus ; ut inde ad Balduinum Comitem, virum illustrem, animosum et prudentem, Balduini Comitis et Yolendis Comitissæ filium, qui uxorem habuit Aelidem Comitissam, Monti-

(*a*) Gislebertus, Gilbertus etiam dictus, Montensis Ecclesiæ sancti Germani Præpositus, scripsit Hannoniæ Chronicon, exeunte sæculo XII, præsertim verò gesta Balduini V Hannoniæ Comitis, seu ut aliis placet, quarti post Richildim usque ad an. 1195. Audiendus de scipso Gislebertus sub finem Chronici : *Hæc omnia conscripta*, inquit, *a Gisleberto hujus Comitis Clerico scripto commendata sunt, qui gesta quorumdam Imperatorum et Regum, et Comitum Hanoniensium et quorumdam Comitum Flandrensium qui prædecesserant, ex scriptis Ecclesiarum quamplurium collegerat, et his jura B. Waldetrudis ammiscuerat, et hujus Comitis Hanoniensis Principis illustris actibus tam in prosperitate quàm adversitate ferè omnibus interfuerat : quem ejus dominus Comes Cancellarium suum effecerat, et eum in bonis ecclesiasticis promoverat, scilicet in Præpositura S. Germani et B. Waldetrudis Custodia et Præbenda, et in Sonegiensi et Condatensi et Melbodiensi Ecclesiis Præbendis, et in Namurcensi Abbatia B. Mariæ, et in Præpositura et Custodia et Præbenda S. Albani, et in Custodia et Præbenda S. Petri Namurcensis.* Gislebertum secuti sunt Balduinus de Avennis in genealogiis Hannoniensibus, Jacobus Guisius, et quotquot de rebus Hannoniensibus scripsere Auctores.

(*b*) Ejus copiam nobis fecit vir clarissimus DD. Marchio du *Chateler*, Bruxellensis Academiæ Moderator, qui et ipse Gisleberti editionem parat, suis, ut speramus, numeris absolutam.

Digitized by Google

A bus in Monasterio B. Waldetrudis in superiori crypta S. Johannis Baptistæ sepultam, (qui quidem Comes post multos et inter multos labores bona Comitatûs sui Hanoniensis ampliavit, et demùm Montibus in Monasterio B. Waldetrudis in superiori choro sepultus fuit) et ad ejus filium Balduinum Comitem Hanoniensem, et primum Marchionem Namurcensem, virum sapientissimum et Principem potentissimum, qui ex parte uxoris suæ Margharetæ Flandriam per aliquot annos possedit, defunctusque Montibus in medio Monasterio B. Waldetrudis ante altare B. Jacobi Apostoli sepultus fuit, et ad ejus successores lucidiùs transire possimus.

Sciendum igitur quòd Hermannus Comes, qui Comes Montensis dicebatur, quia ipse Mons caput erat et est, semperque erit totius Hanoniæ, uxorem habuit Richeldem Comitissam, prudentem et viribus pollentem: qui, defunctò
B Comite Valencenensi absque proprii corporis hærede, tam jure hæreditario, quàm coemptione factâ cum quibusdam nobilibus qui in hæreditate illa reclamabant, sibi in proprietatem Comitatum illum vindicaverunt, et ipsum Comitatum Valencenensem Comitatûs Hanoniensis et castri Montensis honori addiderunt, filiumque habuerunt et filiam, qui quidem filius claudus fuisse dicitur. Quibus pueris in sua parvitate manentibus, eorum pater Hermannus Comes decessit, Richeldis verò Comitissa vidua supervixit, et totam terram Hanoniensis Comitatûs, tam de jure dotalitii quàm de procuratione puerorum suorum tenuit: quæ nupsit illustri Principi Balduino Comiti Flandrensi, Balduini Comitis et Aelidæ Comitissæ, filiæ Roberti Regis Francorum, filio, qui demùm in Monasterio Hasnoniensis Cœnobii, quod reædificaverat, sepultus fuit.

Hic equidem Balduinus Comes potenter et viriliter Flandriam et Hanoniam
C possedit, et pro nimia avunculi sui Henrici * Regis Francorum juventute Franciam (*a*) procuravit, et ex uxore sua Richelde duos suscepit filios, Arnulphum scilicet primum et Balduinum secundum: qui post nimios labores immani iniquitate a Flandria exhæredati fuerunt, et Comitatum Hanoniensem sibi in proprietatem retinuerunt. Dum verò Balduinus Comes cum uxore sua Richelde et Flandriam et Hanoniam possideret, ipsa Richeldis mulier astuta, videns primorum puerorum suorum, quos a Comite Hermanno susceperat, in corpore debilitatem, ultimosque pueros quos a Comite Balduino susceperat, majori amplectens dilectione, primorum puerorum filium in Clericum, filiamque in Sanctimonialem ordinari fecit, effecitque quòd ipse filius Clericus Episcopatum Catalaunensem adeptus est (*b*). Perfecitque ipsa Richeldis Comitissa cum viro suo Balduino, mediante coemptione et viribus prævalentibus, apud primos
D pueros, quòd totum Comitatum Hanoniensem, tam in allodiis quàm feodis et justitiis, sibi in proprietatem acquisierunt. Terram enim in Comitatu Hanoniensi et Valencenensi sitam, quæ tunc temporis allodium erat, sub Principum et nobilium testimoniis adepti sunt: feoda verò quæ ab Imperatore Romanorum tenebantur, scilicet Abbatiam et Advocatiam Montensis Ecclesiæ, et justitiam Comitatûs per dominum Imperatorem Romanorum susceperunt. Sicque Balduinus Comes Flandriæ cum Richelde uxore sua Comitatum Hanoniensem propriè et hæreditariè possedit.

* *Corr.* Philippi.

Balduinus equidem sæpedictus dum Flandriam et Hanoniam possidebat, ammonitu divino animatus, Cœnobium Hasnoniense (*c*) reædificavit, suisque bonis propriis tam in Flandria quàm in Hanonia ditavit, cùm olim ab Hunis destructum fuisset, et ejus bona in manus alienas ita devenissent, quòd omninò
E ab illa Ecclesia alienata essent: quæ quidem bona, post ejus decessum, Richeldis Comitissa et ejus filius Balduinus, conferendo eidem Ecclesiæ allodium suum Montinium in Brabantia, ampliaverunt.

Balduinus sæpenominatus, Princeps illustris et potens, Comes Flandriæ et Hanoniæ, fratrem habebat, sed non germanum (*d*) Robertum nomine, agnomine verò Frisonem, quia in Frisia adultus fuit. Hic quidem nullâ patrimoniorum participatione de jure (*e*) gaudere debebat. Attamen per ejus injustam

(*a*) **Non quidem Balduinus Montensis Flandriam procuravit, sed pater ejus Balduinus Insulanus,** ut e probatis constat auctoribus.

(*b*) Rogerius is vocabatur, inter Episcopos Catalaun. nomine secundus, qui ab an. 1042 ad an. 1066 sedit; filiæ verò nomen erat Gertrudis.

(*c*) **Anno 1067, annuente Philippo Rege,** diplomate eo anno dato, quod videsis inter instrumenta Gall. Christ. T. III. col. 84.

(*d*) Imò germanum, sed natu minorem.

(*e*) « In Comitatu Baldwini ejusque familia, » *inquit Lambertus Schafnaburgensis ad an.* 1071, id

Digitized by Google

reclamationem et versutiam nimia Flandriæ et Hanoniæ evenerunt excidia. Con- A
tigit enim ipsum Balduinum Comitem apud Aldenardam usque ad mortem ægrotare : qui infirmitate oppressus, omnium Ecclesiarum Flandriæ omnia sanctorum corpora, omnesque sanctorum reliquias ad se apportari jussit, omnesque fideles suos ad se invitavit. Quibus congregatis, de eorum consilio Flandriam Arnulfo primo filio, Hanoniam Balduino secundo filio suo assignavit : ita quòd si alterutrum eorum decedere contingeret, alter in utroque Comitatu succederet. Unde ipsis filiis, tanquam justis hæredibus, ab universis patris fidelibus fidelitates et hominiorum securitates, tactis prædictorum sanctorum corporibus et reliquiis, præstitæ fuerunt; sed malè a quampluribus observatæ. Verùm quia prædicti filii pro corporum suorum parvitate et nimia juventute ad terras suas regendas non sufficiebant; pater eorum sæpedictus Balduinus Arnulphi primogeniti et totius Flandriæ procurationem fratri suo Roberto Frisioni sub in- B
tentione bona commisit : cùm idem Robertus et Arnulpho et Balduino hominium et juramentum fidelitatis exhibuisset, quæ postea ipse Robertus, Dei sui oblitus, penitùs infregit. Balduini equidem sæpedicti Principis, Comitis Flandriæ et Hanoniæ, corpus defuncti in Monasterio Hasnoniensi, quod reædificaverat, sepultum fuit (*a*).

Robertus autem, miles animosus et in armis potens, sed in malitia et perfidia obstinatus, cùm suum dominum suumque nepotem, Arnulphum Comitem juvenem, haberet procurare, omnes ferè nobiles Flandriæ et burgorum vires suæ attraxit voluntati; acceptisque ab eis dolosè securitatibus, et dominium Flandriæ sibi penitùs usurpare et dominum suum Arnulphum ab hæreditate propria expellere non abhorruit. Arnulphus verò ad matris suæ Richeldis Comitissæ, et Balduini fratris sui, et nobilium Hanoniensium confugit auxilium : de quorum C
consilio ad dominum suum et avunculum Henricum * Regem Francorum transivit, qui eum in militem, licèt satis juvenem, ordinavit. Ad hæc ipse Rex Francorum, juxta querimoniam Arnulphi, Robertum sæpedictum ad justitiam prosequendam invitavit. Robertus verò de jure diffidens venire contempsit; et in sua perdurans iniquitate, Flandriam contra continuam Richeldis Comitissæ et Hanoniensium guerram, et Regis Francorum minas sibi retinere non dubitavit.

* *Corr.* Philippum.

Rex equidem Francorum Arnulphi graviter ferens exhæredationem, commoto exercitu, in Flandriam cum Arnulpho et Richelde matre ejus et eorum viribus venit. Robertus autem cum Flandrensibus et Frisonibus ac Hollandensibus, Francis et Hanoniensibus, multisque aliarum regionum hominibus occurrere non timuit. Exercitus itaque utrimque armati convenerunt in loco qui Casselum dicitur; et cùm gravi conflictu bellarent, Flandrensibus citiùs retrocedentibus, Robertus captus ab Hanoniensibus fuit. Contigit equidem Richeldem Comitissam, quæ ad suos animandos ad bellum accesserat, a Flandrensibus captam fuisse. Hanonienses autem nimiâ, et ultra quàm oporteret, pro suæ dominæ captione moti pietate, Robertum liberum concitò reddiderunt, ut suam dominam liberam reciperent. Liberatis itaque et Roberto et Richelde, Flandrenses ad bellum reversi sunt, in quo quamplures Franci et Hanonienses ceciderunt *. Cecidit etiam Arnulphus justus Flandriæ hæres, et a quodam homine suo ligio, Gerbodone nomine, interfectus fuit. Prævaluit igitur in bello Robertus, et qui antea fortis satis extiterat, postea fortior effectus est. Richeldis verò Comitissa, dolens de filii sui morte, in Hanoniam cum suis rediit; et cum Balduino filio suo juniore exhæredationem Flandriæ graviter ferens, contra Robertum inimicitias, et insultus quos potuit, commovit.... E

* An. 1071.

In diebus illis, defuncto Goscelone Duce Lotharingiæ, qui Dux dicebatur Bullionis castri, quod quidem castrum proprium erat allodium; illo, inquam, Goscelone, qui Odonem Campaniensem cum magno exercitu suo in bello

» multis jam sæculis servabatur quasi sancitum » lege perpetuâ, ut unus filiorum qui patri po- » tissimùm placuisset, nomen patris acciperet, » et totius Flandriæ Principatum solus hæredita- » riâ successione obtineret; cæteri verò fratres » aut huic subditi dictoque obtemperantes inglo- » riam vitam ducerent, aut peregrè profecti magis » propriis rebus gestis florere contenderent, quàm » desidiæ ac socordiæ dediti egestatem suam vanâ » majorum opinione consolarentur. Hoc scilicet » fiebat, ne in plures divisâ provinciâ, claritas » illius familiæ per inopiam rei familiaris obso- » leret. Igitur cùm Baldwinus senior duos genuis- » set filios, Baldwinum et Rubertum, Baldwinum » omnium quæ habebat hæredem instituit; Ru- » berto, ubi primùm ætas faciendis stipendiis ma- » tura visa est, naves paravit, aurum, argentum, » et cæteras longinquæ profectionis impensas » affatim præbuit; jussitque ut ad exteras gentes » exiret, et, si vir esset, propriâ sibi virtute reg- » num divitiasque pararet ».

(*a*) Obiit Balduinus Comes an. 1070.

vicerat

Digitized by Google

A vicerat et ipsum Odonem interfecerat [defuncto], filius ejus unicus Godefridus, miles juvenis, ei in omnibus bonis ejus successit. Filias quoque habuerat ipse Goscelo duas, Raelendem scilicet primam, Namurcensem Comitissam, Alberto Comiti desponsatam, et Ydam secundam Comiti Boloniensi in matrimonio traditam : quæ Yda filios habuit tres, Balduinum scilicet qui postea regnum obtinuit viriliter Jherosolymitanum, Godefridum Ducem Bullionis, qui idem regnum antè quàm Balduinus possedit, sed nunquam coronam regiam gestare voluit in regno Jesu Christi, ubi ipse Christus suam gestaverat coronam ; et Eustacium Boloniensem Comitem, militem probissimum. Godefridus autem prædictus, Goscelonis filius, absque proprii corporis hærede (*a*) decessit. Quo defuncto, mota est contentio inter sorores, scilicet Raelendem Comitissam Namurcensem et Ydam Comitissam Boloniensem, super allodiis et feodis. Et cùm Raelendis
B Comitissa soror prima super castro Bullione et majori parte bonorum reclamaret ; dominus Episcopus Leodiensis *, qui tunc temporis sedi Leodiensi præerat, timens ne Comes Namurcensis, qui et viciniâ et hominio ei satis contiguus erat, contra ipsum fortior fieri posset, pecuniâ etiam, donis et promissis corruptus, Comiti Namurcensi Alberto et ejus uxori in jure suo contrarius fuit, auxiliumque suum Ydæ Comitissæ Boloniensi omnimodis præbuit, tam super allodiis quàm super feodis. Et cùm difficiles a Namurco usque ad Bullionem essent transitus, tamen ipse Episcopus ad impediendum Comitis Namurcensis transitum, in medio castrum quod Mirwaldum (*b*) vocatum est, construxit. Comite itaque Namurcensi in jure suo non prævalente, Godefridus Ydæ Boloniensis filius honorem Ducatûs et castrum Bullionem adeptus fuit.

* Henricus.

Post disgressionem redeundum est ad Comitissam Richeldem, quæ castrum
C Belli-montis scilicet turri et aliis munitionibus construxit, et capellam ibidem in honore S. Venantii instituit, quam bonis satis competentibus ditavit. Hæc etiam Comitissa cum Balduino filio suo in curia sua officia hæreditaria instituit, Dapiferorum scilicet et Pincernarum, Panetariorum et Coquorum, Camerariorum et Hostiariorum : et cùm in illis officiis Hanonienses institueret, cum eis quosdam Flandrenses qui, relictis bonis suis in Flandria, cum domina sua Richelde et Balduino filio ejus quasi exules in Hannoniàm venerant, instituit. Alii quoque quamplures nobiles et servilis conditionis, relictâ Flandriâ, dolentes super domini sui exhæredatione, cum sæpedicta Comitissa et filio ejus Balduino Hanoniam inhabitaverunt ; quos ipsa Comitissa et filius ejus honestis ditaverunt beneficiis.

Richeldis equidem Comitissa super morte filii sui Arnulphi plurimùm dolens,
D exhæreditationemque filii superstitis graviter ferens, allodia sua omnia in Hanonia sita Episcopo Leodiensi Theoduino, Principi potenti sibique satis vicino, danda obtulit, ut ab eo in vindictam contra sæpedictum Robertum auxilium haberet, et acceptâ ab eo pecuniâ, stipendiarios proinde contra eumdem Robertum conduceret. Theoduinus autem Episcopus, habito Leodiensis Ecclesiæ suorumque fidelium, nobilium et ministerialium consilio, tanta allodia tanto honore insignita gratanter suscepit : quæ quidem ipsi Richeldi et ejus filio Balduino in feodo ligio tenenda concessit, maximamque pecuniam proinde eis tribuit ; quæ quidem coemptio conventuales Ecclesias omnes Leodiensis Episcopatûs in thesauris suis auri et argenti graviter afflixit. Hæc quidem omnia Fossis, sub testimonio Godefridi Ducis Bullionis et Alberti Comitis Namurcensis, et Comitis Lovaniensis et Comitis Cymàcensis, et Comitis Montis-acuti in Ardenna, et aliorum Leodiensis Ecclesiæ quamplurimum fidelium, nobilium et servilis

(*a*) Godefridus Gibbosus dictus, eo nomine quintus, filius fuit Godefridi Barbati, non verò Goscelonis qui Odonem Campaniensem an. 1037 bello vicit. Godefridus Gibbosus an. 1076 interfectus perhibetur in chronographia Sigeberti. Eum Gozilonem vocat Lambertus Schafnaburg. ad eumdem annum : « Gozilo, *inquit,* Dux Lotharingo- » rum, cùm esset in confinio Lotharingiæ et » Flandriæ, in civitate quæ dicitur Antwerpha, » occisus est per insidias, ut putabatur, Ruberti » Flandrensis Comitis. Cùm enim quâdam nocte, » quiescentibus omnibus, ad necessitatem naturæ » secessisset, appositus extra domum spiculator » confodit eum per secreta natium, relictoque » in vulnere ferro, concitus aufugit. Vix dein- » ceps septem diebus accepto vulneri superstes, » IV Kal. Martii vitâ decessit, atque Verdunis » juxta patrem sepultus est. Rex [Germaniæ Hen- » ricus] Pascha Trajecti celebravit, ibique Du- » catum Lotharingiæ filio suo Cunrado, Mar- » chiam verò quæ dicitur Antwerpha, Godefrido » consobrino Gozelonis Ducis, filio Eustachii » [Boloniæ] Comitis, impigro et ad rem mili- » tarem acerrimo adolescenti, tradidit ». In magno Chronico Belgico p. 123, *post Godefridi Ducis interitum, Ducatus Lotharingiæ annis* XIV vacasse dicitur, *videlicet usque ad an.* MXC *exclusivè : quo anno Godefrido, Godefridi Gibbosi ex sorore nepoti, datur Ducatus Lotharingiæ.*

(*b*) An. nimirùm 1082, ex chronico S. Huberti.

Digitized by Google

conditionis virorum ordinata fuerunt. Ad hæc ipse dominus Theoduinus Leo- A
diensis Episcopus, vir prudens et potens, qui apud dominum Romanum Imperatorem tempore illo gratiâ et familiaritate poterat plurimùm, apud ipsum (*a*) Imperatorem, servitio et donis mediantibus, effecit quòd ipse Imperator Leodiensi Ecclesiæ contulit, de consensu et laudamento prædictorum, scilicet Richeldis et Balduini filii ejus, omnia feoda quæ Comes Hanoniensis ab eo tenebat, videlicet Abbatiam et Advocatiam Montensis Ecclesiæ et justitiam Comitatûs Hanoniensis, ita quòd sæpedicta Richeldis et ejus filius Balduinus sub una manu et uno hominio ligio universa allodia sua et familias et feoda ab Episcopo Leodiensi receperunt, quæ etiam successores eorum eodem modo prosecuti sunt; salvis tamen in omnibus B. Waldetrudis allodiis propriis, scilicet in Montibus tam in castro quàm in villa, et in villis *Querignon* et Gamapia, Frameriis et *Kevi*, Braina-Wilhotica et Braina-castello, *Hal*, Castris, Herinis, quæ omnia B
B. Waldetrudis diebus suis præter Ducatum suum Lotharingiæ in proprietatem sibi retinuit, et ea Ecclesiæ suæ quam in Monte, qui Castri locus dicitur, ins-
* *Cuemes.* tituit, perpetuò tenenda attribuit; et præter Comas * et *Nimi* et villam supra Hainam, et alia quamplura bona quæ postea ipsi Ecclesiæ attributa fuerunt.

In tot et tantorum allodiorum et feodorum prædictorum assignatione Leodiensi Ecclesiæ facta, et tanti viri scilicet Comitis Hanoniensis hominio ligio, constitutum fuit quòd Comes Hanoniensis domino suo Episcopo Leodiensi servitium et auxilium ad omnia et contra universos homines cum omnibus viribus hominum suorum tam equitum quàm peditum debet, et hoc in propriis expensis Episcopi, postquam ipse Comes a Comitatu Hanoniensi exierit. Si dominus Comes ad dominum Episcopum pro terra sua recipienda accesserit, dominus Episcopus ei debet expensas, postquam a Comitatu Hanoniensi exierit. Si dominus Episcopus C
Comitem Hanoniensem ad curiam suam invitaverit vel ad colloquium aliquod, similiter debet ei expensas. Si dominus Imperator Romanus Comitem Hanoniensem ad curiam suam invitaverit ob aliquam causam, Episcopus Leodiensis eum in propriis expensis ad curiam illam salvum ducere debet et reducere, et pro eo in curia juri stare et respondere. Præterea si quis terram Hanoniensem ad malè faciendum aggressus fuerit, Episcopus Leodiensis Comiti Hanoniensi debet exercitum contra exercitum in propriis expensis Episcopi. Si Comes Hanoniensis castrum aliquod, quod ad honorem suum pertineat, obsederit, vel contra eum obsessum fuerit, Episcopus ei debet subvenire in propriis expensis cum quingentis militibus, et Comes ei debet facere haberi forum victualium justum; si in campis herba pateat, vel alia victualia pateant equis necessaria, Episcopus cum suis eam ad voluntatem suam accipere potest. Hoc quidem auxilium Episcopus D
Leodiensis ter in anno quâquâ vice videlicet quadraginta diebus debet Comiti Hanoniensi. Cum Comite Hanoniensi tres Hanoniæ Castellani, scilicet Castellanus Montensis, et Castellanus Bellimontis, et Castellanus Valencenensis hominium faciunt Episcopo Leodiensi. Episcopus Leodiensis in Natali Domini debet Comiti Hanoniensi tria paria vestium, quarum singulæ vestes debent valere sex marchas argenti pondo Leodiensi; et unicuique Castellano nominato vestes, quæ etiam singulæ sex marchas valere debent. Si quod allodium in toto Comitatu Hanoniensi Comiti datum fuerit, et postea ab ipso in feodo accipiatur; vel si aliquod allodium intra terminos sui Comitatûs, vel servos vel ancillas in proprietatem sibi acquisierit, ipse statim ea ab Episcopo Leodiensi cum alio feodo suo tenet. Et cùm quamplures Principes, Duces et Barones scilicet et Comites, et alii nobiles et eorum homines pacis Leodiensis justiciæ habeant respondere et E
satisfacere; Comites Hanonienses vel homines ejus pacis ejusdem justiciæ nequaquam tenentur respondere.

Richeldis Comitissa et Balduinus ejus filius de accepta ab Episcopo Leodiensi pecunia coadjutores et stipendiarios multarum regionum contra Robertum supradictum, qui violenter Flandriam tenebat, quoscumque potuit conduxit, scilicet Ducem Bullionis, Comitem Namurcensem, Comitem Lovaniensem, Comitem Montis-acuti, Comitem Cymachi, Comitem Alti-montis, multosque alios, et Roberto quos potuit insultus fecit : attamen nihil ei profuit. Deinde Robertus qui ab Hanoniensibus continuos sustinebat assultus, eorum vires parvipendens,

(*a*) Diploma Henrici Imperatoris recitat Ægidius Aurææ-vallis Monachus, *datum* v *Idus Maii*, anno Dominicæ Incarnationis millesimo septuagesimo primo, Indictione IX, etc.

Digitized by Google

A commoto exercitu, in Comitatum Hanoniensem venit : cui Hanonienses in Brabantia, in territorio qui dicitur Broqueroia, prope Montes occurrerunt ; et cùm gravi bello dimicarent, Hanonienses numero pauci ad defensionem, cecideruntquamplures : unde locus ille appellatus est Mortalis-Haya. Robertus equidem iniquitate et superbiâ accensus, prope Montes in loco qui dicitur Dura, Hainam fluvium transivit, sicque per Hanoniam transeundo in suis viribus, et prætermittens Valencenas, manere proposuit in loco qui dicitur *Wauercins* (*a*) super Scaldum fluvium : ibique munitione factâ fossatis et lignis, secessit in Flandriam, relictis ibi trecentis militibus qui Hanoniam in viribus suis assiduè infestabant. Balduinus autem juvenis Hanoniensis Comes super tanta clade contra inimicos suos quærens subsidium, ad partes transivit Aduallenses, et cum auxilio domini sui Leodiensis Episcopi et suorum quorumdam, in multitudine militum ex im-
B proviso prædictis hostibus suis, qui apud *Wauercin* manebant, incautis supervenit, quosdam quidem interfecit, quosdam captos detinuit, ita quòd ferè nullus evasit, eorumque munitio prostrata fuit.

Sæpedicta Richeldis et ejus filius Balduinus sic a Flandria injustè prorsùs expulsi manserunt : qui operibus bonis et eleemosynis intendentes, in allodio suo proprio Ecclesiam S. Dionysii in Brokeroia (*b*) construxerunt, in quo Monachos ad serviendum Deo instituerunt, et ipsam villam, multisque in locis terras cultas et incultas, silvas, prata, aquas, servos et ancillas, eidem Ecclesiæ contulerunt, et quâ potuerunt libertate eam honoraverunt. (*Plura subjungit de origine et consuetudinibus Ecclesiæ B. Waldetrudis.*)

Redeamus inde ad Richeldem (*c*) Comitissam et Balduinum ejus filium, qui Roberto agnomine Frisoni multos et continuos et ejus Flandrensibus moverunt
C guerrarum insultus. Balduinus equidem miles juvenis, Comes Hanoniensis, probus in armis, pace cum Flandrensibus initâ, quamdam Roberti Comitis neptem quam necdum viderat, nec de ejus deformitate nimia aliquid audierat, promisit et juravit ducere in uxorem. Unde Robertus vir astutus, ne Balduinus posset resilirê, Duacum castrum, quod proprium erat Comitis Hanoniensis, sibi exinde obligari fecit, acceptis obsidibus qui castrum illud custodirent ; et si Comes Hanoniensis a nuptiis juratis retrocederet, ipsum castrum ei pro quadam summa pecuniæ magna traderent. Contigit autem Balduinum illam vidisse, quam visam nimiâ turpitudine indecentem sprevit ; et a pacto recedens nuptiali, duxit Ydam in uxorem, Lamberti (*d*) Comitis Lovaniensis sororem, mulierem religione et omni morum honestate ornatam : unde Duacum ita in manus Roberti Frisonis et suorum successorum multorum Flandriæ Comitum devenit, nec ab
D Hanoniensibus per pecuniæ solutionem nec per justitiam retrahi poterat. Hic Balduinus Comes de Yda uxore sua filios habuit duos, Balduinum scilicet primum, qui in Comitatu Hanoniensi ei successit, et Arnulphum secundum, et filias duas.

Balduino igitur sic in Hanonia dominante, vir quidam nobilis Gosuinus nomine, de villa in Cameracesio quæ *Oysis* dicitur, oriundus, Par castri Montensis, cui ipse Comes magna in territorio de Avethnis, multisque aliis in Hanonia locis contulerat bona (unde ligium ei fecerat hominium, et de omnibus quæ possidebat continuum in castro Montensi debebat stagium) factæ fidelitati obvians, domino suo ligio Comiti Hanoniensi in jure contraire, et contra ejus voluntatem et prohibitionem turrim in Avethnis (*e*) cœpit construere ; et cùm ad monitionem domini sui juri stare in ejus curia dedignaretur, ipse Comes in eum insurrexit : cui ille cum quot habere potuit viribus, occurrere præsumpsit prope
E Sambram fluvium. Et cùm ibi acriter per duos dies bellassent, tertiâ die Comes, obtentâ super jure suo victoriâ, Gosuinum prædictum captum Montibus secum deduxit, quem tandem ad preces fidelium suorum virorum nobilium, abscissâ barbâ, abire permisit : qui postea, habitâ domini sui gratiâ, turrim in Aveth-

(*a*) Meyerus habet *Vorechiacum*.

(*b*) An. 1081, ut constat ex diplomate vulgato ab Auberto Miræo in notitia Eccles. Belgii cap. XLVI.

(*c*) De Richilde Comitissa ne verbum quidem ampliùs habet Gislebertus. *Ipsa quidem, postquam viriliter et benè terram suam tenuerat,* inquit Balduinus de Avennis, *mortua est anno Domini* MLXXXVI.

(*d*) Albericus ad an. 1084, *Comes Montensis Balduinus,* inquit, *uxorem duxit Idam, filiam Henrici Lovaniensis.* Ida proinde et Lambertus Henrico II Comite Lovaniensi erant prognati ; sed Lamberti inter filios Henrici nulla occurrit mentio apud scriptores tum veteres tum recentiores. Guillelmus in chronico Andrensi ad an. 1195, Idam Henrici quarti Imperatoris filiam dicit, errore manifesto.

(*e*) Constat ex nota (*b*) supra paginæ 401 subjecta, Gosuinum de Oysiaco anno 1106 quàm citiùs dominium Avesnense assecutum fuisse ; quippè eo vel sequenti anno peremptum fuisse avunculum ejus Theodericum de Avennis disertè tradit Herimannus Tornacensis. Unde quæ narrat hìc Gislebertus, de alio Balduino intelligenda sunt.

Digitized by Google

nis perfecit, quæ quidem firmitas postea quandòque in detrimentum quorumdam A
Comitum Hanoniensium fuit.

An. 1096. In diebus illis Jherusalem civitas sancta, Armeniaque et Syria et pars Græciæ, a Gentilibus usque ferè Brachium S. Georgii occupata tenebatur. Unde ad subveniendum Ecclesiis Orientalibus quamplures imperii Romani et regni Francorum viri animati sunt : quorum consortio Balduinus sæpedictus Comes Hanoniensis, bonis intendens operibus, miles potens in armis, largitor eleemosynarum optimus, se ammiscere decrevit....

Itaque longo tempore regnum Persidis Imperio Constantinopolitano subjectum fuit, et Christianæ fidei cultus in Jherusalem et in multis urbibus Orientis floruit, donec Christianorum peccatis offenso Deo, rursùm error gentilitatis invaluit, ac de finibus suis egressi Gentiles Jherosolymam et sepulcrum Domini pervaserunt, Armeniamque et Syriam, partemque Græciæ penè usque ad illud mare, B
quod dicitur Brachium S. Georgii, obtinuerunt. Demùm quidam Constantinopolitanus Imperator, Alexis nomine, assiduis Gentilium incursionibus minuto magna in parte regno suo, tremefactus misit nuncios in Franciam cum epistolis, ad animandos Principes ut desolatæ Jherusalem et periclitanti Græciæ subvenirent : unde confidentiùs scripsit Roberto seniori, Flandrensium Comiti. Hic equidem Robertus frater fuit Balduini Comitis Flandrensis et Hanoniensis, ut satis prædiximus : qui etiam sororem habuerunt Mathildem scilicet, conjugem Willelmi Comitis Normannorum, qui postea Rex fuit Anglorum : de qua Mathilde ipse Willelmus Rex tres genuit filios, scilicet Willelmum, Robertum et Henricum, et filiam Adelam, uxorem Stephani Comitis Blesensis, de qua ipse Stephanus filium habuit Theobaldum Comitem potentissimum, qui bona sua in regno Francorum plurimùm ampliavit, qui etiam filios habuit, Henricum Comi- C
tem Trecensem, et Theobaldum Comitem Blesensem, et Stephanum Comitem [Sacri-Cæsaris], et Willelmum Remensem Archiepiscopum, et filias, Adelam scilicet Reginam Francorum, matrem Philippi Regis Francorum potentissimi, et Ducissam Burgundiæ, et Comitissam de *Bar*, et Comitissam de Percea. Ex primis Willelmi Regis Anglorum filiis, Willelmus primus filius patri mortuo in regnum successit; Robertus verò factus est Comes Normannorum : sed cùm post paucos annos Willelmus Rex, qui venatum in silvam perrexerat, a quodam milite suo interfectus fuisset, Henricus frater ei in regno successit. Cui quidem Henrico nepos ejus Stephanus, frater Theobaldi Comitis Blesensis, qui etiam uxorem habuit filiam Eustacii Comitis Boloniensis, fratris inquam Godefridi Ducis et Balduini, qui postea regnum Hierosolymitanum obtinuerunt, successit in regno.

Insuper Alexis Constantinopolitanus Imperator a domino Papa Romano, Ur- D
bano, super Gentilium incursibus auxilium et consilium requisivit. Hic itaque Urbanus ante Papatum Odo vocatus, fuerat ex claro Francorum genere oriundus, et ex Clerico factus Monachus Cluniaci Prioratûs rexit officium. Inde proficiente merito ad Episcopatum Ostiensem vocatus est : demùm ad summum Pontificatum vocatus dictus est Urbanus. Hic itaque vir eximius cùm Alexis Imperatoris suique dilecti precibus, sed multò propensiùs generali Christianitatis periculo pulsaretur, in regnum Francorum venit, et in urbe quæ Clarus-mons in Alvernia dicitur, Concilium suum super his instituit, invitatis ad illud quampluribus Franciæ et Germaniæ viris, tam Clericis quàm laïcis, quos ipse dominus Papa ad subveniendum sanctæ civitati Jherusalem et Ecclesiis Orientalibus pio sermone exhortatus est : ad cujus dulcem et congruam sermocinationem multi et magni viri signum crucis Domini cum arrepto citiùs itinere sibi assumpserunt. E
In quo quidem Concilio ipse Urbanus Papa secundus tantâ refloruit auctoritate, ut etiam Philippum Regem Francorum, qui, propriâ uxore relictâ Bertâ, Andegavensis Comitis uxorem Bertradam sibi copulaverat, tantâ constantiâ excommunicaverit, ut intercessiones spectabilium personarum et multiplicium munerum illationes contempserit, et quòd intra regni sui limites demorari non extimuerit. In hoc autem Concilio dominus Papa signum vociferationis Christi fidelibus dedit, ut cùm ad bellum essent, unâ voce clamarent : *Deus vult, Deus vult :* quod et ita factum est.

Celebrato itaque Concilio, anno Dominicæ Incarnationis MXCV, cùm multi Principes in auxilium Domini properarent, videlicet Boemundus, Tancredus, Remundus Comes S. Egidii, Episcopus Podiensis, Hugo Magnus frater Phi-

Digitized by Google

A lippi Regis Francorum, Robertus Comes Normannorum, Robertus Comes junior Flandriæ, sæpedicti Comitis Roberti filius, et Godefridus Dux Bullionis cum fratribus suis, Balduino scilicet et Eustacio; Balduinus sæpedictus Comes Hanoniensis, Richeldis filius, Godefrido Duci et ejus fratribus ad auxilium Domini et ejus honorem associatus est. Sciendum quòd cùm Godefridus Dux iter Domini arripere proposuisset, allodium suum proprium Bullionem pro quadam summa pecuniæ assignavit Leodiensi Ecclesiæ, hâc interpositâ conditione, quòd si, Deo volente, eum decedere in transmarinis partibus contingeret, illud Leodiensi Ecclesiæ in proprietatem remaneret; si verò eum reverti inde Deus permitteret, illud pro accepta pecuniæ summa redimere posset. Et quia regnum Jherosolymitanum adeptus nunquam inde rediit, ipsum Bullio castrum cum pertinentiis suis Leodiensi Ecclesiæ in proprietatem cessit: justitia
B verò Ducatûs Lotharingiæ et feoda ad Ducatum pertinentia in manu Imperatoris Romanorum devenerunt. Itaque Ducatum cum suis pertinentiis cuidam viro nobili, Henrico scilicet de *Lemborch* contulit, et sic ille et quidam ejus filius Ducatum illum tenuerunt: unde postea multi de *Lemborch* domini licèt Duces non fuerunt, tamen Duces appellati sunt. At quidam Comes Lovaniensis Lambertus scilicet (*a*), pater Godefridi Ducis qui Dux Barbatus appellatus est, Principis inquam potentis, apud dominum Imperatorem effecit quòd Ducatûs

(*a*) Rursùs hìc occurrit mentio Lamberti Comitis Lovaniensis, patris Godefridi Barbati Lotharingiæ Ducis, quem scriptores omnes Henrico II Lovaniensi natum volunt. Emendandus igitur Gislebertus et expungendus e Lovaniensium Comitum serie hic Lambertus; quippè, teste Alberico ad an. 1095, Henrico Tornaci perempto *succedit frater ejus Godefridus*. Id etiam constat ex Lovaniensium Comitum genealogia quam texuit Balduinus de Avennis, etsi aliàs minùs accurata. « Rex Francorum Ludovicus, *inquit*, filius Caroli » Simplicis, ex Regina Ogiva Regis Anglorum Anchelmi filia, duos genuit filios, Lotharium qui » patri successit in regno, et Carolum Ducem » Lotharingiæ. Hic Carolus duas genuit filias, Ermengardim, quæ nupta Comiti Namurcensi peperit Albertum Comitem, qui patri successit in » Comitatu, et Gerbergam quæ nupsit Lamberto » cum Barba, fratri Reineri Longicolli Comitis » Montensis. Iste Lambertus Bruxellam tenebat » in hæreditate sua, et hic Lambertus ex Gerberga genuit Henricum seniorem, Comitem » Bruxellensem; et ii fundaverunt Ecclesiam S. » Petri in Lovanio. Iste Lambertus præliando » contra Episcopum Leodiensem Baldricum, apud » *Huardil* devicit eum: postmodùm tamen in prælio fuit occisus apud Florinas.

» Henricus igitur senior patri succedens in Comitatu Lovaniensi, duos genuit filios et unam » filiam, quorum primogenitus Henricus, et alter » Lambertus. Filia verò Machtildis nomine Eustachio Boloniæ Comiti nupta est. (*Sed ii filii erant* » *Lamberti.*) Lambertus verò patri successit in Comitatu Lovaniensi, quia frater ejus primogenitus sine hærede decessit ». (*Falsum; nam præter Ottonem qui Comitatum modico tempore rexit, filias reliquit Henricus, quas infra Henrico III perperam attribuit.*)

« Hic itaque Lambertus uxorem duxit Odam, » et ii fundaverunt Ecclesiam S. Guduliæ, ponentes ibi Canonicos quibus decimas dederunt » de Bruxella. Dictus quoque Lambertus ex Oda » genuit Henricum qui patri successit in Comitatu, » et genuit duos filios, Reinerum primogenitum » et Henricum: quo Reinero in Hasbania occiso, » cùm hæres ei non esset, successit in Comitatu » patri Henricus, qui duos genuit filios, Henricum primogenitum et Godefridum cum Barba.

» Mortuo igitur patre, successit ei primogenitus » Henricus, qui de uxore sua quatuor genuit filias, quarum unam Imperator Fredericus duxit » uxorem (*falsum*). Postea dictus Henricus Comes » Tornaci occisus (an. 1095) et Nivellæ sepultus est.

» Successit igitur ei in Comitatu frater suus Godefridus cum Barba, eò quòd filium non habebat. Huic itaque Godefrido Imperator Henricus nomine contulit Ducatum Lotharingiæ, » propter quod ipse et successores sui deinde vocati sunt Duces. Et hic Godefridus duos habuit » filios et tres filias; primogeniti nomen Godefridus; alterius Henricus, qui Monachus factus » est in Monasterio Affligensi. Filiarum primogenita Aelidis, Regi Angliæ [Henrico] maritata » est; secundam nomine Ydam Comes Clevensis » duxit in uxorem; tertia nomine Clarissia virgo » permansit. Demùm hic Godefridus defunctus est » anno Domini MCXXXIX, et apud Affligense Monasterium sepultus, quod ipse fundaverat.

» Godefridus ergo filius ejus in Ducatu succedens, uxorem duxit sororem Imperatoris Lutgardem, post quatuor annos defunctus est. Cui » Godefridus ejus filius successit, infans unius » anni: qui ad ætatem perveniens, uxorem duxit » Margaretam sororem Ducis Lemburgensis, ex » qua duos genuit liberos, Henricum postea Ducem, et Albertum. Quâ Margaretâ defunctâ, » Dux Godefridus secundam duxit uxorem Ymainam, sororem Comitis Lossensis, ex qua unum » genuit filium Guillelmum nomine, a quo descendunt hæredes de *Perewes*. Iste Godefridus » Dux cum filio suo Henrico longo tempore » guerram habuerant cum Comite Hainoniæ Balduino hujus nominis tertio post Richildim, et » contra Balduinum filium ejus. Hic igitur Godefridus, postquam Ducatum tenuerat XLVII annis, » mortuus est anno Domini MCXC. Cui successit » filius ejus Henricus. Albertus factus Clericus et » postea Leodiensis Episcopus, occisus est juxta » civitatem Remensem (an. 1192).

» Henricus itaque Dux uxorem duxit Machtildem, filiam Comitis Boloniensis Matthæi, Philippi Comitis Flandriæ germani, ex qua duos » genuit filios et tres filias. Primogeniti nomen » Henricus, alterius Godefridus. Filiarum primogenita Maria Imperatori nupsit Ottoni; secunda » nomine Aelidis Comiti Alverniæ Guilelmo; » tertia nomine Machtildis Comiti Hollandiæ » Florentio, strenuo militi pro tempore suo, qui » juvenis mortuus est in torneamento apud *Boves*. » Machtilde autem Ducissâ mortuâ, Dux Henricus » aliam duxit uxorem Margaretam *, Comitis Na- * *Al.* **Mariam.**
» murcensis Philippi relictam, Regis Francorum » Philippi (II) filiam, ex qua unicam genuit filiam » Elisabeth seu Isabellam: quæ nupta Comiti Clevensi Theoderico, dicto de *Dinslaken*, qui patre » superstite decessit, duas peperit filias, Machtildem dominam de Durbio, uxorem domini Gerardi de *Lucelburg*, et aliam domini Gerlaci de » *Ysenburg* uxorem.

» Dux igitur Henricus, postquam Ducatum tenuerat annis XLV, mortuus est anno Domini » MCCXXXV. Cujus filius primogenitus Henricus in » Ducatu succedens, uxorem duxit Mariam filiam Ducis Sueviæ Philippi, ac Regis Alemanniæ Henrici Imperatoris germani, qui de uxore » sua Imperatoris Constantinopolitani filia tres » genuerat filias, hanc scilicet Mariam, et alias

Digitized by Google

* An. 1106. hujus dignitatem ei concessit. * Et sic Ducatus ad Comites Lovanienses deve- A
nit; attamen nullam ex Ducatu ipso extra terminos suæ propriæ terræ unquam exercuerunt justiciam.

Exercitus Christianorum post multos et per magnos labores, per Hungariam et Bogariam Græciam et Constantinopolim transeuntes, subjugatis sibi quampluribus civitatibus, pervenerunt Antiochiam: quibus Alexis Imperator juramentum fecerat, quòd si eis necessitas incumberet, cum viribus suis subveniret, et inde ad eorum vires augendas Tatinum Senescallum suum cum tribus millibus armatorum transmisit. Nostri verò Christiani juraverant ipsi Imperatori, quòd si esset eis auxiliator fidelis, totam terram a Constantinopoli usque Antiochiam, et ipsam Antiochiam ejus ditioni redderent. Die autem illâ quâ Antiochiam pervenerunt, et tentoria ad obsidionem urbis fixerunt, Balduinus Comes Hanoniensis constitutus fuit retro-custos exercitûs. Fixis autem tentoriis, B
et Principibus per loca circa urbem ordinatis, Balduino Comiti Hanoniensi ad sua tentoria figenda locus non patuit. Balduinus verò Tatini ab Imperatore missi vires vilipendens, ejusque perfidiam erga Christianos metuens, inter illius tentoria et civitatem sua tentoria figere non timuit. Unde graves a Turcis et continuos patiebatur insultus cujus nominis fama pro tanta animositate per totum Christianorum exercitum dilatata est. Captâ autem Civitate Antiochiâ, Principes exercitûs pactum cum Imperatore Constantinopolitano firmatum volentes observare, nuncios ad eum direxerunt, scilicet Hugonem Magnum fratrem Philippi Regis Francorum, et Balduinum Comitem Hanoniensem cum magna militum turma, ut civitatem reciperet et quæ eis pepigerat expleret. Quibus euntibus insidiæ a Turchis prætentæ fuerunt, et ex eis quamplures occisi, alii verò capti, quidam autem per fugam elapsi sunt: in quo quidem conflictu Bal- C
duinus Comes Hanoniensis periit, sed cui infortunio succubuerit, adhuc ignotum est. Unde etiam tacendum non est, quòd uxor ejus Yda Comitissa domini sui occasum ut audivit, sed incerta si occisus fuerit vel captus teneretur, Deum et virum suum diligens, partes illas cum labore magno et gravibus expensis adire non dubitavit: unde ipsa priùs de viro suo incerta incertior rediit.

Hæc quidem mulier religiosa Romam orandi intuitu sæpiùs adiit. Unde contigit quòd cùm a peregrinatione illa reditum faceret per Ardennam, ubi quædam allodia prope Ecclesiam S. Huberti habebat, Comes Cymaci ei insultus violentos faciens, eam capere voluit: quæ ad Ecclesiam S. Huberti fugiens, ibi per aliquod tempus mansit, quousque illinc securè in Hanoniam transiit. Ex gratia autem et familiaritate quam cum illa Ecclesia habuit, contulit ipsi Ecclesiæ in proprietatem allodia sua quæ in partibus illis habebat, eidem Ec- D
clesiæ satis contigua, de quibus partem antea Richeldis Comitissa eidem Ecclesiæ contulerat liberè, partem verò in vadio tenendam concesserat. In bonorum autem illorum collatione constitutum fuit inter ipsam et Ecclesiam, et quoscumque dominos Comites Hanonienses, ut quicumque Abbas S. Huberti maneat Capellanus Comitis Hanoniensis, ita quidem quòd ad monitionem ipsius Comitis ter in anno debeat ad Comitem accedere in Hanoniam pro divinis celebrandis in magnis solemnitatibus, scilicet in Natali Domini et in Pascha et in Pentecoste, et afferre duo vasa plena vino Leusuræ, quæ vasa barilii vulgariter dicuntur.

Sæpedicto Balduino Comiti Hanoniensi, Balduini Comitis Flandriæ et Hanoniæ et Richeldis Comitissæ filio, successit filius ejus juvenis primogenitus Balduinus in Comitatu Hanoniensi. Secundus autem filius fuit Arnulphus, pater Eustacii senioris de *Ruez*. Filiæ autem fuerunt tres, quarum una Yda E
nomine viro nobili et bellicoso, Thomæ scilicet de Marla maritata fuit; alia verò Richeldis nomine Comiti Montisfortis in Francia, quæ a viro relicta (*a*)

» duas, quarum una Regi nupsit Bohemiæ, et » altera Regi Hispaniæ. Ex dicta ergo Maria Dux » Henricus unum genuit filium Henricum, et » quatuor filias: quarum primogenita Maria Co- » miti nupsit Atrebatensi Roberto, Regis Fran- » corum Ludovici germano, quo defuncto, nup- » sit Comiti de Sancto-Paulo, etc. Secunda filia » Ducis Henrici, Beatrix nomine, primò nupsit » Lantgravio Thuringiæ Henrico, quo defuncto, » iterùm nupsit Guilelmo primogenito Flandriæ; » tertiam habuit Dux Bavariæ; et quarta Mo- « nialis facta est in Valle-Ducis. Mortuâque Comi- » tissâ Mariâ, Dux Henricus secundam duxit uxo- » rem Lantgravii Thuringiæ filiam, ex S. Elisa- » beth natam, ex qua filium genuit nomine Hen- » ricum. Dicto igitur Duce Henrico mortuo, suc- » cessit Henricus filius ejus, qui Alaydem, filiam » Hugonis Ducis Burgundiæ, duxit uxorem, ex » qua Joannem genuit ».

(*a*) Richeldis nupta fuerat Amalrico de Monteforti.

Digitized by Google

A postea in Melbodiensi Ecclesia Sanctimonialis diu et honorificè vixit; alia autem Alidis nomine viro nobili Hugoni de Ruminio maritata fuit. Balduinus Comes Hanoniensis valdè juvenis uxorem duxit nobilissimam Yolendem, nobilis et potentis Comitis de Ghelra [Gerradi] filiam. Aliam verò ejusdem Comitis de Ghelra filiam habuit uxorem Henricus Dux de *Lemborch*, ex cujus parte ad ejus hæredes dominos de *Lemborch* pro parte suorum allodiorum castrum *Wassenberghe* propriè devenit. Balduinus autem Comes Hanoniensis de Yolende uxore sua filios habuit, Balduinum primum et Gerardum secundum; et filias duas, quarum una domino [Rogerio] de *Thoëni* maritata fuit, alia verò [Richeldis Evrardo] Castellano Tornacensi. Et quia tota terra Hanoniæ Ecclesiæ Leodiensi erat assignata, et ab Episcopo Leodiensi in feodo tenebatur, ad primogenitum tota deveniebat filium. Itaque fratres et sorores in hæreditate illa nequaquam participant.

B Igitur Arnulphus (*a*) ejusdem Comitis frater, filium habuit Eustacium de *Ruez*, qui senior appellatus est, virum vividum et in Hanonia potentem, qui cujusdam viri nobilis, Paris castri Montensis, Johannis nomine, filiam duxit uxorem, et ex parte uxoris terram possedit, de qua factus fuit Par castri Montensis, et in terris suis villas instauravit, scilicet *Ruez* et *Morlenwes*, ubi etiam munitionem construxit. Hic de uxore sua Maria filios habuit, Nicolaum scilicet primum et Eustacium, et filias, Beatricem, Alidem et Adam. Nicolaus autem primus filius de voluntate matris ad litteras discendas puer hortatus fuit : qui major effectus a litteratura recedere noluit, sed Clericus manere, et fratri in hæreditate tota cedere voluit. Hic equidem Nicolaus satis litteratus, et moribus honestis ornatus, Clericus mansit, bonis Ecclesiasticis ditatus. Eustacius verò factus fuit miles probissimus et magni nominis vir, et in Curia Hanoniensi

C et nobilium consiliis potentissimus : qui de uxore sua Berta, Rassonis de Gauria et *Damison* de Cirnia * filia, filium habuit Eustacium et filiam Beatricem. Soror eorum Beatrix viro nobili, Pari castri Montensis, Waltero de *Lens* maritata fuit, quæ filium habuit Eustacium et filias, Ydam et Mariam. Alidis alia soror cuidam nobili desponsata fuit : quo mortuo absque proprii corporis hærede, ipsa religionis habitu assumpto in Abbatia S. Phoillani, in sanctitatis operibus decessit. Ada verò viro nobili Nicolao de *Bouleirs* maritata, ex ipso

* *Chirne* ou *Chievre.*

(*a*) Ortam ex Arnulpho progeniem in eumdem ferè modum repræsentat in suis ex chronicis Hainoniensibus genealogiis Balduinus de Avennis, cujus verba cum Gisleberti contextu ad majorem perspicuitatem conferre præstat. « Hic igitur Ar» nulfus, *inquit*, duxit quamdam nobilem de » Hainonia, ex qua genuit filium nomine Eusta» chium, cognomento Seniorem seu Vetulum, eò » quòd diu vixit. Habuit autem dictus Arnulphus » pro parte hæreditatis Rodium (*Ræux* vel *Ruez*) » ac terras circumjacentes. Eustachius iste duxit » uxorem filiam cujusdam nobilis Hanoniensis, » nomine Johannis, qui unus erat de Paribus » Comitatûs Montensis; ita quòd post mortem » hujus Johannis, dictus Eustachius ex parte uxo» ris factus est unus de Paribus illis, et hic ædifi» cavit Rodium et *Morlainwees*, et genuit ex uxore » sua duos filios et tres filias : quorum primogeni» tus, Nicolaus nomine, factus est Clericus; et ju» nior nomine Eustachius, cognomento Vaslectus, » terram tenuit post mortem patris. Filiarum verò » primogenitam, nomine Beatricem, dominus » Walterus de *Lens* duxit in uxorem : ex qua ge» nuit unum filium nomine Eustachium, et duas » filias, Ydam et Mariam. Secunda filia Eustachii » Senioris [Alidis] nupsit cuidam nobili : quo » sine hærede mortuo, facta est Monialis Monas» terii S. Foillani apud Rodium. Tertia verò filia » dicti Eustachii Senioris [Ada] nupsit domino » Nicolao de *Boulers*, cui peperit unicam filiam; » deinde post mortem dicti Nicolai, nupsit do» mino Eustachio (Drogoni) de *Bousies*.

» Eustachius autem cognomento Vaslectus, » uxorem duxit Bertam, domini Rassonis de *Ga*» *vre* filiam ex domina Domitione de *Chirne*; et » genuit ex ea filium Eustachium agnomine *Ka*» *nivet*, et filiam unam nomine Beatricem. Post » mortem itaque Eustachii dicti Vaslecti, filius » ejus Eustachius dictus *Kanivet* successit ei, du» cens uxorem filiam Balduini de Mortania, Cas» tellani Tornacensis, ex qua genuit filium unum » et filiam unam. Iste filius nomine Eustachius » patri succedens, ac terram tenens de Rodio et » de *Morlainwees*, uxorem duxit filiam domini » Ægidii de *Tryt*, sororem domini Theodorici » de *Bevre* ex parte matris; nam post mortem » dicti domini de *Tryt* dicta domina nupsit do» mino de *Bevre*, cui peperit dictum dominum » Theodoricum

» Dictus Eustachius ex uxore sua prædicta sex » filios genuit et duas filias, Eustachium cogno» mine *Kanivet*, Ægidium agnomine *Rigaut*, Theo» dericum, duos Clericos, et sextum Arnulphum. » Una filiarum nupsit Castellano de Gandavo, » altera domino Balduino de *Perwes* juxta Con» dacum. Eustachius de *Kanivet* jamdictus in uxo» rem duxit filiam domini Ægidii de *Trasengnies*, » ex qua genuit unum filium et unam filiam. » Ægidius Rigaldus frater ejus uxorem duxit filiam » Fastradi de *Lingne*, per quam dominus est terræ » de *Monsteruel*. Theodericus tertius frater uxo» rem duxit filiam domini Joannis de *Vannes* (in » Burgundiæ Comitatu) qui Fratrum ingressus » ordinem, terram suam dicto Theoderico reli» quit.

» Soror verò Eustachii de Rodio hujus nominis » quarti, nupsit domino Jacobo de *Bailluel*, cui » peperit unum filium et duas filias. Filius Nico» laus nomine patri succedens in hæreditate, uxo» rem duxit filiam domini Guillelmi de *Keu* uni» cam, et ideò terram tenet de *Karenci* et de » *Vilers le Facon* post mortem dicti Guilelmi de » *Keu*. Dictus dominus Nicolaus ex uxore sua plu» res genuit filios et filias : quorum primogenitus » juvenis mortuus est, alius uxorem duxit filiam » domini de *Rousoit*. Filiarum una nupsit domino » Theoderico de *Bevre*, alia nupsit primogenito » domini Gerardi de *Jauche* » qui floruit an. 1240 ex Miræi chronico.

Digitized by Google

filiam suscepit, ad quam hæreditas patris pervenit : quo mortuo, nupsit viro A
* *Bousies.* nobili Drogoni de Boosiis *, de quo filios habuit. Mortuo eodem Drogone, ipsa Ada nupsit cuidam militi Flandrensi, Gosuino nomine.

Soror sæpedicti filii Balduini et Ydæ, scilicet Comitis Hanoniensis Balduini, una Alidis nomine, viro nobili [Hugoni] de Ruminio nupsit, quæ filium habuit Nicolaum, qui et Ruminium et Florinas castra possedit, et filias Beatricem et Alidem et Richeldem, et tres quarum nescio nomina. Nicolaus hic bona terræ suæ plurimùm ampliavit, et de uxore sua *Damison* de Cirnia (*a*) filios habuit milites probos, Nicolaum scilicet qui post ipsum Ruminium possedit, militem probum et prudentem, cujus fama bona longè latèque diffundebatur, et Hugonem qui Florinas castrum tenuit; et filias, Julianam viro nobilissimo Raynaldo de Roseto maritatam, de quo ipsa filium habuit Rogerum, et Clementiam Gerardo de *Haslut*, et Yolendam Henrico de *Hirge* Advocato Hasbaniensi et apud B
Winti in Flandria maritatas. Prædicti autem Nicolai sororum una, Richeldis
* *Al. Cons.* scilicet, domino de *Cucs* * nupsit, quæ filium habuit Egidium. Alia soror, Beatrix scilicet, nupsit viro nobili Gossuino de Montibus (*b*), viro nobilissimo satisque potenti in Hanonia, multisque possessionibus ditato, unde continuum in Montibus stagium, et in Valencenis continuum stagium, et in Bellomonte continuum debebat, hoc excepto quòd dum in Valencenis stagium faciat, in Bellomonte facere non debet; et dum in Bellomonte illud faciat, ad faciendum in Valencenis cogi non potest. Duarum autem Paritiarum in Montibus ille Par erat, qui etiam Gossuinus fratrem habuit Clericum bonæ memoriæ, Nicolaum Cameracensem Episcopum omni valore refertum, qui Episcopatum suum potenter tenuit et honestè procuravit, et ab Hanoniensibus plurimùm amabatur. Gossuinus de uxore sua filium habuit unicum Gossuinum, et filias, Ydam scilicet C
viris nobilibus, Sohero videlicet de *Aenghien*, postea Renero de Jacea, et demùm

(*a*) « Hugonis de *Rumengni* (inquit Balduinus » de Avennis) filius Nicolaus patri succedens in » terra de *Rumengni* et de *Florines*, uxorem duxit » dominam Domitionem, dominam allodii de » *Chirne* ac terrarum circumjacentium, relictam » domini Rassonis de *Gavre*, ex qua duos genuit » filios : quorum primogenitus Nicolaus terram » habuit de *Rumengni*, et alter nomine Hugo terram de *Florines*, qui dicitur magnæ strenuitatis. » Item genuit dictus Nicolaus ex dicta domina » Domitione plures filias, quarum una nomine » Juliana nupsit Rainaldo de *Rosoi*, qui ex ea » filium genuit nomine Rogerum; secunda nomine Clementia nupsit Gerardo de *Szaluc* ; tertia nomine Yolens nupsit Henrico de *Hierge*, Advocato Hasbaniensi. Nicolao de *Rumengni* mortuo, successit ei filius suus Nicolaus : qui duxit » uxorem Machtildem filiam domini Jacobi de » *Avennes*, ex qua tres genuit filios, Nicolaum, » Hugonem et Jacobum ».

(*b*) Beatricis et Gossuini propaginem paulò altiùs repetit Balduinus de Avennis, et ad sua usque tempora deducit in hunc modum : « Secunda filia » Hugonis de *Rumengni*, Beatrix nomine, nupsit » cuidam magno et nobili viro in Hainonia nomine Goswino, qui unus erat de Paribus Montis Castri-loci, et similiter de Paribus Valentiarum, necnon et Bellimontis similiter unus de » Paribus. Et ut innotescat quis fuit iste Goswinus, » sciendum quòd quidam fuit Comes Calvimontis » nomine Reynerus, cujus uxor nobilis matrona » nomine Ermentrudis eidem Reynero peperit » filiam Ermengardem ; et hæc Ermengardis nupsit » cuidam nobili qui vocabatur Goswinus de » Montibus. Hic igitur Goswinus et uxor ejus » fundaverunt Ecclesiam Dominæ nostræ de *Aymeries*, dantes ei magnas possessiones. Habuerunt autem filios et filias ; quorum primogenitus nomine Isaac patri succedens, ex uxore » sua nobili genuit duos filios, quorum primogenitus vocabatur Goswinus, et alius Nicolaus, » qui factus Clericus postmodùm factus fuit Episcopus Cameracensis. Goswinus autem filius » Isaac, fuit ille Goswinus de quo locuti sumus, » qui uxorem habuit Beatricem, filiam domini » Hugonis de Rumengniaco, ex qua unum genuit » filium et sex filias. Nomen filii Goswinus, qui » juvenis mortuus est, vivente patre. Filiarum » verò una nomine Ida nupsit domino Sigero de » *Anghien :* post mortem cujus iterùm nupsit domino Reynero de *Jauche*, cui peperit tres filios ; » quorum primogenitus Gerardus nomine terram » tenuit post patrem ; secundus nomine Henricus » factus est Clericus et Archidiaconus in Ecclesia » Leodiensi ; tertius vocabatur Goswinus.

» Post mortem igitur dicti Goswini de Montibus, successit in ejus hæreditatibus dictus Reynerus per uxorem suam. Deinde mortuo dicto » Reynero, dicta Ida iterùm maritata est domino » Balduino le *Karon :* et dictus Gerardus patri » succedens, uxorem duxit nobilem, ex qua genuit duos filios, quorum primogenitus vocabatur Reinerus, secundus Gerardus; qui [Reinerus] duxit uxorem nobilem, ex qua genuit » duos filios, Gerardum et Reinerum.

» Post mortem itaque Reineri de *Jauche* patris, » Gerardus filius ejus succedit ei ; et Reinerus » frater ejus, pro sua parte habens terram de *Sassengnies*, uxorem duxit filiam Castellani de » Montibus, ex qua unum genuit filium. Gerardus » verò primogenitus in uxorem duxit Bertam, » filiam domini Gobberti de *Bivel*, ex qua tres » genuit filios et aliquot filias. Primogenitus istorum nomine Gerardus patri successit ; secundus » nomine Guillelmus pro parte hæreditatis habens terram de *Gommengnies*, uxorem duxit » filiam domini de *Wasiers*, ex qua genuit filium » Guillelmum nomine, et filiam unam ; tertius » verò Joannes nomine sine hærede decessit. Primogenitus itaque Gerardus uxorem duxit filiam domini Joannis de Alneto juxta Valenchenas, ex qua plures genuit filios et filias.

» His ergo dictis, nunc dicendum est de secunda » filia domini Goswini de Montibus, Mathilde » nomine. Hæc nupsit domino Waltero de *Lingne ;* » post cujus decessum iterùm maritata est domino » Waltero de Fontanis. Tertia filia domini Goswini, nomine Aelidis, nupsit domino Rogero » de Condato. Quarta nomine Ruissa nupsit domino Stephano de *Naing*. Quinta nomine Beatrix domino Balduino de *Roisin*. Sexta nomine » Agnes domino Hugoni de Spineto, domino de » *Antoing* ».

Balduino

Digitized by Google

A Balduino *Carun* agnomine maritatam; et Mathildem Waltero de Linea, deinde Waltero de Fontanis maritatam; et Aelidem Rogero de Condato, et Rixam Stephano de *Denen*, et Beatricem Baldrico de *Roisin*, et Agnetem Hugoni domino *d'Espinoit* et de *Antuin* maritatas. Gossuinus autem juvenis, antequam fieret miles, decessit. Itaque major pars possessionum supradicti Gossuini, scilicet stagiorum et aliorum bonorum, ad Ydam de Jacea et ad ejus virum Renerum, et eorum filium Gerardum devenit. Supradicti (*a*) Nicolai soror una, scilicet Alidis, nupsit domino *Deltur*, alia nupsit domino de *Cheri* prope *Retest*, deinde eadem nupsit domino de *Doncheri*. Una nupsit domino de *Balehan*, et una Ysaac de Barbencione, Pari castri Montensis, quæ filium habuit Nicolaum militem probum et discretum, et in consiliis Curiæ Hanoniensis pollentem.

Alia sæpedicti Comitis Hanoniensis soror [Yda] nupsit viro nobili et potenti
B ac bellicoso in Francia, Thomæ de Marla, de quo filiam habuit Ydam nomine : quæ Yda nupsit viro nobili Alardo de Cymaco, agnomine *Poliere*, Pari castri Montensis, de quo ipsa filium habuit Egidium. Defuncto autem Alardo, Yda nupsit Bernardo de *Orbaiz*, de quo ipsa filium habuit Engelramnum.

Sæpedictus Balduinus Comes Hanoniensis, Balduini Comitis et Ydæ Comitissæ filius, uxorem habuit, ut prædiximus, Yolendem Comitis de Ghelra Gerardi filiam, de qua ipse Balduinus filios habuit, Balduinum primum qui Montibus in superiori choro ante majus altare sepultus est, et Gerardum secundum, et filias duas, quarum una [Gertrudis] domino [Rogerio] de Toënio, alia verò [Evrardo] Castellano Tornacensi maritata est. Unde sciendum est quòd illa Toënii maritata, filios habuit tres, milites egregios et magni nominis, Radulphum primum, Rogerum secundum, et Balduinum tertium, et Gaufridum quartum, Clericum
C pium, honestum et satis literatum. Balduinus autem in Hanonia nutritus fuit, et ab avunculo suo Balduino Comite miles factus, Hanoniam cum eo semper inhabitabat, cujus probitas de die in diem augmentum mirum cepit, omnem in corde mansuetudinem gerebat, in munerum effusione delectabatur : qui cùm Suessionem orandi causâ adiisset, in ipso reditu a seculo migravit *. Cujus mors avunculum suum et homines cujuscumque conditionis in Hanonia graviter turbavit, cujus corpus Valencenas allatum ibidem in Monasterio S. Johannis sepultum fuit. Gaufridus verò Clericus, qui quandòque Hanoniam cum avunculo suo et ejus filio inhabitabat, infirmitate apud *Haimoncasnoit* oppressus decessit, qui Valencenis juxta fratrem suum honorificè sepultus fuit. Radulphus primogenitus eorum frater filium habuit Rogerum, qui in bonis suis ei successit.

* An. 1170.

Alia prædicti Comitis Balduini et Yolendis Comitissæ filia [Richildis], Castellano Tornacensi (*b*) maritata, filium habuit militem probum admodùm et famosum,

(*a*) « Nunc dicendum est, *inquit Balduinus de Avennis post prædicta*, de tertia filia domini Hugonis de Rumengniaco, vocata post matrem Aelidis, quæ nupsit domino *Doutour*. Quarta filia dicti Hugonis nupsit domino de *Cheri* in terra de *Retest*. (Deest quinta filia, quam Gislebertus domino de *Balehan* nuptam dicit.) Sexta filia dicti Hugonis de *Rumengni* nupsit Isaac domino de *Barbenchon*, qui ex ea genuit Nicolaum, qui successit patri ».

(*b*) « Secunda filia Balduini prædicti (verba sunt Balduini de Avennis) maritata est [Evrardo] Castellano Tornacensi, cui peperit Evrardum *Raduel*, strenuum militem : qui duxit uxorem filiam domini Roberti de Betunia Advocati Atrebatensis, ex qua genuit filiam nomine Richildem, uxorem domini Gilberti de *Audenarde*, quæ terram de *Fiengnies* possidebat ex parte matris, cui Comes Balduinus eam contulerat in dotem. Et hæc Richildis, mortuo dicto Gilberto, cui filium unum pepererat Arnulfum nomine, maritata est domino Waltero de *Sottenghen*. Gerardus (*corr.* Evrardus] autem *Raduel*, vivente uxore suâ primâ, superduxit matrem Conani et Joannis et Radulfi, qui tenebant Comitatum Suessionensem, terram de *Neele* et Castellaniam Brugensem; et genuit ex ea filium nomine Balduinum, qui postmodùm tenuit dominium de Mortania et Castellaniam Tornacensem ». (*Hactenùs concordat cum Gisleberto Balduinus de Avennis, ac deinde subjungit.*)

» Iste Balduinus de Mortania postmodùm uxorem duxit filiam Senescalli Flandriæ, nomine Hediardem, ex qua genuit filium, Evrardum *Raduel* nomine post avum. Et hic Evrardus *Raduel* uxorem duxit filiam domini Engelberti de *Enghien*, ex Adelina filia domini Jacobi de *Avennes*, et genuit ex ea filium Arnulfum nomine. Dictus igitur Evrardus *Raduel*, uxore mortuâ, aliam duxit uxorem, hæredem scilicet terræ de Nevella juxta Gandavum; ex qua genuit filios [Rodolphum], Michaëlem qui juvenis decessit, et Rogerum. Et dicto Evrardo *Raduel* mortuo, Arnulfus primogenitus eidem succedens, uxorem duxit *Yolent* filiam domini de *Couchi*, domini de Verwino, ex qua plures genuit filios : quorum primogenitus Joannes patri succedens in dominio, uxorem duxit Mariam filiam domini Eustachii de *Scouflans*, ex qua unicam genuit filiam; secundus nomine Thomas uxorem duxit filiam domini Egidii Brunii Franciæ Constabularii (*Gilon de Trasignies, dit le Brun*) ex qua genuit filios et filias; tertius nomine Rodulfus in Apulia decessit; quartus Arnulfus factus est Clericus; quintus Guilelmus, et sextus Balduinus. Primogenita verò filia dicti domini Arnulfi de Mortania, Mathildis nomine, nupsit Castellano Insulensi, cui plures peperit filios et duas filias : quorum primogenitus Joannes patri succedens in Castellania, uxorem duxit [filiam] domini Joannis de Nigella. Secunda filia domini Arnulfi de Mortania, nomine Isabellis seu Elisabeth, nupta domino Arnulfo de *Dieste*, plures peperit filios et filias. Tertia nomine Maria,

Digitized by Google

Evrardum cognomine Radonem, qui de parte matris suæ Fienias villam propè Melbodium possedit. Hic equidem de uxore prima, Roberti de Betuna Atrebatensis Advocati sorore, filiam habuit Richeldem, quæ nupsit viro nobili Gisleberto de Aldenarda, postea militi probo Waltero de *Sothenghien*. Evrardus autem, vivente primâ uxore, aliam superduxit [Gertrudem] matrem Cononis et Johannis et Radulphi, qui Comitatum Suessionensem, dominium Nigellæ et Castellariam Brugensem possederunt, et ex ea filium habuit Balduinum. A

Balduinus Comes Hanoniensis, Balduini Comitis et Ydæ Comitissæ filius, satis juvenis miles (*a*) decessit, cujus corpus in Montensi Ecclesia sepultum fuit ante chori introitum. Cujus filii parvi remanentes, primus filius Balduinus Comitatum Hanoniensem obtinuit; junior autem filius Gerardus allodia in Aduallensibus partibus ex parte matris suæ Yolendis Comitissæ provenientia, scilicet Comitatum de Dodewerda et Comitatum de Dala * habuit, qui filium habuit Comitem Henricum, militem probum. Yolendis verò Comitissa vidua, tam de jure dotalitii quàm de parvitate Balduini filii sui, Hanoniam diu tenuit: quæ nupsit cuidam fideli suo, viro nobili Godefrido de *Bucheain*, Castellano Valencenensi, qui ex jure Castellariæ Ostrevannum tenebat. Hic etiam Ribemontem et Orinium et Castellum in Porcesio * possidebat, qui de ipsa Yolende Comitissa filium habuit Godefridum, et filiam Bertam; a quibus Godefrido scilicet et Berta, frater eorum Balduinus Comes Hanoniensis Castellariam Valencenensem et totam hæreditatem eorum, tam in Ostrevanno quàm in Cameracesio, acquisivit coemptione congruâ. Godefridus ille absque proprii corporis hærede decessit: Berta autem cuidam Comiti de *Duraz* nupsit, deinde nupsit Egidio de Sancto-Oberto, a quo filium habuit Gerardum, et filiam, Nicolao prædicto de Barbentione in matrimonio traditam. Cujus equidem Egidii, Hanoniensis Curiæ summi de jure hæreditario Dapiferi, gloriosi nominis et incomparabilis probitatis et largitatis fama inter universos milites, tam in regno Francorum quàm in Imperio Theutonicorum gyrovagantes, dum ille vixit, præ cæteris fuit exaltata. Mortuâ autem Bertâ, Egidius uxorem duxit Mathildem de *Berlainmont*, Egidii de *Cin* et *Damison* de Cirnia filiam, quæ Mathildis ex parte patris sui hæreditaria *Berlainmont* et summam Hannoniensis Curiæ Camerariam tenuit. Hic equidem Egidius de *Cin*, dum vixit, omnium militum in hoc seculo viventium probissimus in armis dictus est: qui in transmarinis partibus cum leone ferocissimo solus dimicans, illum vicit et interfecit, non sagittâ vel arcu, sed scuto et lanceâ. Hic ex parte uxoris suæ *Damison* de Cirnia ipsum castrum Cirniam possedit, et Comitis Hanoniensis commilito fuit, et in quadam guerra quam cum Duce Lovaniensi habebat Comes Namurcensis, ipse Egidius interfectus apud S. Gislenum sepultus fuit. Egidius autem de Sancto-Oberto, ex sua hæreditate summus Hanoniensis Curiæ Dapifer, et ex parte Mathildis uxoris sua summus Camerarius, ex ea filium genuit Egidium, et Businias villam instauravit: ubi turrim construxit, quam a Comite Hanoniensi Balduino, Balduini Comitis et Alidis Comitissæ filio, in feodo legio susceperat. *Bohain* etiam villam primus instauravit (*b*).

B

C

D

Balduinus Comes Hanoniensis, Balduini Comitis et Yolendis Comitissæ filius, qui multos labores et guerrarum insultus undique contra vicinos suos, et contra omnes ferè suos homines potentiores, et maximè contra Theodericum Comitem Flandrensem et ejus uxorem Sibyllam, Comitis Andegavensis filiam, passus est, in quibus, Deo auxiliante, nihil hæreditatis vel honoris perdidit, uxorem duxit nobilissimam Alidem, corpore eleganti et facie decoram, morum honestate refertam, operibus bonis et eleemosynis intentam, Godefridi Comitis Namurcensis et Ermensendis Comitissæ filiam, Henrici Comitis Namurcensis et *Luseeleborch* sororem. Et quia aliis ipsius Alidis sororibus maritatis, scilicet Ducissæ (*c*) Ciringhiorum et Comitissæ (*d*) de *Retest*, pars sua in allodiis fuerat assig-

E

* *Dalem* in Gelria.

* *Château-Porcien.*

» nupta est domino Joanni *Bertout*, domino de » *Gramines*, cui peperit filios et filias.

» Dicti verò Evrardi domini de Mortania filii » de secundis nuptiis, Rodolphus primogenitus » uxorem duxit filiam domini Guilelmi de Betu- » nia, domini de *Pontroart*, Joannam nomine, » ex qua filios genuit et filias. Secundus filius do- » mini Evrardi *Raduel*, nomine Rogerus, uxorem » duxit hæredem de *Seneffle*, relictam domini » Walteri de *Braine*, ex qua genuit Joannem et » Robertum ».

(*a*) Balduinus hujus nominis tertius vel secundus post Richildem an. 1120 vitâ functus est.

(*b*) Balduinus de Avennis eadem, nec plura habet in suis genealogiis, licèt aliquantulùm in verbis discrepet.

(*c*) Clementiæ, nuptæ Conrado Zaringhiorum Duci.

(*d*) Beatrici, Gontherii Retestensis Comitis uxori.

Digitized by Google

A nata, quas quidem partes ipsæ sorores in Partibus sibi vicinis jam tunc temporis tenebant; concessum fuit in contrahendo matrimonio quòd quandòcumque Henricus Comes Namurcensis decederet, omnia ejus allodia et feoda et terræ censuales ad sæpedictum Balduinum Comitem Hanoniensem et ejus uxorem Alidem et eorum hæredes redirent. Evolutis deinde quampluribus annis, Balduinus Comes et ejus uxor Alidis a duabus ipsius Alidis sororibus, quarum una domino de Roseto, alia domino de *Spinoit* (*a*) maritata fuit, partem suam in allodiis acquisierunt. Igitur cùm Balduinus Comes Hanoniensis et ejus uxor Alidis saltem in allodiis, vivente etiam Comite Henrico, tres partes debuissent possidere, tamen pro bono pacis compositum fuit, ut Henricus Comes Namurcensis et *Roche et Lusceleborch*, ea dum viveret teneret, et post ejus decessum omnia allodia cum feodis et aliis terris ad Balduinum Comitem et ad Alidem Comi-
B tissam sine calumnia devenirent. Unde ipse Henricus sæpedictis Balduino et Alidi, fide interpositâ et juramentis, ab hominibus suis fidelitates et securitates exhiberi fecit, non semel, sed multoties, tam a militibus, nobilibus, quàm a familiaribus, servientibus et burgensibus, tam de terra Namurcensi quàm de *Durbui* et de Rocha et de *Lusceleborch* (*b*). Hic autem Henricus Comes Namurcensis, post decessum avunculi sui Willelmi (*c*) Comitis de *Lusceleborch*, Comitatum de *Lusceleborch* sic adeptus est, quòd medietatem allodiorum ex parte matris suæ Ermensendis Comitissæ jure hæreditario adeptus fuit; feoda verò, scilicet dignitatem Comitatûs et Thiunvillam, et Advocatias S. Maximini in Treveris, et S. Willebrordi in Etternacho, per gratiam domini Imperatoris Romani, quia avunculus ejus absque proprii corporis hærede masculo decesserat, plenariè obtinuit contra consobrinam suam, ipsius Comitis Willelmi fi-
C liam, quæ cum ipso Henrico Comite Namurcensi in allodiis participavit, quam duxit in uxorem Comes de Grandi-prato, et ex ea filium habuit Henricum, militem probum, agnomine *Wafflart*.

Sciendum est autem quòd Godefridus Comes Namurcensis, vir nobilis et potens, sæpedicti Comitis [Henrici] pater, duas habuit uxores: de prima quidem uxore (*d*) duas habuit filias, quarum una (*e*) domino Rogero de Roseto nupsit, alia verò [Flandrina] nupsit cuidam nobili apud *Spinoit* in Atrebatesio. De secunda uxore, Hermensende (*f*) nomine, duos habuit filios, Henricum scilicet Comitem sæpedictum, et Albertum qui juvenis decessit, et filias tres, Ducissam scilicet Ceringiorum et Comitissam de *Retest* et sæpedictam Alidem Comitissam Hanoniensem. Illa autem domino Roseti maritata filios habuit, Rainaldum scilicet virum probum et discretum, qui terram suam novis villis instau-
D ratis benè populavit et ditavit, et de uxore sua Juliana, filia Nicolai de Ruminio, ut prædiximus, filium habuit Rogerum. Domina autem illa Roseti, mater Raynaldi, alium habuit filium Raynaldi germanum, Rogerum (*g*) Laudunensem Episcopum, et filias, Alidem scilicet supradicto Egidio de Cyniaco * maritatam, et Anchelissam viro nobili in Comitatu Namurcensi maritatam, Philippo scilicet de Alta-ripa. Illa autem de qua supra diximus, quæ apud *Spinoit* maritata fuit, filios habuit et filias, quarum unam habuit uxorem Theodericus de Avennis. Ducissa verò Ceringhiorum [Clementia] tres filios habuit, Bertholdum Ducem Ceringhiorum, Principem potentissimum, et Radulphum Leodiensem Episcopum, qui antea in Archiepiscopatum Magontinensem electus fuerat, et Hugonem Comitem. Hic Radulphus magnum et decorum in Leodio construxit palatium. Habuit etiam Ducissa illa filiam, quam præpotentissimus
E omnium Ducum Dux Saxonum Henricus duxit uxorem. Fredericus autem Romanorum Imperator, timens vires Ducis Saxonum et Ducis Ceringhiorum,

* *Corr.* de Cimaco.

(*a*) Balduinus de Avennis addit, *et de* Antoing.

(*b*) P. de *Marne* p. 172 historiæ Namurcensis in-4°. litteras se vidisse testatur in veteri cartulario Collegiatæ Ecclesiæ Namurcensis, *quibus Henricus Comes declarat quòd cùm careat prole, instituit in hæredem suum Aelidem sororem suam Hannoniæ Comitissam, et ejus filium Balduinum, anno* 1163, *mense Junio.* Balduinus de Avennis, cujus hic loci absoluta est cum Gisleberto consensio, « Henricus Comes Na» murcensis ac etiam de *Lucelborg*, (inquit) factus » postmodùm cæcus, perpendens uxoris sterilita» tem, quam diu habuerat, nec hæredem habere » poterat, talem fecit conventionem inter se et » Comitem Hainoniæ Balduinum, qui sororem » suam habebat uxorem, quòd dictus Balduinus » ei acquisivit allodia quæ ambæ sorores uxoris » suæ tenebant in terra Namurcensi; cum eo » quod ipse nunc per uxorem tenebat in eadem » terra; et post decessum dicti Comitis, totus » Comitatus ille devolvi debebat ad uxorem dicti » Balduini et ad hæredes ejus. »

(*c*) *Corr.* Conradi an. 1136 vitâ functi.

(*d*) Sibylla, Rogerii Porcensis Comitis filia.

(*e*) Elisabeth, primùm Gervasio Comiti Retestensi nupta; 2°. Clarembaldo de *Rosoi* in Thierassia.

(*f*) Filia Conradi I Comitis Luxemburgensis.

(*g*) Rogerius an. 1174 ad Laudun. Episcopatum assumptus est, anno 1201 demortuus.

Digitized by Google

ne per matrimonium confœderati sibi possent resistere, divortium in hoc quæ- A
sivit et effecit matrimonio, et ad eorum vires minuendas Radulphum prædictum in sedem Magontinensem electum ab illa dominatione amovit; quare Radulphus, auxilio avunculi sui Henrici Comitis Namurcensis et *Lusceleborch*, ad dignitatem Leodiensis Episcopatûs pervenit (*a*). Comitissa Retensis [Beatrix] filios habuit, Manasserum Comitem Retensem, Henricum et Balduinum milites, et Albertum Clericum, Leodiensis Ecclesiæ majorem Præpositum et Archidiaconum, et filias, quarum unam [Beatricem] potentissimus Rex Siciliæ Rogerus habuit uxorem secundam. Hic autem Rogerus de prima uxore filium habebat Willelmum, qui ei in regno Siciliæ et Ducatu Apuliæ et Principatu Capuæ successit. Rogerus autem de secunda uxore filiam habuit Constantiam, quam Willelmus Rex, ipsius Constantiæ frater, cum immensa auri copia et sub spe regni sui ad ipsam Constantiam proveniendi, Henrico Romanorum Imperatori, Fre- B
derici Imperatoris filio, tradidit uxorem. Unde ipse Henricus, cùm Willelmus absque proprii corporis hærede decessit, ex parte Constantiæ Imperatricis, suæ uxoris, regnum Siciliæ et Ducatum Apuliæ et Principatum Capuæ, in labore nimio et suorum morte potenter adeptus fuit. Aliam Comitissa Retensis habuit filiam, quæ nupsit viro nobili Hugoni de Petraponte, de qua ipse Hugo filios habuit milites, quorum unus fuit Robertus miles probus et magni nominis, et Hugonem Clericum satis litteratum et discretum, Leodiensis Ecclesiæ majorem Præpositum, Archidiaconum et Abbatem, et postea Episcopum (*b*).

Sæpedicta Alidis Comitissa Hanoniensis cum viro suo Balduino Comite filios habuit, Balduinum primum, Godefridum secundum, Balduinum tertium, Henricum quartum, et filias omni decore omnique morum honestate ornatas, Yolendem, Agnetem, Lauretam. Balduinus primus satis juvenis decessit, qui Bin- C
cii in Monasterio S. Mariæ sepultus fuit. Godefridus autem qui tunc post ipsum mansit primus, filius pulcher et mansuetus, et ab universis plurimùm dilectus, uxorem duxit nobilissimam Aenoram, Radulphi Comitis Viromandiæ filiam: et cùm Godefridus annorum esset circiter XVI, et instaret tempus militiæ ejus, Montibus usque ad mortem ægrotavit, ibique defunctus (*c*) in Monasterio B. Waldetrudis in choro dominarum sepultus fuit. Duo ergo Balduini Comitis et Alidis Comitissæ superfuerunt filii, Balduinus scilicet, qui Hanoniam primò, deinde et Hanoniam et Namurcum, postea et Flandriam et Hanoniam et Namurcum, potenter tenuit; et Henricus junior filius, cui pater in vita sua, assensu Balduini primi tunc filii, bona quæ ipse acquisierat, scilicet villam *Seborch* et villam *Fait*, et partem Angevillæ, et partem quartam in toto allodio de Gociliis, et Advocatias in partibus illis prope Gocilias, in quibusdam villis D
S. Petri Lobiensis assignavit. De his omnibus Henricus fratri suo Balduino ligium hominium exhibuit.

Balduinus Comes Hanoniensis, Balduini Comitis et Yolendis Comitissæ filius, quamdam inter cæteras a Domino gratiam habuit. Cùm a temporibus multorum Comitum Hanoniensium fuisset inauditum, quòd aliquis ipsorum Comitum aliquem filiorum suorum militem vidisset, vel filiam maritatam; iste Comes vivens et potens suas filias tres tribus viris nobilibus et potentibus maritavit, quarum primam Yolendem perpulchram, eleemosynis et divinis officiis intentam, duxit uxorem Yvo senior, nobilis Comes Suessionis dominusque Nigellæ, vir venerabilis et potens, et largus in donis, et omnium Baronum Franciæ sapientissimus; de quo Ivone cùm ipsa Yolendis prolem non haberet, et ipse Ivo decessisset, ipsa nupsit Hugoni Comiti S. Pauli, militi probo, de quo filias E
habuit Elisabeth et Eustachiam (*d*).

Secundam autem Balduini Comitis et Alidis Comitissæ filiam, Agnetem, facie decoram, dulcedine et omnium morum honestate imbutam, sed parùm claudicantem, habuit uxorem vir nobilis, potens et dives, Radulphus de *Cocy*, qui et Cociacum et Marlam et Vervinum et Feram castra possidebat: quæ quidem Agnes, quamvis in terra illa homines inveniantur feri et superbi,

(*a*) Radulphus an. 1168 ad infulas Leodienses evectus est.

(*b*) Anno 1200 Hugo renunciatus est Leodiensis Episcopus, *qui Hugo*, inquit Albericus ad eum annùm, *fuit filius Hugonis de Wasnadio, cujus mater dicta est Clementia filia Comitis Witherii Reitestensis, de prosapia Namurcensi*. Cæterùm quæ de prosapia Namurcensi narrat hìc Gislebertus, eadem compendiosè reddidit Balduinus de Avennis.

(*c*) Godefridus anno 1163, VII Idus Aprilis, vitâ functus est, teste Waterlosio.

(*d*) Eadem habet Balduinus de Avennis.

Digitized by Google

A tamen ab universis præ cæteris dominabus quas habuissent, diligebatur; quæ filias habuit tres, Yolendem scilicet quæ nupsit Roberto Comiti de Drecis et de Braina, militi probo, filioque Roberti Comitis, fratris Ludovici Regis Francorum (*a*). Alia Agnetis filia nupsit Radulpho Comiti de *Roci*, quo defuncto sine proprii corporis hærede, ipsa nupsit Comiti de Grandi-prato (*b*), non

(*a*) Ortam ex hoc matrimonio sobolem sic prosequitur Balduinus de Avennis in genealogiis Hainoniensibus « secunda filia Comitis Balduini » Agnes, *inquit*, multùm formosa, sed parùm » claudicans, domino Radulpho de *Couchi* nupsit, » cui tres peperit filias; quarum primogenita » Yolendis domino Roberto de *Drewes* et de » Brana nupsit, qui filius fuit domini Roberti, » fratris Ludovici Francorum Regis (ut apud Gislebertum) et peperit ei quatuor filios et quinque filias. Primogenitus nomine Robertus patri » successit in Comitatu; secundus nomine Petrus » *Mauclers*, factus est postea Comes Britanniæ » per uxorem; tertius nomine Henricus factus » Clericus et postmodùm Remensis Archiepiscopus, castrum portæ Martis fortificavit; quartus » verò duxit uxorem Comitissam Matisconensem, » ex qua tamen hæredem non habuit.

» Primogenita filiarum Comitis Roberti nupsit » domino de *Salins*, qui erat Comes ultra-Saonensis; secunda Comiti Barrensi Henrico, qui » ex ea plures genuit filios et filias. Filiorum primogenitus Theobaldus patri successit in Comitatu; secundus Henricus nomine, juvenis miles » mortuus est; tertius nomine Renaldus uxorem » duxit [Mariam] filiam domini Nicolai de *Kieverain*, ex qua hæredem non habuit. Una verò filiarum Comitis Barri nupsit domino Henrico de *Lucelburg*, filio Comitissæ Ermensendis, Comitis » Namurcensis Henrici Cæci filiæ; et hic Henricus Comes de *Lucelburg* ex uxore sua plures » genuit filios et filias. Tertia filia Comitis Roberti et Yolendis nupsit Comiti de Augo: quæ » similiter Yolendis nomine peperit dicto Comiti » de *Eu* unicam filiam, quæ nupta domino Alfonso filio Regis Aconensis Joannis, unicum ei » peperit filium et duas filias. Nomen filii Joannes, qui uxorem duxit filiam de Sancto-Paulo » Guidonis, ex qua plures genuit filias. Una filiarum Elisabeth nomine, nupsit domino Joanni » de Dampetra; secunda Monialis facta est. Quarta » filia Comitis Roberti facta est Abbatissa Fontis-» Evraldi. Quinta nupsit Comiti de *Roussi*, qui ex » illa non habuit hæredem.

» Filiorum autem Comitis Roberti de *Drewes* et » Yolendis primogenitus, nomine Robertus, patrí succedens, uxorem duxit filiam unicam domini de Sancto-Walerico, ex qua genuit filios » et unam filiam, Joannem primogenitum et Robertum; nomen filiæ Yolendis, quæ nupsit Duci » Burgundiæ Hugoni, qui ex ea tres genuit filios et » unam filiam. Nomen primogeniti Odo, qui fuit » Comes Nivernensis; nomen secundi Joannes; » tertius verò Robertus nomine patri successit in » Ducatu, eò quòd alii duo fratres decesserunt, » vivente patre. Filia verò dicti Hugonis Alaïdis » nomine, nupsit Henrico Duci Brabantiæ, cui » tres peperit filios et unam filiam. Nomen primogeniti Henricus, qui propter ineptitudinem » ejus ad terram regendam, tonsoratus est, et factus est Canonicus Regularis in Burgundia apud » S. Stephanum Divionensem. Secundus nomine » Joannes, patri successit in Ducatu. Tertius nomine Godefridus, uxorem duxit hæredem de » *Virzon*. Nomen filiæ Maria, quæ nupsit Regi » Francorum Philippo [Audaci], qui priùs habuerat uxorem filiam Regis Arragonum, ex qua » tres genuerat filios. Dux Brabantiæ Joannes » prædictus uxorem duxit primò Margaretam, » sororem dicti Regis Francorum Philippi: quâ » sine hærede mortuâ, aliam duxit Margaretam » filiam Comitis Flandriæ Guidonis, ex qua » filios genuit et filias. De Hujus itaque Joannis » progenitoribus sciendum quòd Rex Francorum Carolus, etc. (Vide supra p. 549.)

» Comitis Roberti de *Dreuwes* filius primogenitus Joannes uxorem duxit filiam domini Archenbaldi de *Borbon*, ex qua unum genuit filium et unam filiam. Filius nomine Robertus » uxorem duxit hæredem Comitatûs de Monte-» forti, ex qua liberos procreavit; filia verò domino de *Creon* nupsit, quo defuncto, iteratò » nupsit Comiti de Dammartino. Frater autem » dicti Joannis de *Deruwes* Robertus nomine, filiam » habuit quam dominus Radulphus de Nigella duxit » postmodùm in uxorem.

» De Petro dicto *Mauclerc*, fratre Roberti de » *Dreuwes* junioris, sciendum quòd uxorem duxit Aelidem Britanniæ Comitissam, cujus avus » Britanniæ Comes Conanus, agnomine Grossus, » filiam unam habuit nomine Constantiam, quæ » nupsit fratri Regis Angliæ Richardi Joffrido, » et peperit ei filium nomine Arturum, et filiam » nomine Alienordem. Mortuo autem Rege Richardo, devolutum est regnum ad hunc Joffridum: qui, antequam homagia regni reciperet, » mortuus est *; et Joannes Sine-terra, frater ejus » junior, regnum accepit, Arturum nepotem » suum postea submergi procurans, neptemque » suam Alienordem in captivitate detinens, a » qua nunquam evasit. Mortuo igitur Joffrido Arturi » patre, Comitissa Constantia * Comiti Andegaviæ » nupsit Almarico, qui ex ea filiam hanc Aleïdem » generavit. Hæc ergo Comitatum detinens, nupsit » Petro *Mauclerc*, qui filium unum ex ea genuit » et filiam. Filius nomine Joannes in Comitatu » succedens, ex uxore sua, Regis Navarriæ et » Campaniæ Comitis Theobaldi filia, duos filios » genuit et unam filiam. Primogenitus nomine » Joannes, uxorem ducens filiam Regis Angliæ » Henrici, plures liberos ex ea genuit. Secundus » nomine Petrus juvenis miles mortuus est, et » apud Fratres Minores Parisius sepultus. Filia » verò nomine Aelidis, Joanni nupta Comiti » Carnotensi ac Blesensi, de *Avennes* domino, » unicam ei peperit filiam Johannam, quæ nupta » Comiti Alencionis Petro, germano Regis Francorum Philippi, sine liberis decessit ».

» Filia Comitis Britanniæ dicti *Mauclerc*, maritata domino Hugoni Bruno Comiti de Marcia in » Pictavia, plures ei peperit filios et filias. Primogenitus nomine Hugo patri successit in Comitatu. Filiarum una nupsit domino de Bellavilla, altera Comiti de *Glocestre*.

(*b*) Hujus etiam progeniem describit idem Balduinus de Avennis: « Secunda filia domini Radulphi de *Couchi* ex uxore sua Agnete, filia Comitis Hainoniæ Balduini hujus nominis tertii » post Richildem, primò nupsit Comiti de *Roussi* » Radulpho, qui sine liberis decessit: post cujus » decessum maritata est Comiti de Grandi-Prato » Henrico, qui ex ea genuit unum filium et » unam filiam. Filius Henricus patri successit in » Comitatu; filia Comiti nupsit Suessionensi Radulpho, cui duos peperit filios et filiam unam. » Primogenitus Joannes nomine, filiam unicam » domini Alardi de Cysmaio in Hainonia, hæredem illius terræ duxit in uxorem, ex qua » duos genuit filios et filias tres. Quorum primogenitus Joannes patri successit in Comitatu; » secundus nomine Radulphus, miles, juvenis » mortuus est in Tunis cum Rege Francorum. Et » Joannes uxorem duxit Margaretam filiam Comitis de Monteforti, ex qua tres genuit filios » et unam filiam: quorum primogenitus Joannes » uxorem duxit filiam domini Hugonis de *Rumengni*, ex qua unum genuit filium. Nomina » fratrum dicti Joannis Radulphus et Antherus, » qui Clericus factus est. Soror eorum maritata est » domino Hugoni de *Scouflans*, domino de *Maruel*.

» Trium filiarum supradicti Joannis Suessionensis Comitis primogenita, nomine Aelidis, maritata est domino Joanni de *Audenarde*, cui » unam peperit filiam, domino Godefrido de » *Peruwes* postea maritatam: quo sine liberis defuncto, maritata est domino Joanni de *Falem*,

* *Imò* an 1185.

* *Corr.* Guidoni Thoarcensi.

Digitized by Google

consideratâ supradictâ progenie de *Lusceleborch*. Tertia autem filia, nomine A
Ada, nupsit viro nobili in Flandria Theoderico de Beverna, Castellano de Dicamuda (*a*). In matrimonio autem Agnetis, quæ, ut prædiximus, Radulpho de *Coci* nupsit, concessum fuit ei et ejus hæredibus ut habeant in Montibus, in assisa villæ quæ fit in festo S. Remigii, annuatim LXXX libras denariorum, et Bincii in eodem termino XL libras, quibus quidem Balduinus ipsius Agnetis frater, cùm mortuo patre ad Comitatum Hanoniensem pervenisset, addidit in eodem termino annuatim in Valencenis LX libras.

Tertiam verò Balduini Comitis et Alidis Comitissæ filiam, Lauretam, habuit uxorem vir nobilis, miles juvenis, Theodericus de *Alost*, Iwani de Gandavo et Lauretæ filius. Hanc quidem Lauretam Iwano de Gandavo maritatam de prima uxore filiam habuit Theodericus Comes Flandriæ : quæ quidem Laureta post Iwani decessum nupsit Radulpho Comiti Viromandensi viduo, postea B
Henrico Duci de *Lemborch*, deinde Henrico Comiti Namurcensi ; quibus viris singillatim relictis, Religionis habitum tandem sumpsit.

Hic prætermittendum non est, ut sciatur tam a modernis quàm posteris, quomodò ab antiquo sæpedictus Comes Balduinus et Alidis Comitissa uxor ejus et eorum hæredes in bonis Henrici Comitis Namurcensis et *Lusceleborch* jus habere visi sunt, quòd cùm sæpedictus Henricus Comes Namurcensis et *Lusceleborch* prædictam Lauretam in uxorem ducere voluisset, matrimonium nisi de consensu et laudamento Balduini Comitis Hanoniensis et Alidis Comitissæ, et eorum filii Balduini contrahere non potuit : quod quidem laudamentum apud Hepimas factum fuit, sub multorum testimonio nobilium et ministerialium, ubi sæpenominatis Balduino et Alidi et eorum filio Balduino ab hominibus Comitis Namurcensis et *Lusceleborch* super allodiis et feodis securitates antea factæ, fue- C
runt solemniter renovatæ, scriptisque authenticis commendatæ.

Theodericus de *Alost* miles juvenis citiùs decessit, ejusque uxor Laureta, Balduini Comitis et Alidis Comitissæ filia, per aliquot annos vidua mansit : terra autem quam Theodericus tenuerat, tam de *Alost* quàm de Waisa, ad Philippum Flandrensem et Viromandiæ Comitem potentissimum devenit. Post decessum (*b*) verò Balduini Comitis et Alidis Comitissæ uxoris suæ, Balduinus filius eorum, Comes Hanoniensis novus, Lauretam viduam sororem suam tradidit uxorem viro nobilissimo in Francia Buchardo de Montemorenciaco, qui de ea filium habuit Matthæum, quem avunculus suus Balduinus Comes Hanoniensis militem ordinare festinavit, ut terræ dominium valeret obtinere.

Balduinus sæpedictus Comes Hanoniensis audiens sororem suam apud Toënium maritatam, a quibusdam vicinis illius viris potentibus graviter fuisse oppressam D
(*c*), illi cum CCC militibus succurrere non timuit ; et non quæsitâ licentiâ vel

» cui duas peperit filias. Secunda filia supradicti » Comitis, Yolendis nomine, domino Hugoni » de *Rumengni* nupta, sine liberis decessit. Tertia » dicti Comitis filia, nomine Alienordis, Vice- » comiti de *Toart* unum filium peperit Hugonem » nomine, et unam filiam.

» Frater autem ejusdem Comitis Suessionensis » supradicti Radulphus, miles strenuus et famo- » sus, mare transivit ; et antequam reverteretur, » uxorem duxit Reginam Cypri, filiam Henrici » Regis Acconensis, relictam Regis Cypri, qui ex » ipsa liberos genuerat ; et per hanc dictus do- » minus Radulphus gubernationem tenebat regni » Cypri, ac etiam regni Jerosolymitani. Post » hujus igitur Reginæ obitum, dictus dominus » Radulphus aliam duxit uxorem, filiam domini » Joannis de *Hangest*, ex qua filiam genuit hære- » dem terræ suæ, et hæc maritata est domino » Bernardo de Marolio.

» Una sororum domini Radulphi ac Joannis » Suessionensis supradicti, nomine Isabella, nupta » domino Nicolao domino de *Barbenchon* post » patrem, duos ei peperit filios et plures filias : » quorum primogenitus nomine Joannes patri » succedens, ex uxore sua, filia domini Hugonis » de *Antoing*, Maria, plures genuit filios, Hugo- » nem, Egidium Clericum, Nicolaum Clericum, » Radulphum qui fuit Clericus, Alardum, Mi- » chaëlem et Joannem primum ; adhuc et septem » filias, quarum primogenita nupsit domino Ro- » berto de Ascha. Dicti verò domini Joannis de » *Barbenchon* frater, nomine Nicolaus, uxorem » duxit Idam germanam fratris sui. Sororum dicti » Joannis et Nicolai primogenita Machtildis, do- » mino Waltero de *Enghien* nupta, sine liberis » decessit ; secunda nomine Yolendis domino Hu- » goni de *Hernes* duos peperit filios, Hugonem » et Michaëlem ; et tertia domino Arnulpho de » *Steyve* est maritata.

» Filius Comitis de Grandi-prato Henricus ex » uxore sua, filia domini Erardi de *Rameru*, » unum genuit filium Henricum, qui successit in » Comitatu ».

(*a*) « Tertia filia domini Radulphi de *Couchi* » (inquit Balduinus de Avennis ibidem) Alda » nomine, domino Theoderico de *Bevre* duos » peperit filios, Theodericum qui patri successit, » et Wilelmum, ac tres filias : quarum una do- » mino de Gribergis Gerardo unicam peperit fi- » liam, quam duxit dominus de *Peruwes* Gode- » fridus ; secunda domino de Hondescote Wi- » lelmo plures peperit filios, quorum primoge- » nitus nomine Petrus patri successit ; et tertia » filia domino de *Montchablon* Goberto unum pe- » perit filium Gobertum nomine, et filiam unam ».

(*b*) Anno 1173, inquit Gislebertus infra, *post Octavam Epiphaniæ, Balduinus Comes Hanoniensis sororem suam viduam Lauretam, pulchram admodùm et honestam, quam uxorem habuerat vir nobilis Theodericus de* Alost, *maritavit viro nobili Buchardo de Montemorenciaco in Francia.*

(*c*) Rem narrat Ordericus Vitalis ad an. 1138.

Digitized by Google

A conductu, per Franciam sanè transivit, et de hostibus sororis suæ graviorem sumens vindictam, et eam in bona pace et bono statu relinquens, ad propria rediit.

Balduinus sæpedictus Comes Hanoniensis, Balduini Comitis et Yolendis Comitissæ filius, qui sæpedictam Alidem habebat uxorem, Comitatum Hanoniensem potenter possedit, et Theoderico Comiti Flandriæ, a quo continuos guerrarum patiebatur insultus, in magnæ animositatis constantia restitit, et ab eo in jure suo et dominatione sua lædi non potuit; excepto hoc quòd firmitatem quamdam prope Duacum, quæ a Comite Hanoniensi tenebatur, scilicet *Raucort* (*a*), obsedit, et diu obsessam post multos militum conflictus acerrimos prostravit. In obsidione quidem illa, in quodam conflictu occisus fuit miles probus Rasso de Gaura, qui post decessum Egidii de *Cin* Damison de Cirnia habuit uxorem, de qua filium habuit Rassonem, militem potentem et vividum,
B et Bertam uxorem Eustacii de *Ruez*, probi admodùm militis, filii Eustacii senioris de *Ruez*, de quo, ut supra dictum est, filium habuit Eustacium.

Balduinus sæpenominatus Comes Hanoniensis, Balduini Comitis et Yolendis Comitissæ filius, Bincium villam quam mater ejus Yolendis instauraverat, muro circumdedit; castrum Montense muro circumdedit, quem filius ejus melioravit; *Haimoncasnoit* villam instauravit, et in ea castrum construxit, fossatis et muris circumdedit, et filius ejus muros melioravit. Bulcenum * muro cinxit, et ibi turrim construxit, quam filius ejus perfecit. In Valencenis domum lapideam, ad habitandum honestam et aptam, supra Scaldum fluvium construxit. Ramis villam instauravit, ubi turrim construxit ad reprimendos latrones Viconiæ, et ad conservandum transitus illos contra Flandrenses, qui semper Hanoniam vastare moliebantur : turrim illam filius ejus perfecit. *Ath* villam in Braban-
C tia, a viro nobili Egidio de Trasiniis, milite probo et vivido, Pare castri Montensis, patre, inquam, probissimi militis Ostonis scilicet, gloriosi nominis famâ præclari, emptione acquisivit; ubi cùm villam novam instaurare et castrum construere cœpisset, Rasso de Gaura, Rassonis et Damison de Cirnia filius, de consensu et consilio Philippi Comitis Flandriæ et Viromandiæ, ei contraire præsumpsit, veniens Cirniam et ibi manens in multorum viribus militum, vivente adhuc matre suâ, quam Nicolaus de Ruminio supradictus, ejusdem Comitis consanguineus, habebat uxorem. Comes autem congregato apud *Belki* exercitu suo, in viribus suis castrum de *Ath* construxit, invito et non prævalente Rassone de Gaura.

* *Bouchain.*

Brainam Wilhoticam ab Ecclesia Montensi per concambium acquisivit, ubi turrim construxit, quam filius ejus perfecit. In acquisitione illa compositum fuit
D inter Comitem Hanoniensem et Ecclesiam Montensem, quòd Ecclesia Montensis retinuit sibi decimas censuum et decimas oblationum, et terram quæ fuit Henrici senioris de Braina, quæ per eleemosynam ad ipsam Ecclesiam devenerat, et altare ipsius villæ cum minutis decimis et dotaliciis et omnibus quæ ad altare pertinent, et propriam curtem suam liberam, et in nemore allodii illius ligna ad ignem et ædificationem curtis necessaria sine alicujus licentia incidenda, servosque et ancillas in pristina libertate manentes, et tertiam partem decimæ; duas autem decimæ partes dominus Comes sub annuo censu XII denariorum sibi retinuit.

Cimacum et totum allodium ad illud pertinens ita sibi acquisivit, quòd dominus castri, qui pro quibusdam feodis continuum in Montibus debebat stagium, Cimacum et totum allodium ad illud pertinens stagio Montensis castri

Cùm enim, disceptantibus de Normanniæ dominio Stephano Angliæ Rege et Gaufrido Comite Andegavensi, Rogerius Toënites pro Andegavensi staret, Valerannum Comitem Mellenti et Robertum Legecestriæ præcipuos patiebatur adversarios. Quare *septimo die Septembris*, inquit Ordericus, *Rogerius Toënites insignem manum aggregavit, et plures injurias sibi olim factas vindicare satagens, Britolium expugnavit. Comitem quippè Hanaucensem cum* LXXX... *militibus secum habebat, validamque turmam quam ipse de omni ditione sua contraxerat.* Et post pauca : *Eodem anno concordia inter Rogerum et Comites fratres facta est : a quibus etiam ad Stephanum Regem in Angliam adductus, eique honorificè reconciliatus est Rogerius.*

(*a*) Waterlosius castrum *Raucourt*, quod perperàm *Croochurt* extulere ibidem amanuenses, an. 1150 mense Septembri expugnatum narrat a Theoderico Comite Flandriæ. Balduinus de Avennis ad mentem Gisleberti « Prædictus igitur Balduinus, » *inquit*, hujus nominis tertius post Richeldim, » guerram habuit cum Comite Flandriæ Theode- » rico : qui contra Balduinum turrim quamdam » obtinuit in Ostrovanco nomine *Rovecort*, et eam » munierat; sed dictus Comes Balduinus per insi- » dias ejecit illos de munitione, ac devicit. Et » ibi mortuus est dominus Rasso de *Gavre*, qui re- » lictam domini Egidii de *Chin* uxorem habuerat, » dominam Domitionem de *Cyrne*. Hujus ergo » Rassonis filius fuit Rasso, et filia quam Eusta- » chius de Rodio, cognomine *li Vallés*, in uxo- » rem duxit ».

Digitized by Google

addidit. Unde compositum fuit et firmatum perpetuò, ut milites et feodati totius A
allodii illius, et etiam omnes homines in Cimaco manentes, qui ætatem xv annorum habuerint, debent Comiti Hanoniensi fidelitatem, tactis sacrosanctis, exhibere. Quod si dominus castri ad ammonitionem suam castrum suum ei reddere noluerit, vel ei in aliquo se opposuerit, milites illi et feodati et homines de Cimaco debent Comiti Hanoniensi auxilium omnimodis contra dominum castri.

Ab eodem etiam Comite Hanoniensi Balduino, Yolendis Comitissæ filio, fidelis ejus Adam de *Wallincort*, miles probus, sapiens et vividus, corpore magnus, qui bona terræ suæ augmentavit, et inter consanguineos et vicinos suos potens manebat, et a Comite Hanoniensi *Wallaincort* et quædam alia bona in feodo ligio tenebat, castrum suum *Perreusmont*, quod novum construxerat, in feodo ligio accepit.

Quod jus Comes Hanoniensis in fidelitatibus et securitatibus omnium cas- B
trorum et munitionum in toto Comitatu et dominatione Hanoniensi habeat, dicendum est. Quicumque in toto Comitatu et dominatione Hanoniensi, tam in Hanonia quàm Brabantia et Ostrevanno, castrum vel munitionem vel ab antiquo tenuerit, vel noviter construxerit super feodum vel super allodium alicujus, oportet de jure ut Comiti Hanoniensi primam inde faciat fidelitatem et securitatem cum hominio præ cæteris hominibus, quamvis situs firmitatis illius in alterius feodo vel allodio sit, ita quòd Comiti Hanoniensi vel ejus credibili nuncio ad omnes monitiones suas, tam in ejus necessitate quàm in ejus voluntate, castrum suum vel munitionem suam debeat reddere; Comes autem sicut sanam invenerit, ita sanam debet reddere cum omnibus in illa inventis, peractis inde negotiis suis. Unde contigit quòd cùm super his, hujus Comitis diebus, controversia in ejus Curia verteretur; Walterus dominus de Avethnis, C
agnomine *Pelukels*, constitutus in præsentia ipsius Comitis coram Principibus suis et nobilibus, et servilis conditionis viris, cùm quoddam judicium
* An. 1147. in his sibi contrarium proferri deberet, subitaneâ morte præventus corruit *. Waltero prædicto successit (*a*) Nicolaus filius ejus, homo pacificus et discretus;

(*a*) Balduinus de Avennis, Toparcha Bellimontis, gentis suæ genealogiam texuit in hunc modum: « Sciendum, *inquit*, quod Werricus *Li sors* » dominus fuit terræ de Lutosa et partium circum- » jacentium : cui Comes Hainoniæ temporis illius » terram contulit quæ est inter duas Eppras, quarum una a parte quæ circa Bewas dirivatur, et » alia a partibus quæ circa *Trelon*. Quartus igitur » hæres post illum, Werricus nomine cum Barba, » dominus fuit Lutosæ ac etiam de *Avennes*, ubi » parvam turrim ædificavit : et iste mansionem habebat apud *Fayt* supra Epram. Post hunc Werricum filius ejus Theodericus in dominio succedens, turrim apud *Avennes* augmentavit, et Canonicos apud Lætias amovit, Monachos ibi ponendo. Iste Theodericus decessit sine liberis, et » successit ei quidam suus nepos Goswinus de Oysiaco, Castellanus Cameracensis : qui uxorem » habens Agnetem nomine, filiam Anselmi Comitis de Ribodimonte, omnia sua allodia recepit in feodum a Comite Hainoniæ Balduino » filio Richildis, et factus est unus de Paribus » Comitatûs; fecitque firmare villam Avennensem contra voluntatem Comitis Hainoniæ, » propter quod venit Comes contra ipsum cum » exercitu magno, et conflictum habuit cum eo » super Sambriam, qui per duos dies continuatus est sine victoria partis, et tandem tertiâ » die captus est dictus Goswinus et positus in » carcere Comitis, qui per despectum sibi barbam radi fecit. Ad ultimum, factâ pace, perfecit firmitatem villæ Avennensis de voluntate » Comitis. Goswinus iste primitùs valdè discolus » fuit; sed demùm in peregrinatione ivit ultra » mare, et reversus aliquantulùm rationabilior » et maturior, mortuus est. Et quia liberos non » habebat, successit ei nepos suus ex sorore Walterus cognomine Plukellus, qui Ecclesiæ Lætiensi auferre voluit ea quæ sui antecessores ei » contulerant, et fecit eis multa mala; Sanctus » verò Bernardus, multùm laborans pro pacificatione, inter eos pacem fecit, quæ parùm duravit, quia crudelis homo fuit, et semper abe- » tulit Monachis possessiones eorum, et aliis » etiam multa fecit tædia. Tandem apud Montes » in Castri-loco veniens ad placitandum, contradixit hominum sententiæ; et Comite super » hoc ipsum compescere volente, cùm staret appodiatus super arcam quamdam, subitò mortuus est anno Domini MCXLVII. Cui filius ejus » Nicolaus Plukellus succedens, castrum ædificavit *Landrechies* et castrum de Condato, et uxorem duxit Machtildem filiam Henrici Comitis » de Rupe in Ardenna. Hic Henricus frater fuit » Godefridi Comitis Namurcensis, qui pater » Henrici Cæci fuit. Et illa Machtildis primò » fuerat uxor domini de *Walecourt*, valdè strenui » militis. Deinde dicto Nicolao duos peperit filios, Jacobum et Fastradum, et unam filiam » nomine Ydam, quæ nupsit Castellano Sancti- » Audomari Wilelmo.

» Nicolai Plukelli filius primogenitus Jacobus, » patri succedens in dominio terræ de Lutosa et » de *Avennes*, per uxorem suam Adeluyam, unicam filiam Bouchardi domini de Guisia, terram Guisiæ tenuit et de *Leskieres*, et genuit ex » illa quatuor filios, Walterum, Bouchardum, » Jacobum et Guidonem; item quatuor filias, » Machtildem, Aelidem, Adeluyam et Agnetem. » Iste dominus Jacobus valdè strenuus erat miles, » et multùm habuit agere contra plures. Tandem » ivit ultra mare (an. 1189) et interfuit obsidioni et captioni civitatis Aconensis, quam » fecerunt Rex Francorum Philippus et Rex Angliæ Richardus. Postea moratus est in Syria tantùm, quòd interfuit cuidam prælio ante castrum *Assur*, ubi fuit occisus; sed carè se vendidit, quia tantùm per arma fecit, quòd adhuc » est inde famositas in multis locis.

» Hujus igitur mortis auditâ famâ, dominus » Galterus filius ejus primogenitus ei succedens » in dominio, ex uxore sua Margareta, Comitatûs Blesensis hærede, unicam genuit filiam » nomine Mariam. Deinde in peregrinationem » ivit ultra mare, ubi multa bona fecit, et primum posuit lapidem in fundamento Castri-

et

Digitized by Google

A et cùm sui antecessores Comitibus Hanoniensibus sæpiùs exstitissent contrarii et rebelles, iste domino suo se opponere nunquam præsumpsit. Iste bona

» Peregrinorum. Postea reversus ad propria, filiam suam Mariam in uxorem dedit Comiti Sancti-Pauli Hugoni, qui ex ea genuit liberos, Joannem, Guidonem et Galterum. Deinde mortuâ Comitissâ Blesensi, dictus Hugo Comitatum tenuit ex parte uxoris; et diu postea mortuo domino Galtero, pro filiis qui minores erant, tenuit idem Hugo terram de *Avesnes* et de Guisia.

» Mortuo igitur dicto Hugone, successit ei suus primogenitus filius Joannes. Et postea per modicum tempus defuncta est Comitissa Carnotensis, quæ soror fuerat Blesensis Comitissæ; et ita dictus Joannes successit etiam in Comitatu Carnotensi. Cujus fratri Guidoni pro sua portione cessit Comitatus Sancti-Pauli; et hic uxorem duxit Macthildem filiam Henrici Ducis Brabantiæ, relictam Comitis Atrebatensis Roberti, ex qua genuit Hugonem Comitem Blesensem, qui nunc est, et Guidonem nunc Comitem Sancti-Pauli, et Jacobum dominum Lutosæ. Galterus tertius filius dicti Hugonis, pro sua portione terram habuit de Cretiaco, qui ex uxore sua, filia domini Triangulensis, unicum genuit filium Galtherum.

» Filiarum verò dicti domini Jacobi de *Avesnes* primogenita [Mathildis], Comiti de Cisneio marito suo tres peperit filias: quarum primogenita Joanna Comiti Lossensi Arnulfo marito suo quatuor peperit filios et duas filias. Horum primogenitus nomine Joannes patri succedens in Comiatu Lossensi, ex uxore filia Comitis Juliacensis unicum genuit filium Arnulphum nomine; tsecundus nomine Ludovicus, in Comitatu succedens de *Chini* post matrem, uxorem duxit dominam de Albo-monte, germanam Comitis Barrensis Theobaldi, relictam Domini Henrici de Salmis; tertius nomine Henricus, factus Clericus, mortuus est juvenis; quarti nomen Gerardus; et præter hos erat quintus Arnulphus, qui similiter Clericus fuit et Episcopus Cathalaunensis. Filiarum verò dicti Arnulphi Comitis Lossensis una, domino de *Fauquemont* nupta, plures ei peperit filias; et illo mortuo, iterùm maritata est domino de *Vorne* in Zelandia. Secunda filia nomine Juliana, domino de *Kieverain* nupta, duas peperit ei filias, quæ duobus filiis domini de Aspromonte maritatæ sunt. — Secunda filia Comitis de *Chini* et Machtildis filiæ Jacobi Avesnensis, ipsa domina de *Agimont* et de *Givet*, domino Joanni de *Retest* Hugonis in Comitatu successori, unam peperit filiam quæ juvenis mortua est. — Tertia filia Comitis de *Chini* ac dictæ Machtildis, domino Ostoni de *Trasengnies* maritata, plures ei peperit filios et filias. Post mortem verò dicti Comitis de *Chini*, dicta Machtildis secundò maritata domino Nicolao de *Rumengni*, tres peperit filios, Nicolaum, Hugonem et Jacobum, de quibus dictum est priùs.

» Aelidis secunda filia domini Jacobi de *Avesnes*, maritata domino Rogero de *Rosoy*, unum peperit ei filium et quatuor filias. Filius nomine Rogerus patri succedens, uxorem duxit primò filiam domini Roberti de *Couchi*: quâ mortuâ, secundam duxit filiam domini de *Hensberghe* in Alemannia; et hâc similiter mortuâ, tertiam duxit filiam domini de *Montmorenchi* in Francia, ex harum nulla liberos habens. Sed demùm cum Rege Francorum Ludovico transfretavit, et mortuus est in prælio ubi captus fuit Rex Ludovicus. — Hujus Rogeri soror primogenita nomine Aelidis, domino Arnulpho de *Audenarde* maritata, unum peperit filium et unam filiam. Filius nomine Joannes ex uxore sua, filia Joannis Comitis Suessionensis, filii Radulphi Comitis, unam genuit filiam, quam Godefridus dominus de *Peruwes* in Brabantia duxit in uxorem, sed prolem ei non peperit. Dictus autem Joannes de *Audenarde*, mortuâ uxore primâ, secundam duxit, sororem domini Roberti de *Cresekes*, relictam Vicedomini de *Pinkengni*, ex qua plures genuit filios et filias: uorum primogenitus Arnulphus nomine, uxorem duxit dominam de Seburgo, relictam domini Balduini de *Hennin*; quâ defunctâ, aliam duxit sororem Radulphi *Flamenc* de *Kanni*. Secundi filii nomen Joannes, tertii Robertus. Filiarum una maritata est Godefrido Comiti de Vienna in Ardenna, altera domino Waltero de *Tuppengni*. — Soror verò dicti domini Joannis de *Audenarde*, nupsit domino Godefrido de Lovanio, fratri Ducis Brabantiæ Henrici, in Monasterio Villariensi sepulti, cui peperit quatuor filios et unam filiam. Primogenitus nomine Henricus uxorem duxit Isabellam, filiam domini Theoderici de *Bevre*; secundus nomine Arnulphus uxorem duxit hæredem terræ de Breda, ex qua liberos non habuit; reliqui duo fratres Clerici. — Secunda filia domini Rogeri de *Rosoic* ac dominæ Aelidis, filiæ domini Jacobi de *Avesnes*, Juliana nomine, domino Goberto de Asperomonte maritata, quatuor peperit filios et duas filias: quorum primogenitus Joffridus Comitissam *Salebruges* habens uxorem, sine liberis decessit. Cui frater ejus Gobbertus succedens, ex uxore sua Agnete, filia domini Thomæ de *Couchi*, duos genuit filios et duas filias: nomen primogeniti Joffridus, et alterius Thomas. Hi duo duas sorores, filias domini de *Kieverain*, duxerunt in uxores. Filiarum domini Gobberti primogenita, nomine Joanna, Comiti de Salebrugis maritata est. Tertius filius domini Gobberti de Asperomonte, nomine Joannes, Clericus est et Præpositus Montis-Falconis; quartus nomine Guido, mortuus est miles juvenis in Tunisio cum Rege Francorum. De filiabus una Religionem ingressa est, et alia maritata est in Alemannia. — Tertia filia domini Rogeri de *Rosoic* nomine Clementia, nupta Comiti de Salmis in Ardenna, unum peperit ei filium et unam filiam. Filius nomine Guilelmus, filiam Comitis Juliacensis Wilelmi duxit uxorem: et filia Comitis de Salmis nupsit domino de *Ayste*, qui mortuus est ante patrem; ex dicta tamen uxore sua filium habuit nomine Robertum, sed terra devoluta est ad ejus patruum dominum Joffridum. — Quarta filia dicti domini Rogeri de *Rosoic* Abbatissa fuit apud Monasterium in Theoracia.

» Tertia autem filia domini Jacobi de *Avesnes*, Adeluya, nupsit domino de *Enghien* Engelberto; cui unum peperit filium et duas filias. Filius nomine Sigerus ex uxore sua, filia domini de *Sottenghen*, sex genuit filios et quatuor filias: quorum primogenitus, nomine Walterus, primò duxit uxorem, filiam domini Joannis de *Barbenchon* Machtildem, quæ sine prole decessit; similiter et secunda uxor, filia domini Ingelrami de *Peruwes*; deinde filiam Comitis Reistensis Manasserii Mariam duxit, ex qua unicum genuit filium Walterum, qui patri successit. — Secundus filius domini Sigeri de *Einghen* Gerardus, ex filia domini Gerardi de *Viane* juxta *Grammont*, unum genuit filium et duas filias. Filius nomine Gerardus patri succedens, filiam duxit Castellani Gandavensis. Primogenita domini Gerardi de *Sottenghen* nupsit domino Thomæ de *Couchi*, domino de Wervino; secunda filia Joanni filio domini Eustacii de *Lens*. — Tertius filius domini Sigeri de *Einghen* Joannes, Episcopus Tornacensis, et postea Leodiensis per translationem factam in Concilio Lugdunensi, anno Domini MCCLXXIV. — Quartus filius domini Sigeri Jacobus, ex filia domini Walteri de *Brainne* filium genuit Walterum, qui postea duxit uxorem Basiliam, filiam domini Balduini de *Hennin*, quam genuit ex domina de Seburga. — Quintus filius dicti Sigeri Arnulphus, uxorem duxit filiam domini Gerardi de *Tyans*. — Sextus quoque Engelbertus nomine, uxorem duxit Castellanam de Montibus, ex qua plures genuit liberos. — Filiarum dicti domini Sigeri una, domino Egidio de

Digitized by Google

terræ suæ plurimùm ampliavit, et eam multis novis villis instauratis populavit A
et ditavit : qui castrum *Landrecies* et castrum Condati construxit, quod quidem

» *Trasengnies* maritata, unicam peperit filiam,
» quam duxit Eustachius dictus *Kanivet* de Rodio.
» — Secundam duxit dominus de *Liedekerke*, do-
» minus Rasso de *Gavre*, qui plures ex ea genuit
» liberos : quorum primogenitus Rasso, uxorem
» duxit filiam Henrici de *Boulers* juxta *Grammont*.
» — Tertia filia dicti Sigeri Abbatissa fuit apud
» *Ghilenghen*. — Sororum verò dicti Sigeri de *Ein-*
» *ghen* una, nomine Adeluya, domino Waltero
» *Bertolt* Advocato Macliniensi maritata, peperit
» alium Walterum *Bertolt*, et fratrem Henricum et
» alios, ac sorores eorum. Et hic Walterus *Bertolt*
» ex Maria filia Comitis Alverniæ Wilelmi filios
» genuit et filias : quorum primogenitus Wal-
» terus Aelidem filiam Comitis de *Ghines* uxorem
» duxit; Henricus verò Bertholdus filiam Castel-
» lani Montensis uxorem duxit. — Alia quoque
» soror domini Sigeri de *Einghen* duxit domino
» Evrardo *Radoul*, domino de Mortania, cui pe-
» perit filium Arnulphum, de quo dictum est.
» Quarta filia domini Jacobi de *Avesnes* [Agnes]
» nupsit Comiti de Grandi-prato, cui peperit duos
» filios et duas filias, quæ sine liberis decesserunt.
» Primogenitus horum filiorum Jacobus patri suc-
» cessit in terra de *Hans* in Campania, non in
» Comitatu; quia ex prima uxore sua unicum
» genuerat filium, Henricum nomine, qui patri
» successit in Comitatu. Alius frater Joffridus no-
» mine, Clericus, factus est Episcopus Cathalau-
» nensis. Et dictus Jacobus ex uxore sua, filia do-
» mini Nicolai de *Barbenchon*, duos genuit filios,
» Henricum et Jacobum.
» Dicto de domino Jacobo de *Avesnes*, ac de iis
» qui ab eo processerunt, dicendum est de domino
» fratre suo [Fastrado], qui Advocatiam de Flam-
» mengeria ac terram magnam circumjacentem
» habens in partem hæreditatis suæ, ex uxore sua
» duos genuit filios et unam filiam : quorum pri-
» mogenitus dominus Nicolaus ex sorore Bal-
» duini *Buridan*, domini de *Walaincourt*, quin-
» que genuit filios et filias multas. Quorum pri-
» mogenitus [Fastradus] patri succedens, ex so-
» rore domini Karonis de *Rume* unum genuit fi-
» lium et duas filias : quarum primogenita no-
» mine Yoia, fratre mortuo juvene, patri suc-
» cedens, domino Egidio de *Barlainmont* marito
» suo duos genuit filios, Egidium et Joannem,
» et totidem filias. Filius primogenitus Egidius,
» de filia domini Joannis de Alneto juxta Valen-
» cenas, unum genuit filium nomine Egidium;
» et hâc dominâ mortuâ, secundam duxit uxo-
» rem Aldam, filiam domini Michaëlis de *Wasiers*,
» ex qua plures genuit filios et filias. Secunda
» filia dicti Fastradi secundi, nomine Aelidis, do-
» mino Arnulpho de *la Hamaide* duos peperit fi-
» lios, Joannem et Theodericum, et unam fi-
» liam. — Balduinus dicti Fastradi frater, uxorem
» duxit matrem domini Egidii de *Barlainmont*,
» qui duxit neptem ejus, filiam domini Fastradi
» fratris ejus; et genuit dictus Balduinus ex uxore
» sua unum filium nomine Gerardum, qui ex
» filia domini de *Venduel* Melisende unam genuit
» filiam, nomine Helvidem. Dictus Gerardus,
» dictâ suâ uxore mortuâ, ex alia uxore nomine
» Yda, filia domini de *Lamprenisse*, quatuor ge-
» nuit filios, Balduinum, Gerardum, Joannem
» et Nicolaum; et tres filias, Ydam, Agnetem et
» Philippam. — Dicto de duobus filiis domini
» Nicolai de Flammengeria, dicendum est de
» filia ejus, quæ domino Almerico d'*Aute-ville*
» duas peperit filias : quarum una nupsit domino
» Henrico de *Hufalise*, et altera domino Wilelmo
» fratri suo, qui ex sua unum genuit filium no-
» mine Wilelmum; dominus verò Henricus ex
» sua quinque genuit filios et unam filiam. Quo-
» rum primogenitus Theodericus ex Domicilla de
» *Rume* unam genuit filiam. De aliis verò filiis
» dicti domini Henrici de *Hufalise*, tres fuerunt
» Clerici, et alii nondùm conjugati. Et filia dicti
» Henrici de *Hufalise*, primò nupta domino Hen-
» rico de *Mirewaut* in Ardenna, plures ei peperit
» filios : post cujus obitum ipsam duxit dominus
» Henricus de *Belle-coste*. — Alius verò frater do-
» mini Nicolai de Flammengeria, filii domini
» Fastradi, Clericus fuit, et postmodùm Epis-
» copus Tornacensis.
» Soror domini Jacobi de *Avesnes* ac domini
» Fastradi, filia scilicet domini Nicolai Plukelli,
» nomine Yda, Castellano Sancti-Audomari do-
» mino Wilelmo quinque peperit filios et filias
» multas : quorum primogenitus Wilelmus no-
» mine patri succedens, uxorem duxit sororem
» Comitis Lossensis Imaginam; quo sine hærede
» mortuo, successit ei frater suus, similiter Wi-
» lelmus nomine. Tertius filius Galterus nomine,
» Clericus fuit et Præpositus Ecclesiæ Sancti-Au-
» domari : hic postmodùm ultra mare multas fecit
» probitates, et tandem credens succurrere cui-
» dam strenuo militi a Saracenis invaso, occisus
» est ibidem. Quartus nomine Jacobus uxorem
» duxit nomine Constantiam, sororem Comitis
» Renaldi de *Dommartin :* quâ sine hærede de-
» functâ, cum Comite Haynoniensi et Flandriæ
» Balduino ivit Constantinopolim, et ibi duxit
» Principissam Achayæ in uxorem, ex qua nullum
» genuit hæredem. Et quintus nomine Nicolaus
» cum aliis ivit in Græciam, et ibi duxit uxo-
» rem Reginam Thessalonicæ, sororem Wilelmi
» de Rupe, Ducis Athenarum, ex qua duos ge-
» nuit filios : quorum primogenitus nomine Bilas,
» fratre suo Wilelmo sine hærede defuncto, uxo-
» rem ducens dominam Thebarum, tres filios ex
» ea genuit, Nicolaum, Ottonem et Joannem.
» Hic Nicolaus patri succedens, uxorem duxit
» Achayæ Principissam.
» Filiarum verò dictæ dominæ Idæ et Castel-
» lani prædicti primogenita, Machtildis, Advo-
» cato Morinensi nupta, sine liberis decessit.
» Secunda filia, nomine Yda, Præposito Dua-
» censi unicam peperit filiam, similiter Ydam
» nomine, quæ domino Alardo de *Antoing* unum
» peperit filium et duas filias : Filius nomine Hugo
» patri succedens in terra de *Antoing* et de *Espi-*
» *noit*, uxorem duxit Philippam unicam filiam
» probi viri domini Michaëlis de *Harnes*, ejusque
» hæredem, ex qua tres genuit filios et duas fi-
» lias; quorum primogenitus nomine Michaël :
» pro sua parte habens terram de *Harnes*, ex so-
» rore domini Rassonis de *Liedekerke* unum ge-
« nuit filium et duas filias. Hic filius nomine
» Hugo, ex sorore domini Joannis de *Berben-*
» *chon* duos genuit filios, Joannem et Michaëlem :
» quorum primogenitus Joannes duxit Mariam
» filiam domini Eustasii de *Scoufflans*, relictam
» domini Joannis de *Mortagne*. Sororum dicti do-
» mini Hugonis de *Harnes* primogenita, nomine
» Clarissia, domino Eustachio de *Lens* unum pe-
» perit filium et unam filiam : filius iste Joannes
» nomine, uxorem duxit Alaydem filiam domini
» Gerardi de *Einghen*, domini de *Sottenghen* ; et
» filia dicti Eustachii Isabella nupsit Alardo do-
» mino de *Vile :* secunda verò soror dicti Hugo-
» nis, filia domini Michaëlis de *Harnes*, nomine
» Philippa, nupta domino Eustachio *Kanivet* de
» Rodio, sine hærede decessit. Prædictus dominus
» Michaël de *Harnes*, uxore suâ primâ mortuâ,
» duxit filiam domini Renaldi de *Pinkengni*, ex
» qua filiam genuit nomine Mariam, quæ nupsit
» domino Arnaldo de *Cisoing*. — Secundus filius
» domini Hugonis de *Antoing*, Hugo nomine,
» ex filia Senescalli Flandriæ Roberti plures ge-
» nuit filios; et post mortem hujus uxoris primæ,
» aliam duxit, scilicet filiam Advocati Bethuniæ
» Roberti, relictam domini Hellini de *Waurin*.
» — Tertius filius dicti domini Hugonis de *An-*
» *toing*, nomine Joannes, uxorem duxit Beatri-
» cem filiam domini Roberti de *Virve*, relictam
» domini Godefridi de *Winti*. — Filiarum verò
» dicti domini Hugonis de *Antoing* primogenita,
» nomine Beatrix, domino Joanni de *Rume* plures
» peperit filios et filias : quorum primogenitus,
» Balduinus nomine, ex filia domini Hellini de
» *Waurin* Sibylla tres genuit filias; quarum pri-
» mogenita, Elisabeth nomine, nupsit domino

Digitized by Google

A castrum Condatense postea Balduinus Comes Hanoniensis, Balduini Comitis et Alidis Comitissæ filius, pro præsumptione et excessu Jacobi filii Nicolai pros-

» Joanni de *Warenes;* reliquæ nondùm maritatæ. » Sororum autem dicti Balduini de *Rume* primogenita, Philippa nomine, domino Theoderico » de *Hufalise* unam peperit filiam; altera verò » soror, Aelidis nomine, domino Joanni de Area » plures peperit filios et filias. — Prædictus dominus Hugo de *Antoing,* post mortem uxoris dominæ Philippæ de *Harnes,* ex filia domini Joannis de *Cisoing* Maria plures genuit filios et filias : » quorum primogenitus Alardus nomine, terram » tenens de *Briefuel,* quam pater ei acquisierat, » ex filia domini Galtheri de Torota Maria plures » genuit filias; secundus dicti Hugonis filius ex » uxore sua secunda, Galtherus nomine, terram » tenens de Belona per acquisitionem patris, » ex nepte domini Radulphi de *Soreos* (*Soreau*) » Franciæ Marescalli, Catharina, plures genuit » filios; tertius eorumdem filius Joannes nomine, » Canonicus Ecclesiæ Cameracensis et Archidiaconus; similiter et quartus Arnulphus nomine; » et quintus per acquisitionem patris terram tenens de *Assenaing,* nomine Egidius, ex unica » filia domini Guilelmi de Fraxineto plures genuit liberos. Filiarum verò dicti Hugonis de » *Antoing* ex uxore secunda, primogenita nomine » Maria, domino de *Barbenchon* Joanni plures peperit liberos; altera verò Yda nomine, domino » Nicolao de *Barbenchon,* fratri dicti domini » Joannis, nupta est. Yda supradicta, Præpositi » Duacensis uxor, post mortem dicti Præpositi, » domino Henrico de *Hondescote* nupta, unum » peperit filium et filiam unam; filius nomine » *li Bleus,* satis strenuus, mortuus est sine liberis; » et filia nomine Yda, domino Guidoni de *Montengni* duos peperit filios et duas filias : primogeniti nomen Robertus, et alterius *li Bleus;* » filiarum una nupta est domino Roberto de *Baudsart,* et altera domino Balduino de *Machecourt.* » — Sororum supradicti domini Hugonis de *Antoing,* filii domini Alardi, primogenita nomine » Maria, domino Philippo de *Prouvi* unicum peperit filium nomine Gerardum, qui patri succedens, ex Yda filia Comitis Balduini de *Ghisnes* plures genuit filios et filias : quarum primogenita nupsit primogenito Comitis de Salnis in » Ardenna Wilelmo. — Secunda soror dicti Hugonis, nomine Margareta, domino Wilelmo » de *Graumes* duos peperit filios et duas filias; » primogeniti nomen Wilelmus, alterius Hugo; » filiarum una domino Henrico de *Marlins* unam » peperit filiam, quam duxit dominus Walterus » de *Hartain.*

» Tertia filia prædictæ dominæ Ydæ de *Avesnes* » ac domini Wilelmi Castellani de Sancto-Audomaro, nomine Agnes, Abbatissa fuit apud » *Messines* in Flandria.

» Quarta nomine Alaydis, nupsit domino Balduino de *Creki*, qui ex uxore præcedente jam » habuerat filium nomine Balduinum. Dictus ergo » Balduinus pater hujus, ex dicta Alayde unum » genuit filium et unam filiam. Filius sine liberis » decessit, et filia nomine Aelidis domino Balduino de *Pesnes* plures peperit liberos, quorum » primogenitus Wilelmus, secundus Balduinus, » tertius Gillebertus, quartus Joannes, et quintus » Galtherus. Guillelmus et Balduinus sine liberis » decesserunt; et sic devolutâ terrâ ad Gillebertum eorum fratrem, Canonicum Ariensem, » dictus Gillebertus Clericatum dimittens, ex filia » domini *de la Planche* plures genuit filios. Filiarum verò dictæ dominæ Aelidis de *Pesnes* una, » domino Richardo de *Liere* plures genuit liberos : » quarum una filia dicti domini Richardi nupsit » domino Mathæo de *Medon;* altera verò domini » de *Pesnes* filia domino de *Espiere* filios peperit et » filias, quarum una nupsit Castellano de *Furnes.* » — Mortuo autem dicto domino Balduino de » *Creki,* Aelydis de Sancto-Audomaro ejus relicta, domino Anselmo de *Lomviler,* domino de » *Kahen,* unum peperit filium et duas filias. Filius » nomine Arnulphus patri successit; et filiarum » una, nomine Yda, domino Engelramo de *Liskes* » tres peperit filios et unam filiam : quorum primogenitus nomine Engelramus, ex sorore domini de *Lierdouchiel* plures peperit liberos; secundus nomine Anselmus, uxorem duxit dominam *de la Motte,* sororem domini Walteri de » *Oumengni;* et tertius filius nomine Wilelmus, » Clericus fuit. Filiarum verò domini de *Liskes* » primogenita nupsit domino Arnulpho de *Lomviler.* Et una filiarum domini Arnulphi de *Lomviler* primogenita, domino de *Esquerdes* plures » genuit liberos; et secunda filia nupsit primogenito filio domini Anselmi de *Ordre.*

» Quinta filia dominæ Ydæ de *Avesnes,* nomine » Margareta, nupsit domino Balduino de *Creki,* » filio domini Balduini ex uxore prima, qui postea duxit Aelidem sororem dictæ dominæ, de » qua locuti sumus, et peperit dicta Margareta » dicto domino Balduino plures filios et filias : » quorum primogenitus nomine Philippus, terram de *Creki* tenens post patrem, ex sorore Vicedomini de *Penkengni* Gerardi plures genuit » liberos; quorum primogenitus nomine Balduinus, ex filia domini de *Helli,* unica ejusdem » hærede, plures genuit liberos; secundus dicti » domini Philippi filius, nomine Hugo, ex uxore » sua domina de *Selles* plures genuit liberos; tertius dicti domini Philippi filius, nomine Philippus; et quarti nomen Engelramus, qui fuit » Clericus et Episcopus Cameracensis. Filiarum » verò domini Philippi, domini de *Creki,* una nomine Margareta, primogenito domini de *Gistele* » unum peperit filium, qui post mortem domini » Walteri successit in terra de *Furmeselles,* et » dicta Margareta nupsit Jacobo de *Archicourt :* » quo similiter defuncto sine liberis, iterùm maritata est domino Walloni de *Beure;* post cujus » etiam mortem domino de *Trasengnies.* — Secundus frater dicti Philippi de *Creki,* nomine » Balduinus, dominus de *Torchi,* plures genuit » filios : quorum primogenitus, nomine Wilelmus, patri successit; secundi nomen Philippus, » et tertii Balduinus. Una filiarum dicti domini » Balduini de *Torchi* nupsit domino de Sancto-Maxentio, et altera domino de *Sempy.* — Duarum verò filiarum dicti domini Balduini de » *Creki* junioris, una nomine Margareta, Abbatissa » fuit apud *Messines* in Flandria, et secunda domino Joanni Boutteri, domino de Boumo, » unam peperit filiam, quæ domino Bernardo de » *Maruel* unum peperit filium nomine Stephanum. » Hic Stephanus uxorem duxit filiam domini » Comitis de *Dommartin;* et post mortem domini » Bernardi de *Maruel,* dicta filia domini Wilelmi » (*corr.* Joannis) Boutteri remaritata est domino » Guillelmo de *Pois,* cui peperit unum filium. » — Tertia filia domini Balduini de *Creki* domino » Jacobo de *Oisni* (al. *Gisny*) unam peperit filiam, » quæ nupsit domino de *Coudun,* qui ex ea duas » genuit filias : quarum primogenita nupsit primogenito filio domini de *Raineval,* et altera » primogenito filio domini de Sancto-Simone. » — Quarta verò filia dicti domini Balduini de » *Creki,* domino Rudolpho *Flamment* duas peperit » filias : quarum una nupsit domino Joanni de » *Eppe,* et altera domino Gerardo de *Sorel.*

» Sexta filia dominæ Ydæ de *Avesnes,* nomine » Beatrix, domino Philippo de Aria, fratri domini Balduini de Aria, duas peperit filias : quarum una, nomine Isabella, domino de *Beauraing* duos peperit filios et quinque filias, quorum filii mortui sunt juvenes; una verò quinque » filiarum domino de Bremeia duos peperit filios, » Eustachium et Alelmum. Eustachius uxorem duxit filiam Comitis de *Dommartin,* quæ sine liberis decessit; et Eustachius aliam ducens uxorem, filiam domini Drogonis de *Mili,* ex qua » plures genuit liberos. Secunda filia dominæ de » *Beauraing* domino de *Hasebuerc* plures etiam genuit filios; tertia domino de *Bruet* et de *Brekin* » similiter genuit liberos; quarta domino de *Brunesbere* plures etiam liberos genuit; et quinta » nupsit domino de *Bleki.* — Secunda filia domini

Digitized by Google

travit. Ille Nicolaus uxorem habuit Mathildem filiam Henrici Comitis de Ro- A
cha in Ardenna, patrui sæpedicti Henrici Comitis Namurcensis et Alidis Comitissæ Hanoniensis, ex cujus Henrici patrui sui parte Henricus Comes Namurcensis, tam de parte allodiorum suorum quàm de gratia domini Imperatoris, et terram et Comitatum de Rocha, et Advocatias Stabulacensis Ecclesiæ adeptus fuit. Mathildis autem de primo marito suo filium habuit militem probum, et vividum et astutum et divitem, Widricum de *Wallecort*, et filias multas. De secundo autem marito, Nicolao de Avethnis, filium habuit Jacobum, et filiam Willelmo optimo et honesto militi, Castellano S. Audomari maritatam. Jacobus valdè probus fuit in armis, et vividus in cunctis ac discretus, plurimùmque potens, sed domino suo Comiti Hanoniensi quandòque contrarius: qui uxorem habuit Adelinam Buchardi de Guisa filiam, ex cujus parte ipse Jacobus et Guisam et Leschieras possedit, filiosque ex ea habuit, quorum primus Walterus B
scilicet in terra Avethnensi et in terra Brabantensi ei successit, et filias, quarum una Nicolao supradicto militi nobilissimo et probissimo, Nicolai de Ruminio et Damison de Cirnia filio, maritata fuit. Ipse autem Jacobus post multa sua gesta, de quibus subsequenter dicemus, demùm in transmarinis partibus gloriosæ morti succubuit.

Ut de institutione legis Valencenensis, quæ Pax nominatur, aliquid dicamus, redeundum est ad Comitem Balduinum, Balduini Comitis et Ydæ Comitissæ filium: qui videns Valencenas villam bonam multisque hominibus populatam quasi nulli legi subjacere, unde ipsa villa minimâ pace gaudebat, habito hominum suorum consilio et consensu, legem instituit quæ pax nominatur, in qua legis institutione milites patriæ illius servos suos et ancillas suas in eadem villa manentes eidem legi supposuerunt, ut eâdem pace gauderent, et ab illis et aliis omnibus ejusdem villæ hominibus, exceptis Clericis et militibus, do- C
minus Comes in eorum morte mortuas manus posset accipere. Sed Comes ille misericorditer cum illis agens et eis parcendo, paucisque diebus post institutam legem vivendo, mortuas manus paucas accipiebat. Compositumque fuit, ut de omnibus quæ Comes Hanoniensis in Valencenis et in ejus appendiciis nunquam tenuerit in proprietatem, nihil sibi liceat alicui dare in feodo vel ad censum vel in vadio, nec aliquomodo a manibus suis alienare: Balduinus autem Comes, ejusdem Comitis Balduini et Yolendis Comitissæ filius, super quodam excessu, quem homines Valencenenses contra ipsum in ejus juventute perpetrarunt, commotus, ita eos suæ subdidit voluntati, quòd de eorum judicio communi mortuas manus ab universis, dum ipse vixit, plenariè accepit: quod etiam ejus filius Balduinus post ipsum per aliquot annos fecit, deinde ab iis eos absolvit. Postea ipsas mortuas manus de communi eorum judicio sibi readjudicari fecit, sicut D
pleniùs in subsequentibus ipsius Comitis gestis per præsens scriptum invenietur.

Sæpedictus Balduinus Comes, Yolendis Comitissæ filius, et ejus uxor Alidis Comitissa, mulier religiosissima, in quibusdam mansionibus suis, scilicet in Montibus et in Bincio, et in *Haimoncasnoit* construxerunt Capellas, sed nullos eis certos redditus assignarunt. At filius eorum Balduinus certis eas honoravit redditibus; Capellæ quidem Montensi, in honore S. Servatii constructæ, decimam in loco qui dicitur *Troncois*, et quædam alia bona assignavit, pro qua

» Philippi de Aria, soror Isabellæ prædictæ, domina Machtildis, domino Joanni de Ypra, domino de *Renenghes*, plures peperit liberos.

» Dictum est quòd dominus Wilelmus Castellanus Sancti - Audomari, filius dominæ Ydæ de *Avesnes* sine liberis decessit. Similiter et Wilelmus frater ejus, miles strenuus et citra mare et ultra, fratri succedens in Castellania Sancti - Audomari et in Comitatu de *Faukenberghe*, sine hærede mortuus est; et ideò devoluta est illa terra tota ad dominam Beatricem sororem ejus, uxorem domini Philippi de Aria, eò quòd fratres ejus omnes et sorores antegenitæ jam decesserant. Et hæc Beatrix non diu supervivens, mortua est, et successit filia sua Machtildis, uxor domini Joannis de Ypra, domini de *Renenghes*, qui ex ipsa plures genuit liberos: quorum primogenitus nomine Guilelmus, hæres Castellaniæ Sancti - Audomari et Comitatûs de *Faukenberghe*, ex uxore sua Adeluya, filia Comitis Balduini de *Ghisnes*, unum genuit filium et unam filiam. Filius quidem nomine Wilelmus patri succedens, ex filia domini Florentii de *Warennes* unam genuit filiam, quæ conventionata fuerat primogenito filio Castellani de *Beaumes*; soror verò nomine Machtildis prædicto Castellano de *Beaumont* (f. *Baumes*) Balduino plures peperit filios. Fratrum autem prædicti Wilelmi primogenitus post ipsum Guilelmum, Joannes nomine, in terra successit de *Renenghes*; et alius frater ejus nomine Gerardus, Archidiaconus fuit Brabantiæ in Ecclesia Cameracensi; tertius nomine Jacobus, dominus fuit de *le Nieppe*; quartus nomine Balduinus, dominus de *Bellefontaine*, Thesaurarius in Ecclesia Antoniensi; quintus nomine Walterus, dominus fuit de *Morbeke*, et acquisivit Castellaniam Sancti - Audomari pro parte quæ jacet in Flandria; et sextus Bouchardus vocabatur. — Duarum verò filiarum dominæ de *Renenghes* una nunquam maritari voluit, sed castè vixit; et altera nomine Beatrix domino de *Beaumanoir* unam peperit filiam, quæ nupta fuit domino de *Strees* ».

Digitized by Google

A quidem decima Comes Hanoniensis debet annuatim Ecclesiæ B. Waldetrudis in censu v solidos denariorum ; Binciensi autem Capellæ partem quamdam decimæ apud Lestinas in Monte assignavit, in honore S. Servatii constructæ ; Capellæ de *Haimoncasnoit* in honore S. Johannis Evangelistæ constructæ, decimam in loco qui dicitur *Morteruels*, assignavit.

Sæpedicti Comitis Balduini, Yolendis Comitissæ filii, commilitones et consiliarii fuerunt, viri probi et discreti magnique nominis, scilicet Egidius de *Cin*, Gossuinus de Montibus, Eustacius senior de *Ruez*, Hoelus de *Kauren*, Ludovicus et Karolus fratres de *Frasne*, Theodericus de Linea, Iwanus de *Waldripont*, Henricus et Willelmus fratres de Braina, Robertus de Aisunvilla, Ysaac Castellanus Montensis, Willelmus de *Birbais*.

Hujus Comitis diebus, defuncto * bonæ memoriæ domino Nicolao Cameracensi * An. 1167.
B Episcopo, successit ei dominus Petrus Clericus, frater Philippi Comitis Flandriæ et Viromandiæ, qui Petrus Electus, sed nunquam sacris ordinibus insignitus, Episcopatum Cameracensem, non opprimens Ecclesias, non decorans Sacerdotes, per aliquot annos (*a*) pacificè rexit : qui tandem de consilio et suggestione fratris sui Comitis Flandriæ et Viromandiæ, militare officium assumpsit, relictâ Episcopatûs dignitate ; cui frater terram in Flandria assignavit in proprietatem, scilicet *Lileirs* et Sanctum-Venantium. Ille autem uxorem duxit quamdam Comitissam [Mathildem] viduam de Nivernis, de qua filiam habuit [Sibyllam]. Ipse autem cum uxore parùm vivens, mortuus sepultus fuit apud Ixodunum. Filia autem ejus nupsit militi probo in Flandria, Roberto scilicet de *Waurin*, et bona patri suo assignata, scilicet *Lileirs* et Sanctum-Venantium, tenuit.

Sæpedicti Balduini Comitis, Yolendis Comitissæ filii, diebus * Karolus Co- * An. 1127.
C mes Flandriæ ab hominibus suis ligiis Brugis in domo sua proditoriè interfectus fuit : qui de Dacia ortus, mortuo quodam [Balduino] Comite Flandrensi, ad Comitatum Flandrensem jure hæreditario pervenerat. Cui per electionem et justam considerationem hominum Flandrensium Theodericus vir nobilissimus de Bithis in Alsacia, frater Ducis de *Nanci*, in Comitatu Flandrensi successit. Qui de prima uxore, ut prædiximus, filiam habuit Lauretam, secundam autem uxorem Sibyllam, filiam Fulconis Comitis Andegavensis. Fulco etenim de prima uxore filium habuit Gaudefridum, et filiam Sibyllam, Theoderico Comiti Flandriæ maritatam. Hic autem Fulco, mortuâ primâ uxore, Jherosolymam profectus est, ubi Reginam terræ illius duxit uxorem, quam regnum terræ illius jure hæreditario contingebat, et ex ea filium habuit Fulconem, qui ei in regno Jherosolymitano successit. Gaufridus autem filius ejus qui ei in Co-
D mitatu Andegavensi successit, filios habuit, quorum unus fuit Henricus prædictus, qui primò Ducatum Normannorum, deinde regnum Anglorum adeptus est cum labore magno, quod avunculus * ejus Rex gloriosus et potens * avus.
Henricus obtinuerat. Henricus autem, Gaufridi Andegavensis filius, Rex Anglorum, Dux Normannorum, et Comes Andegavensis, Ducissam Aquitaniæ [Alienoram] Ludovici Regis Francorum relictam, quæ de ipso Rege Francorum filias duas [susceperat, Mariam] Comitissam scilicet Campaniensem, et [Aelidem] Comitissam Blesensem, contra inhibitionem ipsius Regis Francorum duxit uxorem, et pro ea Ducatum Aquitaniæ possedit. Sicque a Rege Francorum in feodo habuit et Normanniam et Aquitaniam, et Britanniam et Andegaviam. De qua filios habuit quatuor et filias duas ; Henricum scilicet Regem, juvenem probissimum et largissimum ac pulcherrimum, qui
E quoscumque milites probos undecumque sibi commilitones retinebat, quem pater adhuc vivens in Regem coronari fecit, quod postea ei in detrimentum versum est. Alius filius fuit Richardus, miles atrocissimus, cui pater adhuc vivens Ducatum Aquitaniæ dedit possidendum, qui Richardus Comes Pictaviensis inde appellatus est. Tertius filius fuit Gaufridus, miles probus et largus, homo mansuetus, qui Britanniam per quoddam matrimonium obtinuit : unde Comes Britanniæ nominatus est. Quartus fuit filius Johannes, qui Sine-terra nominatus est. Filiarum una [Alienora] Regi Hispaniæ fuit maritata ; alia [Mathildis] Duci Saxonum potentissimo omnium Ducum, et ferè omnium hominum superbissimo et crudelissimo, Henrico, qui de ea filium habuit Henricum probum et vividum : quem Henricum Ducem tam potentem et divitem, Regis Anglo-

(*a*) Ab anno 1167 ad an. 1174 Cameracensibus præfuit Petrus.

Digitized by Google

rum generum, Fredericus Romanorum Imperator, terrâ cum honore ei abjudi- A
datâ, prorsùs exhæreditavit, relictis illi tantummodò quibusdam allodiis, scilicet *Brunsewich* et Alta-scleva, et quamdam terram quæ Nova-terra dicitur.

Duo autem Regis Anglorum filii, scilicet Henricus Rex juvenis et Richardus, duas Regis Francorum filias Ludovici, quas de Constantia Hispaniensi habuerat, sic habuerunt, quòd Henricus [Margaretam] suam habuit desponsatam et coronatam; Richardus verò [Adelidem] suam juratam tantummodò, et illam honestè conservatam nunquam desponsatam habuit : sed defuncto patre suo Henrico Rege Anglorum, et fratre suo Henrico Rege juvene, ipse Richardus qui patri in regno successit, illam sibi juratam fratri suo Philippo Regi Francorum reddere non timuit, et aliam duxit uxorem. Rex autem ille Anglorum Henricus Ecclesias omnes terræ suæ conventuales contra Deum et justitiam graviter oppressit. Defunctis enim Episcopis vel Abbatibus, ipse Episco- B
patus et Abbatias per multos annos ad voluntatem suam tenebat, nec licebat Canonicis vel Monachis electionem usque ad voluntatem suam celebrare, nec eligere nisi eum quem ipse Rex eis præsentabat. Defunctis autem Comitibus vel viris nobilibus terræ suæ, Rex terras eorum possidebat, quousque parvi pueri facti milites per gratiam ipsius ad possessiones suas redibant. Nulli etiam nobili viro in sua terra propria justitiam exercere licebat, nisi ad voluntatem Regis. Rex iste Regi Francorum Ludovico et ejus filio Philippo multos guerrarum intulit assultus. Illi autem Regi S. Thomas Martyr gloriosus, Cantuariensis Archiepiscopus, pro libertate Ecclesiæ contrarius fuit : unde tantam iram ejus habuit, quòd cùm die quodam ipse Rex Cantuariæ (*a*) esset, et ipse Rex coram omnibus hominibus suis tanquam de mortali inimico suo querimoniam faceret; quidam milites familiares ipsius Regis, assumptis armis suis, Monasterium intran- C
tes, ipsum divinis armis ornatum ante altare orantem interfecerunt : pro cujus meritis Deus gloriosa multa fecit miracula.

Tempore Balduini Comitis, filii Yolendis Comitissæ, potens et dives erat in Viromandia Comes Radulphus, qui magnum in diebus suis coadunavit thesaurum : qui filium habuit juvenem Radulphum et filias duas, Elisabeth scilicet et Aenoram. Elisabeth habuit uxorem Philippus potentissimus bonusque justiciarius Flandrensium Comes, Ecclesiarum vividus rector, filius gloriosi Comitis Flandriæ Theoderici et Sibyllæ Comitissæ, Comitis Andegavensis filiæ. Aeno-
ram verò, ut superiùs dictum est, habuit uxorem Godefridus filius sæpedicti Comitis Hanoniensis : quo mortuo Godefrido, nupsit Willelmo Comiti Nivernensi; Willelmo defuncto, nupsit probo militi et præclaro Matthæo Comiti Bo- D
loniensi, fratri jamdicti Philippi Comitis Flandrensis. Defuncto autem ipso Matthæo, nupsit Comiti Bellimontis in Francia Matthæo. Defuncto Radulpho Comite ditissimo (*b*) Viromandiæ, filius ejus parvus et juvenis nimis successit ei in Comitatu : unde præ pueritia et parvitate ejus terra Viromandiæ custodienda cum thesauro a patre congregato commissa fuit fideli illius, viro venerabili, vivido ac sapienti, Ivoni supradicto Comiti Suessionensi et domino Nigellæ. Cùm autem a vicinis circummanentibus et ab hominibus ipsius Comitatûs guerrarum insultus ipsi terræ inferrentur, Ivo terram domini sui viriliter defensavit, et thesaurum sibi commissum non in proprios usus convertit ; sed illos ad defensionem honorum et hæreditatis domini sui prorsùs expendit. Radulphus autem juvenis Comes Viromandiæ ægrotare cœpit et juvenis (*c*) mortuus est. Radulpho verò juvene Comite Viromandensi defuncto, Philippus Comes Flandriæ qui sororem ejus primogenitam habebat Elisabeth uxorem, totam Viromandiam E
et Valesium obtinuit : quæ quidem possessiones fuerunt, Sanctus-Quintinus, *Ribemons*, *Repis*, *Roclis*, Perona, *Athies*, *Claris*, *Capis*, Roia, *Caunis*, Torota, *Choisis*, *Rissuns*, *Lachenis*, *Monsdidiers*, Comitatus Ambianensis, *Belscasnes* (quod castrum ipse Philippus construxit primus) hominium de Guisa et *Leschieres*, de *Belvoir* et *Goi*, de *Ham*, de Nigella, de Braio, de Encra, de *Marchais*, de *Vileir* quod dicitur *Larenos*, de *Hangest*, de *Pirepont*, de Rona, de *Moruel*, de *Pikini*, de *Bretuel* (quod Radulphus Comes Clarimontis possidebat) de *Bulis* (quod probissimus miles Willelmus de Merlo, vir nobilis

(*a*) *Falsum*; Henricus enim tum curiam suam tenebat apud Burum, testibus Scriptoribus Anglicis et Roberto de Monte.

(*b*) Radulphus Viromand. obiit an. 1152.

(*c*) Anno, ut videtur, 1167 denatus est Radulphus junior.

Digitized by Google

A et Vavassor vividus possidebat) de *Pois*, de *Milli*, de Marla et *Vervin* : quæ cùm allodia essent viri nobilis Radulphi supradicti domini de *Coci*, et odium ipsius Philippi Comitis haberet, et ei auxilium et justitia Regis Francorum deesset, ea ab ipso Comite in feodo accepit. Multa quidem alia feoda habuit ipse Comes Philippus de honore Viromandensi ex parte Elisabeth uxoris suæ, terram Valesium dictam, scilicet Crispiacum, *Mornenval*, *Viler-coderest*, *Viviers*, Firmitatem Milonis et alia multa bona propria et hominia.

Tempore sæpedicti Comitis Balduini, Yolendis Comitissæ filii, Ludovicus Rex Franciæ regnabat, qui uxorem habuit [Alienoram] Ducissam Aquitaniæ, ex cujus parte Aquitaniam jure hæreditario habuit : de qua filias duas, quæ duobus potentissimis in Francia fratribus, Henrico scilicet Comiti Campaniensi et Theobaldo Comiti Blesensi maritatæ fuerunt. Cùm autem invidorum et perfi-
B dorum suggestionibus, qui dominum suum Regem Franciæ tam potentem esse nolebant, quòd et Franciam et Gasconiam obtineret, factum est inter eos divortium ; ipse Ludovicus Rex duxit uxorem Constantiam, Regis Hispaniæ filiam, mulierem omni bonitate plenam, de qua filias habuit duas. Mortuâ autem Constantiâ quæ magnum in Francia habuit planctum, Ludovicus Rex duxit uxorem Alam, sororem prædictorum Comitum, scilicet Henrici Comitis Campaniensis et Theobaldi Comitis Blesensis, qui filias ejus habebant uxores : sororem etiam Comitis [Sacri-cæsaris] Stephani et domni Willelmi, qui primò Carnotensis Episcopus, deinde Senonensis Archiepiscopus, postea Remensis Archiepiscopus fuit, et Ducissæ (*a*) Burgundiæ, et Comitissæ (*b*) *Barle-Duc*, et Comitissæ (*c*) Perceæ sororem. Ludovicus Rex itaque de Ala Regina filium habuit Philippum, et filiam [Agnetem] quæ cuidam Imperatori
C Constantinopoli [Alexio II] fuit maritata. Hic autem Philippus Rex potentissimus uxorem habuit Elisabeth, filiam Balduini Comitis Hanoniensis, filii inquam Balduini Comitis et Alidis Comitissæ, sicut subsequenter pleniùs indicabimus.

Theodericus Comes Flandriæ de uxore sua Sibylla filios habuit et filias, quorum unus fuit Philippus Comes Flandriæ et Viromandiæ potentissimus, alter verò Matthæus Comes Boloniensis, qui ex parte uxoris suæ [Mariæ] Comitatum Boloniensem adeptus fuit. Cùm enim Comitatus Boloniensis ita vacaret, quòd quasi nullus in illo hæres compareret ; compositum fuit per considerationem hominum terræ illius, quòd quædam domina quæ Religionis habitum assumpserat, quia proxima hæres videbatur, ad dignitatem Comitatûs suscipiendam vocata fuit. Quam ipse Matthæus duxit uxorem, et ex parte ejus Comitatum Boloniensem possedit, et ex ea filias habuit duas, Idam scilicet quæ post patrem Co-
D mitatum Boloniensem tenuit, et primò nupsit Gerardo Comiti de Ghelra, deinde Bertoldo Cheringiorum Duci, postea Rainaldo Comiti Domni-Martini in Francia ; et Mathildem quam Henricus Dux Lovaniensis habuit uxorem. Cùm itaque ipse Matthæus de uxore sua has duas filias suscepisset, placuit ipsi dominæ, quæ Deo votum fecerat, ad Ecclesiam suam omninò reverti. Matthæus autem qui pro parvitate filiarum suarum Comitatum illum possidebat, aliam duxit uxorem, Aenoram scilicet filiam Radulphi Comitis Viromandensis, sororem Elisabeth Comitissæ Flandriæ : qui Matthæus in quadam guerra Regis Francorum et Regis Anglorum, in obsidione castri *Driencourt*, letaliter vulneratus * fuit. Uxor autem ejus vidua Aenora nupsit Matthæo Comiti Bellimontis, quæ tandem post multas passas injurias, terram quæ Valesium dicitur, et sanctum-Quintinum et partem Viromandiæ, jure hæreditario possedit. Tertium Theo-
E dericus Comes Flandriæ habuit filium, Petrum scilicet, primò Cameracensem Electum, deinde militem factum, ut prædiximus, et filias, quarum una Gertrudis nomine, primò nupsit Comiti Moriannæ [Humberto] postea viro nobili Hugoni de *Oisi*, et demùm assumpto Religionis habitu, Deo sacrata in Mescinensi Ecclesia decessit. Una earum [Mathildis] soli Deo adhærens et eum sibi sponsum eligens, in Monasterio Fontis-Evraldi Religionis habitum assumpsit. Tertiam verò filiam Margaretam nomine, sanctam omnique morum honestate ditatam, Balduinus Comes Hanoniensis, Balduini Comitis et Alidis Comitissæ filius, habuit uxorem, de qua ipse filios habuit et filias, sicut subsequenter de illorum sublimitate satis per præsentis scripti notitiam declarabitur.

* An. 1173.

(*a*) Mariæ, uxoris Odonis II, Burgundiæ Ducis.
(*b*) Agnetis, nuptæ Rainaldo II, Comiti Barrensi.
(*c*) Mathildis, Rotroco III Comiti Perticensi copulatæ.

Digitized by Google

Sæpedicti Comitis Balduini, Yolendis Comitissæ filii, diebus vir nobilis in A
Brabantia, fidelis ejus, Hugo de *Aenghien*, Vavassor potens, pater Gossuini et Engelberti, Soheri et Bonifacii, in *Aenghien*, villa quam a Comite Hanoniensi tenebat ligiè, castrum fossato, muro et turri construxit, quod contra fidelitatem suam a Duce Lovaniensi in feodo accepit. Unde per ipsum castrum in guerris quæ Comes contra Ducem habuit, multa evenerunt terræ Comitis detrimenta ; attamen ipsius Comitis Balduini filius Balduinus, Flandriæ et Hanoniæ Comes et Marchio Namurcensis, ipsum castrum postea prostravit.

* An. 1147. Sæpenominati Comitis Balduini, Yolendis Comitissæ filii, diebus * placuit quampluribus Regibus, Archiepiscopis et Episcopis, Ducibus et Comitibus, et aliis nobilibus cujuscumque conditionis viris multis, signum crucis Domini sibi assumere, et iter Jherosolymitanum arripere ad minuendas gentilium vires et Christianorum vires augendas. Eodem quippè tempore et in eodem comitatu B
Conradus Romanorum Rex cum Ludovico prædicto Francorum Rege, et cum multis Principibus Theutoniæ et Franciæ, Constantinopolim et Brachium S. Georgii transivit ; et quia uxores suas quamplures secum habebant, et in eorum comitatu cujuscumque conditionis mulieres incedebant, ipsi non sano vel justo ordine incedentes, nihil profecerunt. In illo autem comitatu Fredericus Suevorum Dux, miles juvenis, ante Damascum præ cæteris in armis valuisse dicitur.

* An. 1152. Sæpenominati etiam Comitis diebus, defuncto * Conrado Romanorum Rege, Principes Teutoniæ, sicut juris et moris est, in villa supra Mogum fluvium quæ *Franchenevors* dicitur, convenerunt ad eligendum sibi Imperatorem. Cùm autem super electione tanti honoris tot et tanti Principes dissentirent, communi consensu et consilio in quatuor Principes præpotentes super hac electione compromiserunt, quorum unus fuit Fredericus prædictus Suevorum Dux, nepos C
supradicti Conradi Regis, qui Fredericus præ cæteris militiâ et animositate florebat. Illorum autem quatuor, quorum dispositioni Imperialis electio commissa erat, quisque ad ipsius majestatis culmen anhelabat. Fredericus autem astutus et vividus, cuique sociorum suorum loquens secretiùs, quemque eorum ad imperium tendere faciebat, promittens cuique imperium, si ei soli ab eis tribus tota electio committeretur. Tres ergo in quartum Fredericum Suevorum Ducem, fide et juramento datis securitatibus, totam electionem posuerunt. Con-
vocatis autem aliis Principibus omnibus qui in ipsos quatuor compromiserant et inde fidem fecerant, tres professi sunt quòd soli Suevorum Duci totam electionem concesserant. Universis autem audientibus et non contradicentibus, Fredericus dixit se de sanguine Imperatorum ortum esse, et ad regendum Imperium se nullum meliorem scire, et ideò ad tantæ majestatis apicem se elige- D
bat. Unde multi qui eum dilexerant, majori gaudio exultabant ; quidam autem pro invidia et avaritia dolebant, sed electioni contraire nequaquam poterant. Fredericus autem qui ad conventum electionis cum providentia venerat, in tribus millibus militum armatorum cum festinatione Spiram civitatem adiit, ibique se in Regem coronari fecit, ne quis sibi ulteriùs posset resistere. Inde coronatus Aquas palatium venit, ubi coronam regiam gestavit ; et postmodùm nacto tempore Romam veniens, imperiali coronâ insignitus fuit, uxoremque (*a*) duxit de Burgundia, ex cujus parte Besontionem civitatem et magnam Burgundiæ partem obtinuit, et de eadem uxore filios habuit, Henricum Romanorum Imperatorem et Siciliæ Regem, et Fredericum Ducem Suevorum, et Otonem Comitem Palatinum, et Conradum Ducem de *Rodeinburch*, et Philippum Clericum, de quorum gestis in subsequentibus dicemus. E

Hic autem Fredericus Romanorum Imperator bona Imperii sui plurimùm augmentavit, Italiæque civitates sibi rebellantes per multos labores suæ subdidit voluntati. Hic Imperator cùm contra Italiam nimios guerrarum labores in nimia suorum morte sustineret, anxius nimis et coartatus, fidelem et consanguineum suum Henricum potentissimum Ducem Saxonum, ferum et ferocem virum, de cujus divitiis et potentia omnes audientes mirabantur, sæpiùs adiit ut ab eo auxilium haberet ; et cùm ille auxilium ei negaret, Imperator ultra quàm deberet, pedibus illius se prostravit : sed ille in sua perdurans nequitia, dominum suum exaudire, et ad suos pedes jacentem sprevit relevare (*b*). His autem et aliis

(*a*) Fredericus anno 1156 uxorem duxit Beatricem, Rainaldi III Burgundiæ Comitis filiam.

(*b*) Aliam prorsùs dejectionis Henrici Saxoniæ Ducis causam adducit Radulfus de Diceto ad an.

injuriis

Digitized by Google

A injuriis coadunatis, dominus Imperator illum in causam trahens, terram suam cum honore ei fecit abjudicari; et cùm videretur quòd Dux ille per vires hominum a tam longa et tam spatiosa terra, et a tot et tantis castris fortissimis nequaquam ejici posset, tamen peccatis suis præpeditus, et hominum suorum odiis aggravatus, per dominum Imperatorem prorsùs mansit exhæredatus : cujus bona dominus Imperator multis Principibus distribuit.

Anno Domini MCLXVIII, vigiliâ Paschæ, sæpedictus Balduinus Comes et Alidis Comitissa, existentes Valencenis cum filiabus suis, Yolende scilicet Suessionensi Comitissa dominaque Nigellæ, et Agnete domina Cociaci et Laureta vidua, et filiis suis Balduino et Henrico, Balduinum filium suum in militem cum honore et gaudio ordinaverunt. Tunc autem impletum fuit quod ipse Comes diu desideraverat, quia a multis annis antea præteritis inauditum fuerat,
B ut aliquis Comitum Hanoniensium filium militem vel filiam maritatam vidisset. Ipse autem Balduinus secundâ feriâ post octavam Paschæ cum multis militibus, quibus tunc temporis Hanonia florebat, Trajecti torniavit : ubi probissimus miles Walterus de *Honecort*, Walteri pater, occisus fuit. In ipsis autem diebus Paschalibus, cùm sæpedictus Comes Balduinus cum uxore sua et filiis suis et filiabus supradictis Valencenis moram faceret, et thalami magnæ aulæ perfecti essent, et ad perfectionem majoris aulæ operarii laborarent, contigit quâdam die Sabbati, cùm sæpedictus Balduinus Comes et ejus filius Balduinus miles novus, et probi cum eis milites, Balduinus scilicet de *Toeni*, et Gaufridus agnomine *Tuelasne*, et vir prudens Ludovicus de *Frasne*, cum quibusdam aliis militibus et servientibus, opus novum inspicerent, trabe magnâ, grossâ et novâ, sub eorum pedibus fractâ (unde mirandum est) ab alto ceciderunt. Do-
C minus autem Comes, fracto crure, diu languit, at filius ejus Balduinus miles novus, elocatâ manu, citò convaluit : eorum autem socii prædicti milites strenui, quassatis membris, languerunt.

Comite quidem ex cruris læsione languente Valencenis, uxor ejus Alidis, mulier religiosissima, divinis obsequiis et eleemosynarum largitionibus intenta, ibidem ægrotare cœpit et Deo spiritum reddidit : cujus corpus Montibus allatum in Monasterio B. Waldetrudis in crypta S. Johannis Baptistæ sepultum est. Unde dominus Comes ordinavit, ut Sacerdos qui pro anima illius divina celebraturus est, XV boneria terræ arabilis habeat in territorio de *Norcin*.

Sæpedictus Comes Balduinus, Yolendis Comitissæ filius, ordinem secularium Canonicorum Valencenensis Ecclesiæ S. Johannis Baptistæ, quorum ad ipsum propriè pertinebat institutio, in ordinem Regularium Canonicorum transmuta-
D vit, et eos a sua emancipans institutione, Abbatem eis præfecit : qui operibus bonis inhærentes, apud ejusdem Comitis filium Balduinum et ejus uxorem Margaretam gratiam et familiaritatem habuerunt, et honestè vivendo bona Ecclesiæ suæ augmentaverunt.

Balduinus miles novus audiens multos in Hanonia fures et latrones commorari, qui de confidentia multorum potentum, ad quos sanguinis lineâ pertinebant, in malis operibus vivere non dubitabant, illos ubique perquirebat, captosque, quos infames percipiebat, quosdam suspendens, alios igne cremans, quosdam verò aquis submergens, alios vivos sepeliens, nulli eorum pro magna parentela parcebat. Ipse autem Balduinus miles novus torneamenta ubique perquirens, quoscumque poterat milites probos magnique nominis sibi socios et commilitones adjungebat. Et cùm pater ejus et ipse, eorumque homines a
E potentissimo Comite Flandrensi et Viromandensi et ejus hominibus odium et rancorem minasque sæpiùs haberent; contigit inter cætera torneamenta quæ Balduinus perquirebat, quòd Philippus Comes Flandrensis et Viromandensis quosdam Francos contra se ad torneamentum inter *Gornai* et *Rissuns* invitavit. Audiens autem Balduinus Comitem Flandriæ in magnis viribus multorum scilicet proborum militum et servientium, equitum et peditum, ad torneamentum

1182, *Henricus Saxonum Dux*, inquit, *Mathildem filiam Regis Anglorum primogenitam habens in conjugem, insurrexit in Philippum Coloniensem Archiepiscopum, et eum enormibus damnis affecit. Archiepiscopus, copiis undique congregatis, viriliter Duci restitit, Imperatoris auxilium adeptus et gratiam. Res tandem eò processit, ut Principum totius imperii calculo sententiali prolato, Dux exilium cogeretur subire. Qui veniens in Normanniam ad socerum suum, habens secum Ducissam, habens et duos filios Henricum et Ottonem, habens et filiam nubilem (tertius namque filius Lotharius nomine remanserat in Teutonia) receptus est honorificè, plusquam per tres annos continuos abundanter exhibitus profusioribus epulis et regali munificentiâ.*

Digitized by Google

illud venturum; quamvis consuetudo esset militum Hanoniensium in torneamentis in loco illis nominato cum Flandrensibus et Viromandensibus esse, tamen ipse Balduinus cum probis quos secum habebat militibus, ad partem Francorum qui ibi pauci erant, ob rancorem quem contra Comitem Flandriæ et suos habebat, transivit, Comitique Flandriæ et ejus magnis viribus viriliter restitit. Comes autem Flandriæ nimiâ accensus irâ, cum suis hominibus tam equitibus quàm peditibus quasi ad bellum ordinatis, gravius Francis et Hanoniensibus occurrere cœpit. Miles autem quidam in armis probissimus et atrocissimus, ipsius Balduini commilito, Godefridus scilicet agnomine *Tuelasne*, percipiens domini sui Balduini et suorum imminentem læsionem, Comiti Flandriæ in forti lancea occurrens, ictu quodam quod vulgariter de *feltro* dicitur, in medio pectoris illum percussit: qui suis stipatus et super equum retentus, velut mortuus diu stetit; in quo conflictu ipse Comes Flandriæ, ut a multis asseritur, captus fuit et detentus, sed permissione cujusdam probi militis, Egidii scilicet de *Aunoit*, dicitur evasisse, indeque Balduinus cum Francis contra Flandrenses victoriam dicitur obtinuisse.

* An. 1168. Henricus Comes Namurci et *Lusceleborch* in diebus illis * contra compositionem juratam, quam cum Balduino sæpedicto Comite Hanoniensi et ejus uxore Alide eorumque filio Balduino firmaverat super suis possessionibus, ut satis prædictum est, ire non formidans, cupiditate rehabendi Trajectum villam super Mosam, quam mater ejus Ermensendis Comitissa et ipse Henricus apud Imperatorem pro M. DC. marcis argenti impigneraverant, duxit uxorem valdè senex Agnetem, filiam Henrici nobilissimi Comitis de Ghelra, sæpenominati Comitis Hanoniensis Balduini consanguineam; sed quia in matrimonio concessum fuerat et promissum Henrico Comiti Namurcensi, quòd Comes de Ghelra, mediante pecuniâ, apud Imperatorem efficeret quòd ille Trajectum liberè rehaberet (at hoc pactum nunquam fuit observatum) Comes Namurcensis qui Agnetem per quatuor annos habuerat, sed ei in lecto nequaquam communicaverat, eam ad patrem remisit, quam postea, sicut subsequenter dicemus, recepit: unde mala infinita evenerunt.

* An. 1169. Transacto anno primo * militiæ Balduini, Balduini Comitis et Alidis Comitissæ filii, mediante Flandrensium et Hanoniensium consilio, consensuque concordi, Balduinus tempore paschali, mense Aprili, anno Domini MCLXIX, duxit uxorem Margaretam nobilissimam, admodùm pulchram, omnique honestate et
* Philippi. bonitate ornatam, Theoderici * Comitis Flandriæ et Viromandiæ, et Matthæi Comitis Boloniensis, et domini Petri Cameracensis Electi sororem. Et cùm antea Balduinus pater a Comite Flandrensi annuatim, pro concordia Duaci castri quod reclamabat, CC libras denariorum habuisset, CCC appositis in matrimonio illo, D libræ denariorum Balduino ad winagium de Bapalmis fuerunt annuatim assignatæ, firmatâ inter Comitem Flandriæ et Comitem Hanoniensem confœderatione, fide interpositâ tactisque sacrosanctis, ita quidem quòd Comes Flandrensis Comitem Hanoniensem ad omnes necessitates suas contra omnes homines juvaret, excepto domino suo ligio Rege Francorum; Comes autem Hanoniensis Comitem Flandriæ contra omnes homines juvaret, excepto domino suo ligio Leodiensi Episcopo. O quàm gloriosus matrimonii conventus tanti viri illustris ac potentis Principis, et valdè sapientis et tantæ matronæ nobilissimæ ac honestissimæ ac prudentissimæ! quorum fidem Deus ex alto prospiciens, eorum bona et potentiam plurimùm ampliavit, eosque cunctis vicinis suis in potentia et gratia præfecit, prolemque ex eis gloriosam dedit, filiorum scilicet et filiarum, de quibus in subsequentibus quamplura dicemus. Balduinus autem post desponsatam Margaretam, dum pater ejus Balduinus Comes Hanoniensis vixit, ita ei fuit obediens, quòd in nullo eum offendit.

* An. 1169. Eodem anno * tempore Autumnali, Henricus sæpedictus Comes Namurcensis et *Lusceleborch* contra Godefridum Ducem Lovaniensem, Comitis Hanoniensis consanguineum, qui etiam Comitis Hanoniensis consanguineam, Henrici Ducis de *Lemborch* sororem, habebat uxorem, guerram habuit. Balduinus autem Comes Hanoniensis et ejus filius Balduinus, sicut ad omnes necessitates suas semper fecerant, ita tunc Comiti Namurcensi suum præbuerunt auxilium; et commoto exercitu, manserunt apud Scalcinas. Et cùm Comes Hanoniensis DCC milites in exercitu suo haberet in armis, omnes illi de terra erant Hanoniensi,

Digitized by Google

A exceptis duobus suldariis, Waltero scilicet et Gerardo de *Sothenghien*. Itaque Comes Hanoniensis et Balduinus ejus filius in auxilium Comitis Namurcensis guerram et molestiam intulerunt Duci Lovaniensi, et Comitem Namurcensem ad pacem honestam perduxerunt.

Balduinus de uxore sua Margareta filiam genuit gloriosissimæ recordationis Elisabeth, quæ potentissimo Francorum Regi Philippo nupsit, et Francorum Regina serenissima religiosissimaque et omnium dilectissima effecta est, quam mater ejus Margareta apud Insulam in Flandria peperit, mense Aprili, anno Domini MCLXX. Quo etiam anno Balduinus de Toenio, miles probissimus, ut prædiximus, a seculo migravit.

Eodem anno * mense Augusto, torneamentum apud Trasinias fuit proclama- * An. 1170.
tum, ad quod Balduinus Comitis Hanoniensis filius causâ torniandi venit; sed
B quia Godefridus Dux Lovaniensis rancorem ei inferebat, ut in torneamento securior esset, quosdam servientes pedites secum habuit circiter tria millia. Godefridus autem Dux Lovaniensis cum multis militibus quoscumque habere potuit, et cum exercitu hominum armatorum circiter tria millia, quasi ad bellum venit. Balduinus autem et sui, ut Haiam quæ de *Carnieres* dicebatur, transierunt, videntes Ducis vires nimias, si potuissent, retrocessissent; sed quia difficile erat nemus illud absque multorum hominum perditione transire, ipsi contra Ducem ad bellum se præparaverunt. Duce igitur et suis in malum Balduini et suorum festinantibus, Balduinus, vivido assumpto animo, ab equo descendit super aquam quæ Pietencialis dicitur, ut sui videntes eum peditem non relinquerent, sed cum eo tam equites quàm pedites ad bellum animarentur. Duci autem et suis cum superbia et ferocitate advenientibus, Balduinus cum suis
C viriliter resistens, illos, Deo auxiliante, devicit; et eos in fugam convertens, multos cepit, multosque in viribus suorum paucorum peremit. Occisorum autem de exercitu Ducis fuerunt circiter duo millia, captivorum autem fuerunt circiter sex millia. De hominibus verò Balduini quasi nulli occisi vel capti fuerunt. Quæ quidem victoria patri ejus Balduino Comiti et Hanoniensibus gaudium et commodum protulit; Duci autem Lovaniensi et Brabantinis dolorem et damnum intulit.

Sequente anno Domini MCLXXI, mense Julio, Margareta Balduini uxor filium peperit Valencenis, Balduinum scilicet qui post patrem et matrem Comitatum Flandriæ et Comitatum Hanoniensem tenuit. Margaretâ autem pro partu in Valencenis jacente, ipsa villa Valencenensis proprio igne concremata fuit, in majori et meliori parte, ita quòd domorum combustarum fuerunt circiter quatuor millia.

D Tempore illo, Philippus Comes Flandriæ, habito colloquio et consensu cum illustri Comite Campaniæ Henrico (qui quidem Henricus Ludovici Regis Francorum filiam de prima illius uxore habebat uxorem, cujus etiam sororem ipse Rex habebat uxorem tertiam) matrimoniorum conventiones cum illo firmavit, ita quidem quòd ipsius Henrici primus filius, Henricus, Elisabeth Balduini Hanoniensis et Margaretæ filiam tunc puellam haberet uxorem, Balduinus autem Balduini et Margaretæ filius parvulus Mariam Henrici Comitis filiam haberet uxorem, cùm utrique ad annos nubiles pervenirent; si quis autem utrimque filiorum ante annos nubiles decederet, alter filius superstes primus in matrimonio illi succederet; si qua autem de filiabus nominatis interim decederet, alia superstes filia in matrimonio illo succederet. Conventiones autem illæ in parte fuerunt observatæ, et post multa juramenta in parte nequa-
E quam, sicut in subsequentibus dicetur.

Eodem anno *, tempore Autumnali, Henricus Comes Namurcensis et *Lus-* * An. 1171.
celeborch ab hominibus suis ligiis et a vicinis tantâ traditionum et guerrarum oppressione in terra de *Lusceleborch* coartatus detinebatur, quòd castrum *Lusceleborch*, ne illud per traditionem aliquam ei subriperetur, exire timebat: cui nepos suus Balduinus, Comitis Hanoniensis filius, cum ccc militibus et totidem servientibus equitibus superveniens in propriis expensis, terram illam voluntati suæ restituit, castrum *Bretenghes* obsedit, obsessumque et graviter oppressum appositis machinis in viribus suorum cepit et prostravit, et terras eorum qui avunculo suo adversabantur usque Metim civitatem, prædis acceptis et igne apposito, vastavit. In quo exercitu cum ipso Balduino fuerunt milites probissimi magnique nominis, scilicet Jacobus de Avethnis, Egidius de sancto-Oberto,

Digitized by Google

Rasso de Gaura, multique alii milites strenui, quibus Hanonia tunc temporis florebat : indeque ad patrem gaudens et incolumis Balduinus rediit. A

* An. 1171. Eodem tempore et anno *, Balduinus sæpedictus Comes Hanoniensis gloriosus, Yolendis Comitissæ filius, infirmitate Montibus oppressus, mortem sibi imminentem metuens suæque animæ saluti volens providere, ordinavit ut quædam quæ de jure suo in Montibus et in Valencenis habebat, quæ in gravamen universorum hominum in villis illis habitantium erant, a gravamine removerentur et in meliores consuetudines converterentur. In Valencenis etenim et in Montibus jus erat Comitum Hanoniensium et consuetudo, ut in omni eorum adventu, dum in ipsis villis morabantur, culcitræ et vasa coquinæ necessaria a domibus accipiebantur, et ad Curiam deferebantur ad usus dominorum Comitum perficiendos. Unde Comes ille sæpedictus Balduinus ordinavit de communi villarum illarum consensu, ut ipsæ villæ domino Comiti Hanoniensi in culcitris sibi B necessariis et vasis coquinæ provideant ; in Valencenis autem scutellæ cum aliis vasis domino Comiti administrandæ sunt. Sed in Montibus scutellæ nequaquam ei sunt attribuendæ ; verùm in Montibus debet Villicus ipsius villæ ad puteum castri situlam amministrare, Castellanus verò cordam. In Montibus autem a solutione culcitrarum et vasorum excipiuntur domus Clericorum et dominarum et militum, et camba S. Waldetrudis et camba S. Germani, et mansuræ duæ Advocatorum, et domus fossato contiguæ a porta propè S. Germanum in circuitu usque ad portam quæ porta Fori dicitur. Excipiuntur etiam inde domus servientium qui in curia domini Comitis hæreditaria habent officia. In Valencenis autem excipiuntur inde domus Clericorum et militum, et servientium Comitis hæreditariorum, et mansuræ in loco qui Castellum dicitur. Ipse etiam Comes eâdem detentus infirmitate, quædam Winagia apud *Morcinpont* et apud C *Denen* prorsùs remisit. Ipse quoque ipsâ nimis aggravatus infirmitate a seculo migravit, cujus corpus in Monasterio B. Waldetrudis ante majus altare sepultum est, in planctu et nimia hominum suorum lamentatione, septimâ die a festo omnium Sanctorum, anno Domini MCLXXI.

Balduinus sæpedicti Comitis filius in Comitatu Hanoniensi cum Margareta uxore sua successit. Quasdam autem guerras et inimicitias mortales quæ per multos annos inter viros potentes, illos scilicet de *Thrit* et illos de *Aunoit*, duraverant, ipse Balduinus novus Comes de consilio nobilium et sapientum suorum, illis licèt invitis, concordavit. Ad hæc ipse Balduinus Comes novus de communi hominum suorum consensu et consilio, quamdam in Hanonia pacem ordinavit, et eam tenendam tam suo proprio quàm hominum suorum majorum juramento confirmavit : in qua quidem pace expressum fuit pro homine D interfecto hominem deberé interfici, homicidam scilicet ; pro membro verò ablato membrum ab ablatore debere tolli. Hæc autem omnia non per legem, sed per veritatem tractanda sunt. Si quis autem super his maleficiis se absentaverit, et veritati pacis ordinatæ se committere noluerit, maleficii sibi imputati reus judicandus est, et ulteriùs misericordiam consequi non potest, nisi de communi consensu domini Comitis et proximorum illius in quem maleficium perpetratum est. Si autem nobilis aliquis rusticum interfecerit aliquem, aut membrum abstulerit, dominus Comes in vita vel in membris ei potest indulgere ; sed tamen domini sui pacem habere non potest, nisi de consensu proximorum illius in quem maleficium perpetratum est. Fugitivos autem qui ad institutionem pacis venire et per eam agere noluerint ex præsumptione vel timore, illorum proximi de consanguinitate illos abjurare debent, et sic in pace E manere debent ab inimicis fugitivorum. Multa quidem et alia in pacis hujus institutione fuerunt composita.

Comes iste Balduinus, scilicet Balduini Comitis et Alidis Comitissæ filius, acceptis hominum suorum tam nobilium quàm servilis conditionis fidelitatibus, pacem et justitiam diligens, Comitatum Hanoniensem in multis laboribus magnisque expensis viriliter et cum honore tenuit : cui Deus gratiæ copiam impendens eum miro modo in actibus suis et bonorum suorum augmentatione plurimùm exaltavit. Hic quidem Comes in dapibus semper affluens, domum suam honestis et splendidis cibis semper procuravit, servientibus suis hæreditariis officia sua hæreditaria plenariè recognovit et restituit, eosque diligens ubique locorum constitutus libentiùs secum habebat. De expensis autem ejus

Digitized by Google

A grandibus tam in magnarum celebratione curiarum quàm in guerrarum et torneamentorum exercitiis, et de beneficiis probis militibus collatis, et quòd milites semper verbis dulcibus ac decentibus allocutus fuerit, nec pro aliqua commotus irâ verbum aliquod turpe vel indecens contra eos moverit, tacendum non est. Hic etiam quamvis secularibus deliciis deditus esset, tamen officiis divinis, scilicet Missis et ecclesiasticis horis, audiendis intendebat, pauperumque inopiæ compatiens escarum suarum largissimas eis impertiebatur eleemosynas.

Iste quidem novus Comes solemnitatem Natalis Domini * primò in Valen- * An. 1171.
cenis cum Margareta uxore sua in gaudio celebravit, in qua curia fuerunt milites D. ubi Egidius sæpedictus de sancto-Oberto, vir magnæ probitatis magnique nominis ubicumque terrarum, dapes tanquam summus Hanoniensis Dapifer amministravit, et cum eo milites et servientes qui in officio illo jus hære-
B ditarium habebant. Arnulphus verò vir nobilis de *Landast*, qui, mortuo Egidio de *Aunoit* summo Hannoniæ Pincernâ, uxorem illius duxerat, vinum tanquam summus Pincerna propinavit, et cum eo milites et servientes qui in officio illo jus hæreditarium habebant. Post ipsum Natale Domini, ipse Balduinus Comes cum LXXX militibus torniavit inter *Bussei* castellum et Cathalaunum civitatem, et illinc in terra Bria in loco qui dicitur Vadum de Lisi, eundoque illuc et inde redeundo cum tot militibus in propriis expensis, ipse Comes spatium unius mensis produxit. Sequente verò Quadragesimâ *, ipse Comes Leo- * An. 1172.
dium adiit, et domino Radulpho Leodiensi Episcopo, consobrino suo, debitum pro Hanonia fecit hominium.

Post Pascha verò, anno Domini MCLXXII, ipse Comes perrexit ad torniandum in Burgundiam inter *Montbar* et *Rogesmont*, cum militibus circiter c in
C propriis expensis; et cùm Comes Nivernensis, de cujus dominio castrum *Rogesmont* erat, inhibitionem torniandi omnibus advenientibus fecisset, et Comiti Hanoniensi in castro suo *Rogesmont* hospitari negaret; Comes tamen Hanoniensis contra inhibitionem Comitis Nivernensis in ipso castro hospitatus est. In crastino verò cùm Comes Hanoniensis in parte sua quinque terræ suæ milites secum haberet, et ex adversa parte cum Duce Burgundiæ Henrico quamplures in superbia nimia, servientibus peditibus stipati advenirent; Comes Hanoniensis vivido ac prudente animo assumpto, de armigeris suis et garcionibus clientes pedites ordinavit, et eos quibus potuit armis quasi ad defensionem contra multos præparavit, militibusque multis ex adversa parte constitutis viriliter restitit et eos expugnavit. In reditu autem suo apud *Retest* torniavit, sicque per quinque septimanas eundo et redeundo in propriis expensis cum militibus circiter c moram fecit.

D In festo Pentecostes, eodem anno *, Balduinus Comes Hanoniæ dominum * An. 1172.
Regem Anglorum Henricum, qui etiam Dux Normannorum et Aquitaniæ et Comes Andegaviæ erat, adiit, et ei super c marchis Sterlingorum magno pondo annuatim habendis hominium fecit, et sicut ejus pater ab ipso Rege et ab ejus avunculo * Henrico Rege Angliæ infeodatus fuerat, hominibusque suis * avo.
Hanoniensibus quibusdam sua ab ipso Rege feoda fuerunt recognita et reassignata, Eustacio scilicet de *Ruez* XV marchæ, Waltero de Linea X marchæ, Amando de *Proui* X marchæ, Henrico de Braina X marchæ, Roberto de Carneriis X marchæ. Ibi Jacobus de Avethnis per intercessionem Comitis Hanoniensis ab ipso Rege triginta marchis infeodatus fuit.

In diebus illis (*a*) Henricus idem Rex Angliæ, filios suos majori amplectens dilectione, illos in bonis suis omnique honore exaltavit, et illos sibi præfecit.
E Depositâ enim reginâ coronâ, Henricum filium suum, militem probissimum, in muneribus indeficientibus largissimum, qui quoscumque poterat milites probos undecumque terrarum suæ attrahebat societati, qui Regis Francorum Ludovici filiam habebat uxorem, in Regem coronari fecit (*b*), retentis sibi terræ totius ad regnum pertinentis fructibus et proventibus, retentâ etiam sibi filii sui novi Regis procuratione: qui filius postea in patrem, auxilio Ludovici Regis Francorum, insurgere non abhorruit, patremque expellere a regno voluit; verùm patris non exigentibus meritis, sed filii peccatis obstantibus, contra patrem nihil per se vel per suos coadjutores proficere potuit. Prædictus etiam Hen-

(*a*) Gervasius Dorobernensis ad an. 1169, narrat Henricum Angliæ Regem terras cum filiis suis partitum fuisse in colloquio cum Rege Francorum habito apud Montem-mirabilem, die Epiphaniæ.

(*b*) Henricus Regis Angliæ primogenitus anno 1170 in Regem fuit coronatus.

Digitized by Google

ricus Rex secundo filio suo Richardo Ducatum Aquitaniæ assignavit, qui etiam A
patri quandòque se opposuit. Tertio verò filio Gaufrido Comitatum Britanniæ
per matrimonium acquisivit.

An. 1172. Sequenti tempore Autumnali, anno Domini MCLXXII, cùm Henricus Dux de *Lembor*, Comitis Hanoniensis consanguineus, mala quædam per prædas et rapinas et incendia ipsius Comitis avunculo, Henrico Comiti Namurcensi et *Lusceleborch* intulisset, et quorumdam castrorum hominia ad ipsum Comitem Henricum de jure pertinentia ipse Dux contra ipsum Comitem sibi usurpasset, Comes Namurcensis nepotis sui Comitis Hanoniensis, sicut consueverat, auxilium districtiùs postulavit : cui Comes Hanoniensis festinum in CCCXL militibus, et totidem servientibus equitibus loricatis, et MD clientibus peditibus electis, tulit auxilium, et majus Ducis de *Lembor* castrum quod *Erlons* dicitur, cum avunculo suo obsedit, et terram Ducis circumjacentem, prædis acceptis et B
apposito igne, vastavit. Dux autem eorum vires non valens sustinere, cùm jam ipsi per x dies in obsidione castri illius in copia panis et vini et carnium pisciumque mansissent, Comiti Namurcensi damna illata restituit, et quæ Comes contra ipsum reclamabat, ei prorsùs libera dimisit et quieta. In obsidione illa Comes Namurcensis Comiti Hanoniensi, suo tunc dilectissimo nepoti, fidelitates et securitates ab hominibus suis nobilibus et servilis conditionis super possessionibus suis in spe succedendi, interpositis juramentis, renovari fecit ; indeque Comes Hanoniensis, qui in propriis expensis cum tot prædictis militibus et servientibus equitibus et peditibus per spatium unius mensis manserat in alienis partibus, ad propria rediit. In quo quidem exercitu fuerunt milites strenui, scilicet Jacobus de Avethnis, Egidius de Sancto-Oberto, Rasso de Gaura, Evrardus Rado Tornacensis Castellanus, Eustachius senior de *Ruez* et Eusta- C
chius filius ejus, Karolus de *Frasne* et Egidius filius ejus, Johannes de *Maicicort*, Amandus de *Proui*, Polius de *Vileir*, Walterus de *Lens* et Eustachius filius ejus, Egidius de Cimaco, Nicolaus de Barbencione, Walterus de Fontanis, Walterus de Linea, Willelmus de *Hausi*, Balduinus et Matthæus Adæ de *Walencort* filii, Gerardus de *Waldripont*, Gossuinus de *Aenghien*, Engelbertus et Bonifacius fratres ejus, Hoelus de *Cauren*, Balduinus de *Strepi*, Arnulphus et Gerardus de *Landast*, Renerus de *Thrit*, Stephanus de *Denen* agnomine Makrellus, Gaufridus *Tuelasne*, Willelmus et Gerardus ipsius Comitis fratres, sed non germani, Nicolaus de *Pierewes*, Gerardus de Bruella solam manum habens, miles probissimus, Hugo et Walterus de *Crois*, multique alii milites probi.

* An. 1173. Eodem anno * post Octavam Epiphaniæ, ipse Balduinus Comes Hanoniensis sororem suam viduam Lauretam, pulchram admodùm et honestam, quam uxo- D
rem habuerat vir nobilis Theodericus de *Alost*, maritavit viro nobili Buchardo de Montemorenciaco in Francia : de qua ipse Buchardus filium habuit Matthæum, et filiam.

Sequente anno ab Incarnatione Domini MCLXXIII, Henricus prædictus junior Rex Angliæ contra patrem suum guerram movit, auxilio Ludovici Regis Francorum, inimicitiasque graves ; et cùm Rex Franciæ a parte Franciæ exercitus suos contra Normanniam moveret, Philippus Comes Flandriæ et Viromandiæ in magnis viribus ad auxiliandum domino suo et Regi Anglorum juniori, in Regem Anglorum seniorem suum consobrinum insurrexit, et Normanniam intrando et graviùs opprimendo, Albammarlam castrum cepit, deinde *Driencort* castrum obsedit, in qua obsidione frater ejus Matthæus Comes Boloniensis, miles admodùm pulcher et probus et donis largissimus, lethale vulnus suscepit : E
quo suscepto vulnere, post paucos dies vivendo a sæculo migravit. Cujus mors peccatis fratris sui Comitis Flandriæ imputabatur, ex eo quòd in commotione guerrarum illarum ipse Comes Flandriæ et Viromandiæ potentissimus ad pacem componendam plurimùm potuisset valere. Deinde Ludovicus Rex Franciæ et Philippus Comes Flandriæ in viribus suis Rotomagum civitatem obsederunt, nihilque contra Regem Angliæ Henricum seniorem, virum astutum vividumque, et nimiâ animositate pollentem, proficientes, pace inter se firmatâ, et possessiones suas omnes ei liberas et quietas dimiserunt, et filium patri reconciliaverunt (*a*).

Cum autem in guerra illa Comes Hanoniensis domino suo Regi Anglorum, a

(*a*) Rotomagi obsidio et concordia filiorum cum Henrico Angliæ Rege ad an. 1174 pertinent.

Digitized by Google

A quo c marchas annuatim in feodo habebat, auxilium præstare vellet, quia Regi Francorum in hominio vel aliqua dilectione nequaquam obligatus erat, et per terram sororii sui Comitis Flandriæ et Viromandiæ occultè transire proposuisset, et ad hoc cum militibus et armis iter arripuisset, a quibusdam Flandrensibus, Helino scilicet de *Waurin* et aliis, insidiæ in territorio de Bapalmis fuerunt prætentæ, ita quòd Comes Hanoniensis nullatenùs transire potuit. Ipse autem Comes ante arreptum iter illud, in villa quæ dicebatur *Kiuiniis*, quæ postea *Belfors* nominata fuit, firmitatem construere cœperat: quod in detrimentum Jacobi de Avethnis, sed non contra jus illius erat. Sciens autem Jacobus quòd Comes illud iter arripuisset, putansque illum diu in alienis regionibus moraturum, Comitissam Hanoniensem Margaretam super hoc requisivit, ut opus incœptum faceret cessari: dicens illud contra jus suum prorsùs fieri. Comitissa autem de jure do-
B mini sui Comitis non deficiens, dixit quòd opus de jure domini sui incœptum ipsa, eo absente, pro posse suo suppleret. Jacobus autem ab ea recedens, ipsam diffiduciare præsumpsit. Comitissa, summonito per Hanoniam exercitu, Melbodium venit. Comes autem Hanoniensis, qui propter insidias et insultus Flandriæ ad Regem Angliæ transire non potuit, ad propria rediit, et Melbodium venit, ubi Comitissam uxorem suam et milites suos ad arma contra Jacobum paratos invenit. Jacobus verò contra jus domini sui ligii Comitis Hanoniensis, et ejus vires venire formidans, pacem cum eo fecit. Sicque Comes in loco prædicto de jure suo turrim construxit, et locum illum *Belfort* nominari fecit, anno Domini MCLXXIII.

Eodem anno *, tempore hyemali, miles probitate et nomine præclarus Egidius * An. 1173.
de Sancto-Oberto in castro suo Businiis ægrotavit: quem cùm dominus suus
C Balduinus Comes Hanoniensis ex gratia et dilectione visitaret, ille castrum suum Businiis, quod construxerat et a nemine tenebat, ab ipso Comite in feodo accepit, et de assensu primi filii sui Gerardi, quem de prima uxore sua Berta supranominata, ipsius Comitis amita habuerat, secundo filio suo Egidio, quem de secunda uxore Matilde de *Berlenmont* habebat, ita dedit quòd ipse et filius ejus Egidius de ipso castro domino Comiti ibidem fecerunt hominium ligium, addentes illud feodo de *Berlenmont*, et feodo Cameraríæ summæ Hanoniensis. In infirmitate illa ipse Egidius signum Crucis Domini sibi assumpsit, et cum eo Gerardus filius ejus, multique probi milites Egidii commilitones.

Anno Domini MCLXXIV, tempore Paschali, dominus Petrus supradictus Cameracensis Electus, de voluntate et suggestione fratris sui Philippi Comitis Flandriæ et Viromandiæ, relicto Episcopatu et ordine Clericali, miles factus
D est: qui postea in terra Nivernensi, ut prædiximus, quamdam Comitissam viduam habuit uxorem, de qua filiam habuit, quæ postea Roberto de *Waurin* summo Flandriæ Dapifero, militi probo, maritata fuit. In Episcopatu successit vir prudens potensque et vividus, Robertus nomine, de civitate Carnoto ortus, quem de paupere Clerico Philippus Comes Flandriæ ditissimum fecerat, et in Flandria et Viromandia potentissimum: qui cùm omnium ferè Ecclesiarum in Flandria Præposituras obtineret, tamen nomen Præpositi de Aria semper habuit. Qui Robertus a Cameracensi Ecclesia electus, susceptis a domino Imperatore Romanorum Frederico regalibus, bona Episcopatûs studiosiùs cœpit perquirere, super quibus mota est controversia inter ipsum et Jacobum de Avethnis. Cùm autem ipse Electus, tempore autumnali *, in Brabantiam ad prædium Episcopatûs * An. 1174.
Melin transire vellet, quia super minis Jacobi sibi illatis dubitabat, a domino
E Comite Hanoniensi conductum securum requisivit: cui dominus Comes virum nobilem Ludovicum de *Frasne* conductorem præbuit. Ipso autem Electo per Condatum Jacobi castrum absque metu aliquo transeunte, prætentis sibi a quibusdam servis Jacobi insidiis, turpiter ab illis in descensu pontis interfectus fuit. Quo audito, dominus Comes Hanoniensis, quia id in dedecus suum contra conductum suum et contra terræ suæ justitiam perpetratum erat, ipsam villam Condatum igne concremavit, et castrum turri et muris tunc temporis fortissimum obsedit, quod tandem ad ejus voluntatem in manus ejus fuit resignatum. Comiti autem Flandriæ pro occisione Clerici sui et alumni dilecti et familiaris, castra Jacobi ad honorem Viromandensem pertinentia, Guisa scilicet et *Leschieres*, fuerunt reddita: attamen Jacobus citiorem levioremque a Comite Flandriæ quàm a Comite Hanoniæ pacem habuit. Domno Roberto Cameracensi Electo

Digitized by Google

domnus Alardus, Cameracensis Ecclesiæ in Hannonia Archidiaconus, vir maturus et honestus, in Episcopatu successit. A

* An. 1174. Eodem anno *, dominus Comes Hanoniensis curiam suam in Natali Domini hominibus suis majoribus Montibus indixit, ubi quamplures probos milites circiter CCCL secum habuit. Ubi cùm Egidius de Sancto-Oberto, crucesignatus, domino suo Comiti dapes tanquam summus Dapifer amministrasset, honesto dono ab ipso Comite ad supplementum itineris sui accepto, licentiam peregrinandi a domino suo Comite et ab universis in Curia accepit. Jacobus autem a domino suo Comite castrum suum Condatum ibi recepit, interpositâ conditione illud Comiti ad omnem ejus voluntatem reddendum. Egidius verò de Sancto-Oberto in sua peregrinatione in mare decessit. Gerardus autem filius ejus, Comitis Hanoniensis consobrinus, peractâ peregrinatione suâ, rediens patri in majoribus bonis successit.

Deinde anno Domini MCLXXV, mense Augusto, torneamentum inter Suessionem civitatem et Brainam castrum ex superbia et arrogantia a præclaris et probissimis militibus, Campanensibus scilicet et Francis quampluribus, contra Balduinum Comitem Hanoniensem fuit proclamatum : ad quod Comes Hanoniensis cum CC militibus, et MCC peditibus electis venit, et in parte sua duos sororios suos, scilicet Radulphum de Cociaco et Buchardum de Montemorenciaco, et cum eis Radulphum Comitem Clarimontis militem probissimum habebat. Campanensibus autem et Francis numero pluribus et nomine majoribus in Braina existentibus, et exire dedignantibus vel dubitantibus, Comes Hanoniensis usque ad montem et vineas Brainæ in manu armata equitavit, et ibi usque ad vesperam stetit. Die autem advesperascente, cœperunt omnes ad hoc Comitem cogere ut illinc recederet, cùm nemo compareret qui ei se opponere vellet. Ipse autem propositum firmaverat quòd totâ die illic maneret, ut firmatam torniandi pactionem servaret. Vespere autem facto, cùm major pars militum de parte Comitis Hanoniensis recessisset et jam Suessionem pervenisset, et clientes pedites retrocedentes jam in media via essent, et nox superveniret, ita quòd Comes Hanoniensis iter recedendi arriperet ; Campanenses et Franci in parte Brainæ constituti cœperunt exire, et Comitem Hanoniensem insequi. Comes autem Hanoniensis cum Comite Clarimontis et cum paucis, armatis multis resistebat ; et revocatis clientibus suis peditibus, per illorum vires adversarios per valles et vineas in fugam convertit, eosque graviùs expugnavit : de quibus adversariis in introitu villæ Brainæ et de illorum peditibus clientibus quamplures interfecti, multique aquis submersi, quidam verò capti fuerunt. Sicque dominus Comes Hanoniensis, adeptâ de nocte victoriâ, cui claritas lunæ admodùm profuit, gaudens et incolumis inde rediit. B C D

In diebus illis, Henricus Ludovici Regis Francorum et Roberti Comitis Brainæ et Petri de *Curtenai* frater, Archiepiscopatum Remensem regebat, qui bona Ecclesiæ multa per loca augmentavit. Ipse castra *Sessals* et *Curmeri*, et in Remis domum fortissimam, in loco qui porta Martis dicitur, construxit, qui prædicto eodem anno decessit : cui Willelmus Senonensis Archiepiscopus, qui et Senonensem Archiepiscopatum et Carnotensem Episcopatum regebat, frater inquam Adelæ Francorum Reginæ, et Henrici Comitis Campaniensis, et Theobaldi Comitis Blesensis, et Stephani [Sacri-Cæsaris] Comitis, in Archiepiscopatu Remensi successit.

* An. 1175. Eodem anno *, cùm Walterus Laudunensis Episcopus pro debilitate sui corporis Episcopatui suo renunciasset, et quidam ejus nepos Walterus, Laudunensis Thesaurarius Ecclesiæ, a quadam parte Capituli electus et a summo Pontifice confirmatus et consecratus, in reditu a Curia Romana decessisset ; dominus Rogerus, Rainaldi de Roseto frater, sæpedicti Comitis Hanoniensis consobrinus, per intercessionem magnamque ipsius Comitis Hanoniensis industriam ac laborem, ad Episcopatum illum promotus fuit : a quo Episcopatu ipse Rogerus post suam electionem et consecrationem ejectus fuisset, et ejus proximi damna nimia incurrissent, nisi Comitis Hanoniensis sapientia eis profuisset, et ejus vires maximè contra Regem Francorum Ludovicum eis subvenissent, sicut in subsequentibus loco suo pleniùs dicetur. E

* An. 1175. Eodem anno *, ortæ fuerunt discordiæ inter Comitem Hanoniensem et ejus fidelem et consanguineum Jacobum de Avethnis, super quibusdam injuriis quas ipse Jacobus domino Comiti inferre videbatur. Unde dominus Comes ab ipso

Jacobo

Digitized by Google

A Jacobo in jus vocato castrum Condatum ut sibi redderet, sicut pepigerant, requisivit. Super quo ipse Jacobus multas quærens occasiones frustratorias vanaque subterfugia, castrum illud tandem ei reddere prorsùs negavit. Quid autem faciendum inde esset dominus Comes fidelium suorum, Jacobi scilicet Parium et aliorum nobilium judicio commisit. Unde judicatum fuit quòd Jacobus in castro suo nihil juris ulteriùs habere videretur, nisi de gratia et voluntate domini Comitis illud obtinere valeret. Post multas autem per Philippum Comitem Flandriæ, qui pro Jacobo Comitem Hanoniensem precibus sæpiùs sollicitabat, acceptas inducias, ipse Comes Hanoniæ, commoto exercitu termino Paschali anno Domini MCLXXVI, non contra castrum prædictum, sed contra majorem et meliorem partem terræ Jacobi, scilicet adversùs Avethnas, Jacobum asperiùs aggredi cœpit; et ut exercitus suus faciliùs transire posset, nemus quod Haia de
B Avethnis dicebatur, in viribus hominum suorum incidi fecit, ut homines centum de fronte transire absque impedimento possent, Jacobo ex adversa parte cum viribus suis existente tam militum multorum a Francia et a terra sua, a multisque locis congregatorum, quàm aliorum equitum et peditum, vidente et cum domino Comite Hanoniensi congredi non audente. Cùm autem Jacobus domini sui Comitis vires sustinere non valeret, ejus misericordiam postulavit, et ad pedes ipsius Comitis armati procidens, castrum Condatum ejus voluntati reddidit. Misertus autem dominus Comes hominis illius, castrum illud recepit et prostravit, villam autem ei restituit et pacem concessit : in quo exercitu cum Comite Hanoniensi fuit ejus avunculus, Henricus Comes Namurcensis, et Radulphus Comes Clarimontis in Francia.

Eodem anno *, tempore Autumnali, motis querelis quibusdam inter Jacobum * An. 1176.
C de Avethnis et potentissimum Comitem Flandriæ et Viromandiæ Philippum, ipse Comes Philippus castra ad Comitatum Viromandiæ pertinentia, quæ Jacobus ab ipso tenebat, scilicet Guisam et *Leschieres*, ab ipso Jacobo ut ei redderet requisivit; et cùm ille castra illa ei reddere negaret, Comes Flandriæ et Viromandiæ in viribus suis castrum Guisam obsedit. Comes autem Hanoniensis eidem Comiti Flandriæ et Viromandiæ, sicut supradictum est, confœderatus, in auxilium ejus castrum Leschieras cum exercitu suo obsedit. Jacobus autem astutiùs agens super aliis castris suis custodiendis quæ a Comite Hanoniæ tenebat, scilicet Avethnas et Landrecias et Leusam, ipsi Comiti Hanoniensi tanquam ejus ligia feoda custodienda commisit : quibus Comes Hanoniensis susceptis, ea fideliter conservavit, quousque ea ad voluntatem Jacobi ipsi Jacobo restituit. Verùm ipse Comes in viribus suis et machinis ad auxilium Comitis Flandriæ existens, castrum Les-
D chieras cepit, et turrim illius magnam in altiori mota constitutam per voluntatem Comitis Flandriæ prostravit. Guisa autem castrum a Comite Flandriæ diu obsessum, tandem ei fuit redditum : quod postea ipse Comes Flandriæ Jacobo illæsum restituit.

Anno Domini MCLXXVII, Philippus Comes Flandriæ et Viromandiæ cruce Domini signatus, congregatis apud Insulam Baronibus suis, Balduino Comiti Hanoniensi et ejus uxori Margaretæ Comitissæ, quia ipse proprii corporis hærede carebat, fratresque ejus Matthæus et Petrus decesserant, super hæreditate Flandriæ obtinenda tanquam justis et propinquioribus hæredibus ab hominibus suis Flandriæ fidelitates et securitates fecit exhiberi; concedente etiam sorore suâ [Gertrude] in Messinensi Ecclesia Sanctimoniali, quam primò Comes Sabaudiæ, postea vir nobilis Hugo de *Oisi* habuerant uxorem. Peractis autem se-
E curitatibus illis, ipse Comes Flandriæ, terrâ suâ ordinatâ et custodiæ fidelium suorum traditâ, Jherosolymam cum multis probis viris adiit.

Eodem anno *, defuncto domino Alardo Cameracensi Episcopo, orta est * An. 1177.
dissensio in Cameracensi Ecclesia super Episcopali electione. Dominus etenim Comes Hanoniensis pro consobrino suo Gaufrido de Toenio, viro honesto et admodùm literato, ut ad Episcopatum illum promoveretur artiùs laborabat; econtra vir nobilis et in Cameracensi regione potens Hugo de *Oisi*, qui a Comite Hanoniensi castra duo ad Comitatum Hanoniensem pertinentia in feodo ligio tenebat, scilicet *Crievecuer* et *Allues*, pro fratre suo Petro, ejusdem Ecclesiæ majore Archidiacono, modis quibuscumque poterat ad dignitatem illam adquirendam intendebat. In hac quidem dissensione dominus Rogerus de *Waurin*, acquisito sibi Comitis Hanoniensis auxilio, in Episcopatu Cameracensi electus

Digitized by Google

fuit et consecratus, qui postea in transmarinis partibus ad auxilium Dominici Sepulcri decessit (*a*). A

* An. 1177. Eodem anno * dominus Rogerus Laudunensis Episcopus, commoto quo potuit exercitu, et amicis suis ad arma convocatis, terram suam quæ Laudunum dicitur, contra homines ejusdem terræ, qui vi fulti regiâ Communiam contra Laudunensem Ecclesiam fecerant, invasit : ubi homines terræ illius cum quibusdam domini Regis Francorum hominibus, scilicet Communia Suessionensi et Communia de *Velli* et hominibus S. Medardi, contra se ad defensionem paratos invenit, quos viriliter invadens, multis captis multisque interfectis, citò devicit. Unde Regis Francorum Ludovici offensam incurrit ipse Episcopus, licèt ille pro justitia et libertate Ecclesiæ suæ laborasset. Quapropter ipse dominus Rex fervidiore accensus irâ, commoto exercitu, Laudunensis Episcopi bona occupavit; et Laudunum transiens, terram Hugonis de Petraponte et Rainaldi de *Rosoit*, fratris ipsius Episcopi, et Jacobi de Avethnis qui ipsi Episcopo in expugnatione illorum hominum tulerant auxilium, vastare proposuit. Unde Rainaldus domini Comitis consobrinus, et Jacobus de Avethnis ipsius etiam Comitis consanguineus et homo ligius, et Hugo de Petraponte qui etiam ipsius Comitis consobrinam habebat uxorem, domini Comitis Hanoniensis auxilium et consilium, tanquam sui protectoris summi, postulaverunt. Qui quidem Comes, congregato exercitu DCC militum et LX millium hominum armatorum, usque Streas pervenit ad auxilium amicorum suorum contra Regem Francorum, qui jam usque *Nisi* castellum pervenerat ad destruendas terras prædictorum virorum nobilium. Quo audito dominus Rex, relictis in pace terris illis, retrocessit; bona autem Episcopatûs ad voluntatem suam, dum sibi placuit, occupavit : quæ postea eidem Episcopo per mandatum Apostolicum et domini Comitis Hanoniensis intercessionem restituit. B C

In anno eodem, dominus Comes Hanoniensis inter *Venduel* et Feriam torniavit : ubi cùm in parte sua tot milites non haberet, quot in parte altera contra se erant, tamen prævaluit, et dominum Feriæ castri, scilicet Radulphum sororium suum cepit. Cepit etiam probissimos milites, Radulphum scilicet Comitem Clarimontis et Symonem fratrem ejus, et Matthæum Comitem Bellimontis, et cum eis multos milites, quos omnes liberos dimisit.

Anno Domini MCLXXVIII, Ivo bonæ memoriæ Suessionensium Comes et Nigellæ dominus, in introitu mensis Augusti a sæculo migravit : qui Yolendem Comitis Hanoniensis sororem habuit uxorem, et quia proprii corporis hærede carebat, Cono nepos ejus, Brugensis Castellanus, qui castrum Petræpontis ex parte Agathæ uxoris suæ possidebat, in omnibus bonis suis ei successit : qui, Comitis Flandriæ viribus, cujus homo erat et consanguineus, Yolendi Comitissæ super dotalitio suo, quod erat medietas totius honoris Nigellensis et insuper Faleviacum, contra Comitem Hanoniensem plurima damna fecit et detrimenta. D

* An. 1178. Eodem anno *, cùm sæpedictus Comes Flandriæ et Viromandiæ Philippus a Jherosolymis rediisset, Yolendis vidua, Comitis Hanoniensis soror, nupsit Hugoni Comiti Sancti-Pauli, probo militi ac juveni : quæ cùm nunquam prolem habuisset, et jam ætatis esset XLVII annorum, postea filias habuit duas, Elisabeth scilicet et Eustachiam.

In diebus illis, in Ecclesia Romana super electione summorum Pontificum schisma diutiùs duraverat, in quo Imperator Romanorum Fredericus cuidam parti favens contra Deum et justitiam, tribus obedivit Electis contra latam in eos excommunicationis sententiam consecratis, cùm dominus Alexander Papa ad honorem Dei de justitia electus et consecratus esset : cui Ludovicus Rex Francorum Francique, universique Christiani qui minas Frederici Imperatoris non dubitabant, prorsùs obediebant. Fredericus autem Romanos et Tuscos Theutonicosque suis Apostolicis fecit obedire; attamen Lumbardi, Venetiani et Pisani, Alexandrum fovebant et ei obediebant. Tandem, Deo volente, Fredericus Imperator a malo recedens proposito, abjuravit Apostolico Victori nomine, pedibusque Alexandri Papæ prostratus, misericordiam postulavit. Pace igitur et unitate universalis Ecclesiæ in Venetia (*b*) reformatâ, Concilium anno E

(*a*) Rogerius Camerac. Episc. decessit an. 1191.

(*b*) Anno 1177 pax Alexandri cum Frederico Imperatore intercessit. Concilium verò Lateranense anno 1179 a Kalendis Januarii inchoato fuit celebratum. At Gislebertus more Gallico annum a Paschate ordiebatur.

Digitized by Google

A eodem, scilicet anno Domini MCLXXVIII, universis Ecclesiarum Prælatis Romæ fuit indictum, Dominicâ *Lætare Jerusalem*, et Laterani celebratum. De quo Alexandro, viro prudente vividoque et admodùm litterato, et ad omnes in votis suis et justis petitionibus benigno et mansueto, Ecclesiæque rectore provido, miraculum satis manifestum evenit; cùm enim post Beatum Petrum nullus in Papatu tantùm vixisset, quantùm ipse B. Petrus, iste annis pluribus supervixit, ut contra schismaticos prævaleret, et sancta Ecclesia per eum in unitatem rediret.

Anno Domini MCLXXIX, sæpedictus Comes Hanoniensis, Dominicâ post Ascensionem Domini, in Trecis civitate cum Henrico ipsius civitatis Comite Palatino conventiones matrimoniorum, quas priùs Comes Flandriæ cum illo firmaverat, scilicet de Elisabeth filia Comitis Hanoniensis et de Henrico filio
B Comitis Trecensis, qui vulgariter Comes Campaniæ dicebatur, et de filia ipsius Comitis Henrici Maria et de filio Comitis Hannoniæ Balduino, recognovit et juravit. Ipsâ autem die, Maria Henrici Comitis uxor ibidem filium peperit Theobaldum.

Eodem anno *, tempore Autumnali, Gerardus Comitis Hanoniensis frater, sed non germanus, miles probus et animosus, vir honestus admodùm, pius et benignus, Montibus infirmitate aggravatus a sæculo migravit : cujus corpus in Monasterio B. Waldetrudis sepultum fuit. * An. 1179.

Eodem anno, Cono Comes Suessionensis et dominus Nigellæ et dominus Petræpontis, Castellanusque Brugensis, a sæculo migravit : cui in dominio Nigellæ et Castellaria Brugensi Johannes frater ejus successit, Radulphus alius frater (*a*) in Comitatu Suessionensi; dominium autem Petræpontis castri ad ipsius Comitis uxorem Agatham tanquam sua hæreditas propriè devenit : quæ postea
C ipsum castrum et majora bona sua, non satis prudenter et honestè vivendo, Philippo Regi Francorum vendidit.

Eodem anno Domini MCLXXIX, Ludovicus sæpedictus Francorum Rex filium suum unicum Philippum, quem de tertia uxore sua Adela, Willelmi Remensis Archiepiscopi et Henrici et Theobaldi et Stephani Comitum sorore, habebat, senio et corporis debilitate gravis, Remis in festivitate Omnium Sanctorum in Regem coronari fecit. Ad hoc coronamentum et Regis edictum cùm omnes Franciæ Principes accederent, Philippus Flandriæ et Viromandiæ Comes poten-
tissimus, qui in gestamine gladii regalis jus reclamabat, cum armis et militibus multis venit : ad cujus preces Comes Hanoniensis, qui in nullo Regi Francorum obligatus erat, qui nec hominio nec confœderatione aliquâ vel familiaritate eidem Regi tenebatur, cum LXXX militibus et armis ad illud coronamentum in
D propriis expensis venit. Sicque Philippus cum summa veneratione et reverentia inunctus et in Regem coronatus fuit, ibique Comes Flandriæ gladium regalem gestavit. Illinc verò Comes Hanoniensis ad torneamentum inter *Retest* et castellum venit, ubi Henricum Comitem de *Bar* militem probissimum, Philippi novi Regis consobrinum, copiâ proborum militum stipatum cepit, et Valencenas deductum eum liberum dimisit.

Eodem anno *, cùm sæpedictus Laudunensis Episcopus dominus Rogerus, Comitis Hanoniensis consobrinus, Ludovico Regi Francorum invisus, apud dominum Papam Alexandrum super occisione hominum Laudunensium fuisset accusatus, purgatio innocentiæ ejus quibusdam judicibus delegatis in Francia fuit commissa, ut si Episcopus ipse Laudunensis juramento suo et trium Episcoporum probare se posset manibus propriis nullum interfecisse hominem, et quod
E in perditione illa hominum factum fuerat, hoc pro libertate Ecclesiæ factum erat, liber et prorsùs quietus remaneret Laudunensis Episcopus. Cùm autem hæc omnia per gratiam Ludovici Regis Francorum saniùs et pacificiùs oporteret fieri, et inde dies purgationis Meldis civitate esset constituta infra Octavam Natalis Domini; ipse Laudunensis Episcopus domini Comitis Hanoniensis auxilium postulavit, ut per ejus intercessionem domini Regis Francorum, licèt Comes Hanoniensis ejus non esset fidelis vel familiaris, gratiam mereretur obti- * An. 1179.

(*a*) Hi tres nati erant Radulpho Brugensi Castellano. Ut enim ait Albericus ad an. 1070 : *Manasses ordinatur Remensium Archiepiscopus* per annos sexdecim : *Pater verò ejusdem Archiepiscopi dictus est Manasses Calva-asina, et fuit frater Comitis Hildewini de* Ramerut *sive de Roceio. Horum etiam duorum frater fuit Comes Suessionensis, Guillelmus nomine, qui genuit Renaldum et Joannem Comites, et Manassem Episcopum Suessionensem. Horum soror Yvoni de Nigella peperit Comitem Radulphum, qui genuit Comitem Yvonem et Radulphum Castellanum de* Bruges, *et Theodericum Archidiaconum Cameracensem. De Radulfo Castellano nati sunt Comes Cono, Joannes pater Joannis de Nigella, et iste qui adhuc vivit Comes Radulphus Suessionensis.*

Digitized by Google

nere. Comes autem cum ipso dominum Regem adiit : quem dominus Rex et A
ejus uxor Adela Regina benignè suscipientes, concesserunt ei ut Episcopus Laudunensis constitutam sibi faceret purgationem, quâ factâ, consilium inde bonum et Comiti Hanoniensi gratum haberent. Comes autem festum Natalis Domini in burgo S. Dionysii celebrando, ibi cum Abbate et Ecclesia composuit super quodam S. Dionysii allodio vasto, et in illo villa nova quæ *Forez* dicitur construenda : quæ conventiones scripto et Ecclesiæ S. Dionysii sigillo et ipsius Comitis sigillo fuerunt confirmatæ, et villa ibi constructa *Forez* nominata, quæ ad nullum Comitis hæredem potest venire, nisi ad eum qui Comitatum Hanoniensem tenebit. Illinc autem Meldis civitatem venerunt, Episcopus Laudunensis sibi concessum expiamen complevit, auxilio Cameracensis, Noviomensis, Atrebatensis Episcoporum. Quâ peractâ purgatione, dominus Comes cum ipso Episcopo Parisius rediit : ubi a domino Rege impetrarunt quòd ipsi Episcopo bona sua B
omnia restituit, et ei pacem et gratiam suam concessit.

* An. 1180. Eodem anno *, per quosdam Ludovici Regis Francorum senioris et filii ejus novi Regis Philippi familiares et consiliarios mota fuerunt verba matrimonii Philippi novi Regis Francorum satis juvenis et Elisabeth filiæ Comitis Hanoniensis, puellæ satis juvenis et admodùm pulchræ et honestæ, quæ tamen verba cum Philippo Comite Flandriæ magis quàm cum Comite Hanoniensi tractabantur. Unde ad hoc verba producta fuerunt, quòd ipse Comes Flandriæ et Radulphus Clarimontis, et alii quidam præcipui Regis Francorum familiares et consiliarii, Comitem Hanoniensem et ejus uxorem Margaretam Montibus requisierunt termino Quadragesimali, ibique per tres dies manserunt. Comes autem Hanoniensis, quamvis filiam suam ad tanti honoris apicem promoveri posse videret, tamen conventiones matrimoniorum quas cum Henrico Comite Campa- C
nensi firmaverat, observare volens, pro juramento suo salvando petitionibus illorum contrarius stabat. Verùm Comitis Flandrensis voluntate præeunte, ad hoc inductus fuit, licèt dolens, quòd filiam suam voluntati Comitis Flandriæ exposuit : quam Comes Flandriæ statim illinc secum in Flandriam deduxit. Dolebat quidem Comes Hanoniensis quòd pars Flandriæ pro matrimonio illo ad Regem Francorum post decessum Comitis Flandriæ devenire debebat ; compositum etenim fuit ut Atrebatum civitas et Sanctus-Audomarus, Ariaque et Hesdinum, videlicet terra extra fossatum ad Regem Francorum deveniret ; aliæ verò Comitis Flandriæ possessiones omnes ad Comitem Hanoniæ et uxorem ejus Margaretam et eorum hæredes devenirent. Compositum fuit equidem quòd si filia Comitis Hanoniensis Philippo Regi nupta absque proprii corporis hærede decederet, prædictæ possessiones ad Comitem Hanoniensem et ejus hæredes re- D
dirent ; si etiam Elisabeth proprii corporis hæredem haberet, et illum hæredem absque proprii corporis hærede decedere contingeret, omnia prædicta bona non minùs ad Comitem Hanoniensem et ejus hæredes redirent, et nequaquam regno adderentur. Philippus autem Rex Elisabeth duxit uxorem in castro Comitis Flandriæ Bapalmis, feriâ secundâ post Octavam Paschæ anno Domini MCLXXX, quam ipse Rex sequenti die festo Ascensionis Domini, eodem anno, apud S. Dionysium in Francia inungi et regiâ coronâ insigniri quâ decuit veneratione fecit : ubi ipse ad suæ nuptæ novæque Reginæ honorem regalem cum ea gestavit coronam, præsente Baldùino Comite Hanoniensi patre ipsius Reginæ, astante etiam ipsius Reginæ avunculo Philippo Flandriæ et Viromandiæ Comite, et ibidem gladium regalem gestante.

Eodem anno, Ludovicus Rex Francorum senior, Philippi sæpedicti Regis E
pater, a sæculo migravit.

EX CHRONICO LOBIENSI (*a*)

Apud Martenium T. III. Thesauri Anecdotorum, col. 1418.

Anno MLXXI. Synodus habita est Maguntiæ, cui Heinricus Rex et Legati Papæ Alexandri et diversarum provinciarum Abbates et Episcopi interfuerunt, et Carlus Episcopus Constantiæ de simoniaca hæresi convictus est.

(*a*) Quæ proximè antecedunt, edita sunt T. XI, p. 415.

Digitized by Google

A S. Remaclus a suis Legiam deportatus de Malmundario jus suum a Rege virtutibus extorsit. Otto Bavariorum Dux de conjuratione facta in Regem deprehenditur et honore privatur.

MLXXIII, tota Saxonia quasi vir unus recessit a Rege et rebellavit.

MLXXIV. Henricus Rex coangustatus nimis Deo pœnitentiam promisit, et regnum ejus confirmatum est. Eodem anno dissipata sunt castella, quæ ad oppugnandam Saxoniam fecerat.

MLXXV. Rex facto exercitu juxta *Unstruot* fluvium, bellum intulit Saxonibus, et multis millibus utrimque interemptis, Rex tandem victor efficitur. Deoduinus Episcopus decedit, Heinricus Legiæ succedit.

MLXXVI. Godefridus Dux gibbosus, filius Godefridi Magni, insidiis interimitur. Lietbertus Episcopus Cameracensis obiit IX Kal. Julii : Gerardus succedit....

B MLXXVIII. Adelardus Abbas obiit Idibus Januarii, Arnulphus succedit.

MLXXX. Hoc anno Henricus Rex noster de facto contra se Rege Saxonum Rodulpho triumphavit. Pridie Idus Octobris renovatur dedicatio Oratorii sancti Andreæ Apostoli a Gerardo Episcopo.

MLXXXI. Et hoc anno facto Rex exercitu vadit Italiam contra resistentem sibi Gregorium Papam, qui et Hildebrandus antea, et totam ex omni parte obsidet Romam. Contigit terræ motus vehementissimus VI Kal. Aprilis.

MLXXXIV. Hoc anno Heinricus Rex, captâ urbe et fugato Papâ Gregorio, Clementem subrogat, a quo Imperator consecratus, victor in Galliam revertitur.

MLXXXVII. Obiit S. Theodericus Abbas Andaginensis Cœnobii, Monachus Lobiensis, octavo Kal. Septembris, anno ætatis suæ LXXX, professionis suæ LXV, Sacerdotii L....

C MXC. Hoc anno orta est pestis in hominibus, quæ Arsura dicitur, quâ etiam multi perierunt.

MXCI. Henricus Leodiensis obiit : Otbertus Episcopus succedit.

MXCII. Gerardus Cameracensis Episcopus obiit.

MXCIV. Hoc anno magna mortalitas hominum fuit, et visus est igneus draco volare per aërem. Arnulphus Abbas obiit : Fulcardus succedit.

MXCV. Hoc anno dedicata est Ecclesia S. Mariæ et S. Ursmari ab Otberto Leodiensium Episcopo, XIII Kal. Februarii.

MXCVIII. Hoc anno capta est Antiochia a Christianis. Hic refloruit Ordo Cisterciensis, in quo quinto decimo abhinc anno sub Stephano Abbate factus est Monachus S. Bernardus, primus postmodùm Clareval. Abbas, XXII agens annum.

MXCIX. Obiit (*a*) Vibertus Papa, qui et Clemens : Renerus, qui et Paschalis,

D succedit. Hoc anno capta est Jerusalem a Godefrido Duce Lothariensium.

MCII. Henricus Imperator cum filio super Robertum Comitem Flandrensem vadit, et castra Cameracum devastantia diruit.

MCIV. Orta est tempestas sævissima grandinis mense Aprili, V feriâ hebdomadæ Paschalis, et beatus Dei Confessor Theodulphus tertius post beatum Ursmarum Lobiensis Episcopus (*b*) magnis et innumerabilibus claruit virtutibus.

MCVI. Hoc anno cometa apparuit mense Februario, et turbo immanissimus factus est Nonas Julii ad vesperam, cui similem se vidisse meminit nullus hominum. Mense sequenti obiit Henricus Imperator, octavo Idus mensis ipsius : cui filius suus Henricus in regnum successit.

MCVII. Fulcardus Abbas obiit : Walterius successit.

MCVIII. Philippus Rex Francorum obiit : Ludovicus filius ejus succedit.

E MCIX. Ecclesia S. Ursmari dedicatur ab Episcopo Cameracensi tertio Kal. Octob.

MCX. Henricus Romam cum exercitu vadit, cum Papa Paschali concordat, Imperator ab eo consecratur, privilegia de dandis investituris, baculis et annulis Episcoporum et Abbatum ab eo recipit, et sic communi pace firmatâ remeat.

MCXII. Æstas nimis arida : IV Idus Maii nocte Dominicâ fit tempestas exurens multas arbores et segetes. Laudunensis Episcopus [Gualdricus] a civibus interficitur, sanctæ Mariæ templum et omnia Monasteria cum tota penè urbe succenduntur, multa ubique contingunt incendia.

MCXVII. Hoc anno fit terræ motus magnus, et templum sancti Lamberti bis fulminatur.

(*a*) Guibertus pseudo-Papa obiit anno sequenti. Sed Urbanus Papa eo reipsâ anno vitâ functus est.

(*b*) In Placito Attiniacensi an. 765 legitur Theodulphi subscriptio in hunc modum : *Theodulphus Episcopus de Monasterio Laubias.*

Digitized by Google

CXVIII. Hoc anno obiit Paschalis Papa, cui succedit Johannes, qui et Gelasius. Obiit Otbertus Leodiensis Episcopus (*a*). A

MCXIX. Obiit Gelasius Papa, cui succedit Wido Viennensis Archiepiscopus, dictus Calixtus. Domnus Fredericus in Episcopum Leodiensem eligitur.

MCXX. Maxima Synodus ab eodem Papa Remis celebratur (*b*), a quo ibidem domnus Fredericus Episcopus consecratur.

MCXXI. Episcopus Leodiensis Fredericus moritur, ad ejus tumulum multæ virtutes divinitùs factæ probantur.

MCXXIII. Albero Episcopus Leodiensis constituitur et consecratur.

MCXXIV. Hoc anno inter domnum Papam Calixtum et Henricum Imperatorem de nomine IV, firmissima pax promovetur (*c*). Eodem anno ipse domnus Papa Calixtus obiit, cui succedit Lambertus qui et Honorius.

MCXXV. Hoc anno hyems contigit asperrima, quam fames subsequitur prævalida. Eodemque anno Imperator Heinricus de nomine IV moritur carens liberis : cui succedit Lotharius de gente Saxonum. B

MCXXVII. Clericis ab Ecclesia quæ Monasterium dicitur remotis, Monachi substituuntur. Carolus Comes Flandrensis ab Optimatibus suis Brugis in Ecclesia dolo interficitur.

MCXXVIII. Obiit (*d*) Albero Episcopus Leodiensium : succedit Alexander.

MCXXIX. Hoc anno pestis ignea in homines fuit, et B. Maria Suessionis miraculis claruit, et morticinum pecorum fuit. Bellum inter Alexandrum Episcopum Leodii et Godefridum Lotharingiæ Ducem, in quo Dux fugit victus. Bartholomæus Laudunensis Episcopus super Suessiones vadens, vincitur et capitur et indecenter tractatur. Abbas Lobiensis Walterus Abbatiâ Remis relaxatur.

MCXXX. Hoc anno obiit (*e*) Burchardus Cameracensis Episcopus : succedit Lietardus. C

MCXXXI. Hoc anno domnus Leonius Abbas efficitur, qui cùm ferè mensibus quinque loci hujus regimine functus esset, Walterus prædecessor ejus obiit. Et hoc ipso anno elevatus est beatus Gerardus primus Abbas Broniensis a domno Alexandro Leodiensi Episcopo.

MCXXXI. Gregorius Papa cognomento Innocentius, dum a Petro, qui per violentiam sedem Apostolicam tenebat, Româ expulsus apud Franciam exularet, Lobias devenit.

MCXXXV. Hoc anno transcendit mare terminos suos in ultimis partibus Flandriæ, et submersit insulas multas cum hominibus.

MCXXXVI. Obiit (*f*) Alexander Leodiensis Episcopus, succedit Albertus.

MCXXXVII. Hoc anno Abbas Leonius in Ecclesiam S. Bertini transfertur : cui succedit domnus Abbas Lambertus. D

MCXXXIX. Godefridus Lotharingiæ Dux Affligemii Monachus effectus moritur (*g*), cui succedit filius ejus de nomine Godefridus.

MCXL. Domnus Samson Archiepiscopus Remensis eligitur et consecratur. Werra inter Episcopum Leodii Alberonem et Henricum Comitem Namurcensem, in qua Fossis ab eodem Comite incenditur (*h*).

MCXLI. Hoc annō pestis horrida ignis et gravissimæ debilitatis in homines fuit, et beata Dei Genitrix miraculis ubique claruit. Sanctus Lambertus a Leodio in Ardennam delatus, marciam suam olim sibi ablatam, videlicet Bullum castellum obsidione fatigavit, virtute cepit, cum triumpho rediit.

(*a*) Morem Leodiensem in annis computandis cùm sequatur hujus auctor chronici, hoc est annum ab Annuntiatione Domini inchoando, mortem Otberti quæ ex Ægidio Aureæ-vallis Monacho pridie Kal. Februarii contigit, ad annum 1118 refert, quem 1119, initio ducto a Januarii Kalendis, appellamus.

(*b*) Concilium hoc anno præcedenti habitum fuisse testatur actorum ipsius præfatio, quæ sic incipit : *Anno Domin. Incarnat.* MCXIX, *Synodus Remis in Ecclesia Metropolitana die* XII *Kal. Decembris a Callisto Papa II celebrata est.*

(*c*) Anno 1122 die 8° Septembris pax hæc inita est in conventu Wormatiensi, atque a Callisto mensis ejusdem 23° die confirmata.

(*d*) Anno quidem 1128 more Leodiensi computato, e vita migravit Albero; sed cùm emortualis ejus dies in necrologio Leodiensis Ecclesiæ Kalendis Januarii notetur, ad annum 1129 Romano stylo incœptum obitus ejus revocari debet.

(*e*) Burchardus Cameracensis Episcopus in catalogo Ms. Hasnoniensi legitur mortuus an. 1131 die 3 Januarii. *Gall. Christ.*, T. III, col. 27.

(*f*) *Alexander*, inquit Ægidius Aureæ-vallis Monachus, *defunctus est pridie Nonas Julii, anno Pontificatûs sui sexto, ab Incarnat. Dom.* 1135.

(*g*) Obitum hujus Godefridi nomine VII consignant die 15 Januarii an. 1140, chronographi qui a Januarii Kalendis anni ducunt exordium.

(*h*) De hoc bello Henricum Comitem Namurcensem inter et Alberonem Episcopum Leodiensem altum apud alios historicos silentium. Certè si pax inter eos tunc temporis dissiluit, brevi restituta est, cùm anno 1141 Henricum Alberoni in obsidione castri Bullonii suppetias tulisse minimè dubium sit.

Digitized by Google

A MCXLII. Hoc anno hyems aspera, fames plurima, languor hominum extitit. Werra inter Regem Franciæ et Comitem Theobaldum vicos et castella multa vastavit.

MCXLIII. Hoc anno extitit aspera hyems et nix permaxima super faciem terræ a Kalendis Decembris usque ad Kal. Februarii, et sequitur fames valida VII annis.

MCXLIV. Hoc anno obiit Innocentius Papa, cui successit Wido, qui et Cœlestinus, qui et hoc eodem anno obiit: cui successit (*a*) Gregorius, qui et Gerardus.

MCXLV. * Hoc anno capta est Edissa civitas Christiana a Paganis. * *Corr.* MCXLIV.

MCXLVI. Hoc anno obiit Gregorius Papa: cui successit domnus Eugenius, qui et Bernardus. Hoc eodem anno (*b*) obiit Albero Leodiensium Episcopus: cui successit Heinricus.

MCXLVII. Hoc anno Rex Francorum Ludovicus et Imperator Romanorum
B Conradus cum innumerabilibus exercitibus Christianorum in Persidem * abierunt, et ultionem Dei in Paganos quæsierunt. * *Corr.* Palestinam.

MCXLVIII. Hoc anno Concilium permaximum a domno Eugenio Papa Remis celebratur, in quo multa utilia Ecclesiæ Dei statuta referuntur.

MCXLIX. Imperator Conradus et Rex Ludovicus revertuntur a Jerosolymis, victoriam quam speraverant non adepti, sed magnâ sui exercitûs parte imminuti. Lambertus Abbas obiit: Franco successit.

MCL. Hoc anno hyems asperrima. Franco Abbas, Canonicis Antoniensibus electionem substituendorum in eadem Ecclesia sibi usurpantibus, Romam super hoc appellatur, mense Octobri proficiscitur....

MCLI. Famis periculo multi intereunt. Annus totus pluvialis. Bartholomæus Episcopus Laudunensis Funiaci Monachus efficitur, cui succedit [Galterus]
C Abbas S. Martini ex eadem civitate.

Werra gravis et diuturna inter Episcopum Leodiensem Henricum et Namurcensem Comitem Henricum, et quamplures vici et castella tam bello quàm incendio destructa sunt. Ipse quoque Namurcensis Comes, primis sui exercitûs cum magna multitudine captatis, cum pluribus etiam occisis, apud Andenam fortiter superatus est Kalendis Februarii (*c*).

MCLII. Magna fluminum inundatio hyeme facta est. Obiit Conradus Imperator: cui succedit Fredericus filius fratris ejus.

MCLIII. Fredericus Rex super Arelatem vadens, sed non perveniens, deficiente exercitu, negotio infecto, reversus est. Hoc anno Ascalon a Christianis capta est. Obiit sanctæ memoriæ Bernardus Abbas Clarevallis.

MCLIV. Fredericus Rex, ut Imperator consecretur, Romam cum multo
D exercitu proficiscitur.

MCLV. Rex Fredericus post Romanorum debellationem, post multa sui exercitûs discrimina, ab Adriano Papa, contradicentibus Senatu et populo, Imperator consecratus, revertitur. In sequenti nativitate Vormatiæ judicium et justitiam potenter exercuit.

MCLVI. Hoc anno hyems arida, ver temperatum. Imperator primâ Quadragesimali Leodium venit. Initio mensis Junii maxima et eo tempore inaudita fluminum inundatio.

MCLVII. Theodericus Comes Flandrensium Hierosolymam cum multo nobilium Flandriæ comitatu orationis gratiâ proficiscitur. Philippus filius ejus ad injuriam imperii castra ad Episcopum Cameracensem pertinentia triennium impugnare non cessat, ac cum suo interceptus comitatu, dum reverti parat, occubuit (*d*).

E MCLVIII. Fredericus Imperator Italiam rursùs multo cum exercitu proficiscitur, ubi potenter Mediolanenses per triennium expugnare non cessat, in qua expeditione Coloniensis Archiepiscopus Fridericus obiit.

MCLIX. Hoc anno obiit Adrianus Papa, post quem eliguntur duo, Octavianus

(*a*) Innocentio successit an. 1143 Cœlestinus II, cui post quinque menses ac tredecim dies in Pontificatu exactos, anno 1144, die 9 Martii vitâ defuncto, successit Lucius II, quem anno sequenti v Kal. Martii demortuum excepit post biduum Eugenius III.

(*b*) Albero decessit an. 1145, VI Kal. Aprilis.

(*c*) Ad annum 1153 rejicit hujus initium belli Ægidius Aurcæ-vallis Monachus in gestis Pontificum Leodiensium; ad annum verò 1155 Lambertus Parvus in chronico: a quibus dissentiens Sigeberti continuator illud ad an. 1150 retrahit.

(*d*) Triennio post patris discessum contra Simonem de Osiaco bellum gessisse Philippum docet nos Lamberti Waterlosii chronicon. At ipsum Episcopi Cameracensis Simoni infensi castra vastasse alibi non legimus, nedum in hac expeditione occubuisse animadverterimus: quod postremum adeò fidei repugnat historiæ, ut patri anno 1168 defuncto, Philippus successerit, Comitatumque Flandrensem ad annum usque 1191 summa cum laude gubernarit.

Digitized by Google

Presbyter qui et Victor, et Rollandus Cancellarius qui et Alexander, et quod A
ad majorem totius Ecclesiæ factum est errorem, uterque consecratur, uterque suos Cardinales, suos Episcopos, suos Reges, uterque populum qui sibi credat habet. Eodem anno IV Kalendas Novembris obiit Abbas Franco: cui succedit Johannes....

MCLXI. Penè ubique terrarum prælia et seditiones grassantur, maximè in Gallia inter Regem Franciæ et Regem Angliæ. In Italia inter Imperatorem Fridericum et Mediolanenses, inter Papam Victorem et Papam Alexandrum, e quibus Victor mense Maio Cremonæ (*a*) cogit Concilium, ad quod de toto imperio Romano personæ confluunt. Ipse etiam Imperator præsens adest, quo etiam tempore, reparato exercitu, in Mediolanenses totus invehitur.

Obiit Samson piæ memoriæ [Remensis] Archiepiscopus, succedit Henricus Belvacensis Episcopus, frater Regis Francorum Ludovici. B

MCLXII. Hoc anno Ecclesia Lobiensis quæ priùs ligneis ac vilibus tegulis operta fuerat, lapideis tegulis ornari cœpit, et allodia de Perrona in jus perpetuum huic Ecclesiæ cesserunt.

MCLXIII. Hoc anno Imperator Romanorum et Francorum Rex pro amovendo errore qui in Ecclesia pro duobus in Papam electis increverat, in Decollatione S. Joannis-Baptistæ apud *Besanchon* urbem Metropolitanam inauditæ antea multitudinis Concilium convocant, præsente quidem domino Octaviano S. R. *** negotium convenerunt. Nihilominùs tamen re in contrarium versâ, dissidium utrimque factum est, et Imperator quidem judicia *** D. Octaviano sequitur. Rex verò Francorum non absque Imperialis coronæ *** Rolandum fovet et retinet.

In pago Parisiacensi quidam puer nomine Richardus a Judæis crucifigitur, cujus sepulchrum miraculis ***. C

MCLXIV. Theodericus Comes Flandriæ tertiò Jerosolymam petit, multis tam ex Lotharingia quàm ex Flandria se comitantibus.

Domnus Octavianus diem ultimum clausit *** cujus sanctitas et in vita et in morte claruit, et ad ejus sepulcrum innumera miracula ostensa sunt, Domino videlicet Papatum ejus signis evidentibus approbante (*b*): cui succedit in Papatu Paschalis....

Obiit in Italia Heinricus Leodiensis Episcopus, cui succedit Alexander Præpositus. Ex undatione maris in Flandria perierunt homines plusquam undecim millia.

MCLXVI. Imperator Pentecosten apud *Wereheborch* et Natalem Domini Aquisgrani celebrat, ubi tam ipse quàm totius imperii Primates, Episcopique et Abbates dominum Papam Paschalem et ejus successorem pro catholico et universali patre se habituros jurejurando confirmant; sed quibusdam tamen minimè assentientibus, aliis verò timore potiùs Imperatoris, uti creditum est, quàm amore D
sequentibus.

MCLXVII.... Obiit Nicolaus Episcopus Cameracensis, et Alexander Leodiensis, Rainoldus Coloniensis.

MCLXVIII. Hoc anno Archiepiscopus Philippus Coloniensis, Radulfus Leodiensis Episcopus, Petrus filius Theoderici Comitis Flandriæ, Cameracensis eliguntur.

MCLXXI. Domnus Thomas Ecclesiæ Cantuariensis Archiepiscopus, post multas persecutiones a Rege Angliæ sibi illatas, dolo, ut creditum est, ejusdem Regis ante altare trucidatur: cujus sepulcrum innumerabilibus miraculis a Domino honoratur (*c*).

MCLXXVII.... Obiit Adalardus Cameracensis Episcopus: succedit Rogerus.

MCLXXIX. Willelmus Remorum Archiepiscopus, Apostolicæ sedis Legatus, Lobias venit, comitatus Cameracensi Episcopo et Comite Haynoensi; causam E
adventûs eorum alibi require.

Maxima Synodus Romæ celebratur, in qua Rollandus, qui et Alexander, universalis Papa confirmatur, Octavianus qui et Victor, Guido qui et Paschalis, Johannes qui et Calixtus, Antipapæ damnantur (*d*).

Johannes Abbas, ordinationis suæ anno XX peracto, reddit Abbatiam mense Decembri.

(*a*) Nullum alibi extat hujus Concilii vestigium. Idem fortasse est ac Laudense Junio mense ejusdem anni ab eodem Victore celebratum.

(*b*) Hic se partibus Octaviani addictum ac proinde coævum manifestè prodit auctor; nec mirum, cùm ipse Leodiensis Episcopus, Henricus *Lejan*, ad cujus diœcesim Lobiense Monasterium pertinebat, partes easdem acriter tueretur.

(*c*) More Germanico vel Anglico, anni videlicet initio a Christi Nativitate ducto, necem Thomæ Cantuar. confert Auctor in an. 1171.

(*d*) Alterum hujus chronici scriptorem jam hic animadvertere est, a studio schismatis alienum.

MCLXXX.

Digitized by Google

A MCLXXX. Lambertus Abbas S. Gisleni Abbas Lobiensis efficitur mense Martio, qui cùm mensibus ferè VII Abbatiæ præfuisset, eam resignavit, solâ S. Gisleni Abbatiâ contentus esse coactus.

Ludovicus Rex Francorum obiit : succedit filius ejus Philippus.

EX GENEALOGIA CAROLI MAGNI (*a*)

QUA NAMURCENSIUM COMITUM ET BOLONIENS. ORIGO DECLARATUR.

CAROLUS Dux, frater Lotharii Regis, genuit Ermengardem et Gerbergam.

B Ermengardis genuit Albertum Comitem de Namurco, etc. Albertus genuit Albertum et fratrem ejus Heinricum Comitem de Durbuio. Albertus autem de Namurco genuit Godefridum, et Henricum (*b*) Comitem de Rupe, patrem Mathildis quæ genuit Jacobum Avesnensem. Godefridus autem frater ejus genuit Henricum Comitem Namurcensem, qui caruit liberis, et sororem ejus Alithiam : quæ nupta Hainoensi Comiti Balduino genuit Balduinum,

C qui duxit Margaretam filiam Theoderici Flandrensis Comitis, et genuit filium æquivocum sibi (*c*).

Gerberga (*d*) verò soror Ermengardis genuit Henricum seniorem de Brussella. Henricus senior genuit Lambertum et Henricum fratrem ejus, et Mathildem sororem eorum (*e*). Hanc Mathildem duxit uxorem Comes Eustachius de Bolonia, et genuit ex ea duos filios Eustachium et Lambertum. Eustachius verò accepit uxorem filiam Godefridi [Lotharingiæ] Ducis, Idam nomine, nobilem genere et moribus, et genuit ex ea tres filios, Eustachium, Godefridum et Balduinum. Eustachius frater Balduini Regis Jerusalem duxit Mariam filiam Regis Scotiæ, et genuit Mathildem. Mathildis nupta Stephano, filio Stephani Blesensis Comitis, genuit Mariam Abbatissam [Ramesiæ]. Cùmque defecissent in Bolonia legitimi hæredes, Matthæus filius Theoderici Comitis Flandrensis, licèt illicitè, duxit Abbatissam, et suscitavit semen hæreditarium duas filias generando, et remisit eam ad locum suum.

(*a*) Genealogiam Caroli Magni scripsit anonymus Auctor sæculi XI, qualem edidere Jacobus Baro *le Roy* in suis ad Balduinum Avesnensem notis p. 2, et Acherius T. II. Spicil. *in-fol.* p. 493, nosque post ipsum recudimus T. XI. p. 205. Extat eadem genealogia apud Martenium T. III. Anecdot. col. 1431, ad calcem chronici Lobiensis, ab Anonymo itidem continuata ad annum circiter 1170. Atque hæc ipsa est quam hìc repræsentamus.

(*b*) Apud Jacobum *le Roy* sic terminatur hæc genealogia : *Albertus genuit Albertum, qui nunc mortuus est; a quo procreati sunt quatuor filii, Fredericus Præpositus S. Lamberti, Godefridus, Henricus et Albricus.*

(*c*) Balduinus de Avesnis eamdem genealogiam texuit in hunc modum : « Karolus Dux Lotha» ringiæ, frater Lotharii Regis Francorum, duas » habuit filias, Ermengardem et Gerbergam. De » Ermengarde natus est Albertus Comes Namur» censis, qui genuit Albertum ei succedentem, » et Henricum Comitem de Durbio. Albertus se» cundus genuit Godefridum Comitem Namur» censem et Henricum Comitem de Rupe. Hic » Henricus filiam habuit Machtildem, quæ do» mino de *Walecourt* peperit Werricum et Beatri» cem, uxorem Winandi domini de Hufalisia; mor» tuo autem domino de *Walecourt*, dicta Mathildis » nupsit Nicolao domino de *Avennes*, cui pepe» rit Jacobum de *Avennes*, et Machtildem uxorem » Castellani de Sancto - Audomaro. Godefridus » Comes Namurcensis, frater Henrici de Rupe, » genuit Henricum et Aelidem, uxorem Comitis » Hainoensis Balduini, cui peperit Balduinum Co» mitem. Qui patri succedens in uxorem duxit » Margaretam filiam [Theodorici] Comitis Flan» drensis, ex qua genuit Balduinum Comitem qui » postea fuit Imperator Constantinopolitanus, et » Philippum et Henricum, ac tres filias : quarum » unam duxit Philippus Monoculus (Augustus) » Rex Francorum, qui ex ea genuit Ludovicum; » secundam duxit dominus de Bellojoco; tertiam » Petrus Comes Autissiodorensis ».

(*d*) Nuptiarum Gerbergæ cum Lamberto, Reineri Longi-colli Comitis Montensis filio, hæc fuit occasio : « Comes Flandriæ Arnulfus, (*inquit* » *idem Balduinus de Avesnis*) congregato exercitu, » intravit Haynoniam, et saisivit Comitatum » Montensem contra Rainerum et Lambertum, » filios Raineri Longi-colli qui fuit Comes Mon» tensis et destruxit castrum de *Bossuc*, tantùmque » guerravit illos pueros, quòd oportuit illos fu» gere in Franciam ad quærendum auxilium. » Lambertus duxit uxorem Gerbergam filiam Ca» roli, postea matrem Henrici de Bruxella, et » Rainerus filiam Hugonis Kapeti. Regressi ergo » de Francia magnum exercitum congregaverunt, » et ingressi Haynoniam terram suam recupera» verunt » anno 977; ut enim habet Sigebertus, eo anno *filii Ragineri, ut pro se viriliter agerent, animati Francorum auxilio et affinitate* (*Raginerus quippè Hatwidem filiam Hugonis postea Regis, Lambertus verò Gerbergam filiam Caroli Ducis duxere uxores*) *in terra patrum suorum relocati sunt.*

(*e*) Lambertus et Mathildis nati erant Lamberto et Gerberga, perinde ac Henricus senior Comes Lovaniensis, qui Ottonem filium post se reliquit, ut constat versibus sequentibus, Lovaniensium. Comitum seriem exhibentibus :

Sic tua res agitur, Dux Karole, sicque Ducatum
Lotharicum perdis, dum tua regna petis.
Filius Otto tamen tibi Dux succedit in illo (Ducatu)
Quem sibi confirmat Imperialis apex.
Huic quoque germanam dant chronica scripta sororem,
Nomine Gerbergam, quæ mihi visa fuit.
Hanc sibi Lambertus despondit, quem Raginerum
Hannoniæ Comitem progenuisse ferunt.
Huic quoque successit Henricus filius; Otto
Quem sequitur frustra; nam sine prole fuit.
Hunc quoque subsequitur Lambertus, patruus ejus,
Qui regit has terras, Lovanioque præest.

Digitized by Google

A

EX HISTORIA ANDAGINENSIS MONASTERII (*a*)

AUCTORE ANONYMO EJUSDEM LOCI, VULGATIUS S. HUBERTI, MONACHO.

Apud Martenium T. IV. Amplissimæ Collectionis. col. 943.

Num. 35. GRASSABATUR interea (*b*) dissidium inter Abbatem [S. Huberti Theodericum] et Ducem [Lotharingiæ Godefridum Gibbosum] : Duce quidem a fide patri promissa omninò deficiente, Abbate verò ut eam exsolveret in emancipandis conductis ab eo possessionibus constanter exigente. Sed neque frustrata est imprecatio patris, quam, ut dictum est, filio moriturus ingessit, impositâ conditione vitæ suæ et honoris; nam uxor ejus Mathildis, relicto eo, Longobardiam rediit, B sæpiùsque mandante marito ut rediret, non solùm non obtemperavit, verùm edixit mandanti ut ad se ille veniret.... Sed nec sic quidem apud eam maritalem gratiam obtinuit, spretusque ab ea et inactus ab Italia Lotharingiam rediit....

Num. 38. Interea monitus Godefridus ex mandato Papæ a Coloniensi itemque Leodiensi Pontifice, ut condictam patri veritatem et fidem exsolveret, illeque nec monentes nec arguentes audire curaret, accidit ut domnus Hermannus Metensis Episcopus ad eum Bullonium veniret. Erat autem Dominici Adventûs Dominica secunda *;... in crastinum uterque Abbatem mandavit, venienti Dux officiosissimè assurrexit, et nihil tale de eo speranti, coram Pontifice et quibusdam Curialibus suis, vadium humillimæ satisfactionis genu flexo porrexit; se errasse, se peccasse in Deum et patrem suum est confessus, errorem quoque suum amodò C se correcturum professus....

* An. 1074.

Num. 39. Eodem anno (*c*), Theoduinus [Leodiensis] Episcopus vitâ decessit; exortâque contentione inter quosque potentes agendæ electionis, dum plures fieri voluissent Episcopi, nulli eorum ut Episcopus fieret contigit. Nam Dux Godefridus, qui tum fortè morabatur cum Henrico Rege, cùm vix tenuiter persensisset Episcopum obiisse, precibus suis obtinuit apud eum nemini concedendum donum Episcopii, nisi quem ille præsentaret ei; moxque ad Henricum Virdunensem Archidiaconum misit, et ei ut, remotâ omni dilatione, ad se veniret mandavit. Festinavit ille Duci occurrere, incertus omninò quid vellet. Leodienses verò, pro contentione præfata nullâ adhuc electione firmatâ, ne videretur injuriosum Regi baculum pontificalem paulò morosiùs deferri, ut eum deferret injunxerunt Theoderico Abbati. Quidam autem de Clericis alter alterum anticipans Curiam irrepserant, sperans quisque vel sibi proventurum eventum rei, vel paratus gratiâ D vicissitudinis ferre suffragium alteri. Interea suggessit Dux Clericum adesse cui Episcopium donandum destinasset; dignaretur Rex, ut est ejus donationis agendæ, pro tribunali sedere, et, vocatis Leodiensibus, Episcopum illis constituere. Leodienses vocati, licèt morderentur latenter nemini illorum quod speraverant provenisse, ne tamen voluntati Regiæ quæ in negotio præponderabat, viderentur deesse, Theoderico Abbati ex consilio referendam imposuerunt domni Henrici electionem. Qui cum cæteris assistens Regi, ut erat vir urbanæ elegantiæ, promptusque latialis eloquentiæ : « Eligat, inquit, eum Deus, et ab eo » præelectum nos quoque voluntariè eligendum decrevimus ». Sic domnus Henricus Episcopio donatus, et obsequente Duce, in urbem favorabiliter receptus, non multò post a domno Annone Coloniensi Pontifice solemniter est consecratus.... E

Num. 43. In sequenti solemnitate Dominici Natalis *, Dux Godefridus natalitiam curiam celebravit in magna gloria Trajecti, infelix certè et nimis improvidus sui, et cui ultima fuit pompa hujus suæ ostentationis. Nam inde discedens Frisiam, dum apud castrum Flardingis moraretur, per quosdam necessarios Roberti Comitis Flandrensis in secessu per posteriora percussus interiit. Cujus interitus equidem

* An. 1075.

(*a*) Andaginensis Historiæ, quæ ultra annum 1106 non excurrit, partem proximè antecedentem Videsis T. XI, p. 149.

(*b*) Godefrido Barbato vitâ functo an. 1069, XII Kal. Januarii, *tunc tandem* (inquit Anonymus Andag. nº 33.) *junior Godefridus qui esset apparuit; et recurrente ad se Abbate pro testamento ordinando defuncti patris, non tantùm consilium suum illi negavit, sed etiam minis et injuriis a se absterrendum putavit : inferens instantibus, negotium non ejus temporis esse nunc, non suæ utilitati convenire monachicam congregationem disponere, et militiam sui Ducaminus postponere.*

(*c*) Theoduinus obiit an. 1075, IX Kal. Julias, vel Kal. Julii, ut habet ms. codex Alnensis, in Gall. Christ. citatus.

Digitized by Google

A dolendus omni Lotharingiæ adeò fuit exitialis, ut justitia et pax, quæ ultra memoriam eorum qui erant ejus temporis profecerant sub eo, in brevi, ejus defectu eveniente, deficerent cum eo. Cujus corpus, sicut vivens disposuerat Virduni ad sepulturam transferendum, dum perlatum esset Leodium, Henricus Episcopus tanto amico destitutus, in pompa maximi doloris processit ei cum Clero et populo totius civitatis, perque singulas congregationes præsens ipse circumferri jussit, exceptoque solemniter Missas celebrari instituit.... Morabatur tunc junior Godefridus Marchio cum illo, qui avunculi sui destitutus auxilio, ejusdem Episcopi tuebatur patrocinio....

Anno Dominicæ Incarnationis MLXXVI, gravissima hyems incubuit, adeò ut in *Num.* 49.
Galliis Ararim, Rodanum, Rhenum, Ligerim; in Germania Albam, Visdam et Danubium; in Italia Eridanum, permaximos fluvios, ut taceatur de minoribus,
B tanto gelu constringeret, quòd, mirantibus circummanentibus incolis, quasi per solidam terram pervii fierent....

Sub eodem tempore, adfuit Theoderico Abbati legatio Elinandi Laudunensis *Num.* 50.
Episcopi, ut si quid apud eum posset vel ipse vel Ecclesia commissa, concederet fratrem unum suæ institutionis, quem ordinaret Abbatem Ecclesiæ S. Vincentii Martyris. Id cùm Abbas omninò recusaret, Episcopus verò hoc ipsum bis terque importuniùs reposceret, tandem relato consilio ad communem audientiam Capitolii, unanimi fratrum electione domnum Adalberonem deduxit, eumque, se
C præsente, Abbatem Ecclesiæ B. Vincentii ordinari concessit. Et ut memoretur idem Adalbero quis aut unde fuerit, fuit nobilis prosapiæ Suevus et multiplicis scientiæ, Constantiensis Ecclesiæ Clericus. Hic Duci Godefrido juniori ab Italia revertenti familiariter adhæsit, qui, quamdiu advixit, habitus est apud eum amicitior amicissimus; sed illo interfecto, cùm se Adalbero junxisset Godefrido adolescenti, quem avunculus adhuc vivens adoptaverat ut hæredem sibi, inter illum et Albertum Namurcensem Comitem orta est gravissima discussio pro castello Bulloniensi. Qua de re nominato apud S. Hubertum inter utrumque colloquio, cum Godefrido adfuit ibi et Clericus Adalbero....

Nec multò post Godefridus Theodericum Comitem (*a*) cepit, qui filius Gerardi *Num.* 54.
Flammensis, Regi etiam Henrico admodùm familiaris, in quibus poterat adversabatur juveni: quem Bullonium deductum satis liberaliter jussit servari.... Hic igitur post dimidium ferè annum in eadem captione obiit, et jam moriturus Coloniam se deferendum familiaribus suis indixit.... Actum anno Incarnati Verbi MLXXXII. Hoc eodem anno, refirmavit Episcopus Henricus castrum *Mirvolt*.

Increscentibus autem inimicitiis inter Albertum Namurcensem et Godefridum *Num.* 55.
D Bulloniensem, Albertus pro guerra Bulloniensi Mirvoldense castrum latenter refirmare disposuit. Id cùm Henricus Episcopus deprehendisset, tum quia Godefrido omnimodis favebat, tum quia per hoc vexandum Episcopium timebat, anticipavit prævenire intentionem Alberti; et a Richilde Comitissa Montensi ipsum montem cum Comitatu et banno et cæteris ejus appendiciis, scilicet *Braz* et Griuspontem, cum omnibus utilitatibus suis et familia, taxato pretio comparavit, sicque castrum maximis impensis refirmavit. Cui cùm quasi ad custodiam provinciæ milites deputasset, illi, cogente inopiâ, facti sunt publici prædones, non solùm villarum pauperes, sed etiam ipsam Abbatiam S. Huberti assiduis incursionibus vexantes....

Henricus Episcopus imminentem Dominici Natalis * solemnitatem apud S. *Num.* 62.
Hubertum celebravit, ubi et in sequenti Quadragesima ordinibus exactis, Leo- * An. 1085.
E dium rediit. Abbas verò jam diu suspensus de promissione quâ Episcopus dejiciendum castrum [*Mirvolt*] condixerat illi, ut jam tandem experiretur eventum rei, aggressus est eum Leodium prosequi, in quarta feria Paschalis hebdomadæ.... Quem Episcopus benignè exceptum introduxit in Capellam,.... et conversus ad Abbatem in agonia constitutum: « Scio, inquit, quid quæras, carissime pater; » scio quid desideres, quidve in posterum verearis ex malitia quam vides præ- » sentis temporis: cujus ne mihi apud Deum, ut multotiens minaris, imputetur » occasio, castrum quod dejiciendum affectas, tuæ hodie voluntati et potestati » permitto, ipsumque montem cum Comitatu et omnibus quæ sunt ejus ditionis, » in perpetuum Ecclesiæ tuæ possidendum legaliter contrado, meque totum tibi

(*a*) Albericus ad an. 1081, *Quidam Comes Theodericus*, inquit, *filius Gerardi Florinensis, apud S. Hubertum sepultus est. Hujus Theoderici fuerunt filii Gerardus et Gosvinus.*

Digitized by Google

» et filiis tuis gratiâ hujus vicissitudinis Domino Deo commendandum specialiter A
» committo ». Statim Abbas lacrymatus præ gaudio, ad pedes ejus procumbit, quem Episcopus et ipse genu flexo levans humiliter, hoc eum fecisse castigavit. Nec moratus Abbas omnem eventum rei Lamberto majori, quem ad custodiam castri custodiendum reliquerat, scripto mandavit, et ut ad evertendam altitudinem Sathanæ, quibus viribus posset, accingeretur, per obedientiam indixit. In crastinum summo mane, redditis sibi litteris, Lambertus, ascenso equo, circumquaque pervolavit, et publicâ exactione quoscumque potuit ad castrum quantociùs convenire compulit; et ne quis prætenderet occasionem vel remorandi vel excusandi, velut quâdam anxietate animi insimulabat minaciter necessitatem instantem propellendi periculi, ex banno Episcopi amissionem rerum suarum intentans singulis, nisi adessent tuendæ munitioni et firmando aggeri. Emotâ igitur rusticorum, maximè verò carpentariorum multitudine, horâ nonâ Lambertus ad B
castrum rediit, accinctusque in primis cum fratribus ibidem commorantibus, turrim ascendit, et nisi priùs videret dejectum ejus apicem, se omninò non gustaturum juravit. Videns rusticos exemplo ejus incitatos quasi seipsos vindicantes in publicum hostem totius provinciæ certatim insurgere, ad summa turris convolantes tectum cum trabibus evolvere, parietes abruptis compagibus dissolvere, mœnia ipsa cum propugnaculis eversa funditùs eruere, tot impensas totque labores cum maximo collisionis fragore in brevi concidisse; sequenti feriâ sextâ Abbas ab Episcopo rediens, cùm prospiciens turrim non videret unde videri solebat a longe, suspiciens in cœlum, quantociùs de equo descendit, terramque deosculatus, *Te Deum laudamus* devotissimè decantavit. Et cùm pervenisset ad castrum, et ipsum jam nudum aggerem dejectæ turris suspiceret, elevatâ contra eum manu : « Dissolvat te, inquit, virtus omnipotentis Dei, qui nutu suo muros Je- C
» richo corruere fecit ». Nec priùs abstitit, quàm duodecim libras denariorum pro conducendis operariis ad eumdem tumulum complanandum deputaret, præter eos qui exacti convenerant ad castri destructionem.

Num. 63. Per idem tempus Richeldis Comitissa Montensis rediens Româ, per fiscum suum Caviniacum transire disposuerat : cujus transitum cùm persensisset Arnulphus Chisniacensis, ut erat audacis militiæ, insecutus eam capere voluit. Quem, Deo juvante, effugiens, ad Ecclesiam S. Huberti divertit; et officiosissimè ab Abbate Theoderico excepta, per hebdomadem in loco repausans substitit. Interim fratrum religione perspectâ diligenter, et multiplici obsequio sibi hilariter impenso delectata, Caviniacum quod, ut dictum est, Abbati deposuerat in vadium, obtulit Ecclesiæ funditùs emendum : quod cùm Abbati omnique congregationi placeret, communi consensu dies præfixa est coemptionis hujus agendæ, D
et hoc coram Episcopo apud castrum Fossense. Procuratus est quoque ibi Comes [Namurcensis] Albertus ab Abbate : qui eam reducens in sua constituit securitate.... Conveniente ergo Comitissâ Richilde cum filio sùo Balduino, renovata est coram Episcopo et Duce Godefrido conventio condicta de Caviniaco : cujus pretii summam cùm Episcopus contraxisset ad marchas trecentas, præter septingentas quas olim Abbas in vadium superposuerat ei, mater cum filio ipsum fiscum perpetuò habendum Ecclesiæ B. Petri et B. Huberti, per cespitem et ramum ejusdem allodii, legaliter in manus Episcopi et Abbatis, Ducis quoque Godefridi ecclesiastici Advocati contradidit, et publicâ audientiâ sibi eum et quibusque hæredibus suis uterque funditùs abjuravit....

Num. 67. Anno Domini MLXXXVI, ordinationis verò suæ XXXII, Theodericus Abbas non solùm senio, sed et confectus jejuniis, orationibus et vigiliis, laboribus etiam et E
curis commissæ sibi pastoralitatis, ab ipsa licèt pertenui virtute corporis circa mensem Julium deficere cœpit.... cujus statim migratione vulgatâ, occurrunt certatim ad tanti viri exequias Godefridus Bulloniensis, Albertus Namurcensis, Arnulfus Chisniacensis, Cono Montis-acuti, Curiales, cum popularibus indifferenter admixti, quasi patrem patriæ se amisisse conquerentes lamentatione communi.... Eo tandem sepulto, Episcopus obtulit fratribus eligendi Abbatis optionem, protestatus se inde nolle recedere, nisi eis loco defuncti ordinaret patrem. Convenit in unam sententiam et fratrum electio et Curialium attestatio et popularis acclamatio, donandam eamdem Abbatiam Theoderico Præposito....

Num. 77. Rogerus Porcensium Comes ante ipsum Porcense castrum trans fluvium Axonam Ecclesiam in honore B. Thietboldi ædificare cœperat, ibique deputatis

Digitized by Google

A quibusdam rerum suarum possessionibus, quæ in privilegio ejusdem Ecclesiæ renumerantur, Cœnobium alicujus magni nominis, ut erat magnanimus, extruere meditabatur. Sed a suis proditus et in captione dehonestatus, cùm se non posse prosequi quod nimis distulerat, videret; tædio quoque nimio affectus dehonestationis suæ, filiam suam Sibyllam Godefrido filio Alberti Comitis Namurcensis uxorem (*a*) dedit, ipsumque Porcensem Comitatum cum omnibus quæ erant sui juris, patri et filio, maximâ pretii summâ ab eis acceptâ, vendidit: quorum consensu unanimi et dono legali Cellam prædictam B. Thietboldi Theodericus Abbas Ecclesiæ B. Huberti et B. Petri perpetuò habendam obtinuit....

Henricus Episcopus, ut erat vir tuendæ virtutis, Otbertum quemdam Præpo- *Num.* 80.
situm Ecclesiæ S. Crucis criminibus convictum, de civitate decreverat omninò exturbandum. Ille verò proripiens se ad Beringerum Abbatem S. Laurentii venit,
B et apud eum tamdiu latuit, donec eo suffragante in gratiam Episcopi rediit. Sed non multò post, collectis rebus suis, Henricum Regem adiit, qui a Gregorio Papa per decennium excommunicatus, quibus poterat expeditionibus Romanam Ecclesiam persequebatur.... Anno autem Verbi Incarnati MXCI, suæ verò ordi- An. 1091.
nationis XVI, domnus Henricus hominem exuit in damnum gloriæ Leodiensis, et maximo dispendio nostræ quam specialiùs colebat solitudinis. Cujus vix auditâ Otbertus morte, sine electione Ecclesiasticâ de manu Regis Episcopatum extorsit cum maximis pactis præmiis, tamen etiam fidelitatem illi faciens interpositione jurisjurandi.... Contulerant se ad eumdem Principem duo quondam pseudo-Abbates, Guolbodo S. Laurentii et Leupo S. Trudonis, quos convictos et excommunicatos, criminibus probatis, domnus Henricus ab Episcopio Leodiensi expulerat. Hi, auditâ ejus morte, adducti in spem recuperandi honoris, et ipsi pacti
C sunt pecuniam Principi. Otbertus quoque restitutionem eorum ad gratiam ejus juravit, illos quoque secum Leodium deduxit....

Interea Metensis Ecclesia viduata Herimanno (*b*) venerabili Pontifice, elegit *Num.* 83.
sibi Episcopum ordinandum Burchardum Præpositum Trevirensis Ecclesiæ: qui sine consensu Henrici Regis in civitate susceptus, cùm a Trevirensi Pontifice benedici vitaret, eò quòd ille Wiberto, ipse verò Urbano consentiret, evocavit ad se consecrandum Hugonem Archiepiscopum Lugdunensem et Legatum Ecclesiæ Romanæ. Hugo, ut erat devotus catholicæ fidei, Mediomatricum intrepidus accessit, quinque comitatus Episcopis, Constantiensi, Madesconensi, Lingonensi, Tullensi, Virdunensi, Jaronta quoque Abbate Divionensi....

Grassabatur tunc inter Otbertum et [Henricum] Lovaniensem Comitem inexorabile *Num.* 96.
dissidium, et ex eo inter utrosque medium gravissimè opprimebatur Episcopium,
D Comite ipsam civitatem frequentibus assultibus impetente; Oberto quoque, collectâ expeditione, debellare Comitem destinante. Hâc occasione, condictâ die, convenerant in civitate Principes provinciæ convocati, ut in tali dissidio consulerent rebus Ecclesiæ. Cùmque inter consulendum inferret Obertus prædictum Comitem jam se excommunicasse, sed illum nullo modo id curare; subintulit Dux Godefridus arridens, dictum sibi ab eodem Comite excommunicationem illius nullam apud se constare, nisi Abbas Theodericus de S. Huberto eam sibi auctorizaret, ut aut ab eo se absolvi reposceret, aut illi quasi ab eo excommunicato universalis Ecclesia non communicaret. Ad hæc Obertus cùm penè fureret, et nimis illoto sermone furori satisfaceret, juravit cum indignatione, malle se mori quàm respectu talis tamque vilis personæ se infamari, vel despici, si quid usquam valeret ipse vel sui. Cùmque ipsis quoque Principibus iratus opponeret, in hoc eos fidelitati
E S. Mariæ sanctique Lamberti deesse, quòd sic impunè paterentur deprimi auctoritatem Leodiensis Episcopi, nullo modo id illos decere pati, si qua illis subesset cura sui honoris; commotus ad hæc Dux ipse in primis, Albertus quoque Comes Namurcensis, et Henricus Dux Hoïensis, Cono etiam Comes Montisacuti, sed et præfatus Arnulphus Chisniacensis, ut erat diversus a se cum genero suo Dodone Cunensi, responderunt se quidem fideles S. Mariæ sanctique Lamberti esse; sed in hoc nimis patienter hanc ipsam fidelitatem hactenùs dissimulasse, quia dissensionis hujus causas neglexissent inquisisse. Consensu ergo unanimi cœperunt insistere, ut diem constitueret inter se et Abbatem quæstionis agendæ....

(*a*) Idem an. 1088 narrat Albericus. A Godefrido postmodùm Sibylla discessit, ipsoque vivente, alteras cum Ingelranno Comite Ambianensi, nec- non Codiciacensi Toparcha, nuptias confecit.

(*b*) Herimannus vitâ functus est, an. 1090, ex Sigeberto.

Digitized by Google

Cùmque defensione Ducis et conductu tantus tamque vulgatus conventus speraretur agendus Leodii, imminente natalitio Apostolorum Petri et Pauli, ipsâ eâdem die cum Comite Arnulpho se Remis futurum [Dux] publicè condixit, ut ejus causam cum Raynaldo Archiepiscopo ageret, [utque] de Mosomensi castro quod incenderat et vastaverat, concordaret.... A

Num. 97. Erat castrum inter Hoïum et Leodium, quod Mons-clarus dicebatur, quodque infestissimum sibi navigantes per Mosam Otberto conquerebantur. Tot illorum querelas et injurias cùm ille diu indignaretur pati, collectis viribus, obsidere castrum destinavit. Huic obsidioni disponendæ Ducem Episcopii et Principes evocaverat, jamque ordinatâ expeditione ante castrum constiterat, cùm subitò Dux, arrepto tempore, Otbertum inclamavit, eique publicè consilium suum et auxilium excusavit, nisi Abbatias S. Huberti sanctique Laurentii in suo statu reponeret, et eas quas vendiderat, ejectis emptoribus, per condignas personas gratis ibidem ordinatas disponeret... Otbertus tali tamque insperatâ compressus exactione, licèt intelligeret hoc se non rectè fecisse, conabatur tamen sibi prætendere non solùm suæ malignitatis velamen, sed et multorum Prælatorum probatæ hæresis defensionem : contestatus non se in benedictionibus suis gratiam Dei vendidisse, sed potiùs eas gratis contulisse; non autem sibi videri injustum, si de possessionibus Ecclesiasticis suum exigeret commodum, quas non habentibus distribuebat ad habendum. Hæc pestis de Francia transfusa in Lotharingiam, quàm sit detestabilis Petrus Damianus Alexandro Papæ hujusmodi invectione (*a*) deplanxit. Sed ut ad rei ordinem redeamus, Otbertus prædictâ Principum exactione compressus, licèt quasi obtorto collo cogeretur velle quod nolebat, de Abbatum restitutione benignè tamen pro tempore respondit, et ex eorum sententia quidquid inde censerent se facturum promisit.... B C

Num. 102. * An. 1095. Eâ tempestate *, hortante Papâ Urbano, una eademque intentio totius Occidentis Christianos exciverat populos, videlicet armatos Jerosolymam adire, et Medos et Persas qui eam invaserant, debellare, terramque promissionis sibi tenendam subjugare. Huic expeditioni non solùm diversæ ætatis populares, sed etiam ipsi provinciarum consenserant Principes, et spontè posthabitis uxoribus et filiis, honoribus quoque et patrimoniis aut omninò relictis, aut pretio distractis, festinabant captare incerta pro certis. Cum his Godefridus Dux ire disposuerat, et causâ parandi commeatûs, Bulloniense castrum Otbertò venale exposuerat. Causâ hujus negotii exequendi Ida mater Ducis ejusdem Bullonium venit : quæ videns deperiisse eleemosynam patris sui majoris Godefridi, et Monachos discessisse ab Ecclesia B. Petri (*b*) consensu filii sui Godefridi, qui remissis fratribus ad matrem Ecclesiam B. Huberti, hortatu domni Henrici Pontificis iteratâ donatione legali, quidquid erat eleemosynæ prædicti avi sui in rebus mobilibus vel immobilibus, B. Petro et B. Huberto tradiderat coram testibus idoneis, graviter tulit et Abbatem Theodericum ad se venire mandavit : a quo dum quæreret cum mœrore cur vel quomodò memoria patris sui in loco illo defecisset; respondit Abbas, id fratri suo et filio suo imputandum, qui subtractis redditibus adnihilassent locum, omnesque destructores ejus nosset excommunicatos secundùm Alexandri Papæ privilegium. At fœmina virtutis sollicita pro patre salvando, itemque fratre et filio absolvendo, Abbatem cum lacrymis adorsa est orare, ut curam Ecclesiæ B. Petri resumeret, et repositis ibi fratribus, periculum eorum qui in Deum et patrem suum peccaverunt absolveret. Ad hæc Abbas cùm negaret se posse quod cogebatur velle, mater filium suum impulit porrigere illi humiliter vadium satisfactionis, utque veniam excommunicationis obtineret, Ecclesiam matrem de Soltiaco-rivo cum capellis illi subjectis, itemque Capella S. Johannis et præbendis ibi deservientium Clericorum, omnibusque ejusdem Capellæ mobilibus et immobilibus, ita ut decedentibus Clericis qui erant tunc temporis, omnia subjaceant Monachis, procurante Abbate Capellano * qui deserviet castro et populari parochiæ, sicut avus suus Godefridus major B. Petro donaverat legaliter, ipse quoque fratribus ibi reponendis publicè recognosceret. Quod cùm Godefridus in audientia nobilium suorum sine ulla retractatione vel contradictione solemniter fecisset, ipsa Ida Comitissa matrem Ecclesiam in Baseio-villa, quæ propria ab D E

* Capellanum.

(*a*) Vide Damiani epistolas lib. I, ep. 13.

(*b*) S. Petri Bulloniensis Cellam a Godefrido Barbato fundatam Godefridus Bulloniensis Abbatiæ S. Huberti unierat, remissis ad matrem Ecclesiam Monachis : sed hortatu matris suæ Idæ, an. 1095 iidem in Cellam S. Petri restituuntur.

Digitized by Google

A antiquo sui patrimonii in Bracbante erat sita juxta Nivigellam, Ecclesiæ B. Petri et B. Huberti tradidit habendam pro anima patris sui Godefridi Barbati, itemque pro fratris sui Godefridi, filiique sui ibidem præsentis, eamdemque donationem legali privilegio et legitimis testibus confirmari, fratres etiam in sui præsentia ab Abbate reponi obtinuit apud Ecclesiam B. Petri. Otbertus gloriæ suæ studens prædictum castrum oblatum sibi concupivit, et mille quingentas argenti libras pro eo Duci condixit....

In eodem anno *, Kalendis Junii, Otbertus castrum *Mirvolt* non longè situm a Monasterio ad desolationem circumjacentis provinciæ refirmavit, quod obtentu domini Theoderici majoris Henricus Episcopus dejecerat sub interminatione perpetui anathematis.... Non multò post, eâ ipsâ die anniversariâ quâ B. Huberto prædictam fecit injuriam, Otbertus captus est a Comite [Limburgensi] B Henrico; et Durboium usque deductus incitato equo et satis feroci, durissimè et inhonestè collisus vix mortem evasit; sed et quamdiu ex tunc supervixit, nunquam adversitatibus et dedecorosis oppressionibus caruit.... *Num.* 110. * An. 1099.

[Anno MCVI] Arnulphus Comes Chisniacensis in hoc* loco Kalendis Aprilis Monachus factus, XVI Kal. Maii obiit.... Pridie autem Kalendas Maii, apud *Dolhem* sub Leodio, obiit Comes [Montis-acuti] Cono, indeque se petente relatus, sepultus est Dinanum sibi diu loco electo: qui ante decem annos Hierosolymam cum Duce Godefrido [perrexerat]. *Num.* 129.

EX GESTIS ABBATUM TRUDONENSIUM

C

AUCTORE RODULFO (*a*) EJUSDEM LOCI ABBATE.

Apud Acherium T. II. Spicil. in-fol. p. 667, *in* 4°. *T. VII, p.* 344.

ANNO Dominicæ Incarnationis millesimo octogesimo secundo, obiit Abbas Adelardus II, VIII Idus Decembris; tertio verò Idus Augusti Capitulum actum est super confratres nostros a duobus Episcopis, Herimanno scilicet Metensi et Henrico Leodiensi, quâ nocte dispersi sunt omnes confratres nostri, præter paucos quos superiùs nominavimus. Nono autem Kal. Decembris, Lanzo Abbas S. Vincentii Metis, ordine memorato in secundo libro, Abbatiam nostram regendam suscepit. Tertio verò anno introitûs ejus combustum est Monasterium nostrum, scilicet septimo Idus Martii anno MLXXXV. Lib. III. An. 1082.

D Hildebrandus Papa, qui et Gregorius VII est appellatus, et Henricus IV Romanorum Imperator qui Leodii obiit, filii persecutionem fugiens, gravissimis dissidiis regnum et Sacerdotium hàc illàcque miserabiliter distrahebant. Quare Imperator faventium sibi Episcoporum Moguntiæ Concilio habito, suique Papæ Clementis appellati, Ravennensium scilicet Archiepiscopi, auctoritate, ut sibi videbatur, roborato, Herimannum Metensem Episcopum hostem imperii publicum adjudicari fecit in eodem Concilio, totoque alienari (*b*) Metensium dominio, Abbate quodam S. Arnulfi Metis, Gualone dicto, Episcopo pro eo supposito.

Interea Luipo, unus de fratribus nostris, ab Imperatore tandem obtinuit ut, suscepto dono Abbatiæ nostræ de manu Imperatoris, per duos Comites ejus in eam introduceretur, Gerardum scilicet de castello quod dicitur de *Guassenberge*, E et Gosuinum avunculum ejus, de castello quod vocatur *Heinesberge*. Hæc autem eâ geri videbantur ratione, quia absque electione domnus Lanzo introierat fratrum electioni suppositus, Episcopatusque Metensium qui Herimanno abjudicatus videbatur, in manu Imperatoris habebatur, cujus capiti (*c*) inhæret nostra

(*a*) Rodulfus præfuit Trudonensibus ab anno 1107 ad an. 1138. Totus est in rebus sui Monasterii, cujus historiam tredecim libris complexus est, si, ut vult Acherius, de seipso sub aliena persona verba facit in postremis sex libris. Ejus scriptionem haud inelegantem fide dignam censemus; ait enim Radulfus: *Excusatum me rogo habere lectores hujus mei opusculi, si minùs quàm velletis certos vos reddidero ex his de quibus ipse certior esse non potui.... A secundo autem Adelardo usque ad me, quidquid referam, aut ipse vidi aut videre potui, et quæ non vidi, eorum relatione qui hæc viderant, didici.* Pauca tamen ex multis excerpsimus quæ ad rem nostram facere visa sunt, ut ea prosequamur quæ T. XI superiori, p. 204 edita sunt.

(*b*) Herimannus ab urbe Metensi bis pulsus est, ex Sigeberto. Primò an. 1078, secundò an. 1085, quo abjudicatus ei est Episcopatus.

(*c*) Quâ ratione Metensi Episcopo subjecta esset Trudonensis Abbatia explicatiùs aperit Rodulfus p. 674: *Quoniam*, inquit, *temporale bonum nostrum ad Metenses pertinet, curaque animarum tantùm ad Leodienses.*

Digitized by Google

Abbatia. Quare Imperator Lanzonem tanquam invasorem removere posse sibi videbatur, et fratribus nostris suum Electum dare. Nostro tamen judicio non videtur cohærere hæc ratio, cùm si quid contra Canones actum esset ab Episcopis in nostros de Lanzone, Apostolicâ potiùs coercendum esset auctoritate, quàm illicitâ
* An. 1085. Imperatoris potestate... Intravit igitur septimo Kalendas Junii * in pompa magna militum, quâ die secunda feria fuit Rogationum: cujus tyrannidem Lanzo veritus intra parietes se continuit; turrim præoccupans cum paucis Monachis, vitæ sibi eam solatium fecit.... Post hæc nihil moratus Luipo Metis proficiscitur, et redditum Gualoni baculum, qui super Herimannum Episcopus ibi dicebatur, ab eodem recipit, præsentibus ibi de fratribus nostris multis et de oppidanis melioribus. Episcopus Leodiensis de hac præsumptione Luiponis, contemptuque Ecclesiæ S. Lamberti, suis tam Abbatibus quàm Archidiaconis totique simul Ecclesiæ conquestus, eorum judicio Luiponem excommunicat decimo-septimo Kalendas Julii, Octavis scilicet Pentecostes, omnesque adhærentes ei....

Pag. 668. Igitur Luipo quid faceret? Episcopum Henricum inexorabilem prorsùs sibi videt: rem igitur ad Imperatorem iterùm atque iterùm refert.... Nec mora, fautores ejus consilio similiter habito de munienda turri nostra deliberant, ut quidquid munitioni et obsidioni videbatur esse necessarium, parent. Eliguntur ad tale negotium juvenes audacissimi, multarum in corpore et parentela virium, sed paucissimi consilii; ut si Episcopus Leodiensis Lanzonem reducere vellet, timor turris ab illis occupatæ eum a reditu arceret, donec dominus eorum Luipo ab Imperatore pace habitâ rediret.... His et aliis innumerabilibus nostrorum præsumptionibus provocatus Leodiensis Episcopus, movit tandem exercitum ad expugnandam non jam turrim Ecclesiæ, sed speluncam latronum. Igitur Nonis
* An. 1085. Julii *, feriâ secundâ, obsessum est ab eo oppidum nostrum, ipseque resedit ante portam illam quâ exit Sarchinium. Erat tunc temporis totum oppidum nostrum vallo fortissimo munitum, atque desuper postibus fortissimis magnisque trabulis coronatum; super singulas portas turres ligneæ eminentiùs ædificatæ, stratæque per medium et vestitæ per circuitum cratibus firmissimis, et nullis sagittarum acuminibus perviis. Præterea turris Monasterii fortissima quasi arx excelsa, in mediò oppidi instar montis eminebat, qualem non deceret tunc temporis habere Monasterium, sed civitatem bellicosam aut castellum regium. Tunc fortissimus Monasterii murus, qui in anteriori anno, concrematis tectis, adhuc totus stabat nudus, longo suo exteriùs gyro et amplo interiùs spatio, amplissimos et plenos securitatis præbens illis qui in turre morabantur recessus. His namque freti munitionibus, tum multitudine maximâ bellicosorum magnæque audaciæ virorum, quibus semper abundasse oppidum nostrum scitur, primâ die obsidionis frequentes temerariosque nimis faciebant in exercitum excursus, ita ut Episcopum loco moveri facerent, et majorem suorum revocare multitudinem; potuissentque non multùm timere illam obsidionem, nisi propter injustam eorum causam et domûs Dei prophanationem, Deum vindicem habuissent expugnatorem. Orta igitur sequenti statim die inter eos est seditio, aliis de deditione murmurantibus, aliis de repugnatione conclamantibus. Itaque invitis qui turrim occupaverant, alii quos jam pœnitebat incœpti, obsides Episcopo tradunt, ut sanis rebus suis et corporum concessâ sibi incolumitate, Episcopus cederet ab obsidione, oppidani a rebellione....

Erat tum temporis adhuc inter Brustenienses et Trudonenses gravissimum et antiquum belli jure dissidium, quorum alterutros nunc lancea, nunc sagitta, plerumque et gladius usque ad quamplurimos et de melioribus viris voraret. Itaque Brustenienses intelligentes de pace facienda inter nostros et Episcopum, gravissimè ferunt, et quidquid illud sit, audent moliri ad nostrorum excidium. Postpositâ igitur fide quâ Episcopus obsides nostros susceperat, eâdem horâ quâ ante eum venerant, per quosdam recessus ultra vallum in oppidum nostrum transiliunt, nostris nihil minùs quàm id suspicantibus pro pace laudata et datis jam obsidibus, et imò remissè positisque armis se continentibus. Priùs ergo silent, igne injecto, deinde pedestri populo clamoribus in idipsum concitato; deinde igne et ferro totum invadit exercitus oppidum nostrum, spe prædæ captivandorumque cupiditate, non respicientes ad reclamationem fermèque solum relictum Episcopum: qui nihil Brusteniensium insidiarum sibi conscius, ægrè nimis ferebat pro acceptis obsidibus, lacrymasque et grave suspirium dicitur fudisse, cùm victricem

A victricem flammam videret Ecclesiam B. Mariæ semper Virginis corripuisse. Nostris licèt serò, ad arma tamen audenter convolantibus per plateas, per compita, per notos sibi meliùs quàm illis viarum recessus, multus hostium sanguis effunditur. Hinc tamen eos igne, hinc armis circumvallantibus, inque fori medio gravissimum commissum est prælium, armorum collisione et gemituosâ humani sanguinis effusione tetra et miserabilis facta est diei illius facies, horribilis quoque et cruenta tota fori planities. Prævaluit tandem multitudo, et nostros in atrium retrogrado cogunt vestigio... Quid tandem? Totâ die pugnatum est; noctis supervenientis beneficio cessaverunt utrimque hostes; in toto oppido nostro nec minima domuncula die illâ superfuit incendio. Nocte illâ qui supererant de nostris fugâ dilabuntur, quippè qui nihil congregaverant sibi unde in Monasterio sustentarentur. Pauci qui erant in turre et qui tantorum malorum pars fuerant, licèt
B ambigui, necdum tamen illâ nocte recesserunt; sed missis nunciis ad Comitem Arnulfum de *Los*, turrim ei tradiderunt.... Acta sunt hæc octavo Idus Julii *. * An. 1085.

Interea Comes Arnulphus de *Los* turrim nostri Monasterii pro præsidio habebat. Cùmque in Monasterio nostro nec puer, nec juvenis, nec senex, nec quisquam Monachorum tandem remansisset, nudosque semirutosque Monasterii et claustri parietes solitudo cum nimio horrore nocte et die inhabitaret;... tandem Episcopus Leodiensis misertus miseriæ loci, tam quondam gloriosi quàm nunc ignominiosi, eodem anno, parùm scilicet ante Augustum, remisit ad locum nostrum Præpositum Gerardum... Lanzo autem Abbas novissimus suorum omnium rediit, decimo scilicet Kalendas Martii * die natalis S. Eucherii;... sed erat * An. 1086.
odibilis supra modum penè omnibus oppidanis, dicentibus eum causam fuisse malorum quæ acciderant eis. Tunc tandem milites Comitis Arnulfi recesserunt
C de præsidio turris, et oppidum nostrum cœpit licentiùs inhabitari...

Metensis quoque Ecclesia, cujus nos membrum sumus, tantò aliorum fluctuum gravissimâ quatiebatur collisione, quantò caput cætera quælibet membra solet supereminere. Itaque Gualo, quem superiùs diximus Episcopo Metensium Herimanno superpositum, videns quia nihil proficeret; quinimmò veraciter cognoscens quia se graviter apud homines infamasset, apud Deum condemnasset, quia scilicet illicitâ ascensione viventis adhuc patris sui cubile maculasset, pœnitentiâ ductus ad humillimam satisfactionem, Herimanno venit coram omnibus *Pag.* 670.
majoribus et religiosioribus Episcopii, proque emendatione tam illiciti facinoris positus in Cœnobio Gorziensi sub disciplina, factus est custos puerorum, qui antea dicebatur Episcopus Metensium. Postea tamen vidimus eum Abbatiam suam recepisse, scilicet S. Arnulfi Metis, compulso ad miserationem ejus He-
D rimanno Episcopo super pœnitentiam humillimè pœnitentis. Verumtamen Imperator Herimannum nec sic esse quietum sinebat: statim enim contra eum et super eum Metensibus alium figuravit Episcopum, Brunonem scilicet [filium] Comitis de *Caluch*, hominem quidem nobilem, sed levissimum, inque solo mendacio gravissimum, cujus frater Godefridus postea extitit Comes Palatinus.... Metenses cùm insolentiam ejus ferre non possent, stultâque ejus suorumque superbiâ, Deo ita Lib. IV.
volente, provocarentur, armis tandem in eum irruerunt, et intra Monasterium *Pag.* 671.
B. Protomartyris inclusum obsederunt: sed foribus tandem super eum fractis, milites ejus hàc illàcque per Monasterium gladiis lanceisque confoderunt, quosdam super ipsa altaria immolantes, quosdam ipsis altariis contortis spiculis affigentes. Itaque Bruno vix elapsus, tam honore quàm nomine Episcopi eâ ipsâ die penitùs est privatus a Metensibus....

E Interea auctore hujus mali Brunone ab urbe Metensi et Episcopio irremeabiliter, ut superiùs dixi, expulso, Herimannus Episcopus ad suam rediit (*a*) sedem, *Pag.* 672.
non tamen adhuc satis securus propter Imperatorem.... Parvo interea prætерlabente tempore, ambo Episcopi moriuntur, Herimannus Metensis, Henricus Leodiensis. Imperator autem in Longobardia morabatur. Sicque factum est ut quisque terræ nostræ potentium, quantùm vellet, usurparet sibi quæ suis adjacebant vel interjacebant partibus. Igitur Comes Henricus Lovaniensis, cujus defuncti frater Godefridus Comitatum tenuit, qui etiam primus Lovaniensium postea Dux exstitit (iste quidem Henricus potentior tunc habebatur in nostris

(*a*) Herimannus an. 1089 in sedem suam revocatus, teste Hugone Flaviniacensi, *quarto anno egressionis suæ, Metis recipitur cum omnium affectione.* Obiit autem an. 1090, IV Nonas Maii. Henricus verò Leodiensis Episcopus an. 1091.

Digitized by Google

partibus : et quoniam mortuo Henrico Episcopo, nulloque alio ei substituto, A
non erat qui Ecclesiasticæ rei resisteret viribus etiam sæcularibus, neque ipse
etiam Dux eum offendere auderet) Luiponem in Abbatiam nostram restituit,
Fratribus ita volentibus, laïcisque partim assentientibus, partim contradicere
Pag. 673. non audentibus.... Nunc verò quidam Canonicus S. Lamberti, Otbertus no-
mine, Præpositus in eadem civitate in Monasterio S. Crucis, jamdudùm ad Im-
peratorem in Longobardiam profectus fuerat, spe adipiscendi Episcopatum Leo-
diensem, sicut et adeptus est. Videns ergo Luipo opportunitatem temporis ad
confirmandum se in Abbatia nostra, circa Autumnum et ipse ad Imperatorem in
Longobardiam profectus est.... Obiit autem Kalendas Augusti, vix post conse-
crationem suam vivens in Abbatia duobus annis....

Lib. V. *Pag.* 674. Interea necdum cessante dissidio quod erat inter Metensem Episcopum et Im-
peratorem Henricum, Imperator partem illam dominicalem quam Metensis B
Episcopus apud nos habere videbatur, tradidit in beneficio Comiti Arnulfo de
Los : quòd indignè ferens Henricus Comes de *Lemburg*, quoniam major apud
nos erat Advocatus, introivit oppidum nostrum cum aliquantis equitibus, usur-
pans sibi quod Comes Arnulfus in eo habere videbatur.... Interea Comes Ar-
nulfus, collectâ suorum ingenti multitudine, Comitem Henricum aut in oppido
nostro occidisset, aut dedecorosè ejecisset, nisi orantem ita suppliciter per nun-
cios suos Comes Godefridus de Lovanio, qui postea Dux exstitit, interponendo
se illum eripuisset. Quis referre totum queat quibus quantisque malis distracta tunc
temporis bona Ecclesiæ nostræ, aut prorsùs in perpetuum sunt nobis sublata, aut
nimiâ longâque afflictione nobis penè ampliùs inutilia reddita? Nam Dux Go-
defridus, qui postea Rex Hierosolymorum ibidem obiit, nostra sibi quæque erant
in Hasbania in *Trestebant* servire ad libitum faciebat ; Comes Henricus quæ erant C
circa et ultra Mosam, et in Ripuaria et circa Rhenum ; Comes Henricus Pala-
tinus quæ habere videmur super Mosellam....

Lib. VI. *Pag.* 675. Anno igitur ab Incarnatione Domini MXCIX, post longas et diuturnas mortes,
quibus a domno Abbate Adelardo secundo usque ad ea tempora (*a*) de Ecclesia S.
Trudonis omnis vicinia desperaverat, quidam Theodericus ejusdem loci antea
nutritus, ad eamdem Ecclesiam regendam a domno Otberto Episcopo et primis
Leodiensium, tertiis jam missis litteris a Flandria, Monasterio scilicet Gandæ, tan-
dem est revocatus, nescio magis an coactus, et Nonas Martii Presbyter et Abbas
loci nostri consecratus....

Pag. 677. Primo tempore introitûs ejus in Abbatiam gravissimus persecutor fuit ei Comes
Gislebertus de Duram, Advocatus noster, quem nunquam potuit placare, nisi
damnosa Ecclesiæ pecunia pro eo intercurreret. Præterea Heinricus de *Lemburg*, D
major noster Advocatus, supradictum illum Herimannum, qui per violentiam
non potens Abbatiam nostram, quam invaserat, tenere, ad eum patrocinii causâ
confugerat,... in malum nostrum recipiens custodiebat....

Accidit interea, turbato vehementissimè regno et sacerdotio, ut Henricus
tertius Romanorum Imperator Augustus, traditis filio æquè Henrico vocato Im-
perialibus insigniis, abjectusque a regno iterùm regnare moliretur : cujus maxima
spes tunc temporis esse videbatur iste Henricus Comes de *Lemburg*, Dux mo-
dico (*b*) jam antè creatus. Quæ res propè exterminium debuit esse Ecclesiæ nostræ ;
quia cùm tunc temporis non tam Dux quàm Rex esse videretur, utpotè qui Regis
erat factus patronus, non erat Rex, non erat Episcopus, non amicorum quispiam,
qui auderet nos contra tantum tyrannum juvare.... Interim domnus Abbas Theo-
dericus secesserat ad castellum Comitis Gisleberti Duram, timens sibi, si tyran- E
num illum expectasset, vitæ suæ : quo unâ parte oppidum nostrum egrediente,
ipse aliâ ingressus est....

Pag. 678. Sequenti igitur die cùm domnus Abbas Theodericus, vocante eum Otberto
Episcopo, Leodium venisset, injuriam suam, persecutionem, redivivi Simonis
superbiam, invasionem in auribus Episcopi Ecclesiæque B. Lamberti exposuisset,
non eos tantùm mœstâ compassione sauciavit, sed et ipsam totam civitatem mœ-
rore quidem maximo obnubilavit.... Erat enim tunc non parva turbatio, non in

(*a*) *Fuerant igitur*, inquit Rodulfus ibidem, *ab obitu Adelardi II usque ad introitum in Abbatiam Theoderici* XVII *anni, quos inter se compleverant, iste plus, ille minùs, Lanzo, Luipo, Herimannus et alter Herimannus, de Abbatia contendentes, et nullum certum tempus invicem habere permittentes.*

(*b*) Henricus Lemburgensis an. 1101 Dux Lotharingiæ factus est.

Digitized by Google

A ea tantùm Ecclesia, sed in toto Episcopio, et unumquemque non modò rei publicæ, sed familiaris quoque sollicita urgebat occupatio, sicut superiùs tetigimus. Pro recuperando extorti sibi regni statu Imperator Henricus ibi anxiè insudabat; et quia crudeli odio et gravissimis dissidebant inimicitiis Episcopus et Henricus Dux, similiter quoque Namurcensis Comes Godefridus et idem Dux, eos priùs ad pacem et concordiam revocare Imperator maximè laborabat, ut postea robur pacis eorum et concordiæ esset ei spes et causa victoriæ. Quatiebantur enim muri totius civitatis et Ecclesiæ undosâ imminentis belli formidine; quia ferebatur, verumque erat, filium Imperatoris Henricum nomine in manu robusta et indignatione maxima ad civitatem obtinendam properare. His malis concurrentibus, quò publicæ familiarique rei suæ unusquisque, prout necesse sibi videbat, consulit attentiùs, eò de nostra disponitur satis quàm expediret negligentiùs. Semel
B tamen atque iterùm vocatum eum Episcopus tandem excommunicat omnesque ejus complices.... At Dux non immemor injuriæ contemptûsque sui in Herimannum, arma copiasque suas in furore et indignatione magna adversùs nos colligit, ut die datâ quoscumque de nostris ad dedicationem sui Baalis compellere non posset, eorum carnes in ejus sacrificio victimas propitiabiles faceret. Sed Comes Gislebertus qui reconciliati sibi fidelis tunc adjutor existebat domni Abbatis Theoderici, conducto sibi Comite Lovaniensi Godefrido, qui non multò post Dux exstitit, viriliter ei resistit, omnemque conatum Henrici, licèt domini sui, dum accedere non auderet, irritum fecit.... Erat igitur omnibus grandis formido, pavor et tribulatio, mentis hebetudo, membrorum dissolutio, genuum collisio, cùm nulli nostrûm extra oppidum pateret aliqua via sine vitæ periculo, membrorum ac substantiæ detrimento. Sed et Comitem Gislebertum, quia pro
C nobis se illi opposuerat, in tantùm odio habebat, quòd eum de infidelitate palàm arguere, et hæreditario propter hoc privare beneficio fidenter laborabat....

Ex hac Ducis oppressione et Herimanni invasione gravissimè afflicta elanguit diu Ecclesia nostra.... Dei autem faciente judicio, eodem anno * abjudicatus fuit Henrico Ducatus, et datus Comiti Godefrido de Lovanio, causâ existente, quia eâdem hebdomadâ, scilicet feriâ quintâ quæ fuit Cœna Domini, pugnaverat contra filium abdicati Imperatoris Henrici, Regem creatum Henricum dominum suum, super fluvium Mosæ oppido *Guiscir* * ante pontem, Regemque, contrito exercitu ejus, fugaverat.... *Pag.* 679. * An. 1106. * *Viset.*

Obiit domnus Abbas Theodericus VII Kalendas Maii anno MCVII. Fuit autem Abbatia sine Abbate usque III Kalendas Februarii.... Tandem igitur post indi- Lib. VIII. *Pag.* 686.
D cibiles labores suos et miras angustias, prævaluit fratrum canonicè unanimitas unanimisque constantia, et III Kalendas Februarii substitutus est Abbas Rodulfus.... Quarto autem Nonas Februarii * intravit, scilicet die Purificationis S. Mariæ: VII verò Kalendas Martii consecratus fuit.... * An. 1108.

Turbatis regni Principibus adversùs Imperatorem Henricum quartum,.... Lib. X.
propter Comitem Gislebertum Advocatum nostrum, Imperatorem deserere no- *Pag.* 696.
lentem, et Ducem Godefridum Lovaniensem Imperatori adversantem, irruptio facta est ab eo in oppidum nostrum. Nam stolidus populus, præter corporum communia arma et pectora, stultâ audaciâ nulla præparaverat adversùs eum repugnationis machinamenta; fossatum oppidi detritum et dirutum, et plusquam centum locis pervium; porta nulla, terra loco pontium continua, ligna prostrata, nulla transversa: tamen audax et malè antè securus populus ruit ei obviam obduratis
E pectoribus, contraque omnium hominum spem, diu ne intraret virili ei manu obstiterunt, et bis et semel violenter ingressum, factâ magnâ strage corporum eorum, cruento vestigio ejecerunt. Sed tertiò prævalentes hostes multitudine, et securiores nostris ferreo tegmine, compulerunt nostros intra atrium quod tantùm munierant contra eum, statimque omne oppidum usque ad quindecim domos igne fuit concrematum. Interea milites circumquaque discurrentes omnia nostra diripiunt, non ampliùs Ecclesiis quàm domiciliis parcunt; manèque abeuntes, quidquid supererat depopulationi, igni tradunt: omnes nostras villas quæ illi superfuerunt incendio, suos mancipare fecit Dux suo suorumque servitio.... Annus quo hæc mala nobis acciderunt, annus erat Incarnationis Domini mille- An. 1114.
simus centesimus decimus quartus, ordinationis [Rodulfi] Abbatis septimus, XIV Kalendas Augusti, feriâ secundâ, messe maturâ....

Digitized by Google

Lib. XI. Pag. 697. Ante consecrationis Monasterii (*a*) undecim annos, excommunicatus obierat Leodii Henricus Imperator, filius Henrici, filii Conradi Imperatoris, regnoque et atrio privatus erat propter dissensionem inter ipsum et Apostolicos Romanos de investituris Episcopatuum per annulos et baculos de manu Imperatoris, et propter simoniam quam de eis faciebat. Regnabat autem pro eo filius ejus æquè Henricus vocatus, qui cum Romana Ecclesia patrem persecutus, regno eum privaverat. Hic cùm regnare cœpisset, et potentissimè atque robustissimè in regno confirmatus esset, in illud ipsum incidit, in quo pater Ecclesiam offenderat, et pro quo sententiam privationis acceperat, majoraque satis atque nefanda committere non pertimuit. Nam cùm Romam venisset *, et ad gradus B. Petri Apostoli processione suscipiendus esset a domino Papa Paschali et Cardinalibus, Episcopis et Presbyteris, Diaconis et omnibus Clericis, Romanorumque nobilioribus et populo innumerabili, fidem subitò rupit, sacramenta interposita postposuit, datos obsides vilipendit, manusque sacrilegas tam ipse quàm sui in dominum Papam christum Domini injecit, et omnes qui capita videbantur esse Ecclesiastici ordinis atque Romani populi, custodiâ conclusit.... Quid longiùs protraho? Tandem gravi necessitate et lamentabili re compulsus dominus Papa, non propter se tantùm, quantùm propter Romanorum nobiles et Cardinales suos, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, qui secum crudeli clausurâ tenebantur, extorquenti magis quàm petenti Imperatori consecrationem Imperialem se daturum concessit, et pravilegium potiùs quàm privilegium de investiendis Episcopis et Abbatibus.

* An. 1111. A B

Hoc tristi nuncio et pollutâ famâ pervolante ad Gallicanam Ecclesiam, sine omni mora (*b*) facto conventu, Imperatorem excommunicavit, et quod sub tanto sacrilegio et violentiâ factum fuerat, damnavit. Dominus verò Papa quod in reconciliatione Imperatori promiserat, non violavit; sed Ecclesiam Gallicanam omnesque filios Romanæ Ecclesiæ, pro injuria summo Pontifici facta, clavibus B. Petri Apostoli uti non prohibuit. Suspendebatur adhuc hæc in Imperatorem sententia apud Germanorum Ecclesiam, cùm propter timorem, tum a quibusdam propter gratiam; nec multò post tempore vocatus est ab ea et missus ad eam Cono Episcopus Prænestinus, Romanæ Ecclesiæ Legatus, congregatumque est Con-

* Frislar. cilium magnum in loco qui vocatur *Frisebart* *..... Excommunicatur in eodem Concilio Imperator Henricus sicut et in Gallicana Ecclesia, cùm propter prædictam culpam, tum propter tyrannidem quam exercebat in Ecclesiam....

C

Pag. 698. * An. 1118. Defungitur paulò post * Leodiensis Episcopus Otbertus. Fit altercatio grandis de Episcopatu; electionis tamen dies præfigitur, infra quem Alexander ejusdem Ecclesiæ Sacrista et Archidiaconus baculum et annulum arripit, Imperatori præsentat et ab eo recipit, investitus sic a manu excommunicata de Episcopatu Leodiensi: pro qua temeritate et contentionis erroneo fune præfixa canonica electio diu protelata fuit, donec traheretur Coloniam conventus Leodiensis, cogente auctoritate Metropolitani, scilicet Frederici Archiepiscopi.... Electus est igitur ibi dominus Fredericus, majoris Ecclesiæ Leodiensis major Præpositus et Archidiaconus, atque a domino Papa Calixto consecratus, et Alexander cum omnibus suis complicibus excommunicatus....

D

Igitur excommunicato Henrico *Frisebart* et Alexandro Remis, in hoc et illud facta est magna perturbatio, et in Monachos et Clericos crudelis persecutio in toto Leodiensi Episcopio, qualis a tempore Arianorum non fuit audita. Alexandri partes juvabant cum suis omnibus Lovaniensis Comes Godefridus, tunc temporis Dux; Durachiensis Comes Gislebertus, Leodiensis militiæ signifer Reynerus, de Monte-acuto Comes Lambertus, et penè tota familia Ecclesiæ cum suis viribus. Frederici partes tuebantur frater ejus (*c*) Namurcensis Comes Gode-

E

(*a*) Consecratio Trudonensis Monasterii an. 1117 peracta est ab Otberto Leodiensi Episcopo, III Kal. Octobris. Undecimus retrò annus proinde in annum 1106incidit.

(*b*) Concilium intelligit Viennense, de quo Chronographus Malleacensis ad an. 1112, *Viennæ Concilium fuit*, inquit, *in quo contradictum est jusjurandum Apostolicum.*

(*c*) « Fredericus (inquit Reynerus S. Laurentii Leodiensis Monachus, in ejus vita apud Martenium T. IV Ampliss. Collect. col. 1027) fuit in» signi ex prosapia Pipini et Caroli Magni haud » obscuro loco Namurcensi editus, patre Alberto, » matre Ida. Qui Albertus ejusdem Namurcensis » castelli Comes opulentus podagricus quidem » exstitit, verùm militaribus armis famosus et » insignis, trium filiorum germine floruit: quo» rum Godefridus primogenitus eidem jure succ» cessit, postque maximum hujus vitæ statum, » schemate suscepto regulari in Floreffia, in senec» tute bona migravit; alter secundis rebus felix » Henricus, Rupis Comes militans; tertius Tri» nitatis cultor Fredericus, nutu Dei ab ineunte » ætate studiis liberalibus Legiæ traditur eru» diendus ».

Digitized by Google

A fridus cum suis, sed non omnibus, de *Lemburg* Comes Gualerannus, qui postea exstitit Dux ; de Monte-falco Gorguinus ; civitas tota, exceptis aliquibus, Abbates omnes Episcopii, de Archidiaconis et Præpositis meliores et plurimi, Clerus quamplurimus. Pars illa dicebatur Alexandrina, pars ista Frederina. Alexandrini dicebant Frederinos reos esse Regiæ majestatis, et ob hoc persequebantur ; Frederini Alexandrinos cum Imperatore et Alexandro excommunicatos, et ob hoc in Ecclesiastica communione eos vitabant. Itaque qui Romanæ obedientiæ sub Episcopo Frederico obtemperabant, prædas et direptiones et captivitates, ignem et gladium per Alexandrinos quotidie sustinebant ; nulli ætati, nulli sexui, nulli ordini parcere, totum persecutionis æstum super Ecclesias, tam in Monachos quàm Clericos effundere,... sic vidimus, sic audivimus, sic scribimus.

B Alexander ex castellis ejectus, sed prædictis tutoribus nostro oppido frequenter se recipiebat, et tantorum malorum incendium acriter agebat. Oppidani nostri omnes illi favorabiles erant, utpotè semper levissimus ad talia populus. In tota Brabantia, in tota Hasbania non erat Princeps aut dominus qui Alexandro non faveret, aut eum tueretur. Solus Loensis Comes Arnulfus inter utrosque medium se agebat ; Frederico tamen magis obtemperans ob domini Papæ obedientiam, quàm Alexandro ex Imperatoris violentia... Alexander Hoïum (*a*) castellum occupaverat, quem in eo Fredericus Episcopus cum fratre suo Namurcensi Comite Godefrido obsessum tenebat (nam suburbana Hoïi Frederico magis favebant quàm Alexandro) ad quem liberandum Dux applicuit exercitum Hoïo ex una parte Mosæ, in quo oppidani nostri fuerant ; ... ex altera parte Mosæ de verticibus montium Comes Lambertus in obsidentes castellum cum ingenti multitu- *Pag.* 699.

C dine exivit. Pugnatum utrimque graviter est, illinc a Duce, istinc a Lamberto Comite, contra utrosque ab his qui erant cum ipso Frederico et fratre ejus Namurcensi Comite. Dux inani spe frustratus recessit. Comes Lambertus in bello prostratus de equo et vulneratus, captivus ductus Namurcum fuit. Alexander obsidionem diu sustinere non valens, et valdè expavefactus ex verbis Papæ Calixti, qui ei mandaverat quia clauderet ei januam æternæ vitæ, nisi cessaret, et Episcopo Frederico castellum redderet, promissâ emendatione et perpetuâ cessatione, in publico conventu Leodii absolutus est ab Episcopo Frederico cum paucis adhærentibus ei Clericis, et domi sedens ad tempus invitus siluit....

[Anno MCXXI] defungitur (*b*) Episcopus Fredericus VI Kalendas Junii, et *Pag.* 700.
Alexander reducitur a suis et cum suis. Præter eum verò solùm quem Episcopus Fredericus absolverat, ut et Hoïum exiret et ab Episcopatu cessaret, nullus suo-

D rum laïcorum absolutus fuerat, neque ipse eorum communionem in aliquo devitabat. Videbatur enim tam sibi quàm suis, quòd omnis contradictio quæ eos hactenùs impugnaverat, defuncto Frederico, sublata et remota esset. Vocatus ergo ab eo licèt excommunicatus adhuc Lovaniensis Dux Leodium venit, Clerum et populum ei pacificare satagit, et in pleno conventu Capituli reformat

(*a*) Scriptor vitæ Frederici Reynerus supra nominatus « Fautores Alexandri (inquit) contabescentes in se malitiâ, recrudescunt, nullam quam ei inferre queunt, prætermittunt malitiam. Ipse nihilominùs Alexander, pace turbatâ, castellum occupat Hoïense, Ducis Comitisque Lamberti sibi promissum opperiens adventum. At dominus Fredericus et frater ejus, Principes militiæ exercitûs Domini, videntes quia multiplicata sunt mala, dederunt se murum pro domo Domini, periculis se objicientes ; dispositisque necessariis, Hoïum petunt. Incolæ verò ultrò fores aperientes obviam pergunt, se suaque omnia dedentes ; at illi, ingressis vineis et machinis, castellum expugnare aggressi sunt, cùm interea Dux magno cum exercitu nunciaretur adventare : cui ut obstrueretur transitus, occurrentes quidam, pontem in securi et ascia dejecerunt. Ita Duci frustratus est adventus. At parte ex alia Lambertus Comes per angustam semitam quæ inter fluvium Mosam et asperrimam rupem arctissimè patebat, amotis equis propter loci difficultatem, adventabat, prosequente militantium atque inferioris ordinis longâ catervâ. Cui frater Episcopi occurrens, ubi audiri ab eo potuit : *Ergone*, inquit, *contra me in arma venis, cui hominium justa de causa fecisti ?* At ille frendens irâ ; *omne*, inquit, *hominium tibi hodiernâ die exfestuco.* Tunc Comes : *Et ego*, ait, *te ut perfidum hâc hastâ per medium falacis oris inficior.* Dixit ; jactoque telo, fauces ejus, cùm esset galeatus, trajecit. Hoc ille oppidò sauciatus ictu, ruit captusque est, ligandus in compedibus et manicis ferreis.... Interea Dux cum gravi ira inefficax rediens, omnia municipia Episcopii et Comitatûs Namurcensis cepit ; omnesque fortes ubique locorum suo copulans agmini, Leodium in manu gravi peracessit. Reversusque est et ipse Godefridus unà cum fratre suo, crebros et inexorabiles ejus æquipollenter expugnavit assultus, gratiâ Dei per omnia victoriâ triumphans ».

(*b*) Frederici necem in fautores Alexandri refundit scriptor vitæ ipsius, quoad annum emortualem dissentiens a Rodulfo, Lamberto Parvo, et aliis ; ait enim : « Completa est iniquitas eorum ; muneribus siquidem nescio quem Pincernarum ejus corrupto, venenum poculo ipsius clam miscuerunt. Ipse autem, ut erat adeò honestæ simplicitatis, inconsulto quid esset, bibit, infirmatus est, languor supervenit, decidit in lectum, . . . animam Cœlo reddidit VI Kal. Junii, ... anno MCXXII, ab Incarnatione Domini, Indictione XV.

Digitized by Google

Pag. 701. ei assensum electionis... Fluctuabat adhuc graviter Leodiensis Ecclesia, nec A certam spem designati rancoris habebat. Frater Ducis Godefridi Lovanii Adelbero, Primicerius Metis, jam nunc multis erat in ore, et rumor et opinio de ipso magis accrescebat. Porrò sub eodem spatio temporis (*a*) causa Imperatoris adeò cum Apostolico in pacem et concordiam rediit, ut Imperator a prædicta excommunicatione absolveretur... Itaque Alexander ubi sæpiùs experitur conatus suos frustrari, cœpta vel dissimulat vel omittit. Fit tandem de Alberone Leodii assensus, Imperatori præsentatur, dono Episcopali a manu ejus investitur, Coloniam consecrandus ducitur....

Lib. XII. Paulò post (*b*) Adelbero Leodiensis Episcopus in pace requievit, vir simplex
Pag. 702. et rectus, lenis, pudicus, sine avaritia, bonis moribus, nobilior nobilibus. Statim malè sanata cicatrix veteris morbi Alexandri, bis priùs effracta, tertiò jam erupit... Quapropter a suis Clericis agitatus, ante Apostolicum Honorium Romam est in- B vitatus. Tunc illi visum fuit utile Abbatem Rodulfum secum posse ducere... Alexander, infuso sibi ab Apostolico Honorio vino salubris increpationis et oleo paternæ commonitionis, demùm cum Abbate Rodulfo repatriat, quem in omnibus postea reveretur et honorat....

Pag. 703. Sed manus Domini antea super nos extenta et necdùm abbreviata, adjecit adhuc per solitum Angelum, iræ suæ ministrum, percutere locum nostrum, et commonefacere prævaricatores redire ad cor suum. Advocatum enim nostrum Comitem Gislebertum et filium ejus Ottonem malo repleri permisit, et in omne quod erat contra jus et contra fas ad deprimendam Ecclesiæ familiam irrevocabiliter suscitavit. Commonitus humiliter ab Abbate Rodulfo, increpatus frequenter a Lemburgensi Duce domino Gualeranno, proclamante super eum domino nostro Metensi Episcopo Stephano, pro pertinacia, pro contumacia C abjudicatus est tandem legitimo judicio ab Advocatia; et quia erat homo pertinacis animi et non multi consilii, contigit ei sub eisdem diebus, culpis suis exigentibus, ut Comitatus et beneficium quæ habebat de Leodiensi Episcopatu, proclamante Episcopo Alexandro, a Paribus ei abjudicaretur. Quid faceret? Vires quibus supradictis dominis resisteret, non habebat, animositas eum quiescere non sinebat; seditionem movit in regno, scandalum in populo. Contulit ergo se ad Exducem Lovaniensem Godefridum, regni et Imperatoris inimicum, propter Ducatum (*c*) qui abjudicatus fuerat illi et datus Gualeranno Lemburgensi Comiti, Advocato nostro majori. Calamitas hujus dissensionis ex majori parte Ecclesiæ nostræ incubuit; quæcumque ex nostris subjacebant Advocato et Exduci, aut cremata, aut vastata, aut servientia erant illi et suis: quantò erant nobis viciniores, tantò et infestiores. Solum restabat nobis oppidum et Cœnobium, in D quibus non audebant adhuc profanas ponere manus. Erat autem Advocati permaxima intentio ut, quia sine omni munitione erat oppidum nostrum, vires suas et Lovaniensium in ipsum introduceret, et oppidanos hospitii dissipatione gravatos postremò captivos abduceret. Sed providentia Abbatis malignitatem ejus prudenti consilio avertit. Egit enim apud dominum suum Metensem Episcopum Stephanum, quòd Alexander Episcopus Leodiensis nostram Abbatiam et oppidum sub patrocinio suo suscepit, juraveruntque sibi invicem fidem, consilium et auxilium, Episcopales et oppidani: quâ fiduciâ renovare cœperunt fossati vetustatem, firmaveruntque qualem in plano terra nostra nunquam habuit munitionem. Quamobrem crescebat vehementissimè in majus et majus malum dissensio, hinc furente Lovaniensi Exduce, hinc Comite Gisleberto; Monachorum et Clericorum substantiis, tam in villis quàm in Ecclesiis, nunquam parcebant; omnem sexum, E omnem ætatem, omnem ordinem captivantes, diris cruciatibus usque ad mortem
Pag. 704. pro redemptione examinabant. His aliisque culpis exigentibus, excommunicatur Lovaniensis Exdux et Comes Gislebertus cum suis omnibus. Obsidetur post hæc (*d*) Durachium ab Episcopo Leodiensi Alexandro et Duce Lemburgensi Gualeranno:

(*a*) Anno 1123 concordia inter Sacerdotium et Imperium sancita est, et eodem anno Albero in Episcopum Leodiensem assumptus est, ex Anselmo Gemblacensi.

(*b*) Adalbero anno 1128 vivere desiit.

(*c*) Ducatus Lotharingiæ an. 1125 ablatus est Godefrido Lovaniensi ab Imperatore Lothario.

(*d*) Anselmus Gemblacensis ad an. 1129, *Prælium*, inquit, *apud Duratium inter Alexandrum Leodiensem Episcopum et Godefridum Lovaniensem Comitem, in quo tanta strages fuit, ut peditum utrinque octingenti et viginti quatuor numero insimul oppetierint, exceptis his qui fugientes, in segetibus vel in silvis, vulnerati perierunt, et his qui in aquis præfocati sunt, et his qui ad sua regressi incertis horis et diebus mortui sunt. Horum summa non potuit colligi. Actum* VII *Idus Augusti, feria IV.*

Digitized by Google

A ad quod deliberandum movit exercitum Lovaniensis dominus Godefridus, et cum eo Flandrensis Comes Theodericus. Durum commissum est prælium, ante ipsum pugnatum est acriter : victi fugerunt Lovaniensis et Flandrensis Comites. Ceciderunt in isto prælio ex hostibus plusquam quadringenti homines. Rediit circa castellum obsidio ; sed diu teneri non potuit propter instantem messem in Augusto. Soluta est ergo ; sed tyrannorum permansit dissolutio in igne et gladio.... Cùm autem complacuit ei in cujus manu sunt omnium potestates et omnia jura regnorum,.... statim facta est tranquillitas magna, nam Lovaniensis et Durachiensis domini, et qui cum eis erant excommunicati, Leodium venerunt, et ecclesiasticam facientes satisfactionem, absolutionem acceperunt et emendationem promiserunt. Itaque cessavit terra a bellis, jam factâ secundâ crematione et vastatione Abbatiæ nostræ a Lovaniensi Principe, primâ propter Advocatum nostrum
B Comitem Gislebertum, tum ei adversantem propter Imperatorem Henricum quartum ; secundâ verò nihilominùs propter ipsum nobis adversantem et ei confœderatum....

Est genus mercenariorum, quorum officium est ex lino et lana texere telas : hoc procax et superbum super alios mercenarios vulgò reputatur, ad quorum procacitatem et superbiam humiliandam et propriam injuriam de eis ulciscendam, pauper quidam rusticus ex villa nomine Inda hanc diabolicam excogitavit tech- *Pag.* 705.
nam. Acceptâ a judicibus fiduciâ et a levibus hominibus auxilio, qui gaudent jocis et novitatibus, in proxima silva navim composuit, et eam rotis suppositis affigens vehibilem super terram effecit : obtinuit quoque a potestatibus ut, injectis funibus, textorum humèris ex Inda Aquisgranum traheretur. Aquis suscepta cum utriusque sexûs grandi hominum processione, nihilominùs a textoribus est pro-
C vecta, ibi emendata, malo veloque insignita, Tungris est inducta, de Tungris *Los*.... Lovaniensis dominus audiens de dæmonioso navis illius ridiculo, instructusque a religiosis viris terræ suæ de illo vitando et terræ suæ arcendo monstro, gratiam suam et amicitiam suam mandat oppidanis nostris, commonefaciens eos humiliter ut pacem illam, quæ inter illos et se erat reformata et sacramentis confirmata, non infringerent, et inde præcipuè illud diaboli ludibrium viciniæ suæ inferrent; quòd si ludum esse dicerent, quærerent alium cum quo inde luderent; quòd si ultra hoc mandatum committerent, pacem prædictam in eum infringerent, et ipse vindictam in eos ferro et igne exequeretur. Idipsum mandaverat Durachiensibus dominis, qui et homines ejus fuerant manuatim, et interpositis sacramentis et obsidibus datis sibi confœderati. Hoc cùm jam tertiò fecisset, spretus est tam ab oppidanis nostris quàm Durachiensibus dominis; nam propter peccata
D inhabitantium volebat dominus mittere super locum nostrum ignem et arma Lovaniensium. Ad hanc igitur plebeiam fatuitatem adjunxit se Comes Gislebertus, contra generis sui nobilitatem... Lovaniensis autem dominus precum suarum et mandatorum contemptum nolens esse inultum, diem constituit Comitibus tanquam suis hominibus, qui neque ad primum, neque ad secundum, sed nec ad tertium venire voluerunt. Eduxit ergo contra eos et contra nos multorum multitudines, exercitum armatorum tam peditum quàm militum. Nostro igitur oppido seposito, tanquam firmiùs munito et bellicosorum hominum pleno, primum impetum in Durachienses fecit : quibus viriliter resistentibus, castellum, nescio quare, cùm posset, non obsedit; sed inter *Leugues* et Durachium pernoctavit. Cùmque sequenti die exercitum applicare disponeret, et ex quatuor partibus assultum faceret (habebat enim ingentem multitudinem) supervenit Adelbero Me-
E tensium Primicerius, filiorum Lovaniensis domini avunculus : cujus interventu, quia Comitissa Durachiensis erat soror ejus, et Durachiense erat castellum sancti Lamberti, Lovaniensis dominus ab impugnatione cessavit et ab obsidione se amovit, promisso ei quòd Durachienses paulò post ei ad justitiam suam educerentur. Et cùm ista et alia de dominis et inter dominos tractarentur, pedites et milites per omnia nostra circumjacentia se diffuderunt, villas nostras, Ecclesias, molendina et quæcumque occurrebant, combustioni et perditioni tradentes; recedentes verò quæ longè a nobis fuerant, prout cuique adjacebat, inter se diviserunt. Vastata est tempore illo, Abbatia, et direpta omnia fratribus necessaria. Vastatio ista fuit quarta, quas infra viginti sex annos (*a*) fecit Lovaniensis domi-

(*a*) Horum viginti sex annorum exordium videtur ducendum a regimine Rodulfi Abbatis : proinde quæ hìc gesta narrantur ad an. 1133 referenda sunt.

Digitized by Google

nus; prima propter Comitem Gislebertum dissidentem ab eo propter Imperatorem Henricum quartum; secunda cum eo propter Alexandrum postea Leodiensem Episcopum; tertia quandò pugnatum est ante Durachium, nihilominùs propter ipsum; quarta quandò inter eos est fœdus ruptum, propter terrestris navis malignum adventum. A

EX CHRONICO S. JACOBI LEODIENSIS

AUCTORE LAMBERTO PARVO (*a*) EJUSDEM LOCI MONACHO.

Apud Martenium Tomo V. Amplissimæ Collect. col. 7. B

ANNO MLXXVI.... Godefridus Dux et decus Galliæ a sicario perimitur. Godefridus filius sororis ejus Marchio subrogatur. [Cuonradus puer, filius Henrici Regis, Dux substituitur.]

MLXXVII, [Hildulfus Archiepiscopus (Coloniensis) obiit.] Saxones iterùm rebellant, creato sibi tyranno Rodulpho Duce Burgundionum [annuente Hildebrando Papa.] *Hìc desinit prima manus codicis ms. S. Jacobi.*

MLXXX. Rex Heinricus Pascha celebrat Leodii; renovatâ expeditione, Saxones aggreditur, et in congressu Rodulphus tyrannus occiditur.

MLXXXI. Rex Heinricus [Romam] vadit, Hildebrandum debellaturus. Terræ motus magnus VI Kal. Aprilis.

MLXXXII. Herimannus in Saxonia tyrannidem arripit. Rex Henricus Romam Leoninam obsidet. C

MLXXXIII. Rex Heinricus Romam Leoninam capit, Romam antiquam oppugnat.

MLXXXIV. Rex Henricus urbe recipitur, Hildebrandus expellitur, Wibertus qui et Clemens Papa sufficitur, et ab eo Rex Heinricus in Imperatorem benedicitur...

MLXXXVII. Cunradus puer, filius Imperatoris Heinrici, Aquis sublimatur in Regem, Marchio Godefridus in Ducem. Bertha Imperatrix obiit.

MLXXXVIII.... Ekebertus Marchio iterùm rebellat. Herimannus tyrannus in quodam castro lapidibus obruitur.

MLXXXIX. [Sigevinus Archiepiscopus (Coloniensis) piæ memoriæ obiit (*b*).] Heinricus Imperator uxorem ducit [Adelaïdem] filiam Regis Ruthenorum. Pestilentia terribilis [et multiplex] Ardentium.

[MXCI. Obiit Henricus Episcopus (Leodiensis) : succedit Otbertus.]... D

MXCV. Obiit Robertus Abbas Ecclesiæ S. Jacobi in Leodio quartus : succedit Stephanus, vir magnæ scientiæ et summæ honestatis....

MXCVI. Innumerabilis Christianorum populus [penè] per totum orbem zelo fidei excitatus Jerosolymam vadit, inimicos Christi debellaturus.

MXCVIII. IV Kal. Julii, Antiochia capitur a Christianis.

MXCIX. Idùs Julii, VI feriâ, horâ diei nonâ, a Christianis capitur Jerusalem. [Herimannus Archiepiscopus (Coloniensis) obiit (*c*).]

MC. In Resurrectione Dominica, post multa prælia diversarum gentium, Dux noster Godefridus cum omnium Principum electione et totius populi victoris proclamatione Jerosolymis sumit Principatum. Post cujus decessum Balduinus frater ejus de Principatu Armeniæ accessit ad regnum, sumpsitque regium diadema de manu Patriarchæ Jerosolymorum.... E

MCVIII. Inter cives Leodienses et Clericos, profractis domibus, orta seditio est...

MCXII. Obiit Stephanus Abbas : succedit Olbertus....

[MCXVI. Obiit Berengerus S. Laurentii Abbas : succedit Helibrandus.]

(*a*) Chronici Leodiensis a Lamberto Parvo scripti partem proximè antecedentem require T. XI, p. 293. Florebat is sæculo XII, scripsitque breve chronicon ad ann. 1194, quo vitam cum morte mutavit, ut testatur Continuator ejus Reinerus, his verbis : *Hoc anno* 1194, *moritur Lambertus Parvus, Ecclesiæ nostræ Sacerdos et Monachus, et hucusque opus ejus.* Nactum se arbitrabatur Martenius codicem ipsius chronici autographum ; quod verum est, si de codice intelligatur a Reinero Monacho post Lambertum continuato et interpolato : at antiquiorem præ manibus habemus codicem ejusdem Cœnobii S. Jacobi, in quo varii subinde occurrunt caracteres, ex quibus liquet plures ante Lambertum huic manum admovisse. Ex eo porrò deprompta sunt quæ uncinis inclusa repræsentamus.

(*b*) In chronico Leodiensi Labbeano, eodem anno *Herimannus fit Archiepiscopus.*

(*c*) Ibidem *Fridericus fit Archiepiscopus.*

Digitized by Google

A MCXVIII. Obiit Otbertus Episcopus : succedit Fredericus.

MCXIX. Johannes, qui et Gelasius Papa, obiit : succedit Wido, qui et Calixtus. Synodus Remensis CCC et eò ampliùs Episcoporum et Abbatum plurimorum, ubi venerabilis Leodiensis Episcopus Fredericus summâ gratiâ ab ipso Papa Calixto consecratus est.

[Anno MCXX.] Fredericus Leodiensis Episcopus, cum fratre suo [Godefrido] Comite Namurcensi parvaque militum manu, Ducem Lovaniensem [Godefridum] cum comitibus magnoque exercitu Episcopium suum cæde, incendio et rapinis devastantem, circa Hoïense castrum devicit; et capto ex parte ejus Comite [Montis-acuti] Lamberto et aliis quampluribus, turpiter eum fugere compulit, nec multò post castrum et eos qui intùs rebellabant, in deditionem accepit.

MCXXI. Fredericus Leodiensis Episcopus multas et intolerabiles persecutiones
B pro simoniacæ hæreseos damnatione et catholicæ fidei defensione ab Ecclesiæ persecutoribus, et maximè a Duce Lovaniensi Godefrido passus, V Kal. Junii (*a*) migravit ad Christum, ejusque meritum multis et inauditis miraculis ubique terrarum declaratur. Succedit Alexander Episcopus (*b*).

MCXXIV. Obiit Calixtus Papa : succedit [Lambertus qui et] Honorius.

MCXXV. Obiit Henricus Imperator. Succedit Dux Saxonicus Lotharius, vir strenuus et præcipuus Ecclesiæ Dei cultor, justitiæque et pacis amicus, electus in Regem a cunctis penè regni primoribus Moguntiæ in festo S. Bartholomæi, consecratus et unctus a Frederico Coloniensium Archiepiscopo in Ecclesia S. Mariæ Aquisgrani in Exaltatione S. Crucis.

MCXXIX. Bellum inter Alexandrum Episcopum et Ducem Lovaniensem [Godefridum] pro castro de *Durace* (*c*), in quo vexillum Ducis captum est, quod fastu
C superbiæ et præcepto illius quadriga boum ferebat, et ambientes illud qui omnes decollati sunt, et omnia castra ejus fugata sunt.

MCXXX. Obiit Honorius : succedit [Gregorius qui et] Innocentius [et Petrus contendit.]

[MCXXXII. Cometes apparuit.]

MCXXXIV. Obiit Olbertus sextus S. Jacobi Abbas : Stephanus succedit.

MCXXXV. Obiit Alexander Episcopus Leodiensis : succedit Adalbero.

MCXXXVII. Obiit Lotharius Imperator : succedit Cunradus, unctus in Regem Aquisgrani [in media Quadragesima] a Cardinali Romano Tieguino, volente et jubente domno Papa Innocentio.

Eodem anno Rex Francorum Ludowicus occiditur. (*id est*, obiit.)

MCXXXVIII. Obiit Stephanus Abbas sextus Ecclesiæ S. Jacobi : succedit Elbertus.
D Quarto Nonas Augusti, facta est eclipsis solis (*d*) horribiliter circa meridiem, apparente lunâ contra orbem solis, micantibus stellis præ multitudine tenebrarum, hominibusque nimio terrore concussis.

MCXLI. Bellum Bullonicum, ubi gloriosus Martyr Lambertus est delatus, et prodigia digna memoriæ operatus est.

MCXLIV.... Obiit Adelbero Leodiensis Episcopus : succedit Heinricus. [Cometes ardet.]

MCXLVI. Fames inaudita, modio siliginis X, speltæ X solidis, vix se redimentibus. Prædicatur populus [a Rodulpho Propheta] crucizatur, visa et signa mendacii creduntur, passim pruritur auribus. Ex libris sibyllinis ad votum interpretatis, Regi Franciæ ituro Jerosolymam magnifica falsò promittuntur.

MCXLVII. [Kal. Maii Imperator et Rex Franciæ movent et per Constantino-
E polim in Persidem dilabuntur. Et circa Augustum a ducibus nostris contra Vindelicos malè pugnatum est.]

Eodem anno, VII Kal. Novembris solis deliquium in Dominica, a tertia penè hora usque in plenam sextam, erubescente sole videre tantum sanguinem Christianorum qui fundendus erat.

MCXLVIII. Respublica passa quod pudeat fastos. *Lætare Jerusalem*, Concilium Remis, præsidente Apostolico Eugenio, qui et Bernardus.

(*a*) Codex S. Jacobi addit : *Indictione* XIV, *feriâ sextâ ante adventum Spiritûs Sancti, in ipso diei exordio migravit ad Christum.* Unde emendandus Scriptor vitæ Frederici supra p. 597, qui an. 1122, Indictione XV, eum veneno sublatum asserit.

(*b*) E contrario in ms. cod. S. Jacobi legitur : *Anno* MCXXII, *Adelbero Leodiensis fit Episcopus.*

(*c*) Sequentia non exhibet codex S. Jacobi, sed a Lamberto Parvo videntur addita.

(*d*) Nulla eclipsis solis contigit eo anno die 2 Augusti. Hanc anno 1133 rectiùs notarunt plures chronographi. De ea verò ne verbum quidem habet codex S. Jacobi.

Digitized by Google

MCXLIX. Imperator Cunradus et Rex Franciæ a Jerosolymis inefficaces revertuntur. A

MCL. Elbertus Abbas octavus S. Jacobi orbatus lumine Abbatiam dimisit : succedit Stephanus.

MCLI. Tempus asperrimum et pluviale, fames valida, mors in homines, messis tarda, [plus] vindemia, mustum vix Lucæ Evangelistæ.

[Heinricus Episcopus II Heinricum (*a*) Comitem Namurcensem Andanæ devicit. Eodem anno castrum de *Burne* dejecit et combussit.]

MCLII. Obiit Cunradus Imperator : Fredericus succedit, filius fratris ejus Frederici.

MCLIII. Rex Jerosolymorum Balduinus junior, circa Natale Domini, Ascalonam obsidet, etc.

MCLIV. Obiit Eugenius Papa : succedit Anastasius. Obiit Anastasius : succedit Adrianus. B

MCLV. Rex Fredericus, paratâ expeditione, Romam proficiscitur et a Papa Adriano libentissimè excipitur, a quo etiam in Imperatorem benedicitur Marci et Marcelliani, etc.

[Eodem anno, Stephanus Abbas nonus importunitate Gerardi Cardinalis Abbatiam dimisit : Drogo bonæ memoriæ successit.] *Hactenùs secundâ manu in ms. cod. Jacobi, cui adjecti sunt anni emortuales tam Leod. Episcoporum quàm Abbatum S. Jacobi ad annum* 1378. *Quæ verò subjicimus ex editione Martenii, ea scripta sunt a Lamberto Parvo.*

* *Corr.* 1156. MCLVIII *, Imperator Fredericus uxorem ducit *Weseborc* cum materna gloria et frequentia Optimatum, (Beatricem) filiam Ducis Burgundionum, in Octavis Pentecostes, quam Archiepiscopus Trevirensis in Imperatricem benedixerat Sabbato ante Octavas. C

MCLIX. Obiit Adrianus Papa. Victor et Alexander de Papatu contendunt....

MCLX. Apud Moguntiam cives in Episcopum suum graves persecutiones conferunt, donec eo ventum est ut in Ecclesia B. Jacobi de quibusdam negotiis responsuri convenirent, et inopinatè armis et incendio eum aggrediuntur, et truncatis manibus cum capite, dolendè eum peremerunt in die S. Johannis Baptistæ.

MCLXII.... Concilium habitum est apud Besuntium inter Imperatorem et Regem Franciæ de duorum Apostolicorum controversia ; sed nihil actum est....

MCLXIV. Obiit Heinricus Episcopus Leodiensis : succedit Alexander.

MCLXVII.... Multi Principes imperii moriuntur, inter quos Coloniensis Archiepiscopus Reinoldus et Alexander Leodiensis Episcopus : succedit Reinoldo Philippus, et Alexandro Rodulphus. D

MCLXIX. Henricus filius Frederici Imperatoris, puer, Aquisgrani sublimatur in Regem....

MCLXXIII. Obiit Abbas Drogo decimus Ecclesiæ S. Jacobi in Leodio, vir summæ honestatis.... huic successit Hugo XI[us]....

MCLXXV.... Imperator Fredericus cum Imperatrice Beatrice uxore sua et Henrico puero Rege, Pascha celebrat Aquisgrani cum magna gloria....

* *Corr.* 1179. MCLXXX *, Concilium generale agitur in urbe Roma, præsidente Alexandro Papa cum Episcopis ex toto orbe DCCCC et eò ampliùs, exceptis Abbatibus, Decanis et Præpositis Ecclesiarum.

Bellum inter [Gerardum] Comitem de *Los* et [Rodulfum] Episcopum Leodiensem.

(*a*) Ita codex S. Jacobi. At Lambertus Parvus a Martenio editus ad an. 1155 sic habet : *Bellum Andennæ inter Henricum Episcopum et Henricum Comitem Namurcensem, in quo Comes victus cessit ; Episcopus autem cum multa præda victor cum suis rediit in Purificatione S. Mariæ.* Anno quidem 1155 Andana exusta fuit ex sequenti chronico Leodiensi ; sed utrumque eventum perperàm confundit Lambertus, quippè alter contigit ineunte Februario, alter mense Maio.

Digitized by Google

EX BREVI CHRONICO LEODIENSI (*a*).

Apud Martenium T. III. Thesauri Anecdotorum, col. 1407.

ANNO Domini MLXXXVIII. Imperator Henricus Conradum filium suum seniorem Aquisgrani in Regem inungi fecerat, qui postmodùm (*b*) infamatur patri rebellasse. Cùm autem comperisset pater filium suum a se aversum, et contra eum ad adversarios in Italia confœderasse, anno MXCVIII in Epiphania Domini filium suum juniorem Henricum V, Regem facit Aquisgrani, prædicto fratre ejus reprobato. Postea (*c*) ipse Henricus V contra jus naturæ et fas legum in patrem ***. Et sic Henricus Imperator a filio rebus imperii privatus, ab Episcopo Otberto et civibus Leodiensibus rebus necessariis sustentatur. Hic dicitur perambulasse fossata civitatis Leodiensis, et posuisse fundamenta firmitatis quæ post vastationem a Duce Brabantino factam, fuit consummata. Qui etiam, postquam (*d*) Godefridus Dux Lotharingiæ in terram sanctam transfretavit, quia Lotharingia circa Mosam Principe laïco, qui nomen Ducis haberet, carebat, Henricum de *Lemburch* novum Ducem et Principem effecit, consensu omnium Principum Curiæ accedente, in quo maxima spes ei erat; quia tunc temporis non tam Dux quàm Rex esse videbatur, utpotè qui Regis factus erat patronus.

Anno Domini MCVI. Henricus de *Lemborch* Dux Lotharingiæ, pater Pagani, Ducatu privatur ab Henrico V Rege; et Godefridus Comes Lovaniensis Dux Lotharingiæ statuitur.

Anno Domini MCXVII, III Kal. Octobris, ab Otberto Leodiensi Episcopo dedicatum est in gaudio et gloria magna templum S. Trudonis Hasbaniensis, ab eo quo crematum fuit XXXII, sub Abbate Rodulfo venerabili viro. Dedicavit idem Otbertus Ecclesiam Canonicorum S. Petri Leodiensis in pede Publici-montis, in Kalendis Octobris....

Anno MCXXII (*e*). Orta est werra, instigante diabolo, inter Alberonem Episcopum et Henricum Comitem Namurcensem nepotem suum, pro qua miserabiliter exustum fuit templum S. Foillani Fossensis cum tota villa....

Anno MCL. Positus est Maloniæ conventus sub regula patris Augustini, cujus primus Abbas fuit domnus Udo, Canonicus S. Ægidii Publici-montis, vir litteratus....

Anno MCLV. Exusta est Andana a Duce Ardanensi et a Godefrido Comite Duracensi, summo mane, cùm adhuc tenebræ essent, Nonas Maii.... Andana autem miserabiliter exusta [fuit] cum appenditiis ipsius, et præbenda destructa, sanctæque Moniales satis inhonestè exspoliatæ in templo Proto-martyris Stephani. Pons quoque lapideus super Mosam in perpetuum destructus, corpus etiam B. Lamberti asportatum ibi dicitur, et in prato quodam sub tentorio collocatum, et a Canonicis qui cum feretro venerant, nocte dieque horæ Canonicæ et Missa devotè decantabantur. Postmodùm Episcopus super concremationem a suis factam pœnitens, dictam Andanensem Ecclesiam privilegiavit, ne in posterum suo Episcopo et Archidiacono cathedraticum et obsonium teneatur persolvere.

Ecclesiam S. Lamberti de novo reædificatam consecravit Philippus Coloniensis, anno Domini MCLXXXIX, VII Idus Septembris; antiquam verò Ecclesiam consecraverat ejus prædecessor S. Herbertus, III Kal. Novembris.

Anno MCXCII, VIII Kal. Decembris, martyrium passus est Albertus Leodiensis [Episcopus] sepultus in Ecclesia Remensi.

(*a*) Id chronicon ex ms. cod. Aureæ-vallis eruit Martenius. Extenditur autem ad an. 1192, relictis identidem pluribus annis vacuis. Hinc est quòd antecedentia superioribus Tomis in excerptis ex variis chronicis, etc. adhibita sunt.

(*b*) Nimirùm an. 1093, ut tradit Sigebertus.

(*c*) Anno 1105 ex eodem Sigeberto.

(*d*) An. 1096 Godefridus Bulloniensis in Palestinam profectus est.

(*e*) Corr. MCXL, ut in chronico Lobiensi et sequenti Leodiensi.

Digitized by Google

A

EX BREVI CHRONICO LEODIENSI ALTERO (*a*).

Apud Labbeum T. I. novæ Biblioth. Mss. p. 338 *et p.* 405.

Anno MCI. Henricus Imperator Henricum Lemburgensem debellat, et postea Ducatu donat.

MCII. Henricus Imperator contra Robertum Flandrensem proficiscitur.

MCIII. Rotbertus Flandrensis in gratiam Imperatoris recipitur.

MCV. Filius Imperatoris Henrici a patre aversus, sub obtentu religionis in eum insurgit.

MCVI. Cometes apparuit. Henricus Imperator insignibus regni, cogente filio, B privatur, Leodii ab [Otberto] Episcopo excipitur, ubi demoritur : succedit Henricus patri æquivocus.

MCVII. Henricum Lemburgensem Ducatum repetentem Dux Godefridus Lovaniensis bello devicit Aquisgrani.

MCVIII. Henricus Imperator contra Robertum Flandrensem vadit, et penè inefficax rediit.

MCIX. Philippus (*a*) Rex Francorum obiit ; et Ludovicus filius ejus succedit.

MCX. In mense Maio Cometes apparuit. Guibertus fundator Cœnobii Gemmelacensis elevatur.

MCXI. Henricus Rex in Imperatorem Romæ benedicitur a Paschale Papa.

MCXII. Ecclesia Sanctæ Waldetrudis, et S. Michaëlis de Periculo maris, et S. Mariæ Laudunensis comburuntur... C

MCXIV. Henricus Imperator uxorem ducit [Mathildem] filiam Regis Anglorum.

MCXV. Fredericus Coloniensis Archiepiscopus et alii quidam Principes regni rebellant Henrico Imperatori.

MCXVI. Henricus Imperator propter asperos in se motus regni ad Italiam secedit, et terram Mathildis Marchisæ Longobardorum jure propinquitatis ***.

MCXVII. Terræ motus magni per loca, terroresque de cœlo, et signa fiunt, inter quæ lunæ eclipsis III Idus Decembris.

MCXVIII. Balduinus Rex Jerusalem moritur : succedit alter Balduinus. Otbertus Episcopus [Leodiensis] obiit : succedit Fredericus.

MCXIX. Remis Fredericus a Calixto Papa in Episcopum Leodiensem benedicitur.

MCXXI. Fredericus Episcopus obiit. D

MCXXIII. Adalbero Legiensium Episcopus ordinatur.

MCXXIV. Henricus Imperator Ultrajecti moritur (*c*).

MCXXV. Lotharius Dux Saxonum assensu Principum in Regem eligitur...

MCXXVII. Karolus Comes Morinorum Brugis ante altare psalmos canens occiditur : et eâdem die Comes Sodornensium ante altare orans ***.

MCXXIX. Prælium apud Duras inter Alexandrum Episcopum Leodiensem et Godefridum Comitem Lovaniensem : ubi multa utrimque strages.

MCXXX. Rex Lotharius Spiram obsessam capit.

MCXXXII. Rex Lotharius cum Innocentio Papa Romam vadit.

Pag. 405. MCXXXIII. Domnus Bruno succedit Frederico Coloniensi Episcopo. Quarto Nonas Augusti meridie ita sol obscuratus est, ut stellæ in cœlo apparerent. Rex Lotharius veterem Romam ingressus, Innocentium Papam in Patriarchio Late- E ranensi ***, et ille eum in Imperatorem benedicit.

MCXXXV. Albero Metensium Primicerius Leodiensium Episcopus eligitur (*d*).

MCXXXVII. Æstus maris insolito motu terminos suos transit.

MCXXXIX. Lotharius (*e*) Imperator et Fredericus Dux Bavariæ pacificantur. Obiit Imperator Lotharius ; cui successit Conradus.

(*a*) Proximè antecedentia ad an. 1080 vide T. XI, p. 202. Ab eo autem anno ad annum 1100 cætera missa facimus, utpotè e Lamberti Parvi chronico mutuata.

(*b*) Obiit Philippus anno 1108.

(*c*) Mors Imperatoris Henrici V contigit anno 1125 die 23 Maii, sive x Kal. Junii, ut habet chronicon Uspergense.

(*d*) Ad annum sequentem Alberonis electionem rejicit Lobiense chronicon, cui consentit Albericus, necnon Fisen qui Leodiensem sedem annum propè vacasse ait, post mortem Alexandri Episcopi.

(*e*) Mortuus est Lotharius an. 1137 mense Decemb.

Digitized by Google

A MCXL. Ericus (*a*) Comes Namucensis, exercitu clam collecto, urbem Fossensem assultu et incendio, cùm nihil de eo timeretur, summo mane aggressus, cum templo B. Martyris Foillani et omnibus officinis combussit; et direptis omnibus quæ inibi fuerant, munitionem cum Episcopali domo destruxit.

MCXLV. Obiit secundus Albero Leodiensium Episcopus; cui successit Henricus II.

MCXLVI. Fames gravissima multos afflixit.

MCXLVIII. Henricus Episcopus castrum Fossense reædificat; deinde muro circumdat.

MCLI. Obiit Heremundus *, cui successit Fredericus nepos ejus.

* *Corr.* Conradus.

MCLII. Bellum apud Andenam inter Henricum Leodiensem Episcopum et Henricum Namucensem Comitem, ubi Episcopus victoriam obtinuit.

MCLV. Rex Fredericus Romam cum exercitu veniens, in Imperatorem bene-
B dicitur, et sibi rebelles expugnat.

MCLXII. Fredericus Imperator Mediolanum obsidione et fame ad deditionem compulit, et civitatem destruxit.

MCLXVI. Ecclesia S. Gertrudis in mensis primo comburitur cum omnibus officinis et quadam parte villæ. Henricus Episcopus [Leodiensis] obiit, et Alexander succedit.

MCLXVIII. Alexander Episcopus obiit: Naulfus * succedit.

* Radulfus.

MCLXXIV. Ecclesia Fossensium mediâ nocte comburitur cum claustro et omnibus officinis, cum basilica Episcopi et parte villæ prædictæ.

MCLXXV. Revelatum est corpus B. Foillani Martyris in medio castro sub Lamberto * Episcopo Leodiensi.

* *Corr.* Radulfo.

MCLXXVII. Ecclesia S. Gertrudis comburitur cum omnibus officinis et quadam
C parte prædictæ villæ.

(*a*) Libellus cui titulus : *Triumphus B. Lamberti Martyris*, et Ægidius Aureæ-vallis Monachus, incendii Fossensis auctorem faciunt Raynaldum Comitem Barrensem. Et certè Albero Leodiensis Episcopus de prosapia erat Namurcensi, eique sequenti anno suppetias tulit Henricus in obsidione castri Bullonii adversùs Raynaldum.

EX GESTIS PONTIFICUM LEODIENSIUM

AUCTORE ÆGIDIO (*a*) AUREÆ-VALLIS RELIGIOSO.

Apud Joan. Chapeaville, *inter Script. rerum Leod. T. II in-4°. Leodii* 1612.

D POST digressionem veniendum est ad Comitissam Richildim, quæ castrum Bellimontis turri et aliis munitionibus construxit, etc. (*ut apud Gislebertum Montensem supra p.* 545.) *Cap.* 3.

Post decessum domini Theoduini exorta est contentio inter potentes agendæ electionis; sed dum plures fieri vellent Episcopi, etc. (*ut in historia Andaginensis Monast. supra p.* 586.) *Cap.* 10.

Post hæc Henricus pius cogitans illud Sapientis dictum, *ubi non est gubernator, populus corruet;* et quàm verè hoc dictum sit prospiciens, dum usque ad tempus sui Episcopatûs tot animæ in sua diœcesi perierunt:.... (nam repleta fuerat hæc terra sanguine occisorum; terra absque gubernatore, terra indisciplinata.... Quia verò disciplinæ fræno caruerant, non modò tot hominum cædes, sed incendia quoque et prædas continuas atque rapinas palàm fecerunt, et ex magnis divitiis
E multos ad inopiam et usque ad mendicitatem redegerunt. Denique quicumque veniebant in captionem inimicorum suorum tam crudeli morte torquebantur, ut mors eis melior esset quàm vita; nam et humaniùs etiam tractarentur a Paganis. Hæc autem rabies, Natali Domini sive Quadragesimâ appropinquante, plurimùm desæviebat.) Unde maximo dolore commotus Henricus Episcopus, sæpè *Cap.* 12.

(*a*) Post Anselmum, cujus historia de Episcopis Leodiensibus edita est T. XI, p. 9, eorumdem Pontificum Gesta continuavit Ægidius Aureæ-vallis Monachus, Ordinis Cisterciensis, a temporibus Theoduini, Wasonis successoris, usque ad Henricum hujus nominis tertium sive ad annum Christi 1251; ait enim de eodem Henrico verba faciens : *De quo quid scribere debemus certum nondum habemus, præter id quod satis memoriâ dignum duximus, videlicet quòd usque in finem anni Domini* 1251, *quandò calamo silentium imposuimus, Episcopatum rexit adolescens et inconsecratus, Ecclesiæ Romanæ filius et fautor exstitit fidelissimus.* Ut autem fateamur quod res est, vix quidquam de suo præstitit Ægidius; sed ex probatis Auctoribus quæ ad propositum suum faciebant, summâ diligentiâ excussit, parique fide totidem verbis exscripsit.

Digitized by Google

convenit et multùm institit ut Principes terræ legem aliquam ponerent, cujus A timore cessarent tot illa homicidia et cætera mala intolerabilia. Hi autem sunt Principes, Comes Namurcensis et frater ejus Henricus (*a*), Comes Palatinus, Marchio Conradus, Comes Henricus de *Lemburch*, Comes Henricus de *Lache*, Comes Arnulphus de *Los*, Comes de Loviniaco, Comes Cono de *Horr*. Horum omnium petitione, consilio et voluntate decretum est, ut a primo die Adventûs Domini usque ad exactum diem Epiphaniæ, et ab intrante Septuagesima usque ad Octavas Pentecostes, infra Episcopatum Leodiensem nemo arma ferat, nisi fortè inde exiens ad alia loca, aut aliunde domum revertens : incendia, prædas, assultus nemo faciat, nemo fuste, aut gladio, aut aliquo armorum genere usque ad collisionem membrorum aut internecionem in quempiam desæviat. Quòd si hoc fecerit homo liber, hæreditatem perdat, beneficio privetur, ab Episcopatu pellatur ; servus autem amittat omne quod habet et dexteram perdat. Quòd si B culpati fuerint contra pactionem hanc, liber juretur cum duodecim : qui verò liber non est, judicio se purget ; si tamen signa fuerint manifesta, alioquin cum septem se immunem esse probet. Incipiet autem observatio hujus pacis sextâ feriâ statim illucescente aurorâ, et durabit usque ad exordium diei qui vulgariter appellatur dies Lunæ, et observabitur per omnes festivitates quæ propriè in hoc Episcopatu celebres habentur, et similiter per omnes illas quas ubique universalis celebrat Ecclesia, et maximè in festivitate S. Lamberti, et in dedicatione, et duobus diebus antè et duobus post in utraque festivitate, propter adventum et reditum, cæteraque impedimenta. Denique etiam in jejuniis quatuor temporum, et in vigiliis prædictarum festivitatum eadem lex et pactio tenebitur : excepto quòd in illis arma licebit ferre, eâ tamen conditione ne alicui noceant. Hanc pactionem si quis violaverit, noverit se excommunicationi subjacere. Hæc omnia C venerabilis Henricus Episcopus, omnium consensu et collaudante omni populo, infra Leodiensem Episcopatum teneri instituit anno MLXXI (*b*) sexto Kal. Aprilis.... Nam vitæ suæ cursu in bonis operibus consummato, pridie Kal. Junii defunctus est anno Dominicæ Incarnationis MXCI....

Cap. 13. Erat tunc temporis Obertus Canonicus in Ecclesia S. Lamberti et Præpositus Ecclesiæ S. Crucis, qui acceptâ, licentiâ eundi Romam, cùm invenisset Regem in Italia, apud eum in Curia cum cæteris Capellanis mansit : cujus familiaritate tam benignè usus est, ut Rex, cùm de obitu Leodiensis Episcopi Henrici nuncium accepisset, donum Episcopatûs habentem Obertum remiserit.

Hujus tempore, anno scilicet Incarnationis Dominicæ MXCVI, regnante Henrico (*c*) tertio hujus nominis Romanorum Imperatore, anno regni illius XL, factus est concursus innumerabilium Occidentalium populorum, nobilium et D ignobilium, divitum et pauperum ex omni professione hominum ad civitatem Hierosolymorum, quæ a filiis alienis et profanis, videlicet Paganis, possessa, in opprobrium christianæ religionis, eorum sacrilegis ritibus contaminabatur.

Erat eâ tempestate Dux Lotharingiæ Godefridus, Godefridi Gibbosi ex sorore nepos, vir magnæ potentiæ et famosi nominis, eâ intentione quâ cæteri, sed majori devotione quàm plures alii : qui zelum piæ actionis jam mente conceperat, in tantùm ut Hierosolymam peregrinaturus, possessiones suas venderet et earum pretium secum deferret. Itaque patrimonii sui quod ei satis magnum remanserat, pretium feneratus est Domino, dum miseretur pauperum, et pro temporalium impendiis æternorum lucratus est stipendia meritorum. Huic inter cætera possessionis suæ prædia erat castrum Bullio nomine, naturæ opere valdè munitum, inter confinia duorum regnorum positum, Francorum scilicet et Lotharingiorum, E adjacentibus utriusque regni provinciis. Hæc Marchia Leodiensi nimiùm vicina Episcopio, illud assiduè cædibus, rapinis pupillorum et viduarum omni genere vastabat, dissipabat, et maxima ex parte suis redditibus et justitiis mutilabat.

Hâc inductus necessitate Obertus, vir sagax utiliumque provisor, in negotiis divinis et humanis apprimè eruditus, dum venalis hæc possessio proponeretur, expertus quid per eam mali passus fuisset, videbat omninò, si eam posset adipisci, quòd non solùm sibi, sed duorum quoque regnorum paci consuleret. Distulit

(*a*) Ipsemet qui tunc Namurcensi Comitatui præerat, Henricus vocabatur, nullusque cognominis ei frater erat.

(*b*) In ms. codice Reginæ Sueciæ, quo continetur chronicon investititi S. Andreæ Leodiensis, legitur : *Anno* MLXXXII, *statuta est pax Leodiensis et conservata per Regem et Principes Romanorum ; sed Comes de Rupe se et suam terram exemit ab hac pace.*

(*c*) Quartum appellant quibus placet Henricum Aucupem numero Imperatorum accensere.

Digitized by Google

A tamen se huic negotio ingerere , donec divinâ donante clementiâ , hæredum successio ab hoc placito desisteret ; et memoratus Dux , cessantibus carnis hæredibus , accepto beneficio , Ecclesiam B. Lamberti hujuscemodi conscriberet possessionis hæredem. Adfuit divina misericordia ut offerret B. Virgini et pio Martyri prædictum castrum , ob memoriam animarum prædecessorum suorum : conditione interpositâ ut , si infra tempus præfinitum a se vel a suis successoribus tribus , quos ipse præscripserat , non redimeretur , deinceps possessio , sicut disposuerat , cum castello perpetuò Ecclesiæ assignaretur. Episcopus itaque miseriis pauperum compatiens , piè violentus memoriam B. Martyris , loculum scilicet in quo jacebant sacratissimæ ejus reliquiæ auro coopertum , excrustavit ; et majori Ecclesiæ et omnibus totius Episcopii Ecclesiis aurum , gemmas et cætera quæ decoro ambitu altaria , pulpita et textus Ecclesiarum venustabant , detraxit : et mille trecentis
B argenti purissimi et tribus auri marcis undecumque corrasis , prædictum castrum emit , et hac pecuniæ summâ Duci traditâ , multorum direptiones , captivitates , mendicitates , pericula , mortesque redemit. Dux quidem et fratres sui Hierusalem adiverunt , ibi strenuè rem vitamque consummaverunt ; hæredes subscripti diem obierunt , et possessionem Bullonii sine omni reclamatione , legitimis successoribus de medio factis , Ecclesiæ reliquerunt. Sic absque omni injuria , Dei dispositione , Oberti providentiâ , possessio Bullonii in jus ditionemque Leodiensis cessit Episcopii. Episcopus hanc ut servaret sollicitus invigilavit , animos accolarum magnis frequentibusque donariis , utpotè vir animo vigens , sibi conciliavit , et quod acquisierat quo labore tueretur sedis suæ successoribus experiendum reliquit....

His diebus facta est contentio magna inter Obertum Leodiensem Episcopum *Cap.* 14.
et Comitem Lovaniensem de Comitatu de *Brunengeruz*, quem tenet Comes
C Namurcensis ab Episcopo Leodiensi : qui Comitatus incipit a Pollo-mortis , et inter duas villas *Hercines* usque ad Canitium pontem. Ab hinc vadit inter Jusanam villam et *Scitrud* , ad Mallum , ad *Brunengeruz* , ad rupem quæ vocatur *Sotaelfouarge* , ad puteum Longæ-villæ , totam vallem *Hachewadat* , ad S. Brunonis quercum juxta *Kalmont* , ad Kalmontem aquam ipsam sequendo usque ad Sanctum-Quintinum , sicut currit Tylus. De Sancto-Quintino vadit usque ad Roberti vadum , sequendo aquam ad *Corbeth*. Dehinc vadit usque ad *Louvil* , ad villam *Chisechim* , ad villam *Bechechim* , ad villam *Glabeche* et ad Pipini vadum , et de Pipini vado usque ad transitum *Grimenc* , et inde usque ad pontem *Aldevort* per gyrum redit ad priorem terminum Pollo-mortis.

De hoc Comitatu , ut supra diximus , fuit contentio inter Obertum Episcopum et Godefridum Comitem Lovaniensem. Et quia Comes Lovaniensis magnum
D beneficium tenet de Ecclesia B. Lamberti , Episcopus Obertus , collectis fidelibus Ecclesiæ , de hoc eum interpellavit : et Comes Lovaniensis, sub ipso articulo datis obsidibus , sex liberos homines circummanentes ex sua parte elegit , et Episcopus sex ex sua parte , qui facto juramento litem terminarent , et jus S. Lamberti de hoc Comitatu ostenderent. Factoque juramento , convictus Comes Lovaniensis Godefridus , Comitatum istum de *Brunengeruz* , coram liberis hominibus et beneficiatis et fidelibus Ecclesiæ Leodiensis , exfestucavit : et Episcopus Obertus , in præsentia omnium Alberto Comiti Namurcensi Comitatum istum recognovit in beneficium. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini MXCIX , Indictione VII , imperante Henrico quarto....

His etiam diebus dominus Petrus Eremita , qui cum Godefrido Duce Hie- *Cap.* 16.
rosolymam profectus fuerat , acceptis reliquiis a domno Arnulpho Hierosolymi-
E tano Patriarcha , de sepulcro scilicet Domini et de reliquiis B. Joannis-Baptistæ , cum privilegio Crucesignatorum domino Oberto Leodiensium Episcopo transmisso , ad partes Leodienses revertitur : ubi fundavit Ecclesiam *Hoii* novi Monasterii in honore Sancti Sepulcri et B. Joannis-Baptistæ , in qua vir vitæ venerabilis , assumptis aliquantis viris religiosis , plantavit Regulam sanctissimi Patris Augustini. Consummato autem vitæ suæ curriculo , in bona senectute diem clausit extremum , VIII Idus Julii (*a*) : cujus corpusculum dignè mandatur sepulturæ a toto Clero et populo Hoyensi , in latere Ecclesiæ...

Iisdem diebus (*b*) idem Obertus Episcopus castrum de *Mierewaut* refirmavit , et Bovonem de *Wahar* Castellanum fecit. Item Clarimontis castellum B. Lamberto

(*a*) Anno 1117 Petrus Eremita demortuus est ex supra citato codice Reginæ Sueciæ.

(*b*) Albericus idem habet an. 1099 : unde emendanda nota marginalis supra p. 591.

Digitized by Google

multo pretio acquisivit (*a*)... et alia multa utilia fecit, resque publica in manu ejus diu prosperata floruit... et non multò post, scilicet anno Pontificatûs sui octavo decimo * pridie Kal. Februarii vitam finivit, anno Dominicæ Incarnationis MCXVIII, sepultusque est in Ecclesia S. Lamberti in choro inferiori, scilicet sanctæ Dei Genitricis Mariæ....

* *Corr.* XXVIII

Cap. 20. Igitur, ut diximus, Antistite Oberto universæ carnis viam ingresso, convenientibus in unum fidelibus, de substituendo pastore diu invicem contulêre; sed orta est magna dissensionis procella, tumultuantium fluctibus naufragante Ecclesiæ naviculâ. Discordare ad invicem Clerus et populus, nobilitas et vulgus; electionis tamen dies in communi præfigitur. Interea Dux Lovanii [Godefridus] aliique nobiliores Alexandrum Archidiaconum et Sacristam seorsùm trahunt, et quia cum eo consentirent, ageret ipse gnaviter, aperiunt. Ille credens, si quid deliquisset, eorum ope tutum fore, Henricum Imperatorem cum prædictis nobilibus adit ac repræsentat, et ab illo ipsum baculum pastoralem cum annulo accipit. Investitus sic a manu excommunicata de Episcopatu Leodiensi, reversusque, a duabus duntaxat Congregationibus, quarum ipse Præpositus erat, suscipitur; nam dominus Fredericus majoris Ecclesiæ Præpositus, reliquis Ecclesiis ne illum susciperent interdixerat.... Porrò Alexander ponè subsequentibus duabus Congregationibus ac Duce Lovaniensium, cum maximo militum et totius factionis ejusdem comitatu, ubi Ecclesiam ingressus est, signum de more pulsaturus arripuit; sed rupto fune, frustra attentavit: quod pro sinistro omine multi acceperunt....

A

B

Cap. 21. Archiepiscopus Coloniæ Fredericus, cognitâ prædicti Alexandri promotione, mandat Leodii ne susciperetur, Apostolicâ suâque auctoritate. Jubet præterea primos Ecclesiarum Dominicâ in Palmis * coram adesse, ut rem certiùs posset discutere. Quid multis? iterùm est res canonicè ventilata. Alexander bis terque vocatus est. Leodienses verò in propria sede electionem faciendi licentiam petunt; si prosperè cederet, gratias acturi; si secùs, nono Kalendas Maii Coloniam ingressuri: nam in hoc tempore concessa est ab Henrico Rege sanctæ Romanæ Ecclesiæ cæterisque sibi subditis electio et datio libera annuli. Reditur, Synodus renovatur, consulitur super his. Factionem Ducis Rex impedit, Agrippinam recursat. Eo loci de Spiritu sancto Missâ peractâ, affuit inter eos spiritus consilii: nam dominum Fredericum mirâ fidelium unanimitate elegerunt, felicem fore dicentes tali Ecclesiam Pastore. Collectâ subinde Remis Synodo, Apostolicæ sedis Pontifex Calixtus adfuit, Electumque dominum benedixit. Ita consecratus dominus Fredericus Episcopus Leodiensis LVI, Leodium nudis pedibus repatriavit: processitque ei obviam totius Cleri populique multitudo, et facta est lætitia magna in populo.

* An. 1119.

C

D

* An. 1120. Fautores interea * Alexandri tabescentes in se malitiâ recrudescunt, nullam quam ei inferre possent malitiam prætermittunt. Alexander ipse in castello Hoyensi erat, Ducis Comitisque Lamberti sibi promissum operiens adventum. At dominus Fredericus Episcopus, et frater ejus Comes Namurcensis Godefridus, Princeps

(*a*) Præter hæc castrum de Couino quinquaginta auri marcis emit, ut constat ex subjecto diplomate quod e libris chartarum Ecclesiæ Leodiensis descripsit Chapeavilleus. *In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis.* « Omnibus tam futuris quàm præsentibus notum fieri volumus, quòd ego Obertus, » Dei gratiâ Leodiensis Episcopus, honori Ecclesiæ consulens et utilitati, emi a Comite » Balduino de *Mont* castellum de Couino cum » appendiciis ejus, consilio et suasu fidelium tam » Clericorum quàm laïcorum, propter pacem et » tranquillitatem perpetuò habendam; quia malefactores ibidem commorantes rapinis et prædis, aliisque maleficiis miserabiliter vexabant » Episcopatum. Itaque afflictione pauperum commotus et consultu sapientium persuasus, conveni cum prædicto Comite, quatenùs illud » castrum traderet Sanctæ Mariæ Sanctoque Lamberto, tali conditione, ut duas Præbendas darem duobus filiis suis in Ecclesia S. Lamberti, » et majori eorum darem alias Præbendas in omnibus aliis Monasteriis, insuper et Custodiam » post decessum D. Wazonis Custodis, tali videlicet tenore, quòd si major frater moriatur, » alter honorem ipsum et Præbendas reposcat et » obtineat. Præterea ipsi Comiti dedi in proprios » usus, pondo auri, marcas quinquaginta: quod » pactum ideò libentiùs et benigniùs Ecclesiæ Dei » propter salutem animæ suæ concessit, quia gratiâ divinâ inspirante, animo conceperat cum » aliis devotis Christianis Hierosolymam profici. Tradidit igitur coram idoneis testibus, » ad altare S. Mariæ Sanctique Lamberti, per manus Raineri Advocati, præsente et annuente » uxore ipsius Ida cum filiis suis Balduino, Arnulpho, Lodewico, Henrico, castellum supradictum cum omnibus ad illud pertinentibus, » in Ecclesiis, mancipiis, villis, campis, sylvis, » pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, » cultis et incultis, viis et inviis, exitibus ac reditibus, et omnibus quæ justè possunt et debent » nominari ad honorem illum respicientibus, a » fluvio Mosa usque ad Cinacum, et usque Leisiam et *Belmont*, et Ruminiacum, et cætera » loca, quousque termini ipsius loci longè latèque » ex tenduntur. . . .

» Actum est publicè Leodii, XVIII Kal. Julii, » anno ab Incarnatione Domini MXCVI, Indictione » tertiâ, imperante nobilissimo Henrico tertio » Romanorum Augusto, et præsidente Leodiensi » cathedræ domino et venerabili Oberto, anno » ordinationis suæ in Episcopatu quinto ».

militiæ

Digitized by Google

A militiæ exercitùs Domini, videns quia multiplicata sunt mala in terris, dederunt se murum pro domo Domini, periculis sese objicientes. Nam dispositis necessariis, Hoïum petunt; incolæ verò ultrò fores aperientes, obviam pergunt, se suaque omnia dedentes. At illi ingressi, castellum expugnare sunt aggressi; cùm interea Dux magno cum exercitu nunciatur adventare : cui ut obstrueretur transitus, concurrentes quidam ad pontem, in securi et ascia dejecerunt eum. Ita Ducis frustratus est adventus. At parte ex alia Lambertus Comes [Montis-acuti] per angustam semitam inter fluvium Mosam et asperrimam rupem, amotis equis propter difficultatem loci, cum ingenti suorum multitudine adveniebat.

Eodem die Godefridus Lovaniensis Comitatum Hoii succendit, pars suorum nostros sequentes (*a*) pontem transiit; sed Comite viriliter resistente, plures submersi fuerunt, reliqui verò cum suo Duce montem turpiter statim reliquerunt.
B Cui frater Episcopi occurrens, ubi audiri ab eo potuit : « Ergone, ait, contra » me in arma venis, cui hominium ex justa causa fecisti » ? At ille frendens : « Omne, inquit, hominium ab hodierna die exfestuco ». Tunc frater Episcopi : « Et ego te, ait, ut perfidum hâc hastâ per medium fallacis oris transfigo ». Dixit, jactoque telo, fauces ejus trajecit. Hoc ille oppidò sauciatus jactu ruit, tenetur, vinculis mancipatur.

Interea Dux cum gravi ira inefficax rediens, omnia municipia Episcopii et Comitatùs Namurcensis vastabat; omnesque fortes suo copulans agmini, Leodium in manu gravi accessit. Reversus et ipse Episcopus unà cum fratre suo, crebros et maximos ejus æquipollenter expugnavit assultus, gratiâ Dei per omnia victor existens.

Sed cùm jam pacata essent omnia, abstulit Dominus validum et fortem a po- *Cap.* 22.
C pulo suo; nam anno secundo suæ ordinationis, secundo Kal. Julii migravit ad Dominum anno ab Incarnatione Domini MCXXI, sepultusque est in Ecclesia S. Lamberti.... Defuncto domino Frederico, prædictus Alexander reducitur in urbem a suis et cum suis.

Successit domino Frederico dominus Albero, * Primicerius ex Clero sancti Ste- *Cap.* 23.
phani Metensis, frater Ducis Lovaniensis Godefridi, vir summæ auctoritatis et * An. 1123.
innocentiæ, qui columbinâ simplicitate canonicè electus, substitutus est Præsul Leodiensis Ecclesiæ LVII, ad cujus ingressum quanta pax Ecclesiæ sanctæ redierit, quomodò prædonum incursus cessarint, ipsi quoque Principes timore perculsi, tanquam præsente leone cætera animalia, conquieverint, videre jucundum fuit.

Hic, rebus Ecclesiæ in pace relocatis, obiit in Circumcisione Domini anno Domini MCXXVIII, sepultusque est in Ecclesia S. Ægidii in Publico-monte juxta
D Leodium ante majus altare....

Quinquagesimus octavus Leodiensis Episcopus dominus Alexander supra me- *Cap.* 24.
moratus, Archidiaconus ex Clero S. Lamberti, canonicè per ostium in ovile ovium ingressus est, communi siquidem omnium consilio electus, et dono Regali xv Kal. Aprilis * confirmatus, Episcopatum obtinuit. Fuit vir magnæ prudentiæ, * An. 1128.
sagacis facundiæ, in humilitate præcipuus, in oratione devotus, in eleemosynis pauperum nulli suo tempore secundus.

Eo tempore *, turbato rerum statu in toto ferè orbe Romano sub duobus Apos- * An. 1129.
tolicis Innocentio et Anacleto, duobus Regibus Lothario et Conrado, duobus Ducibus Godefrido Lovaniensi et Pagano de *Lemburch*, cùm omnia dissensionum nutarent motibus, et in judiciis causa justitiæ plurimùm periclitaretur impunitate scelerum, multi adversùs Ecclesiam calcaneum erexerunt, cædibus
E quoque et rapinis et incendiis Episcopium Leodiense attriverunt, illi maximè qui, si incumberent hostiles acies, illud defendere et tueri debuissent, completâ sententiâ quæ dicit : *inimici hominis domestici ejus*. Non defuerunt tamen periclitanti Ecclesiæ sanctæ patrocinia beati Martyris Lamberti. Nam Alexander Episcopus contra Lovaniensem Ducem pugnaturus, orationum munitus clypeis, triduano indicto jejunio, in congressu impar, innumerabilem sub mœnibus Durachii fugavit et protrivit exercitum, prostratâ ibi nostris inauditâ diebus multitudine adversariorum, captoque Ducis vexillo, dicto gallicè *Stendart*, opere plumario a Regina Angliæ [Adela] ei misso, quod fastu superbiæ quadriga boum ferebat; in cujus victoriæ memoriam dictum vexillum per multos annos postea, per Leodium in Rogationibus ab Ecclesia B. Lamberti deportatum fuit. Summa autem

(*a*) Hæc obscura valdè non habet vita Frederici quam exscripsit Ægidius. Vide supra p. 597.

Digitized by Google

eorum qui ibi mortui sunt, fuit peditum utrimque nonagentorum et viginti quatuor, exceptis his qui fugientes in segetibus vel in sylvis vulnerati perierunt, et qui in aquis suffocati sunt, quique ad sua regressi incertis horis et diebus sunt mortui, quorum summa non potuit colligi. Actum VII Idus Augusti, anno A

Milleno centeno partûs Virginis alvo
Bis deno simul et nono, regnante Lotharo,
Cùm pater Augustus septem numeratur in Idus,
Lovaniensis Dux vix campo cessit Godefridus :
Præsul Alexander lætatur honore triumphi,
Consonat in laude Legia viro Dei.
Villeris est villa, res est hæc gesta sub illa,
Miles nulla luit, vulgus inerme ruit.

Cap. 25. Alexander itaque, dum quasi domesticis intendit hostibus, ab eorum incursione B fines suæ diœcesis vix conservans, dumque tum suis, tum regni institit negotiis, divisus ad multa minùs sufficiebat cogitare de singulis : unde nactus opportunitatem Comes quidam Barrensis, Raynaldus nomine, homo singularis perfidiæ, proditionumque famosissimus signifer, castrum Bullonium, corruptis pecuniâ custodibus, probrosè et cum ignominia, nocturno furto, funibus, ut dicitur, in illud a proditoribus attractus, intravit, et beatum Martyrem domo quam magno ære comparaverat, spoliavit (*a*).

Cap. 27. Anno Domini MCXXXI, Gregorius, qui Innocentius dictus est secundus, multo comitatu Episcoporum et Abbatum a Francia in Lotharingiam transit, et Dominicâ IV Quadragesimæ, quæ est XI Kal. Aprilis, Leodium venit : ibi a Lothario Rege Alemanniæ, et a domino Alexandro Leodiensi Episcopo, et aliis multis Episcopis et Abbatibus tam Lotharingis quàm trans-Rhenanis, muneribus C honoratur, tota civitas in obsequio fervet, et Dominicâ in medio Quadragesimæ, ab Ecclesia S. Martini in Publico-monte usque ad Ecclesiam S. Lamberti, publicam et solemnem instituit processionem, Missam celebravit, ibi Regem et Reginam coronavit. Æstimati sunt a quibusdam XXXII Episcopi et Abbates affuisse, inter quos fuit unus sanctus Abbas Bernardus Claræ-vallis. Rediens Papa a Leodio, Claram-vallem divertit. Post quinquennium autem prædictus Alexander Pontifex, invidis contra se machinantibus, ab Innocentio Papa depositus fuit. Cùmque videret se injuriâ depressum, præ nimio dolore ægritudinem incurrens, statim post depositionem suam defunctus est, pridie Nonas Julii, anno Pontificatûs sui sexto, ab Incarnatione Domini MCXXXV, sepultusque est in Ecclesia S. Ægidii in Publico-monte.

Cap. 28. His diebus, cùm in derisum et subsannationem venisset civitas Leodiensis his D qui erant in circuitu ejus, per turpem Alexandri depositionem ; communibus votis, pari assensu, Clerus et populus subrogavit sedi Leodiensi Alberonem hujus nominis secundum (*b*), Primicerium Metensis Ecclesiæ, juvenem quidem ætate, sed in signum maturæ mentis canum capillo, eique laborantis Ecclesiæ pondus et æstus portare commisit. Elegerunt eum sanè columnæ Ecclesiæ, hâc spe maximè quòd esset de prosapia Namurcensi, prosapiâ a mari usque ad mare palmites suos protendente, et sororis suæ filius esset Dux Lovanii Godefridus, filius prædicti Godefridi Ducis.

Albero itaque.... cœpit totâ vigilantiâ laceras Episcopii sui partes recolligere, impignoratas redimere, ab aliis ereptas arte quâ poterat et modis omnibus recuperare ; in quibus autem per se non sufficiebat, Regiam auctoritatem precabatur, magnis et gravibus expensis frequentans Curiam, omniumque potentium exorans E clementiam. De injustitia et tyrannide quorumdam violentorum in conspectu eorum conquerebatur, maximè tamen super Bullonii amissione et ignominiosâ Raynaldi detestabilique proditione (*c*).... Romam quoque adiit supremum refu-

(*a*) Castrum Bullonium dicitur infra in jus Leodiensis Episcopi revocatum *anno a pervasione duodecimo*. Proinde cùm triumphus B. Lamberti de Bullonio castro in annum 1141 incidat, pervasio hæc anno 1129 esset illiganda. At Auctarium Gemblac. habet illud *per annos septem* a Raynaldo fraudulentâ pervasione fuisse retentum ; cui concinit Albericus ad an. 1134.

(*b*) An. 1136 ; quippè sedes Leodiensis post Alexandri obitum novem aut decem mensibus vacavit.

(*c*) Quæ narrat Ægidius de emptione castri Bullonii per Otbertum, tum de proditoria ejus amissione, ac demùm de felici recuperatione, ea ferè verbo tenùs, sed contrahendo, descripsit ex libello Scriptoris coævi Canonici Leodiensis, a Chapeavilleo T. II, p. 577 edito, cui titulus : *Triumphus S. Lamberti Martyris de castro Bullonio*, quem hac de causa nostræ collectioni inserere supersedimus, satis esse arbitrati, si paucas quæ inter hunc et Ægidium occurrunt, differentias notaverimus.

Digitized by Google

A gium miserorum, querelam suam in auribus B. Petri ejusque Vicarii deposuit : petens et flagitans ut justitia non negaretur, et anathematis sententia in obstinatum rebellemque tyrannum jacularetur. Hoc pridem sibi caverat versutus ille et callidus, Romam adierat, Apostolicum salutaverat, et in gratiam curiæ receptus erat, Haimerico Cancellario mediante : ubi etiam mendaciter narraverat Apostolico fabulam, hæreditariâ successione Mathildis Marchisæ hanc sibi provenire Marchiam, fingens se Ecclesiæ velle reddere, quam præstiterat mille trecentarumque marcarum pecuniam. Conciliatis ergo sibi potentiorum animis, hanc ab eis, ut dicitur, acceperat sibi confirmatam attestationem, quòd, quamdiu viveret, nunquam pro hac re ei intentarent excommunicationem. Quapropter Episcopus secundò rediit inefficax, neque apud Regem justitiam, neque apud Vicarium B. Petri ullam consecutus est misericordiam.

B In tribus denique Regalibus curiis, Conrado videlicet II regnante Romanis, *Cap.* 29. censuram super hoc tam Regis quàm Procerum interpellavit. Verùm nihil adeò profecit, ut aper idem vastatorius.... acriori rabie spirans, illustre oppidum Fossis, S. Foliani Martyris et corpore et memoriâ venerandum, dolo similiter furtimque aggressus, nulloque obsistente, everteret per incendium; nam cives, re inopinatâ attoniti, quaquaversùm diffugerant. Quocirca vis flammarum non solùm domos ac turres, quin et sacram Martyris ædem officinasque corripuit et absumpsit, Episcopalem quoque domum septaque muralia hostilis manus pessumdedit (*a*). Alia etiam passim Episcopio damna intulit. Quapropter Episcopus Romam adiit, jam tertiò Apostolicum attentavit patrocinium, super tanta scelerum immanitate exoravit ejus judicium vel sententiam. Sed cùm hoc parùm perpendisset prodesse, reversus in sua, per se tandem ac per suos experiri negotium
C intendit. Itaque conciliatâ Primatum suorum fidelitate, communicato assensu et auxilii sponsione, Bullonium obsidere statuit. Verùm quia facto anticipasse famam, rebus nonnunquam (*b*) profuit, omnia secretò agitans, quod moliebatur adversarios latere studebat : quò præventi cautiùs, claudi possent faciliùs.

Anno igitur sui Episcopatûs quinto, XVI Kal. Septembris *, cum quibusdam *Cap.* 30. Principibus et electis equitibus, in obsidionem processit. Egressi tunc fuerant duo * An. 1141.
filii Raynaldi, Hugo qui et natu major et Rainaldus junior, excursionem in Episcopio facere ac prædari, multaque cum illis militum manus in armis expeditorum : quibus milites Episcopi occurrentes congressi sunt, illosque in castrum abactos constanter obsedere, ferro ignique grassantes. Quamquam verò castrenses ampliori essent numero, tamen rati plures quàm viderent hostes in insidiis delitescere (nec enim tam arduum opus tam paucam multitudinem aliter præsumpD sisse) dum liberè possent egredi aut ingredi, solâ tenebantur formidine inclusi. Loci tamen fortitudine confisi (*c*), eousque vilipendebant obsidentes, ut totam noctem epulis consumentes, cytharâ pueros et puellas agere choros in eorum irrisionem præciperent, maximè cùm illos qui prærupta montis jam occuparant, abegissent, et quosdam peremissent. At Episcopus et qui cum illo erant, stationem castris præscribere, tentoriorum præscribere diversoria, tum noctu et interdiu excubias et custodias agitare, parati semper esse, ne quandò aut obsessi erumperent, aut Comes Raynaldus (quod sæpè fama minabatur) repentè cum exercitu incurreret. Abundabant verò rerum commeatu necessariarum, lætaque ministrabant equis pabula circumjacentes agri, necdum demessis segetibus, ubere glebâ prædiți.

(*a*) Chronica Lobiense et Leodiense Labbeanum castri Fossensis incendium illigant anno 1140; sed illud perperàm conferunt in Henricum Namurcensem Comitem, ut iis in locis notavimus.

(*b*) Leg. *nunquam ;* vel si nonnunquam, *obfuit*.

(*c*) Situm et firmitatem castri Bullonici graphicè describit Auctor Triumphi S. Lamberti p. 578, his verbis : « Rupes enim, inquit, adjacenti flumine » Simoï, quod utroque latere idem castrum alluit, » in directum procedens et in enormem se attollens » magnitudinem, in superioribus suis in longum » latus et arduum protenditur; sed nec ibi ullâ » sibi blandiens planitie, intercisis prærupta sco» pulis, eis quoque quos recipit præter artis ad» miniculum inaccessibilem se profitetur : quæ » quidem inter medium montium posita utrobi» que ab eis circumvallatur, sed a se eos declivis » sinus vallium et alveus subterfluentis fluminis » secernit, divisis separatisque spatiis, ut ei sint » potiùs ad munimentum, quàm ad ullius machi» namenti quod obstare possit detrimentum. Ab » his autem montibus qui in castello fuerit nec » jactus lapidis, nec tractus reformidat balista» rum vel arcuum, quin a supercilio rupis des» cendat per viam usu et arte tritam ad aquam » hauriendam; penè ab omni securus injuria, » nisi ab ipso vallis confinio ei jaculum intentet » cum sui periculo cautus arbalista. Hæc verò » rupes in se vel in suis præruptis scopulis nullos » nisi de nubibus veretur assultus; et videres eos, » nec contingeres, de scopulo ad scopulum re» pere manibus ac pedibus. Sola ei obesse po» test jugis obsidionis cum innumerabili multitu» dine injuria, si desit obsessis victualium et ne» cessariorum copia. Locus autem ad unum vel » duo penè milliaria condensis circumdatur salti» bus, ut vix aliquis per arctas et angustas vias, » si non est qui prohibeat, admittatur exercitus. »

Digitized by Google

* *La riviere de Semois.*

Hostium serviebat usibus molendini officina, penès fluvium Simoïs* instituta : quæ ad victum dum esset accommodata, spe ad resistendum illos armabat non minimâ. Cujus quidem rotas ut levior incitaret motus, aquæ artificioso contextu sepium retentæ collectiores atque rapidiores superinfluebant. Quin et ipsi officinæ suum erat præsidium, quo ab hoste defenderetur. Intendit ergo hanc interrumpere Henricus Comes Namurcensis, hortatusque socios, primus fluvium irrumpit, quatinùs diruptis aquarum retinaculis, in proprium eas alveum reflectat : quem tres balistarii appetentes jaculis, unus anteriores armos equi super quem sedebat, alius crus ipsius, tertius nihilominùs ejusdemequi transfigunt ilia; quo ruente, sessor in fluvium unà decidit. Utrimque oritur ingens spectantium clamor, efferuntur hostes gaudio; Comiti, nec mora, socii subveniunt, ab undis protrahitur. Sed injuria iræ indignationisve stimulus est. Ne diu itaque hostes lætarentur, Comes, alligato vulnere, ad cœptum opus acrior rediit; nec abstitit, donec dejectis obstaculis, aquas liberum ad cursum revocasset. Sic obsessorum gravi dispendio eidem officinæ molendi exemit officium. A B

Interea cùm ob difficultatem vel suspectas locorum angustias nullus adire castra vel importare quidpiam auderet, necessariæ obsidentibus deficere res cœperunt. Proinde Episcopus, missis quoquoversùm nunciis, de toto equites ac pedites Episcopio convenire edixit, affatimque victualia conduci, aliaque necessaria in expeditionem. Tunc certatim confluentibus copiis, assultus plurimi agebantur. Oppugnabant hi, repugnabant illi, vulnera mortesque hinc et inde. Neque autem quidquam ab obsessoribus omittebatur, quod fore in rem contra obsessos crederetur. Dum firmitas verò loci difficultasque omnia despiceret, solùm illud in spem adduxerat obsidentes, uti profligarentur fame, quos humana fortitudo vel ingenium minùs valerent subigere. Obsessis igitur omnes egrediendi seu ingrediendi vias præcludere moliebantur. C

Ea dum agerentur, nutu Dei omnia suaviter disponentis, Episcopo et majoribus Ecclesiæ visum est, ut venerabile B. Lamberti corpus de suæ pausationis loco motum ad castra deportaretur, quatinùs præsentiâ vel munimine tanti patroni amplior accresceret animus exercitui; atque ubi virtus cessisset humana, divina per suum Martyrem dignaretur operari omnipotentia. Nam Principes exercitusque omnis, populus denique civitatis qui edicto erat Episcopali processurus, id summoperè efflagitabant. Quocircà, licèt multâ hæsitatione, multo deliberationum tractatu, postremò tamen complacitum est tantæ necessitati satisfieri : quod etiam approbasse Martyrem tum successu rerum, tum et revelationibus et indiciis est quibusdam satis compertum....

Cap. 31. Igitur sexto Kal. Septembris * convenientibus tam Monachis quàm Clericis D
* An. 1141. atque numerosâ diversi sexûs et ætatis frequentiâ, Abbates virique religiosi subeuntes in secretarium cryptæ, quod tantum asservabat thesaurum, debitâ sacrum feretrum reverentiâ extulerunt, laudesque Deo in voce exultationis et confessionis personantes, in medio Ecclesiæ locaverunt....

Cap. 32. Sequutâ dehinc nocte apud villam Uphei mansione dispositâ, ubi præstolabatur Leodiensis exercitus, devota fidelium sedulitas cum incolis loci celebre exegit pervigilium. Inde matutino cùm movissent, advenit qui diceret sequenti die, III videlicet Kal. Septembris, Raynaldum Comitem cum quingentis equitibus et quindecim peditum millibus bello conflicturum. Quapropter accelerato itinere, prono jam in occasum sole, in *Thelin* villulam venêre. Ibi burgenses Hoyenses paulò antè hospitati, sed hospitum humanitate hostiliter abusi, annonâ et rebus necessariis eos fuerant populati. Nocte ergo mediâ, directo ad Episcopum vere- E
dario (*a*) qui super belli statu disceret, cùm postera in lucem jam aurora erumperet exinde progressi, in Villantiam villam contendêre. Illuc rediens legatus, bellum eo procul dubio futurum die nunciat. Formidolosos sinister facilè rumor enervat; unde plures ineptâ formidine fracti, soloque auditu vulnerati, diffidentiâ muliebri subterfugêre : at cæteri cùm vitalis Ligni, tum S. Martyris confidentiâ potiùs quàm ferro armati, per angustos semitarum tractus in auxilium sociorum maturaverunt pectore virili. Ab utroque autem exercitu missi sunt exploratores, qui quomodò se partes haberent investigare ac referre deberent : qui dum sibi occurrissent, taciti ac dissimulantes ad socia se castra retulêre. Atque

(*a*) Explorator iste, in Triumpho S. Lamberti cap. XII, p. 592, dicitur Abbas Montis Cornelii, qui cum Joanne Sacerdote missus fuerat.

Digitized by Google

A hostes quidem, cùm ex suis exploratoribus cognovissent quanta obsidentium qui tunc confluxerant esset copia, satiùs probaverunt conatu temerario absistere, quàm periculum in se ultrò accersere.

Postea, quia fuerat auditum in castris Dominicæ Crucis insigne cum tanto *Cap.* 33. adesse Patrono, ab Episcopo exercituque armis instructo illis occursum est. Ea tunc castris incessit lætitia, eæ choros ducentium voces insonuêre, uti existimasses arcam fœderis Domini exercituum tunc excepisse Israël. Et sacrum quidem feretrum intra paratum sibi tentorium, in loco qui pratum S. Lamberti dicitur, receptum est, deputatis custodibus et Clericis qui congruis temporibus divinas ibi laudes dicerent. Quidnam in se contineret, quantam deferret opem mira cœpit continuò declarare potentia, ut liquidò patuerit omnibus venisse Deum in castra.

B Enimverò ad præsentiam ejus qui erant in castro, et qui sine præsidiis invicto *Cap.* 34. loci situ se inexpugnabiles arbitrabantur, subitâ hebetudine ac metu quasi fulmine tacti fuerunt: per hoc, si mens læva non fuisset, sibi animadvertissent prædici, quòd tali forent machinâ expugnandi. Quin etiam Hugo qui hæreditario jure ipsum post patrem castrum possidere sperabat, dum viso eminùs feretro juvenili arrogantiâ insultaret, toto statim dissolutus corpore cœpit tremere, sensuque perdito retrorsùm ruere: excors et insolens, qui non intelligebat cujus fieri cohæres injustè attentaret. Sed ubi paulatim ad se rediit, Raynaldum fratrem cum primis e familiaribus seorsùm evocat; quantùm tempus patitur, aperit intentionem suam, se S. Martyri satisfacere suumque castrum illi restituere velle: super eo voluntatem patris esse quærendam, ac ei quo urgeatur periculo insinuandum, se omnimodis illum obsecrare ut paternâ pereunti pietate prospiciat. Quod pe-
C tebat sese executuros illi compromittunt; induciæ ponuntur in hebdomadam, intra quam ad patrem ipsius hæc referrentur.

Interea Leodiensis acies post tertium adventûs diem, post Missarum agendam, post salutis commonitorium et peccatorum absolutionem armis accincta, præsidium quod superius tuebatur molendinum aggreditur, hoc cum officina injectis ignibus absumit; plures sauciati utrimque, et aliqui lethaliter occubuêre. Quin et Sacerdos quidam (*a*), dum periculo incautiùs se exposuisset, a balistario capite trajectus interiit.

Evolutis induciarum diebus, cùm præscriptus juvenis suos requireret quid egissent, quid super salute sua tractassent, vel patris quæ esset sententia; ubi nil actum intellexit, gravi stomachatus indignatione: « Seu volentibus, inquit, sive
» nolentibus, quod suum est S. Martyr recipiet. Sed en ego divinâ plector
D » animadversione, vestrâ hoc faciente obstinatione crudeli; en morior. Verùm
» ô milites! ô amici! si qua mei vos movet miseratio, si misero parcitis, inite
» jam demùm mihi ac vobis salubre consilium ». Dum instaret vehementiùs, illi ultrà non ferentes eum tam dirè anxiari, nocte secutâ per abditos silvarum calles misêre castri procuratorem et militiæ antesignanum, qui ad patrem illius rem perferret, ac ejus referret sententiam: qui juramento etiam firmavit quòd sequenti haud dubiè Dominicâ reverteretur, nisi fortè aut hostili captivitate aut morte præventus esset; sed ab eo fides est neglecta, posthabita est sponsio, nec enim peregit legationem, nec rediit ad socios, sed cuidam militi adjunctus, de his quæ in castra convehebantur prædationes agebat. Juvenis, qui morarum fastidiebat tarditatem, condictâ die a suis denuò requirens quænam voluntas seu deliberatio patris esset, ac respondentibus se nuncium misisse quidem, minimè
E verò esse reversum; tum acerrimo luctu æstuans et mente, caput horrendo cœpit modo agitare, seipsum discindere, manus brachiaque dentibus appetere, ad Sancti velle feretrum prorumpere. Verùm ligatus a ministris, remotioribus in locis continebatur, vulgato rumore quòd ægrotaret. Sed nullam eo admittente quietem, imò quæ sola sibi remanserant libera labia linguamque morsibus lacerante, idque inter inconditas voces crebriùs perstrepente, « Quærite consilium, quærite », illi mœrore et anxietate circumfusi, statuêre Raynaldum fratrem ejus tam tristis rei nuncium ad patrem deferre, si fortè filii præsentis aspectu absentis traheretur affectu, parvique penderet alienam hæreditatem, ob quam tam gratum amitteret hæredem. At cùm adolescenti processuro electissimum vellent equum exhibere, bestia neque ictibus urgeri, neque hortantium potuit vocibus moveri, quin

(*a*) Auctor Triumphi S. Lamberti cap. XVII, p. 597. vocat eum Gerardum.

Digitized by Google

verò fixo gradu in simulacrum putata est obriguisse.... Igitur Castrenses facilè A
conjicere poterant sese divinitùs impediri, atque superioris bestiæ repugnantiâ
suam rebellionem pertinaciamque redargui. Nec minùs porrò in eis quàm in juve-
nibus illis notam fecit Sanctus virtutem suam; quia post furoris contentionumque
jurgia, plerumque tantâ adversùm semetipsos armabantur insaniâ, uti alterutrum
appeterent, adeòque non exterioris solùm obsidionis vallarentur angustiâ, ve-
rùm, quo graviùs nihil erat, intestino discordiæ malo sua lacerarent mutuò
viscera.....

Cap. 35. Ædificabatur interea grandi opere machina quæ plurimam pollicebatur spem
adversarios opprimendi, quam scilicet manus artificis volubilem constituebant,
solidissimis subter rotis quatuor insertis; desuper verò stationem quæ dimicantes
contineret, crudis diligenter boum tergoribus vestiebant, quo tali obstaculo
missilia hostium impacta frustrarent. Hanc dum milites loricati mille quingenti B
traherent, ruptis subitò funibus, humi concidêre, tâlique ruinâ spe suâ frustrati
fuere. Quin et ligneum parabatur instrumentum super Simoïn fluvium collocan-
dum, quod balistarii sagittariis e castro jaculantibus objicerent; ex quo etiam ne
obsessi ad aquam hauriendam descenderent, diligenter observarent (*a*). Sed cùm
defluëret tempus in extruendo, tædere populum cœpit morarum, præsertim
dum profusior intemperantia priorem abundantiam gravi exclusisset victualium
inopiâ, gravemque gigneret continuus imber intemperiem. Porrò et milites qui
quolibet illustri facto suam enitescere industriam cuperent, cœperunt contra
Principes et de rerum dilatione conqueri, et quòd nihil agere præclarum jube-
rentur causari. Sed virtus divina profectò reservabat Martyri triumphales titulos.
Sic namque cuncta sapientium ingenia, sic cunctæ consultationes fluctuabant, ut
quod deliberatum vesperi esset, postero mane vix aliquandò agi placeret. Huc C
etiam accedebat quòd Raynaldus Comes plurimas contrahere copias, instanterque
moliri bellum ferebatur. Cùm se igitur plurimi subducerent, alii tædio, alii victûs
indigentiâ exhausti, decrevêre primores machinarum ulteriùs non præstolari con-
summationem, quin potiùs totis in commune viribus adversùm præsidia hostium
congressus experiri.

* An. 1141. Ad xv itaque Kal. Octobris *, qui dies glorioso splendescit natalitio S. Lam-
berti, ut se in expeditionem quisque pararet edictum est in castris: nam eo die
virtus Sancti magis sperabatur affutura præliatoribus suis. Tum verò exercitu pe-
ditum qui centenorum æstimabatur millium, exceptis militibus quorum tria erant
millia, certatim ad assultus concurrente, infinita lignorum ramorumque ex silvis
congeries advehebatur, quæ sub ipsa munitione [Bellimontis] aggesta, ignibus
admotis, nitebantur suscitare incendia; sed vento vehementi ex adverso spirante, D
injuriâ fumi simulque flammarum oppugnantes affecti, absistere cogebantur. Ita
nihil eo conatu perfecerunt. Verumtamen ibi quoque tunc operata est manus Mar-
tyris. Quamquam enim inconsultiùs plurimi pugnarint, ac nudo corpore et obviis
pectoribus fuerint hostibus expositi, nullus tamen fuit qui se plagatum, nullus qui
se illo quereretur fuisse assultu gravatum; nec militaris cohors questa est, cùm
munita ferro per abrupta montium reptando vix gradu conscendit, atque inter
duas munitiones quas ante majus castrum Comes extruxerat Raynaldus, constitit:
quæ profectò res non minimam erat hostibus necessitatem allatura, egrediendi vel
ingrediendi facultate interclusâ. Tanto autem dissensionis furore miseros ille dies
induerat, ut suæ defensionis ac salutis immemores ferali potiùs in invicem rabie
baccharentur.... Verùm jam vespero diem claudente, descendit exercitus de
monte, militibus duntaxat loricatis, studio acriori urgentibus, exceptis (*b*). E

Cap. 36. Venit tunc in castra Henricus Comes Salmensis, ex sorore Comitis Raynaldi
ortus. Hic ab Episcopo et Principibus petitis et impetratis induciis, locuturus
nepoti suo Hugoni quem esse inæqualem audierat, et tam illum quàm cæteros ad

(*a*) Auctor Triumphi S. Lamberti cap. XVII, p. 597. « Impediebant enim, inquit, nostri Duces » certaminis, Episcopum quidem machina quam » parabat in Bellomonte, ad capiendum illum » cum minori suorum detrimento; Comitem verò » domus quæ trahenda erat super Simoïn, in » qua arbalistæ constituendi calumniarentur aquam » haurire obsessos ».

(*b*) Auctor Triumphi S. Lamberti cap. XVIII, p. 599. « Jam verò, inquit, facto vespere, cùm pars » exercitûs descendisset, Comes verò Namurcen- » sis temerariâ et periculosâ audaciâ, plusquam » dignitati suæ et divitiis conveniret cum parte » aliqua militari (quos tamen in ascensu solitâ » animositate præcesserat) inter juga duarum mu- » nitionum resedisset, conati sunt qui erant in » Bellomonte eum abstrahere. Sed dum iterùm se » gravari ab eo assiliendo viderent, dextras pe- » tierunt ut cessaret assultus usque ad mane se- » quentis diei. Hoc die Comes Salmensis Hen- » ricus, etc. »

Digitized by Google

A deditionem hortaturus , in castrum successit. Ea nox inhorruit inclementiâ nimborum , pugnacique Austro placida serenitas cœlo quieto ejecta est. Discussit castra sæviens procella et affecit inundatio , sed exercitus laudabilis sufferentiæ scutum objecit incommodo : at milites qui pernoctabant in monte , nec aliquam intemperiem , nec armorum pertulere onera , eò quòd gloriosa sui Patroni protectio illis in securitatem et in absconsionem fuerit a turbine et a pluvia. Comes denique , viso juvenis tam exitiali malo , divinam esse animadversionem advertit ; compunctusque in lacrymas , ut simile caverent reliquos admonuit , unius etenim plagam pluribus fieri debere cautelam. Acceptâ proinde ab universis sponsione quòd , nisi intra dies septem a domino suo illis subveniretur , se et castrum redderent , ut idem Hugo ad feretrum Martyris efferretur et ab Episcopo solveretur excommunicatione , et eorum qui in Sanctum deliquissent veniam mereretur ,
B obtinuit. Verumtamen talis injecta pactio est, ut quousque fieret deditio , ipse juvenis apud Episcopum obses detineretur. Quin et frater illius Raynaldus qui ne fieret deditio pertinaciter restiterat , grandi dolore membrorum confectus ad feretrum perducitur , Sancto satisfacit , voto se obligat quòd res ejus nullâ ulteriùs temeraret pervasione , dummodò imminens evadere periculum mereretur : nonnulli etiam adversariorum alii alio ultionis modo mulctati sunt , ne quis leve existimet manus mittere in Sanctum Domini.

Interea Hugo longo angore consumptus , multùmque Martyris nomen implorans , diem clausit extremum (*a*) : sanè per hoc insinuans quo indignante compulsus sit ad exitum. Ad hujus patrem Comes præfatus maturè proficiscitur , supernæ indignationis iram , primogeniti mortem , alterius incommoditatem , suorumque miserias exponit attonito , suadetque sibi tandem ac suis consulat : cùm res enim
C tam in arcto sit , cedendum esse, et debere dimitti quod nequeat retineri.

Itaque perpendens barbarus ille , quia velle Divinitati repugnare conatus esset humanos excedere , malorum violentiâ exterritus , in deditionem consentit , anno a pervasione duodecimo.... Ejectis igitur e castro adversariis, XI Kal. Octobris * intromissum est splendido cum triumpho feretrum venerabile , et locatum in medio Ecclesiæ.... Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCXLI , Indictione quartâ , regnante Romanis Conrado II , anno regni ejus quarto , Episcopatûs autem domini Alberonis II quinto.... *Cap.* 37. * An. 1141.

Interea accidit ut , dum filii hominum irritarent in vanitatibus suis Dominum , abutendo maximè immoderatâ et lascivâ superfluitate vestium , et ipse in virga et verberibus visitaret iniquitates et peccata eorum , ita ut in quibusdam mundi partibus interdùm ipsa hominum corpora , illæsis vestibus , interdùm ipsæ vestes
D igne invisibili arderent , intactis corporibus.... Frequentes præterea motus ac turbæ , et a sicariis Arduennensibus furtivæ aggressiones et cædes , aliaque passim nostræ civitati incommoda tunc obtigêre : quod hominum genus, cùm se potissimùm latibulis tueatur silvarum , impunitatemque difficultatibus aucupetur viarum , plurimùm nonnunquam nocere , nec facilè verò circumveniri aut opprimi possit. *Cap.* 39.

Sub his etiam diebus , Prælatorum regularis fervor cœpit multùm tepescere ; nam mutato fidei calore in fervorem vipereum , sub virtutum specie studebant omnes avaritiæ. Præbendæ namque publicè vendebantur... Sacerdotes quoque , timore Dei postposito , abjectâque debitâ sui ordinis reverentiâ , nullâ compulsi necessitate , sed solâ succensi flammâ avaritiæ , Missam bis in die cantare et corpus Christi conficere non timebant. Insuper prædictæ civitatis cives filias suas
E passim et indiferenter absque ulla graduum discretione tam Clericis quàm laïcis matrimoniali fœdere copulabant , majoremque putabant libertatem eas Ecclesiasticis quàm sæcularibus desponsare personis ; cùm tamen per hoc potiùs sub peccati jugo servitute miserâ tenerentur.... His et similibus contaminata insolentiis , cùm omni lege careret ipsa Legia , ad iracundiam rursùs provocatus est Deus , *Cap.* 40.

(*a*) Falluntur ergo Vasseburgius et Calmetus , dum Hugonem patri superstitem fuisse asserunt , ac post eum Barri Comitatum tenuisse. Id verò fraudi fuit illis quòd aliquandò Barri Comes Hugo fuit appellatus , quod eatenùs verùm est , quia in regiminis societatem a patre fuerat adscitus : atque in hunc sensum intelligi debet , sequens epitaphium a Vasseburgo (*Antiq. Belg. fol.* CCCVI.) ex monumentis Abbatiæ S. Michaëlis ad Mosam , ubi sepultus fuit Hugo , descriptum , quo titulus ei Consulis tribuitur :

Hugo vir emerite , decus et flos stirpis avitæ ,
Tutor eras patriæ , legis et Ecclesiæ ,
Flore novo juvenis carnis resolutus habenis ,
Consul amande Jovis , fracte ruina tuis :
Nunc tibi de cœlis, precibus satrapæ Michaëlis,
Præmia det fidei gratia celsa Dei.

Digitized by Google

et contra ipsius urbis incolas vehementer exacerbatus.... Sacerdotes quippè A cæteræque Ecclesiasticæ personæ cum universo populo, in solemniis Paschæ et Pentecostes, cùm sanctam devotiùs aliis diebus Ecclesiam frequentare et Deo servire tenerentur, aliquam ex Sacerdotum concubinis purpuratam ac diademate renitentem, in eminenti solio constitutam et cortinis velatam, Reginam creabant; et coram ea assistentes in choreis, tympanis et aliis musicalibus instrumentis, totâ die psallebant, et quasi idololatræ effecti ipsam tanquam idolum colebant.

Albero interea ad Curiam Romanam citatus, in reditu suo, anno Dominicæ Incarnationis MCLV (*a*), Episcopatûs sui XV, Mannæ febre corripitur, Otridæ moritur, Ortinæ sepelitur, VII Kal. Aprilis.

Cap. 41. Post decessum domini Alberonis II, dominus Henricus Præpositus et Archidiaconus majoris Ecclesiæ, ab omni Clero et populo canonicè eligitur IV Idus
* An. 1145. Maii *,... eodem anno quo dominus Albero defunctus est. Hic merito suæ con- B
versationis et temporalium erga fratres suos stipendiorum administratione, ad hanc dignitatem raptus est potiùs quàm electus....

Cap. 43. Attexere verò opportunum reor, qualiter anno quoque ab Incarnatione Dominica MCLIII (*b*) virtus Martyris erga suos Leodienses claruerit.... Inter Henricum Episcopum Comitemque Namurcensem Henricum graves inimicitiæ a factiosis sunt hominibus conflatæ, ita ut plurimorum sibi infligerent damnorum incommoda, atque direptionibus, concremationibus villarum [et] Ecclesiarum, necnon hominum utrimque cædibus desævirent. Ad postremum decernere bello Comes non est veritus, collectâque equitum peditumque manu, Andennam accessit villam penès Mosam fluvium sitam; contra quem processit Episcopus, licèt equitum minore numero. Leodienses enim Hoyensesque cives dum classe præcessissent, metuens Episcopus ne adversariorum equitatus illos incursaret, C
sequi non distulit. Eâ preventus necessitate, equestres aggregare copias minùs potuerat. Sed procul dubio Christus Martyrem suum hoc etiam destinarat triumphoglorificare. Kalendis siquidem Februariis, cùm armatæ in pugnam concurrissent, tanto repentè pars hostium stupore alligata est, ut se imbellem ipsa stuperet, etiam ipsis quodammodò telis ad feriendum tardioribus. Primi ergo et electi eorum equites dejecti et capti sunt, fugâ cæteri sibi consuluere, e quibus nonnulli vel sauciati vel comprehensi; pedites aut cecidêre ferro, aut funibus constricti abducti sunt, nisi quos pedum salvavit velocitas. Fuit hic Leodiensis Ecclesiæ gloriosus successus, neque dubitandum accidisse quasi miraculum a Deo. Etenim dum adversariis nec virorum copia, nec armorum defuerit experientia, adeò ut securi de sua victoria funes quoque deportarent, quibus victos secum ligatos reducerent, ne unus vel ecclesiasticorum aut vulneratus aut captus fuit. Andana D
autem miserabiliter exusta est (*c*) cum appenditiis ipsius, etc. (*Vide supra, p.* 603.)

Igitur victores parcentes victis, maximè quia celebritas instabat [Purificationis] sanctæ Dei Genitricis, omissâ fugientium insecutione, triumphali cum tripudio in sua regressi sunt.

Cap. 44. Post hæc Episcopus Henricus,.... in reditu Italiæ apud Papiam defunctus est, pridie Nonas Octobris anno Dominicæ Incarnationis MCLXIV, Indictione XII....

Cap. 45. Henrico Episcopo successit Alexander II, filius nobilis domini de Orreo juxta Trevirim, Præpositus majoris Ecclesiæ, canonicè electus in Episcopum Leodiensem LXI, qui nihil clarum, nihilque dignum memoriâ in diebus suis fecit. Secundo enim anno Episcopatûs sui, in tertia expeditione quâ ipse Fredericus Imperator Romam Leoninam obsedit et incendit, cum multis Primoribus et Magnatibus imperii, gravi aëris pestilentiâ, morte repentinâ ibidem occubuit, V E
Idus Augusti anno Domini MCLXVII....

Cap. 47. Post Alexandrum Radulphus, vir secundùm sæculi dignitatem non infimus, frater scilicet Bertholdi Turingiæ Ducis, ac Conradi et Alberti, adjuvantibus avunculo suo Henrico Comite Namurcensi et aliis cognatis suis viris nobilibus, electus est Episcopus LXII, vir utique acri ingenio et sæculari prudentiâ, qui valdè laude dignus exstitisset, si quod acceperat gratis, dedisset gratis....

(*a*) Annum Alberonis emortualem ab Incarnat. 1145 statuunt chronica Leodiensia hactenùs a nobis recensita.

(*b*) Lambertus Parvus bellum Henrici Leodiensis Episcopi cum Henrico Comite Namurcensi an. 1151 collocat, anno verò 1150 Auctarii Affligemensis auctor: qui facilè conciliantur, habitâ ratione inchoandi anni.

(*c*) Breve chronicon Leodiense a Martenio editum Andanæ conflagrationem an. 1155 illigat, eamque a Duce Ardenensi et a Godefrido Comite Duracensi patratam dicit, Nonas Maii. Diversas igitur expeditiones perperàm in unam conflat Ægidius.

Hujus

Digitized by Google

A Hujus diebus Gerardus Comes de *Loz* cum armata militum manu oppidum Tungrense ingressus, domum Episcopi quæ proxima erat Ecclesiæ cum ipsa Ecclesia incendit, hominesque prædatus est. Quo dolore stimulatus Episcopus, cum exercitu peditum militumque terram ejus ingressus, villas et oppida ferro et flammâ penè delevit. Factum est hoc anno Domini MCLXX (*a*) Kal. Augusti, quo combusta sunt castra de *Loz, Chamont*, et Bilisia. *Cap.* 48.

(*a*) Lambertus Parvus ad an. 1180, *bellum,* inquit, *inter Comitem de* Loz *et Episcopum Leodiensem.* Monemus verò editionem Chapeavillæi, incuriâ fortè Librarii, sæpiùs quoad numeros vitiatam esse.

B EX HUGONIS (*a*) FLAVINIACENSIS ABBATIS CHRONICO VIRDUNENSI.

Apud Labbeum T. I. novæ Biblioth. Libr. Mss. pag. 194.

ANNO ab Incarnatione Domini MLXXIIII *, præsidente Romanæ Ecclesiæ Papâ Alexandro, Giraldus Ostiensis Episcopus, Romanæ Sedis Legatus in Galliis, Concilio Cabiloni habito, Romam rediens et apud Diensem urbem hospitatus, cum Clericis in Ecclesia de utilitate Ecclesiæ loquebatur. Erat enim in eadem urbe Lancelinus simoniacus dictus Episcopus: qui vocatus ad audientiam cùm venire renueret, et se in domo episcopali manu militari defenderet, et Episcopatum retinere tentaret; tractabat Legatus cum civibus, Canonicis scilicet et C plebis majoribus, quid de Episcopo agerent, dicens juxta Ambrosium inexpiabilem esse culpam venditi ministerii.... Dum ergo de his inter eos tractaretur, et, ut prædiximus, ille dictus Episcopus audientiam subterfugeret, juxta Canonum instituta et sanctorum Patrum decreta Episcopus quærebatur idoneus, qui et saluti eorum invigilaret et animabus commissis sollicitus invigilaret: ecce personuit ad aures eorum advenisse illuc, et Ecclesiam quâ tenebantur intrasse orationis gratiâ dominum Hugonem Lugdunensem Camerarium, præcinctum et paratum ad equitandum; ibat enim Romæ ad S. Petrum. Nec mora, Spiritûs sancti gratiâ corda suorum illustrante, fit clamor et concursus fidelium, ocreatus cum calcaribus invenitur, rapitur, tenetur, in conspectu Apostolicæ sedis Vicarii summo omnium favore et gratiâ deducitur, quòd dignus sit qui possit Ecclesiæ præesse et prodesse acclamatur (*b*).... Quo audito, ipse qui Ecclesiam per simo- D niam invaserat et armis retinere tentabat, dolens unanimem assensum civium, et timens populi gaudentis et ad pia vota incalescentis animo, si intumesceret, impetum ferocissimum, domum episcopalem deseruit et recessit.... Invenit itaque civitatem angoris plenam, tribulationibus circumseptam, vigilantiâ multâ egentem, res Episcopii direptas, ita ut non invenerit unde vel uno die de redditibus domûs episcopalis vivere potuerit, ita omnia attriverant qui ante eum *Pag.* 195. fuerant, adeò ut de omnibus totius Episcopatûs Ecclesiis vix unam haberet domus episcopalis aut mater Ecclesia, cùm ferè omnes possiderentur a militibus et quibusdam secularibus. Nec diu passus est suo in tempore tantam videre contritionem et conculcationem Ecclesiæ; quin potiùs statuit decretum ut nullus laïcus obtineret Ecclesiam, aut partem acciperet in redditibus Ecclesiarum. Et factum est, divinâ cooperante clementiâ, ut omnes gratanter jussionem ejus susciperent E et obedirent, ita ut ante ejus ordinationem hæc suæ meliorationis incrementa sibi commissa per eum susceperit Ecclesia.

Obierat ipso anno * Papa Alexander in ipso Apostolorum Petri et Pauli natalitio, et substitutus erat unanimi electione Cleri et populi Gregorius VII, * An 1073.

(*a*) Quæ proximè antecedunt videsis T. XI, p. 142. Hugonis autem Flaviniacensis Abbatis toties ingesta mentio est superioribus tomis, ut monuisse satis sit extremam ejus chronici partem ac meliorem nos hìc repræsentare. Desinit hæc anno 1101, quo Abbatiâ Flaviniacensi, cui annos quatuor præfuerat, cedere coactus est. Nam ab eo anno, postquam adversariis suis Norgaudo Eduensi Episcopo et Gerardo successori suo mala imprecatus est, retrogrado cursu duorum superiorum annorum gesta replicat, præsertim verò obitum Rodulfi Virdunensis S. Vitoni Abbatis, cujus magisterio Monasticen professus fuerat. Hugonem an. 1114 in Abbatis Virdunensis nomen et officium irrepsisse, discimus ex epistola Laurentii S. Vitoni Abbatis, apud Mabil. T. V, Annal. p. 683: quo facto nomini suo maculam inussit.

(*b*) Hugo electus est Diensis Episcopus an. 1073 mense Octobri die XIX, ut habet paulò infra Hugo Flaviniacensis.

Digitized by Google

qui in ipsa Romana Ecclesia sub præfato Pontifice officio fungebatur Archidia- A
conatûs; et licèt ordinationis et consecrationis ejus privilegium solis Cardinalibus Episcopis Albanensi, Ostiensi et Portuensi sit commissum, Giraldus ipse, quia aberat, exspectatus non est, sed qui vices ejus exequeretur subrogatus est. Qui demùm reversus, Papæ inter cætera electionem Diensis Ecclesiæ innotuit, et Electum ipsum quammaximè paternitati ipsius commendavit. Non multò post ipse qui commendabatur advenit, et quia solam Clericatûs tonsuram habebat (detestabatur enim simoniacorum ordinationes) in mense Decembrio per manum
* An. 1074. ejus usque ad Presbyteratûs gradum promotus est,... in Quadragesimâ * verò, Sabbato in Presbyterum, et sequenti Dominicâ ad Missas in Episcopum conse-
Pag. 196. cratus est. Commisit autem ei vices suas in Gallia, ubi plurimùm simoniæ serpebat pestis iniqua; quia perrari illic erant, qui non essent aut simoniaci, aut a simoniacis ordinati, aut per manum laïcam investiti: plurimùm illi inculcans po- B
testate datâ non abuti, quominùs depravata corrigeret, damnanda recideret, sancta et honesta doceret, et docenda faceret. Scripsit et ad Prælatos Gallicanarum Ecclesiarum, quæ sunt juris S. Petri, epistolam (*a*) pro suo censu debito B. Petro....

Pag. 197. Ipso anno apud Casam-Dei monasticum susceperat habitum domnus Jarento, mense Novembrio die primâ. Hic ortus territorio Viennensi, patre Arnaldo, matre Agnes nomine, nutritus est diligenti curâ et industriâ a domno Hugone Cluniacensium Patre.... [Casa-Dei] vasta erat eremus, utpotè quæ ante annos xx habitationes hominum non noverat. Sanctus illam Robertus primus incoluit,... et migravit ad Dominùm anno MLXVII, successorem suum designans nomine Durannum. Ad hunc ergo locum veniens, cui post obitum præfati Patris prædictus Abbas Durannus præerat, sumpsit animum et formam discipuli; sed mox com- C
pulsus est magister fieri et Prioratûs suscepit officium jussu Abbatis et totius Congregationis.... Promotiones Ecclesiasticorum graduum adeptus est per manum domni Hugonis Diensis Episcopi, a primo usque ad septimum. Invigilabat enim idem sollicitus gregi sibi credito, et legationis sibi creditæ sollicitas servans excubias, primum Concilium celebravit apud Ansam, secundum apud Clarummontem, in quo, Stephano Arvernensi Episcopo, Podiensis sedis invasore, quia pro ambitione magna sedem suam deseruerat, Willelmo quoque simoniaco et invasore sedis Arvernensis deposito, consecratus est præfatus Abbas Durannus Arvernorum Episcopus, peracto decennio (*b*) regiminis sui in loco Casæ-Dei; qui etiam post biennium, petitione et voluntate fratrum, curam regiminis Siguino dereliquit. Tertium (*c*) Divioni; persequebatur simoniacos, adversùs quos ei jugis pugna et conflictus fuit perpetuus, quos etiam, prout potuit, ab Eccle- D
sia eliminavit, et orthodoxos substituit.

Anno MLXXV. Gimoldus Abbatiam [S. Vitoni] dimisit die S. Nicolai: Rodulfus successit, ordinatio ejus die S. Urbani (*d*).

Anno ab Incarnatione Domini MLXXVI, x Kal. Maii, terræ motus factus est feriâ VI, lunâ XIV. Et hoc anno fuit gelu magnum a VII Idus Decembris usque Idus Martii.

Pag. 199. Quartum Concilium tenuit Augustoduni (*e*). Pro quibus autem causis Eduense celebratum sit Concilium, in litteris domni Papæ advertere licet... Juxta hæc itaque mandata Apostolica congregata est Synodus venerabilium Patrum apud Eduam, sub tutela et protectione Christi Domini, assensu et laude Hugonis Ducis, anno ab Incarnatione Domini MLXXVII, ubi convenerunt ex Francia et Burgundia multi illustres viri, Episcopi et Clerici, Abbates et Monachi quam- E
plures, anno Papatûs domni Gregorii VII quarto. Dux Hugo justi tenax Burgundiæ præerat, Lingonensem Ecclesiam Rainardus (*f*) cognomento Hugo regebat, vir adprimè rhetoricis imbutus studiis, clarus ingenio, sermone facundus, scientiâ præditus, affabilis alloquio et prudens consilio. Obierat anno ipso

(*a*) Hanc et sequentes Gregorii epistolas, quas suæ Hugo immiscuit historiæ, olim inter epistolas edendas curabimus.

(*b*) His verbis declaratur tempus Concilii Claromontani, quippè cùm Robertus Casæ-Dei Abbas an. 1067 mortem obierit, peractum ab ejus obitu decennium in annum 1077 incidit.

(*c*) Concilium Divionense eodem anno 1077 celebratum est.

(*d*) In chronico S. Vitoni hæc componuntur cum anno 1077.

(*e*) Anno item 1077 Eduense Concilium habitum est, ex brevi chronico S. Benigni.

(*f*) Hujus mortem ad annum 1077 refert chronicon S. Benigni Divionensis apud Labbeum; sed errore manifesto: nam Rainardus obiit tantùm anno 1085, secundâ die Aprilis.

Digitized by Google

A Divionensis Cœnobii Abbas Adalbero , et , ut in talibus assolet , de Abbate substituendo inter Monachos loci diversa ferebatur electio. Quod videlicet Cœnobium antiquæ nobilitatis, religionis stemmate sub Willelmi Abbatis regimine fuerat decoratum, sed tunc Roberti Ducis violentiâ et Prælatorum incuriâ, subditorum quoque segnitiâ a pristino rigore videbatur aliquantulùm immutatum, et quia quod intùs ceciderat foris diu stare non poterat, intùs parùm erat religionis, foris cumulus desolationis. Pro tantis angustiis, anxietatibus et tribulationibus, ab his quorum erat mens sanior Pastor quærebatur idoneus. Pontifex Lingonensis et Dux, quorum erat istud prospicere, Concilio intererant; de multis enim, ut præscriptum est, partibus honesti quamplures illò convenerant....

Concilio ergo inito, circumsedentibus Patribus, tractatum est de multis sanctæ Ecclesiæ utilitatibus, et earum determinatio secundâ, tertiâ quoque et quartâ
B protelata est die. Accusatus est in eodem Concilio Remensis Ecclesiæ invasor simoniacus Manasses a Clericis Remensibus, et suspensus ab officio, quia vocatus ad Concilium ut se purgaret, non venit. Qui cùm Canonicis Remensis Ecclesiæ accusatoribus suis a Concilio redeuntibus plurimas parasset insidias, demùm domos eorum fregit, Præbendas eorum vendidit, et bona eorum diripuit. Inde cùm a Roma litteras accepisset ut in Concilio cum sex se purgaret Episcopis, Romam ivit. Quintâ autem die, quia Lugdunensis sedes, Humberto simoniaco expulso et in locis Jurensibus Monacho facto, vacabat Antistite, a latere domni Lingonensis electus est Gebuinus Archidiaconus, vir morum probitate venustus, ut præficeretur Lugdunensi Ecclesiæ. Hoc totius Concilii acclamavit assensus, hoc etiam Lugdunensis Ecclesiæ Clericorum et laïcorum qui aderant, expetiit bonæ voluntatis affectus. Raptus igitur ab altari, quò confugerat, diligentiùs
C servatur, ut in die Dominico more solemni benediceretur. Doluit super hoc Lingonensis Episcopus, Clerusque qui aderat Lingonicus, quia amisisse videbantur virum in ecclesiasticis et secularibus negotiis pernecessarium, cui plurimùm innitebantur. Sed prævaluit concors sententia Concilii, quia sic erat præfinitum et placitum in oculis Domini. Sextâ jam sessionis die, assurgit Lingonensis idem e medio circumsedentium, et... replicat antiquam nobilitatem Ecclesiæ Divionensis.... Cùmque perorasset, et a Legato, spe promissâ consilii et *Pag.* 200.
auxilii, jussus esset edicere quem eidem officio dignum de circumsedentibus,
D quia in ipsa Ecclesia non inveniebatur, vellet præficere; ille Priorem Casæ-Dei [Jarentonem] manu designat.... Uno igitur die, id est, die Dominico xv Kal. Octobris * consecrati sunt apud Eduam, summâ omnium exultatione et tripudio, * An. 1077.
domnus Gebuinus in Lugdunensem Archiepiscopum ab ipso Romanæ sedis Legato, et præfatus [Jarento] electus in Abbatem Divionensem a prædicto Lingonensi Episcopo. Multa tunc utilia et sanctæ Dei Ecclesiæ proficua in illo tractata et definita sunt Concilio. Quo soluto, ad sua quique redeunt....

Stephanus autem Podiensis invasor cùm Diensi Episcopo Romanæ sedis *Pag.* 201.
Legato Hugoni multas parasset insidias, novissimè euntem eum ad Concilium apud Clarummontem cum Canonicis ante altare S. Mariæ convenit, et se placitis ejus de Episcopatu obtemperaturum, si in Concilio finis * causæ ejus prolongaretur, promisit. Clerici quoque identidem promiserunt, si promissis fidem Episcopus servare nollet, se eum deserturos et Romanæ sedi obedituros. Igitur post expletionem Concilii Claromontensis, propter pactionem quam ipse promiserat infra dies xv, quibus a præfato Diensi Episcopo moneretur, ab Episcopatu cessaturum, ante expletionem dierum statutorum, cùm jam Lugdunum venisset,
E ad Podium rediit, paucis secum comitibus assumptis. Dominus Hugo, quia omnes tyrannidem invasoris ipsius suspectam habebant, in celebratione Missæ post recitatum Evangelium intrepidus Clerum et populum, quia erat absens Stephanus, de pactione cum eo facta convenit, et ne ei inposterum obedirent Apostolicâ auctoritate prohibuit, datâ in eum qui se absentaverat excommunicationis sententiâ, si ulteriùs Ecclesiæ incubare præsumeret. Quam ejus excommunicationem domnus Papa confirmavit, scribens Episcopis Galliarum.... * *Ed.* fons, *malè.*

Celebravit et quintum Concilium domnus Diensis Episcopus apud urbem Picta- *Pag.* 202.
vorum (*a*), ubi quanta Deus operatus sit et quanta erga servos Christi diabolus conatus sit, ex litteris ipsius (*b*) domino Papæ directis conjicere possumus....

(*a*) Concilium Pictaviense an. 1079 celebratum est, ex chronico Malleacensi.

(*b*) Hugonis Diensis Episcopi, Apostolicæ Sedis Legati, epistolas suo loco exhibebimus.

Digitized by Google

An. 1080. Sextum nihilominùs [Hugo] celebravit Concilium apud Lugdunum, pro quibus- A
Pag. 205. dam negotiis quorum discussionem ei domnus Papa imposuit, scribens ad eum... Dum igitur ei litteræ allatæ fuissent, et locus Concilii apud Lugdunum constitutus esset, Remensis etiam Episcopus, juxta tenorem litterarum, ad idem se purgaturus invitaretur Concilium, posito domno Hugone apud Viennam pro corporis curatione, nuncii præfati Archiepiscopi venerunt ad eum, multis et maximis precibus et muneribus ad hoc eum flectere cupientes, et ob id ei in præsenti trecentas purissimi auri uncias, domesticis quoque ejus preciosa donaria offerentes, insuper et celamentum ne ulli mortalium id proderent jurare volentes, cum sex Episcopis quos ipse Remensis eligeret de suffraganeis suis, ei ut se
Pag. 206. purgaret concederet, remotâ inquisitione infamiæ : addentes etiam (quod nec sperare poterant, sed tamen nihil intentatum relinquere volebant) quòd si ei soli concederetur facultas se purgandi, inæstimabiles thesauros auri, et qui B
etiam numerum excederent, se juraturos, et insuper sacramentum ne cui hoc proderent. Quod totum virilis ejusdem Legati animus respuit; et quia inexpugnabilem ejus erga pecuniam animum vidit, timens sibi, Concilio interesse noluit, et ideò synodali judicio est depositus, tum quia audientiam Eduensis, Pictaviensis et ipsius Lugdunensis [Conciliorum] subterfugit.

An. 1080. Celebravit et septimum apud Avenionem, in quo depositus est Achardus Arelatensis invasor, et electi sunt Gibilinus in Arelatensem Archiepiscopum, Lantelmus in Ebredunensem æquè Archiepiscopum, Hugo in Gratianopolitanum Episcopum, Desiderius in Cavalicensem, quos post expletionem Concilii secum Romam duxit, et consecrati sunt a Papa.

An. 1079. Anno ab Incarnatione Domini MLXXVIII, mense Februarii, Indictione II, Pon-
Pag. 214. tificatûs domni Papæ Gregorii VII anno VI, convocatum est Concilium ex C
diversis partibus orbis; et omnibus in Ecclesia Servatoris Romæ congregatis, habitus est sermo de corpore et sanguine Domini. Maxima siquidem pars panem et vinum per sacræ orationis verba et Sacerdotis, consecrationem Spiritu Sancto invisibiliter operante, converti substantialiter in corpus Dominicum quod in cruce pependit, et in sanguinem qui de ejus latere fluxit, asserebat. Quidam verò cæcitate nimiâ perculsi, figuram tantùm astruebant. Verùm ubi res cœpit agi, priusquam tertiâ die ventum foret in Synodum, defecit contra veritatem niti pars altera. Denique Berengarius hujus erroris magister, post longo tempore dog-
Pag. 215. matizatam impietatem errasse se coram Concilio confessus, veniam postulatam ex Apostolica clementia meruit, juravitque sic : *Ego Berengarius corde et ore confiteor panem et vinum, quæ in altari ponuntur, per mysterium sacræ orationis et verba* D
nostri Redemptoris substantialiter converti in veram et propriam ac vivificatricem carnem et sanguinem Domini nostri Jesu-Christi, et post consecrationem esse verum corpus Christi quod natum est de Virgine, et pro salute mundi oblatum in cruce pependit, et quod sedet ad dexteram Patris; et verum sanguinem Christi, qui de ejus latere fusus est, et non tantùm per signum et virtutem Sacramenti, sed in proprietate naturæ et unitate substantiæ, sicut in hoc brevi continetur, et ego legi, et vos intelligitis, sic credo : nec contra hanc fidem ulteriùs docebo. Sic me Deus adjuvet, et hæc sacrosancta Evangelia (*a*). Tunc dominus Papa præcepit Berengario auctoritate Apostolicâ, ut de corpore et sanguine Domini nunquam ulteriùs cum aliquo disputare vel docere præsumeret, exceptâ causâ reducendi ad fidem eos qui per ejus doctrinam ab ea recesserant.

Hoc anno obiit Gimoldus Abbas S. Vitoni, dum a Roma regrederetur, et sepultus est Mantuæ in Ecclesia S. Andreæ Apostoli, XVI Kal. Julii, cùm jam E
ipsam Ecclesiam tertio anno regeret domnus Rodulphus Abbas, ipso Grimoldo de prælatione Abbatiæ excusato. Erat enim simplicis naturæ....

* *Corr.* Hoc etiam anno, qui erat ab Incarnatione Domini MLXXVIII * regimen
MLXXIX. Prælationis apud Casam-Dei [suscepit] Siguinus quondam Lugdunensis Canonicus, natalibus clarus, morum probitate coruscus, nunc felici beatus excessu....

Pag. 224. Præerat tunc temporis Mediomatricum urbi vir egregius, et inter præcipuos catholicæ fidei propugnatores magnum patientiæ, religionis et justitiæ documentum domnus Herimannus Episcopus, Leodiensis Ecclesiæ filius, piæ

(*a*) Eamdem fidei professionem emiserat Berengarius an. 1059, cogente Nicolao Papa, ut videre est T. XII, p. 461.

Digitized by Google

A memoriæ Adalberonis Episcopi Metensis successor a Deo prædestinatus et donatus, qui in primario juventutis flore, temporibus Annonis venerabilis Coloniensium Archiepiscopi, tutoris et moderatoris regni, Palatii frequentiam nactus, Regis [Henrici] penè universa noverat... Ubi verò Episcopatûs officium adeptus est, satis pœnituit de manu Regis illius investituram Pontificatûs se suscepisse; adeò ut etiam impositam Prælationis sarcinam libens rejecerit, volens deposuerit, toto se ab ea nisu excusaverit, si assensum præstitisset auctoritas Romani Pontificis, apud quem pro excessibus suis, id est, incautè usurpata eadem investitura quæ est contra instituta canonica, culpam fateri non erubuit.... Qui etiam præcepit domno Diensi Episcopo, ut eum vice suâ aut per se, aut si timore Regis vereretur illò transire, per aliquem religiosum virum de cujus fide et magnanimitate confideret, absolveret. At ille vicem obedientiæ imponens [Jarentoni] Abbati
B Divionensis Cœnobii, Metim eum direxit, a quo absolutus est ipsâ vigiliâ Natalis Domini....

Anno igitur ab Incarn. Domini MLXXIX (*a*), factum est prælium in Saxonia, *Pag.* 226. in quo Rodulfus Rex cecidit, et Heinricus fugiendo victus est. Hoc etiam anno facta sunt tonitrua et fulgura in Januario, et luna nigra et sanguinolenta visa est III Kal. Februarii (*b*). Et sequenti anno Wibertus invasit sedem Apostolicam....

Defuncto per id temporis Lugdunensi Archiepiscopo Gibuino, cùm varia *Pag.* 227. quorumdam esset electio, dominus Hugo Diensis Episcopus electione Cleri et populi, auctoritate et præcepto Romani Pontificis in Archiepiscopum Lugdunensem promotus est, anno Incarnationis Domini MLXXXII... Reversus inter hæc ab urbe Rodulfus Abbas [S. Vitoni] venit Virdunum, et Virdunensi Epis-
C copo [Theoderico] communionis gratiam a Papa reportans, absolutionem ejus domno Metensi Episcopo impositam, qui vices Papæ exequebatur, requirendam esse, satisfactione præmissâ, insinuavit. Verùm quia Wibertum execratum, et Regem obstinato animo Romam tendere jam fama vulgaverat, intumuit animus hominis, et quidquid egerat, quidquid damnaverat vilipendens, ad vomitum rediit, culpam non solùm fateri non erubuit, quin potiùs gravioribus se vinculis peccati et pertinaciæ innodare non pertimuit. Nam subitò per semetipsum absolutus, Pontifex in vestitu sacerdotali apparuit, Missas celebravit, et quidquid illud est quod sacerdotali officio convenit, quod eatenùs caverat, implere non formidavit, in Monasterio novo S. Mariæ quod ipse summo studio et curâ exstruxerat, reliquias introducens, aquam benedicens et aspergens, et singula Episcopi officia complens.

Anno ab Incarn. Domini MLXXXIV. Heinricus Romam veniens urbem cepit,
D muros evertit, Gregorium Papam in turre Crescentis muro clausit, suumque Papam in Ecclesia S. Petri sedere constituit.... Virdunensis fera, totâ humanitatis *Pag.* 228. facie eversâ, hac illacque debacchabatur, ita ut omnis in eo religionis species immutaretur, et obsequium quod priùs viris Religiosis, qui tunc a Leodio confluxerant et ab aliis undique partibus, atque sub habitu Monastico in Cœnobiis suburbanis degebant, exhibuerat, verteret in arma furoris. Totus illi sermo de imperio Heinrici, de Papatu Clementis erat: ita ut publicè in Ecclesiis nomen illius Hæresiarchæ nefandi in Canone recitari præciperet (*c*). Quod etiam faciebant reliqui Episcopi Lotharingiæ et Longobardiæ, exceptis perpaucis qui magisterio Petri adhærebant....

Anno ab Incarn. Domini MLXXXV, obiit Martyr et Confessor [Gregorius VII *Pag.* 232. Papa]. Eodem anno ventus, grando, fulgura et tonitrua IV et III Kalendas Julii Galliam attriverunt....

Annus erat ab Incarn. Domini MLXXXV, et efferatus impetus Theodorici Virdu- *Pag* 234.

(*a*) Prælium in quo Rodulfus cecidit, seu potiùs lethaliter vulneratus est, anno 1080, die 15 Octobris commissum est.

(*b*) Si eclipsis lunæ his verbis designatur, contigit hæc anno 1079, XIII Kal. Februarii.

(*c*) Quam hìc adumbrat effigiem Theoderici Hugo noster, eam falsitatis arguit recentior historiæ Virdunensis Scriptor p. 209, alienum a schismate semper fuisse hujus Episcopi animum contendens ex subjecta ejus epistola ad Gregorium VII, a Martenio T. IV Ampliss. Collect. col. 178 edita. Hæc verò sic se habet: « *Gregorio summo* » *Pontifici, carissimo domino, reverentissimo Patri,* » *Theodericus Virdunensis Episcopus qualiscumque,* » *tamen suus, dilectionem quam patri filius, subjec-* » *tionem quam Prælato subditus, servitutem quam do-* » *mino servus.* Posse tibi obedire maxima mihi ju- » cunditas est, posse servire non parva hilaritas.... » Monitus a te suscepi confratrem meum Meten- » sem ut teipsum, ... causam ejus meam feci, » negotium ejus meum existimavi; eadem nobis » prosperitas, eadem adversitas fuit. Ad hoc me » invitavit mutua fraternitas, debita caritas, sed » præcipuè jussio tua et habita in me fiducia, etc. » Verùm hæc epistola cùm an. 1080 scripta fuerit, Theodericum iis non purgat criminibus quæ anno 1084 in gratiam schismatis ab ipso perpetrata Scriptor noster asserit.

Digitized by Google

nensis Episcopi pro defendenda et attollenda parte Wilberti Ravennatis hæretici nullo justitiæ moderamine reprimebatur, quominùs illum sanctum, justum et catholicum Pontificem Romanum annunciaret et annunciandum præciperet : adeò ut solemnes pro eo in Ecclesia orationes diceret, sub eo ordinationes faceret, et quidquid juris sancto Papæ debetur, huic contra jus et fas ab omnibus exsolveretur. Non potuit hoc diutiùs pati Abbatis [S. Vitoni] Rodulfi simplicitas.... Et quia tectum odium ad apertas jam inimicitias procedebat, cedendum tempori ratus, Flaviniacum se contulit, quæ est villa ditioni Ecclesiæ S. Vitoni subdita, in territorio Tullensi sita.... Tractaverat autem de his nuper cum [Jarentone] Abbate Divionensi.... Videns Abbas Rodulfus omnem reversionis sibi intercludi aditum, malis undique multiplicatis, venit ad eum ad prædictam villam Bertiniacum, ipsâ vigiliâ Annunciationis Dominicæ, et festum ipsum nocte eâdem ibidem celebravimus. In crastino Lingonas venimus (*a*), et sic die tertiâ Divionem peraccessimus....

* An. 1086. *Pag.* 237. Anno igitur sequente*, persecutione Heinrici [Imperatoris] Herimannus Metim exiit, et sedem cathedræ ejus Walo Abbas S. Arnulfi illicitè usurpavit. Actum est illic miro Dei judicio ut, cùm ad execrationem ejus chrisma quæreretur, et allatum esset chrisma ab Herimanno confectum, Episcopus Virdunensis reprobatum chrisma, quod sanctum erat, projiceret, et allato suo quod ipse contra jus et fas sacraverat, inde perficeret Walonis sacrationem, ne benedictionem patris filius impudens mereretur. Walo tamen, quia patris cubile ascendit, publicam pœnitentiam egit. Heinricus in loco ejus Brunonem quemdam Exepiscopum creavit, qui postea ab urbe cum dedecore et ignominia pulsus est : et sic Herimannus post multa laboris et viæ pericula a suis de Longobardia, quò cum *Pag.* 238. Mathilde morabatur, revocatur, quarto anno egressionis suæ Metis recipitur cum omnium affectione, anno ab Incarn. Domini MLXXXIX.

Eodem anno Odo Ostiensis Episcopus in Papam consecratus est, et Urbanus dictus est....

Pag. 239. Igitur venerabilis Herimannus in urbe sua susceptus, in Quadragesima infirmari cœpit, et tamen ab Episcopali officio, multis infirmitatem ejus admirantibus, non destitit.... Obiit autem IV Nonas Maii venerabilis Antistes Herimannus, eruce, mitrâ et pallio decoratus, et his sepultus insigniis in Ecclesia S. Petri, anno ab Incarn. Domini MXC.

Anno præterito Theodoricus Virdunensis defunctus erat IV Nonas Maii : qui tamen in infirmitate de communione Witberti et de expulsione fratrum pœnitentiam egit, culpam professus est, et a quodam fratre Gerardo nomine, quondam Canonico et Archidiacono Virdunensis Ecclesiæ, tunc autem Monacho S. Vitoni, quem Rodulfus Abbas piâ sollicitudine pro hoc illò miserat, præcepto ejusdem Abbatis qui potestatem absolvendi eos qui ab excommunicatis redibant ab Apostolica sede obtinuerat, absolutus est.... Ex tunc Abbas Rodulfus cum fratribus ad Cœnobium sibi commissum revocatus est....

Pag. 240. Reversus est autem ad Cœnobium suum cum fratribus suis dòmnus Abbas Rodulfus anno ab Incarn. Dom. MXCII, cùm jam Ecclesiæ Virdunensi Richerius prælatus esset, in Ecclesia S. Stephani Metensis Decani functus officio. Metenses verò domno Herimanno viduati, elegerunt quemdam Clericum Trevirensem, Popponem nomine, fratrem Heinrici Comitis Palatini, et absque regio dono, solâ electione præponentes eum Ecclesiæ, de consecratione tractare cœperunt. Et quia Trevirensis Episcopus Wibertistarum communione contaminatus erat, a domno [Hugone] Lugdunensi Archiepiscopo consecrari eum expetierunt, imposito negotio hoc strenuitati domni [Jarentonis] Abbatis Divionensis, de cujus industria confidebant. Qui nihil cunctatus, domnum Lugdunensem cum duobus suis suffraganeis, [Landrico] Matisconense scilicet et [Haganone] * Lingonense, per bella et gladios, cùm omnia mortem intentare viderentur, Metim usque deduxit, a quo et consecratus est primâ hebdomadâ Quadragesimæ cum gloria. Et sic domnus Lugdunensis cum suis reversus est ad propria.

* *Corr.* [Roberto]

An. 1093. Sequenti anno Richerius pro consecratione sua Lugdunum veniens, cùm sacramento se de simonia purgasset, in die sancto Paschæ consecratus est ab eodem,

(*a*) Nota ætatem Auctoris ac professionem, maximè in his quæ addit ibidem : *Tu me, Domine, per servum tuum Abbatem Rodulphum a vanitate sæculi subripuisti, et peregrinationis hujus comitem constituisti.*

Digitized by Google

A præsentibus Episcopis [Landrico] Matisconensi, [Waltero] Cabilonensi, [Bosone] Augustensi, [Pibone] Tullensi, cum filiis Virdunensis Ecclesiæ, et litteris domni Metensis de ejus electione concinentibus.

Anno ab Incarn. Domini MXCV. Concilium habitum est apud Eduam XXXII. Episcoporum a domno Hugone Lugdunensi, cui etiam interfuerunt Abbates quamplurimi et viri religiosi.

Anno ab Incarnat. Domini MXCV, feriâ IV, lunâ XXV, II Nonas Aprilis, a noctis medio usque ad auroram stellæ de cœlo cadere visæ sunt: et eâdem nocte Giraldus Abbas Silvæ-majoris migravit ad Dominum.

Eo quoque die domnus Lugdunensis Archiepiscopus iter arripuit ad S. Jacobum... Et venit Lugdunum die tertiâ ante Nativitatem S. Joannis Baptistæ, ubi cum favore et laude et gaudio omnium susceptus, nuncios habuit Papæ
B urbis, de Apulia venientis et ad Galliam festinantis. Hic habuit Concilium apud Clarummontem, cui præerat Durannus Episcopus... Adveniente igitur Papa, visitatus [Durannus] ab eo et absolutus, cùm jam extremum spiritum traheret, nocte sequenti spiritum Creatori reddidit, lotus et curatus summâ filiorum, id est, [Jarentonis] Abbatis Divionensis, [Siguini I Abbatis Casæ-Dei, [Hugonis] Episcopi Gratianopolitani, et aliorum diligentiâ. Et sic antequam Concilium inciperetur, toto orbe ad ejus exequias occurrente, ab ipso Papa et Episcopis terræ est mandatus cum gloria: et sedem ejus Willelmus de Bafia adeptus est laude Cleri et populi, præcepto ejusdem Apostolici.

Obiit quoque intra spatium temporis ejusdem Concilii Desiderius Cavellicensis Episcopus, et [Guntardus] Abbas Gemmeticensis Cœnobii.

Anno * ipso confirmata est via Christianorum euntium cum armis in Hierusalem. * An. 1095.
C Obiit etiam anno eodem (*a*) Rainaldus Remensis Archiepiscopus, Hildebertus Bituricensis Archiepiscopus, Landricus Matisconensis.

Judæorum quoque exterminium ipso anno multis in locis factum est a viris *Pag.* 241. Hierosolymitanis. Quod certè mirum videri potest, quòd unâ die pluribus in locis uno spiritûs fervore exterminatio illa facta est, quamquam a multis improbetur factum et religioni adversari judicetur. Scimus tamen quia non potuit immutari quin fieret, cùm multi Sacerdotes datâ excommunicationis sententiâ, multi Prin-
cipes terrore comminationis id perturbare conati sint.

Tunc temporis pro componenda inter fratres, Willelmi Regis filios, concordia, Willelmum videlicet Regem Anglorum et Robertum Comitem Normannorum, Abbas [Jarento] Divionensis ex præcepto Papæ mare transierat, et ut præscriptum Regem ammoneret de multis quæ illicitè fiebant ab eo....
D Re infectâ, famâ tamen suâ, integritate, honestate, sapientiâ omnibus oppidò commendatâ, ab eodem viro recessum est: et tamen pro componenda inter fratres pacis concordia in Normannia substitit, donec pace factâ, decem millium marcharum pensione acceptâ, terram suam Comes Normanniæ Regi Anglorum usque ad trium annorum spatium custodiendam traderet. Et sic Hierosolymam profectus, ab eodem Abbate usque ad vicum qui dicitur Pons-Arliæ, comitatui ejus Stephano Comite Franciæ (*b*) et Roberto Comite Flandriæ adhærentibus, deductus est.

Verùm cùm adhuc in Normannia essemus, congregatis ad exequias Matisconensis Episcopi domno Lugdunensi Archiepiscopo, Eduensi et Cabilonensi Episcopis, electus Archidiaconus Lugdunensis Berardus consecratur in Episcopum Matisconensem. Ibi quoque domnus Eduensis Episcopus Hagano conquestus plu-
E rimùm desolationem Flaviniacensis Ecclesiæ, cùm jam post obitum domni Rainaldi fratris Ducis septem annis Ecclesia eadem Pastore viduata mansisset, Me, eò quòd quasi essem notus Archiepiscopo (quod etiam persæpè fecerat) requisivit ab eo in Abbatem: quod etiam vix obtinuisset, nisi Canonicorum et laïcorum suffragia ad id expetendum sibi adhibuisset. Obtinuit tamen; et missus est Cabillonensis Episcopus, qui domnum Divionensem Apostolicâ auctoritate ut assentiret, me etiam ut obedirem, vice suâ constringeret: quod et factum est, ubi redivimus.... Anno itaque Domini MXCVII, Indict. V, anno ætatis XXXII, die X Kal. Decembris, qui est dies festus S. Ceciliæ, die Sabbati Flaviniacum nobis ingressis, in crastinum consecratione peractâ, de profectu Ecclesiæ trac-

(*a*) Rainaldus et Aldebertus an. 1096 vitâ functi sunt.

(*b*) Stephanus is erat Carnutum, Blesarum ac Briegii Comes.

Digitized by Google

tatum est; et sic post dies paucos a domno Episcopo et domno Divionense A cæterisque discessum est....

Pag. 243. Anno ab Incarnat. Domini MXCVIII. Obiit Agano Eduensis Episcopus, VII Kal. Julii, et sequenti obiit Abbas [S. Vitoni] Rodulfus, V Kal. Aprilis. Regimen Ecclesiæ Eduensis post venerabilem Aganonem Norgaudus suscepit, in eadem Ecclesia Præcentoris functus officio. Hic sub contentione electus est. Pro qua tamen electione cùm multoties Eduam issem, quia vox nostra prima esse debebat
* An. 1098. in electione, tandem in Ascensione Domini * invitatus, cùm essem in exteris partibus, accurrere nequivi. Quemdam tamen e nostris misi qui vicem nostram suppleret; et ego postmodùm exoccupatus, Lugdunum euntem ad consecrationem solus de Abbatibus sum prosequutus; et hæc faciens, furorem animi ejus quem conceperat ex absentia nostra, sedare non potui; cùm etiam in
* *Couches.* redeundo duobus ei diebus apud Colticas * et toti comitatui ejus servierim satis B superque....

Pag. 247. Anno ab Incarnat. Domini MXCIX, primâ horâ noctis, a parte Aquilonis lux ingens quasi ignis ardentis emissa usque propè diluculum, noctem propè convertit in diem. Quo etiam anno hyems solito asperior octo continuis hebdomadibus inhorruit; ita ut bestias, aves, homines quoque plerosque vis algoris exureret. Fuerunt qui dicerent lucem illam datam a Deo in necem et dejectionem Sarracenorum, ferente eo adjutorium et vires præbente Hierosolymitanis ad sternendam et omninò consumendam multitudinem Principis Babyloniæ, qui venerat ad proterendos eos qui Hierosolymam ceperant, quorum numerus erat ut arena maris; et ob id lucem divinitùs directam, ne Christianis qui eo die præliabantur prælia Domini, etiam in nocte lux deesset ad contritionem gentis adversæ....

Hoc anno obiit Urbanus Papa, Paschalis successit. Obiit domnus Rodulfus C Abbas [S. Vitoni] Virdunensis, V Kal. Aprilis, et Hugo Abbas Eduensis.

Pag. 254. Anno ab Incarnat. Domini MC, apud Ansam convenerunt Archiepiscopi [Hugo] Lugdunensis, [Anselmus] Cantuariensis, [Daimbertus] Senonensis, [Radulfus] Turonensis, [Leodegarius] Bituricensis; et Episcopi numero octo, [Norgaudus] Eduensis, [Berardus] Matisconensis, [Walterus] Cabilonensis, [Humbaldus] Autissiodorensis, [Guillelmus] Parisiacensis, [Ismio] Diensis, et alii duo, et pace statutâ, de via Hierosolymitana loquuti sunt, eos qui voverant et voti exequutores non fuerant, a communione segregantes, quo ad usque vota complerent. Miserat autem Lugdunensis legatos Romam, per quos velle suum Papæ ostenderat de via eadem, ut cum sua benedictione et absolutione illò deberet ire; et Romanus Pontifex annuerat, ammonens ut per se iret, ut legationem suam ei committeret in Asia, quam benè rexerat in Burgundia, et interim Legatos a latere suo D mittendos pro posse instrueret, qui vices Papæ exequerentur. Et ideò illud colloquium quammaximè statutum fuerat, ut reversis missis suis cum litteris absolutoriis, ibi quoque a suffraganeis et diœcesi sua viaticum acciperet.

Hoc anno obiit Philippus Catalaunensis Episcopus. quo etiam anno magna fuit annonæ penuria, et multi fame periclitati sunt.

Igitur anno Incarnat. Domini MC, advenerunt missi ad Gallias Legati sanctæ Romæ Ecclesiæ, Johannes et Benedictus, a quibus Concilium primò apud Eduam designatum, apud urbem Valentinam institutum est II Kal. Octobris: ad quod convenerunt Archiepiscopi, Episcopi et Abbates numero XXIV, occurrentibus legatis domni Lugdunensis Archiepiscopi, quia ipse infirmabatur; quamquam Episcopi diœceseos ejus, Lingonensis et Cabilonensis (Matisconensis enim in redeundo a Roma captus a Wiberto in custodia detinebatur) non inter- E fuerint, prohibiti, ut dicebatur, ab eodem Lugdunensi. Eduensis autem interfuit; quia accusabatur a Canonicis suis de simonia et aliis quibusdam, pro cujus defensione maximè illò convenerant Lugdunenses. Ibi ego in primo aditu Concilii purgationem illatorum offerens, accusatoribus tacentibus et deficientibus, judicio Concilii ad primam Abbatis Divionensis vocem de Abbatia investitus, astantibus Canonicis Eduensibus et laudantibus, cappâ et baculo donatus, in circo residere jussus, post, soluto Concilio, ad propria sum remissus, litteris Apostolicis munitus....

[Pictaviense Concilium] aggregatum est in Ecclesia S. Petri die octavarum
* An. 1100. S. Martini *, Episcoporùm et Abbatum numero LXXX. Affuit et Eduensis cum
Pag. 258. Cabilonensi, Diensis quoque Episcopus, quem illò miserat domnus Lugdunensis, ut

Digitized by Google

A ut partes Augustodunensis suâ vice tueretur. Advenerunt et Canonici adversùs eum numero xxxv. Repetuntur quæ jam in priori Concilio super accusatione ejus objecta fuerant, quibus miro modo, multo documento, sed non probabili, ab alia parte resistitur. Manet controversia præfata, et ferè a toto Concilio repugnatur superiùs dictis Cardinalium responsionibus pro usu Gallicanæ Ecclesiæ, illis suam auctoritatem in nullo infringere volentibus, nec appellationi assentientibus. Datur tamen ei locus se purgandi cum idoneis personis, sicut voluerat Concilium, et hoc impræsentiarum, non concessâ dilatione induciarum quæ quærebantur, nec admissis ad purgationem Cabilonensi quem secum adduxerat, et Diensi quem Archiepiscopus miserat. Quod cùm factum non fuisset, judicio dato, eis frustra sedem Apostolicam appellantibus, rogabatur stolam reddere et annulum : et interim ipse retrò altare secedens cum suis, nec judicio pa-
B rere voluit, nec ad consessum remeare, ut præcipiebatur, assensit. Quamobrem ab Episcopali et sacerdotali est officio omninò depositus, et nisi obediret, a liminibus sanctæ Ecclesiæ segregatus : omnesque qui ei ulteriùs ut Episcopo obedirent vel revererentur, æternâ maledictione multantur, vel qui ei opem ferrent in pertinacia persistendi....

Et quoniam (*a*) viros virtutis memoriæ commendare gratissimum omnibus et utile arbitramur, non abs re videtur nobis, si zelum horum Legatorum contra impudicissimum Philippi Regis Francorum adulterium, secundæ Jhezabelis veneficiis a vero et justo, utili et honesto depravati, paucis explicemus. Nec indignetur erga nos quispiam, quòd quasi regia a nobis carpatur vita, aut laceretur tantæ majestatis vel nominis excellens auctoritas.... Si sileat schedula, tota conclamabit Francia, imò totus Occidens unâ intonabit famâ, quòd Rex, legitimo
C abdicato matrimonio, regiæ stirpis uxore repudiatâ, thori fide violatâ, regii cubilis decore obnubilato, regii germinis splendore obfuscato, Comiti suo Andegavensi [Fulconi Richino] uxorem subripuit, militi utique suo, cui fidem promiserat, et carnis consanguinitate propinquo, adeò ut ex una parte in tertio, et ex alia in quarto propinquitatis sanguine necterentur : et fœdera conjugii, quæ ne dirimerentur regalis gladius ultor hactenùs inhibuit, impudica et incontinens Regis dissolvit lascivia, impudica et inreverens scindenda et dirimenda tot annis violat obstinatio.... Rex regiæ castitatis osor, regii thori violentus effractor, diadematis regii procax conculcator, etsi potuit Reginam a thoro et corona indebitè dejicere, non poterat adulteram in solio regni benedictione firmare, nisi in ordine Episcoporum complices sibi invenisset, vel sibi ipse miserabili desperatione promovere fecisset, qui voluntatis ejus executores et Reginæ novæ
D novi forent sacratores. O impudentia! ô miserabilis dispersio lapidum sanctuarii in capite platearum! Si Regina immeritò abjicitur, quid est quòd adultera, quòd cognato juncta, marito reclamante vimque passo, subintroducitur? Si vis regia jus abnegat, fas subruit, nefas attollit, quid, rogo, est quòd nefas benedicitur et in templo sacrilegium attollitur, adulterium sacratur, impudicitia promovetur, et hoc per manus Episcoporum? Nequius hìc aliquid video quàm in tempore beati Papæ Nicolai in Tietberga Regina repudiata et Waldrada adultera, subintroducta a Lothario Lotharii Imperatoris, qui Monachus factus est, filio; quia etsi ibi fallax Episcoporum judicium, si Reginæ innocentis dejectio, si legitimi thori divortium, si pellicis exaltatæ intra regales aulas prostibulum : non illa tamen viro juncta, non a latere viri, consanguinei et militis rapta, non in ea nuptiarum utrimque sunt fœdera violata; sed concubinariæ oblecta-
E tionis antiquæ gurges inexplebilis intemperanter memoriæ reductus, dum concupiscentiæ enerves laxat habenas, nec scit revocare solutas, sibi mortem, regno horrorem, Episcopis calamitatem, Optimatibus miserabilem induxit necem et confusionem. Hìc omnia confusa, omnia horrentia, omnia diabolico astu et malignitate corrupta. Invenit, inquam, Rex ipse in Episcopis quos sibi sociaret, quos tanti sacrilegii ministros efficeret, Philippum Trecensem Episcopum et Walterium Meldensem; cui ob hoc Episcopatum dedit, ut sacrationi, cujus Trecensis esset operator, hic foret consentaneus et minister (*b*).

Pag. 259. An. 1100.

(*a*) Johannem et Benedictum Cardinales intelligit, Ecclesiæ Romanæ Legatos.

(*b*) De Episcopo vel Episcopis qui benedixerant his nuptiis, non una est æquævorum etiam auctorum sententia. Ordericus Odonem solum Bajocensem nominat; Meldensem et Trecensem Scriptor noster, Urbanus verò II Papa, Silvanectensem ex rumore, ut testatur in epistola quam hac de

Digitized by Google

Sed quid succensemus Episcopis, quibus pietas Apostolica errati tribuit remissionem? Multâ hi a domno [Hugone] Episcopo Lugdunensi, tunc temporis Legato Romanæ Ecclesiæ, correcti invectione, multâ, nisi ipsi præcavissent, multati fuissent severitate : sed, ut præfati sumus, Romana pietas et errata donavit, et remissione suâ infamiam superavit, adeò ut compelleretur Archiepiscopus, datis a Roma sibi litteris, utrumque in communione suscipere et osculo. Quod ex quo pietatis fonte manaverit, quærat qui volet, et si potest, intelligat. Regem quoque ipsum, pellicis suæ prostitutione superbum, a reproba ejusdem conjunctione sequestrare tentavit, interdictâ illi coronâ, nisi obediret : sed nescit impetus mala quæ fecit, nisi cùm pro eisdem peccatis cœperit jam puniri. A

Pag. 260. Diu de his tractatum est, sed renuit Apostolico mederi antidoto, cui veritas et judicium ad arbitrium pendet fœmineum : usquequo Urbano decedente, Pascalis succederet, et has Ecclesiæ columnas de quibus agitur, ad Gallias destinaret; quos jure columnas Ecclesiæ dictos ex ipsa sui firmitate et inconcussa animi virtute, qui opera eorum solerter intuetur, colligere potest. Hi post Concilium Valentinum per se ipsos Rege convento, cùm nullam in verbis vel actibus ejus correptionem vel pœnitentiam, fodiendo circa arborem infructuosam et cophinum stercoris aggregando, reperissent; non passi tantam videre in Ecclesia catholica ignominiam et conculcationem, membrum putridum in Concilio Pictavensi a compage corporis Christi gladio anathematis præcidere non metuerunt. Aderat ibi Comes Pictavensis, summâ prece eos deposcens ne dominum suum excommunicarent : aderant et Episcopi identidem facientes. Et cùm non impetrarent quod volebant, a consessu et loco Concilii Comes et sui, minas intendendo, aliqui quoque ex Episcopis, multi ex Clericis, innumerabiles ex laïcis exierunt. Sic ordine turbato, pace in tumultum versâ, illi remanserunt qui Phinees zelum imitari gestiebant; et sicut ille scortum Zamariæ cum Chorami Madianitæ gladio pupugit, furoremque Domini placavit; sic et isti non veriti fremitum perstrepentium, adulterantem Regem cum adultera, quem corrigere nequiverunt, pugione excommunicationis perfossum, vitæ quæ in Christo est extorrem reddiderunt. B C

Hoc autem actum est, quandò jam solvendum erat Concilium. Jamque laus Christi in ore eorum qui adstabant pro dimissione Concilii, ut moris est, resonabat, et æstus turbæ tumultuantis ut fervor maris intumescebat, pro domini sui Regis excommunicatione insanientis; cùm quidam e populo in superioribus consistens Ecclesiæ, lapidem jecit, Cardinales ferire volens : cujus ictu Clericus quidam qui stabat, capite illiso, prosternitur, sanguine manant pavimenta, clamore confuso domus impletur, furore et insaniâ intùs et extra ministri sathanæ debacchantur. Manent columnæ Christi immobiles, mortem, si Dominus jubeat, intrepidi opperientes, et ad saxa volantia, mitris ablatis, capita nuda retegentes, nec aliquandò a laude Dei et prædicatione veritatis reticentes; quod voce prosequuti erant, sanguine confirmare, sisit necesse, gestientes. Quorum constantia devota, et devotio constantissima, furentium facta est repressio, et ad pœnitentiam cordium inclinatio : adeò ut Comites, et quotquot antea grassabantur in confusione eorum, humiliati sunt in conspectu illorum, satisfactione præmissâ et prætentâ obedientiâ. D

Tractatum est in Concilio eodem de expulsione Abbatis S. Remigii injusta, et Burchardi substitutione illicita : et cùm, diu re ventilatâ, conversatio ejus sancta, introitus legitimus, promotio atque sacratio inventa fuisset autentica et canonica (quæ etiam litteris domini Papæ Urbani roborabatur, quibus meritò fides adhiberetur), cùm jam ipsa pars inimica restaurationem non reprobaret, pro quibusdam litteris confictis, quasi a sede Apostolica directis, in quibus Cardinales nec stylum Romanum, nec pergamenum Romanum agnoscebant, maximè cùm fine earum subscriptum foret, *Valete*, quod Romana non habet auctoritas; pro illis, inquam, confutandis judicatum est ad sedem eundum Apostolicam, quibusdam qui primò appellaverant, nec concessum erat eis, id ægrè ferentibus; E

re scripsit ad Rainaldum Archiepiscopum Remensem : *Te autem*, inquit, *carissime confrater Raynolde, noxa hæc maximè impetit, pro eo quòd Silvanectensis subjectus tibi Episcopus hoc publici adulterii crimen suo, ut audivimus, firmavit assensu, cùm mœchis illis benedictionis sacerdotalis manus imposuit.* Cùm vix fieri potuerit, ut sive Urbanus, sive Ordericus, sive ipse Hugo in re tam manifesta fuerit deceptus, credibile est hos omnes Episcopos quos singuli commemorant, ad hanc benedictionem convenisse.

Digitized by Google

A quibus tamen evidenti ratione responsum est, etsi satisfactum non est.

Quantam autem fidei frugem virilis illa propugnationis cœlestis seges attulerit, hinc colligi potest, quòd postea cùm apud urbem Senonum Rex cum Regina sua per quindecim ferè dies remoratus fuisset, clausis totâ urbe Ecclesiis, nulla
• facta est ei Christianitas, in tantum ut Jhezabelis furor usus novitate profanâ, manus impias in Deum extendens, missis apparitoribus, Ecclesiam frangeret, et in ea sibi Missam a sui similibus dici cogeret. Væ humanæ impudentiæ! Inerubida, servilis et non Regii animi cavillatio, Romanâ usa levitate, nunc usque Reginam suam tuetur, et dedecorosis amplexibus, erroris et impudicitiæ æstibus succensa, coronæ dignitatem dedecorat : et cùm olim ad exorandum Deum gentiles Reges et absque jugo leges dederint, et blasphematoribus seu contemptoribus Dei vindictam intentaverint; hic regni Francorum propagator, Chris-
B tianæ legis propugnator, contraria præceptis prædecessorum peragit, legis sanctæ et Romanorum Pontificum statuta convellit; et quod pejus est, eisdem patrocinantibus, si dici licet quod pudet, ignominiæ suæ defendit causas, excusationes prætendit; et a quibus cogi debuerat ut resipisceret, eisdem faventibus, admonetur ut in iniquitate perduret. Agit hoc avaritiæ gurges inexplebilis, qui dum nequit expleri, novit resecanda tueri.

Anno Incarnationis Domini MCI, Johannes Tuscolanus Episcopus a Papa in *Pag.* 261. Angliam missus est propter censum B. Petri. Hic Canonicus S. Quintini Belvacensis regularis, professione violatâ, habitu deposito, ad seculum rediit : et cùm improperium ferre nequiret, Becci Monachus factus, cùm esset natione Romanus, Papâ Urbano ad Gallias veniente, familiaritatem ejus adeptus est, Romamque reductus : et defuncto Lavicano Episcopo, cùm jam de Abbatia
C quadam muneratus esset, demùm de Abbate in Episcopum promotus est. Jam Romam Cardinales redierant, sententiam depositionis factam in Eduensem invasorem palàm confirmantes, et testimoniis authenticis canonicam eam pronunciantes, cùm a domno [Hugone] Lugdunense hoc eorum factum improbaretur palàm et publicè. Hunc Hierosolymam euntem prædictus Tuscolanus sive Labicanus Episcopus invenit in itinere, cum Cabilonense et ipso Eduensis Ecclesiæ invasore : et absentibus accusatoribus, extra provinciam purgationem Eduensis suscepit, Lugdunensi prosequente, et juramentum ejus ita confirmante : *Credo Norgaudum istum Eduensem Episcopum vera jurasse; sic me Deus adjuvet.* Cabilonensi quoque in id consentiente, et idem jurante. Ego miror gravitatem tanti viri, pro ingenita sibi bonitate et honestate famâ ubique celebrati, cujus inadulatam constantiam Gallicana veneratur Ecclesia, ita ab uno homine potuisse
D decipi, ut nunc usque partes illius manu teneat, tueatur et protegat, et ferè solus sit in nostro orbe, qui de illo homine bona et recta sentiat; cùm sententiæ ejus huic omnium ferè, etiam absentum et ignotorum, repugnet generalitas et generalis unanimitas....

Eâ igitur susceptâ purgatione, præfatus Johannes Eduensem secum reduxit, Lugdunense Romam tendente, ubi et Canonicorum Eduensium aliquos invenit causam suam agentes. Excommunicaverat enim eos idem post discessum Cardinalium, quia, se dimisso, apud Romanos judices accusationem retulerant; et quia bona Ecclesiæ pro hac dissensione, dum quod cœperant ad perfectum elaborant deducere, aliquantulùm distraxerant; et quia de his vocati ad judicium, audientiam ejus, quem sibi inimicari cognoscebant, non receperant; et quia domum Episcopalem sibi reddere nolebant. Unde Romæ quæstione habitâ, et
E ipsi a Papa absoluti pronunciati sunt, et domum cum litteris Apostoliciis remissi, Lugdunensi cum Diensi Hierosolymam proficiscente. Norgaudus verò Eduam veniens cum Johanne, apud S. Martinum hospitatus, a Canonicis susceptus non est : in eodem tamen Cœnobio Missas celebrabat, chrisma fecit, et ministerium sacerdotale attentare non timuit, parvipendens quidquid Cardinales in eum intentaverant, et de tuitione Archiepiscopi et pietate Apostolici, et sua liberalitate confidens. At verò Cardinales in sua sententiâ permanentes, quod factum erat publicè reprehendebant, quòd non esset canonicum, sed ab æquitate Petri alienum : et ob id a familiaritate et consilio Papæ se subtraxerunt, ita ut Johannes, Româ relictâ, Papiæ etiam nunc remoretur, regulariter degens cum fratribus in Ecclesia, de qua ad Palatium raptus erat. Benedictus verò in titulo remoratur, a Curiæ consilio se removens, et quod damnavit improbans.

Digitized by Google

Ita turbatâ Eduense Ecclesiâ, Norgaudus Flaviniacum ivit, et Girardum A
aliquandò Priorem Colticensem contra interdictum Capituli Eduensis ibi Ab-
Pag. 262. batem constituit, mercedem pertinaciæ suæ in hoc etiam consequutus, ut omnia diebus suis in pejus vergi videret; sicut et de Ecclesia S. Martini religionem exturbavit, et secularitatem introduxit, eum ibi ordinans, quem nomine tenùs domnus Archiepiscopus interdixit.... Ita Norgaudus indiscussum, inauditum, indeminatum me, Eduensis Capituli audientiam et Lugdunensis appellantem, et cùm ad hæc non admitterer, Romam etiam appellantem, et ex parte Dei et B. Petri et Papæ ordinationi illi contradicentem, quantùm in se fuit, dejecit, et ipse quod quæsivit, invenit... Post hoc missus est Legatus in Franciam Milo ex Monasterio S. Albini Episcopus. Hic fecit ut infra civitatem Norgaudus reciperetur, et quamdam concordiam inter eum et Canonicos fecit : fecit etiam ut in Capitulo Cluniacensi susciperetur, et Episcopus acclamaretur.... B

Pag. 269. Anno ab Incarnatione Domini MCII, ordinatus est in Episcopum Aniciensem Pontius Casæ-Dei Abbas, et Abbatiam Casæ-Dei procurandam suscepit Aymericus. Legatus quoque in Burgundiam et Franciam directus est Richardus Albanensis Episcopus, primò S. Stephani Metensis Ecclesiæ Decanus.

EX HISTORIA EPISCOPORUM VIRDUNENSIUM

AUCTORE LAURENTIO DE LEODIO (*a*).

Apud Acherium T. II. Spicil. in-fol. p. 244. *in-4°. T. XII, p.* 251. C

An. 1076. DUCE Godefrido Gibboso in Frisia sicariè mortuo, et in hac urbe a Duce Godefrido tertio, quem ex sorore nepotem sui Ducatûs hæredem ille moriens designaverat, juxta patrem honorificè sepulto, nisus est ipse Episcopus auferre ipsum urbis Comitatum de sub jugo Bullionensis Principatûs, qui nimis urbem oppressisse videbatur. Unde ipsi Godefrido Boloniensi qui, Bullionico castro possesso, in Ducatum avunculo successit (*b*), illum abstulit : ratus opportunum tempus, quia illi, ut minùs legitimo Duci, Rex et multi Primates armis insurrexerunt, et nobilissimo Alberto Namurcensi Comiti qui unus erat hostium, eumdem Comitatum beneficiavit (*c*). Cùm etiam idem Albertus Bullionem castrum quasi magis hæreditarium (*d*) super prædictum Godefridum obsedisset, ei cum omnibus sui Episcopii viribus suppetias venit; sed Dux inclusis suis bellicosissimus citò adfuit, et contracto exercitu, obsidionem hostium solvit, multis nobilium interfectis. Subinde plurimùm offensus Episcopo, Comitem de Grandiprato Henricum primò sibi graviter rebellantem cùm armis cepisset, solvit a vinculis, et Virdunico hostem territorio misit : qui jussa ejus non segniter executus, plura hostilia ferro, flammâ prædisque in nostros commisit. Ipse quoque Dux in Sathanaco sui juris oppido castrum firmavit prominens in finibus Episcopii, per quod in nostris graves inimicitias exercebat : unde extemplò illud obsedit, contractis undique auxiliariis et prædicto Alberto cum omnibus suis; cùm ecce in auxilium sui adest Dux iterùm accinctus validâ manu bellatorum; acerrimè pugnatum est, cruentissimè concursum est, donec fessus uterque exercitus jussu ductorum a cæde revocatus est. Actum anno (*e*) Episcopatûs ejusdem Theoderici D

(*a*) Laurentius de Leodio dictus e Monasterio S. Laurentii Leodiensis ad Virdunense S. Vitoni Cœnobium adductus circa an. 1143, scripsit Virdunensium Episcoporum historiam post Bercharium et anonymum Monachum S. Vitoni, ab an. 1048 ad an. 1144, hortatu et relatu Hugonis ejusdem Cœnobii Monachi. Optimum sanè monumentum, cujus unum jam segmentum exhibuimus T. XI, p. 249.

(*b*) Anno 1076, exeunte Februario, Godefridus Gibbosus a sicario Delphis in Hollandia secundùm hos, Antuerpiæ secundùm illos interemptus est. Huic porrò in Ducatu Lotharingiæ inferioris non proximè successit illius ex sorore nepos, Godefridus Bullionensis dictus, sed Conradus Imperatoris Henrici IV filius, quem a patre ob rebellionem exauctoratum anno 1089 excepit Godefridus.

(*c*) Albericus ad an. 1078, *Episcopus Theodericus Virdunensis,* inquit, *Comiti Alberto de Namurco Comitatum Virdunensem contra hæredes Bullonii commisit.*

(*d*) Idem Albericus ad an. 1076, *Godefridus juvenis,* inquit, *frater Balduini et Eustachii, per matrem suam Idam factus est hæres Bullonii; Comes verò Namurcensis Albertus per aliam Idam uxorem suam dictum Bullonium reclamabat. Istæ duæ Idæ et earum successio, hoc est genus quod dicitur Heliæ militis, quem cygnus adduxit et reduxit, si creditur.*

(*e*) Theodericus successit Richardo VIII Idus Novembris an. 1046 defuncto, ut habet Hugo Flaviniacensis in chronico Virdunensi. Albericus eum an. 1047 factum fuisse Episcopum tradit. Annus proinde Episcopatûs ejus quadragesimus in annum 1087 cadit.

Digitized by Google

A quadragesimo, ubi et multi nobiles occubuerunt. Neutri parti victoria cessit ; sed Episcopus, non solutâ obsidione, suos tentoriis, Dux autem suos castro recepit, missisque inde cursoribus velocissimis, a tota Germania et Francia per fratres suos Eustachium et Balduinum cogebat exercitum sibi in auxilium. Quos ubi Pontifex super se irruere certissimè accepit, expavit, sanguine judicium facere extimuit, obsidionem solvit, eodem nuncio hoc ipsum agente, hortante et movente. Ipse erat Henricus venerabilis Leodiensium Præsul, cujus frater Fredericus Comes Tullensis, fratrisque filii Rainaldus et Petrus, post in Hierosolymitana expeditione insignes habendi, tunc ibi sub Theoderico Præsule militabant, eratque ipse et nostro Pontifici et Duci Godefrido carus et fidelis. Episcopo quidem, quia sub eo in Virdunensi Ecclesia prima scholarum tyrocinia transegerat, et ab eo Archidiaconatum susceperat ; Duci autem, quia operâ
B ejus ante illud septennium (*a*) ex Virdunensi Archidiacono in Leodiensem Episcopum assumptus fuerat. Henrico enim III Imperatori expeditionem agenti contra Rodulfum Ducem, qui, assumpto diademate, ex obedientia Romanæ Ecclesiæ regnum susceperat, et jam Saxoniam occupaverat, idem Dux Godefridus reconciliatus cum multo milite in auxilium venerat, cùm ecce interfecto (*b*) Rodulfo, dum celebratur victoria, nobiles legati Leodiensis Ecclesiæ venerunt, quærentes sibi ex dono et sententia Cæsaris Episcopum. Tunc agente eodem Duce, in gratiam ejus imperatoria Majestas donum delati Pontificii eisdem nunciis Henrico Archidiacono in hac urbe transmisit, quem et ipse Dux ut dulcem consanguineum ab hinc usque Leodium comitatus, illi urbi Pontificem assignavit, ubi ille inter prædecessores Præsules omni merito effulsit. Theodericus igitur verus libertatis defensor, ita ut retulimus, etiam supra vires
C pro patria pugnabat....

Veniamus ad locum gravissimum, in quo, quod graviter dolemus, periculosa tempora plurimùm laudibus digni Episcopi detraxerunt. Causa talis est. Anno Episcopatûs ejus XXXVI (*c*), inter regnum et Ecclesiam illa digladiabilis seditio jam surrexerat, quæ totum Romanum Imperium involvit. Romanorum enim Papa Gregorius VII Imperatorem Henricum tertium pro suis criminibus, quæ plurima ferebantur, excommunicavit, videlicet pro conjuge Regina Praxede, quam ignominiosè servorum stupris et opprobriis submiserat, pro variis injustitiis et Ecclesiarum oppressionibus, et præcipuè quia investituras Ecclesiarum per baculum et annulum dare ex consuetudine priorum contra antiquos sacros Canones, cùm ab eo sub anathemate esset prohibitus, non omittebat.... Tunc omne regnum in se divisum est, tunc omnis civitas in duas partes separata est, aliis
D causam Cæsarianæ Curiæ, aliis sanctæ Sedis Apostolicæ defendentibus, et adversam partem insequentibus. Sedes siquidem Apostolica hostes suos anathemate omnes percutiens a sacris mysteriis arcebat ; imperialis autem Curia sibi infensos captivans et exsulans honoribus privabat : demùm ferro, cæde et igne pars utraque suos inimicos persequebatur. In hac quoque urbe duæ partes factæ sunt : Episcopus siquidem malè a suis inductus, et vel amore vel timore Principis nimis depressus, declinavit post partes Cæsaris ; venerabilis verò Rodulfus [Abbas S. Vitoni] cum suis fratribus Apostolicæ sedi studiosus adhæsit. Hinc inter suos soluta est vetus illa amicitia, adeò ut Episcopus Abbatem cum suis plurimis injuriis affectos ab Ecclesia hac proturbaverit.... Fulcradus Abbas S. Pauli consensu prædicti Pontificis hanc Abbatiam cum quibusdam suorum invasit..... Hunc Fulcradum et Richerum Decanum ipsis diebus (*d*), cùm idem Præsul le-
E gatos misisset ad sigillandum altare S. Michaëlis, pro eo quòd illa Ecclesia se a Virdunensi ad Tullensem Episcopatum transferri vellet, et ad audientiam vocata Virdunum venire nollet, familia ejusdem Ecclesiæ invasit eos, scilicet Fulcradum et Richerum ab Ecclesia pertraxit, et vinctos apud Barrum incarceravit : quamobrem ipsam villam et Ecclesiam ab hostico Episcopali contigit concremari, sed Episcopum tandem senectute et nimiâ gravedine fessum dum extremus dies urgeret, nec adesset qui Apostolicæ Sedi eum reconciliaret,

(*a*) Immò ante decennium.

(*b*) Initium Episcopatûs Henrici Leodiensis Episcopi peperàm illigatur cum nece Rodulphi Regis. Anno quidem 1080 Rodulphus interfectus est ; Henricus verò an. 1075 ad infulas Leodienses assumptus est.

(*c*) Trigesimus sextus annus Episcopatûs Theoderici in annum 1082 vel 1083 incidit.

(*d*) Albericus ad an. 1084, *Ecclesia et Abbatia S. Michaëlis super Mosam,* inquit, *per Theodericum Virdunensem Episcopum constructa est, pro eo quòd Ecclesia illa se a Virdunensi ad Tullensem Episcopatum transferre vellet, tempore schismatis.*

Digitized by Google

beato Martino qui sub Maximo nefariam Episcoporum communionem Treveris invitus iniit, Curiam adiit, satisfactionem Cæsari obtulit et communicavit, de cætero firmam fidelitatem repromisit, et ita obsides absolvit : rediens a divino officio tanquam reus Apostolicæ sedis se per triennium suspendit, in quo spatio hæc nostra Ecclesia ei non communicavit... Demùm Laurentium Abbatem et Vidonem Archidiaconum legatos pro se Romam misit, communionem et gratiam Apostolicæ sedis expetiit. Ipsos legatos Pascalis Papa primùm de communione sui Episcopi absolvit, deinde litteras pro absolvendo Episcopo ad Hugonem Lugdunensem Archiepiscopum eis dedit. Richerus Lugdunum venit, ab illo suo consecratore veniam petiit, et absolutionem meruit. Rediens Virdunum, non priùs intravit quàm omnes Canonici et Monachi apud S. Vitonum convenerunt; ille pariter omnes pro communione quam secum in excommunicatione habuerant, absolvit, et fidem Apostolicæ sedis servandam jurare compulit. Cætera sub Richero prospera fuerunt. Ipse anno Episcopatûs sui XVIII *.... in pace obiit, ipsumque Richardus Albanensis Episcopus Romanæ sedis Legatus apud S. Vitonum, sicut ille disposuerat, licèt nolente Clero, honorificè sepelivit ante altare B. Laurentii, anno Dominicæ Incarnationis MCVII. Is Richardus, quondam Metensis Canonicus, pro fide Apostolicæ sedis, cum Herimanno Episcopo suo a Rege et Wibertinis expulsus fuerat, et ideò Romana Ecclesia ita eum extulerat...

* An. 1107.

Pag. 247. Ante illos dies Remorum Archiepiscopus Manasses vitâ decesserat (*a*), et illa Ecclesia Richardum Virdunensem Archidiaconum in Pastorem sibi elegerat, qui, fratre Henrico Comite jam mortuo, et altero fratre Balduino qui post illum alteram expeditionem pro Hierosolymis moverat, a Turcis martyrisato (*b*), Comitatum Grandis-prati tunc regebat. Proinde Paschalis Papa per litteras et Legatum suum prædictum Albanensem Episcopum eidem Archidiacono mandavit, ut ab ipso Albanorum Præsule in Diaconum ordinaretur (erat enim adhuc Subdiaconus) et sic consecraretur Remorum Archiepiscopus; sed Richardus nihil in his obedivit, et irritus Legatus recessit. Interim Richero Præsule mortuo, Clerus Virdunensis eumdem Richardum in Pontificem sibi elegit, quam electionem ille, priori postpositâ, pluris duxit, Metasque ductus de manu Regis baculum Pontificii suscepit, et rediens cum Treverorum Archiepiscopo susceptus est cum laudibus. Ipse quoque Rex cum Imperiali Curia subsecutus, eodem die susceptus est cum totius urbis applausu; die tertio, ipsius Richardi suggestu idem Rex castrum Clarimontis obsedit et ad deditionem compulit, quia Guido de ipso castro vexabat res Episcopii. Ipse Rex Henricus quartus (*c*) primum annum tunc agebat in regno post patris obitum, quem patrem sanctæ Ecclesiæ graviter insurgentem quamvis ipse filius custodiæ mancipaverit, regni insignibus spoliaverit et usque ad mortem persecutus sit, tamen ejusdem patris mortui imitator Ecclesiam impugnando extitit.

Interim Paschalis Papa [apud] Trecas Synodum tenuit, ubi inter alia cùm ageret de Guibertinis, fertur dixisse « Richardum Virdunensem, qui se tradidit « regiæ Curiæ, et nos tradimus eum Sathanæ ». Inde Archiepiscopo Treverorum aliisque denunciavit eum excommunicatum. In sequenti Quadragesima *, cùm penè omnes Religiosi communionem Richardi et Cleri sui vitarent, iter ad Papam intendens mandavit suis, ut ab Archiepiscopo de sui communione facerent se absolvi. Romam ivit, absolutionem a Papa petiit: et multis sermonibus ultrò citròque auditis, hoc ultimum a Papa audivit: « Nisi priùs investi- « turæ Episcopatûs, quam de manu laïci, id est Regis, suscepisti, abrenuncia- « veris, et nisi te non ampliùs de eodem, nisi de permissione nostra, te « investiturum affirmaveris, omninò a nobis absolvi non poteris ». Super hoc responso Richardus se velle consilium quærere dixit, ab aspectu Papæ exiit, nunquam rediit; sed comminatus suis, si ampliùs eum pro excommunicato haberent, quòd eos et omnia eorum in exterminium daret, Româ exiit, et coactis suis, repatriavit. Papa post illum has litteras misit. « *Paschalis Episcopus, servus*

* An. 1108.

(*a*) Anno 1106, die 18 Septembris, e vita discessit Manasses II, Remorum Archiepiscopus. *Gall. Chr. T.* 9. *col.* 80.

(*b*) An. 1101 Balduinus Comes Grandis-prati quem Albertus Aquensis Baldewinum de *Grandpreit*, l. 2. c. 16 appellat, in prælio Christianorum adversùs Turcos cum multis aliis occubuit.

(*c*) Henricus ille quintus erat in ordine Regum Alemanniæ, quartus verò in ordine Imperatorum, dempto nimirùm ex hoc ordine Henrico Aucupe, quem Imperiali titulo nulli scriptores, nulla instrumenta decorant, ea potissimùm de causa quòd Germaniæ limitibus omnis ejus dominatio fuerit circumscripta.

» *servorum*

Digitized by Google

A » *servorum Dei, dilecto filio Laurentio Abbati S. Vitoni, salutem et Apostolicam* » *benedictionem*. Richardus Virdunensis ad nos veniens nullam reatûs sui satis- » factionem Ecclesiæ fecit; unde nec a nobis in communionem susceptus, nec » a vinculo excommunicationis est absolutus. Quapropter dilectioni tuæ man- » damus, ut illius consortium omninò vites, et tam eum quàm omnes fautores » ejus, et omnes qui ei scienter communicant, a nobis excommunicatos esse » denuncies ». Clerus Virdunensis qui ab initio profectionis Richardi ad Romam ab Archiepiscopo erat absolutus, reverso Richardo, ipsam absolutionem irritam fecit, quia gratiâ vel timore ejus oppressus ei excommunicato communicavit; quod si quis renuisset, factione illius opprimebatur, donec cederet. At Laurentius Abbas respectu Dei plenus, per omnia Apostolicæ sedi obediebat, et omnes ei commissi : proinde quotidie conflabatur et ingravescebat in dies dis-
B cordia inter duas Ecclesias sanctæ Dei Genitricis et S. Vitoni.... *Pag.* 249.

Tanta commotio sub Richardo in Virdunensi Ecclesia surrexerat, sed nec minor ipsi territorio inerat. Causa bellorum ab initio principatûs ejus talis erat. Homines ejus de castro Desluardo * civem Metensem ceperant; quem dum * *Delouard.* vinctum tenerent, indignati Metenses ipsum castrum obsederant et captum diruerant : quod postquam reædificavit Richardus, Comitem urbis Rainaldum, filium Theoderici, quòd castro Episcopii non succurrisset criminatus, in jus vocavit. Qui cùm ad audientiam non venisset, Richardus, collecto nobilium conventu, ei Comitatum urbis abjudicavit; Guillelmo Luxemburgensium Comiti, quia fortior aliis videbatur, eum tradidit, cui etiam in pretium bellici stipendii pro ducentis libris Mosacum et Stanacum * oppigneravit, parvipendens excommu- * *Stenai.*
C nicationem a Præsule Richero super illis prolatam. Ita sub eo Virdunensis Ecclesia Mosacum et Stanacum usque nunc amisit (*a*). Subinde Rainaldo Comitatum urbis sibi armis defensante, et Guillelmo eum ope Richardi sibi vindicante, cædibus, incendiis, rapinis omnia miscebantur. Rainaldus tamen graviùs solus a duobus urgebatur, qui primo impetu belli amisit vicum S. Michaëlis, et castrum incensum et eversum; deinde quotidiano armorum impulsu totus ejus patrius Comitatus cedit in ruinam, præter castella et rara loca naturâ et arte virisque munita (*b*). Ad hæc quoque expugnanda Imperatorem Richardus vocavit, qui, moto exercitu, Rainaldum intra Barrum obsedit, et castro diruto, eum captum abduxit; demùm intervenientibus pro eo de toto regno nobilissimis consanguineis, custodiâ solvit, cum omnibus ut sibi cognatum ad propria remisit, tantummodò hominium ibi ab eo suscepit (*c*).

Richardus autem videns omnia sibi contraria, Romanam Ecclesiam infensam,
D Cæsarem infidum, quippè qui gravissimum sibi hostem carcere solvisset, ipsum Rainaldum contra se nova moliri, se jam per septem annos sine benedictione Episcopali esse, et sub anathemate sedis Apostolicæ degere, animo excidit, versabatque consilium ut se eriperet de tot malis; et collectâ multâ pecuniâ, Hierosolymam iter vovit, et in primis Laurentium Abbatem in pleno nobilium conventu ad Apostolicam audientiam, tanquam in se reum, invitavit.... Ipse autem subinde a Laurentio, ut legato et Monacho suo vice suâ responderet, ante Apostolicum invitatus, cum ingenti pompa comitatus Hugonem Tricassensem Comitem, tunc in Hierosolymam movit.... Obiit autem apud Cassinum-montem anno

(*a*) Idem habet an. 1111 Albericus.

(*b*) Anno 1112, ex Alberico, hæc agebantur.

(*c*) Hæc fusiùs ab Ottone Frisingensi Episcopo narrantur lib. I. de gestis Friderici Imperatoris cap. XI. « Cùm in summo, inquit, statu positus (Henri- » cus V) omnibus Gallicanis trepidantibus, cas- » trum Barrum contra opinionem multorum as- » sultu cepisset, ibique Comitem Reinaldum com- » prehensum captivum abduxisset, juxta ejusdem » Comitis arcem. *Munzun* dictam castrum posuit : » quam in altissimo monte sitam, naturâque loco- » rum munitissimam, dum nullâ arte vel vi ca- » pere valeret, patibulum erigi præcepit, dicens » quòd, nisi velociter castrum redderetur, Comi- » tem ipsum suspendio perimeret. Oppidani usque » in alterum diem inducias petunt. Illa in nocte » Comitissa filium genuit. Itaque oppidani con- » venientes infantulo recenter genito sacra- » mento fidelitatis adstringuntur. Mane facto, » cùm Imperator ad deditionem castri oppidanos » exposceret, dominoque illorum Comiti coram » ducto suspendium interminaretur; ipsi respon- » derunt se propter mortem illius castrum red- » dere nolle, præsertim cùm novum dominum, » quem illâ nocte uxor ejus sibi peperisset, ha- » berent. Qua de re inflammatus Princeps præ- » dictum Comitem ad patibulum trahi jussit. Cùm- » que a Principibus qui aderant, ne id fieret ro- » garetur, ipsoque in proposito perseverante, a » quibusdam ut saltem divinâ animadversione a » cœpto desisteret, turbato præ ira oculo, res- » pondisse fertur : *Cœlum cœli Domino, terram au-* » *tem dedit filiis hominum*. Tandem tamen irratio- » nabili motu defervescente, cunctorumque pre- » cibus Augustus inclinatus, a mortis sententia » animum revocavit, prædictumque Comitem secum » captivum ducens, ad familiaria domicilia rediit ». Anno 1113, ex Alberico.

Digitized by Google

Pag. 250. * An. 1114. septimo * quo Virdunensis Ecclesiæ erat electus, necdum tamen consecratus Episcopus, et vacavit Episcopatus annis tribus et semis. A

His diebus Abbas Laurentius ad sua, unde expulsus erat, rediit, suos revocavit, thesaurum quem Ecclesiæ suæ subtractum invenit, ut sibi redderetur per Archiepiscopum effecit. Clerus quoque certus de morte Richardi, absolvi se ab eodem Metropolitano expetivit. Guillermus quoque Comes cum Rainaldo in pace convenit, reddito ei Comitatu urbis, nolentibus ipsis urbanis : unde ipsi duo ad expugnandum Virdunum conduxere validas copias pugnatorum ; sed Virdunenses primò inducias petierunt, eisque datis, cùm hostes recederent, eis incurrunt, et grave utrisque a partibus bellum commissum est ; inde Rainaldus saucius reportatur.

Interea quidam Henricus et mundanâ sapientiâ præditus, et Guintonensis Angliæ Archidiaconus, qui inde venerat cum filia Regis Anglorum Mathilde, B quam duxerat Rex Romanorum, in obsequiis ejus positus, per eam ab ipso Rege donum Episcopatûs Virdunensium accepit (*a*), et præmissis Virdunum legatis, donis et promissis animos habitatorum urbis pro se inclinavit, ita ut ipse legatos subsecutus, cum honore susceptus sit ab eis. Cui cùm mox communicassent, Laurentius Abbas cum suis ab eorum communione refugit : Bruno quoque Metropolitanus electionem ejus improbavit. Guido etiam Viennensis, Legatus Apostolicæ sedis, eum excommunicavit : ipse demùm Henricus post annum consultus a venerabili Laurentio ut se redderet in manu Apostolici, iter ad Romam movit ; a Cæsarianis in via captus et elapsus Mediolanum usque pervenit, Johanni Cremensi qui Cardinalis Presbyter ibi erat invento, quònam iret petivit *. Johannes in ipso itinere Cæsarianos versari dicens, eum vice Papæ suscepit, absolvit, in Episcopum consecrari fecit, ad suos remisit. Eum revertentem jam C prævenerant legati Regis, ut sibi mitteretur Virdunensibus mandantis. Veniens clausas urbis portas et animos eorum infensos invenit, ad Hadonis-castrum * secessit : inde arma intentabat et minabatur urbi. Quamobrem urbs et Clerus ad deponendum eum consurrexit, ad Archiepiscopos Apostolicæ sedis Legatos, ad ipsum quoque Papam accusans eum malæ intrusionis.

* *f.* aperuit.

* *Hattenchâteau.*

An. 1118. Interea defuncto Papâ Paschali, Romanorum Ecclesia Johannem Gaitanum Apocrisiarium in Papam statuit, et Gelasium cognominavit, cùm Rex Romam accelerans omnibus eis esset jam timori : a cujus etiam facie fugâ sunt dilapsi. At Rex veniens Electum eorum improbavit, et Mauricium Burdinum, Bracarensem Hispaniæ quondam Episcopum, tunc depositum, Romanæ cathedræ intrusit : cujus violentiâ Gelasius in Gallias aufugit, et post annum Cluniaci obiit, Guidone Viennensi, qui est Callistus II, substituto a Romanis. Qui partes Ec- D

* An. 1119. clesiasticas corroborans Synodum Remis * celebravit, inter plurima, ne investituræ Ecclesiarum per baculum et annulum a laïcis fierent, sub anathemate interdixit, et sanctæ memoriæ Fredericum, quem Deus tot signis clarificavit, in Episcopum Leodiensem consecravit. In ea Synodo Henricus per Cardinales sibi conciliatos contra suorum accusationem prævaluit, et confirmationem Episcopii accepit ; rediens tamen non est receptus a suis, nisi ab Abbate Laurentio, qui et ipse non ei favens commendatorias pro eo Papæ litteras susceperat. Tunc Henricus causam suam Rainaldo Comiti, qui et ipse a Virdunensibus non recipiebatur, communicans, eum in suos accendit. Ambo cum magnis copiis Virdunum accedunt, et resistentibus civibus pugnâ validè commissâ, intromissi ignem immittunt, quo Ecclesiæ Salvatoris, S. Petri Sanctique Agerici combustæ sunt cum maxima adjacente urbis parte ; cædis et prædæ neque modus, E neque numerus fuit. Die altero urbs reddita et confirmata est (*b*) in manu Rainaldi, et Henricus in cathedra Episcopii sedit ; et in tanto tumultu captâ urbe, a Clero coacto, non cantante, sed lamentante, *sustinuimus pacem, et non venit : Domine, quæsivimus bona ; et ecce turbatio,* receptus, mox ad Missarum solemnia accedit, adhuc fumante holocausto, et sub tam recenti vulnere urbis et suarum ovium ruinis ductu et causâ sui perpetratis. Sequenti luce, cives malè de Rainaldo confisi, ad Ecclesiam sanctæ Dei Genitricis tanquam ad asylum misericordiæ confugiunt, ubi ab illo obsessi, capti et rebus sunt exspoliati.

Jerem. XIV. 19.

(*a*) Henricus Virdunensi Episcopatu donatus est an. 1116 ex brevi chronico S. Vitoni.

(*b*) Anno 1120 Virdunensis urbs capta est a Rainaldo, ut habet breve chronicon S. Vitoni ; non verò an. 1118, ut vult Albericus.

Digitized by Google

A Anno Dominicæ Incarnationis MCXXII, Callistus Papa, missis ad Imperatorem (erat enim sibi genere proximus) Cardinalibus, sedavit illam maximam discordiam quæ a tempore Gregorii VII Regnum et Ecclesiam turbaverat, investituras Ecclesiarum et regalia B. Petri Cæsare exfestucante, et reconciliationem suscipiente : et ita Regnum et Ecclesia ab ipsa peste quievit. *Pag.* 251.

Eodem tempore (*a*), quia Virdunenses secretis nunciis ad aures Imperatoris deploraverant quanta mala passi pro eo essent, Henrico de Grandi-prato Imperator Comitatum urbis commiserat, ut gratiâ sui civibus subveniret, mandaverat. Ille civibus locutus, et quid faceret docens et doctus, cum equitatu Virdunum matutinis horis accedit, et adulterinis clavibus intromittitur. In tali tumultu discurrentibus militibus, Episcopus somno excutitur, et re cognitâ, se turpi fugâ penè nudus proripiens, Mosam enatat, et ad Rainaldum cursitat, qui
B civium et Henrici Comitis cognito pridem molimine, ad sua conservanda recesserat, commissâ Episcopo urbis custodiâ. Rainaldus, tristibus auditis, mox contrahit hosticum, accedit Virdunum; et circumvolantibus ad arma Henrico et civibus, pugnat et vincit, non tamen urbem recipere potuit. At Comes Henricus, ne viribus esset inferior, quosque fortissimos a Flandria et aliàs stipendio contrahit, et hostem duo latera urbis iterùm assilientem fortissimè repellit, plures ex eo capit, Comitatum ejus ubique superior infestat, cædibus, flammis et prædis vexat, et eum publico certamine secùs Oscaram * villam superat. Rainaldus ad artes se conferens, in castrum Clarimontis milites stipendiarios collocat, qui quotidiano incursu hostem infestent. Henricus ut artem hostis eluderet, aliâ arte suos stipendiarios instruit, et monet ut illos de Clarimonte ad congressionem eliciant diuque fatigent; ipse subitò hostes jam lassos cum manu valida
C fortiter invadit, in castrum compellit, subsecutus ignem immittit, et omnes illos cum castro redditos turpissimè ut latrones per gulam captos abducit. Rainaldus jam damnatis armis, pacem meditatur, et mediante Frederico Tullensi Comite, apud Caladiam * ipse et Henricus de pace tractant; Henricus Comitatum urbis ei reddidit, illo paciscente quòd fautores ejus cives non sit læsurus, et permittente * ei quos ceperat exspoliare : ita sub Rainaldo Comite et Henrico Pontifice civitas demùm requiescit (*b*). Ipse, ipse Pontifex Rainaldo dedit Dunum castrum et quatuor villas Episcopii, id est Rovretum *, et Malaudimontem *, et Montem S. Luciæ, et Curticellas de *Amincourt*, et de Domno-Remigio, pro pignore triginta librarum; Petro verò de *Mirevalt* dedit quidquid habebat ad Roncivillam et ad utramque Aisannam, exceptis quatuor familiis, pro adjutorio sibi impenso. Ipse deinceps securum se existimans, bellis suis itemque Regni
D et Ecclesiæ consopitis, voluptate resolvitur contra decus Episcopi. Proinde suscitavit contra eum Deus animos vulgi, seditionibus multis ei incurrentis, Cleri quoque, missis legatis usque ad aures Papæ, eum accusantis de incontinentia, de simonia, de delapidatione rerum Ecclesiæ. Præponderabat causa venerabilis Laurentii, qui ad aures Lotharii dignissimi Cæsaris (*c*) et Legatorum Apostolicæ sedis, ipsiusque Apostolici querimoniam adversùs eum agebat, quòd suæ Ecclesiæ tempore discordiæ inter Regnum et Ecclesiam a prædecessoribus ejus sublata sibi multoties conventus non restitueret. Henricus obstinato animo ad audientiam vocatus Callisti Papæ non venit, neque ablata Laurentio, ut jubebatur, restituit.

Callisto defuncto Honorius successit, apud quem Clerus accusationem et Laurentius proclamationem suam iteravit. Honorius eum missis litteris evocat, et ut ablata restituat Abbati, mandat, suspendens interim eum a divino officio (*d*) :
E ille suspensus quidem exstitit, sed neutrum mandatum complevit. Papa eum secundò jam graviùs evocante, ille sibi timuit, fultus muneribus et excusationibus Romam venit; Cardinales sibi concilians, ante Papam in jus stetit : in quem cùm accusatores præsentes capitula criminalia etiam scripto protulissent,

* *Ouche.*

* *la Chalade.*

* *Al.* promittente.

* *Rouvroi,*
* *Malaudmont*

(*a*) An. 1123, ex Alberico, hæc gesta sunt.

(*b*) Albericus an. 1124 eam pacem illigat.

(*c*) Laurentii querimoniam haud neglexit Imperator, ut testantur sequentes hujus ad Henricum Episcopum litteræ, a Wasseburgo, *Antiq. Belg. fol.* 285 descriptæ : « Lotharius, Dei gratiâ, Roma» norum Rex, Henrico Virdunensi Episcopo » gratiam suam et omne bonum. Veniens ad nos » Laurentius Abbas S. Vitoni conquestus est quæ» dam bona, tempore discordiæ inter Regnum et » Sacerdotium, Ecclesiæ suæ fuisse ablata : et » quia, divinâ opitulante gratiâ, illa discordia » est sedata, volumus ut unaquæque Ecclesia jus » suum recipiat et privilegia. Mandamus ergo di» lectioni tuæ, et sicut nostram diligis gratiam, » præcipimus ut omnia quæ tempore discordiæ » Ecclesia B. Vitoni amisit, scilicet mercatum in » monte S. Vitoni, et cætera sive quæ in privile» giis habentur, sive quæ per viventes adhuc » testes probare potest, integrè restituas ».

(*d*) Honorii hac de re epistolas olim edendas vamus.

Digitized by Google

excusatores Episcopi, ut eos repellerent quasi indignos audientiâ, impingebant A
eis quædam crimina; cùmque utræque partes in contumeliosa verba prorumperent, et lis in infinitum protenderetur, Honorius a venerabili Laurentio, qui et ipse præsens aderat, requisivit : *Tu, pater, quid dicis de criminibus Episcopo illatis?* Et ille : *Domine,* ait, *ego non vidi, sed populus clamat.* Rapuit Papa verbum ex ore ejus; et quia faventibus Episcopo Cardinalibus, et lite nihil certi sinente, nullam poterat determinare sententiam, causam ipsam discutiendam Matthæo Albanensi Episcopo, Legato suo in Galliis posito, mandavit. Matthæus ipsum Episcopum et accusatores Catalaunum ad sui præsentiam evocavit, ubi tam ipse quàm Episcopus et accusatores Remensem aliosque Episcopos, Abbates quoque ac sapientes et religiosos viros ad suffragia suæ causæ adsciverunt. Henricus primò capit consilium a Bernardo sanctæ memoriæ Abbate Clarevallensi, cujus consiliis Regna et Ecclesiæ Galliarum hodieque innituntur. B
Ille consulit gravissimum esse invitis violenter præesse, ideòque priusquàm ignominiosa in eum accusatio ad publicam tantorum virorum audientiam veniat, sòlus omnibus cedat, Episcopatui abrenunciet, ne publicam contumeliam incurreret. Credidit se consilio ejus ille.... Inde baculum reddidit, et abrenunciavit Episcopatui, ac recedit anno XIII (*a*) ex quo susceperat eum de manu Cæsaris....

Virdunensis Ecclesia ab ipso Concilio commonefacta, ut præteritis malis instructa personam religione fultam præficeret, sibi Ursionem Abbatem S. Dionysii Remensis in Episcopum elegit : qui Virdunum ductus, Pontificalia jura et
* *Al.* judicia. terræ juridicia *, etsi maximè vellet, curare nec poterat nec noverat; sed apud S. Vitonum se continens, secretam, ut consueverat, vitam agebat. Ejus lenitudo mox tyrannis facta est despectui, et Episcopio fuit multis incommodis. Ierat siquidem ad Curiam Regis, gratiâ suæ confirmationis, et ecce Rainaldus Co- C
mes qui dominium sibi urbis meditabatur, inopinatè Virdunum venit, magnas copias militantium, latronum, fossorum et diversi generis artificum secum et
Pag. 252. cum non modico apparatu adduxit, pomerium Pontificalis domûs succidit et exstirpavit; et quia locus ille aptissimus erat urbi, ibi turrim sumptuosissimam, firmissimam et amplissimam exstruxit, in eo præsidio sibi fidelissimos collocavit, per eam toti urbi totique Episcopio imperare cœpit. Quid referam domos Clericorum fractas resque distractas, ipsum Clerum fugatum ac proturbatum, populum urbis in his omnibus nec mutire ausum? Ipsum Episcopum redeuntem a Curia idem hostis insidiis circumvenit, comitantes eum Clericos cepit et clientes. Episcopus fugâ lapsus, quasi Virdunum perdidisset, non rediit, ne videret quod non poterat, audiret quod non valebat ullo pacto cohibere : proinde ipsa Ecclesia seipsam a divino officio suspenderat. Ita populus libertatem, Clerus Pontificem, D
et tota Virdunensium gloria videbatur esse translata : cùm ecce... anno Dominicæ
* *Ed.* MCXXVI Incarnationis MCXXXI *, Lotharius Imperator qui post Henricum regnavit, Leodii in media Quadragesima maximum nobilium conventum pro disponendis regni et Ecclesiæ negotiis celebravit, ubi et Romanorum Papa Innocentius II, quem Petrus Leo ei subinthronizatus Româ exturbaverat, occurrit, suffragiaque imploravit et meruit. Eò et Ursio Virdunensis Electus advenit, et quia pœnitebat eum suscepti Pontificatûs, et Virdunenses ipsius electionis, ad aures Augusti et Apostolici causam suæ impossibilitatis ipse peroravit, absolvi postulavit, Episcopalia reddidit. At ii qui capita Virdunensis Ecclesiæ et populi, qui in conventu Leodii celebrato reperti sunt, ab Imperatore jussi ut de tanto conventu quem meliorem nossent, eligerent et præsentarent sibi; illi, versato diu consilio, domnum Alberonem Ecclesiæ suæ Archidiaconum, filium Arnulfi Co- E
mitis Chisnensium, in Præsulem elegerunt. Electionem ejus Curia laudavit, Principum qui noverant cœtus acclamavit, Imperatoria Majestas confirmavit, datis ei per scriptum temporalibus Episcopii : Apostolicus et ipse approbavit, utque omnia canonicè procederent, electam personam ad Virdunensem Ecclesiam mox remisit, ut cum ipsius Ecclesiæ, et potissimùm Laurentii Abbatis assensu et testimonio sibi Parisius occurreret imperavit, ut eidem ibi, visâ eorum publicâ electione, confirmaret spiritualia Pontificii Virdunensis. Civitas et Ecclesia, audito nomine Electi sui, exsultavit, spem recuperandæ libertatis per eum jam quodam præsagio concepit, venientem cum gaudio suscepit, cum tes-

(*a*) Anno 1129, inquit Albericus, *Matthæus Albanensis Legatus Concilium tenuit apud Catalaunum in Purificatione B. Mariæ Virginis, ubi de consilio B. Bernardi Henricus Virdunensis Episcopus Episcopatum dimisit, et factus est Episcopus Virdunensis per biennium quidam Abbas B. Remigii* (corr. *Dionysii*) *Remensis.*

Digitized by Google

A timonio publici assensûs ad Papam Parisius Franciæ transmisit, a quo in sancto Paschali Sabbato in Presbyterum, die autem festo in Episcopum est consecratus, et mox cum honore et gratia Apostolicæ sedis dimissus....

Interea qui continebantur præsidio Virdunensis turris, erant in laqueum magnum et diabolicum malum toti urbi. Longum est referre prætereuntia vehicula, rhedas et omnia onera victualium vulgi, Cleri ac adventantium vel redeuntium mercimoniorum quoties illi disturbaverint, quoties turri intraxerint, pro libitu alia sibi vindicaverint, alia redimi fecerint, adeò ut publicus patriæ commeatus qui per mediam urbem tendebat, tunc sit distortus, et emporio nostro antea celebri hodieque perseveret inflictum dispendium. Prætereuntes etiam peregrini beatæ Dei Genitricis eò ad suffragium ejus propter audita miracula undique confluentes, ab illis desuper saxis et sagittis appetebantur. Proinde ins-
B titit domnus Episcopus apud Comitem Rainaldum, ut illam turrim removeret, *pag.* 253. vel quia nec in hoc acquiescebat, ut a tantis illicitis compesceret. Quid narrem quoties eum super hoc convenerit, monuerit, rogaverit? Quanta promissa, quanta pacta proposuerit? Quomodò intra Ecclesiam sanctæ Dei Genitricis eum adjuraverit, omnibus Sanctorum feretris de tota urbe coram allatis, et omnibus Mónachis et Clericis et populis ante eum prostratis, apud Desluardum castrum in præsentia domini Matthæi Albanensis Episcopi et Romanæ Sedis Legati, et multorum Præsulum atque nobilium ad pedes ipsius se prostravit? Cùm ille semper pertinax repugnaret, et omnia petita negaret, Episcopus, quia cor ejus clausum invenit, ad divina præsidia se contulit, Christo et ejus Genitrici totum commisit, et res in omnibus prosperè cessit. Siquidem Comes securus et nihil ausuros Burgenses, quia reverâ desperaverant, existimans, custodiam turris
C commiserat paucis, quorum etiam aliqui erant extranei, ac ideò minimè fidi. Horum unus a Primicerio Ecclesiæ Alberto, deinde ab Episcopo secretè conventus et quibusdam pactis illectus, tradendam eis turrim repromisit statuto die, id est Pentecostes *, et apertis signis datis, ipso sancto die post prandium * An. 1131. socios ad ectetas * antemurales vocavit, lusu aleæ ibidem eos tenuit: eis demùm maximè ludo intentis, ipse iratâ facie, quasi ludus non benè sibi ab eis * domunculas. duceretur, surrexit, ab eis in turrim se proripuit, et eis exclusis et pro ludo omnia ducentibus (nec enim suspicio erat) ostium turris firmissimo obice firmavit, et per summum turris signum proditionis Episcopo designatum protulit, id est lineum amictum capitis circumtulit. Episcopus videns (exspectans enim aspiciebat) irruente in se spiritu Domini, accensus animis totus exsiliit; et animum et corpus pro libertate patriæ et ovium suarum dare paratus, signum belli in
D Ecclesia insonare fecit, et cum Clericis ac omnibus urbanis quos ante horam, negotio celato, in arma paratos esse jusserat, accurrit: scutariis simul delatis, totâ virtute turris ab eis assilitur, custodes exclusi lapidibus, armis et omni genere nocendi ab omnibus impetuntur; fortiter resistentes, igne immisso in turris materialibus, victi demùm cedunt, et Episcopo se reddunt. Turrim captam cum suis Episcopus intrat, et victricia pignora Virginum Virginis in summo ejus triumpho exaltantur, et summo jubilorum præconio concelebrantur etiam a peregrinis, quorum multitudinem miracula tunc eò frequenter evenientia catervatim undique attrahebant.... Fama rei mox totam patriam replevit, et Rainaldi animum, plusquàm credi possit, consternavit, eò magis quòd ejus custodes in suæ turris ergastulo custodiebantur immersi. Secundâ die Pentecostes Virdunum advolat, ad congressiones provocat; sed Episcopus suos ne in arma
E furiis accensi hostis involent, revocat, et intra muros continet: hostis ut urbem tribus lateribus infestaret, tribus castellis præsidia imponit, id est, ipse apud Amblivium *, filius ejus Hugo apud Gentronis-villam *, Helias Primarius ejus * *Ambli.* apud Rosetum *, collectis armorum copiis, prosident, continuis excursioni- * *Vatronville.* bus urbem infestant, Episcopium vastant, de villis redemptionem exacervant. * *Rensieres.* Episcopus armatorum copias necessariò conducit, libertatem suorum vindicat, armis Heliæ apud Rosetum, qui graviùs urbi ingruebat, subitò insurgit, ignem castro immittit, ipsum hostem cum tota pube suorum capit, abducit, ergastulo Virdunicæ turris quam ipse faciendam mensus fuerat, intrudit, impellentibus eum cunctis. Rainaldus par pari referre nitens, Mosellanum Ducem Simonem, multos Comites et Barones conducit, cum his ab Amblivio egressus Virdunum intendit; cùm ecce procul visa est eis summitas templi gloriosæ Virginis. Di-

Digitized by Google

vino aspectu animus in eis excidit, inhorruit; aliis ac subinde aliis captatis consiliis, palàm Dux ac Principes eum compellant, ne Christo et ejus Genitrici bellum inferat: in aliis bellis socias vires promittunt; in isto se non audere proclamant. Ita, rebus infectis, iter ad sua retorquent, et Rainaldus adhuc spirans minarum, alios exercitus colligebat. A

Præterea ab initio captæ Virdunicæ turris, Rainaldus exquirebat per Alberonem Metropolitanum ab Episcopo ut suam turrim sibi redderet: quod quia ille recusaverat, iterùm per fratrem suum Stephanum Metensium Præsulem mille promissis et pactis expetebat ab eo, ut eam ex episcopali dono sibi tenendam concederet; et quia id quoque negaverat, per multos mediatores rogabat, ut saltem Chisneiensi Comiti Alberto idem ex episcopali dono annueret, qui quoniam fratre Episcopi Ottone Comite natus erat et gener ejusdem Rainaldi, fidus utrisque haberetur; insuper magna pars Cleri et populi idem Episcopo suggerebant, urgebant et omnimodis instabant propter gravem sibi tumultum et timorem pejorum. Verùm dignissimus Pontifex, reputans in animo quia ipsa turris reddita fieret tyrannis imposterum ad destructionem omni urbi et Ecclesiæ, omnium petitioni abnuit, contestans se malle mori vel longâ terrarum fugâ exulare, quàm tantum hostem et scandalum reimmittere libertati ovium suarum; sed licèt illæ oves malo timore suscipere vellent venientem lupum ad se in vestimento ovium, se tamen certaturum ut auferret ab eis hostem immanissimum. Inde ipsam turrim evertit, refugientibus hoc Clero et populo pro terrore gravissimi hostis, et inde urbem muro cingere cœpit, ratus id quod erat, quia dirutâ turri, jam cessaret hostis, sublato fructu et causâ pugnandi. B

At Rainaldus, eversâ turri, hominibusque suis captis, insuper causam belli ejus refugientibus et detestantibus Primatibus et amicis, æger anxiabatur, irâque et dolore extra se rapiebatur: cùm ecce subitò fortissimum languorem incurrit, se divinitùs percussum extimuit; infectis minis pacem meditans, fratrem suum Stephanum Episcopum ad colloquium Alberonis Episcopi, ut pro pace tractanda treugas peteret, direxit. Ille veniens, mandata perfecit; deinde inter fratrem suum et Episcopum nostrum factus est mediator firmissimæ pacis. Ita per industriam dignissimi Alberonis Pontificis ablatus est gravissimus hostis a cervicibus nostris, et urbs nostra pacem, Ecclesia divini psallentii * vocem, utraque autem plenissimam libertatem receperunt, quam amiserant per triennium, regnantibus malis (*a*). C

* *f.* Psalterii.

Post hæc Episcopus cum valida manu ad Amblivium castrum, quod Episcopio nimis infestum fuerat, et adhuc quidam maligni contra eum retinebant, accedit. Cùmque in itinere paulùm gustans remoratur, præcurrentes pedites idem castellum aggressi irrumpunt, invadunt et incendunt; et militantibus cum Episcopo mox ad hæc visa subsecutis, castellum exterminatur, præda et omnes de intùs capti et vincti abducuntur, laus triumphalis deinde Christo et ejus Matri celebratur.... D

Pag. 256. * An. 1140. Anno nono * Episcopatûs domini Alberonis, venerabilis Laurentius post quadraginta annos et tres menses ex quo Abbas feliciter huic Cœnobio præfuerat, beato excessu obiit.... Laurentio mortuo, æquè venerabilis Segardus, consanguineus ejus et Monachus, successor sedis, pietatis et religionis fuit....

Pag. 257. Requieverat Episcopium a præliis septem annis; cùm ecce iterùm bellorum turbo intonuit: Rainerus enim de Balneio cùm pro fide Episcopii novum castellum firmavit, per illud tam ipse quàm dominus ejus Comes de Grandi-prato Henricus omnia mala inferebant rebus Ecclesiasticis. Præterea idem Henricus in conductu domini sui Comitis Rainaldi, infra Episcopium viantes negotiatores Hoyenses violenter opibus magnis spoliavit, quem proinde tam Episcopus quàm Rainaldus iteratò in jus vocabant, ut responderet tam pro se quàm pro homine suo Rainero: at ille jus et audientiam despiciens, ad arma se contulit, per Episcopium, propè usque Virdunum prædâ et flammis degrassans, primum et secundum excursum fecit; sed in armis receptus utrobique, victoriam Ecclesiasticæ parti invitus reliquit, utque excursus ejus interciperetur, præsidium apud *Bettini-* E

(*a*) Albericus ad an. 1134, *Comes Rainaldus Barri,* inquit, *mediante fratre suo Stephano Metensi Episcopo, tandem fecit pacem cum Episcopo Virdunensi Alberone; et eodem anno idem Rainaldus per prædationem Bullonicum castrum S. Lamberti obtinuit.* Anno verò 1131 conditiones hujus pacis enarrat, nimirùm *Episcopus,* inquit, *pacem fecit cum Comite Barri pro quadam summa, et dedit ei feodum Clarimontis, et feodum de* Hans *et de Vienna, et ita Comes civitatem ei quittavit.*

Digitized by Google

A *curtem* * ipse Præsul, firmatâ munitione, posuit : itemque, quia non hoc suffecerat, ipsum castrum Balneium obsedit, quotidie gravissimè ab utrisque partibus pugnabatur, quotidie militares Henrici extra aquam in tuto positi insidias nostris moliebantur. At Hugo filius Comitis Rainaldi cum ducentis ferè militibus unâ dierum a suis digressus, iter ad Viennam castrum intendit, ut Henrici partes infestaret; cùm ecce in medio viæ positus a nunciis et ipsis pedum vestigiis hostiles cuneos versùs suos transisse comperit, eosque ex vestigiis tractûs insecutus, inopinatis eis malè in tuto positis et securis incurrit, et quater vicenos circiter ex eis cepit, equis cum omni præda retentis; pauci fugâ lapsi ad Viennam refugiunt, Henrico in infirmitate jacenti, qui nuper equo lapsus, motâ de loco spatulâ, graviter læsus erat, tristes suorum eventus referunt, hostes mox eò venturos ex timore superadjiciunt, eum dolentem multa inde exportantes B ad tutiora confugiunt, ita ut mox Vienna a nostris et vacua capi potuisset, si insecuti fuissent. Henricus omnibus diffidens, et a suis nobilioribus quos penè omnes Episcopalis militia ceperat coactus, pacem petiit, et mox ut convaluit Virdunum venit, de omnibus impetitis in jus stetit, et omnia subjectus et obediens correxit; primò autem omnium castellum ab Episcopo obsessum jusserat reddi, quod et Episcopus evertit, facto communiter interdicto ne quis unquam ruinas ejus ressuscitare ausit.

* *Baleycourt.*

Anno Episcopatûs sui decimo quarto * Episcopus iter Jerosolymitanum vovit, cujus votum diutinâ devotione conceptum ita suis celaverat, timens impediri, ut crucem eundi de more bajulare eum Ecclesia sua ante videret, quàm iturum audisset. Non immeritò tunc timuerimus ne reddita per eum libertas nobis iterùm, eo absente, a tyrannis auferretur; sed adfuit Dei misericordia, cujus nutu C Cœlestinus Papa, qui Innocentio tunc successerat, et tota Romana Ecclesia pium Episcopi votum piè impedivit, et ne ultra Romam procederet inhibuit, et dignum Pastorem ad oves destitutas, quas lupi jam invadere meditabantur, remisit. Interim maximus turbo ventorum inhorruit et inauditas silvarum, turrium et domorum strages in his Galliarum partibus dedit. Continuum venti flatum, et inundationem pluviæ secuta est frugis sterilitas, vini autem multò maxima. At Episcopus, lætante Ecclesiâ, reversus, mox duos lupos ovibus suis insurgentes unum cepit, alterum compescuit. Albertus enim de castro Sanctæ-Manechildis, qui innumeras ab Episcopio prædas contraxerat, cùm iterùm prædis insisteret, et in publica contra Episcopium arma aspiraret, cum paucis et penè inermibus insecutus, præda retenta est, ipseque captus et abductus est; et prædata reddere coactus, pro sui dubia liberatione nunc totus pendet in Episcopi manibus. Robertus quoque de castro Confluentiæ, qui rebus Ecclesiæ armatus inhiabat, multis D repulsionibus compressus perdomitus, et ad pacem petendam est coactus. Planè non modicæ Dei Genitricis gratiæ adscripserim, quòd honorabilis Episcopus illos quatuor tyrannos, quasi quatuor cœli ventos, Robertum ab Oriente, Albertum ab Occidente, Rainaldum a Meridie, et Henricum a Septentrione tam feliciter, ne gravi flatu suis ingruerent, compresserit et compescuerit.... Hìc finem habemus materiei et temporis, qui est annus MCXLIV Verbi Dei Incarnati, septimus Conradi regnantis, primus Lucii Papantis, decimus quartus Alberonis nobis Episcopantis....

* *An.* 1144.

E

EX LAURENTII DE LEODIO HISTORIA

CONTINUATA PER ANONYMUM S. VITONI MONACHUM.

Venerabilis Pater [Segardus] anno Domini millesimo centesimo quadragesimo tertio (*a*) defungitur, et in Capitulo hujus Monasterii sepelitur. Cui venerabilis Pater Cono in regimine subrogatur....

Pag. 258.

Procedente verò tempore, anno scilicet Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo quadragesimo septimo, quo expeditio Christianorum contra Paganos a toto Romano imperio processit, quam præsignaverat jam visa antea stella spargens lucifluas in regna propinqua jubas,... dominus Papa Eugenius in Franciam

(*a*) Corr. 1142, ut habet breve chronicon S. Vitoni, et ex ipso Laurentio constat; *nam post duos annos beati sui regiminis*, inquit, *in Domino requievit.*

Digitized by Google

venit, et ad consecrandam B. Virginis principalem Ecclesiam a domino Præsule A
* An. 1147. Virdunensi Alberone nomine multâ prece evocatus, Nonis Novembris * tripudiante totâ hâc civitate, urbem ingreditur : qui, auditâ hujus Sancti opinione, et quòd ipsius sacræ depositionis solemnitas quinto Idus ejusdem mensis celebranda erat, ad Cœnobium istud cum suis Cardinalibus et domno Pontifice venit, et condignâ reverentiâ seu laudum præconiis susceptus, videns loculum satis honorificentissimè præparatum, laudavit, benedixit, et in illud corpus venerandum ipse cum domno Pontifice, astante innumerâ plebium multitudine, transposuit....

Albero verò Episcopus, vir generosus et approbati meriti, labore affectus et tædio, ætate fractus et senio, Episcopatui resignavit, et tumultus ac frequentias populorum declinans, ad claustrum sancti Pauli Virdunensis, Præmonstratensis Ordinis, requietionis gratiâ divertit. Biennio verò ibi feliciter expleto in lectionum et orationum jugi frequentia, plenus dierum anno Domini millesimo cen- B
An. 1158. tesimo quinquagesimo octavo in pace quievit, qui in majore Ecclesia B. Mariæ mandatur sepulturæ. Alberoni successit (*a*) in Episcopatûs regimine Albertus de Marceyo, vir excellentis ingenii, litteraturæ vernans studio, qui solerti sagacitate ovium suarum curam gessit, et pro humanæ possibilitatis modulo causas erroris exstirpavit, jactantiæ nescius et pauperum adjutor indefessus,... Hic tantillo tempore quo supervixit, cœpit lectioni vacare et orationi incumbere, sicque postmodùm, modico dilapso tempore, post habitûs susceptionem votivas Deo reddens gratias, depositâ carnis sarcinâ, anno Dominicæ incarnationis millesimo
An. 1162. centesimo sexagesimo secundo spiritum exhalavit, ac coram altari B. Laurentii in nostro Monasterio sepelitur. Huic successit Richardus Electus, vir nobilis, cognomento Infans, qui devotionis gratiâ transmarinum iter arripuit. Richardo verò successit Arnulphus Episcopus.... C

Pag. 259. An. 1178. Obiit autem venerabilis pater noster Cono anno Domini millesimo centesimo septuagesimo octavo, et sepultus est in Ecclesia.

Sortito igitur Arnulfus, vir insignis litteraturâ et moribus, Pontificatûs regimine, cœpit curâ solerti negotia sui officii tractare, et jura tueri. Erat enim argutus in consiliis, et eloquio facundus. In illis diebus surrexit quidam miles Albertus nomine, cognomento *Pichot*, dominus de S. Manechilde, vir spurius et totius malitiæ præsumptor : iste furcifer et filius iræ cœpit Episcopatum Virdunensem et Catalaunensem infestare, bona ipsorum diripere, villas deprædari, domos conflagrare. Arnulfus ergo Episcopus Virdunensis calamitati suorum condolens, confœderatis undecumque Principibus, deliberavit ut castrum quò ille minister Sathanæ divertebat, obsideret. Congregato quippè exercitu et agminibus ordinatis, cum armorum apparatu et cæteris ad usus bellicos necessariis illò D
diverterunt, castra locaverunt, et excubitores posuerunt. Provolutis itaque aliquot diebus, cùm jam gravioribus pugnis desudassent, a quodam sagittario e murorum propugnaculis idem Episcopus capite sagittâ percussus interiit. Exercitus verò turbatus et ex desolatione sui Principis confusus, et ob hoc diffusus, et Principes quique ad sua non sine mœstitia repedarunt; Episcopi quoque cadaver Virdunum detulerunt, quod in majori Ecclesia B. Mariæ semper Virginis
An. 1181. sepulturæ mandarunt, anno Domini millesimo centesimo octuagesimo primo, cui successit Henricus de *Castres*.

(*a*) In brevi chronico S. Vitoni legitur : *Anno* MCLVI, *ordinatio Alberti Episcopi, duobus annis ante obitum Alberonis.*

E

EX CHRONICO S. VITONI VIRDUNENSIS (*a*)

Apud Labbeum T. I. novæ Biblioth. Mss. Lib. p. 400.

ANNO MLXXX. Translatum est corpus D. Richardi Episcopi, et sepultum ante chorum in nova Basilica S. Mariæ.

MLXXXII. Seditio magna inter Regnum et Sacerdotium, pro qua a Monasterio S. Vitoni per septennium Monachi expulsi sunt, usque post mortem Theoderici Episcopi Virdunensis.

(*a*) Quædam ex hoc chronico, quod historiæ præcedentis est velut epitome, T. XI, p. 413 a nobis edita sunt.

MLXXXVI

Digitized by Google

A MLXXXVI. Bellum in Sathanaco (*a*).

MLXXXVIII. Theoderico (*b*) Episcopo Virdunensi succedit Richerus.

MXCI. Obiit (*c*) Hermannus Episcopus Metensis.

MXCV. Consecratio Richeri Episcopi. Concilium Episcoporum penè totius orbis, exceptis Lotharingis, Alemannis, Hungaris, apud Claromontem Arverniæ.

MXCIX. Obiit Rodulfus Abbas [S. Vitoni]; succedit Laurentius. Hierusalem capitur.

MCVII. Richero Episcopo succedit Richardus Electus.

MCXI. Monasterium S. Vitoni, expulsis Monachis a Richardo Episcopo, desertum.

MCXIV. Monachi S. Vitoni ad Monasterium redeunt post mortem Richardi Episcopi. Vacavit Episcopatus tribus annis et semis.

B MCXVI. Succedit Henricus Episcopus Virdunensis.

MCXVII. Bellum ante Virdunum Raynaldi et Willelmi (*d*).

MCXX. Civitas Virdunum a Comite Rainaldo capitur : et maxima pars urbis cum Monasteriis sancti Salvatoris, sancti Petri sanctique Agerici, incenditur et spoliatur.

MCXXII. Cives Virdunenses Comiti de Grandi-prato hanc urbem per traditionem reddiderunt : a quo aliquanto tempore possessa, multa mala ibi commisit.

MCXXIV. Concordia facta est inter Regnum et Sacerdotium (*e*).

MCXXIX. Ursio Episcopus eligitur, Abbas S. Dionysii Remensis.

MCXXXI. Ursio Episcopatui renunciavit : eligitur Adalbero Archidiaconus ; et die sancto Paschæ Parisius consecratur ab Innocentio Papa.

MCXXXII. Turris Virduni capitur et evertitur (*f*).

C MCXXXIX. Laurentius Abbas S. Vitoni obiit ; Sigardus succedit.

MCXLII. Obiit Sigardus Abbas ; Cono succedit.

MCXLVII. Eugenius corpus S. Vitoni in novo feretro die ipsius festivitatis transposuit, et die S. Martini Ecclesiam B. Mariæ dedicavit.

MCL. Combustum est Monasterium S. Mariæ Magdalenæ, et magna pars urbis.

MCLII. Obiit Conradus Rex Romanorum ; succedit Fredericus Dux Elisatii (*g*).

MCLIII. Bellum ante *Mozon*, ubi Metenses (*h*) interierunt.

MCLVI. Ordinatio Alberti Episcopi, duobus annis ante obitum Adalberonis.

MCLVIII. Obiit Adalbero Episcopus Virdunensis.

MCLXIII. Obiit Adelbertus Episcopus Virdunensis, et Monachus S. Vitoni; succedit Richardus dictus Infans.

MCLXXI. Obiit Richardus Episcopus ; succedit Arnoldus. Passus est (*i*) Thomas
D Cantuariensis.

MCLXXVIII. Obiit Cono Abbas S. Vitoni, qui turres lapideas et locum thesauri dictum fieri jussit, et feretrum S. Vitoni compleri : cui succedit Richerus.

MCLXXIX. Richerus Abbas spontè finitur ; succedit Allestanus junior, qui ipso anno obiit, et succedit Allestanus senior.

(*a*) Bellum hoc gestum est inter Theodericum Virdunensem Episcopum et Godefridum Bullionensem. Vide supra historiam Virdun. Episc.

(*b*) In Hugonis Flaviniac. chronico Virdunensi mors Theoderici cum anno 1089 componitur.

(*c*) *Ibid.* Herimannus obiisse dicitur anno 1090.

(*d*) Rainaldus Barrensis Comes et Willelmus Comes Lutzelburgensis reconciliati, Virdunenses ex pacis conditionibus cogere nisi sunt ut Rainaldum in Comitem denuò reciperent. Quod cùm illi detrectarent, acre inter eos et utrumque Comitem ante Virdunum commissum est prælium, in quo Rainaldus graviter vulneratus est. *Roussel Hist. de Verdun* p. 238.

(*e*) Facta est hæc concordia duobus antè annis, nempè anno 1122 mense Septembri, in conventu Wormatiensi, præsidentibus Ostiensi Episcopo ac duobus Cardinalibus a Callisto Pontifice missis, quam sequenti anno idem Pontifex XV Kal. Aprilis in Synodo Lateranensi confirmavit. Pacis autem conditiones hæ fuerunt, ut electiones Episcoporum et Abbatum Teutonici regni in præsentia Imperatoris absque simonia fierent, et ut Electu-Regalia per sceptrum, non verò, ut ante, per baculum pastoralem et annulum, ab Imperatore reciperet. Ita demùm controversiæ illi, quæ per annos ferè quinquaginta tot seditiones, tot bella, tot scelera peperit, finis impositus est; victore potiùs Imperatore quàm Pontifice, qui nihil illi sui juris hâc compositione adimebat.

(*f*) De turris Virdunensis a Rainaldo Barrensi Comite occupatæ captione et eversione fusè Laurentius Leodiensis in Alberone Virdunensi Episcopo disserit.

(*g*) Non Elisatii sive Alsatiæ, sed Sueviæ Dux erat Fredericus antequam ad Imperialem thronum perveniret.

(*h*) Richerus in chronico Senoniensi lib. 2, cap. 27 habet : *Anno* MCVIII (corr. MCLIII) *interficiuntur cives Metenses ab exercitu Reginaldi Comitis Barrensis apud Tyreium, tempore Stephani Episcopi ejusdem civitatis.*

(*i*) Anno 1170 passus est S. Thomas, annum inchoando a Kalendis Januarii.

Digitized by Google

A

EX CHRONICO (*a*) EPISCOPORUM METENSIUM.

Apud Acherium T. II. Spicil. in-fol. p. 229. *in-4°. T. VI, p.* 668.

Cum itaque [post obitum Herimanni (*b*)] mare sæculi velut Affrico et Aquilone fluctuaret, catholici Metenses terrorem postponentes Imperialem, ex Ecclesia Treverensi domnum Popponem, personam nobilem, catholicis consentientem, elegerunt Pontificem, celebratâ consecratione ipsius a Legato Apostolicæ sedis (*c*) Potestas Imperialis alium, scilicet Adalberonem, subinducere nitens, Metenses fide firmâ restiterunt; et sicut pridem duos, Brunonem et Gualonem expulerunt, sic et tertium Adalberonem, non sine multo labore B ac periculo suarum rerum, excommunicatum deposuerunt (*d*). Huic certamini, velut signifer imperterritus et in omni conflictu intrepidus, domnus Adalbero (post Treverensium Archiepiscopus gloriosus de gradu in gradum promotus) ab ipsa, ut ita dicam, pueritia pro fide catholica in castris Ecclesiæ militavit, donec ex schismate trophæum pacis invexit Ecclesiæ.

Defuncto autem domno Poppone, qui provisor extitit Clericis pro tempore, magnificum et nobilem virum ex Viennensi Archiepiscopatu assumptum, domnum Stephanum, Apostolicâ consecratum benedictione in urbe Romana, palliique dignitate honoratum suæ vitæ curriculo, Ecclesiæ Treverensis salvo privilegio, in Episcopum suscipiunt (*e*). Qui quoniam adhuc vitâ floret et ætate viget, tentatio sileat elationis, orta ex peste adulationis, et preces fundantur Deo pro continuo ipsius studio. (*Sequitur Appendix prior ad annum* MCC.) C

Domno Poponi, tam Burgundionum quam Lotharingorum excellenti genere clarus, sed virtute et animi nobilitate clarior, domnus Stephanus, anno Domini MCXX, videlicet anno Callisti Papæ secundo, successit. Hic Callisti ex sorore (*f*) nepos, cùm regaliam nondum ab Henrico V, qui tunc temporis arcem tenebat Imperii, recepisset (schismate inter Regnum et Sacerdotium adhuc durante) in urbe Romana ab eodem Pontifice summo consecratus est, et tam pallii dignitate quàm Cardinalis titulo honoratus. Hic a civitate Metensi biennio et eò ampliùs, quia præmemorati Principis gratiam necdum habebat, exclusus, primos ordines in loco qui S. Quintini Mons dicitur celebravit, et omnes curtes Episcopatûs a tyrannis, solo Rumuliaco excepto, occupatas, fratris sui [Rainaldi] Comitis Barrensis, aliorumque cognatorum et amicorum suorum fretus [auxilio], celeritate mirâ recuperavit. Idem in ipsa promo- D
tionis suæ recentia, castrum *Terli* quod viatoribus per illas transeuntibus partes
* *Vic.* valdè erat perniciosum, castrumque Ducis apud Vicum *, et munitionem inter
* *Marsal.* Vicum et Marsellum * in loco palustri sitam, simulque castrum Comitis de *Hoemborc*, quod Marsello adhærens toti villæ onerosum damnosumque diu extiterat, in manu valida destruxit et complanavit.

(*a*) Hujus chronici, quod *Gesta Metensium Episcoporum* inscribere satiùs fuisset, ut in codicibus Regiis 5357, 5532, tres fuere Auctores succenturiati. Primus qui an. 1120 desiit; secundus qui seriem Episcoporum ád an. 1200 deduxit; tertius ad an. 1260. Quæ verò proximè antecedunt, ea extant T. XI, p. 198.

(*b*) Ibidem post obitum Herimanni Episcopatus multis annis vacasse dicitur. At contra Scriptor historiæ Andaginensis, *Metensis Ecclesia,* inquit, *viduata Herimanno venerabili Pontifice, elegit sibi Episcopum ordinandum Burchardum Præpositum Trevirensis Ecclesiæ,* quem ab Hugone Lugdunensi consecratum dicit. Albericus verò ad an. 1090 : *Herimanno successit Burchardus Præpositus Trevirensis, et huic quidam Episcopus qui Poppo dictus est.*

(*c*) Bertholdus Constantiensis ad an. 1093, *Metensis Ecclesia*, inquit, *et Tullensis et Virdunensis ab obedientia Egilberti* (Trevirensis Archiepiscopi) *excommunicati discesserunt, eique non ampliùs obedituros apertissimè demandaverunt: quarum Metensis, refutato Episcopo quem Henricus ei dare voluit, ipsi ibi canonicè catholicum Pastorem elegére, eumque a Gebehardo Constantiensi Episcopo, sedis Apostolicæ Legato, consecrari fecére,* VI *Kal. Aprilis, in medio Quadragesimæ.*

(*d*) Adalberonem simul cum Poppone sedem Metensem occupasse liquet ex epistola Urbani II apud Gratianum, parte 2, causâ 1, q. 5, c. 3, cum hac superscriptione. *Urbanus secundus Alberto Metensi Episcopo*, etc. Albertus enim, Albero et Adalbero pro uno eodemque vocabulo indiscriminatim usurpantur.

(*e*) Poppo vitâ functus est an. 1104, Stephanus autem non nisi an. 1120 ad infulas Metenses pervenit. Quos inter Pontificatum gessit Adalbero (idem fortè qui supra) ad annum saltem 1113, quo testis occurrit in instrumento a D. Meurissa citato pag. 389. Cui a Metensibus postea ejecto, ut ait chronicon S. Vincentii, successisse creditur Theogerus frater Folmari junioris Comitis Metensis, quem excepit Stephanus e familia Barrensi. Mirum porrò Scriptorem nostrum, horum temporum æqualem, hæc omnia silentio præteriisse.

(*f*) Stephanus Hermintrude Burgundicâ, Calixti II sorore, et Theoderico Barri Comite, Montisbeliardi et Moncionis natus, an. 1119 ex Alberico *fit Episcopus Metensis per annos tres et quadraginta.*

Digitized by Google

A Processu temporis, gratiâ imperiali sibi conciliatâ, de virtute in virtutem sine intermissione conscendens, castrum quod Ramberti-Villare * dicitur, firmavit, castrumque nobile *Luceborc* quod ad ipsum jure hæreditario descenderat, beato contulit Stephano. Et castrum *Hoemborc* jure ab ipso feodali descendens, post decessum Comitis Hugonis a Duce Lotharingiæ occupatum, domini Friderici patris auxilio sibi et posteris suis acquisivit, liberè omni ævo tenendum. Acquisivit etiam sibi et suæ perpetuò Ecclesiæ castrum *Viviers* et partem Ducis de *Lemburc* in castro *Rucey* cum universis appenditiis; castrum quoque *Mirabel* * et Falconis-montem *. Rebelliones Danubrii * et Asperimontis, firmatis ante ipsa castra munitionibus, viriliter perdomuit. Apud *Spinal* *, turrim quæ Moronis dicitur, a Duce occupatam virtute recepit potenti; et multò post tempore castrum superius propter insolentiam et immoderatos excessus B Advocati, juvante ipsum Duce Matthæo, obsidione clausit et cepit. Et tunc Dux in recompensationem servitii hujus, jure feodi ab eo Advocatiam recepit Spinalensem, et ipse Dux versâ vice alodium quod apud Vicum habebat, B. Stephano Metensi contulit, liberè et quietè et omni ævo tenendum.

Pag. 230. *Ramberviller*

* *Mirebeaux.* * *Fauquemont* * *Denesure.* * *Epinal.*

Idem Pontifex venerandus castrum quod Petra-pertusata * dicitur, cùm anno integro et eò ampliùs tribus munitionibus, quarum usque hodie vestigia apparent, in circuitu firmatis obsidione clausisset, tandem compulit ad deditionem. Cùm per castrum *Deulewart* graves ei injuriæ illatæ sæpiùs fuissent, tandem expugnavit illud, et in favillam cineremque redegit. Nihilominùs etiam turrim apud *Thiecurt* firmatam, et castrum in eo loco qui *Walteri-mons* * dicitur situm, quæ Episcopatum graviter infestabant, diruit ac subvertit. Nec inter eximia ejus gesta reticendum, quòd ipse tempore quodam, Duce [Matthæo] C ei werram inferente, castrum ipsius *Prigney* * magnanimiter obsedit, illudque, muris jam perforatis, indubitanter cepisset, nisi victoriam jam paratam jamque imminentem impedisset frater suus Comes Barrensis. Cujus gesta inclyta et annalibus digna enumerare et litteris explicare si velim, ante quidem membrana deficiet quàm materia.

* *Pierre-percée.*

* *Watimont.*

* *Prémey.*

Cùm annis XLIII sub Apostolicis Callisto, Honorio, Innocentio, Cœlestino, Lucio, Eugenio, Anastasio, Hadriano, sub Principibus Romanis, Henrico V, Lothario, Conrado, Friderico sedisset, IV Kal. Januarii (*a*), annis et meritis plenus, in schismate Alexandri et Victoris quod inchoatum jam fuerat, Catholicus migravit ad Dominum, et juxta chori introïtum in dextera ipsius parte meruit sepeliri.

Huic anno Domini MCLXIV successit dominus Thedericus, fratris sui [Rai- D naldi] Comitis Barrensis filius, verè ei tam moribus quàm sanguine propinquus. Illi sollicitudo summa et cura specialis hæc fuit, ut sub ipso metu justitiæ tam prædonum quàm latronum coërceretur audacia, tutaque esset inter improbos innocentia, et ubi malitia dominari consueverat, refrænaretur malignandi facultas. Hic paci et tranquillitati Ecclesiarum, omniumque sibi creditorum commoditatibus eâ providit diligentiâ, ut eum miles, Clerus et populus vererentur ut dominum, et ut patrem diligerent. Hic malis nocumentis quæ per castrum *Habundanges*, si alius quis homo potens adeptus illud fuisset, Episcopatui quotidie possent inferri, providè et solerter occurrens, sibi ac suis ipsum acquisivit successoribus, domumque ibi ædificavit egregiam. Acquisivit nihilominùs sibi et posteris suis *Wermnesperc* et Radonis-villam. Castrum *Conflans* de firmo reddidit firmius, ipsumque palatio nobili decoravit. Idem Cardinalibus Octaviani E hæresiarchæ civitatem Metensem cum nuncio Imperatoris satis pomposo ingressis, et Clerum universum ad sacramentum obedientiæ idolo suo præstandum cogere volentibus, viriliter in facie restitit, ipsoque infecto prorsùs propter quod venerant negotio, cum pudore et confusione omnimodâ fecit recedere. Ex quo ejus facto quamplures Imperii civitates æmulandæ virtutis, eosque similiter contemnendi et exemplum sumpserunt et audaciam. Sedit annis IX et VII (*b*) mensibus, sub Pontifice summo Alexandro III, imperante Friderico. Et propter

(*a*) In lamina plumbea ejus sarcophago inclusa annus ipsius emortualis inscribitur in hunc modum : *Quarto Kalendas Januarii obiit Stephanus piæ memoriæ, sanctæ Metensis Ecclesiæ Episcopus, anno ab Incarnatione millesimo centesimo sexagesimo tertio.*

(*b*) Theodericus mortem obiit anno 1171, ex chronico S. Vincentii, qui annus octavus erat ab obitu Stephani. Hinc chronicon ms. S. Trudonis habet : *Theodericus Metensis Electus obiit octavo anno Episcopatûs sui, eique Fredericus ejusdem Ecclesiæ Canonicus ævo grandævus successit.*

Digitized by Google

pericula quæ ex schismate adhuc imminebant, ad Sacerdotii gradum et consecra- A
tionem Pontificalem conscendere veritus, Electus tantùm et Levita, III Idus
* An. 1171. Augusti *, inter tot illius magni schismatis turbines et procellas scuto armatus fidei, Catholicus decessit. Cujus sarcophagum a domini Stephani, prædecessoris sui et patrui, sepultura chori tantùm dividit introïtus, ut quos amor et sanguis in vitâ conjunxerat, modica et in morte separet locorum distantia.

Hic communi Clericorum electione, et tam militum quàm civium applausu, successorem habuit nobilem virum et perpetuâ dignum memoriâ, domnum Fridericum de Pluyosa. Hic B. Stephano *Anerey* acquisivit: cui tam ætate decrepitâ quàm incurabili ægritudine laboranti, sed nunquam virilem animum, nunquam liberalitatem, nunquam curialitatem cui a cunabulis deservierat, deponenti optimè divina in hoc providit miseratio, quòd ipse suas et Ecclesiarum sibi commissarum potestates ita conservavit indemnes, ut nullam sub regimine B
ejus diminutionem, nullumque prorsùs detrimentum sentirent. Hic cùm sub præmemorato Pontifice summo Alexandro, Friderico imperante, Electus tantùm et Levita, propter præfata schismatis pericula, duobus annis et totidem men-
* An. 1173. sibus sedisset, V Kal. Octobris * catholicus migravit ad Dominum. Sepultus est autem in Oratorio quod S. Galli dicitur, ante altare (sicut ipse in extremis agens expetierat) B. Johannis-Baptistæ.

Successit huic filius Ducis Lotharingiæ Theodericus LV, cujus pater Dux
* *Syerch.* Matthæus, statim post filii inthronizationem, castrum suum *Surkes* * quod jure allodii tenebat, B. [Stephano Metensi, factâ solemniter super altare donatione, contulit, et Spinalensem Advocatiam quam ei dominus Stephanus contulerat, in ejusdem filii manum deposuit et penitùs werpivit. Hic turrim in medio castri
* *Saverden.* *Lucemburc* sitam, quam tunc temporis Comes de Salverna * tenebat, sibi suisque C
successoribus, ipso Comite capto, recuperavit. Sedit annis VI et paulò ampliùs, sub Papa Alexandro, Friderico imperante avunculo suo: qui et alia armis digna gessisset, nisi ejusdem Alexandri III manum sensisset validam, suâ ob hoc electione (*a*) cassatâ ab illo, quia infra Ordines fuerat celebrata.

(*a*) *Anno* MCLXXIX, *Concilium Romæ sub Alexandro Papa, in quo Theodericus Metensis Electus deponitur*, ut habet Metense S. Vincentii chronicon.

EX CHRONICO (*a*) S. VINCENTII METENSIS.

Apud Labbeum T. I. novæ Bibliothecæ Mss. Libr. p. 345. D

ANNO MLXIX. Obiit Godefridus Dux.
MLXXIII. Herimannus Episcopus Metensis.
MLXXIX. Bellum in Saxonia, ubi occiditur Rodulfus Rex.
MLXXXVI. Bellum Sathanaci.
MLXXXVII. Obiit Willelmus Rex Anglorum.
MXC. (*b*) Popo Episcopus Metensis.
MXCV. Concilium Arvernæ, et monitu Urbani Papæ Hierosolymitanum iter incipit....
MCIV. Adelbero IV, Episcopus Metensis, postea ejectus.
MCVI. Henricus V Imperator.
MCXI. Henricus Imperator Paschalem Papam intra Ecclesiam S. Petri capit. E
* *Al.* MCXIII. MCXIV *. *Bar* castrum a Rege Henrico expugnatur et capitur, capto simul Comite Rainaldo.
MCXVI. [Obiit] domnus Ranulfus Abbas [S. Vincentii].
MCXX. Stephanus Metensis Episcopus.
MCXXV. Lotharius Imperator.
MCXXXVI. Obiit Landulfus Abbas hujus loci: cui successit Isambardus Abbas.

(*a*) Chronicon hoc, quod ab anno DXI ad MCCLXXIX excurrit, vulgavit Labbeus ex cod. Ms. Monasterii S. Vincentii apud Mediomatricos. Brevissimum est, et levioris certè momenti. Nihil porrò ex eo in superioribus hujus nostræ collectionis voluminibus editum reperies.

(*b*) Eo quidem anno Herimannus Metensis Episcopus vitâ functus est, post cujus obitum Metensis sedes pluribus annis vacasse dicitur in chronico superiori. Sed constat aliundè Burchardum præfuisse post Herimannum duobus saltem annis: cui Poppo successisse videtur an. 1093.

Digitized by Google

A MCXXXVIII. Conradus Imperator.
MCXLVI. Robertus Abbas efficitur hujus loci.
MCXLVII. Iter Hierosolymitanum secundum.
MCXLVIII. Concilium Remis sub Eugenio Papa.
MCLI. Fames valida.
MCLII. Fredericus Imperator.
MCLIII. Occisio Metensium (*a*).
MCLIV. Expeditio Regis Frederici in Italiam.
MCLIX. Inundatio aquarum. Schisma inter Alexandrum et Victorem.
MCLXI. Dedicatum est Oratorium S. Luciæ, Idibus Julii.
MCLXII. Fames valida.
MCLXIII. Obiit Stephanus Metensis Episcopus, III Kal. Januarii.
B MCLXIV. Theodericus Metensis Electus.
MCLXV. Obiit piæ memoriæ Abbas Robertus hujus loci.
MCLXX. Passus est gloriosissimus Martyr Thomas Cantuariensis Archiepiscopus.
MCLXXI. Obiit Theodericus : Fredericus Electus.
MCLXXII. Theodericus (*b*) ejectus.
MCLXXIV. Inundationes aquarum.
MCLXXVI. Fames valida.
MCLXXVII. Unitas Ecclesiæ Dei reddita.
MCLXXIX. Concilium Romæ sub Alexandro Papa. Theodericus Metensis electus deponitur. Bertrannus Episcopus Metensis.

(*a*) Rem narrat Gaufridus in vita S. Bernardi Abbatis; lib. v. cap. 1, num. 3. « Cùm adhuc Pater » sanctus (inquit) in suo Claræ-vallensi Cœnobio, » licèt lectulo decubans, cursum vitæ viriliter » consummaret, gravis admodùm plaga Metensi » populo supervenit. Egressi enim in multitudine » gravi adversùs vicinos Principes, a quibus præ- » ter morem lacessitam se esse tanta civitas indi- » gnabatur, traditi sunt multi in manus paucissi- » morum. Conclusi denique inter Frigidi-montis » (sic enim eum appellat) et Mosellæ amnis an- » gustias, ac mutuo sese impetu collidentes, unâ » horâ, sicut dicebatur, plusquam duo millia » corruerunt, quidam gladiis trucidati, plures » amne submersi. Vehementi igitur indignatione » conceptâ, nobilis illa civitas totis ad ultionem » viribus parabatur, cùm e regione adversarios » quoque et fortiores præda copiosa, et auda- » ciores fecisset eventus. Imminebat totius pro- » vinciæ certa vastatio, cùm venerabilis eorum » Metropolitanus Illinus Archiepiscopus Treve- » rensis, dolens anxiè de præteritis, sed adhuc » graviora formidans, et dignam gerens suorum » sollicitudinem filiorum, unicum in tanta ne- » cessitate petiit refugium et expetiit virum Dei. » Veniens ergo Claram-vallem, ipsius atque om- » nium fratrum vestigiis totâ humilitate prostra- » tus, rogabat et obsecrabat ut se tantis dignare- » tur opponere malis, quibus alter nemo posse » modum ponere videretur. Dominus autem, sicut » semper fidelis servi sui direxerat vias, et in » præcipuis quibusque causis aptissimo usus fuerat » instrumento, ex paucis ante diebus ægritudi- » nem corporis ejus aliquatenùs relevarat.... Ac- » cidit autem cùm in prædicti Mosellæ fluvii lit- » tore, residentibus hinc inde partibus, media- » tor fidelis rogaret quæ ad pacem erant, ut pars » altera, ex tanta siquidem hostium strage fero- » cior, quod exigebatur obstinatâ animositate » renueret. Subitò denique tanquam agitati furiis » discesserunt, virum Dei insalutatum, solam » verò cæteris omnibus relinquentes desperatio- » nem pacis. Nec sanè ex contemptu aliquo, sed » ex motu reverentiæ ejus iniere fugam : siquidem » verebantur ne præsentium mentes quamlibet » improbas facilè flecteret, minùs considerantes » quid ille per spiritum nusquam absentem posset » etiam in absentes. Jam conventus in magno tur- » bine solvebatur, sola utrimque meditabantur » arma, sola inibant consilia malignandi, cùm » vir sanctus eos qui secum venerant consolatus » fratres : *Ne turbemini*, inquit; *licèt enim per mul- » tas difficultates, omninò tamen pax desiderata pro- » veniet.* Quibus etiam unde id nosset innotuit, » dicens : *Videbar mihi per nocturnum soporem Missam » celebrare solemnem. Cùmque expletâ paulominùs ora- » tione primâ, recordarer Angelicum ex more Canticum, » id est*, Gloria in excelsis Deo, *præcedere debuisse, » erubui; et quod oblitus omiseram Canticum in- » choans, vobiscum pariter ad finem usque complevi.* » Jam medium noctis transierat, cùm vir sanctus » de prædictorum pœnitudine Principum lega- » tione susceptâ, jucundè satis conversus ad suos : » *Agnoscite,* ait, *promissæ nobis canendæ gloriæ et » Cantici pacis præparationem.* Interim ergo parti- » bus convocatis, per dies aliquot de pace tractatum » est, et ob maximas difficultates occurrentes utrim- » que sæpiùs desperatum; nisi quòd omnes jam » consolabatur, quæ omnibus innotuerat, Abbatis » sancti tam certa de reformanda pace promissio. » Nec parùm ipsa dilatio profuit, his præsertim » qui variis incommodis laborantes remedia con- » sequebantur in carne, seu etiam qui videntes » ædificabantur in fide. Tantus enim concursus » erat, ut multitudine pariter atque importuni- » tate suâ ipsum quoque negotium componendæ » pacis penè desperabiliter impedirent; donec » quæsitâ tandem in medio flumine insulâ, partis » utriusque primarii in naviculis accesserunt : ubi » compositis omnibus secundùm quod fidelis ar- » biter diffinivit, datis sibi invicem dextris, re- » conciliati sunt in osculo pacis ».

(*b*) Cùm Fredericum nonnisi anno 1173 obisse constet, eo non citiùs anno Theodericus nomine quartus ei successit. Dum verò dicitur *ejectus*, legendum fortè *electus*; nam Theodericus an. 1179 exauctoratus fuisse dicitur infra.

Digitized by Google

A

EX GENEALOGIA B. ARNULPHI METENSIS EPISCOPI.

MONITUM.

B PLURES *exstant B. Arnulphi genealogiæ, quæ plus minùsve auctoritatis in se habent. Harum septem vulgavit Marcus-Antonius Dominicy ad calcem libri cui titulus* Ansberti familia rediviva. *Isthæ ultra metas secundæ Regum Franciæ stirpis non excurrunt; at hæc nostra quam Chesnius edidit Tomo II Rerum Francicarum p.* 642, *propiùs ad nostra accedit tempora, et genus ipsius Arnulfi prosequitur per varias Regum, Ducum, Comitum, Marchionum propagines, ut meritò ex ipsius genere omnes ferè Christiani orbis Principes originem duxisse censeantur. Constat hæc genealogia duabus veluti partibus; a prima, quæ per Regum seriem deducitur ad Hugonem Capetum, edenda in sua collectione D.* Bouquet *abstinuit, fortassis eò quòd minùs certa et implicatissima visa sit, illamque nos eadem de causa missam facimus.* C *Alterius verò partis segmen unum editum est a nobis Tomo XI, p.* 369, *sed ita in singulis membris intercisum, ut actum rursùs agere necesse sit, quò continua hujus genealogiæ series habeatur. In ea itaque parte duos saltem scriptores animadvertimus; alterum qui circa an.* 1164 *scribebat, quippè de Theoderico Metensi Episcopo, Rainaldi primi Barrensis Comitis filio, verba faciens,* nunc Metensem Electum *eum appellat, et alterum qui se anno* 1261 *vivere bis clarè pronunciat.*

D HADEWIDIS, Girberga, Bruno Episcopus et Dux Coloniæ, Otho Imperator, et Henricus Dux, fratres et sorores fuerunt (*a*). Horum Hadewidis genuit Hugonem Regem Francorum, et Beatricem uxorem Friderici Ducis (*b*). Hugo genuit Robertum Regem Franciæ; Robertus Regem Franciæ Henricum et Adelam; Henricus Philippum Regem Franciæ, et Hugonem Comitem Magnum. Philippus genuit Ludovicum Regem Franciæ. Hugo Magnus genuit Rodulphum et Henricum, et tres sorores eorum. — Adela, soror Henrici Regis Franciæ, genuit Mathildem Reginam Anglorum, Balduinum [Flandriæ] Comitem et Robertum Comitem. Mathildis genuit Guillelmum et Henricum Reges Anglorum, et Adelam Comitissam [Carnotensem]. Balduinus frater Mathildis genuit Balduinum Comitem et Arnulphum. Arnulphus genuit Balduinum Comitem (*c*). Robertus frater Mathildis genuit Robertum Comitem ex Gertrude. Hic

(*a*) Nati videlicet Henrico Aucupe, Germaniæ Rege, et Mathilde Saxonica. *Quæ fuerit ista Mathildis,* inquit Albericus ad an. 937, *vel quis Dux Theodericus pater ejus, dictum est supra in anno* 921. *Hæc habuit filios tres, Ottonem, Henricum et Brunonem, et filias duas, Gerbergam et Hawidem, quæ factæ sunt in gentem magnam.* Ad annum porrò 921, *Trevirensis Archiepiscopus Rupertus,* ait, *filius fuit Theoderici Saxoniæ Ducis, frater Mathildis Reginæ Alemanniæ: qui Dux Theodericus fuit de genere Guithicindi, et habuit tres fratres,* Guitecin, Immit et Reginben, *et ex hac serie istorum quatuor fratrum descendit nobilitas totius Saxoniæ, Italiæ, Germaniæ, Galliæ et Normanniæ, Bawariæ, Sueviæ, Hungariæ, Boemiæ, Tusciæ et Poloniæ.*

(*b*) Idem Albericus ad an. 958, *Hugo Magnus,* inquit, *Francorum Dux moritur, qui dicebatur Capito sive Cappatus, et in Sigeberto vocatur Comes Parisiensis. Iste de Hawide sorore Imperatoris tres habuit filios, Ducem Hugonem in Francia, qui postmodùm regnum obtinuit, et alios duos, Ottonem et Henricum. Otto factus est Dux Burgundiæ, et habuit uxorem filiam Gisleberti qui post primum Hugonem Capito, fratrem Rodulphi Regis, Ducatum Burgundiæ tenuit. Sed ep in adolescentia sine liberis defuncto, successit ei Henricus frater suus, bonis moribus et mansuetudine adornatus. Tres isti sororem habuerunt Beatricem, de qua Fridericus Dux Mosellanorum genuit Ducem Theodericum et fratrem ejus Alberonem Episcopum* (Metensem.)

(*c*) Falsum : Arnulphus enim, infelix cognominatus, obiit improlis.

Digitized by Google

A Robertus genuit Balduinum Comitem ex Clementia. — Beatrix filia Hadevidis superioris genuit Theodericum Ducem ; Theodericus Fridericum Ducem et Adeladam. Fridericus (*a*) Dux genuit Beatricem et Sofiam. Beatrix genuit Mathildam ex Bonifacio. Sofia genuit Theodericum de *Monçonz* et Fredericum fratres. Horum Theodericus genuit Rainaldum , Theodericum , Fridericum , Wilhelmum et Stephanum , fratres. Fridericus frater Theoderici de *Monçonz* genuit Petrum de *Luscelenborc*. Theodericus filius Theoderici de *Monçonz* genuit Theodericum. Rainaldus frater Stephani Metensis Episcopi genuit Rainaldum , Hugonem et Theodericum (*b*) nunc Electum Metensem , et quatuor filias. Fridericus , frater [Stephani] Episcopi Metensis , genuit Lodowicum. — Adela soror Friderici Ducis genuit Fulconem et Gallerannum , et filiam unam quam habuit Henricus (*c*) de *Liemborc* , pater Pagani de *Arluns*. — Rainaldus , frater
B Theoderici Electi Metensis , genuit Theobaldum Comitem de *Monçonz* ex [Agnete] filia Comitis Campaniæ , quæ fuit soror Reginæ Franciæ , quæ Regina genuit Philippum de *Gonesse* Regem Franciæ ex Lodowico Rege. Philippus Rex genuit Lodowicum , qui mortuus fuit apud *Monpancier* in reditu de Avenione. Iste Lodowicus genuit Lodowicum qui modò regnat , anno scilicet Domini MCCLXI. Theobaldus Comes de *Monçonz* habuit duos fratres , Henricum Comitem de *Bar* , qui mortuus fuit sine liberis , et Rainaldum Episcopum Carnotensem. Ipse verò Theobaldus genuit ex Loreta , filia Comitis de *Los* , Thomascetam uxorem Friderici Ducis Lotharingiæ , ex qua idem Dux genuit Jacobum Episcopum Metensem , et Theobaldum et Matthæum Duces Lotharingiæ.

Gerberga , soror Hadewidis superioris , genuit Lotharium Regem Franciæ et Karolum Ducem , Mathildam et Albradam , fratres et sorores. Horum Lotha-
C rius genuit Lodowicum Regem. Karolus Dux genuit Ermengardam , Othonem Ducem , et Gerbergam , fratres et sorores. Horum Ermengardis genuit Albertum Comitem [Namurcensem] , et filias duas Hadewidem et Emmam de *Los*. Horum Albertus genuit Albertum Comitem. Albertus genuit Fridericum Episcopum , Godefridum , Henricum , Albertum , fratres. De sororibus Hadewidis [genuit] Theodericum (*d*) Ducem et Gerardum Comitem [Vadani-montis] , fratres. Horum Theodericus genuit Simonem Ducem. Simon genuit Mathæum Ducem. Mathæus Simonem Ducem ex [Bertha] sorore Friderici Imperatoris , et Fridericum de *Bittes*. Fridericus autem de *Bittes* genuit Fridericum Ducem Lotha-
ringiæ , qui fuit gener Theobaldi Comitis Barensis , et habuit ex filia ejus , sicut prædiximus , Jacobum Metensem Episcopum , Theobaldum et Mathæum Duces , et Regnaldum Comitem de *Castres*. Processit etiam ex eadem stirpe Imperiali
D domus Robertus (*e*) de *Florenges* , ex cujus consanguinitate descendit venerabilis domnus Philippus Episcopus Metensis , qui modò tenet sedem cathedralem , scilicet anno Domini MCCLXI. Gerardus [Comes Vadani-montis] frater Alberti (*f*) genuit Giselam et Hugonem *** (*g*). Lambertus genuit Henricum Comitem Lovaniensem. Hic Henricus genuit Henricum et Godefridum , fratres. Henricus filius Gerbergæ genuit Adeleidem , Chunegundam et Adelam. Ma-

(*a*) Albericus ad an. 1033 , Beatricem et Sofiam non Frederici , sed fratris ipsius Sifridi filias dicit : *Frederico Mosellanorum Duce mortuo* , inquit , *quia mares filios non habebat , quibus Ducatus competeret , Gothelo Dux , impetrato ab Imperatore etiam Mosellanorum Ducatu , in Lotharingia potentiùs principatur. Hæredes hujus Frederici dicuntur fuisse alienati omninò per Imperatorem ; sed filia Sifridi fratris hujus Frederici , cui adjudicatum fuit tenere allodia patris , non feoda , fuit illa Comitissa Barri-Ducis Sophia , quæ Comiti Moncionis Ludovico peperit Theodericum , et iste per uxorem suam Ermentrudem fuit etiam Comes Montisbeliardi ; et ejusdem Sofiæ fuit soror Beatrix Marchissa.*

(*b*) Theodericus anno 1164 electus est Metensis Episcopus.

(*c*) Henricus de *Lemborc* filius erat Galleranni. Absurdum proinde ipsum amitam propriam in uxorem accepisse. Rectiùs Albericus ad an. 1064 , *Adala Comitissa Arelunæ vel Arelensis , id est , castrum de* Erlans , *quod tempore Paganorum fuit civitas , soror Sigisfridi fuit , filia scilicet Ducis Theoderici. Hæc autem Adela Comitissa duos habuit filios , Fulconem et Galerannum. Fulco verò genuit Comitem Fredericum et Beatricem , qui ambo mortui sunt sine liberis , et jacent apud S. Hubertum in Ardenna. Galerannus verò per uxorem suam cœpit habere dominium ultra Mosam prope Leodium , et inchoavit ædificare castrum de* Lemborch.

(*d*) Theodericus progenitores suos recenset in instrumento apud *Vassebourg* fol. CCXLV , in hunc modum : *Hinc est quòd ego Theodericus , filius domini Gerhardi Ducis Lotharingiæ , ex antiqua Caroli Magni progenie geniti* (genitus ; nimirùm ex Hadwide Namurcensi) *Dux Lotharingiæ , pace habitâ per misericordiam Dei cum fratre meo domino Gerardo Comite Vadani-montis , do fratribus S. Mathiæ eâdem formâ sicut pater noster Gerardus , et propatruus* (id est , proavus) *noster Adelbertus seu Albertus , noster Dux Lotharingiæ , et uxor ejus Juditha dederunt.... Datum anno Domini* MXC.

(*e*) Albericus ad an. 1193, *Dux Mosellanorum Matthæus* , inquit , *et Robertus pater Philippi de* Florenges , *filii fuerunt illius Ducis Simonis , qui fuit frater Theoderici Flandrensis.*

(*f*) Legendum fortè *Theoderici ;* et certè ita videtur , cùm alterius Gerardi supra non meminerit , quàm illius qui fuit frater Theoderici Ducis. *Chesn.*

(*g*) Hic deesse videtur , inquit Chesnius , initium propaginis Gerbergæ , secundæ filiæ Caroli Ducis. Illud porrò require supra p. 585.

Digitized by Google

thildis filia Gerbergæ genuit Eustachium Comitem Boloniensem, et Gerbergam A
Friderici Ducis [Lotharingiæ inferioris] uxorem. Eustachius Comes genuit Balduinum Regem Hierusalem, Godefridum Ducem et post Regem Hierusalem, ex Ida. Gerberga soror Eustachii Comitis ex Frederico Duce habuit filiam Mu-
* Jutam. tam *. Hæc genuit Henricum de *Lemburc*. — Mathildis, soror Lotharii Regis Franciæ et Karoli Ducis, genuit Rodulphum (*a*) Regem Burgundiæ, Bertam,
* *seu* Odonem. Guepam et Mathildam. Horum Berta genuit Othonem * Comitem Campanensem. Hic Otho genuit Theobaldum Comitem. Theobaldus genuit Stephanum, Othonem, Hugonem, fratres, Comites. Guepa soror Berthæ et Mathildis genuit Giselam uxorem Regis Conradi (*b*). Hæc habuit ex Conrado Henricum Imperatorem tertium. Hic Henricus genuit Henricum quartum Imperatorem, Cæsarem-Augustum, ex Agnete. Mathildis (*c*) soror Guepæ et Bertæ, genuit Arnulphum Comitem Flandriensem, Godefridum Ducem, Gozelonem Ducem, fratres. Ho- B
rum Arnulphus genuit Balduinum. Hic genuit Balduinum ex Chunegunde. Hic genuit Balduinum et Robertum ex Adela. Gozelo frater Arnulphi et Godefridi, genuit Godefridum Ducem, Odam et Regelindam. Horum Godefridus Dux genuit Godefridum Gibbosum et [Oda] Henricum (*d*) Comitem Lovaniæ. Regelindis soror Godefridi Ducis et Odæ, genuit Albertum Comitem Namucensem. Hic Albertus genuit Godefridum, Fridericum, Henricum et Albertum, fratres. — Albrada soror Lotharii Regis, Karoli Ducis et Mathildis, genuit Ermendrudam (*e*). Hæc genuit Agnetem, hæc aliam Agnetem. Hæc genuit Henricum quartum Imperatorem ex Henrico Imperatore tertio. Hic [Henricus Imperator genuit Conradum et Karolum, cognomento Henricum, ex Berta.

Otho Imperator, frater Brunonis Coloniensis Episcopi et Henrici Ducis, genuit Juditam et Othonem secundum Imperatorem, fratres. Horum Judita ge- C
nuit Othonem Ducem, Otho Henricum et Cononem fratres. Horum Henricus genuit Conradum Imperatorem (*f*) et Lidulphum fratres.

Henricus Dux [Bavariæ] frater Othonis primi, genuit Henricum Ducem. Hic genuit Henricum Imperatorem, et Giselam uxorem Stephani Regis Hungrorum. Hæc genuit Bernardum. Hic genuit Idam Namucensem, et Reginam Francorum, uxorem Angelberti Marchionis, et Gertrudem Comitissam Flandrensem et Reginam Nacorum. (*Hactenùs antiqua membrana Mediomatricum Ecclesiæ.*)

(*a*) Albericus ad an. 986, *Regnat in Burgundia*, inquit, *quidam Rex nomine Conradus, nepos ex filia superioris Regis Rodulphi. Huic ergo Conrado Rex Francorum Lotharius dederat sororem suam Mathildem, et cum ea civitatem Lugdunensem in matrimonium: de qua Mathilde Conradus iste genuit Rodulphum secundum et sororem suam Gepam, matrem Imperatricis Gisilæ.*

(*b*) Apud Albericum an. 1024 : *Uxor autem ejusdem Conradi, Gisla nomine, de antiquo et glorioso Karolorum sanguine oriunda fuit, sicut quidam his versibus attestatur :*

Quandò post decimam numeratur linea quarta,
De Carolo Magno processit Gisila prudens.

soror autem ultimi Lotharii Francorum Regis et Ducis Caroli, nomine Mathildis, post mortem primi mariti tertii Balduini Flandrensis Comitis, Regi Burgundiæ cuidam Conrado peperit Regem Rodulphum et sororem ejus Gepam, quæ fuit mater hujus Gisilæ.

(*c*) Mathildis primùm nupta Balduino III Comiti Flandriæ, deinde Godefrido Comiti Ardennensi, ab Alberico dicitur *Comitissa Saxoniæ*, quæ proinde soror non fuit Guepæ et Bertæ. *Mortuo Duce Ottone*, inquit ille ad an. 1005, *filio Ducis Caroli, Ducatus Lotharingiæ datur ab Imperatore Comiti Godefrido Virdunensi, filio Godefridi Comitis Ardenensis. Hujus Godefridi Ardenensis fuit uxor Mathildis Comitissa Saxoniæ, quæ peperit ei Episcopum Virdunensem Alberonem, Comitem Fridericum S. Vitoni Monachum, Comitem de* Dasburg *Hermannum, cujus fuit filius Gregorius Leodiensis Archidiaconus, et duos Duces prosapiâ inclytos, Godefridum istum et Gothelonem.*

(*d*) Henricus nepos erat ex sorore Godefridi Gibbosi.

(*e*) Ermentruda de Roceio nupsit Ottoni-Guillelmo Comiti Burgundiæ, cui peperit Agnetem, quæ de Guillelmo Magno Aquitaniæ Duce genuit Agnetem Imperatricem.

(*f*) Albericus ad an. 1024, *Henricus Imperator*, inquit, *consulentibus se Principibus super substitutione regni, designans Conradum virum regii generis, egregiæ libertatis (quippè qui nunquam se submiserat alicujus servituti) moritur.... Cono Dux præpotens cùm ad imperium aspirare vellet, repudiatur.... Hic inserendum est quòd filia primi Imperatoris Ottonis, soror verò secundi, nomine Juditha, Duci Wormatiæ Conrado, qui etiam fuit Dux Bullonii, peperit Ducem Ottonem, de quo Ottone nati sunt Cono Dux memoratus, et Henricus pater hujus Conradi. Fuit autem iste Conradus ex parte matris de genere Francorum, et fuit nepos Odonis Campaniensis Comitis. Ejusdem Conradi fuerunt nepotes Comes Letardus de* Longuy, *pater Menegaudi, et Gislebertus Comes de* Lusceburch, *pater Comitis Conradi. Item Comes Hugo de* Dasburg, *pater S. Leonis Papæ, et Imperator iste Conradus fuerunt consobrini.*

EX

Digitized by Google

EX OTTONIS (a) FRISINGENSIS EPISCOPI

DE GESTIS FRIDERICI I IMPERATORIS LIBRIS DUOBUS.

Apud Urstisium T. I. rerum Germanicarum Francof. 1585. *in-fol.*

Ex Libro primo.

Cum sub Imperatore Henrico qui inter Reges quartus, inter Imperatores tertius hujus nominis invenitur, imperium gravissimè scissum fuisset, parteque maximâ Optimatum Principi suo rebellante, tota regni latitudo ferro, flammâ fœdaretur; Gregorius VII, qui tunc urbis Romæ Pontificatum tenebat, eumdem Imperatorem, tanquam a suis destitutum, anathematis gladio feriendum decernit. Cujus rei novitate eò vehementiùs indignationis motum suscepit imperium, quò nunquam ante hæc tempora hujusmodi sententiam in Principem Romanum promulgatam cognoverat.... *Cap.* 1.

At Romanus Pontifex Gregorius qui jam, ut dictum est, Principes adversùs Imperatorem concitabat, omnibus ut alium crearent latenter et manifestè scribebat. Igitur Rudolfus Dux Suevorum ab eis Rex factus, diadema a Romana Ecclesia accepisse traditur, cum hujusmodi scripto : *Cap.* 7.

* *Roma dedit Petro, Petrus diadema Rudolfo.* * *Al.* Petra.

Hujus Rudolfi filiam quidam ex nobilissimis regni Optimatibus, Bertolfus nomine, de castro *Zeringen*, habuit. Non multo post tempore, Rudolfus in publico bello a fidelibus Imperatoris necatur, et in Ecclesia *Merseburg* cultu regio sepelitur (*b*).... Occiso Rudolfo, gener ejus Bertolfus Ducatum Sueviæ, tanquam a socero sibi concessum, usurpat.

Eâ tempestate Comes quidam Fridericus nomine, ex nobilissimis Sueviæ Comitibus originem trahens, in castro *Stoyphe* * dicto coloniam posuerat. Hic cùm esset consilio providus, armis strenuus, ad curiam Imperatoris assumptus, per multos dies ibidem militarat; strenuissimique ac nobilissimi Militis officium implens, in omnibus periculis suis viriliter Imperatori astiterat. Videns Princeps ergo Reipublicæ tam dubium statum, vocato ad se præfato Comite, sic eum alloquitur: *Cap.* 8. * *Stauffen.*

« Virorum optime, quem inter omnes in pace fidelissimum et in bello fortissimum expertus sum, cerne qualiter Romanus orbis tenebris involutus, fide vacuus,.... ad ausus nefarios factaque nefandissima concitatur. Nec parentibus » reverentia, nec dominis debita subjectio servatur : sacramenta quæ tam jure » poli, quàm jure fori Principi a milite publicè exhiberi solent, contemnuntur; » factiosaque juramenta, quæ contra leges divinas et humanas in angulis fiunt, » diabolo instigante, pro sacrosanctis habentur : nullis legibus, nullis divinis » sanctionibus honor impenditur. Cùm enim omnis potestas a Deo sit, qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Assurge igitur huic tam pessimo morbo, » atque ad debellandos imperii hostes viriliter accingere, neque enim priorum » meritorum tuorum immemor existo, nec futurorum ingratus ero; filiam quippè

(*a*) Otto Frisingensis Episcopus an. 1158 demortuus, *fuit vir nobilis et Monachus Morimundi*, inquit Albericus ad an. 1146, *et unâ die electus in Abbatem ejusdem loci, sequenti die factus est in Bavaria Episcopus Frisingensis, cùm esset frater Imperatoris ex matre, filius videlicet Leopoldi Ducis Austriæ.* « Nempè, ut » ait Radevicus Lib. I, cap. 11, Imperatorum » Henrici IV nepos, sororius quinti Henrici, » Conradi Regis frater uterinus, Friderici Imperatoris Augustissimi hujus qui jam feliciter regnat patruus, ex clarissimo regni Principe Leopoldo Marchione patre, et matre Agnete filia » Henrici IV Imperatoris, pariter cum fratribus » suis germanis, Conrado Pataviensi Episcopo, » Leopoldo Duce Baioaria et Henrico Duce Austriæ, necnon et sororibus, Gertruda Ducissa » Boemiæ et Bertha Ducissa Polonorum, ac Ita » Marchionissa de Monteferrato, N. Imperatricis » Hispaniæ genitrice; De tanta, inquam, tamque » illustri parentela proles ipsa nobilissima traxit » originem. Literali scientiâ non mediocriter aut » vulgariter instructus, inter Episcopos Alemanniæ vel primus, vel inter primos habebatur ». Præter gesta Frederici duobus libris comprehensa, scripsit Otto chronicon ab orbe condito ad an. 1146. Hujus fragmentum extat T. XI, p. 260, ad an. 1077. Sequentia verò missa facimus, utpotè ad res Germanicas tantummodò pertinentia.

(*b*) De Rodulpho apud Helmoldum in chronico Slavico legitur ex vulnere morientem exclamasse : *Videtis manum meam de vulnere sauciam? Hac ego juravi domino Henrico, ut non nocerem, nec insidiarer gloriæ ejus; sed jussio Apostolica, Pontificumque questio me ad id adduxit, ut juramenti transgressor honorem mihi indebitum usurparem. Quis ergo finis nos accepit videtis, cùm in manu, unde juramenta violavi, mortale hoc vulnus accepi. Viderint ergo qui nos ad id instigarunt, qualiter nos duxerint, ne fortè deducti simus in præcipitium æternæ damnationis.*

Digitized by Google

» quam habeo [Agnetem] unicam tibi in matrimonio sortiendam tradam, Du- A
» catumque Sueviæ, quem Bertolfus invasit, concedam. »

Sic itaque prædictus Fridericus, Dux simul Suevorum et gener Regis factus, ad propria rediit; et ne multis morer, Bertolfum tandem pacem petere coegit: quòd tamen quidam sub filio suo Friderico factum tradunt.... Bertolfus iste, quamvis in hoc negotio imperio simul et justitiæ cesserit, tamen strenuissimus ac fortissimus fuisse traditur.... Fridericus autem Ducatum Alemanniæ ex hinc sine contradictione habuit, ac strenuè diebus non paucis rexit (*a*).

Cap. 9. Suscepit verò ex nobilissima compare sua Agnete duos filios, Fridericum et Conradum: et post multa virtutum suarum insignia, in senectute bona diem ultimum claudens, in Monasterio Laureacensi, in proprio fundo constructo, humatus est. At supra nominatus Bertolfus, vacuum exinde nomen Ducis gerens, id quasi hæreditarium posteris reliquit. Omnes enim usque ad præsentem diem B
Duces dicti sunt, nullum Ducatum habentes, soloque nomine sine re participantes; nisi quis Ducatum esse dicat Comitatum inter Juram et Montem-Jovis, quem post mortem Wilhielmi Comitis filius suus Conradus ab Imperatore Lothario suscepit; vel a Ducatu Carentano, quem nunquam habuerunt, Ducis eos nomine honorandos contendat (*b*): in aliis tamen rerum et honoris non parvâ pollentes magnificentiâ.

Cap. 10. Mortuo Alemannorum Duce Friderico, Agnetem ab ipso viduatam frater suus Henricus, Imperatoris Henrici filius, in sua suscepit, eamque Leopoldo Marchioni (quod aliàs a nobis pleniùs dictum est) in uxorem dedit, filiis ipsius Friderico XV, Conrado XII annos habentibus. Porrò Fridericus, qui major natu
* An. 1106. erat, patri in Ducatum successerat. Circa idem tempus * Imperator Henricus
apud Leodium Belgicæ urbem, diem obiit;... eique in regnum successit filius C
suus Henricus, in ordine Imperatorum IV, Regum verò V. Hic armis strenuissimus, totum imperium ita in brevi suæ subjecit ditioni, ut omnes in Romano orbe positi subjectionis jugum humiliter portarent, et vicini dominationem ejus suspectam habentes metu obrigescerent.

Cap. 11. Quot ergo et quanta tam Romæ quàm in Italia fortia gesserit, quia in priori dicta sunt historia, supersedemus. Hæc tantùm ad præsens ponere sufficiat, quòd cùm in summo statu positus, omnibus Gallicanis trepidantibus, castrum Barum
An. 1113. contra opinionem multorum assultu cepisset, ibique Comitem Rainaldum com-
* *Monçon.* prehensum captivum abduxisset, juxta ejusdem Comitis arcem, *Muzun* * dictam, castrum posuit. Quam in altissimo monte sitam, naturâque locorum munitissimam, dum nullâ arte vel vi capere valeret, patibulum erigi præcepit, dicens quòd, nisi velociter castrum redderetur, Comitem ipsum suspendio perimeret. D
Oppidani usque in alterum diem inducias petunt. Illa in nocte Comitissa filium genuit. Itaque oppidani convenientes, infantulo recenter genito sacramento fidelitatis astringuntur. Mane facto, cùm Imperator ad deditionem castri oppidanos exposceret, dominoque illorum Comite coram ducto, suspendium interminaretur, ipsi responderunt se propter mortem illius castrum reddere nolle; præsertim cùm novum dominum, quem illâ nocte uxor ejus sibi peperisset, haberent. Qua de re inflammatus Princeps, prædictum Comitem ad patibulum trahi jussit. Cùmque a Principibus qui aderant, ne id faceret rogaretur, ipsoque in proposito perseverante, a quibusdam ut saltem divinâ animadversione a cœpto desisteret; turbato præ ira oculo, respondisse fertur: *Cœlum cœli domino, terram autem dedit filiis hominum.* Tandem tamen, irrationabili motu defervescente, cunctorum precibus Augustus inclinatus, a mortis sententia animum revocavit; E
prædictumque Comitem secum captivum ducens, ad familiaria domicilia rediit.

Cap. 12. Non multo post tempore, ipso in civitate Galliæ Moguntia nuptias cum mul-
An. 1114. torum Principum adstipulatione magnificè celebrante, imperium, ut alibi a nobis

(*a*) « Epocham, inquit Schœpflinus (historiæ » Bad. lib. II, p. 69,) Ducatûs Sueviæ Friderico » Hoenstamfio collati definire non licet. Henricus » Imperator ipsi Rudolfo Anti-cæsari, hosti suo, » generum videtur opposuisse Fridericum, quem » Bruno *de bello Saxonico* jam anno 1077 Ducem » appellat, nisi prolepticè scripsisse dixeris Bru- » nonem. Tranquillam verò possessionem Ducatûs » diu non obtinuit Fridericus, cui post Rudolfi » Suevi mortem cum Bertoldo filio ejus, et de- » mùm cum Bertoldo II Zaringio plures per annos » colluctandum fuit ».

(*b*) Hic Ottonem erroris redarguit Schœpflinus (hist. Bad. lib. II, p. 49), « nam Carentanum, in- » quit, Ducatum per totos 13 annos rexere Ber- » toldi, quod ignoravit Otto Frising. et qui eum » secutus est Albertus Argentin. Omnes illas terras » inter Juram et Montem-jovis, quas Conradus » Dux Zaringiæ ejusque filius Bertoldus IV et ne- » pos Bertoldus V tenuerunt, Comitatum appellat, » quæ splendidum Ducatum magnamque Trans- » jurani Burgundiæ regni partem composuerunt ».

Digitized by Google

A profusiùs dictum est, scinditur. Quæ scissura illo tempore tam gravis fuit, ut præter Fridericum Ducem (*a*) fratremque suum et Gotefridum Palatinum Comitem Rheni, vix aliqui ex Principibus fuerint, qui Principi suo non rebellarent. Quot et quanta ergo Fridericus Suevorum Dux nobilissimus, vel Imperatore præsente vel in Italia morante, stylo tunc digna gesserit, quia in multorum adhuc habeutur memoria, summatim dicemus. Ipse enim de Alemannia in Galliam, transmisso Rheno, se recipiens, totam provinciam a Basilea usque Moguntiam, ubi maxima vis regni esse noscitur, paulatim ad suam inclinavit voluntatem. Nam semper secundùm alveum Rheni descendens, nunc castrum in aliquo apto loco ædificans, vicina quæque coegit; nunc iterùm procedens, relicto priore, aliud munivit, ut de ipso in proverbio diceretur : *Dux Fridericus in cauda equi sui semper trahit castrum.* Erat autem prædictus Dux in bellis fortis, in ne-
B gotiis ingeniosus, vultu et animo serenus, in sermone urbanus, donisque tam largus, ut ob hoc multitudo maxima militum ad eum conflueret, seque ad serviendum illi ultrò offerret.

Igitur omnibus circa Rhenum, ut supra dictum est, ad nutum suum inclinatis, *Cap.* 13.
Moguntino Archiepiscopo Alberto, omnium illius temporis regni Principum versutissimo et locupletissimo, eò quòd prædictæ factionis caput et auctor fuerat, bellum indixit; vastatisque cunctis in circuitu, tandem et ipsam civitatem cum infinita multitudine militum ac plebis obsidione cinxit. Est autem prædicta civitas magna et fortis, super Rhenum posita, et ex ea parte quâ Rhenum attingit, spissa et populosa, et ex alio latere rarum habitatorem habens, vacua : muro tamen forti, non paucas turres habenti, circumdata. Porrecta in immensum longitudine, in lato angustior; necessitas locum signavit. Nam ex ea parte
C quâ Galliæ contigua est, monte mediocriter in altum sublato arctatur; ex alio verò latere quâ Germaniam respicit, Rheno : unde fit quòd circa Rhenum nobilibus templis et ædificiis vestita sit, et versùs montem vinetis aliisque usibus exposita. Vulgus quod cum Duce in obsidione fuit, ex illa parte quâ rara est civitas, prædandi gratiâ eam assultu capere voluit. Timens autem nobilissimus Dux, si irrationabili plebis furori talis daretur licentia, sanctorum fortè loca di-
reptioni et flammæ exponi, ne voluntas eorum effectui manciparetur summoperè laboravit. At Episcopus civitatis, fidei Ducis non rectam recompensationem reddens, directis de civitate ad ipsum in dolo nunciis, treugam postulat, diem quandò et ubi conveniant petit, se ad gratiam Imperatoris velle venire promittit; sicque Ducem exercitum dimittere, obsidionem solvere, ac ita cum paucis ad propria redire persuadet. Episcopus solutam obsidionem et dimissum cernens exercitum,
D apertis portis, cum magna Ducem insequens militia, ex improviso invasit. Dux cum suis, quos adhuc de tanto exercitu habebat, tunc primò dolum sentiendo, non (ut assolet arma ex improviso arripientibus accidere) mente turbatus, sed ex præsentia hostium ampliùs ad virtutem animatus, arma sumit, in hostem ruit: viriliterque pugnantibus Alemannis, tandem ex parte Francorum Comes Emicho, qui cæterorum primipilarius erat, lethali sauciatus vulnere occubuit. Qua de re fracti animo Franci, terga vertunt, præsidioque fugæ se committunt : quos fortissimus Dux insecutus, occisis plurimis et captis, reliquos usque ad portas civitatis cum Episcopo suo, triumpho potitus, fugavit. Cives qui parentes et amicos in illa cæde amiserant, tantâ cordis amaritudine affecti erant, ut penè in proprium Episcopum, velut hujus concussionis auctorem, irruerent.... Prætaxatus *Cap.* 14.
Dux, ut breviter dicam, per omnia patrem induens, tam fidus Principi miles,
E tam utilis avunculo amicus extitit, ut suâ virtute honorem regni labefactatum, viriliter contra hostes tamdiu decertando, sustentaret, donec membra a capite dissidentia ad gratiam Principis veniendo ad cor redirent. Accepit autem Henrici Noricorum Ducis filiam in uxorem, ex qua postmodùm Fridericum gloriosissimum, qui in præsentiarum Imperator est, et Juditham quæ modò Mathæo Lotharingorum Duci copulata noscitur, genuit.

Imperator Henricus, revocatis in pacem qui erant ei oppositi Principibus, *Cap.* 15.
liberè potitus imperio, apud inferius Trajectum Frisiæ urbem, in Pentecoste * * An. 1125.
Curiam celebravit : ubi morbo correptus, rebus humanis exemptus, sepultisque

(*a*) Fridericus hic Sueviæ Dux, non primus nomine supra memoratus (e vivis quippè anno 1105 abierat) sed filius ejus Fredericus II intelligendus est, cujus frater Conradus Franconiæ Ducatum adeptus est.

Digitized by Google

ibidem interioribus, per ripam Rheni ad superiora deportatus, in civitate Spira A
patribus suis appositus est. At Imperatrix Mathildis, Henrici Regis Anglorum
filia, regalia in potestate sua habebat : quam prædictus Albertus Moguntinæ
Ecclesiæ Archiepiscopus ad se vocavit, falsisque promissionibus ad sibi tradenda
regalia induxit.

Cap. 16. Igitur Albertus (nam id juris, dum regnum vacat, Moguntini Archiepiscopi
ab antiquioribus esse traditur) Principes regni in ipsa civitate Moguntina, tem-
* An. 1125. pore Autumnali * convocat; malorumque a Duce Friderico sibi illatorum haud
immemor, cùm prædictus Dux ad regnum a multis exposceretur, ipse Lotha-
rium Ducem Saxonum, virum tamen ex probitatis industria omni honore dignum,
plus familiari rei, quantum in ipso erat, quàm communi commodo consulens,
in Regem a cunctis qui aderant Principibus eligi persuasit. Quæ res laudabiliter
facta, gravissimæ tamen scissuræ seminarium denuò fuit. Nam prædictus Prin- B
ceps, consilio ejusdem Alberti Moguntini Episcopi,.... nondùm odio in hæ-
redes Imperatoris Henrici satiati, Fridericum Ducem fratremque suum Conradum
persequitur (*a*)....

Cap. 20. Dissensio igitur inter Fridericum Ducem Lothariumque Imperatorem penè per
decem annos protracta, imperium quiescere non permisit....

Cap. 22. Defuncto Imperatore Lothario,... Principes regni apud oppidum Galliæ Con-
fluentiam, ubi Mosella Rhenum influit, conveniunt, et de eligendo Principe
consilium ineunt. Igitur Conradus, Friderici Ducis frater, ab omnibus qui ade-
An. 1139. rant exposcitur, ad regnumque levatus in palatio Aquis coronatur....

Cap. 29. Eâ tempestate, ubique terrarum bellorum turbine orbem replente, fermèque
totum imperium seditionum motibus involvente (nam et... in Belgica Gallia
viris magnis et egregiis Alberone Treverorum Archiepiscopo et Henrico Na- C
murcensi Comite debellantibus, omniaque prædâ et incendio commiscentibus,
maximum Reipublicæ dispendium exspectabatur) cæteris quoque imperii pro-
vinciis (*b*) hujus mali non extorribus, repentè per dexteram Excelsi tanta facta est
mutatio, ut, sopitis omnibus his bellorum tempestatibus, in brevi totam terram
quiescere, et innumerabiles ex Gallia et Germania contra inimicos crucis, cru-
cibus acceptis, militiam profiteri cerneres....

Cap. 34. Eugenio in urbe Roma sedente, Conrado in eadem, Ludovico in occidentali
An. 1146. Francia regnantibus, imperante in urbe Regia Manuel, Hierosolymis Fulcone *,
* *Corr.* Balduino. Ludovicus dum occultè Jerusalem eundi desiderium haberet, eò quòd frater
suus Philippus eodem voto astrictus morte præventus fuerat, diutiùs protelare
nolens propositum, quibusdam ex Principibus suis vocatis, quid in mente vol-
veret aperuit. Erat illo in tempore in Gallia Cœnobii Clarevallensis Abbas D
quidam Bernardus dictus, vitâ et moribus venerabilis, religionis ordine conspi-
cuus, sapientiâ litterarumque scientiâ præditus, signis et miraculis clarus. Hunc
Principes vocandum, ab eoque quid de hac re fieri oporteret, tanquam a divino
oraculo consulendum decreverunt. Vocatur præfatus Abbas, consiliumque ipsius
super prædicti exposcitur Principis voluntate : ille de tam grandi negotio ex pro-
priæ auctoritatis arbitrio responsum dare frivolum judicans, ut ad Romani Pon-
tificis audientiam et examen deferatur, optimum esse respondit. Itaque missâ ad
Eugenium legatione, totum illi negotium aperitur. Qui antecessorum suorum
exempla revolvens (quòd videlicet Urbanus hujusmodi occasione transmarinam
Ecclesiam, duasque Patriarchales sedes, id est, Antiochiam et Hierosolymam,
ab obedientia Romanæ Sedis scissas, in pacis unitatem receperit) votis prædicti
Regis pro dilatando christianæ religionis ritu annuit : auctoritate prædicandi, E
animosque cunctorum ad hoc commovendi prænominato Abbati, qui apud omnes
Galliæ et Germaniæ populos ut Propheta vel Apostolus habebatur, concessâ....

Cap. 36. Igitur Bernardus Abbas venerabilis, concessâ sibi Apostolicæ sedis auctoritate

(*a*) Hìc observandum Ottonem Ghibellinis partibus addictum sociis suis interdùm plus æquò favere, Guelfianosque acriùs plerumque insectari.

(*b*) Frisingensis in chronico, *Anno* MCXLV, inquit, *in Belgica Gallia virorum potentium indefessa conflictatio*. Et certè duo tunc temporis bella gerebat Godefridus Animosus, inferioris Lotharingiæ Dux ; prius quod hæreditario quasi jure a patre et avo acceperat, cum Henrico Limburgensi Duce ob ejusdem Lotharingiæ Ducatum, in quo Valerannus Henrici pater Godefrido Magno seu Barbato, Animosi progenitori, a Lothario Imperatore, cujus offensam incurrerat, exauctorato fuerat subrogatus ; pulsus deinde ab æmulo sub Conrado Lotharii successore, ac solum vertere coactus. Alterum Godefrido Animoso bellum erat cum Waltero-Bertholdo Mecliniensi Advocato et Gerardo Grimbergensi Toparchâ, hominii causâ quod ipsi denegabant.

Digitized by Google

A non abusus, gladio verbi Dei fortiter accingitur ; ac excitatis ad transmarinam expeditionem multorum animis, tandem Curia generalis apud Vezzelacum (*a*) Galliæ oppidum, ubi S. Mariæ Magdalenæ ossa recondita sunt, indicitur, convocatis ex diversis Galliæ provinciis Optimatibus virisque illustribus. Ibi Ludovicus Francorum Rex crucem a prætaxato Abbate cum multa mentis alacritate sumens, militiam transmarinam professus est, cum Theoderico Flandrensi et Henrico Theobaldi Blesensis filio, Comitibus et aliis de regno suo Baronibus, virisque nobilibus.

Inter hæc * Rudolfus Monachus, vir quidem religionis habitum habens, re- *Cap.* 37.
ligionisque severitatem solerter imitans, sed litterarum notitiâ sobriè imbutus, eas * Rodulfus.
partes Galliæ quæ Rhenum attingunt, ingreditur ; multaque populorum millia ex Agrippina, Moguntia, Vormacia, Spira, Argentina, aliisque vicinis civita-
B tibus, oppidis seu vicis ad accipiendam crucem (*b*) accendit : hoc tamen doctrinæ suæ non vigilanter interserens, quòd Judæi in civitatibus oppidisque passim manentes, tanquam christianæ religionis hostes trucidarentur. Quod doctrinæ semen in multis Galliæ Germaniæque civitatibus vel oppidis tam firmiter radicem figens germinavit, ut pluribus ex Judæis hac tumultuosâ seditione necatis, multi sub Principis Romanorum alas tuitionis causâ confugerent. Unde factum est, ut non pauci ex ipsis hujusmodi immanitatem fugientes, in oppido Principis quod Noricum seu *Norenberg* appellatur, aliisque municipiis ejus ad conservandam vitam se reciperent.

At præfatus Clarevallensis Abbas hujusmodi doctrinam præcavendam ducens, *Cap.* 38.
ad Galliæ Germaniæque populos nuncios seu litteras destinavit, in quibus ex auctoritate sacræ paginæ luculenter ostendit Judæos ob scelerum suorum excessus
C non occidendos, sed dispergendos fore. Unde et Psalmographi testimonium induxit, in 57 psalmo dicentis : *Deus ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos*, et item : *disperge illos in virtute tua....*

Igitur innumerabilibus in occidentali Gallia ad transmarinam expeditionem *Cap.* 39.
excitatis, Bernardus prædicationis nomine movendum orientale Francorum regnum aggredi disponit, tam ob hoc ut animum Principis Romanorum sacræ exhortationis verbo ad accipiendam crucem emolliret, quàm ut Rudolfo, occasione Judæorum crebras in civitatibus seditiones populo contra dominos suos moventi, silentium imponeret. Audiens hoc Princeps, generalem curiam in Na-
tivitate Domini * apud Spiram civitatem celebrandam indixit : quò veniens præ- * An. 1146.
dictus Abbas Principi cum Friderico fratris sui filio, aliisque Principibus et viris illustribus crucem accipere persuasit, plurima in publico vel occulto faciendo
D miracula....

Igitur non solùm ex Romano imperio, sed etiam ex vicinis regnis, id est, *Cap.* 42.
occidentali Francia, Anglia, Pannonia, innumeris populis ac nationibus hac expeditionis famâ ad sumendam crucem commotis, repentè sic totus penè occidens siluit, ut non solùm bella movere, sed et arma quempiam in publico portare nefas haberetur.... Francorum Rex Ludovicus non multò post [Pente- *Cap.* 44.
costen *] cum suis subsecutus est, ducens secùm ex nostris Lotharingos, quorum * An. 1147.

(*a*) Curia Vizeliacensis an. 1146 habita est, in solemnitate Paschali.

(*b*) Lambertus Parvus in chronico Leodiensi, *Anno* MCXLVI, inquit, *prædicatur populus, a Rodulpho Propheta crucizatur, visa et signa mendacii creduntur, passim pruritur auribus. Ex libris Sibyllinis ad votum interpretatis, Regi Franciæ ituro Jerosolymam magnifica falsò promittuntur.* Quæ fuerint ea vaticinia Otto Frisingensis aperit in prologo hujus libri primi : « Quod autem, inquit, dixi illo in tem-
» pore spiritu peregrini Dei occidentales populos
» afflatos, nemo sic intelligat ac si quisquam a
» nobis peregrinus Deus putetur ; sed ab illo
» scripto quod illis in diebus in multis Galliæ
» locis lectitabatur nos hoc dictum mutuasse sciat,
» quod tale fuit : *Tibi dico L. pastor corporum, primo*
» *elemento materiæ tuæ silvæ, quem inspiravit spiritus*
» *diei peregrini Dei.* In cujus scripturæ tenore quo-
» dam verborum involucro de expugnatione re-
» giæ urbis, necnon antiquæ Babylonis, et ad
» instar Cyri Regis Persarum vel Herculis, totius
» Orientis triumphus præfato Ludovico Franco-
» rum Regi promittebatur. Unde talia ibidem
» dicta reperta sunt : *Cùm perveneris ad costam Te-*
» *tragoni sedentis æterni, et ad costam Tetragonorum*
» *stantium æternorum, et ad multiplicationem beati*
» *numeri per actuale primum cubum, surge ad eam*
» *quam promisit Angelus matris tuæ visitare, et non*
» *visitavit, et pertinges ad ea usque ad penultimum*
» *primum : cujus cùm ascenderit promissor, deficit pro-*
» *missio propter optimam mercem. Et figantur vexilla*
» *tua rosea usque ad extremos labores Herculis, et*
» *aperietur tibi porta civitatis B. Nam erexit te sponsus*
» *Arthemonem, barcha cujus penè cecidit, in capite cu-*
» *jus triangulare velum, ut sequatur te qui præcessit*
» *te. Tuum ergo L. vertetur in C. qui dispersit aquas*
» *fluminis, donec pertransirent illud, quæ student in*
» *procuratione filiorum.* Quod scriptum tantæ auc-
» toritatis a probatissimis et religiosissimis Gal-
» liarum personis tunc putabatur, ut a quibusdam
» in Sibyllinis libris repertum, et ab aliis cuidam
» Armeno divinitùs revelatum affirmaretur. Sed
» quisquis fuit ille propheta seu trotannus qui
» hoc promulgavit, videat si in futuro adhuc
» aliquâ expeditione implendum expectetur, aut
» tanquam jam non impletum, conculcandum
» Gallicanæ levitati, quod fidem aliquam habere
» potuit, imputetur ».

Digitized by Google

Principes seu primores erant Stephanus Metensis, Henricus Tullensis; Reginaldus Munzunensis, Hugo Waldemontensis Comes, et de Italia Amedeum Taurinensem, fratremque ejus Guillelmum Marchionem de Monte-ferrato, avunculos suos, et alios quamplures.... A

Cap. 46. Fuit illis in diebus in Aquitania, Galliæ civitate Pictavis, Episcopus Gilibertus nomine. Hic ex eadem civitate oriundus, ab adolescentia usque ad ultimam senectutem in diversis Galliæ locis philosophiæ studium colens, re et nomine magistri officium administravit, noviterque ante hos dies ad culmen Pontificale in præfata civitate sublimatus fuerat, (*a*) consuetus ex ingenii subtilis magnitudine ac rationum acumine multa præter communem hominum morem
* An. 1147. dicere. Is igitur cùm quâdam vice* conventum in sua diœcesi Clericorum magnum celebrans, sermoni quem fortè gratiâ exhortandi habebat, quædam de fide S. Trinitatis intersereret, a duobus Archidiaconis suis Arnoldo et Calone, tanB quam contra catholicæ normam Ecclesiæ doctrinam instituens, ad summi Pontificis Romanæque sedis examen, interpositâ appellatione, vocatur. Sic utrique viam carpunt, Romanoque Pontifici Eugenio, ab urbe in Gallias tendenti, Senis civitate Tusciæ occurrunt. Quibus Romanus Antistes auditis, causâque viæ cognitâ, breviter respondit se Gallias introire, ibique de hoc verbo (eò quòd propter litteratorum virorum copiam ibidem manentium opportuniorem examinandi facultatem haberet) pleniùs velle cognoscere. Archidiaconi in Gallias redeunt; ac consulto Bernardo supramemorato Abbate, eum in commodum causæ suæ adversùs Episcopum inclinant.

Cap. 47. Erat autem prædictus Abbas tam ex christianæ religionis fervore zelotypus, quàm ex habitudinali mansuetudine quodammodo credulus, ut et magistros qui humanis rationibus, sæculari sapientiâ confisi, nimiùm inhærebant, abhorreret, C et, si quidquam ei christianæ fidei absonum de talibus diceretur, facilè aurem præberet. Ex quo factum est, ut non multò ante hos dies, ipso auctore, primò ab Episcopis Galliæ, post a Romano Pontifice Petro Abailardo silentium impositum fuerit. Petrus iste ex ea Galliæ provincia quæ nunc ab incolis Britannia dicitur, originem trahens (est enim prædicta terra Clericorum, acuta ingenia et artibus applicata habentium, sed ad alia negotia penè stolidorum ferax : quales fuerunt duo fratres Bernardus et Theodoricus viri doctissimi) is, inquam, litterarum studiis aliisque facetiis ab ineunte ætate deditus fuit; sed tam arrogans, suoque tantùm ingenio confidens, ut vix ad audiendos magistros ab altitudine mentis suæ humiliatus descenderet. Habuit tamen primò præceptorem Rozelinum (*b*) quemdam, qui primus nostris temporibus in logica sententiam vocum instituit; et post ad gravissimos viros Anselmum Laudunensem, Guillelmum CamD pellensem Catalauni Episcopum migrans (*c*), ipsorumque dictorum pondus tanquam subtilitatis acumine vacuum judicans, non diu sustinuit. Inde magistrum induens, Parrhisius venit; plurimùm in inventionum subtilitate, non solùm ad philosophiam necessariarum, sed et pro commovendis ad jocos animis hominum utilium, valens. Ubi occasione quâdam satis notâ non benè tractatus, Monachus in Monasterio S. Dionysii effectus est. Ibi die noctuque lectioni ac meditationi incubans, de acuto acutior, de litterato efficitur litteratior : in tantùm, ut post aliquod tempus ab obedientia Abbatis sui solutus, ad publicum prodiret, docendique rursùs officium assumeret. Sententiam ergo vocum seu nominum in naturali tenens facultate, non cautè Theologiæ admiscuit. Quare de S. Trinitate docens et scribens, tres Personas, quas sancta Ecclesia non vacua nomina tantùm, sed res distinctas suisque proprietatibus discretis hactenùs et piè credidit E et fideliter docuit, nimis attenuans, non bonis usus exemplis, inter cætera dixit : *Sicut eadem oratio est propositio, assumptio et conclusio; ita eadem essentia est Pater et Filius et Spiritus Sanctus.* Ob hoc Suessionis provinciali contra eum Synodo sub præsentia Romanæ sedis Legati congregatâ, ab egregiis viris et nominatis magistris, Alberico Remense et Leutaldo Novariense, Sabellianus

(*a*) Anno 1142 Gilbertus sedem Pictaviensem conscendit.

(*b*) Negant historiæ litterariæ Galliarum Auctores (T. IX, p. 359) Abælardum Roscelino præceptore usum fuisse, hac præcipuè de causa quòd illum Abælardus in epistola de calamitatibus suis, ubi varios institutores suos recenset, nullam ipsius mentionem habeat.

(*c*) Guillelmum de Campellis longè ante Anselmum Abælardus audivit. Illi enim statim adhæsit, ut ipse epist. 1 testatur, cùm primùm Lutetiam advenisset, hoc est, sub finem undecimi sæculi; ad hunc verò non priùs accessit, quàm Guillelmus ad insulas Catalaunenses fuisset evectus : quod quidem anno 1113 exeunte contigit.

Digitized by Google

A hæreticus judicatus, libros quos ediderat propriâ manu ab Episcopis igni dare coactus est, nullâ sibi respondendi facultate, eò quòd disceptandi in eo peritia ab omnibus suspecta haberetur, concessâ. Hæc sub Ludovico seniore Francorum Rege facta sunt (*a*).

Post hæc dum rursùs pluribus diebus legeret, maximamque post se sociorum multitudinem traheret, sedente in urbe Roma Innocentio, in Francia verò Ludovico, superioris Ludovici filio, regnante, ab Episcopis Abbateque Bernardo denuò * ad audientiam apud Senonas evocatur, præsentibus Ludovico Rege, Theobaldoque Palatino Comite, et aliis nobilibus, de populoque innumeris. *Cap.* 48. * An. 1140.

(*a*) Ejusdem Concilii acta Abælardus ipse fusè describit epistolâ primâ quæ historiam calamitatum suarum continet. Quamquam autem testis est in causa sua minimè idoneus, juvabit tamen hìc exhibuisse quæ narrat : in iis enim multa sunt digna scitu. Neque difficile admodùm erit, quæ vel ad sui defensionem, vel ad accusatorum invidiam immiscet, dignoscere. « Æmuli, *inquit*, » mei vehementer accensi Concilium contra me » congregaverunt, maximè duo illi antiqui insidiatores, Albericus scilicet et Lotulfus; qui, jam » defunctis magistris eorum et nostris, Guillelmo » scilicet [de Campellis] atque Anselmo, post » eos quasi regnare se solos appetebant, atque » etiam ipsis tanquam hæredes succedere. Cùm autem utrique Remis scholas regerent, crebris » suggestionibus Archiepiscopum suum Rodulphum adversùs me commoverunt, ut adscito » Conano Prænestino Episcopo, qui tunc legatione » fungebatur in Gallia, conventiculum quemdam sub nomine Concilii in Suessionensi civitate celebrarent, meque invitarent quatenùs » illud opus clarum, quòd de Trinitate compo- » sueram, mecum afferrem. Et factum est ita. Antequam autem illuc pervenirem, duo illi prædicti æmuli nostri ita me in populo et Clero » diffamaverunt, ut penè me populus, paucosque » qui advenerant ex discipulis nostris, primâ die » adventûs nostri lapidarent, dicentes me tres » Deos prædicasse et scripsisse, sicut eis persuasum fuerat. Accessi autem, mox ut ad civitatem » veni, ad Legatum : eique libellum nostrum inspiciendum et dijudicandum tradidi, et si aliquid scripsissem quod a catholica fide dissentiret, paratum esse ad correctionem vel satisfactionem obtuli. Ille autem statim mihi præcepit » libellum ipsum Archiepiscopo illisque æmulis » meis deferre, quatenùs ipsi me judicarent qui » me super hoc accusabant ».

Narrat deinde altercationes aliquot cum adversariis suis. Tum : « Extremâ verò die Concilii, » priùs quàm residerent, diu Legatus ille atque » Archiepiscopus cum æmulis meis et quibusdam » personis deliberare cœperunt, quid de meipso et » libro meo statueretur, pro quo maximè vocati » fuerant. Et quoniam ex verbis meis et scripto » quod erat in præsenti, non habebant quod in » me prætenderent : omnibus aliquantulùm conticentibus, aut jam mihi minùs apertè detrahentibus, Gaufridus Carnotensis Episcopus, qui » cæteris Episcopis et religionis nomine et sedis » dignitate præcellebat, ita exorsus est : « *Nostis*, » *domini omnes qui adestis, hominis hujus doctrinam, qualiscumque sit, ejusque ingenium, in quibuscumque* » *studuerit multos assectatores et sequaces habuisse, et* » *magistrorum tam suorum quàm nostrorum famam maximè compressisse, et quasi ejus vineam a mari usque* » *ad mare palmites suos extendisse. Si hunc præjudicio,* » *quod non arbitror, gravaveritis, etiamsi rectè, multos vos offensuros sciatis, et non deesse plurimos qui* » *ipsum deffendere velint, præsertim cùm in præsenti scripto nulla videamus quæ aliquid obtineant* » *apertæ calumniæ. Et quia juxta illud Hieronymi,* » *semper in propatulo fortitudo æmulos habet, feriantque summos fulmina montes : videte ne plus ei nominis* » *conferatis violenter agendo, et plus nobis criminis* » *ex invidia, quàm ei ex justitia conquiramus. Falsus* » *enim rumor, ut prædictus Doctor meminit, citò opprimitur, et vita posterior judicat de priore. Si autem* » *canonicè agere in eum disponitis, dogma ejus vel* » *scriptum in medium proferatur, et interrogato liberè* » *respondere liceat, ut convictus vel confessus penitùs* » *obmutescat* ».... Quo audito, statim æmuli mei obstrepentes exclamaverunt : « *O sapiens consilium,* » *ut contra ejus verbositatem contendamus, cujus argumentis vel sophismatibus universus obsistere mundus non posset!* » Sed certè multò difficilius erat » cum ipso contendere Christo, ad quem tamen » audiendum Nicodemus juxta legis sanctionem » invitabat. Cùm autem Episcopus ad id quod » proposuerat eorum animos inducere non posset, » aliâ viâ eorum invidiam refrænare attentat, » dicens ad discussionem tantæ rei paucos qui » adeant non posse sufficere, majorisque examinis causam hanc indigere; in hocque ulteriùs » tantùm suum esse consilium, ut ad Abbatiam » meam, hoc est Monasterium S. Dionysii, Abbas meus [Adam] qui aderat me reduceret : » ibique pluribus ac doctioribus personis convocatis, diligentiori examine quid super hoc faciendum esset statueretur. Assensit Legatus huic » novissimo consilio et cæteri omnes.... Tunc » æmuli mei nihil se egisse cogitantes, si extra » diœcesim suam hoc negotium ageretur, ubi videlicet judicium minimè exercere valerent, qui » scilicet de justitia minùs confidebant : Archiepiscopo persuaserunt hoc sibi valdè ignominiosum esse, si ad aliam audientiam causa hæc » transferretur, et periculosum fieri, si sic evaderem. Et statim ad Legatum concurrentes, ejus » immutaverunt sententiam, et ad hoc invitum » pertraxerunt, ut librum sine ulla inquisitione » damnaret, atque in conspectu omnium statim » combureret, et me in alieno Monasterio perenni clausurâ cohiberet.... Quod cùm Carnotensis præsensisset Episcopus, statim machinamenta hæc ad me retulit, et me vehementer » hortatus est ut hoc tantò leniùs tolerarem, quantò » violentiùs agere eos omnibus patebat.... Vocatus itaque statim ad Concilium adfui, et sine » ullo discussionis examine meipsum compulerunt propriâ manu librum memoratum meum » in ignem projicere.... Cùm autem ego ad profitendam fidem meam et exponendam assurgerem, ut quod sentiebam verbis propriis exprimerem, adversarii dixerunt non esse aliud mihi » necessarium, nisi ut symbolum Athanasii recitarem, quod quivis puer æquè facere posset. » Ac ne ex ignorantia prætenderem excusationem, » quasi qui verba illa in usu non haberem, scripturam ad legendum afferri fecerunt. Legi inter » suspiria, singultus et lacrymas, prout potui. » Inde quasi reus et convictus Abbati S. Medardi, » qui aderat, traditus, ad claustrum ejus tanquam ad carcerem trahor : statimque Concilium solvitur. Abbas autem et Monachi illius » Monasterii me sibi remansurum ulteriùs arbitrantes, summâ exultatione susceperunt, et cum » omni diligentia tractantes consolari frustra nitebantur.... Legatus statim pœnitentiâ ductus, » post aliquot dies, cùm ad tempus coactus satisfecisset illorum invidiæ, me de alieno eductum Monasterio ad proprium remisit, (nempè » S. Dionysii in Francia) ».

Annus verò quo istud Concilium habitum est controvertitur. Stat Labbeus pro anno 1120, Pagius pro sequenti : neutri assentimur. Cùm enim ex ipsomet Abælardo constet paulò post mortem Guillelmi de Campellis, quam Januario mensi anni 1122 assignant certis argumentis fulti Galliæ Christianæ novæ Auctores, Concilium Suessionense coactum fuisse, sequitur in eodem illud anno collocandum esse.

Digitized by Google

Ubi dum de fide sua discuteretur, seditionem populi timens, Apostolicæ sedis præsentiam appellavit: Episcopi verò simul et Abbates, missâ ad Romanam Ecclesiam legatione, ac eis pro quibus impetebatur Capitulis, damnationis ejus sententiam in litteris reportaverunt; quarum exemplar tale est: A

Reverendissimo domino et dilectissimo Patri, Dei gratiâ summo Pontifici Innocentio, S. Remensis Archiep. Joxelinus Suessionensis, Guillelmus * *Catalaunensis, A. Albanensis Episcopi, debitæ subjectionis voluntarium obsequium.* « Auribus occupatis » ad plurima verbum facimus breve de prolixo negotio, pro eo maximè quòd ipsum » pleniùs et diffusiùs continetur in litteris domini Senonensis. Petrus Abailardus » christianæ fidei meritum evacuare nititur, dum totum quod Deus est humanâ » ratione arbitratur comprehendere: ascendit usque ad cœlos, et descendit us- » que ad abyssos. Nihil est quod lateat eum, sive in profundum inferni, » sive in excelsum suprà. Homo est magnus in oculis suis, disputans de fide B » contra fidem, ambulans in magnis et mirabilibus super se. Scrutator majes- » tatis, hæresum fabricator, jamdudum fecerat librum de S. Trinitate; sed sub » Legato Romanæ Ecclesiæ igne examinatus est, quia inventa est in eo iniquitas. » Maledictus qui reædificat ruinas Hiericho. Surrexit a mortuis liber ille, et » cum eo multorum hæreses, qui dormierant, surrexerunt, et apparuerunt multis. » Denique jam extendit palmites suos usque ad mare, et usque ad Romam » propagines ejus. Hæc gloriatio hominis illius, quòd liber suus in Curia Ro- » mana habet ubi caput suum reclinet: hinc confortatus et confirmatus est error » illius. Proinde cum fiducia prædicat verbum iniquitatis usquequaque. Prop- » terea cùm in conspectu Episcoporum super his eum argueret Abbas Clareval- » lensis, zelo justitiæ et fidei armatus; ille nec confessus est, nec negavit; sed » a die, a loco et judice, quem ipse sibi elegerat, sine læsione, sine grava- C » mine, ut prolongaret iniquitatem, ad sedem Apostolicam appellavit. Episcopi qui » propter hoc unum convenerant, vestræ reverentiæ deferentes, nihil in perso- » nam ejus egerunt; sed tantummodò Capitula a sanctis olim Patribus condem- » nata medicinali necessitate, ne morbus serperet, abjudicaverunt. Quia ergo » homo ille multitudinem trahit post se, et populum qui sibi credat, habet; » necesse est ut huic morbo celeri medicinâ occurratis. Serò enim medicina » paratur, cùm mala per longas invaluere moras. Processimus nos in hoc nego- » tio, quousque ausi sumus. Tuum, beatissime Pater, est de cætero providere, » ne aliquâ hæreticæ pravitatis maculâ decor Ecclesiæ contaminetur. Tibi com- » missa est sponsa Christi, ô amice sponsi! tuum est eamdem uni viro virginem » castam exhibere Christo » (*a*).

* *Corr.* Gaufridus.

Cap. 49. Petrus damnationem sui dogmatis a Romana Ecclesia confirmatam cognos- D cens, ad Cluniacense Cœnobium se contulit, apologeticum scribens, prædictorum Capitulorum partim verba, ex toto autem sensum negans, qui sic incipit: *Ne, juxta Boetianum illud, proœmiis nihil afferentibus tempus teratur, ad rem ipsam veniendum est, ut innocentiam meam ipsa veritas potiùs, quàm verborum excuset prolixitas,* etc. Hæc autem pauca de multis contra eum posita sufficiant Capitula:

Quòd Pater sit plena potentia, Filius quædam potentia, Spiritus Sanctus nulla potentia. Quòd Spiritus Sanctus non sit substantia patris. Quòd Spiritus Sanctus sit anima mundi. Quòd Christus non assumpsit carnem, ut nos a jugo diaboli liberaret. Quòd non peccaverunt qui Christum ignoranter crucifixerunt.

* An. 1142. Ipse verò non multis post diebus * coram fratribus suis fidem suam humiliter exponens, in eodem vitam finivit Cœnobio.

(*a*) Huic epistolæ verbis officiosissimis respondit Innocentius, sententiam Concilii Senonensis laudans, nihilque in ea refigi posse asserens. *Nam injuriam*, inquit, *facit judicio reverendissimæ Synodi, si quis semel judicata et rectè disposita revolvere et iterùm disputare contendit, et in contemptores hujus legis tanquam sacrilegos pœna non deerit. Dolemus autem, quoniam sicut litterarum vestrarum inspectione et missis a vestra fraternitate nobis errorum capitulis cognovimus, in novissimis diebus, quandò instant tempora periculosa, M. P. Abailardi perniciosa doctrina et alia perversa dogmata catholicæ fidei obviantia pullulare cœperunt; verùm in hoc maximè consolamur et omnipotenti Deo gratias agimus, quòd in partibus vestris pro patribus tales filios suscitavit, et in tempore Apostolatûs nostri in Ecclesia sua tam præclaros voluit esse Pastores, qui novi hæretici studeant calumniis obviare, et immaculatam sponsam uni viro Virginem castam exhibere Christo. Nos itaque,... communicato fratrum nostrorum Episcoporum et Cardinalium consilio, destinata nobis a vestra discertione capitula, et universa ipsius Petri dogmata sanctorum Canonum auctoritate cum suo auctore damnavimus, eique tanquam hæretico perpetuum silentium imposuimus. Universos quoque erroris sui sectatores et defensores a fidelium consortio sequestrandos, et excommunicationis vinculo innodandos esse censuimus. Datum Laterani,* XII *Kal. Augusti.*

Igitur

Digitized by Google

A Igitur, ut ad id a quo digressa fuit redeat oratio, prætaxati Archidiaconi, adscito sibi tantæ auctoritatis et æstimationis viro Abbate Bernardo, Episcopum Gilibertum eâdem quâ prædictum Petrum viâ damnare attentabant. Sed nec eadem causa, nec similis erat materia. Iste enim ab adolescentia magnorum virorum disciplinæ se subjiciens, magisque illorum ponderi quàm suo credens ingenio (qualis primò fuit Hilarius Pictavensis, post Bernardus Carnotensis, ad ultimum Anshelmus et Radulphus Laudunensis, germani fratres) non levem ab eis, sed gravem doctrinam hauserat, manu non subitò ferulæ subductâ, a scientia haud censurâ morum vitæque ratione discordante, non jocis vel ludicris, sed seriis rebus mentem applicarat. Hinc erat, ut tam gestu quàm voce pondus servans, sicut in factis, sic in dictis se ostenderet difficilem; ut nunquam puerilibus, vix autem eruditis et exercitatis, quæ ab eo dicebantur, paterent animis. Is itaque B primò Autisiodorum, post Parrhisius vocatus est. Erant inter cætera quæ illi objiciebantur, de Divina majestate quatuor Capitula : quòd videlicet assereret Divinam essentiam non esse Deum : quòd proprietates Personarum non essent ipsæ Personæ : quòd Theologicæ Personæ in nulla prædicarentur propositione : quòd Divina natura non esset incarnata. Et præter hæc alia minora, id est, quòd meritum humanum attenuando, nullum mereri diceret præter Christum : quòd Ecclesiæ sacramenta evacuando diceret nullum baptisari, nisi salvandum, et cætera in hunc modum. *Cap.* 50.

Itaque præsidente cum Cardinalibus, Episcopis, aliisque viris venerabilibus et eruditis, in jam dicta civitate Parrhisius summo Pontifice Eugenio, prædictus Episcopus Gilibertus consistorio præsentatur, de his Capitulis responsurus. Producuntur contra eum duo magistri, Adam de Parvo-ponte, vir subtilis et C Parrhisiensis Ecclesiæ Canonicus recenter factus, Hugo de Campo-florido, Cancellarius Regis : asserentibus eis et quasi sub sacramento pollicentibus, se aliqua ex his de proprio ejus ore audisse, non sine multorum qui aderant admiratione, viros magnos et in ratione disserendi exercitatos, pro argumento juramentum afferre. *Cap.* 51.

Ibidem dum hinc inde multa sibi objicerentur, pluriumque impulsationibus ad responsionem de re tam ineffabili cogeretur, inter cætera dixisse traditur. « Au- » dacter confiteor Patrem alio esse patrem, alio Deum, nec tamen esse hoc et » hoc ». Cujus dicti obscuritatem, tanquam verborum prophanam novitatem, tam impatienter magister Joscelinus Suessionensium Episcopus excepit, ut juxta proverbium, medium vitando incurreret ripam. Nondum enim auctoritatem illam Augustini legerat, vel fortassis lectam intellexerat, quâ de eodem altissimo loqui D gestiens secreto, inter cætera dicit : « *Sic aliud est Deo esse, aliud subsistere ; sicut* » *aliud est Deo esse, aliud Patrem esse, vel Dominum esse. Quòd enim est, ad se* » *dicitur : Pater autem ad Filium, et Dominus ad servientem creaturam* ». Ait ergo prædictus Episcopus : « *Quid est quod dicis? esse Deum nihil est* ». Erat quippè quorumdam in logica sententia, cùm quis diceret Socratem esse, nihil diceret : quos præfatus Episcopus sectans, talem dicti usum haud præmeditatè ad Theologiam verterat; quo verbo omnium penè auditorum ab illo in se retorsit spicula. Post hoc, sedato clamore, cùm a circumstantibus rogaretur Episcopus Gilibertus, ut, quare in Theologia Personas in tantùm distingueret, aperire vellet, breviter respondit : « *Quia omnis Persona est per se una* ». Et ita non sine magno multorum qui aderant stupore, conventus eâ die solvitur.

Aliâ rursùs die in causam ductus, pulsatusque de novitate dictionis, eò quòd E in prosa de S. Trinitate tres Personas tria singularia vocaverit; [Hugo] Rothomagensis Archiepiscopus causam aggravavit, dicens Deum potiùs debere dici unum singulare, quàm tria singularia; non tamen sine multorum scandalo, cùm Hilarius in libro de Synodis dicat : *Sicut duos Deos dicere profanum est, ita singularem et solitarium dicere sacrilegium est.* Et idem in eodem : *Nihil solitarium ex Divinis Sacramentis ad suspicionem audientium et ad occasionem blasphemantium proferamus.*

Episcopus verò Pictaviensis in præfatis dictis suis se habuisse simplicem sensum (*a*) testabatur; affirmans per singularia, non Theologicas Personas, sed ipsarum *Cap.* 53.

(*a*) Otto qui plus æquo Giliberto favit et S. Bernardo nonnihil derogavit, quæ scripsit in causa Giliberti moriturus censuræ Ecclesiæ permisit, teste Radevico lib. II, cap. 11. *Hunc codicem,* inquit, *manibus suis offerre præcepit, eumque litteratis et religiosis viris tradidit, ut si quid pro sententia magistri*

Digitized by Google

excellentiam intellexisse : secundùm quod antonomasticè Paulum solemus vocare Apostolum, vel gloriosam Dei Genitricem Virginem singularem, eò quòd nec est, nec fuit, nec erit talis Virgo, quæ videlicet sit mater et Virgo. Eâ rationis proportione trium Personarum excellentiam se considerasse, cùm tria singularia diceret, asserebat ; cùm nec sit, nec fuerit, nec futurus sit talis Pater, qui scilicet sit Pater et Deus : atque in eumdem modum talis Filius, talis Spiritus Sanctus....

Cap. 54. Dum ita per aliquot dies jam sæpedictus Episcopus coram summo Pontifice de fide sua in civitate Parrhisius discuteretur, sentiens Papa, utpotè vir cautus et religiosus, causæ difficultatem, protelandam eam usque ad universale Con-
* An. 1148. cilium adjudicavit. Erat enim in proxima medianæ Quadragesimæ Dominica *, apud illius Galliæ metropolim Remis generale indictum Concilium, tam ex eo quòd prætaxatus Papa persecutionem populi sui declinando in Galliis morabatur, quàm ob hoc quòd quidam penè laïcus, hæretici honorem in vaccis populorum affectans, examini Ecclesiæ reservandus in vinculis tenebatur. Iste in angulis Galliæ, id est, circa Britanniam et Guasconiam (eò quòd remotis ibi a corde Franciæ populis simplicitas vel potiùs, ut ita dixerim, stulticitas, cui facilè
* *Eon de l'Etoile.* error obrepere solet, abundat) verbum prædicationis assumpserat ; Eumque * tanquam Dei filium se nominans, multam post se rudis populi traxit multitudinem, dicens quòd ipse esset per quem omnis oratio concluditur, cùm dicimus : *Per eum*, etc.

Cap. 55. Igitur volvente tempore, cùm eadem mediana Quadragesima * adveniret,
* An. 1148. dumque a Turcis populi dispersi Hierusalem tendentes per altum navigaremus æquor, in basilica Dei genitricis semperque Virginis Mariæ Remis, præsidente summo Pontifice Eugenio, sedit Concilium. Productus fuit ibi, ut fingere liceat, cum scriptulis suis prædictus Eum, vir rusticanus et illiteratus, nec hæretici nominis dignus, ac pro contumaci fatuitate vel fatua contumacia sua puniendus, Sugerio Abbati S. Dionysii, qui regni negotia ob absentiam Regis in occidentali Francia juxta illius Cœnobii prærogativam administrabat, commissus, ab eoque arctæ custodiæ mancipatus, vitam in brevi finivit....

Cap. 56. Itaque finitâ Synodo, salutiferisque ad innovationem seu confirmationem antiquorum ibidem promulgatis decretorum Capitulis, prudentiores et viciniores ad causam Episcopi Giliberti terminandam reservantur. Decursâ medianæ Quadragesimæ hebdomadâ, sacroque Dominicæ Passionis tempore inchoante, Episcopus Pictavinus, manente adhuc summo Pontifice Remis, rursùs ad judicium trahitur ; in cubiculo, ubi urbis Episcopus cum senioribus sedit, vocatur, et ab eo quid de fide S. Trinitatis sentiat, subtiliter interrogatur : ille orthodoxorum Patrum, quas non in schedulis, sed in corpore librorum integras attulerat, legi faciens auctoritates, eamdem se quam illi fidem tenere asserebat. Cùmque hujuscemodi sermone seu legendi prolixitate dies detineretur, tanquam tædio affectus, Romanus inquit Antistes : « Multa, frater, dicis, multa et ea » fortassis quæ a nobis non intelliguntur, legi facis ; sed simpliciter a te cognos- » cere velim, anne illam summam essentiam, quâ tres Personas profiteris unum » Deum, credas esse Deum » ? Qui diutinâ collatione fatigatus, minùs præmeditatè respondit : *Non*. Quod dictum mox ab ejus ore raptum notarius excepit, scribens in hunc modum : « *Episcopus Pictaviensis scripsit et dixit, quod divina* » *essentia non est Deus*. In commentario enim super Boetium de Trinitate, ubi » Auctor theologica a naturalibus prædicamenta discernens, inter cætera posuit : » *Substantia qua Deus est ;* iste apposuit, *non quæ Deus est*, id est, ut non ad » subsistentem, sed ad subsistentiam referatur ». Sicque in hæc verba conventus eâ die dimittitur. Episcopus totum quod superfuit illius diei spatium cum nocte subsequente amicos suos ex Cardinalibus, quos habuit non paucos, circuit. In crastino, ipso denuò coram summo Pontifice in causa posito, recitatur scriptum, cujus ut ab eo reddatur ratio, exposcitur. Ipse se hoc non simpliciter concessisse asserebat ; dicebat enim hoc nomen *Deus* quandòque in designatione naturæ, quandòque in designatione Personæ unius etiam poni : in designatione naturæ, ut cùm dicitur : *Deus tuus unus est* : Personæ, ut cùm dicitur : *Pater est Deus*, *Filius est Deus* : Personæ et unius tantùm de tribus, ut ibi : *Ascendit Deus in jubilatione*, quod de Persona Filii dictum esse nemo ambigit. Quare et aiebat se,

Giliberti (ut patet in prioribus) dixisse visus esset, quod quempiam posset offendere, ad ipsorum arbitrium corrigeretur; seque catholicæ fidei assertorem juxta sanctæ Romanæ, imò et universalis Ecclesiæ regulam professus est.

Digitized by Google

A divinitatem esse Deum, in illo tantùm sensu concedere, quo Deus ponitur pro natura; in eo verò absolutè concedere non audere, quo pro qualibet Personarum hoc nomen *Deus* accommodatur: ne videlicet, si indeterminatè profiteretur divinitatem esse Deum, id est, quamlibet Personarum, cogeretur sine determinatione concedere quidquid de qualibet Personarum, et de essentia : sicque in hanc incideret absurditatem, ut sicut Personam Filii, ita Divinam essentiam indeterminatè incarnatam , passam confiteretur. Ex qua absurditate facilè sensus hæreticus juxta Sabellium emergeret, ut eadem res diceretur et generans et genita, et eadem se ipsam genuisse. Quòd autem inter naturam et Personam non mathematicâ abstractione, sed Theologicâ consideratione quoquo modo divideret ratio, et ratione et auctoritate probare nitebatur.... Item quòd non natura, sed Filii Persona carnem suscepisse credenda sit, hac auctoritate Toletani
B Concilii ostendit : *solum Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*, etc. Quam auctoritatem cùm determinare vellet Clarevallensis Abbas, aliqua verba quæ Cardinalibus displicerent protulit : Episcopo Pictavino dicente : *Et hoc scribatur.* Ad quod ille respondit : *Scribatur stylo ferreo, ungue adamantino.* Moxque ad publicum progressus omnes quos poterat convocavit : ibi cum Archiepiscopis, virisque religiosis et eruditis, contra quatuor prædicta quæ Pictavino Episcopo imponebantur Capitula, fidem suam in hunc modum ipse cum aliis et alii cum ipso exposuerunt.... (*Sequitur fidei professio.*)

Quod Gallicanæ Ecclesiæ factum tam graviter sacer Cardinalium senatus accepit, *Cap.* 57.
ut cum magna mentis indignatione Curiam intraret; ac tanquam unum corpus effecti, unâ omnes voce Pontifici suo dicerent : « Scire debes quòd a nobis, per » quos tanquam per cardines universalis Ecclesiæ volvitur axis, ad regimen totius
C » Ecclesiæ promotus, a privato universalis Pater effectus, jam deinceps te non » tuum, sed nostrum potiùs esse oportere : nec privatas et modernas amicitias » antiquis et communibus præponere, sed omnium utilitati consulere, Roma- » næque Curiæ culmen ex officii tui necessitudine curare et observare debere. » Sed quid fecit Abbas tuus et cum eo Gallicana Ecclesia? Quâ fronte, quo » ausu cervicem contra Romanæ sedis primatum et apicem erexit? Hæc est enim » sola quæ claudit, et nemo aperit; aperit, et nemo claudit. Ipsa sola de fide » Catholica discutere habens, a nullo etiam absens in hoc singulari honore » præjudicium pati potest. Sed ecce Galli isti, etiam faciem nostram contem- » nentes, super Capitulis quæ his diebus nobis assidentibus agitata sunt, tanquam » finitivæ sententiæ ultimam manum apponendo, nobis inconsultis, fidem suam » scribere præsumpserunt. Certè si in Oriente, utpotè Alexandriâ vel Antio-
D » chiâ, coram omnibus Patriarchis hujusmodi tractaretur negotium, nihil firmâ » stabilitate solidum sine nostra definiri valeret auctoritate : quinimò, juxta » antiquorum Patrum instituta vel exempla, Romano servaretur examini termi- » nandum. Quomodò ergo isti in nostra præsentia usurpare audent, quod etiam » remotioribus et majoribus nobis non licet? Volumus igitur huic tam temerariæ » novitati celeriter assurgas, ipsorumque contumaciam punire non differas ». Quos Romanus Pontifex blando mitigans eloquio, Abbate ad se vocato, de hoc facto qualitateve facti solerter inquirit. Cui ille humiliter et cum reverentia respondit se vel dominos Episcopos nihil de præfatis Capitulis definisse; sed quia ab Episcopo Pictavino audierat ut fides sua scriberetur, idcircò, quia solus nollet, illorum auctoritate ac testimonio simpliciter se quod sentiret exposuisse. Hocque tam humili quàm modesto ipsius responso prædicta Cardinalium indignatio
E conquievit, ita tamen ut præfatum scriptum, tanquam inconsultâ Curiâ prolatum, velut auctoritatis pondere carens, pro symbolo in Ecclesia (quod in Conciliis contra hæreses congregatis fieri solet) non haberetur. Benedictus per omnia Deus, qui sic Ecclesiæ suæ, sponsæ suæ providit, ne vel summa membra a capite suo dissiderent, vel tantus religiosarum et discretarum personarum numerus Gallicanæ Ecclesiæ aliquod judicii pondus a sede Romana reportans, schismatis non parvi occasio esset.

Hæc pauca ex multis de illius Concilii agenda * dixisse sufficiat : hoc tamen * Actis.
apposito, quòd de tribus Capitulis, propter præmissam tumultuationem, nihil definiri potuit. Nec mirum; in quarto enim non multùm ab aliis discordabat Episcopus Gilibertus, cùm illi profiterentur naturam incarnatam, sed in Filio : iste Personam Filii incarnatam, non sine sua natura. De prædicatione Persona-

Digitized by Google

rum quid definirent, cùm ejus usum quidem, quid scilicet propriè prædicari A
deberet, ab aliis magistris etiam in naturalibus alienum non haberent? De proprietatibus, an Personæ essent, tam ob prædictam causam, quàm ob Theologicas rationes quæ hinc inde habentur, suppressum est. De primo tantùm Romanus Pontifex definivit, ne aliqua ratio in Theologia inter naturam et Personam divideret, neve Deus divina essentia diceretur ex sensu ablativi tantùm, sed etiam nominativi. Unde adhuc a probatioribus ejusdem Episcopi auditoribus tenetur, ne ratio ibi discernat in intelligendo, sed in dicendo. Episcopus verò præmissam summi Pontificis sententiam reverenter excipiens, Archidiaconis suis in gratiam receptis, cum ordinis integritate et honoris plenitudine ad propriam diœcesim remeavit (*a*).

Utrùm autem prædictus Abbas Clarevallensis in hoc negotio ex humanæ infirmitatis fragilitate tanquam homo deceptus fuerit, vel Episcopus tanquam B
vir litteratus, propositum astutè celando, Ecclesiæ judicium evaserit, discutere vel judicare nostrum non est. Quòd enim sancti et sapientes viri, corruptibili carne circumdati, frequenter in talibus fallantur, et novis et antiquis probatur testimoniis....

Cap. 58. Dum hæc et hujusmodi aguntur in Gallia, exercitus noster, ut supra dictum est, navigandi labore dispersus pelagus operiebat, quolibet, prout poterat et quandò, diversa per loca littus attingere conante. Nam Ludovicus Francorum Rex juxta Antiochiam, patrui comparis suæ terram, circa mediam Quadra-
* An. 1148. gesimam * applicuit, in eo loco qui Portus S. Simeonis vocatur; aliis ex nostris apud Ptolemaïdem,... non sine naufragii metu, optatum portum capientibus; nonnullis ipsum naufragium passis, quibusdam aquis absorptis, cæteris seminudis evadentibus. Illi ergo qui tam maturè applicuerant, circa Palmas civitatem C
sanctam intravere, Dominicam Passionem, sanctamque Resurrectionem, singula loca ubi hæc facta sunt circumeundo, et, ut dicitur, oculo ad oculum videndo, cum multa cordis devotione celebrantes. At Conradus Romanorum Princeps.... convenerat cum Rege illius terræ et Patriarcha, militibusque Templi circa proximum Julium in Syriam ad expugnationem Damasci exercitum ducere : qua de re largè dispersâ pecuniâ, militem quem tunc poterat, collegit. Rex autem Franciæ Ludovicus idem pro posse suo sectans, de Antiochia reversus apud Tyrum manebat. Ambo itaque inter Tyrum et Ptolemaïdem, in loco qui Palma nomen a re sortitus appellatur, mense Junio circa Nativitatem S. Joannis Baptistæ conveniunt, de die, loco, ubi et quomodò exercitus instauraretur ordinantes. Nondum tamen ex tot et tantis attritionibus fastus inter eos regalis decoctus conquieverat. Unde quem et proventum et eventum hæc D
quoque Damascena sortita fuerit expeditio, aliàs et fortassis ab aliis dicenda erunt...

Cap. 60. Porrò quia nonnulli ex pusillis Ecclesiæ fratribus scandalizati mirantur, mi-

(*a*) Causæ Gilbertinæ fusiorem edidit narrationem Gaufridus Claræ-vallensis, epistolâ ad A. Episcopum Albanensem scriptâ, quam in epistolarum classe referemus. Hìc interim describere juvat quæ Gaufredus idem de Gilberti damnatione breviùs narrat in vita S. Bernardi. lib. III cap. 5. « Fuit, *inquit*, Gillebertus quem cognominavere Porretanum, Pictavorum Episcopus in sacris litteris plurimùm exercitatus, sed sublimiora se etiam ipse scrutatus ad insipientiam sibi. Siquidem de Sanctæ Trinitatis unitate et Divinitatis simplicitate non simpliciter sentiens, nec fideliter scribens, discipulis suis panes proponebat absconditos, furtivas propinabat aquas, nec facilè quid saperet, imò quantùm desiperet, personis authenticis fatebatur. Timebat enim quod apud Senonas Petrum (*Abælardum*) ei dixisse ferunt :
Tunc tua res agitur, paries cùm proximus ardet.
» Novissimè tamen, cùm jam fidelium super hoc invalesceret scandalum, cresceret murmur, vocatus ad medium est et librum tradere jussus, in quo blasphemias evomuerat graves quidem, sed verborum quodam involucro circumseptas. Igitur in Concilio quod in urbe Remorum Papa venerabilis Eugenius celebravit, egit cominùs adversùs hunc Gillebertum Ecclesiæ sanctæ suo tempore singularis athleta Bernardus : primò quidem totum quod ille verborum cavillationibus occultare nitebatur, eliciens; deinde verò tam suis ratiociniis quàm Sanctorum testimoniis biduanâ disputatione redarguens. Considerans sanè nonnullos ex his qui præsidebant, jam quidem animadvertentes blasphemiam in doctrina, adhuc tamen avertentes injuriam a persona, accensus est zelo, et domesticam sibi Ecclesiam seorsùm convocat Gallicanam. Communi denique consilio a Patribus decem provinciarum, aliis autem Episcopis et Abbatibus plurimis, dictante viro Dei, novis dogmatibus opponitur symbolum novum. Cui etiam subscribuntur nomina singulorum, ut eorum videlicet omnium sicut irreprehensibilis fides, sic irreprehensibilis zelus cæteris innotescat. Ita demùm Apostolico judicio et auctoritate universalis Ecclesiæ error ille damnatur, Episcopus Gillebertus, an eidem damnationi consentiat, interrogatur. Consentiens et publicè refutans quod priùs scripserat et affirmaverat, indulgentiam ipse consequitur, maximè quòd ab initio cautus fuisset eâ lege eamdem ingredi disceptationem, ut promitteret sine ulla se obstinatione pro Ecclesiæ sanctæ arbitrio correcturum liberè suam opinionem. »

Digitized by Google

A rando scandalizantur de prætaxatæ nostræ expeditionis labore, quòd tam arduo et bono inchoata principio tam humilem et non bonum exitum acceperit, ipsis hoc modo respondendum videtur. Nihil verè dici bonum potest, illo solo excepto qui, non aliundè, sed ex se habens quod est, et verissimè esse et verissimè bonus esse dicitur, juxta illud : *Nemo bonus nisi solus Deus ;* cætera verò ab eo, non ex ipsius essentiæ sectione, sed ex ejusdem bonitatis denominatione bona dicuntur.... Ex quo fit a simili propter eamdem causam de prædicta nostra expeditione, quòd si non fuit bona pro dilatatione terminorum vel commoditate corporum, bona tamen fuit ad multarum salutem animarum : sic tamen ut bonum non pro dato naturæ, sed pro utili semper accipias, et ex eo usu hæc emergat subdivisio, ut bonum quandòque simpliciter dici, quandòque secundùm quid, et quandò secundùm quid dicitur, ad diversum usum utilis æquivocari ;
B ita hoc bonum, idem utile quandòque simpliciter, quandòque secundùm quid vocari. Quamvis si dicamus sanctum illum Abbatem spiritu Dei ad excitandos nos afflatum fuisse, sed nos ob superbiam lasciviamque nostram salubria mandata non observantes, meritò rerum personarumve dispendium deportasse, non sit a rationibus vel antiquis exemplis dissonum : quamquam et spiritus Prophetarum non semper subsit Prophetis. Qualiter verò prædictus bonus vir ei libro quem Eugenio Papæ de Consideratione scribens super hac re ad excusationem sui apologeticum interseruerit, curiosus rerum indagator invenire potest (*a*)....

Ex Libro secundo.

Anno ab Incarnatione Domini MC LII,... cùm de eligendo Principe Primates *Cap.* 1.
C consultarent,... tandem ab omnibus Fridericus Suevorum Dux, Friderici Ducis filius, petitur, cunctorum favore in Regem sublimatur....

[Anno MCLVI] sequenti hebdomadâ [post Pentecosten] in civitate orientalis *Cap.* 29.
Franciæ Herbipoli *, regio apparatu, multâ Principum astipulatione junctâ sibi * *Virtzburg.*
Beatrice Rainaldi Comitis filiâ, nuptias celebrat. Rainaldus istè de antiqua et illustri Burgundionum prosapia originem trahens, illius Burgundiæ Comes dicebatur, quæ olim a Rudolfo Rege Imperatori Henrico, Conradi filio, cum

(*a*) Bernardi verba sunt, libro de Consideratione II ad Eugenium Papam, cap. 1 : « Incidimus » (ut ipse nosti) in tempus grave, quod et ipsi » penè vivendi usui videbatur indicere cessatio- » nem, nedum studiis ; cùm scilicet Dominus pro- » vocatus peccatis nostris, ante tempus quodam- » modo visus sit judicasse orbem terræ, in æquitate » quidem, sed misericordiæ suæ oblitus. Non peper- » cit populo suo, non suo nomini. Nonne dicunt » in gentibus : *Ubi est Deus eorum ?* nec mirum. Ec- » clesiæ filii, et qui Christiano censentur nomine, » prostrati sunt in deserto, aut interfecti gladio, » aut fame consumpti. Effusa est contentio super » Principes, et Dominus errare fecit eos in invio, » et non in via. Contritio et infelicitas in viis eo- » rum, pavor et mœror et confusio in penetra- » libus Regum ipsorum. Quàm confusi pedes an- » nunciantium pacem, annunciantium bona ! Di- » ximus, pax, et non est pax : promisimus bona, » et ecce turbatio. Quasi verò temeritate in opere » isto, aut levitate usi simus. Cucurrimus planè » in eo, non quasi in incertum, sed jubente te, » immò per te Deo. Quare ergo jejunavimus, et » non aspexit ? Humiliavimus animas nostras, et » nescivit ? Nam in his omnibus non est aversus » furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta. Quàm » patienter interim adhuc audit voces sacrilegas » et Ægyptios blasphemantes, quia callidè edu- » xit eos, ut occideret in deserto ? Et quidem » judicia Domini vera : Quis nesciat ? At judi- » cium hoc abyssus tanta, ut videar mihi non » immeritò pronunciare beatum, qui non fuerit » scandalizatus in eo.

» Et quomodò tamen humana temeritas audet » reprehendere, quod minimè comprehendere » valet ? Recordemur supernorum judiciorum, » quæ a sæculo sunt, si fortè sit consolatio. Nam » quidam ita dixit : *Memor fui judiciorum tuorum a* » *sæculo, Domine, et consolatus sum.* Rem dico » ignotam nemini, et nunc nemini notam. Nempe » sic se habent mortalium corda : quod scimus » cùm necesse non est, in necessitate nescimus. » Moyses educturus populum de terra Ægypti, » meliorem illis pollicitus est terram. Nam quandò » ipsum aliter sequeretur populus, solam sapiens » terram ? Eduxit ; eductos tamen in terram, » quam promiserat, non introduxit. Nec est quod » ducis temeritati imputari queat tristis et inopi- » natus eventus. Omnia faciebat, Domino impe- » rante, Domino cooperante, et opus confirmante » sequentibus signis. Sed populus ille, inquis, » duræ cervicis fuit, semper contentiosè agens » contra Dominum et Moysen servum ejus. Benè : » illi increduli et rebelles ; hi autem quid ? ipsos » interroga. Quid me dicere opus est, quod fa- » tentur ipsi ? Dico ego unum. Quid poterant fa- » cere, qui semper revertebantur, cum ambula- » rent ? Quandò et isti per totam viam non redie- » runt corde in Ægyptum ? Quòd si illi cecide- » runt, et perierunt propter iniquitatem suam : » miramur istos eadem facientes, eadem passos ? » Sed numquid illorum casus adversùs promissa » Dei ? Ergo nec istorum. Neque enim aliquandò » promissiones Dei justitiæ Dei præjudicant.... .

» Sed dicunt forsitan isti : unde scimus quòd a » Domino sermo egressus sit ? Quæ signa tu facis, » ut credamus tibi ? Non est quod ad ista ipse » respondeam : parcendum verecundiæ meæ. Res- » ponde tu pro me et pro teipso, secundùm ea » quæ audisti et vidisti, aut certè secundùm quod » tibi inspiraverit Deus.... Sed tu secundùm sa- » pientiam et potestatem datam tibi desuper, fa- » cies de hoc. Non est meæ humilitatis dictare tibi » sic vel sic fieri quicquam. Sufficit intimasse opor- » tere aliquid fieri, unde et Ecclesia consoletur, » et obstruatur os loquentium iniqua. Hæc pauca » vice apologiæ dicta sint, ut ipsa qualiacumque » habeat conscientia tua ex me, unde habeat » me excusatum et te pariter, etsi non apud eos » qui facta ex eventibus æstimant, certè apud » teipsum ».

Digitized by Google

testamento relicta, regnum erat. Hæc eadem provincia est, a qua Conradus Dux A
ejusque filius Bertolfus Duces vocari consueverunt. Quæ verò hujus disceptationis causa fuerit paucis absolvam.

Mos in illa, qui penè in omnibus Galliæ provinciis servatur, remansit quòd semper seniori fratri, ejusque liberis seu maribus seu fœminis, paternæ hæreditatis cedat auctoritas, cæteris ad illum tanquam ad dominum respicientibus : ex qua consuetudine factum est ut Guillelmus qui dicebatur puer, hujus ex parte patris consanguineus, Conradi verò Ducis sororis filius, rerum summam, dum adhuc viveret, in illa provincia haberet. Quo fraude suorum rebus humanis (*a*) exempto, Rainaldo Comiti (*b*) jure hæreditario dominium cessit. Actum est hoc sub Henrico V, seu Lothario II. Verùm prædictus Comes nimis justitiæ suæ confisus (erat enim homo lenis et ex nimia lenitate remissus) curias (*c*) Principis adire neglexit : ex quo factum est ut indignatione motus Princeps prædictam terram B
Conrado Duci [Zaringiæ] concederet, sicque uterque vicina sibi vindicaret loca. Longâ itaque concertatione, in tantùm ut etiam in campo congressu publico ab eis pugnaretur, penè usque in præsentiarum deducta est hæc controversia, donec recenter ab Imperatore, sicut cognovimus, eo tenore decisa est : quòd Bertolfus prædicti Conradi filius in negotii transactionem tres civitates inter Juram et Montem-Jovis, Losannam, Gebennam et N. accepit, cæteris omnibus Imperatrici relictis. Protenditur enim hæc provincia penè a Basilea, id est, a castro quod Monsbiliardi vocatur, usque ad Isaram fluvium,... junctam habens dominatui suo eam terram quæ propriè Provincia vocatur, et ab eo flumine porrigitur usque ad ea loca quà Rodanus mari recipitur, et Arelatum civitas sita est. At Reinaldus iste Simonis Lotharingiorum Ducis filiam [Agatham] ducens, ab ea tantùm hanc puellam [Beatricem] suscepit, eamque non multò C
post moriens, secundùm prædictum morem totius terræ suæ hæredem reliquit : quam Imperator, ut ostensum est, in matrimonio sortitus, non solùm Burgundiam, sed et Provinciam, Imperio jamdiu alienatas, sub uxoris titulo (ut postmodùm pleniùs dicetur) familiariter possidere cœpit....

(*a*) Guillelmus Puer an. 1127, feriâ tertiâ secundæ hebdomadæ Quadragesimæ, id est, die 1 Martii secundùm Anselmum Gemblac. a duobus sicariis e medio sublatus est Paterniaci, in templo dum oraret. Fallitur proinde Dunodus dum illius necem ad præcedentis mensis diem nonum retrahit.

(*b*) Rainaldus Stephani et Beatricis filius, Guillelmi Magni Burgundiæ Comitis ex patre nepos erat : atque adeò Guillelmi Pueri patruelis hæres proximus.

(*c*) « Otto Frisingensis, inquit Schœpflinus. *Hist. Zaringo-Bad.* T. I., p. 107, Friderici I Imperatoris » patruus, qui biennio post nuptias Beatricis cum » eodem Friderico obiit, Imperatoris socerum (Rai- » naldum) excusaturus, causam iræ Lotharii Im- » peratoris in Rainaldum allegat, quòd *neglexerit* » *curias Regis adire.* Sed verior est quam tradit » Guntherus in *Ligurino*, lib. v, *v.* 290, affecta- » tio suprematûs quem in Burgundiæ Comitatu » sibi arrogavit Rainaldus; ita enim canit :

Jure suo nimiùm et claro sanguine fretus,
Teutonicos Reges edictaque sæpè vocatus
Sprevit, et Allobroges aliis sub Regibus esse
Indignum reputans, nimiùm memor ille vetustæ
Libertatis erat, Regemque superbus agebat.
Donec ob innumeros fastus sententia tandem
Ultrices in eum deprompsit regia vires,
Ereptamque viro regni sub judice terram
Nomine Chunrado fisci concessit habendam.

» Fisco itaque (pergit Schœpflinus) addictus fuit » a Cæsare Comitatus Burgundiæ; sed cùm pri- » mo Lotharii Imperatoris anno in Ratisbonensibus » Comitiis, teste Dodechino in append. ad Ma- » rianum Scotum, anno 1125, decretum fuerit » prædia proscriptorum a Rege, *si justè forisfac-* » *toribus abjudicata fuerint, regiminis subjacere editioni,* » *non Regis proprietati,* Lotharius Comitatum Bur- » gundiæ non sibi vel suæ domui servavit, sed » proximo cognato addixit, quòd proximus ag- » natus eo se indignum reddiderat..... Armis ergo » (pag. 110-111) apud Burgundos certatum. Re- » ginaldus post acre cum Conrado bellum captus » Argentinam ad Comitia imperii ductus, a Prin- » cipibus indolem ejus mirantibus libertate do- » natus, in Burgundiæ Comitatum rediit, qui » ab hoc tempore liberi Comitatûs nomine ap- » pellari videtur cœpisse; quòd Comites majori » præ aliis libertate, incolæ verò præstantioribus » juribus quàm alii Comitatenses fruerentur.... » Rainaldus Comes (pag. 117-118) Lothario Imp. » olim infestus, in Conradum quoque non minùs » superbus cùm esset, hic terras ejus Conrado » Zaringensi denuò addixit. Pertinax inde bellum » tanto cum ardore continuatum, ut Rainaldus » atque Conradus Dux ad singulare certamen de- » nique fuerint progressi. Neuter belli finem cons- » pexit. Rainaldus anno 1148; quadriennio post » Conradus noster et Cæsar extincti sunt.... Quum » autem (p. 127) anno 1156 Cæsar (Fridericus) » Herbipoli Beatricem (Rainaldi filiam et hære- » dem) duxisset uxorem, cum Bertholdo (Con- » radi filio) ita transegit, ut ea Burgundiæ Co- » mitatum retineret; Burgundia Transjurana verò » penès Bertholdum maneret; quidquid autem » in veteri Arelatensi regno, propriè olim ita dicto, » Bertholdus imperii nomine hucusque tenuerat, » id omne restitueretur imperio. Ita non modò » Comitatûs Burgundiæ, sed et Arelatensis regni, » quod olim *Provinciale* vocabatur, Rectoratum » Bertholdus amisit. In compensationem tres ci- » vitates ei a Cæsare traditas fuisse Otto Frising. » nos docet; sed ex illis nonnisi Lausannam et » Gebennam nominat. Tertiam quæ Sedunum est, » ex ejus continuatore Ottone de S. Blasio sup- » plemus, qui ad an. 1167 ita scribit : Fridericus » Imperator *Burgundiam ingressus terram soceri sui,* » *Reginaldi Comitis, qui jam obierat, in ditionem* » *suam redegit, ac regnum Burgundiæ cum Archiso-* » *lio Arelatensi, quod Duces de* Zeringen, *quamvis* » *sine fructu, tantùm honore nominis, jure beneficii ab* » *imperio jam tenuerant, a Bertolfo Duce extorsit :* » *præstitis sibi trium Episcopatuum Advocatiis cum in-* » *vestitura regalium, scilicet Lausanensis, Genevensis,* » *Sedunensis.*

Digitized by Google

EX RADEVICI FRISINGENSIS CANONICI

APPENDICE AD OTTONEM FRISINGENSEM.

Ex Libro primo.

Anno ab Incarnatione Domini MCLVII] mense Octobri mediante, Imperator apud Bisuntium Curiam celebraturus in Burgundiam iter aggreditur. Est autem Bisuntium una Metropoleos ejus terræ partis, in qua Imperator gloriosus Carolus Magnus suum inter tres filios suos, omnes regio nomine gaudentes, divisit imperium, sita super amnem Touba *. In qua civitate penè omnibus Proceribus terræ illius adunatis, multis quoque exterarum gentium, utpotè Romanis, Apulis, Tuscis, Venetis, Italis, Francis, Anglis et Hispanis, per legatos suos Imperatoris adventum præstolantibus, festivissimo apparatu et solemni favore excipitur. Tota siquidem terra eumdem fortissimum cognoscens et clementissimum, amore pariter et timore permixto, novis illum fascibus honorare, novis laudibus attollere satagebat.... *Cap.* 8.

* Dubis, *le Doux.*

His ita gestis, Fridericus ad ordinanda Imperii negotia in regno Burgundiæ animum intendit. Cùmque Burgundia aliquandò per se fortes Reges habuisset, et per eos suis gentibus præcepta dare solita fuisset; ex appetitu libertatis quæ, ut dicitur, res inæstimabilis est, jamdudum insolentiam et desuetudinem induerat obsequendi. Ea itaque terra quæ non nisi multo labore ac bellico sudore subigenda putabatur, ita, Deo ordinante, paruit, quòd, nisi alia in regno disponenda inevitabiliter Imperatorem retraxissent, familiariter et cum paucis usque Arelatum sedem regni Burgundiæ procedere potuisset. Denique (quod modò viventium excedit memoriam hominum aliquandò contigisse) Stephanus Viennensis Archiepiscopus et Archicancellarius de Burgundia, et Eraclius Archiepiscopus et Primas Lugdunensis, et Odo Valentinensis Episcopus, et Gaufredus Avenionensis, et Silvio * magnus Princeps et præpotens de Claria * tunc ad Curiam venientes, Friderico fidelitatem fecerunt atque hominium, et beneficia sua de manu illius reverenter susceperunt. Arelatensis autem Archiepiscopus et alii omnes Archiepiscopi, Episcopi, Primates et nobiles venissent, idemque fecissent, nisi mora Principem adeundi compendio suæ brevitatis præstitisset impedimentum. Missis tamen per honestos valdè et industrios nuncios litteris, omnimodam subjectionem et debitam fidelitatem imperio Romano compromiserunt. *Cap.* 11.

* Silvanus.
* *de Claisieu.*

Ludovicus Rex Francorum usque Duinum * occurrerat ad colloquium Imperatoris; sed eo versùs Alemanniam iter agente, cœptum non processit. Directis autem uterque Principum nunciis, Imperator quidem Cancellario suo prænominato Reinaldo et Comite Udalrico de *Lenzeburg*, Rex verò etiam suo Cancellario magistro Alderico, sese per illos mutuò salutarunt. Reliquum legationis, ut videbatur quidem, utilitati, re autem verâ Regali potiùs fastui studere utrinque videbatur. Nam (sicut egomet, referente venerabili viro Henrico Trecense Episcopo, cognovi) Ludovicus, audito quòd strenuè partibus illis Fridericus prævaluisset, pertimuit; nec jam ad colloquium quod suspectum habebat, sed ad bellum se ratus proficisci, clanculùm non parvas copias collegerat, adeò quòd novem Episcopos cum sua militia unâ nocte in Trecensi civitate tunc hospitasse memoratus Præsul memoraret. Cùmque tota terra illa non minimo metu nutaret, ipsa trepidatio nobis pro victoria putabatur (*a*).

* *Leg.* Divionem.

Reversus de Burgundia Imperator, rebus feliciter gestis, prædiisque conjugis suæ Imperatricis, de qua supra dictum est, ad arbitrium suum dispositis, in Saxoniam iter flectit, diesque Nativitatis Domini in civitate *Magdeburg* celebravit.... *Cap.* 12.

Ex Libro secundo.

Eodem tempore, vel potius iisdem diebus * ,.... nuncii quoque Ludovici *Cap.* 22.

* An. 1158.

(*a*) De hoc itinere Burgundico Ludovici anno 1157 suscepto altum apud cæteros Historicos silentium, nisi dicatur Radewicus illud confudisse cum itinere quod anno 1162, rogante Friderico, aggressus est, ac Lovigennam ad Ararim usque produxit, cum Imperatore de comprimendo schismate Romano collocuturus. Verùm absit ejusmodi ab auctore coævo et gravi tam supinus prochronismus, quo itineris et colloquii causa penitùs mutaretur.

Digitized by Google

Regis Francorum et Henrici Regis Angliæ , cùm post unos et alii supervenissent, uterque Fridericum in partem ac favorem sui Principis inclinare multis verborum delinimentis ac muneribus concertabant. Inter hos siquidem Reges, ex eo tempore quo inter Ludovicum et thori sui sociam factum est divortium , eaque præfato Anglorum Principi superbis adhæsit nuptiis , sive occasione dirimendorum inter se finium , sive quodam alio latentiore zelo , continuæ simultates et dissensiones ortæ sunt : magnumque sibi credidit auxilium accessisse , quisquis eorum sibi Romani Principis conciliare potuisset auctoritatem.... A

Cap. 43. * An. 1159. Eâ tempestate Adrianus Papa in Kal. Septembris * apud Anagniam diem clausit extremum.... Post cujus obitum Cardinales in seditionem conversi , geminâ electione scindunt unitatem , quibusdam eligentibus Octavianum tituli sanctæ Ceciliæ Presbyterum Cardinalem , cui nomen dederunt Victor ; aliis Rolandum tituli S. Marci Presbyterum Cardinalem et Romanæ Ecclesiæ Cancellarium , cui nomen imposuerunt Alexander.... B

Cap. 54. Fridericus ancipiti malo novi schismatis permotus , consilio Principum decrevit dare operam ne quid exinde seu status Ecclesiæ seu respublica Imperii detrimentum caperet (*a*). Audiens itaque utrumque Electum in Episcopatûs ordine consecratum , alterum ab altero excommunicationis sententiâ condemnatum , sine judicio Ecclesiæ controversiam terminari posse non putavit. Auctoritatem autem congregandi Concilii exemplo antiquorum Imperatorum , verbi causâ , Justiniani , Theodosii , Caroli , sibi congruere putans , litisque decisionem legitimam esse non posse , nisi partibus hinc inde congregatis , considerans , ad citationem amborum venerabiles viros et prudentes , Danielem Pragensem et Hermannum Verdensem Episcopos , dirigit....

Cap. 64. An. 1160. Tempus erat quo Concilium Papiæ indictum celebrandum fuerat , idque de universis regni partibus , videlicet cisalpinis et transalpinis , in unum collecti Archiepiscopi et Episcopi , aliique Ecclesiarum Prælati pendulâ expectatione opperiebantur. Tum Augustus commonens omnes jejuniorum et orationum subsidiis Ecclesiæ Catholicæ causam Deo commendari , cum Sacerdotibus et omni populo auxilium divinum fidâ Sanctorum intercessione poscebat. Deinde convocato in unum Concilio , cùm resedisset , ait ad Episcopos : « Quamvis noverim officio ac dignitate Imperii penès nos esse potestatem congregandorum Conciliorum , præsertim in tantis Ecclesiæ periculis ; (hoc enim et Constantinus et Theodosius , necnon Justinianus , seu recentioris memoriæ Carolus Magnus et Otto imperatores fecisse memorantur) auctoritatem tamen definiendi hujus maximi et summi negotii vestræ prudentiæ vestræque potestati committo. Deus enim constituit vos Sacerdotes , et potestatem vobis dedit de nobis quoque judicandi. Et quia in his quæ ad Deum sunt non est nostrum de vobis judicare ; tales vos et taliter in hac causa hortamur habere , tanquam solius Dei de vobis expectantes judicium ». Cùm hæc dixisset , ipse Concilio se subtraxit , examen totum Ecclesiæ et ecclesiasticis , quæ ibi innumerabiles erant , committens personis. Erant autem circiter quinquaginta Archiepiscopi et Episcopi , Abbatum et Præpositorum non erat præ multitudine æstimatio. Legati quoque diversarum (*b*) terrarum aderant , spondentes quidquid a Synodo decretum foret , indubitanter a suis recipiendum. C D

(*a*) Radevicum in Fridericum Teutonicosque impensiùs æquo proclivem nemo est, nisi penitùs horum temporum historiæ rudis, qui non animadvertat.

(*b*) Inter cæteros aderant Legati Regis Franciæ , ut colligitur ex epistola cujusdam religiosi viri ad Episcopum Saltzburgensem , ibid. pag. 554. *Curia, quæ in Octavis Epiphaniæ Papiæ fuerat indicta, usque in* VI *feriam proximam ante caput jejunii , quia in destructione Cremæ dominus Imperator detinebatur , est dilata : in qua confidentibus domino Patriarcha , Archiepiscopis et diversarum terrarum ferè quinquaginta Episcopis , legatis quoque Regis Franciæ et Archiepiscoporum, Arelatensis scilicet, Lugdunensis, Viennensis, Bisuntini atque Treverensis,... absentes omnes quos prænotavimus Archiepiscopi, pro se et suis suffraganeis plenariè consenserunt, excepto Treverense, qui cùm iter cœpisset , infirmitate præpeditus excusatorias tantummodò litteras direxerat. Præsentes autem ejus suffraganei , Tullensis et Virdunensis, pro se et consuffraganeo suo Metense in integrum spoponderunt. Pro confirmandis omnibus quæ facta sunt, mittuntur legati, dominus Coloniensis in Franciam, etc.* In epistola quoque Babenbergensis Episcopi , legitur : *Nuncius Regis Franciæ promisit pro eo neutrum se recepturum, usque dum nuncios Imperatoris recipiat. Nuncius Regis Anglorum idem velle et idem nolle promisit, tam in his quàm in aliis Arelatensis , Viennensis , Lugdunênsis , Bisuntinus per litteras et per nuncios consenserunt. Solus Treverensis de regno nostro superest in parte illa de numero Archiepiscoporum, qui non consenserit; ejus tamen suffraganei omnes consenserunt.* Attamen in subscriptionibus , quæ leguntur post epistolam Synodicam , nulla fit mentio Legatorum Regis Franciæ , fortassis quòd nondum acquievissent , et essent in pendulo. Verùm istas invenies subscriptiones : *Bisuntinus Archiepiscopus per legatum et Episcopum Basileensem consensit. Arelatensis Archiepiscopus consensit. Lugdunensis Archiepiscopus cum suis suffraganeis consensit. Viennensis Archiepiscopus cum suis suffraganeis consensit. Henricus Rex Anglorum per litteras et legatos suos consensit.*

Residentibus

Digitized by Google

A Residentibus itaque Episcopis et Clero universo, septem diebus causa ventilata est; tandemque domino Octaviano, qui cùm præsens advenisset et haberet qui partem suam defenderent, cessit litis victoria, et pro ipso Concilium sive curia dedit sententiam: condemnato Rolando et reprobato, qui citatus legitimè Concilio se præsentare contumaciter abnuisse dicebatur (a). *Cap.* 65.

(a) De hoc conventu hæc habet chronicon Reicherspergense ad annum 1160. *Crema capta, destructa et cremata est. Quo facto, Imperator statim Papiam venit cum Episcopis et Principibus qui congregati erant, et in Nonis Februarii curiæ et colloquii initium habetur, et per sex dies in hoc demorantur: fuitque dissensio aliqua inter ipsos, quibusdam hunc, quibusdam illum confirmare volentibus. Tertio itaque Idus Februarii, quia nec Alexander venerat, nec Legati ejus, nec aliqùis pro parte ejus firmiter stabat, Imperator omnes Episcopos convocans in hunc eos consensum deduxit, ut omnes Victorem Papam susciperent, et statim sequenti die* II *Kal. Februarii* (legendum, inquit Pagius, II Idus Februarii) *ab ipso Imperatore et Episcopis suscipitur in Monasterio S. Syri.*

B

EX ACTIS (a) PONTIFICATUS ALEXANDRI PAPÆ III.

Apud Muratorium T. III. Rerum Italicarum parte I, p. 451.

In secundo anno * sui Pontificatûs Alexander Papa reversus est ad urbem Romam, ubi Ecclesiam S. Mariæ novæ, auctore Domino, solemniter dedicavit. Quia verò diutiùs ibidem propter magnam schismaticorum seditionem quietè non potuit remanere,... consilium habuit cum Ecclesiæ fidelibus, ut ad partes Galliarum cum Fratribus suis per mare transitum faceret. Ordinato itaque in urbe Vicario domno Julio Prænestrino Episcopo, et dispositis aliis quæ videbantur C Ecclesiæ necessaria, intraturus mare cum Fratribus suis Terracinam perrexit, ibique invenit quatuor galeas Regis Siciliæ optimè præparatas, quas illuc ad ejus servitium destinaverat: in quibus domestica familia Pontificis et Fratrum suorum cum sarcinis necessariis vix intraverat, cùm validus ventus subitò irruit et mare quietum in validam tempestatem convertit, ipsasque naves inter undarum procellas et turbines conquassatas in saxea littoris impulit, ubi absque morte hominum et aliarum rerum damno dissolutæ sunt, et omninò confractæ. Propterea dispositum iter Pontificis eo tempore sic disturbatum et impeditum remansit. Sed modico temporis spatio decurrente, reparatis navibus et præparatis aliis quæ ad ipsum iter necessaria videbantur, infra Octavas Nativitatis Dominicæ juxta Montem-Circeium * in faucibus Legulæ cum Fratribus suis mare intravit, et in festo D S. Agnetis * apud Januam, remigante Domino, applicuit, ubi contra prohibitionem Friderici persecutoris Ecclesiæ ab universo Clero et populo cum gloria et honore susceptus est atque tractatus. Exivit ergo a Janua in Dominica de Passione, cum omni jucunditate navigavit, et venit ad insulam de Liguris * in Sabbato Palmarum, ubi præ nimia tempestate maris coactus est Resurrectionem Dominicam celebrare. Sequente verò quartâ feriâ pervenit ad Ecclesiam Magalonensem, in qua majus altare, auctore Domino, solemniter dedicavit. Et quoniam locus ipse pro suscipiendis hospitibus nimiùm erat arctus, et multitudo maxima Ecclesiasticorum Prælatorum adventum ejusdem Pontificis extra insulam nimio præstolabatur affectu, ad populosam Montis-pessulani villam ascendere dignum duxit. * An 1161.

* Monte-Circello. * An. 1162.

* *f.* Lirinensem.

Albo itaque palefredo et cæteris Pontificalibus insigniis de more præparatis, *Pag.* 452. E Alexander Papa equum præ nimia populorum frequentia vix ascendere potuit, et viam in directum tenere. Tanta enim cunctorum ad ejus vestigia concurrentium improba et importuna erat impressio, ut beatum se crederet qui vel fimbriam clamydis ejus non sine multo conamine posset attingere. Occurrente igitur sibi W. [Guillelmo VII] domino villæ ipsius cum Baronibus et decora militia, et officium stratoris per milliarium exhibente, cum processione maxima eamdem villam intravit, ibique inter cæteros nobiles qui accedebant ad ejus vestigia, quidam Saracenorum industrius Princeps cum sociis suis reverenter accessit; et

(a) Nicolaus Rossellius, Cardinalis Aragonius, qui sub Innocentio VI Pontifice maximo floruit, scripsit commentarium de Romanis Pontificibus, id est, vitas Romanorum Pontificum a coævis aut saltem vicinis scriptoribus ac præcipuè Bibliothecariis S. R. E. scriptas collegit, incipiens a Leone IX. Eâ collectione sæpiùs usus est Baronius, qui et res gestas Alexandri III ex eodem penu descripsit in Annalibus suis ad an. 1162.

Digitized by Google

deosculatis pedibus ejus, fixit genua coram eo, et inclinato capite tanquam sanc- A
tum et pium Christianorum Deum ipsum Pontificem adoravit.... Videntes autem hæc universi qui aderant in conspectu ejusdem Pontificis, valdè mirabantur,
Psal. LXXI. 11. et dicebant ad invicem illud propheticum verbum : *Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes servient ei.* Adveniente autem Dominicâ die, Pontifex ad majorem Ecclesiam Missarum solemnia celebraturus accessit; et undique virorum ac mulierum immensâ confluente multitudine, post sermonem ad populum, post veridicam electionis suæ narrationem ac schismaticorum procacem perfidiam, in personas Octaviani hæresiarchæ et Friderici Imperatoris dicti, eorumque complicum excommunicationis sententiam solemniter innovavit.

Eo tempore in tota Aquitania et circumpositis locis valida fames in tantum excrevit, ut præ nimia ciborum indigentia infinita hominum multitudo morte inevitabili deperiret : unde universos Gallos vehemens timor invasit ne ipsorum B
terras consimilis cruciatus invaderet. Pontifex (*a*) autem adventum suum Regi Francorum significare curans, duos ex Fratribus suis, B. [Bernardum] videlicet Portuensem Episcopum et J. [Jacinthum] Diaconum Cardinalem S. Mariæ in *Cosmedin*, ad ejus præsentiam (*b*) delegavit, quatenùs voluntate ipsius præcognitâ, certificaretur ad quas regiones sui regni de ipsius consilio accederet moraturus : quos idem Rex pro B. Petri reverentia reverenter suscepit, honestè tractavit; et habito consilio ad domnum Alexandrum quem in patrem et Pastorem animæ suæ jam acceperat, eos cum læto responso et multa jucunditate remisit. Eis itaque ad præsentiam domini sui et collegium Fratrum suorum redeuntibus, et expositis iis quæ in responsis ab ipso Rege acceperant, gavisi sunt omnes gaudio magno. Exivit ergo Pontifex a Monte-pessulano in proximo mense
* An. 1162. Junii *, et per Alestam atque Mimatum (*c*) et Anicium transitum faciens, Al- C
vérniæ partes intravit, et in vigilia Assumptionis B. Mariæ apud Clarum-montem cum omni prosperitate, Domino ductore, pervenit.

Interea Fridericus videns totum mundum post Alexandrum currere, orthodoxos Reges et Principes orbis ei tanquam Romano Pontifici honorem et reverentiam exhibere, tabescebat in se ipso, et propriâ eum accusante conscientiâ, confundebatur et terrebatur. Verecundabatur autem ab incœpto malo desistere, quia præ cæteris antecessoribus suis fortis et potentissimus erat, et ferè totam Italiam sibi jam subjugaverat; ex alia verò parte dubitabat plurimùm ac timebat de amissione Imperialis coronæ, si Alexander suis temporibus prævaleret. Positus ergo in tantæ ambiguitatis lubrico apud se cogitavit, sicut homo hujus sæculi prudentissimus, sagax et callidus, qualiter posset Alexandrum et idolum suum judicio universalis Ecclesiæ pariter dejicere, atque personam tertiam in Roma- D
num Pontificem ordinare. Et quoniam uniuscujusque proprium esse solet ut, qualis ipse fuerit, tales sibi conjungere velit, adscivit Comitem Henricum Trecensem, de quo maximè confidebat; et revelans ei cogitatus suos, traxit ipsum ad voluntatem suam, et coadjutorem atque cooperatorem suæ deliberationis fecit. Comes autem taliter ab Imperatore instructus et informatus, ad propria rediit; et accedens sicut tentator ad dominum suum Regem Francorum, virum siquidem pium et columbinæ simplicitatis, fraudulenter suggessit ei ex parte ipsius Imperatoris bonum simulatum de reformanda pace Romanæ Ecclesiæ, in hæc verba : « Vult Imperator contemplatione divini amoris hoc bonum opus vobis- » cum hoc modo agere, ut vos duo majores Principes orbis conveniatis in unum

(*a*) Apud Baronium. *Qua de causa Pontifex*, etc.

(*b*) An prædicti Cardinales reipsâ missi sint, dubitandi ansam præbet Alexandri epistola ad Ludovicum VII; ait enim : « Postquam ad Montem- » pessulanum, in quo magnificè et honorificè a » Clero et populo recepti fuimus, venissemus, » venerabilem Fratrem nostrum B. Portuensem » Episcopum et dilectum filium nostrum J. Dia- » conum Cardinalem Ecclesiæ S. Mariæ in *Cosme- » din* ad tuam præsentiam mittere disposueramus. » Postea verò ex relatione dilecti filii nostri O. S. » Nicolai in carcere Tulliano Diaconi Cardinalis, » ad sedem Apostolicam redeuntis, de statu terræ » illius pleniùs cognoscentes, mutato consilio, » venerabiles Fratres nostros Henricum Remen- » sem Archiepiscopum, et Lingonensem et Sil- » vanectensem Episcopos ad te duximus delegan- » dos, rogantes, monentes et exhortantes in Do- » mino, quatinùs eos clementer et benignè reci- » pias, et his quæ prudentiæ Regiæ unà cum di- » lecto filio nostro . . . Abbate Grandis-silvæ ex » parte nostra insinuare studuerint, fidem adhi- » beas, tanquam ab ore nostro discretioni tuæ » fuerint intimata, et ea, sicut de tua sublimi- » tate confidimus, utili studeas effectui manci- » pare ». (*Labbe, Concil. T. X, col.* 1317.)

(*c*) Ed. Miniatum (*Mende.*) Versabatur illic Alexander 24 Julii, quo die scripsit ad Hugonem Suessionensem Episcopum, rogans ut Ludovicum VII a colloquio quod cum Imperatore Frederico inire disposuerat, absterrere omni operâ conaretur. Necdum illinc abscesserat Pontifex die 29 ejusdem mensis, ut apparet ex Bulla quam ibidem hoc ipso die in gratiam Monasterii Bonævallis apud Ruthenos edidit. (*Vaissete, Hist. de Languedoc T. II. p.* 491.)

Digitized by Google

A » apud Divionem in confinio regni vestri et imperii sui , cum majoribus per-
» sonis tam Clericis quàm laïcis imperii et regni vestri ; et ipse quidem adducet
» secum Octavianum cum sequacibus suis , et vos Alexandrum cum suis nihil-
» ominùs vobiscum habeatis. Postquam verò vos duo cum utraque parte in præ-
» sentia tantorum virorum conveneritis , et electio utrorumque diligenter audita
» et cognita fuerit , per congregatam illic Ecclesiam Gallicanam , Italicam et
» Teutonicam , decernatur de utroque quod justè videbitur decernendum , et
» statuatur in Romana Ecclesia quod melius et utilius videbitur statuendum et
» ordinandum ». Et quoniam bonus visus est sermo iste de reformanda pace Ec-
clesiæ prædicto Regi , sicut vero Israëlitæ in quo dolus non est , quoniam de ipsa
discordia mala plurima per omnes Ecclesias pullulabant , in bona simplicitate
sua consensit persuasionibus Comitis , promittens ei ut ex parte sua Imperatori
B securitatem præstaret super iis quæ sibi suggesserat. Comes , igitur ex impetratis
lætatus , illicò rediit ad eumdem Imperatorem in Lombardia existentem , et fecit
ei juramentum ex parte domini sui Regis , sicut dictum est superiùs.

Exiit ergo sermo iste malus per universas Italiæ et Galliarum provincias , do-
lentibus Catholicis et timentibus in facto ipso , nisi Dominus dissipasset consilium
istud præmeditatum adversùs antiquam Ecclesiæ libertatem. Appropinquante au-
tem statutâ die (*a*) , cum universa multitudine Principum suorum ac militum
armatorum Fridericus Imperator accessit ad locum , et Octavianus cum schola
complicum suorum secutus est eum. Rex quoque Francorum cum Primatibus et
Episcopis atque Baronibus suis ad eumdem locum nihilominùs festinabat , et Ale-
xandrum Pontificem apud Silvianum * habuit obvium : in quo loco sese ad in- * *Souvigni. Pag.* 453.
vicem honorantes , ut simul ad colloquium ipsum proficiscerentur per biduum
C tractaverunt. Sed quoniam omninò videbatur indignum et sanctorum Patrum
statutis contrarium , ut summus Pontifex et prima sedes aliquod deberet huma-
num subire judicium , visum est omnibus ut de melioribus Ecclesiæ Romanæ
personis cum eodem Rege mitterentur illuc , eâ tantummodò causâ ut per eos
electio domni Alexandri canonica monstraretur et justa , et factum Octaviani
posterius et nullius fuisse momenti nihilominùs probaretur. Missi sunt ergo a
Pontifice B. [Bernardus] Portuensis Episcopus , Hu. [Hubaldus] tituli S.
Crucis , J. [Joannes] titulo S. Anastasiæ , Presbyteri , J. [Iacinthus] S. Mariæ
in *Cosmedin* , et A. [Ardicio] titulo S. Theodori , Diaconi Cardinales , cum
eodem Rege ad supradictum locum ; et illis abeuntibus , Pontifex cum reliquis
Fratribus in partibus Aquitaniæ ad Monasterium Dolense divertit.

Rex autem comitatus tantis et tam principalibus personis , postquam pervenit
D apud Divionem , processit usque ad medium Pontis-Saonis (*b*) qui Teutonicos
a Francigenis dirimebat , expectans quid sibi de causa Ecclesiæ Imperator vellet
proponere. Tunc Hæresiarcha Octavianus videns majores Ecclesiæ Romanæ per-
sonas cum Ecclesia Gallicana contra opinionem suam venisse et adversùs se cons-
tantissimè stare , valdè perterritus est , et de suo facto cœpit penitùs desperare.
Quocirca vertens se ad Imperatorem dixit ei : « Ille adversarius meus dedignatus
» est venire , et tu causam meam , quæ in conspectu tuo judicata est et in Concilio
» Laudensi approbata , permittis iterùm judiçari et retractari » ? Tunc Imperator
attendens vultum ipsius Octaviani valdè turbatum , visus est moveri adversùs
Regem Francorum , loquens ei per internuncios in hæc verba : « Ecce jam videris
» me decepisse et contra juramentum conventionis manifestè venisse , cùm illum
» Papam tuum , sicut promisisti , ad hunc locum non adduxisti ». Cui Rex , ha-
E bito consilio , in hunc modum respondit : « Quamvis absentiam Pontificis justè
» et rationabiliter valeam excusare ; ne tamen honori commissi mihi regni et
» meæ famæ in aliquo derogetur , et ne fallaciæ notam justè vel injustè possim in-
» currere , ego absque mora ipsum Pontificem cum Fratribus suis ad hunc locum
» absque dolo et fraude vocabo et adesse faciam ». Misit itaque Rex citissimè ,
sicut promiserat , nuncios certos ad Alexandrum , ut cum Fratribus suis ad eum
sine mora veniret , nisi vellet eum in captione Imperatoris , prout inter eos sta-
tutum fuerat , detineri. Quo audito , Pontifex et Fratres ejus attendentes Regem
Francorum dolosis circumventionibus fuisse deceptum , valdè in seipsis turbati

(*a*) Nempè die festo Decollationis S. Joannis Baptistæ, seu 29 Augusti.

(*b*) Colloquium illud habitum est *apud Lovigenam* (S. Jean de Laône) *vicum citra Ararim fluvium, intra fines regni Franciæ,* ex Hugone Pictavino in historia Vizeliacensi.

Digitized by Google

sunt, et prospicientes gravissima undique sibi imminere pericula, timore magno timuerunt; si enim illuc humanum subituri judicium pergerent, Ecclesiæ libertatem per violentiam periclitari cernebant; quòd si non irent, per detentionem Regis certa personarum captivatio eis, et rerum imminere spoliatio videbatur. Sanè maxima ipsius Imperatoris potentia terribilis erat et nimiùm formidanda: quippè ad hoc Daniæ et Bohœmiæ Reges (*a*) cum Ducibus et Principibus suis et cum magna multitudine armatorùm militum, sicut credebatur, illuc secum adduxerat, ut de prædicto Pontifice et de Francorum Rege, quod malè jamdiu excogitaverat, in ipso colloquio posset juxta suum desiderium consummare. Sed pius ac misericors Dominus, qui non derelinquit sperantes in se et prava dissipat consilia Principum, non est passus eumdem Pontificem et pium Regem Francorum in angustia maxima positos, tentari supra id quod possent; sed ex insperato fecit eis cum tentatione proventum.

Excitavit enim spiritum [Henrici] gloriosi Regis Anglorum, ut in auxilium et subventionem domini sui Francorum Regis cum maxima multitudine virilium pugnatorum adversùs eumdem Imperatorem animositate nimiâ (*b*) festinaret: immisit etiam tantum famis cruciatum in exercitu illius, ut præ nimia ciborum penuria unus panis modicus ab esurientibus emeretur pretio unius marcæ argenti. Unde, quia ipse Imperator nec moram ibidem facere, nec malum quod in corde gestabat, poterat exercere, occasionem recedendi de loco ipso honestiorem, quam potuit, celeriter studuit invenire. Igitur per Raynaldum Cancellarium et alios fautores suos egregio Regi Francorum locutus est in hæc verba: « Mandat » vobis dominus Fredericus, Imperator Romanorum et specialis Advocatus Ro» manæ Ecclesiæ, quòd ad nullos Ecclesiarum Prælatos de causa electionis Ro» mani Pontificis judicium ferre pertinet, nisi ad eos tantùm qui sub imperio » Romano existunt; ideòque bonum videtur et justum, ut cum Episcopis et » Clero vestro ad eum tanquam amicum et socium accedere, et illorum senten» tiam debeatis audire ». Quibus verbis auditis, Rex modicum subridens respondit eis hoc modo: « Miror prudentem virum varia mihi et fabulosa verba » misisse. An ignorat quòd Dominus noster Jesus-Christus cùm esset in terris, » B. Petro et per eum universis successoribus ejus oves suas pascendas commi» serit? Nonne audivit in Evangelio ab eodem filio Dei eidem Principi Aposto» lorum dictum: *Si diligis me, Petre, pasce oves meas?* Numquid sunt hìc Fran» corum Reges vel aliqui Prælati Ecclesiarum excepti? An Episcopi regni mei » non sunt de ovibus quas Filius Dei B. Petro commisit »? Et iis dictis, vertit habenas in eorum contemptu, et statim ad arma cum Baronibus et reliqua militia consurgens, debiliora regni sui loca munivit; et tanquam vir prudens et fortis ad sedem suam cum gloria et honore, propitiante Domino, rediit. Fratres verò qui a Pontifice missi fuerant, ad ipsius præsentiam cum gaudio remeantes, narraverunt omnia quæ ad honorem Dei et Ecclesiæ in colloquio ipso per industriam gloriosi et orthodoxi Regis facta fuerant. Unde et collegium Fratrum et cuncti qui aderant, gaudentes et exsultantes gratias egerunt Domino Jesu-Christo, qui cum eis misericordiam fecerat, et eos de manibus tam potentissimi hostis liberare dignatus est. Imperator autem remanens in sua erubescentia confusus, coactus est multâ famis inediâ exercitum remittere ad propria; et ipse ad regnum Teutonicum non sine tristitia remeavit.

(*a*) Helmoldus in chronico Slavorum, lib. I, cap. 91, *misit*, inquit, *Fridericus nuncios ad Regem Daniæ* (Valdemarum) *et ad Regem Hungariæ* (Stephanum) *et ad Regem Bohemiæ* (Vladislaum) *ut venirent ad constitutum diem; insuper omnibus Archiepiscopis et Episcopis, et summis potestatibus regni sui, et Religiosis quibuscumque solemniter adesse mandavit. Grandis ergo expectatio erat universorum ad tam celebrem curiam, quò uterque Papa et tanti terrarum Reges conventuri ferebantur. Tunc abierunt simul valdemarus cum Episcopis Daniæ, Hartwicus Archiepiscopus, Geroldus Episcopus, et Comes Adolfus cum multis Saxoniæ nobilibus, ad præfixi colloquii locum. Dux verò* (Bavariæ Henricus) *positus in Bavaria, aliâ viâ venerat.*

(*b*) Fictitia hæc Regis Anglorum expeditio. Alexander enim in epistola quâ Ludovico Regi gratulatur ob mentis constantiam quam in eo negotio demonstravit, propensam quidem Henrici Regis erga Ludovicum voluntatem, paratumque ad auxilium ejus animum laudat, effectum verò nullum recenset præter legationem ad Ludovicum ab ipso directam: *Ad gloriam*, inquit, *nominis tui ampliandam et ad vigorem fortitudinis inserendum, carissimo in Christo filio nostro Henrico, illustri Anglorum Regi... attentè suggerere studuimus, et ejus animum modis omnibus inducere et exhortari, ut tibi tanquam domino suo vires et auxilium præstet, et Regiæ serenitati studeat in omnibus et per omnia deservire. Ipse verò nostris exhortationibus lætatus plurimùm et gavisus, et ex prudentia animi quid tibi debeat attendens, . . . nuncios ad tuam excellentiam destinavit, per quos se et terram suam et totas vires quas habet, ad honorem et fidelitatem et exaltationem regni tui exposuit. Et ut hæc de præstando vires et auxilium tuæ industriæ proponeremus nobis mandavit, et si opus esset, pro his omnibus confidentiùs nos fidejussores tibi constitueremus.*

Digitized by Google

A In diebus illis prædictus Rex Anglorum [Henricus] domnum Alexandrum Papam apud Dolense * Monasterium corporali præsentiâ visitavit, et ad ejus vestigia humiliter procidit; sed post oscula pedum, aureis oblatis muneribus, ad oscula ejusdem Pontificis est receptus. Mox in præparato sibi faldistorio (*a*) sedere declinans, circa Pontificis pedes in terra cum Baronibus suis voluit humiliter consedere. Post triduum verò lætificatus plurimùm de jucunda visione ipsius Pontificis, et largitis magnis muneribus sibi et Fratribus suis, cum lætitia recessit ab eo. Pontifex autem, factâ dedicatione (*b*) majoris altaris prædicti Monasterii, versùs Turonem iter arripuit, et ad ipsam civitatem circa festum B. Michaëlis * cum omni prosperitate, Domino auxiliante, pervenit, ibique cum Fratribus suis moram diutiùs fecit, et Nativitatem Domini solemniter celebravit (*c*).

* *Deols en Berry.*

Pag. 454.

* An. 1162.

Adveniente autem Septuagesimâ * colloquium habiturus ad Parisiensem civi- * An. 1163.
B tatem accessit (*d*); sed antequam civitatem ipsam intraret, Rex tanquam pius et mitis, cum Baronibus et militibus suis per duas leucas ei occurrit : quo viso, statim descendit, et ad streugam* ipsius festinanter concurrens, humiliter deosculatus est pedes ipsius, et statim ad oris oscula cum devotione fuit receptus. Deinde simul alacriter procedentes intraverunt prædictam civitatem, occurrente ipsi Pontifici Clero cum maxima et decora processione, deduxerunt eum in gaudio et jubilatione ad majorem Ecclesiam. Mansit autem in ipsa civitate per totam Quadragesimam, et Paschale festum inibi celebravit. Et quoniam tempus Concilium celebrandi imminebat, quod in Octavis Pentecostes Turonis convocaverat, exivit de Parisiis, et transiens per Carnotum ad Turonis civitatem celeriter remeavit. Anno igitur Dominicæ Incarnationis MCLXIV *, Indictione X, anno quarto sui Pontificatûs, XIV Kal. Junii, sæpedictus Alexander Papa in Ecclesia
C S. Mauritii Turonis Concilium celebravit, in quo interfuerunt secum Cardinales numero decem et septem, Episcopi centum viginti quatuor, Abbates quadringenti decem et quatuor, et aliorum tam Clericorum quàm laïcorum maxima multitudo : in quo nimirùm Apostolica constituta roborata sunt, et nova capitula promulgata....

* *l'étrier.*

* *Corr.* MCLXIII.

Celebrato itaque Concilio, domnus Alexander Papa responsum a prædictis *Pag.* 455.
Regibus tale recepit, ut si moram in aliquo loco regnorum suorum assiduam facere vellet, eligeret villam seu civitatem, quæ sibi magis placere deberet : unde factum est quòd ad civitatem Senonensem moraturus accessit, quoniam ipsa Metropolis valdè famosa est et fertilis, et advenientibus opportuna. In quo loco a Kalendis Octobris * usque ad Pascha secundi anni moram diutinam fa- * An. 1163.
ciens, universalis Ecclesiæ negotiis pro sui officii debito curam et diligentiam
D jugiter habuit.

Eodem tempore (*e*), infelicis memoriæ Octavianus hæresiarcha infirmatus est apud Lucam, ubi circa festum Paschale impœnitens et excommunicatus de hoc mundo migravit ad inferos; licèt a quibusdam dictum fuerit quòd Sacerdotem catholicum vocaverit, qui prohibitus a schismaticis ad eum intrare non potuit : cujus detestandum obitum supradictus Imarus Tusculanus, unus ex principalibus consociis ipsius, jamdiu prævenerat et apud Cluniacum pessimam mortem incurrerat. Tunc de quatuor falsis fratribus qui ab Ecclesiæ unitate in animarum suarum perniciem recesserant, non remanserunt nisi duo tantummodò fumigantia membra, Johannes videlicet de Sancto-Martino et Guido Cremensis, qui se in luctu et mœrore nimio affligebant.... Omnes igitur in unum pariter congregati, sicut obstinati et perfidi, prædictum Guidonem Cremensem super se levaverunt
E idolum secundum, et ad ejus vestigia se incurvantes adoraverunt eum....

Dum autem hæc agerentur, defunctus est Romæ Julius Prænestrinus Episco- *Pag.* 456.
pus, Alexandri Papæ Vicarius, et in loco ejus Joannes Presbyter Cardinalis SS. Johannis et Pauli est subrogatus : ad cujus utique commonitionem populus Romanus ex maxima parte Alexandro Papæ consuetam fidelitatem, pecuniâ non modicâ mediante, juravit, et Senatum juxta voluntatem et arbitrium ejus innovando constituit.... Unde factum est quòd tota ferè urbs ad honorem et servitium Papæ Alexandri pacificè detinebatur ab eodem Vicario. Habito itaque

(*a*) *Faldistorium*, sella plicatilis. *Cangius*. Inde deducta videtur vox gallica, *Fauteuil*.

(*b*) V Idus Septembris, ex chronico Dolensi.

(*c*) Post Nativitatem Domini videtur Dolum reversus fuisse Pontifex, quandòquidem, teste Hugone Pictavino, *in Dolensi Cœnobio apud Castrum-Radulfi hyemavit, et hyeme transactâ, Lutetiam venit tempore Quadragesimæ*.

(*d*) Apud Baronium : *quam cùm ingressurus esset*.

(*e*) Octavianus an. 1164 vivere desiit.

Digitized by Google

consilio cum Ecclesiæ fidelibus, tam Clericis quàm laïcis, de revocando Pontifice ad sedem B. Petri et Lateranense palatium, nuncios ad eum et litteras in partibus Galliarum apud Senonas existentem transmisit, orans et petens ab eo ex parte totius Cleri et populi Romani atque fidelium suorum, quatenùs ad primam sedem suam et populum specialem sibi commissum dignaretur reverti.... A

His itaque auditis et intellectis, Pontifex de sua reversione ad urbem cum Episcopis et Cardinalibus spatiosè loquens, licèt multa imminere sibi gravia et difficilia prævideret, post consilium tamen Regis Francorum et alterius Regis Anglorum, necnon et Episcoporum Galliæ, prædicto Vicario certum de suo reditu dedit responsum, statimque ad iter ipsum festinanter se accinxit. Celebrato
* An. 1165. itaque Pascha *, exivit a Senonis; et transiens per Parisius et Bituricas et Anicium, post festum Apostolorum ad Montem-pessulanum incolumis per Dei gratiam remeavit. Paratis ergo navibus et aliis quæ ad navigandum necessaria videbantur, infra Octavas Assumptionis B. Mariæ Virginis cum Fratribus suis mare intravit, et immensam pelagi vastitatem non sine multo discrimine transcendens, ad civitatem Messanam prosperis velis applicuit.... B

Pag. 462. Per idem tempus rumor valdè tristis de interfectione S. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi contra Regem Anglorum ad aures Apostolicæ sedis pervenit. Crescente autem ipsâ infamiâ, Rex non immeritò timuit ne in personam ejus Ecclesia Romana tantum flagitium graviter vindicaret, si ejus innocentiam manifestiùs non cognosceret. Misit ergo viros Ecclesiasticos ac prudentes ad præsentiam summi Pontificis, tribuens eis potestatem ut in animam ejus jurarent, quòd de ipsa interfectione unde infamatus fuerat, Rex ipse in propria persona juraret ad mandatum ejusdem Pontificis stare. Venientibus autem nunciis ipsis
* An. 1171. apud Tusculanum in quinta feria * Majoris hebdomadæ ante Pascha, cùm Pontifex de consueto more ad Ecclesiam vellet accedere, Apostolico se conspectui præsentarunt; et quod eis ab eodem Rege impositum fuerat exponentes, juramentum, sicut diximus, facere obtulerunt. Tunc Pontifex, habito Fratrum suorum consilio, exivit foras in consistorio, et in communi audientia, sicut a Cardinalibus distinctum fuit et computatum, ab eisdem nunciis juramentum ipsum recepit, et inducias Regi concessit. Unde factum est quòd duos ex Fratribus suis A. [Albertum] titulo S. Laurentii in Lucina, et T. [Theodinum] titulo Vestinæ, Presbyteros Cardinales, ad partes Galliæ Pontifex destinavit, quatenùs, eis præsentibus, ibi reatus seu innocentia Regis claresceret, ubi tam detestabile vitium fuerat perpetratum. Rex verò ubi Legatorum Sedis Apostolicæ præsensit adventum, relictis omnibus imminentibus sibi negotiis quæ tunc in Hibernia exercebat, festinanter in Normanniam rediit, et apud *Chan* (*a*) secundò ad eorum C
præsentiam cum Episcopis et Baronibus suis humiliter ac reverenter accessit, paratus eorum stare mandatis, sicut per nuncios suos antè fuerat compromissum. Cùm autem nullus apparebat qui super imposito sibi crimine ipsum impeteret, Rex coram eisdem Legatis, adstante Episcoporum ac Baronum, et aliorum tam Clericorum quàm laïcorum multitudine, se hoc modo purgavit : « Ego H. Rex juro
» super hæc sancta Dei Evangelia quòd mortem S. Thomæ neque cogitavi, neque
» scivi, neque fieri præcepi; et quandò facinus ipsum perpetratum cognovi,
» tantùm dolui et tristis effectus sum, quantùm si meum proprium filium cog-
» novissem interfectum. Sed in hoc me non valeo excusare, quòd occasione
» commotionis et iracundiæ meæ quam adversùs eumdem sanctum virum conce-
» peram, interfectus non fuerit. Pro quo reatu, quia causam necis ejus dedisse
» videor, ducentos milites sub expensis meis ad defensionem christianitatis absque D
» dilatione Hierosolymam destinabo per annum ibidem mansuros; vel tantùm
» eis persolvam, unde totidem milites ibidem per annum valeant retinere. Signum
» quoque Dominicæ crucis usque ad triennium accipiam, et in propria persona
» illuc proficiscar, nisi remaneam de licentia Romani Pontificis. Illicitas etiam
» consuetudines, quas temporibus meis in tota terra mea introduxi, penitùs
» casso, et ex hoc nunc observari prohibeo. Appellationes verò ad Apostolicam

(*a*) Anno 1172, inquit Benedictus Petroburgensis, *Henricus Rex Angliæ circa Ascensionem Domini applicuit in Normanniam apud Barbefluctum, et invenit apud Cadomum prædictos Cardinales, et illorum consilio pacificavit se cum Rege Franciæ de coronatione filiæ suæ. .... Circa festum S. Matthæi Apostoli venit ad Abrincam civitatem, et invenit ibi prænominatos Cardinales, et* v. *Kal. Octobris, feriâ quartâ, festo SS. Cosmæ et Damiani Martyrum, satisfactionem fecit Deo et summo Pontifici de morte B. Thomæ Cantuariensis Martyris.*

Digitized by Google

A » Sedem de cætero liberè fieri permittam, et in hoc neminem prohibebo. Præterea » ego et major filius meus Rex juramus, quòd a domno Alexandro Papa et ejus » catholicis successoribus recipiemus et tenebimus regnum Angliæ, et nos et » nostri successores in perpetuum non reputabimus nos Angliæ Reges veros, » donec ipsi nos catholicos Reges tenuerint »....

Pag. 463. * An. 1173.

Post mortem verò ejusdem Martyris biennio jam elapso et tribus mensibus, non absque divinæ ultionis judicio, sicut creditur, accidit quòd major filius prædicti Regis Anglorum, quem paterno affectu ipse in Regem sublimaverat, contra patrem nequiter insurrexit, et unà cum matre ac fratribus ipsum expellere de toto regno temerè tentavit. Unde regnum ipsum in duas partes divisum est, et Barones Aquitaniæ armati alii cum filio, alii cum patre steterunt: ad cumulum quoque tam detestandi excidii Rex Francorum juniorem Regem, cui filiam suam dederat
B in uxorem, in sua protectione suscepit, et contra patrem juvare ac manutenere pro viribus laboravit. Cœperunt itaque perniciosa hinc inde mala succrescere, et filius, peccatis exigentibus, patris quærebat interitum, et pater necem filii sitiebat. Deinde maximi utrimque parati exercitus, et Rex junior unà cum socero suo Rege Francorum Normanniæ fines adversùs patrem pugnaturus aggreditur. Econtra Rex major Anglorum in manu forti defendere terram suam nihilominùs elaborat, et vim vi repellere omnimodis nititur. Nec mora, bellatores undique ad arma prosiliunt, rapinas exercent, villas incendunt, castra expugnant, invadunt Ecclesias, et alia impietatis opera per totam Aquitaniam crudeliter exercere non cessant. His igitur malis quotidie increbrescentibus, Domnus Alexander Papa vastationibus et detrimentis utrorumque regnorum pro sui officii debito cupiens providere, misit ad partes illas e latere suo P. [Petrum] tituli S. Chrysogoni
C Presbyterum Cardinalem, cui dedit in mandatis ut, adscitis secum Episcopis et aliis religiosis utriusque partis, operam et studium diligenter impenderet, qualiter Reges ipsi possent ad pacem et concordiam unanimiter revocari. Unde factum est quòd in tempore congruo, adveniente ipso Legato, Ecclesiarum Prælati et alii religiosi ac prudentes viri cum eodem Legato partes suas ita ferventissimè interposuerunt, quòd utramque partem ad unitatis et pacis bonum, cooperante Domino, revocarunt (*a*).

(*a*) *Facta est igitur* (verba sunt Benedicti Petroburgensis ad an. 1174) *longa contentio inter Regem Angliæ et filios suos. . . . Et instante festo S. Michaëlis, convenerunt ad colloquium inter Turonim et Ambasium, in loco qui dicitur Mons-laudatus* (Montlouis); *et in crastino S. Michaëlis, scilicet pridie Kal. Octobris, feriâ secundâ, juvenis Rex et fratres sui, per consilium Regis Franciæ, reddiderunt se patri suo Regi Angliæ in misericordia sua, et cum eo pacem fecerunt.*

D

EX CHRONICO WILLELMI GODELLI (*a*)

MONACHI S. MARTIALIS LEMOVICENSIS.

Anno Domini MLXXXIII. Berengarius Turonensis Magister et admirabilis Philosophus, pauperum amator, fidelis et verè catholicus vitam finivit, etc. (*Ut in chronico S. Petri Vivi Senon. T. XII, p.* 279.)

Anno Domini MLXXXIV. Mathildis Regina Anglorum, uxor Guillelmi Nothi, moritur. Sepulta est Cadomi in Ecclesia S. Trinitatis, quam ipsa fundavit. Hæc fuit filia Comitis Flandriæ. Genuit ex hac Guillelmus maritus suus plures filios et filias, Ricardum qui adolescens mortuus est, et Guillelmum Rufum Regem Anglorum, Robertum Comitem Normanniæ, et Henricum qui post fratrem suum Guillelmum Regem in Anglia regnavit: filias, Ceciliam Abbatissam Cadomen-

(*a*) Monachus S. Martialis Lemovicensis dicitur Guillelmus Godellus ad calcem codicis Regii 4893, quo usi sumus. Nihil tamen de rebus Lemovicensibus habet, sed Senonenses potissimùm res attingit, Clarii continuatorem secutus, si alienus ab eo dici possit. Scribebat Godellus circa an. 1173, quo chronographiæ suæ finem imposuit, et certè ante obitum Regis Ludovici VII, quippè de filio ejus Philippo loquens, *qui nunc regni coronam expectat*, inquit; et ad annum 1137 de Ludovico VII, *qui nunc*, ait, *Rex pius superest*. Vulgaria sunt et compendiosè reddita quæ scripsit ex alieno potiùs sensu quàm suo, ut testatur ipse an. 1145, his verbis: *Hoc eodem anno, ego*, inquit, *servorum Christi novissimus, qui totum hoc opus ex variis historiis compilando compegi, Monasterium intravi, ætate juvenculus, genere Anglicus*. Nomen quidem Monasterii non expressit; sed diœcesis Senonensis illud fuisse conjicimus ex his quæ subdit: *Hoc eodem anno Henricus Senonum Archiepiscopus moritur: succedit domnus Hugo Præcentor. Ab hoc ego ipse Pontifice omnes ordines suscepi præter Presbyteratum*, quem e Bituricensi Archiepiscopo Petro de Castra se suscepisse alibi tradit. Cæterùm quæ annum 1083 antecedunt, ea edita sunt T. XI, p. 282.

Digitized by Google

sem, Constantiam uxorem Alani Comitis Britanniæ, et Adelam quæ data est A
Stephano Blesensi Comiti, filio Odonis Comitis Campaniæ....

Anno Domini MLXXXVI. Stephanus Carnotensis Comes, filius Odonis Campaniæ, floruit. Hic habuit ex filia Guillelmi Regis Anglorum filios, videlicet Guillelmum, Theobaldum in nostro sæculo Comitem famosum, Stephanum quem Regem vidimus in nostris diebus Anglorum, Henricum qui postea ab Henrico avunculo suo Anglorum Rege primò Abbas Glastoniæ et postmodùm Wintoniæ Episcopus datur, qui satis honestæ vitæ effloruit.

Anno Domini MLXXXVII.... Romæ Urbanus Papa consecratur. Hic primò Remensis Clericus, deinde Prior Cluniaci, postea Ostiensis Episcopus, Odo vocatur, ac postremò Urbanus Papa Romanus. Sedit annis ferè XII.

Hoc eodem anno, Guillelmus Rex Anglorum in Pentecosten arma dedit filio suo Henrico, et post hoc mandavit ei Philippus Rex Francorum jocando B
quòd ut mulier prægnans jaceret in lecto; purgaverat enim alvum pocione. At ille remandavit ei: *Cùm ad Missam iero, decem millia candelas tibi libabo..* Verùm mense Augusto sequenti Medantum cremavit, ubi ex calore infirmatus mense Septembri moritur, anno XXI ex quo in Anglia cœperat regnare. Successit ei in regno Guillelmus Ruffus filius suus, consecratus in festo Sanctorum Cosmæ et Damiani a Lanfranco venerabili Cantuariensi Episcopo....

Anno Domini MLXXXVIII. Monachi de Caritate primò venerunt ad urbem Londoniæ ad Beremundesiram.... Hoc eodem anno, Sanctus Girardus Prior de Caritate, vir religiosus in vita sua, moritur.

Anno Domini MLXXXIX. Terræ motus magnus fuit III Idus Augusti, anno Philippi Regis Francorum post mortem patris sui XXIX, et anno Guillelmi Regis junioris II, Indictione XII.... C

Anno Domini MXCIV. Urbs Jerosolymorum a Turcis jamdiu possessa illo Jeremiæ elogio videtur meritò uti: *Non est qui consoletur me ex omnibus caris meis;* nam Christiani qui latenter euntes voluerunt visitare Christi sepulcrum, variis injuriis afficiebantur. Christianitas enim in terra illa ex toto deperiisse lamentabatur, et majus discrimen metuebatur in posterum. Turci denique impuri exercebant nefanda in locis sacris, nihil honori ducentes post gloriosum Christi sepulcrum, de quo temporale commodum a peregrinis illò venientibus accipiebant, et ob hoc illi loco parcebant.

Anno Domini MXCV. Urbanus Papa Romanus Gallias venit, et mense Novembri Arvernis Concilium celebrat. Exponitur ibi miseria sanctæ civitatis Jerusalem, dedecus nunciatur, narratur opprobrium, consilium quæritur, auxilium postulatur. Hoc eodem anno stellæ visæ sunt discurrere per aërem in Gal- D
liis tam densissimæ quàm grando esset, designantes motionem populorum, qui anno sequenti Jerusalem perrexerunt.

Anno Domini MXCVI. In medio Martio tertium Urbanus Papa [Turonis] Concilium celebrat; motio fit, cruces aptantur. Hoc anno pars maxima occidentalis mundi multipliciter suis nobilibus et illustribus filiis vacuatur. Tunc [Ademarus] Podiensis Episcopus, [Raymundus Comes] S. Ægidii, Robertus Comes Normanniæ, Francorum, Aquitaniæ, Flandriæ, Alemanniæ, Burgundiæ, necnon et Italiæ atque Siciliæ nobiliores quique et potentiores Jerosolymorum iter pro Christo Domini amore arripuerunt. Nec fuit Rex aliquis in ista multitudine, sed omnes Christum Regem habentes, uno fervore, unâ devotione, cum summa pace et concordia egrediuntur de terra sua, proponunt animo Christi Domini Sepulcrum gloriosum, jamdiu captivum libertati reddere. E

Anno Domini MXCVII. Domnus Richerius Senonensis Archiepiscopus moritur, infra XX Natalis Domini dies, et succedit ei domnus Daimbertus electus a populo et ab universo Clero. Hoc item anno, V Kal. Octobris, lunâ XXVII, visa est zona ignea sanguinei coloris longissima in plaga Boreali, multis metum incutiens. Hoc eodem anno Christianus exercitus qui Jerusalem tendebat, Antiochiam magnâ obsidione vallat, XI Kal. Novembris: ubi Franci pro Christi amore labores multos perpessi sunt, et sequenti anno divinâ virtute adjuti urbem eamdem captivant, III Nonas Junii; et mox urbe captâ, Christiani populi, superveniente Corbaranno cum exercitu magno, in urbe obsessi sunt Nonis Junii.

Anno Domini MXCVIII.... Kal. Augusti, moritur vir per omnia clarus domnus Ademarus Podiensis Episcopus, et sepultus est in Ecclesia B. Petri Antiochiæ.

Hoc

Digitized by Google

A Hoc eodem anno M. videlicet XCVIII, in Burgundia, XII Kal. Aprilis, in festo sancti Benedicti Abbatis, fundatum est Cœnobium quod Cistercium vocatum est in Episcopatu Cabilonensi, non longè a castro Divionensi. Hujus Cœnobii primus Abbas fuit domnus Robertus Abbas Molismensis, qui divino sollicitatus fervore cum viginti et uno Monacho, depositis omnibus quæ in vestimentis puritati regulæ obviaverant, de Molismo egreditur, et auctoritate domini Papæ Urbani Romani roboratus, ad vastam eremi et horribilem pervenit solitudinem Cistercii, ubi consensu domni Galterii tunc Cabilonensis Episcopi, favente et auxilium impendente domno Odone Duce Burgundiæ, habitacula construentes consistere elegerunt. Domnus verò Robertus a Cabilonensi Episcopo cum virga pastorali curam fratrum suscipiens, Abbas primus Cistercii effectus est, tali modo Cisterciensis Ordinis mater Ecclesia fundata est, hoc anno qui est Philippi Regis Francorum
B post mortem patris XXXVIII, Guillelmi verò junioris Regis Anglorum XI, Pontificatûs domni Urbani Papæ XI. Hoc eodem anno præfatus Robertus primus Abbas tam Molismensis quàm Cisterciensis, cogente Papâ Romano propter querelam infatigabilem Molismensium Monachorum, revocatus est ad priorem locum suum Molismi. In Cisterciensi Ecclesia ei Abbas substitutus est Albericus vocatus, qui annis IX et dimidio præfuit. Anno verò X, Alberico defuncto, succedit ei Stephanus natione Anglicus, vir in sancta religione ferventissimus, cujus tempore visitavit Deus Cisterciensem Ecclesiam suam tam tempore novam, quàm rebus pauperem et gente; unde factum est ut una in die XXX viri tam nobiles quàm mediocres in Cellam eorum intrarent, monasticæ vitæ votum habentes. Ex his domnus Bernardus postea Clarevallensis primus Abbas unus fuit, et alii plures quos nos tam Episcopos quàm Abbates conspeximus. Factum est
C itaque ut infra breve tempus post hoc plures et præcipuas Abbatias procrearet et parturiret. Prima fuit Firmitas, secunda Pontiniaci Ecclesia, tertia Claravallis, quarta domus Morimundi, quinta Prulliaci, cum multis aliis.

Anno Domini MXCIX. Christianus exercitus Jerusalem obsidentes, divino freti auxilio urbem hanc capiunt, Idus Julii, et gens impura Turcorum, qui illam per annos XCII possederant, subacta prostrata est....

Hoc eodem anno Urbanus Papa moritur, Pontificatûs sui XII, mense Augusto. Succedit ei domnus Paschalis Papa. Hic Gallias * venit, et Ecclesiam beatæ Ma- * An. 1107.
riæ castri Dolensis, quæ mamilla B. Petri vocata est dedicavit, qui postea in compeditione positus Imperatoris graviter peccavit, sed recognoscens delictum suum optimè emendavit et reconciliatus est Ecclesiæ Dei privilegio et auctoritate Apostolicâ. Iste Cisterciense Cœnobium roboravit et sub B. Petri protectione suscepit.

D Anno Domini MC. Guillelmus Ruffus Rex junior Anglorum in venatione positus, sagittâ percussus a quodam suo milite Galterio cognomento *Tirelh*, miserabiliter in silva interiit IV Kal. Augusti.... Hoc eodem anno, Guillelmo defuncto succedit Henricus frater ejus in regno, qui inunctus est Kal. Augusti. Robertus verò Comes Normanniæ amborum frater de Jerosolymis rediens Normanniam intravit. Quo et anno Concilium celebratur Pictavis, XIV Kal. Decembris.

Anno Domini MCI. Hugo Comes Campaniæ floruit. Hic uxorem habuit Constantiam filiam Regis Philippi. Postmodùm Jerosolymam perrexit; verùm ibi vitam finivit. Uxorem alteram quam acceperat, gravidam reliquit.

Anno Domini MCII. Robertus Comes Normanniæ primùm Angliam intravit, cum quo Henricus Rex pacem iniit mense Augusto, spondens se singulis annis illi daturum CCC marcas argenti (*a*).

E Anno MCIII. Mathildis nobilissima virgo, filia Regis Scotiæ, Regina (*b*) effecta est Anglorum; hæc præclara et antiqua regni Anglorum stirpe genita de Eadmundi Regis Anglorum descendit progenie. Floruit hoc tempore domnus Hildebertus Cenomannensis Episcopus, vir scientiâ perspicuus....

Anno Domini MCV. Concilium celebravit Trecas Ricardus Albanensis Episcopus et Apostolicæ sedis Legatus. Hoc eodem anno, Henricus Rex Anglorum cepit Robertum fratrem suum Comitem Normanniæ, III Kal. Octobris (*c*).

Anno Domini MCVI. Concilium celebratum in urbe Pictavensi fuit. Robertus Comes captus, ut diximus, carceri mancipatur, verùm et post aliquot annos finem vitæ fecit post multiplices mœrores.

(*a*) Anno 1101 in Angliam Robertus primùm appulit, pactumque, de quo hic sermo, cum fratre iniit.

(*b*) Mathildis an. 1100 nupsit Henrico Regi.

(*c*) Non hoc, sed sequenti anno, Robertum ab Henrico fratre suo captum esse constat.

Digitized by Google

Anno Domini MCVII. Paschalis Papa Concilium celebravit apud Trecas. Quo et anno (*a*) translatum est corpus sancti Benedicti Abbatis Floriacensis, in præsentia Philippi Regis Francorum et multorum Principum regni sui, ubi magna apparuit devotio ejusdem Regis. A

Anno Domini MCVIII. Philippus Rex Francorum moritur, III Kal. Augusti; succedit Ludovicus Rex filius ejus, qui consecratus est Aurelianis IV Nonas Augusti a domno Daimberto Senonensi Archiepiscopo. Philippus verò Rex sepultus est in Cœnobio sancti Benedicti Floriacensis....

Anno Domini MCX. Domnus Robertus Abbas Molismensis moritur, XV Kal. Maii. Hoc eodem anno secundum agebat annum Stephanus Cisterciensis tertius Abbas. Hoc anno Concilium celebravit Ricardus Albanensis Episcopus et Apostolicæ sedis Legatus Floriaco, Kal. Octobris, ubi cum suis Episcopis Daimbertus Senonensis Archiepiscopus fuit. B

Anno Domini MCXII. Prælia multa fuerunt inter Regem Francorum Ludovicum et Henricum Regem Anglorum.

Anno Domini MCXIII. Conversus est domnus Bernardus, postea Clarevallensis Abbas, et multi cum eo in Ecclesia Cisterciensi.

Anno Domini MCXIV. Pontiniacense Cœnobium fundatum est, III Kal. Junii, cujus primus Abbas fuit domnus Hugo, qui XXII anno ordinationis suæ Autissiodorensis Episcopus effectus est (*b*), ubi ferè annos XII complevit. Succedit secundus Abbas Pontiniacensis Guichardus nomine, qui Archiepiscopus Lugdunensis consecratus est postea (*c*) ab Alexandro Papa. Tertius Abbas fuit Pontiniacensis, quo nec superior tam genere quàm religione, præclarus domnus Garnerius, qui postea Archiepiscopus Bituricensis consecratus est (*d*).

Anno Domini MCXV. Ivo Carnotensis Episcopus moritur. Hic in suo tempore plurimùm Ecclesiæ Dei fuit utilis. Hoc anno tria Concilia celebrata sunt in Galliis: primum Remis, secundum Belvaco, tertium Catalaunis.... C

Anno Domini MCXVIII. Religiosa Regina Anglorum Mathildis, uxor Henrici Regis, moritur. Hæc multa bona operata est, Xenodochium famosum construxit, non longè ab urbe Londoniæ. Paschali Papæ Gelasius successit.

Anno Domini MCXIX. Gelasius Papa moritur apud Cluniacum; succedit Guido Viennensis Archiepiscopus, filius (*e*) Stephani Comitis, qui Calixtus Papa dictus est. Hoc eodem anno Calixtus Papa Concilium celebravit Remis, XII Kal. Novembris, in quo excommunicati fuerunt simoniaci universi, qui exigunt pretium pro sepultura, sancto chrismate vel baptismo.

Anno Domini MCXX. Guillelmus Rex, filius Henrici Regis Anglorum, in mari mersus periit apud Barbefluvium, et multi nobiles cum eo. Hoc anno celebratum est Concilium XV Kal. Novembris, a domno Conone Prænestino Episcopo et Apostolicæ sedis Legato, Belvaco, qui trium provinciarum Legatus fuit, Rotomagensium, Senonensium et Remensium. D

Anno Domini MCXXIII. Daimbertus Senonensis Archiepiscopus moritur (*f*); succedit Henricus cognomento Aper....

Anno Domini MCXXIV. Calixto Papæ mortuo succedit Honorius Papa.

Anno Domini MCXXVIII. Invisibilis ignis plurimos depastus est in regno Francorum, etc. (*Ut in chronico S. Petri Vivi Senon. quocum sequentia confer.*)

Guillelmus Comes Flandriæ, dictus Longa-spata, obiit.

Anno Domini MCXXIX. Ecclesia Vallis-lucentis fundata est, cujus primus Abbas domnus Norpaldus fuit, sedens annis XXX. Philippus filius Ludovici Regis Francorum Remis coronatus est, postea de equo lapsus moritur. E

Annō Domini MCXXX. Honorius Papa moritur. Duo ordinantur, Petrus vocatus Anacletus, et Gregorius Diaconus Cardinalis S. Angeli, qui Papa Innocentius dictus est. Hic Gallias venit et tandem prævaluit.

Anno Domini MCXXXI. Innocentius Papa Gallias venit....

(*a*) Clarius hanc S. Benedicti translationem anno quidem 1107 illigat, sed morem Gallicum computando secutus. Contigit enim hæc XIII Kal. eodem Aprilis, anno quo Rex Philippus vitâ functus est.

(*b*) Hugo Pontiniacensis Abbas an. 1136 effectus est Episcopus Autissiodorensis.

(*c*) Guichardus an. 1165 adeptus est Pontificium Lugdunense, ex Godello nostro infra.

(*d*) Anno 1174 Guarinus, non verò Garnerius ex Abbate Pontiniacensi renunciatus est Bituricensis Episcopus.

(*e*) Frater Stephani ac filius Guillelmi I Comitis Burgundiæ, cognomento Magni, neposque Rainaldi itidem Comitis fuit Calixtus, teste Orderico Vitali, quod etiam variis instrumentis probatur.

(*f*) Daimbertus anno 1122 quarto Kal. Decembris humanis rebus exemptus est.

Digitized by Google

A Anno Domini MCXXXIII. Sol eclipsim pertulit. Stephanus Cisterciensis Abbas moritur, successit Rainardus Abbas quartus.

Anno Domini MCXXXV. Henricus Rex Anglorum moritur, IV Kal. Decembris, anno regni sui XXXV, et mense IV. Sepultus est in Anglia; successit ei nepos ejus ex sorore Stephanus, filius Stephani Comitis Carnotensis.

Floruit hoc tempore Theobaldus Comes Campaniæ, qui acceptâ uxore nobili genuit Henricum Comitem, Theobaldum Comitem et Stephanum Comitem et Guillelmum, qui postea primò Carnotensis Electus, deinde Senonensis Archiepiscopus fuit. Genuit et idem Comes Theobaldus filias plurimas, quarum ultima Adela dicta data est domino nostro Ludovico Francorum Regi piissimo, de qua et filium suscepit Philippum, qui nunc regni coronam exspectat....

Anno Domini MCXXXVII. Siccitas magna fuit a Martio usque in Septembrem.
B Ludovicus Rex Francorum moritur, succedit Ludovicus filius ejus, qui nunc Rex pius superest.

Floruit hoc tempore domnus Bernardus Clarevallensis Abbas, flos Ecclesiæ catholicæ, in suis diebus magnum sanctitatis longè latèque spargens odorem. Profuit denique per Dei gratiam multis.

Floruit et hoc eodem tempore magister Petrus Abælardus, ingenio subtilissimus, scripsit et docuit plurima; verùm et a quibusdam reprehensus est, et maximè a præfato Bernardo Abbate. Qua de causa coacto Concilio affuit, et multa quæ ei objiciebantur constantissimè removit, et plurima sua non esse quæ illius esse et ab eo dicta affirmabantur, luculenter approbavit. Verùm omnem hæresim postremò abnegavit et catholicæ Ecclesiæ se filium fore confessus est et affirmavit, et in pace fraterna post hoc vitam finivit. Construxit denique Cœnobium in ter-
C ritorio Trecassino, in prato quodam ubi legere solitus fuerat, in quo Sanctimoniales plurimas epistolari auctoritate congregavit, quod Paraclitum nominavit. Quibus Sanctimonialibus quondam uxorem suam religiosam fœminam, et litteris tam hebraïcis quàm latinis adprimè eruditam, nomine Heluisam præfecit Abbatissam, quæ verè ipsius amica magnam ei post mortem in assiduis precibus fidem conservavit. Quo in loco nunc ambo coram sancto altari honorificentissimè sepulti quiescunt.

Anno Domini MCXXXVIII. Schisma Petri-Leonis ipso miserabiliter moriente annihilatum est, et pacis unitas Ecclesiæ Dei, Domino donante, confertur....

Anno Domini MCXXXIX.... Wlgrino Bituricensi Archiepiscopo mortuo successit Albericus Remensis.

Anno Domini MCXLI. Petrus (*a*) de Castra Bituricum ordinatur Archiepiscopus,
D defuncto Alberico Remensi magistro.

Anno Domini MCXLII. Superiùs memoratus magister Petrus Abælardus moritur, cujus sepulturæ insertum est epitaphium hujusmodi :

Est satis in titulo, Petrus hìc jacet Abælardus,
Huic soli patuit scibile quicquid erat.

Anno Domini MCXLIII. Innocentius Papa moritur; successit Cœlestinus Papa, et huic successit Lucius Papa. Ecclesia Vallis-lucentis primò dedicata est.

Anno Domini MCXLIV. Lucius Papa moritur, successit Eugenius Papa. Hic Monachus de Claravalle et domni Bernardi præfati Abbatis fuit discipulus, vir tam honore quàm etiam memoriâ dignus.

Anno Domini MCXLV. Fames magna fuit. Hoc eodem anno ego servorum Christi novissimus, qui totum hoc opus ex variis historiis compilando compegi,
E Monasterium intravi, ætate juvenculus, genere Anglicanus. Hoc eodem anno Henricus Senonum Archiepiscopus moritur, succedit domnus Hugo Præcentor. Ab hoc ego ipse Pontifice omnes ordines suscepi præter Presbyteratum.

Anno Domini MCXLVI. Ludovicus Rex Francorum Jerosolymam iturus crucem accepit, II Kal. Aprilis, apud Vizilliacum, quo in loco fundata est Ecclesia in honore S. Crucis.

Anno Domini MCXLVIII. Conradus Imperator Romanorum, et Ludovicus Rex Francorum cum innumerabili exercitu in Pentecosten iter Jerosolymorum arripiunt....

Anno Domini MCXLIX. Ludovicus Rex Francorum de Jerosolymis rediit.

Anno Domini MCL. Belvaco Henricus frater Ludovici Regis Francorum et

(*a*) Petrus cognomento *Effenouard* seu *Effenard* erat ex militibus *de la Castra*, teste Gaufrido Vosiensi.

Digitized by Google

Monachus de Claravalle , Præsulatum tenet (*a*) , qui postea Remensis Archiepiscopus fuit. A

Floruit et hoc tempore domnus Godefridus Lingonensis Episcopus , et Cisterciensis Ordinis Monachus , vir magni animi et prudentis consilii , qui jussu Eugenii Papæ cum Rege Ludovico Jerosolymam profectus est et modò rediit.

Anno Domini MCLI. Domnus Hugo Autissiodorensis Episcopus , vir in sanctæ religionis humilitate fundatus , moritur. Hic , ut præfati sumus , Pontiniaci primus Abbas fuit , sepultus est in jamdicto Cœnobio suo honore condigno. Illâ denique nocte quâ in crastinum Autissiodorensis Episcopus iste est electus , vidit in somnis quòd mater sua nuptiali fœdere sibi fuisset consecrata.

Anno Domini MCLII. Famosus in nostro sæculo Comes Campaniæ Theobaldus moritur Latiniaco , IV Idus Januarii , cujus misericordiæ opera tanta in egentibus fuerunt , ut lingua non sufficiat vel medietatem enarrare. De quo quidam con- B temporaneus ejus dixit :

Te bonitas notum dedit omnibus, optime Consul ;
Nunc modò fama manens hoc operatur idem.

Anno Domini MCLIII. Domnus Eugenius Papa moritur. Hic mirabilis vir justitiæ et pietatis amicus , plurimùm Ecclesiæ Dei profuit in tempore suo , miraculis et gloriosis illius sepulcrum illustratum est. Successit ei Anastasius Papa mense Augusto. Hoc eodem anno , XIII Kal. Septembris , moritur domnus Bernardus Clarevallensis Abbas , cui gratiæ plurimùm contulit Altissimi virtus ; famosus enim in suo sæculo fuit , doctrinâ ac sanctitate præclarus.

Anno Domini MCLIV. Anastasius Papa moritur , senex valdè et plenus dierum. Succedit ei Adrianus Papa , qui primò Abbas sancti Rufi , deinde Albanensis Episcopus fuit , nomine Nicolaus. Hic fuit genere Anglicus. C

Anno Domini MCLVI. Dominus Ludovicus Rex Francorum Senonensem matrem Ecclesiam libertate donavit , a malis et pessimis exactionibus quibus Senonica sedes , moriente Archiepiscopo , solet fatigari et opprimi (*a*)....

Anno Domini MCLVII. Terræ motus magnus in Burgundia fuit , sed Domino miserante , rarissimis in locis periculum inde provenit.

Anno Domini MCLIX. Romæ Adrianus Papa moritur Kal. Septembris. Succedunt duo , gravi schismate Ecclesiam disrumpentes. Primò electus est Rollandus Cancellarius , qui Papa Alexander dictus est ; renuente illo , Octavianus quidam Cardinalis , quibusdam sibi faventibus , Victor Papa acclamatus est. Hinc multa mala exorta sunt ; sed pars Alexandri Papæ sanior et major fuisse visa est.

Anno Domini MCLX. Corpora sanctorum Saviniani et Potentiani et Altini inventa sunt et levata a domno Hugone Senonum Archiepiscopo. Eclipsis lunæ D fit mense Augusto. Regina Francorum de Hispania nata hoc anno moritur.

Anno Domini MCLXI. Eclipsis Lunæ fit II Idus Februarii ; primùm enim fuit tota clara usque ad mediam noctem , postea media pars ejus ab Oriente nigra facta est , ad ultimum tota facta est rubea , et illa Dominica fuit quâ cantatur *Circumdederunt me* (*c*)....

Anno Domini MCLXII. Fames ingens fuit. Alexander Papa Gallias venit , et a Regibus Francorum videlicet et Anglorum susceptus est. Hoc anno S. Thomas Cantuariensis Archiepiscopus ordinatur.

Anno Domini MCLXIII. Alexander Papa Concilium celebrat Turonis in Octavis Pentecostes , schismatici excommunicantur. Hoc anno Alexander Papa Senonum venit II Kal. Octobris , et mansit per annum et dimidium.

Anno Domini MCLXIV. Sanctus Thomas Cantuariensis Archiepiscopus exulat E in regno Francorum ; primò in Cœnobio Pontiniaci moratus est , postea Senonis in Cœnobio S. Columbæ Regis expensis sustentatus est.

Anno Domini MCLXV. Alexander Papa consecravit Lugdunensem Archiepiscopum Guischardum , qui fuit Pontiniaci secundus Abbas , apud Montem-pessulum ; deinde Romam reversus est , et cum magna processione a Romanis susceptus est. Ludovico Regi Francorum natus est filius Philippus nomine , XI Kal. Septembris , Dominicâ.

Anno Domini MCLXVII.... Hoc anno discordia nata est inter Reges Francorum

(*a*) Anno 1149 ad infulas Bellovacenses Henricus assumptus est , triennio post emissa in Monasterio Clarevallensi vota.

(*b*) Nempe decedente Archiepiscopo bona ejus sub manu Regia detinebantur.

(*c*) Dominica Septuagesimæ die 12 Februarii.

Digitized by Google

A et Anglorum. Calor nimius mense Augusto fuit. Mathildis Imperatrix mater Regis Anglorum moritur, et domnus Almaricus Silvanectensis Episcopus, vir valdè religiosus et Abbas quondam Kari-loci, moritur, et in sua Abbatia sepultus est. Hic verus Monachus, ut credimus, fuit.

Anno Domini MCLXVIII. Pestis gravissima in terra Jerosolymorum fuit, ubi peregrini nostri hoc anno penè omnes mortui sunt. Moritur et Nivernensis Comes Guillelmus in terra illa sine hærede, cujus honorem et terram Guido frater ejus suscepit.

Hoc anno moritur domnus Hugo Senonensis Archiepiscopus in Cœna Domini, v Kal. Aprilis. Huic succedit splendidissimus juvenis domnus Guillelmus Carnotensis Electus, sed nondum Episcopus consecratus. Hic filius fuit famosissimi Theobaldi Comitis Campaniæ, et frater Henrici Comitis Trecensis, qui consecratus est Senonis a domno Mauricio Parisiensi Episcopo, XI Kal. Januarii....

B Anno Domini MCLXX. Audita sunt tonitrua horribilia, micuere fulgura III Kal. Januarii et III feriâ, quo tempore et die, sequenti anno Thomas Præsul occiditur (*a*)....

Hoc eodem anno, Henricus Rex Anglorum coronari fecit Henricum filium suum post Pentecosten, contradicente domino Thomâ Cantuariensi Archiepiscopo, licèt apud Senonas Galliæ in exilio posito. Post hoc revocavit hunc Præsulem præfatus Henricus Rex, et cum eo fœdus pacis iniit. Hoc anno reversus est ad Angliam et applicuit, atque ab Anglis susceptus est cum gaudio, II Kal. Decembris, in portu Sanduicensi.

Anno Domini MCLXXI (*b*). IV Kal. Januarii infra Octavam Natalis Domini præfatus Sanctus Dei domnus Cantuariensis Archiepiscopus Thomas, XXX videlicet die postquam applicuit, feriâ III occisus est ab impiis ministris prænominati
C Henrici Regis Anglorum, in Ecclesia Metropolitana Cantuariensi, non longè ab altari, horâ vespertinâ glorioso Martyrio factus est sacrificium vespertinum, gratissimum Deo. Cujus meritum magnum apud Altissimum esse cum causa justissima, quæ verè martyrium facit, tam assertio evangelica quæ dicit : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam,* quàm innumera et inaudita contestantur miracula....

Hoc eodem anno quo beatus Thomas Martyr occubuit, moritur et domnus Petrus Bituricensis Archiepiscopus, Kalendis Maii, vir honestæ vitæ et magnæ gravitatis, qui annis XXX suæ sedi plurimùm profuit, a quo et ego qualiscumque Monachus Presbyter ordinatus sum in Bituria, in vico cui Leprosus nomen est, in Ecclesia S. Silvani Episcopi.... Succedit domno Petro in sede Bituricum venerabilis Stephanus Meldensis Episcopus, veræ religionis et religiosorum ami-
D cus, qui locatus est in sede sua II Kalendas Novembris, Dominicâ....

Anno Domini MCLXXIII. Stephanus Bituricensis Archiepiscopus veneno, ut dicitur, correptus et a mente alienatus vitam finivit, in Octavis Epiphaniæ. Sepultus est apud S. Victorem Parisius.

Hoc anno III Idus Februarii igneæ acies in septentrionali plaga apparuerunt nocte, et lux tanta emicuit, ut cujus monetæ essent nummi quilibet posset agnoscere.

Hoc eodem anno in Quadragesima, Henricus junior erexit se contra Henricum patrem suum; et Ludovici Regis Francorum et Procerum ejus fretus auxilio, Normanniam graviter vastavit, et multi mortui sunt.

(*a*) Anno 1170 a Januarii Kalendis inchoato, III Kal. Januarii, seu trigesimus Decembris dies in feriam quartam incidebat; anno verò præcedenti in feriam tertiam. Annum itaque Auctor a Nativitate Domini orditur.

(*b*) A Nativitate Domini inchoato.

E

EX CHRONICO ANONYMI (*a*)

CANONICI, UT VIDETUR, LAUDUNENSIS.

Anno Domini MCLXV, in Octava Assumptionis B. Matris Domini, nascitur Philippus Rex Francorum gloriosus, quem miri actus ejus et strenuitates innumeræ celebrem reddiderunt per orbem. Cujus mater Ala filia fuit Comitis

(*a*) Chronicon istud quod eruimus e Ms. codice Regio 5011, extenditur ab orbe condito ad an. 1218. Ejus parentem fuisse Canonicum Laudunensem cum eruditis conjicimus ex minutioribus quas prosequitur rebus ad hanc Ecclesiam pertinentibus, aliundè significans diversum esse vitæ suæ

Digitized by Google

Theobaldi Magni, fratres verò ejus Henricus Campaniæ Comes, Theobaldus A
Blesensis, Stephanus Sanserensis, Willelmus Archiepiscopus Remensis. Sorores quoque ejus [Philippi] fuerunt duorum Comitum Henrici et Theobaldi uxores, et hæ fuerunt filiæ Reginæ Angliæ. Aliæ duæ sorores ejus, filiæ Reginæ de Hispania, datæ sunt Henrico Regi Angliæ, ut eas duobus filiis suis jungeret uxores. Una verò uterina soror missa est Constantinopolim, juncta Alexi filio Manuelis Imperatoris Græcorum....

Anno Domini MCLXVI (*a*).... Theodericus Comes Flandrensis moritur. Philippum filium habuit successorem, potentem et strenuum, cujus potentiam auxit terra Comitis Radulfi Viromandorum, quam assecutus est per uxorem suam, filiam dicti Comitis Radulfi. Hic Radulfus aut dolo aut vi omnes vicinos suos exhæreditaverat; nam Cauniacum abstulit dominis de Buceio, Ambianis illis de Bova, Peronam illis qui cognominantur *Mauroi*, Ribodimontem illis de B
Sancto-Oberto, Montem-Iderii cuidam viduæ. Pro *Athies* et terra illi adjacente duxit quamdam viduam, quam incarceravit et repudiavit.

Anno Domini MCLXIX.... Henricus Rex Anglorum illectus promissione regni Lumbardorum, inter filios fecit regni sui et aliarum provinciarum suarum distributionem. Henricum verò primogenitum suum provexit in regnum, addens ei Ducatum Normanniæ cum Comitatu Andegavensi, necnon et Cenomannensi. Richardo dedit Ducatum Aquitaniæ, terram scilicet suæ matris Ælienordis. Galfrido accepit uxorem filiam Comitis minoris Britanniæ cum ipso Comitatu et Comitatu Richemundiæ, qui est in Anglia. Filias verò suas jam maritis eas poscentibus transmiserat. Quarum unam accepit Dux Saxoniæ Henricus; alia nupsit Alphonso Regi Castellano in Hispania; tertiam sibi junxit matrimonio Willelmus Rex Siciliæ, quo sine liberis mortuo, junxit eam frater suus Rex Angliæ Ray- C
mundo Comiti Ægidiensi. Rebus igitur sic se habentibus et terrâ inter filios par-

genus a Monachorum instituto, præsertim anno 1173. Cæterùm quisquis ille fuerit, imperitiorem ullum, sive dicendi rationem spectes, sive rerum gestarum cognitionem, inter chronographos vix invenias. Adeò quippè in rebus ab ævo suo tantis-per remotis hallucinatur, ut plerasque vel falsis circumstantiis vestiendo depravet, vel earum ordinem nunc parachronismis, nunc anachronismis, interdùm etiam prochronismis perturbet. Quin et in iis quæ a Sigeberti Continuatore sub nomine Roberti de Monte vulgato mutuatus est, errores hujusmodi non rarò admittit; ne quid dicamus de fabulis anilibus, de prodigiis absurdis quibus farraginem suam infarcit. Atque hinc est quòd ab anno tantùm 1165 eo utendum duximus, ne anteriora emendando, fastidium lectori citra ullum emolumentum movereremus. Juvat tamen pauca quæ habet singularia et in auctoribus nobis haud visa, hìc subnotare.

« Anno MCX. Ludovicus Rex Francorum, ut » aiunt, mirâ, *inquit*, corporis virtute enituit. » Asserunt etiam quòd cùm aliquandò ivisset in » hostes, et ejus exercitu fugato (id est, an. 1119) » miles quidam partis adversæ lora Regis apprehendens, aiens ei, *captus es*; Rex in ira gladio » elevato et virtuosè vibrato, militem armatum » per pectus dissecuit, et mortuo militi sive suo » ictui insultans ait : *Nec in scakorum ludo solus Rex* » *non capitur*.

» Ludovicus Rex fratrem suum Balduinum (*corr.* » Philippum) Comitem Corboliæ, suspectum habens conspirationis factæ contra eum, ipsum » exhæredavit et usque ad mortem incarceravit, » omnes hæredes suos aut exilio aut carcere damnavit, filias verò Monachas fieri fecit ».

Anno MCXLI, de Hugone Trecensi Comite, quem perperàm Odonem appellat, hæc habet : « Odo Comes Campaniæ, mortuâ uxore suâ sine » liberis, aliam duxit, quæ peperit filium quem » nomine patris Odonem appellavit. Celebratâ » curiâ Trecis, infans adductus vocatur a patre » ut ad se veniat, vocatur et a matre : qui, ut » moris est infantium, ad matrem se contulit. » Tunc mater jocando ait ad infantem : *O fili, ad* » *me debes venire; quid tibi et illi veterano?* Et » dedit ei mamillam. Tunc Comes arreptum in» fantem voluit projicere in ignem, sed vix a » subvenientibus militibus liberatus cum matre » exulatus est, et nunquam postea mater vel fi» lius Comiti potuerunt reconciliari; sed exhæ» redato filio, Comitatum suum nepoti suo Co» miti Theobaldo Blesensi contulit, et iter Hie» rosolymitanum arripuit, nec postea reversus » est. Erat autem potentia Comitis Theobaldi Regi » Ludovico suspecta. Ludovicus verò Vitriacum » castrum cepit, ... castrum verò contulit Odoni, » qui patrimonium suum a Comite Theobaldo » nepote sibi ereptum hâc occasione per Regem » recuperare speravit.

» Anno MCLIX. Henricus Rex Angliæ a Rege Ludovico repetiit illam partem Normanniæ quam » ei pater suus Comes Galfridus concesserat, si » esset filio suo contra Regem Stephanum in » auxilium, quod non fuit; nam Rex Stephanus » sororem Regis Constantiam filio suo Eustacio » Comiti Boloniæ et Kantebrigiæ accepit uxo» rem. Unde requisitus ut Henrico ferret succur» sum, fertur respondisse : *Quomodò propriæ meæ* » *carni potero deesse?* Rege verò de reddenda terra » non acquiescente, ortæ sunt inter eos discordiæ » graves. Interim nascitur Henrico filius ex uxore ». (filii nomen non expressit. At Henrici primogenitus Henricus an. 1155 in lucem editus est. Richardus an. 1157, Gaufridus an. 1158, de quo si sermo sit, ad annum 1158 superiora sunt referenda.)

« Anno MCLXII (*corr.* MCLIX) Henricus Rex An» glorum a Comite Raymundo S. Egidii exegit » hominium de Tolosa, dicens spectare ad Duca» tum Aquitaniæ Quod quia Comes jamdictus » facere noluit, Rex, collecto exercitu copioso, » ipsam urbem Tolosam obsedit, suis districtè præ» cipiens ne quidquam ab indigenis per violen» tiam tollerent, sed justâ mercede sibi necessaria » compararent. Rex verò Ludovicus invitatus a » Comite et a civibus Tolosanis ut Regem An» gliæ amoveret ab obsidione, tandem colloquio » inter eos habito, convenit inter eos ut signum » Regis Anglorum in turri Castelli Narbonensis » levaretur, et fidelitas ei fieret (*falsum*) salvâ » tamen fidelitate Regis Francorum. Solutâ obsi» dione, Rex Francorum ad propria regreditur ».

(*a*) Anno 1168, die 4 Januarii, Theodericus Flandriæ Comes, rebus humanis exemptus est ex Lamberto *Waterlos*, suppari ac diligenti scriptore, vel an. 1167, si annus a Paschate inchoetur.

Digitized by Google

A titâ, nascitur interim ei ex uxore sua Ælianorde filius, quem quia circa festum S. Johannis natus fuit, Johannem appellaverunt; quia verò natus est postquam pater suus terras inter fratres diviserat, Johannem Sine-terra eumdem cognominaverunt (*a*)....

Anno Domini MCLXX. Henricus Angliæ Rex nuncios Manuelis Imperatoris miro suorum favore suscipiens, et per civitates et castella deducens, quasi gloriam et opum suarum abundantiam eis ostensurus, Ducibus et Comitibus cæterisque Principibus tam sæcularis dignitatis quàm Ecclesiastici Ordinis, ut apud Andegavem convenirent, mandavit. Quibus secundùm edictum congregatis, voluntatem domini sui Imperatoris Regi et suis aperuerunt. Mandaverat enim Imperator Regi ut filium suum, cui nullam partem hæreditatis inter fratres assignaverat, ei mittere maturaret, cui filiam suam quam unicam habebat maritaret cum
B honore Imperii, salvâ tamen majestate Imperatoris, dum viveret (*b*). Rege inducias eis xv dierum assignante, ecce nuncii Comitis Amedæi * de Savoia advenientes rogaverunt Regem ut dignaretur domino suo Comiti jam dicto occurrere ad eum festinanti. Rex verò eorum petitioni satisfaciens, Comitem apud Lemovicas lætus suscepit advenientem. Tunc Comes obtulit Regi ad opus filii sui unicam filiam quam habuit. Consuluit Rex Principes suos super matrimonio filii sui. Illi verò unanimes partem Græcorum attollunt: quibus Rex amicabiliter gratias egit, scilicet quòd suum honorem diligerent, et ait: « Si filium meum » Imperatori transmisero, fratribus suis, si opus fuerit, in necessitatibus adesse » non poterit, vel ipsi auxilio indigenti a fratribus qualiter subvenietur? Co- » miti assentio : filiam suam filio meo uxorem accipio. Nobilis quidem est, licèt » pauper; ex terra enim sua posset, qui strenuus esset, Italiam et Burgundiam
C » universam justiciare, cùm non pateat ingressus vel egressus ad utrasque nisi » per eam ». Tunc maxima pars eorum qui hæc audierant, intellexit quòd Rex ad regnum aspiraret Lumbardorum. Licentiantur Græci magnificè munerati. Comes completâ cum Rege hebdomadâ, accepit sex millia marcarum argenti, præstito super sancta sacramento se de cætero uxorem non accepturum, reversus ad sua filiam suam Regi missurus, et in qualibet patria sub eo constituta castrum mu-

* *Leg.* Humberti.

nitum nunciis Regis Angliæ assignaturum : quod totum fideliter de castris complevit, de uxore verò non accipienda religiosum juramentum transgressus est (*c*). Nam filiam Comitis Gerardi de *Mascoun* * accepit uxorem, de qua genuit Tho-
D mam qui ei in Comitatu successit. Sciendum quòd Comes Gerardus eumdem Comitem Savoiæ cepit, dum guerram secum haberent, unde pro redemptione sua sex mille marcis ei tenebatur. Ille verò elegit perjurium incurrere, et propriâ famâ neglectâ, pactum transgredi potiùs quàm illam solvere pecuniæ summam....

* *Mâçon.*

Anno Domini MCLXXII. Balduinus Comes Hannoniæ obiit (*d*). Hujus Balduini filius Balduinus junior duxit Margaretam filiam Theoderici Comitis Flandriarum, superiori anno defuncti, cujus Margaretæ fratres fuerunt Philippus Comes Flandriæ, Matthæus Comes Boloniæ, Petrus Cameracensis Electus, postea Comes Nivernensis et Autissiodorensis.

Anno Domini MCLXXIII. Ludovicus Rex Francorum, qui jampridem Clericis sæcularibus ab Ecclesia Compendiensi amotis Monachos ibidem substitui fecerat, a Papa Alexandro impetravit ut hujus facti auctoritatem stabilitatis præberet, ut per ævum inconcussum maneret. Nobiles verò quique ob parentelæ suæ dignitatem in præfata Ecclesia præbendas fuerant assecuti, quas per Vicarios vix deservire curaverunt. Sæpè verò cùm Regem adesse contingebat ad horas canonicas,
E campanis festum agentibus pulsabatur, sed qui ad matutinas surgeret vel ad alias horas conveniret, vix inveniebatur. Unde Rex motus, ipsis Canonicis de medio factis, Monachos, quia ad ejus donationem Præbendæ spectabant, ibi esse maluit.

Per idem tempus, Comes Henricus de Campania apud Trecas civitatem suam,

(*a*) Johannes filius ultimus Henrici Regis sub finem anni 1166 natus est ex probatioribus Historiæ Anglicæ scriptoribus, terras autem suas Henricus anno 1170 inter filios divisit.

(*b*) Filium Imperator Manuel tum habebat Alexium anno 1167 die Septembris 10 natum, quem certè animus ipsi non erat imperio privare. Falsa itaque hac in parte, imò tota commentitia videtur hæc narratio. Nullus quippè alius scriptor hanc legationem Græcorum commemorat.

(*c*) Vera falsis admiscet chronographus noster in hac describenda filii Regis Henrici cum filia Comitis Humberti desponsatione, castigandusque ex Benedicto Petroburgensi qui de ea omnium accuratissimè disseruit, an. 1173.

(*d*) Balduinus IV Hannoniæ Comes anno 1171 die Novembris 8, vitâ functus est ex Gisleberto Montensi, qui et nuptias filii ejus cum Margareta Flandrensi an. 1169 illigat.

Digitized by Google

constructam ad honorem Protomartyris Stephani capellam Præbendis LX excellentissimè insignivit, quas sæcularibus Clericis assignavit: unde hoc facto Regi contrarius fuit. Rex verò die quâdam Comitis nactus præsentiam, eumdem increpavit, dicens: « Verè, ô Comes, delirare convinceris, qui de patrimonio hæ- » redum tuorum delicatos Clericos ditare laboras ». Ad quem fertur Comitem tale dedisse responsum: « Certissimè sciat dominus Rex, quòd non est amentiæ » vicinum talibus ministris ecclesiastica bona assignare, quorum singuli, etiam » quantumlibet prodigus, quantumlibet aleator vel dissipator, si ad hoc labo- » raret, non posset nisi sibi ipsi obesse. Sed magnæ dementiæ mercimonium esse » convincitur talibus res suas assignare, quorum is qui aliis præest Abbas vel Præ- » positus, aliis etiam invitis et inconsultis, omnes mendicare compellet ». Laudatur Henricus prudenter respondisse.... A

Currente adhuc anno eodem Incarnàtionis MCLXXIII, fuit apud Lugdunum Galliæ civis quidem Valdesius nomine, qui per iniquitatem fœnoris multas sibi pecunias coacervaverat. Is quâdem die Dominicâ cùm declinasset ad turbam quam ante joculatorem viderat congregatam, ex verbis ipsius compunctus fuit, et eum ad domum suam deducens, intensè eum audire curavit. Fuit enim locus narrationis ejus qualiter beatus Alexis in domo patris sui beato fine quievit. Facto mane, civis memoratus ad scholas Theologiæ consilium animæ suæ quæsiturus properavit; et de multis modis eundi ad Deum edoctus, quæsivit a magistro, quæ via aliis omnibus certior esset atque perfectior. Cui Magister dominicam sententiam proposuit: *Si vis esse perfectus, vade et vende omnia quæ habes,* etc. Et ad uxorem veniens dedit ei optionem ut sibi mobilia vel immobilia omnium quæ habebat in terris et aquis, nemoribus et pratis, in domibus, redditibus, vineis, necnon in molendinis et furnis, eligeret retinendum: quæ licèt multùm contristata, quia id facere oportuit, immobilibus hæsit. Is verò de mobilibus, iis a quibus injustè habuerat, reddidit. Magnam verò partem pecuniæ suis duabus parvulis filiabus contulit, quas, matre earum ignorante, Ordini Fontis-Evraldi mancipavit: maximam verò partem in usus pauperum expendit. Fames enim permaxima tunc grassabatur per omnem Galliam atque Germaniam. Valdesius verò civis memoratus per tres dies in hebdomada a Pentecoste usque ad Vincula S. Petri cunctis ad eum venientibus panem et pulmentum cum carnibus largiebatur. In Assumptione B. Mariæ Virginis quamdam summam pecuniæ per vicos inter pauperes spargens clamabat, dicens: *Nemo potest duobus dominis servire, Deo et Mammonæ.* Tunc accurrentes cives arbitrati sunt eum sensum perdidisse; et ascendens in loco eminentiori, ait: « O cives et amici mei! non enim in- » sanio, sicut vos putatis, sed ultus sum de his hostibus meis qui me fecerunt » sibi servum, ut semper plus essem sollicitus de nummo quàm de Deo, et » plus serviebam creaturæ quàm Creatori. Scio quòd me reprehendent plurimi » quòd hoc in manifesto feci; sed propter meipsum et propter vos hoc egi: prop- » ter me, ut dicant qui me viderint possidere deinceps pecuniam, me amentem » esse; sed et propter vos hoc feci in parte, ut discatis in Deo spem ponere, » et non in divitiis sperare ». Sequenti verò die rediens de Ecclesia, a quodam cive quondam socio suo petiit dari ad manducandum pro Deo. Ille ad hospitium eum deducens, ait: « Ego quoad vixero, concedo vobis necessaria ». Quæ res cùm pervenisset ad notitiam uxoris ejus, non mediocriter contristata, sed velut amens effecta, ad Archiepiscopum urbis cucurrit; et conquesta quòd scilicet vir ejus panem ab alio quàm ab ea mendicasset, ea res omnes qui aderant Præsuli commovit ad lacrymas. Tum ex præcepto Præsulis Burgensis hospitem suum secum ad Præsulis præsentiam duxit. At mulier arripiens virum suum per pannos, ait: « Numquid non meliùs est, ô homo, ut ego in te peccata mea elee- » mosynis redimam, quàm extranei » ? Et extunc non licuit ei ex præcepto Archiepiscopi in ipsa urbe cum aliis cibum sumere quàm cum uxore.

Matth. XIX. 21.

Matth. VI. 24.

B C D E

Anno Domini MCLXXIV. Henricus Junior Rex Angliæ cum fratribus suis Richardo et Galfrido a patre Henrico aversus, ope Ludovici Regis Francorum magnas in Anglia et Normannia suscitat calamitates. Pœnituit pater terras suas inter filios divisisse, eò quòd non erat ei ulteriùs spes ad regnum Lumbardorum, egitque ut in munitionibus urbium et castellorum totius terræ suæ, exclusis filiorum custodibus, de fidelibus suis custodes in eis haberentur. Rex Francorum Ludovicus Rotomagum obsedit, nec tamen cepit. Similiter obsedit Vernoilum.

Comes

Digitized by Google

A Comes verò Philippus Flandriæ cum suis novum castrum de *Driencourt* cinxit obsidione, ubi frater suus inclytus Comes Matthæus de Bolonia sagittâ percussus occubuit (*a*), cujus funus a suis ad Abbatiam S. Judoci delatum, famosam ibi habet sepulturam. In Anglia etiam Comes Hugo *Bigoth*, collectâ multitudine Brabantionum atque Flandrensium, castella aliqua cepit, et civitatem Norvicensem, civibus in fugam versis, cepit, unde spolia nimis magna tulit.... Britonum Principes, partes Andegavorum et Cenomannorum infestantes, etiam quamdam partem Normanniæ ferro et flammâ destruxerunt : quibus Rex cum Rutariis occurrit, et multis eorum occisis, *Dol* castro (*b*) subverso, quamplures Proceres Britonum cepit, quorum castra subvertit. Flandrenses et Brabantiones, quos superiùs diximus a Comite Hugone *Bigoth* in Angliam introductos, qui etiam urbem Norvicensem ceperunt, terram S. Eadmundi intrantes ab obviis sibi in-
B digenis cum Cantabrigensibus intercepti, aut ibi fuerunt trucidati, aut capti pœnis crudelioribus reservati. Interim Principibus Franciæ pecuniâ senioris Henrici Regis Anglorum corruptis, filii Regis Angliæ se reddiderunt paternæ paci, et facta est inter Regem Ludovicum et Regem Anglorum qualiscumque reconciliatio, ficta potiùs quàm vera, utilis tamen et necessaria.

Anno Domini MCLXXV. Jacobus dominus de Avennis Robertum quondam Præpositum Ecclesiæ Ariensis, tum Cameracensis Electum, per satellites suos interfecit juxta Valencenas apud Condei. Hic de Carnoto de humili gente natus, familiaritatem et amorem Comitis Philippi Flandriarum eo fuerat adeptus, quòd uxorem Comitis de Savoia de custodia mariti sui suâ industriâ eripuit, et eam Comiti Flandriarum fratri suo restituit. Hic dum aliquandò ab Henrico Remensi Archiepiscopo pro Jacobo de Avennis durè increparetur, quòd esset de infima
C gente, eum agrestem et villanum appellando, fertur ita respondisse : « Non » minoris, inquit, nobilitatis vel potentiæ fuerunt in archa Noë parentes mei » quàm tui ». Hunc quidam necromantiæ arguerunt, fortè quia cùm esset de infima gente et litteratura tenui, ad tantos eum fortuna provexit honores. Hunc cùm post electionem suam Comes Flandriarum ad Regis curiam delegasset, et eumdem Rex ad prandendum cum eo invitasset, et ipso Rege ei manicam, cùm manus ablueret, tenente, cœpit morosiùs abluere. Tunc cuidam monenti festinare, eò quòd ei Rex ministraret, respondit : « Non est properandum, sed in » tali honore est diutiùs immorandum. Tu verò qui murmuras, sine tali Regis » obsequio vitam poteris terminare ».

Anno eodem adhuc manente, scilicet MCLXXV, Willelmus Senonensis Archiepiscopus a Clericis Remensibus postulatur. Hic fuit frater Comitis Henrici Cam-
D paniensis et Comitis Theobaldi Blesensis et Stephani Sansoriensis ; sorores verò ejus fuerunt Ala Francorum Regina, et Comitissa de Pertico, et Comitissa de Barro-Ducis. Hic, mortuo Henrico Ludovici Regis germano, qui per annos XII Remensem Ecclesiam palatiis, turribus et aliis munitionibus insignissimè illustravit, eamdem regendam, Papâ Alexandro assentiente, suscepit....

Anno Domini MCLXXVI. Philippus illustris Comes Flandrensis, coadunato exercitu copioso, castrum Guisiense in ultionem Præpositi Ariæ, post Camera censis Electi, obsedit, cepit et funditùs subvertit. Cameraco, Roberto mortuo, successit Alardus, homo grandævus : quo etiam in brevi defuncto, successit ei Rogerus de *Wauerin*, Romæ tempore Lateranensis Concilii consecratus.

Suessionis, defuncto Episcopo Hugone, Nevelo suscepit Episcopatum. Mortuo apud Laudunum insigni viro Waltero de Moritania, qui eumdem Epis-
E copatum multis ædificiis insignivit, vocatur ad Præsulatum Rogerus de Roseio, Decanus Catalaunensis, vir sui temporis in amanda societate, in honesta largitate, in faciendis expensis, in omni urbanitate incomparabilis. Willelmus de quo superiùs dictum est, a Papa Alexandro in Archiepiscopatum Remensem confirmatus, Nevelonem Suessionensem et Rogerum Laudunensem Remis simul consecravit Episcopos.

Mare terminos suos egressum multos homines in Anglia, in Flandria, Frisia et Hollandia submersit. Pluviales etiam aquæ excrescentes multos perire fecerunt.

Anno Domini MCLXXVII. Homines de Lauduno in præjudicium Episcopi et

(*a*) Ad annum 1173 pertinet Vernolii ac Driencurtis castri expugnatio, qua in postrema Matthæus Boloniæ Comes letale vulnus accepit.

(*b*) Dolensis subversio anno itidem 1173 contigit ex Benedicto Petroburgensi.

Digitized by Google

Ecclesiæ Laudunensis, datâ Regi Ludovico æstimatione pecuniæ, Communiam ordinaverunt habere, et sic perperàm cogitantes a jugo servitutis cervices suas et suorum hæredum excutere arbitrati sunt. At Rogerus egregius Laudunensis Episcopus per se et per amicos Regis præsentiam adiit, et ut Ecclesiæ suæ misereretur, Communiam servorum suorum delendo, modis omnibus exoravit. Rex verò, ut dicitur, sponsioni pecuniæ hærens Episcopum et suos non audivit. Episcopus verò, ut erat magnanimus, videns se apud Regem sæpè requisitum non proficere, proprium genus suum sollicitavit, ut per eos de servis sibi ingratis et rebellare volentibus ulcisceretur. Confluentibus undique ad eum sui generis Principibus, cum aliis amicis necessariis, Jacobo scilicet domino de Avennis et Comite de Rostolio, pars autem adversa non ignara eorum adventum cum suis coadjutoribus præstolabatur armata. Venerant eis in auxilium ex aliis Communiis plurimi, Galfrido Silvanectensi, tunc Laudunensi Præposito, procurante; sed ex Regis præcepto homines S. Medardi Suessionis ad eorum auxilium confluxerunt; Communia de Crispeio, Communia de Velli in eorum auxilium convenerunt. Apparatis itaque hinc inde copiis armatorum, tota illa rusticana multitudo, solo nomine militum qui convenerant territa, fugam consuluit. Cæsa fuit ibi multitudo non modica, sed eorum qui in aquis perierunt incertus est numerus.

* Dom. 1. Quadrag. Hæc autem acta sunt feriâ secundâ post *Invocavit me*, * ad molendinum S. Martini Laudunensis, cui nomen *Comporte*, quem locum fuerant deprædati. Sequenti verò æstate ejusdem anni, Rex Ludovicus ultum ire parat stragem illorum de Laudunesio in fratrem Episcopi Reinardum, dominum de Roseio; pervenit ad castrum Comitis de Roseio cui nomen *Nisi*, ubi amicis dicti domini de Roseio satisfacientibus Regi pro eo, intervenit reconciliatio, ita tamen ut castrum suum ab eo deinceps recognosceret tenendum. Venerabilis verò Episcopus Rogerus iram Regis declinans, apud Galterum tunc Lingonensem Episcopum latuit in Burgundia.

Valdesius civis Lugdunensis, de quo superiùs dictum est, facto voto Deo cœli de cætero in vita sua nec aurum nec argentum possessurum, nec de crastina cogitaturum, cœpit habere sui propositi consortes, qui ejus exemplum secuti, cuncta pauperibus largiendo, paupertatis spontaneæ facti sunt professores. Cœperunt paulatim tam publicis quàm privatis admonitionibus sua et aliena culpare peccata.

* vulgò *Benezet.* Eodem anno fuit in provincia Narbonensi, Castello *Amillau*, nimiæ simplicitatis juvenis nomine Benedictus *, qui opus a sæculis inauditum, pontem scilicet super Rodanum rapidissimum fluviorum, apud Avenionem urbem inchoavit et in magna parte complevit. Hic tanta vulgi indocilis frequentiâ cingebatur, quòd nunquam vidisse me meminerim tot populos convenisse. Acclamabat autem ei populus indisciplinatus præconia sanctitatis, miracula omnigena ei adscribendo; et cùm esset sermone imperitus, actu et habitu incultus, submittebant se suis manibus Episcopi et Abbates, ab eo benedici exoptantes. Quidquid de indumentis ejusdem habere potuerunt, honore pretiosarum reliquiarum cum magna diligentia servabatur. Claustrales verò Cisterciensis Ordinis et aliarum professionum viri religiosi, quibus non erat copia eum adeundi, zonas suas vel aliquid tale ad benedicendum mittebant, e quibus apud Lingonas equum unum, asinos duos in veritate comperi ad eum venisse onustos.

Anno Domini MCLXXVIII. Concilium Lateranense a Papa Alexandro hujus nominis tertio celebratur (*a*). Huic Concilio interfuerunt Archiepiscopi et Episcopi CCCXII. Hoc Concilium damnavit omnes ordinationes Victoris Antipapæ et ejus successoris Paschalis, necnon et Callisti. Damnavit etiam ordinationes ab eis ordinatorum, Hereberti Vesuntionensis Archiepiscopi et aliorum Archiepiscoporum et Episcoporum per Burgundiam, Alemanniam et Italiam constitutorum. In hoc etiam Concilio statuta sunt multa Ecclesiæ utilia, capitulis XLIV comprehensa, quæ a Patribus qui aderant præsentes fuerunt approbata et recepta: capitulis verò XII reprobatis. Damnavit hoc Concilium hæreses et omnes hæreticorum fautores, necnon et defensores. Valdesium amplexatus est Papa, approbans votum quod fecerat voluntariæ paupertatis, inhibens eidem ne vel ipse aut socii sui prædicationis officium præsumerent, nisi rogantibus Sacerdotibus.

(*a*) Anno 1179 a Januarii Kalendis inchoato celebratum est Lateranense Concilium, cujus prima sessio habita est die 5 Martii, ultima verò 19 mensis ejusdem die.

Digitized by Google

A Quod præceptum modico tempore observaverunt; unde extunc facti inobedientes, multis fuerunt in scandalum et sibi in ruinam....

Anno Domini MCLXXIX. Princeps clarissimus et benignus Rex Francorum Ludovicus filium suum Philippum Remis fecit in sua præsentia (*a*) a Willelmo ejusdem urbis Episcopo coronari. Erat autem idem Archiepiscopus avunculus ejus, qui, cunctis regni Principibus præsentibus, jura regni et Ecclesiæ Dei ei exposuit. Interfuerunt huic consecrationi domini sui tres filii Regis Angliæ Henrici, primogenitus scilicet ejus Henricus æquivocus patri, omnium sui temporis amantissimus, qui pridem fuerat in Regem Angliæ sublimatus, et Rex Angliæ et Dux Normanniæ vocabatur : hic sororem Philippi Regis duxerat in uxorem. Adfuit et germanus ejus Richardus Comes Pictavensis, cui alia Regis soror fuerat concessa, quæ in patris ejus custodia servabatur. Galfridus tertius eorum frater ad coro-
B nationem Regis hominium ei de Britannia facturus advenerat; cùmque inter eos sermo diu verteretur quis coram Rege honore Dapiferi in tanta solemnitate potiri debuisset, vel cujus honori hæc dignitas secundùm antiquas consuetudines debebatur, ait Rex junior Anglorum sibi deberi ratione Ducatûs Normanniæ, cujus Rex Kaius qui Camum ædificavit, fuisse non ambigitur; dignitas etiam Pincernæ, inquit, mihi [debetur] ratione Comitatûs Andegaviæ, cujus Comes Beduenus Pincerna fuit *. Annuerunt omnes in gratiam ipsius. Cunctis igitur per- * fabulæ.
actis quæ tantæ solemnitati debebantur, reversi sunt cum gaudio ad sua. Rex verò Philippus, patre vivente, duxit uxorem Elisabeth filiam Balduini Comitis Hannoniæ, neptem Philippi Comitis Flandriæ ex Margareta sorore, cui Comes concessit illam partem Flandriam quæ est citra Leiam * fluvium, Franciæ post * *Le Lis.*
mortem Comitis perpetuò sociandam, partem verò alteram quæ est ultra Leiam
C fluvium hæredibus Flandriarum reservavit; et quia Comes prole caruit, nepotibus suis, fratribus scilicet Reginæ hæc confirmari fecit, ita tamen quòd si soror eorum ab hac luce sine hærede discederet, terra ex integro ad hæredes rediret.

Anno Domini MCLXXX. Ludovicus Pius Rex Francorum obiit. In Cœnobio quod ipse construxit, Ordinis Cisterciensis, cui nomen *Barbel,* tubâ novissimâ excitandus requiescit.

(*a*) Aberat ab ea solemnitate Ludovicus pater, paralysi laborans.

EX CHRONICO ALBERICI (*a*)

D TRIUM-FONTIUM MONACHI.

Apud Leibnitium (b) T. II. Accessionum Historicarum. 1678 *in-4°.*

Anno MLXXIII. (*Hoc anno Sigebertum, Willelmum Malmesb. et Ottonem Frising. exscribit Albericus.*) Alexander Papa hujus nominis secundus, vitâ et Sacerdotio perfunctus decessit, sedemque Hildebrando Archidiacono suo, qui Gregorius septimus dictus est, reliquit.

Anno MLXXIV. Papa, celebratâ Synodo, etc. (*Ut apud Sigebertum.*)

Comes [Crispeii] Simon Romam (*c*) abiit, consilium et pœnitentiam requirit,

(*a*) Injuriâ si temporum chronica pleraque periissent, ab interitu ea vindicasset Albericus, quippè totus est in exscribendis aliorum dictis, præsertim verò Sigeberti et Anselmi Gemblacensium, Guillelmi Malmesb. Ottonis Frising. Odonis de Basochiis, etc. Quorum scripta præter ea quæ postremi sunt cùm repræsentet tomus hic XIII, ab iis abstinendum duximus. Haud nihil tamen de suo præstitit Albericus. Egregia quippè sunt quæ ad illustrandas genealogias commentatus est, qui alia etiam historica monumenta, etsi felici non semper conatu, in Annales redegit. Ab anno autem 1073 auspicamur hoc excerptum, quo anno desiit illud quod T. XI, p. 349 editum est.

(*b*) Leibnitii editionem multis in locis vitiatam castigavimus, ope ms. codicis Regii optimæ notæ n° 4896. A.

(*c*) Radulfus Comes Crispeiensis Simoni filio suo moriens an. 1074 amplissimam reliquit hæreditatem; in eam verò jus sibi vindicabat Hugo *Bardol* (aliàs Bartholomæus) dominus Brecarum, sororius ejus, cui favebat Philippus Rex Franciæ. Rem narrat Albericus anno 1061. *Traditio*, inquit, *Vitriaci, et ab hinc anno* XV, *redditio Vitriaci. Hic dicendum est quòd Hugo vir nobilis, cognomento* Bardul, *fuit dominus Brecarum, id est de* Brois, *et erat ex una parte hæres finitimus Comitis Veromandiæ Rodulfi. Quo Rodulfo mortuo, dictus Hugo* Bardol *Vitriacum invasit, et Barrum super Albam et Firmitatem, et hoc de assensu Regis Philippi, qui cætera quæ fuerunt Comitis Rodulfi invadebat. Reliquerat autem Comes Rodulfus ex uxore sua quæ dicta est Adela, filium bonæ indolis nomine Simonem, et filiam nomine Alaïdem. Hic est Simon vir sanctus, qui primò Consul et Regis Francorum Primipilus, postea Monachus probatissimus effectus est.* Sed hæc clariùs patebunt ex vita ipsius Simonis, edenda tomo sequenti.

Digitized by Google

dum regio per guerram inter ipsum et Regem Philippum devastatur. Papa Gregorius jussit ut arma redderet, et sic pœnitentiam ei indixit : de qua pœnitentia partem Papa super se retinuit, partem duobus Religiosis distribuit, et sic absolutum eum ad propria remisit; arma reddidit, et terram gubernandam, donec cum Rege pacem reformaret, commendavit, adhibens etiam ei custodiam Hugonem Episcopum Diensem tunc in Francia Cardinalem et Hugonem Abbatem Cluniacensem. A

Anno MLXXV. Henricus Imperator Saxones gravissimo prælio vicit, etc. (*Ut apud Sigebertum.*)

* *Hui.* Theoduvinus Leodiensis Episcopus nono Kalendas Junii obiit, et Hoïi * in Ecclesia B. Mariæ sepelitur : cui Henricus Virdunensis Archidiaconus, qui dictus est Pacificus, eò quòd pacem acquisierit, vitâ et genere nobilis succedit. Fredericus Comes Tullensis, qui in nemore sui juris de Argonia dedit usuarium Ecclesiæ Virdunensi, fuit pater Leodiensis Episcopi Henrici Pacifici, et Comitis Frederici, cujus filii Rainardus Comes et Petrus in expeditione Hierosolymitana probabiliter se gesserunt. Fuit enim prædictus Henricus Episcopus ex una parte cognatus Ducis Godefridi. Idem Leodiensis Episcopus Henricus suam confirmationem et consecrationem a domino Annone Coloniensi Archiepiscopo recepit. B

Comes Simon a Roma reversus, Regem Philippum aggreditur, nec a bello desistit, donec illum devicit. Fit conventus nobilium, pax reformatur, hæreditas Simoni redditur. Unde super hunc annum scribitur in annalibus : *redditio Vitriaci....*

Anno MLXXVI. Comes Simon, dum ad instantiam Baronum (Juditham) filiam
* Roberti. Comitis Hildeberti * de Alvernia sortiretur in conjugium, ad primum colloquium ita convertit eam, quòd illa de nocte, ignorante patre, fugit ad Monasterium de Casa-Dei (*a*), ubi facta est Sanctimonialis, et cum ea duo nobiles, quorum unus postea fuit Archiepiscopus Bituricensis (*b*). Et ecce Rex Anglorum Guillelmus Nothus qui eum nutriverat, mandat Simoni ut ad suum colloquium Normanniam festinus occurrat. Qui cùm venisset ad Regem, ait illi : « Nutrimentum » meum quod in te est augmentare cupiens, neglectis nunciis Regis Hispa- » niarum Alfunsi, et Roberti Principis Apuliæ, tibi filiam meam quam quære- » bant, tradere in uxorem præelegi ». Ad hoc reverenter Simon respondit : « Do- » mina mea, ait, Regina uxor tua et ego cognatione jungimur parentali et ge- » neris propinquitate; sed volo, si placet, domini Apostolici super hoc consilium » et auxilium flagitare ». Rege præbente assensum, cùm Simon Romam pro prædicta causa debuit properare, se Monachum devovens sanctum Eugendum cum quibusdam viris nobilibus adivit. Itaque de conversione tanti viri famâ volante, factum est ut Hugo Burgundiæ Dux, Comesque Matisconensis et alii ejusdem ordinis quamplures, illius amoris dulcedine inflammati arma deponerent, sæculum relinquentes.... C D

Sicarius quidam per quosdam Roberti necessarios transmissus in Fresonia Godefridum Ducem perimit. Iste fuit Godefridus Gibbosus, cujus relicta Mathildis Marchisa, terram suam viriliter rexit, et Abbatiam Canonicorum sancti Petri ad montes juxta Briciam in diœcesi Metensi fundavit. Ejusdem Godefridi corpus relatum est apud Virdunum, et ibi juxta patrem suum traditum sepulturæ. Henricus Leodiensis Episcopus fuit tutor juvenis Godefridi nepotis ex sorore Gibbosi, qui Godefridus juvenis, frater Balduini et Eustachii, per matrem suam Idam factus est hæres Bullonii : Comes verò Namurcensis Albertus per aliam Idam (*c*) uxorem suam dictum Bullonium reclamabat. Istæ duæ Idæ et earum successio, hoc est genus quod dicitur Heliæ militis, quem cygnus adduxit et reduxit, si creditur.... E

Anno MLXXVII. (*omnia ut apud Sigebertum et Ottonem Frising.*)

(*a*) Nempe ad Parthenonem olim S. Andreæ de Cumis *(de Comps)*, postea de Valle-Dei *(de Vaudieu)* appellatum, Monasterio Casæ-Dei subjectum, situmque in diœcesi quondam Claromontensi, modò S. Flori. Mabill. *Ann. lib.* 63, *p.* 10.

(*b*) Hi duo Judithæ comites atque ejus propinqui fuere Adelbertus de Monte-Maurilionis *(de Montmorillon)* ex Monacho Casæ-Dei factus Abbas Dolensis, ac demùm Archiepiscopus Bituricensis; ejusque frater Garnerius, qui, deposito militiæ cingulo, in Monasterio Casæ-Dei vestem monasticam induit, ibique ad finem usque vitæ perseveravit. Mabill. *Annal. Ben. lib.* 64. n. 98.

(*c*) Ad annum 1065 Albericus uxorem Comitis Namurcensis vocat Raelendim. En ejus verba : *Frederico (Lotharingiæ) Duce mortuo, Godefridus (Barbatus) Ducatum ejus recepit. Hujus Friderici relictam nomine Raelendem duxit Comes Namurcensis Albertus, et genuit ex ea Godefridum.* Sed et Gislebertus Montensis Idæ Boloniensis sororem Raelendem appellat supra p. 545.

Digitized by Google

A Anno MLXXVIII. Ab hoc tempore, ut dicit Elinandus, cœpit reflorere in Ecclesia sancti Quintini Bellovacensis ordo Canonicus. (*Ut apud Sigebertum.*)....

Episcopus Theodericus Virdunensis, Comiti Alberto de Namurco Comitatum Virdunensem contra hæredes Bullonii commisit....

Anno MLXXIX.... *Elinandus.* Hoc anno incœptum est Cœnobium sancti Salvatoris in Insula, quod dicitur Aquicinctus in Flandria, a viris illustribus Sichero et Galtero. Et hoc tempore primus Comes Arnulphus de Chisneio (*a*) a Mathilde Marchisa erat institutus.

Anno MLXXX. Gregorius Papa qui et Hildebrandus, quasi divinitùs sibi revelatum prædixit hoc anno falsum Regem esse moriturum. (*Vide Sigebertum.*)

Obiit Gaufridus, secundus dominus Jovævillæ et Comes Joviniaci, cui succedit Gaufridus filius ejus. Comes de Brena post Engelbertum dicebatur Gal-
B therus (*b*)....

Anno MLXXXI. Moguntia ex magna parte conflagravit incendio, etc. (*Ex chronico Sigeberti.*)

Quidam Comes Theodericus, filius Gerardi Florinensis, apud sanctum Hubertum sepultus est. Hujus Theoderici fuerunt filii Gerardus et Gosvinus.

Cùm Comes Albertus Namurcensis contra Godefridum castrum de *Mirevalt* intenderet ædificare, Episcopus Leodiensis Henricus præveniens eumdem totum montem cum pertinentiis a Richilde Comitissa emit, et castrum reædificavit.

Tunc temporis Mathildis Marchisa addiderat Episcopo Virdunensi Guisnensem Abbatiam Monialium. Episcopus Theodoricus Virdunensis, et Abbas Theodoricus sancti Huberti invenerunt in Scrinio sanctuarii caput Scholasticæ Virginis, cum parte capitis sancti Benedicti. (*Fabula.*)

C Anno MLXXXII.... Cùm Simon vir sanctus (*c*), licentiam remeandi ad Monasterium postularet, summus Pontifex ait illi : « Non est in mea potestate ut re-
» vertaris ; sed vade ad oratorium B. Petri, et quid de hoc in voluntate habeat
» in orationibus percunctare ». Abiit, et unâ nocte oravit ; et exinde statim infirmitate detentus ad lectum suum rediit. Summus Pontifex affuit, a peccatis absolvit, benedixit, et ut inter Apostolicos sepeliretur præcepit : qui sacramentis Dominicis roboratus, pridie Kalendas Octobris spiritum Deo reddidit. Affuerunt ejus obsequiis de mandato Papæ triginta Congregationes cum Romanorum turbis Supradicta Anglorum Regina Mathildis auri et argenti plurimùm Romam transmisit ad componendum ejus sepulcrum.

In Gallia Herimannus miles Herimanni Episcopi, coronâ sibi impositâ, post Rodulphum in Saxonia tyrannidem exercet, etc. (*Apud Sigebertum, pariterque*
D *sequenti anno.*)

Anno MLXXXIV.... Ecclesia et Abbatia sancti Michaëlis super Mosam * per Theodoricum Virdunensem Episcopum constructa est*, pro eo quòd Ecclesia illa se a Virdunensi ad Tullensem Episcopatum transferre vellet tempore schismatis.

Comes Montensis Balduinus uxorem duxit Idam filiam Henrici Lovaniensis.

Floruit in Burgundia, diœcesi Bisuntinensi, Magister Gerlandus, cujus opusculum *Candela* vocatur (*d*).

Anno MLXXXV. (*Descripto Sigeberti textu, subdit Albericus.*) Remis (*e*) adhuc

* *S. Mihel.*

* *Legendum*, destructa est, *ut in Gestis Virdunensium Episc.*

(*a*) De eodem hæc anno 1068 habet Albericus : *Arnulphus Comes Chisniaci et uxor ejus Adala de Roceio quædam contulerunt Ecclesiis. Fuit etiam idem Arnulfus Comes de* Givel *et de* Warc ; *et uxor ejus Adela soror fuit Comitis Ebali de Roceio, et uxor ejusdem Ebali dicta est Sibylia. Quære an.* 1063.

(*b*) Juvat huc revocare quæ anno 1055 de Gaufrido Jovævillæ Toparcha et Engelberto de Brena dixit Albericus : *Bellum fuisse*, inquit, *apud Maremortuum in quibusdam chronicis annotatur. Item* Boloniæ bellum, captio Gaufridi, mors Holdoini filii ejus. *Hoc tempore fuit Comes de Brena super Albam Engelbertus, qui Comitissam Joviniaci, viduam de primo marito suo, filiam habentem unicam, duxit uxorem : quæ filia per industriam Engelberti data est cuidam militi strenuo, Stephano nomine de Vallibus juxta Abbatiam S. Urbani, qui Stephanus erat de mensa dicti Comitis Engelberti. Et iste Stephanus post mortem dictæ Comitissæ fuit Comes Joviniaci ex parte uxoris, et ipse primus castrum de Jovevilla inchoavit, auxilium ferente Comite Engelberto ; qui Stephanus filium habuit Gaufridum nomine, qui fuit Comes Joviniaci, secundus dominus Jovævillæ. Iste est igitur de quo hic annotatur,* captio Gaufridi, *qui liber dimissus invenitur ab hinc vixisse per annos viginti sex. Et ista est brevis narratio de antiquitate Jovævillæ.*

(*c*) Simonis Crispeiensis operâ usus fuerat Hildebrandus ad implorandum Roberti Guiscardi auxilium adversùs Henricum Imperatorem.

(*d*) Opusculi hujus, imò operis satis ampli, cujus Auctor Gerlandus S. Pauli apud Bisuntinos Canonicus Regularis ac præceptor, extat exemplar manuscriptum in Bibliotheca Dominicanorum Parisiensium viâ Jacobeâ, atque aliud penes Franciscanos Trecenses. Est autem hæc *Candela* textuum scripturæ, Patrum, scriptorum ecclesiasticorum, Canonum ac Decretalium de rebus ad fidem, mores et disciplinam pertinentibus per ordinem digesta collectio.

(*e*) Manasse exauctorato, Elinandus Laudunensis Episcopus Remensem Archiepiscopatum, pactâ Philippo Regi pecuniâ, duos circiter annos obtinuit, ab an. 1081 ad an. 1083, quo Rainoldus seu Rainaldus Remenses infulas adeptus est.

Digitized by Google

vivente Papa Gregorio, deposito Manasse, succedit Rainoldus Archiepiscopus per annos undecim, menses quatuor.... A

Anno MLXXXVI.... Ordo Carthusiæ cœpit, ubi sunt Priores, et Ordo Calatensis, ubi sunt Abbates. Anno sexto Pontificatûs sancti Hugonis Gratianopolitani Episcopi, qui Pontifex annis quinquaginta duobus fuit, septem fuerunt fratres quorum unus dictus est Bruno, qui de Canonicis Regularibus sancti Rufi de Valentia exierunt (*a*), et duos istos ordines, mediante isto Episcopo Hugone, inchoaverunt. Habent Carthusienses quadraginta Priorias....

Anno MLXXXVII. Rex Anglorum Guillelmus, etc. (*E Guillelmo Malmesb. mutuata.*)

Odo ex Monacho Cluniacensi Episcopus Ostiensis, contra Imperatorem et Guibertum fit Papa, et Urbanus secundus nominatur (*b*).... Sedit annis decem, mensibus quatuor, natus de Castellione super Matronam, filius domini de *Lagery*. B Habuit alium fratrem Rodulphum, patrem Gerardi, cujus filius alter Gerardus genuit Odonem patrem Ægidii de *Lagery*, Monachi Remensis, cujus soror Hersendis fuit mater Balduini Monachi Igniaci....

Vigebat tunc in Italia præpotens Marchisa Mathildis, relicta Godefridi cognomento Gibbosi, provinciæ quæ nunc Lotharii regnum seu Lotharia dicitur, egregii quondam Ducis. Hæc eadem, viro sibi sublato quorumdam insidiis, ad viscerum interiora per inferiora ferro, dum ad naturæ secreta sederet, illato, sexûs oblita, nec dispar antiquis Amazonibus, ferrata virorum agmina ducebat in bellum, et mariti defuncti Ducatum integrè * retentabat, maximè suum infra Italiam; contra Imperatorem Henricum potentibus ejus auxiliis Urbanus Apostolicum obtinuit thronum, excommunicans cum Imperatore Guibertum. Hinc in Ecclesia scandala, ut dixit Sigebertus, et in regno, etc. C

* *Al.* impigrè.

Eodem anno incipit ordo beati Nicolai de Aroasia, quod nos dicimus *de Trunco Berengarii* : sub Præpositis erant usque ad tempora beati Bernardi Clarevallensis, et tunc Abbates constituti sunt (*c*).

Anno MLXXXVIII.... Rogerus Comes Porcensis * frater Hoscelini de Grandiprato, cùm fuisset captus et dehonestatus, malorum pertæsus filiam suam Sibyllam cum Comitatu suo dedit filio Comitis Alberti, Godefrido Namurcensi.

* *Château-Porcien.*

Anno MLXXXIX. (*Hoc anno nihil habet Albericus quod apud Sigebertum et Guillelmum Malmesb. non inveniatur.*)

Anno MXC. (*Recitatis ex Sigeberto subjungit.*) Herimannus Episcopus, permissu Imperatoris, a Metensibus urbe receptus, dum post prandium liberaliter celebratum in lecto se reclinasset, mortuus invenitur. Succedit ei Burchardus Præpositus Treverensis, et huic quidam Episcopus qui Poppo dictus est (*d*). D

Electus est in Episcopum Virdunensem Decanus Metensis Richerus per annos octodecim, frater Alberti de *Brie*, Hezelini et Joannis. Apud Tullum post Udonem Pibo Monachus sancti Benigni Divionensis, erat Episcopus....

Anno MXCI.... Bonæ memoriæ Henricus Leodiensis Episcopus, amator pacis et religionis, obiit et in Ecclesia S. Mariæ ante altare S. Joannis-Baptistæ tumulatur, eique Obertus ex Clero ejusdem Ecclesiæ succedit. Qui Obertus fuit Præpositus Ecclesiæ sanctæ Crucis in Leodio ; per Episcopum Henricum ejectus servivit fideliter Imperatori Henrico in parte Guiberti Ravennensis, et ita donatus est. (*Sequitur textus Guillelmi Malmesb.*)

(*a*) Neque Bruno neque socii illius e Canonicis S. Rufi prodierunt. Perperàm verò a Sigeberto discedit Albericus in assignando fundati Ordinis Cartusiensis anno. Facit enim cum Sigeberto charta a Pagio (ad an. 1086, n° VI) relata, quâ Brunoni et sociis a quibusdam viris in ea nominatis Cartusiæ solitudo concessa est. *Itaque Magistro Brunoni et his qui cum eo venerunt fratribus, ut Deo vacarent ad inhabitandum solitudinem quærentibus, ipsis eorumque successoribus in æternam possessionem spatiosam eremum concessimus, ego Humbertus de Mirebel, una cum Odone fratre meo et cæteris qui juris aliquid habebant in prædicto loco, etc. Præfata quidem terra his terminationibus conclusa, a Magistro Brunone et ab his qui cum eo erant fratribus cœpit inhabitari et construi anno ab Incarnatione Domini* MLXXXIV, *Episcopatûs verò Domini Hugonis Gratianopolitani Episcopi quarto, qui videlicet laudat et corroborat hoc donum quod fecerunt supradictæ personæ, cum omni conventu Clericorum suorum ; et quantùm ad se pertinet, quidquid sui juris esse videtur, omninò concedit.* Sanctus autem Hugo an. MLXXX Episcopus Gratianopolitanus renunciatus est, annoque MLXXXIV currebat adhuc quartus ordinationis ejus annus.

(*b*) Odo sive Otto in Papam sub nomine Urbani II anno 1088 a Kalendis Januarii inchoato, die XI Martii, electus est.

(*c*) Ordo B. Nicolai de Aroasia, loco Bapalmis in Atrebatensium finibus vicino, dicto etiam Aridagamantia ob ipsius ariditatem, atque de Trunco-Berengarii, quòd ibi sepultus insignis latro Berengarius crederetur, sub regula S. Augustini fuit institutus anno 1090 ; unde hoc disthicon :

Anno milleno Domini deciesque noveno
Norma Berengarii Trunco nova cœpit haberi.

(*d*) *Addit codex Regius :* Archiepiscopus Treverensis primus post Engelbertum Bruno dictus est.

Digitized by Google

A *Sigebertus*. Nobilis vir Heribrandus divinâ revelatione ammonitus a sancto Petro se a damnatione absolutum, apud Affligem ad conversionem venit, qui trigesimo die mox a Deo vocatur, quem secuti sunt quinque filii ejus, frater quoque magni nominis et potentiæ nomine Ingelbertus, omnes tonsurati ad cœlestes thesauros terrena patrimonia transtulerunt. (*Verùm hæc non habet Sigeb.*)

Anno MXCII. (*Ex Sigeberto.*) Ivo Præpositus Sancti Quintini Belvacensis, fit Episcopus Carnotensis, Gaudefrido tamen antecessore ejus, causâ dilapidationis rerum Ecclesiæ, per Papam deposito (*a*). Richerus erat Archiepiscopus Senonensis, Fulco Belvacensis, Petrus Pictaviensis, Hugo Suessionensis, Walterus Meldensis, Lambertus Atrebatensis, Episcopi, et Guillelmus Electus Parisiensis. Rainaldus adhuc erat Archiepiscopus Remensis, Hugo qui fuit Legatus sub Papa Hildebrando, Archiepiscopus Lugdunensis....

B Anno MXCIII.... Conradus filius Imperatoris Henrici, etc. (*Ex Sigeberto.*)

Eclipsis solis facta est nono Kalendas Octobris. (*Sequitur Guillelm. Malmesb.*)

Obiit Rogerus tertius Catalaunensis Episcopus, cui succedit Philippus frater Comitis Hugonis Campaniensis, natus de Alaïde sorore sancti Simonis, filius illius Theobaldi qui apud Sparnacum obiit.

Anno MXCIV. *Guido.* Dum sancta Hierusalem civitas sub Turcorum dominio multis et gravissimis esset oppressa miseriis, inter eos qui causâ devotionis ad eam veniebant, nec tamen intrabant, nisi dato priùs auro pro tributo, Petrus quidam Sacerdos de regno Francorum et pago Ambianensi, verè cognominatus Eremita, quantitate contemptibili, venerabili sanctitate pervenit. Hic in Ecclesia Dominicæ Resurrectionis dum pernoctaret in orationibus et vigiliis, ab apparente sibi Domino confortatus et jussus, ut pro populo ejus et sancta civi-
C tate legatione fungatur ad dominum Papam, et exulantem eum adhuc inveniens propter controversiam quæ erat inter ipsum et Imperatorem Henricum super investitura baculi pastoralis et annuli facienda, pro qua septimus Gregorius prædecessor ejus fuerat a propria sede per eumdem Imperatorem expulsus, eidem Papæ Hierosolymitani Patriarchæ apices, indices magnæ calamitatis fidelium, ostendit. A quo prædicator electus, et ad Principes directus et plebes, virtute multâ Dei verbum evangelizans, domini Papæ qui eum in Franciam subsequebatur, necessarius fuit præcursor. (*Sequitur textus Sigeberti.*)

Ivo Carnotensis Episcopus, captus a Vicecomite Carnotensi et quibusdam militibus et in carcere detentus, prohibuit suis ne eum armis liberarent. Scribit Hoello Cenomanensium Episcopo quòd Papa Urbanus disponat per Franciam Legatum, sicut fecerat Papa Gregorius Hildebrandus. Item scribit plures epis-
D tolas contra illicitas nuptias Regis Philippi contractas cum Bertrada Comitissa Andegavensi. (*Guillelmum deinde Malmesburiensem exscribit.*)

Anno MXCV.... In multa terrarum parte, pridie Nonas Aprilis, circa diluculum, stellæ perplures simul de cœlo in terram cecidisse visæ sunt, inter quas unam maximam labi in terra cùm quidam in Francia stuperet, et notato loco ubi visa est labi, cùm aquam ibi fudisset, fumum cum fervoris sono inde exire magis stupuit. *Baldricus ita retulit :* Pridie Nonas Aprilis, feriâ quartâ, lunâ XXV, visus ab innumeris inspectoribus in Gallis tantus stellarum discursus, ut grando, nisi lucerent, pro densitate putarentur. Quas quidam opinati sunt cecidisse ; quidam motus earum motum christianitatis interpretati sunt. Anno enim hoc eodem subsequente et Synodus Arvernis habita est, et via Hierosolymitana inchoata est....

In mense Novembri hujus anni, ante festum sancti Andreæ, generale Concilium, ut scribit Guillelmus (Malmesb.), apud Clarummontem Alverniæ civitatem

(*a*) Gaufredus ob nota flagitia, compellente Urbano II, jam ante mensem Novembrem anni 1089 Episcopatu se abdicarat, ut patet ex charta Stephani Carnotensis Comitis, inter probationes historiæ Blesensis pag. XIV relata, cujus hæ temporariæ notæ : *Actum Blesis in Camera S. Johannis, mense Novembri, Indict.* XII, *anno* 1089, *regnante in Francia Philippo Rege* XXII (fortè XXXI) *anno, Ecclesiâ Carnotensi tunc temporis proprio pastore Gaufrido viduatâ.* Huic verò sequenti anno a Clero populoque suffectus fuit Ivo, cujus electionem Richerius Archipræsul, qui Gaufrido deposito favebat, ratam habere detrectavit. Unde contigit ut cùm ei diem consecrationis, petentibus licèt ac pulsantibus Clericis, præfigere nollet, Ivo Romam ad Urbanum II, consulendi gratiâ se conferret. Qua de re audiendus ipsemet Ivo ep. 8 ad Richerium : *Aliunde me expetisse benedictionem calumniamini; veritate teste verum dicam, quia nec Episcopatum, nec benedictionem episcopalem a vobis petii, nec a quoquam. Sed cùm Clericorum primò ingenio, postea violentiâ Regi fuissem præsentatus, et inde cum virga pastorali a Rege mihi intrusa ad Ecclesiam Carnotensem adductus; cùmque Clericis petentibus ac pulsantibus nullum diem consecrationis mihi velletis præfigere, interea consilium mihi fuit electioni eorum non omnimodè assensum præbere, donec certus fierem et de Gaufridi depositione et summi Pontificis voluntate. Ad quem cùm pervenissem, ad petitionem Ecclesiæ Carnotensis Apostolicâ auctoritate sum constrictus, et ita in Episcopum consecratus.*

Digitized by Google

a summo Pontifice Urbano congregatur. Numerus congregatorum Episcoporum A
et Abbatum fuit trecentorum et decem, et sedit a die lunæ XIV Kal. Decembris (*a*)
per dies decem, ubi aliquot diebus primùm de fide catholica et eorum qui inter se
dissidebant pace prolixè tractatum est. *Guido.* Ibi dominus Apostolicus excom-
municavit Guibertum Ravennatem, qui se Papam appellabat, et Henricum Im-
peratorem Romanorum, qui eum manutenebat, Philippum quoque Regem
Francorum ejusque concubinam Comitis Andegavorum uxorem, et omnes qui
eum Regem vel dominum vocarent et ei obedirent, quousque veniret ad emen-
dationem, ut alter ab altero discedat (*b*). *Unde sequitur Sigebertus.* Philippum
Regem Francorum, qui, vivente uxore suâ, superduxerat alterius viventis uxo-
rem, Papa Urbanus excommunicat. *Auctor.* Alterius viventis, id est Comitis An-
degavorum Fulconis. Iste Fulco duos habebat filios, Gaufridum juniorem Mar-
tellum et Fulconem, et unam filiam Comitissam Redonensem. Quorum Gaufridus B
insidiis suorum necatus est (*c*). Amore autem prædictæ mulieris, ut scribit Guil-
lelmus, ita Rex Philippus captus est, ut illa sibi in omnibus imperaret, cùm
ipse omnibus aliis imperare cuperet. Denique omnium digitis se notari, et ab
omni orbe christiano se excommunicari propter ejus libidinem aliquantis annis
passus est....

Anno MXCVI. Eclipsis lunæ facta est tertio Idus Februarii; rursùs septimo Idus
Augusti eclipsis lunæ facta est. Episcopo Leodiensi Otberto Dux Godefridus
Castrum Bullonium venale exposuit, vivente adhuc matre suâ Idâ Ducissâ et
consentiente. Pro mille et quingentis marcis argenti facta fuit hæc distractio, et
ita castrum oblatum est in eleemosynam beato Lamberto. Idem Dux Sathanacum
et Mosacum Sanctæ Mariæ Virdunensi in perpetuum tradidit, et Comitatum
urbis quitavit, sed et castrum Falconis-montis quod erexerat, amore Episcopi C
diruit, et Episcopus Richerus multam summam argenti dedit similiter Mathildi
Marchisæ, pro reclamatione. Idem Episcopus Richerus Comitatum prædictum
contulit Comiti Barrensi Theoderico, donis et obsequiis delinitus.

Occidentales populi dolentes loca sancta Hierosolymis a Gentibus propha-
nari, etc. (*Ex Sigeberto et aliis Cruce-signatorum Historicis.*)

Remis obiit Rainoldus Archiepiscopus, et Abbas S. Remigii Henricus, Ade-
narius, Odo frater Ludovici Grossi de alia uxore, Hugo, Petrus (*d*). Manasses eli-
gitur in Archiepiscopum Remensem.

Annis MXCVII, MXCVIII, MXCIX. (*Gesta Cruce-signatorum in transmarinis prosequitur, anno verò* MXCIX *subjungit.*) Episcopus Leodiensis Obertus de *Mirevalt* castrum refir-
mavit, et Bovonem de *Wahart* fecit Castellanum ejusdem loci : qui Bovo genuit
Nigonem Castellanum, patrem Theobaldi, Julianum de Esmonvilla, Bovonem D
Canonicum S. Lamberti, Joannem Abbatem S. Huberti, et Simonem Decanum
Metensem et Leodiensem....

Obiit Anshelmus de Ribodimonte, cujus filia Agnes peperit Gossuino Gal-
therum de Avennis : qui de Yda genuit Nicolaum, Yvonem, Fastradum, et
Episcopum Evrardum Tornacensem. Nicolaus de Mathilde genuit Jacobum.
Yvo genuit Petronillam de *Cisoin*, cujus filia Isabella de Nigella.

Anno MC. (*Hujus anni gesta e Sigeberto et Guillelmo Malmesb. potissimùm mutuatur Albericus.*) Obiit Philippus Catalaunensis Episcopus, cui Hugo succedit. Treveris
Bruno erat Archiepiscopus....

Anno MCI.... Cono Comes de Monte-acuto, et Lambertus filius suus Comes
de Claromonte, Leodiensis diœcesis, cum aliis etiam viris nobilibus et ignobi-
libus, inter quos et venerabilis Sacerdos Petrus Eremita, primus hujus sanctæ E
peregrinationis prædicator et auctor, cum quibusdam burgensibus revertuntur
ad natale solum; et cùm essent in mari in magno periculo positi, ita ut de sua
salute omnes desperarent, communi assensu parique voto humili prece voverunt

(*a*) Non in diem lunæ, sed in Dominicam an. 1095 incidebat dies XIV Kal. Decembris. Verè quidem die lunæ seu feriâ secundâ Concilii actiones inchoatæ sunt, sed peractis de more precibus die præcedenti.

(*b*) Nemo veterum præter Guidonem asseruit, eos qui Philippum, dum in adulterio maneret, *Regem* vocarent vel ei obedirent, eâdem cum illo excommunicationis sententiâ multatos fuisse. Atque hinc fortè nata est quorumdam recentiorum opinio, Philippum existimantium a regni administratione, quamdiu a fidelium communione sejunctus fuit, abstinuisse, ipsiusque vices Ludovicum filium obiisse : quod quàm a vero alienum sit, alibi demonstrabimus.

(*c*) Non suorum insidiis, sed justo bello in obsidione Castri Condatensis sagittâ percussus interiit Gaufridus iste, 19 die Maii an. 1106.

(*d*) Hi quatuor fuere itidem S. Remigii Abbates, Henrici post Robertum, quem omittit, successores.

Deo

Digitized by Google

A Deo et Domino nostro Jesu-Christo construere Ecclesiam, si eos Dominus liberaret ab his imminentibus periculis : statimque voto completo, sequitur tanta maris tranquillitas et aëris serenitas, ut cœlum posset comparari saphiro purissimo. Cùmque ad Gallicam Belgicam prædicti Peregrini Dei devenissent, volentes voto suo satisfacere, Petrum exhortantur plurima munera largientes, quatenùs Deo adimpleat quod promiserant : qui zelo Dei accinctus, instinctu prædictorum Hoïum veniens, ad orientalem plagam illius oppidi, in loco ubi choreas soliti erant burgenses ducere, fundavit Ecclesiam in honore S. Sepulcri Domini et B. Joannis-Baptistæ, ob venerationem et recordationem Ecclesiæ Hierosolymitanæ, quæ Ecclesia in honore prædictorum patronorum dicitur esse fundata....

Anno MCII. Roberto Flandrensi Comite inquietante urbem Cameracum, etc. (*Ex Sigeberto et aliis.*)

B Anno MCIII... Boëmundus [Princeps Antiochenus] in Gallias veniens uxorem duxit Constantiam (*a*) filiam Regis Francorum. Hanc Constantiam duxerat Comes Hugo Trecensis sive Campaniensis in uxorem, sed causâ parentelæ factum fuerat inter eos divortium, secundùm quod in quadam Yvonis epistola ad Archiepiscopum Hugonem Lugdunensem est expressum (*b*). Cùm Episcopus Yvo rogasset per epistolam ut Archiepiscopo Hugoni Lugdunensi vel alteri idoneo committeretur iterùm per Franciam legatio, missus est legatus dominus Richardus Albanensis Episcopus, qui primò tenuit Concilium apud Balgentiacum Aurelianensis diœcesis, deinde Trecis de absolutione Regis Philippi, jam ferè per decennium propter Bertradam excommunicati.

Gualo Belvacensis Episcopus translatus est ad Episcopatum Parisiensem, et quidam Gaufridus factus est Belvacensis Episcopus....

C Anno MCV.... Obiit Comes Arnulphus de Cisneio, et apud S. Hubertum sepultus est. Comes Cono de Monte-acuto, pater Lamberti qui prosperè reversus fuerat de partibus transmarinis, sepelitur apud S. Hubertum : cujus uxor fuit Ida, filia senioris Lamberti....

Anno MCVII.... Obiit Richerius Episcopus Virdunensis.

Anno MCVIII. (*c*) Paschalis Papa Concilium tenuit Trecis. Ibi cassavit electionem Gervasii, filii Comitis Reitestensis, et Radulphum Præpositum ordinavit in Remensem Archiepiscopum. In eodem Concilio, secundùm epistolas Yvonis, Wlgrinus Cancellarius Carnotensis electus fuit in Archiepiscopum Dolensem. Hoc tempore Leodegarius erat Archiepiscopus Bituricensis....

Quòd filius Regis Francorum Philippi Ludovicus Grossus non fuit Remis inunctus, habetur in epistola * Yvonis quæ sic incipit : *Noverit sancta Romana* * *Ep.* 189.
D *Ecclesia, noverint omnes Ecclesiæ ad quas murmur Remensis Cleri pervenerit, nos in consecratione Ludovici Regis Francorum nihil nostrum quæsisse, sed pro communi utilitate regni et Sacerdotii consultè vigilasse*, etc. Postea scribit Radulpho * * *Ep.* 188.
Archiepiscopo Remensi, ubi in fine ait : *Sciat dilectio vestra, quia pro pace Remensis Ecclesiæ et vestra Regem humiliter et fideliter interpellavimus.* Idem Paschali Papæ * : *Audientes Remensis Ecclesiæ mirabilem et miserabilem desolationem* * *Ep.* 190.
Regem interpellavimus quatenùs prædictæ Ecclesiæ, expulso invasore Gervasio, pacem restitueret, et dominum Radulfum ejusdem Ecclesiæ Metropolitanum in gratiam suam receptum eidem Ecclesiæ præesse concederet.

Richardus Virdunensis Archidiaconus Comitatum Virdunensem regebat, qui ante Gervasium de *Restet* electus fuerat in Archiepiscopum Remensem, sed recusavit, et electus est in Virdunensem, ubi multa mala fecit, et fuit de parte schismatici per annos septem. Lisiardus erat Episcopus Suessionensis.

(*a*) Boëmundi adventus in Galliam et nuptiæ ipsius ad an. 1106 pertinent.

(*b*) Is tenor epistolæ quæ inter Ivonianas in recentiori editione numero 158 est : *Quia, Deo annuente, sategimus cum Rege Francorum et filio ejus Rege designato, ut jam displiceat eis incestum conjugium, quod est inter Constantiam filiam prædicti Regis et Comitem Tricassinum : fulti auctoritate legum et adjutorio bonorum cupiunt hujus conjugii maturare divortium. Dum ergo hæc voluntas ita fervens est, eorum instinctu moneo et rogo paternitatem vestram, ut commonitorias litteras mittatis Archiepiscopis et Episcopis ad curiam quæ habenda est in Natale Domini Suessionis, quatenùs a Rege ipso audiant computationem genealogiæ quam ipse, sicut dicit, paratus est jurejurando approbare et idoneis testibus confirmare. Et quia hæc genealogia ab Arvernensibus multoties est vobis computata, obnixè precantur ut eamdem computationem litteris apertè signatis per præsentium portitorem Episcopis ad curiam transmittatis, et rei veritatem litterarum testimonio manifestiorem faciatis. Nec enim decens est ut tantæ nobilitatis sanguis tam publico incestu diutiùs polluatur, et ad similem incestum perpetrandum ferali exemplo carnalium voluntas animetur. Consulo itaque ut filius et familiaris, ut qui importunè instare deberetis, nunc opportunè, quantùm in vobis est, malagma vulneri superponere minimè differatis.* Hugo porrò, dimissâ anno 1104 Constantiâ, quæ postmodùm Boamundo Antiochiæ Principi nupsit, novo ipse sibi connubio Elisabetham Rainaldi II Burgundiæ Comitis filiam conjunxit.

(*c*) Trecense Concilium an. 1107 habitum est.

Digitized by Google

Anno MCIX.... Philippus Rex Francorum obiit (*a*), Ludovicus filius ejus succedit. De ejus consecratione diximus in anno præcedenti. Annos viginti septem ei adscribere possumus.... A

Hoc anno multi sacro igne accenduntur, membris instar carbonum nigrescentibus. *Elinandus.* Tres plagæ tribus regionibus appropriari solent, Anglorum fames, Gallorum ignis, Normannorum lepra. In territorio tamen Belvacensi rarissimè solet accidere plaga ignis, quod beato Geremaro speciali dono a Deo datum asserunt.

Obiit S. Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus, scriptor librorum famosissimus, et vitâ sanctissimus, Pontificatùs sui anno decimo sexto, cui succedit Rodulfus Episcopus Roffensis, cujus electio diu protracta fuit. Obiit S. Hugo Abbas Cluniacensis, anno sexagesimo tertio ex quo fuit in Abbatem promotus (*b*)....

Anno MCX. Erant hoc tempore in Aquitania quatuor Eremitæ, quorum unus, videlicet S. Vitalis, fundavit Abbatiam de Savigneio in Normannia; alter [Robertus de Arbrissellis] domum Monialium excellentissimam Fontis-Ebraldi in Andegavia; tertius [Rodulfus de Fustaia] domum quæ dicitur S. Sulpitii in Britannia; quartus [Bernardus] Abbatiam de *Tyron* Carnotensis diœcesis sub Comitibus de Pertico. Unde Yvo Carnotensis Episcopus in ea epistola quæ sic incipit: *Cùm ea quæ Religiosis locis devotio fidelium*, etc. *Quòd Rotrochus nobilis et strenuus Mauritaniæ Comes humilitatis nostræ præsentiam adierit, postulans ut consecraremus cujusdam Cœnobii cimiterium, quod situm est super fluvium qui* Tyron *vocatur, ad usus quorumdam virorum Religiosorum.* Et hoc anno Richardus Albanensis Episcopus secundâ fuit vice per Galliam * Legatus, qui ad instantiam Comitis Hugonis Campaniensis oratorium S. Nicolai de Chiminum dedicavit, et suâ auctoritate privilegiavit.... B C

Ep. 283.

* *Cod. reg.* Franciam.

Sigebertus. Henricus quintus, Regis Anglorum filiam Mathildem admodùm parvulam in matrimonium sortitur (*c*). In mense Junio cometes apparuit, etc.

Erardus vir nobilis fuit hoc tempore Comes Brenensis, qui duxit unam filiarum Comitis Andreæ de *Archeis* et de *Ramerut*, de qua genuit Comitem Brenensem Galterum, et sororem ejus Felicitatem, quam duxit Simon de *Brois* qui jacet in Baja, filius Hugonis *Bardol*, et genuit ex ea Hugonem de *Brois* qui jacet in Claravalle, et Simonem de Belloforti. De altera verò filia Comitis Andreæ de *Ramerut* orti sunt illi de Playerra et de Montemirabili, et de Monteregali, et de Archeis. Habuit autem idem Comes Andreas filium unum Ebalum nomine, de quo suo loco dicemus quòd fuerit Episcopus Catalaunensis.

Item hoc tempore apud Jovevillam fuit Gaufridus hujus nominis secundus, tertius autem ejusdem loci dominus, et habuit duos filios, Renardum qui fuit Comes Joviniaci, pater Comitis Guillelmi, et Rogerum Jovevillæ dominum, et filiam Hadwidem de Asperomonte dominam, quæ facta est in gentem magnam. Ipse Gaufridus prædictus Jovevillæ dominus fratrem habuit Holdoinum nomine, qui in juventute mortuus tres puerulos reliquit, Galtherum videlicet, et Witherum, qui sine liberis mortui sunt, et Hescelinam dominam de Nullejo (*d*), quam quidam nobilis de Acromonte duxit, Guido nomine, Fulconis filius de Sarcellis; et genuit Werricum patrem Gualteri de Nulleio. Iste Guido de Acromonte fuit ex parte matris frater Tesselini Sori de Fontanis, qui fuit pater B. Bernardi Clarevallensis Abbatis, et habuerunt alios fratres, Holdoinum qui fuit avus Alberici de Esmanciis et Hainonem de Collumbejo, patrem Abelini. Item Guido de Acromonte fuit ex alia parte frater Ulrici, sub quo fundata est Abbatia Morimundi. — Rogerus de Jovevilla Gaufridi filius duxit Guidonis sororem de Vangionis-rivo *, et genuit Gaufridum Grossum, Robertum et Guidonem Episcopum Catalaunensem, et Beatricem Comitissam de Grandi-prato, cujus progenies multiplicata est absque numero. Gaufridus Grossus de Jovevilla duxit supradictam Felicitatem, relictam Simonis de *Brois*, et genuit Gaufridum Vasletum et Gertrudem matrem Comitis Hugonis Vaudani-montis *. Nulli sit one- D E

* *Vignori.*

* *Vaudemont.*

(*a*) Malè; anno enim 1108, tertiâ die Augusti, Philippus obiit.

(*b*) Recitat deinde versus de quinque sanctis Abbatibus Cluniacensibus, in quibus B. Hugo præsertim commendatur:

Ordine Berno prius stat, honore beatior Odo.
Surgit ab his sanctus Maiolus, fama virorum,
Igneus, ardentem vix cohibens animum.
Post fuit Arvernis satus Odilo missus ab oris,
Mitior ingenio quàm ferus imperio.
Proximus Hugo venis, discretis usus habenis,
Ordine posterior, utilitate prior.

(*c*) Mathildis anno 1109 Henrico V desponsata fuit, at non nisi anno 1114, die 7 Januarii matrimonio conjuncta.

(*d*) Codex Regius habet de *Mulleio.*

Digitized by Google

A rosum quòd personas istas hìc annotavimus, quarum nomina frequenter in chartis Abbatiarum inveniuntur.

MCXI. Henricus quintus hujus nominis Rex Romam vadit, etc. (*Ex Sigeberto.*)

Robertus secundus [Flandrensis Comes] in expeditione Regis Francorum Ludovici mortuus, Atrebati sepelitur : succedit filius ejus Balduinus....

Illi qui erant in castro de Vlowart * ex parte Richardi Virdunensis Electi, civem quemdam Metensem ceperunt; Metenses verò indignati castrum captum everterunt; Richardus Electus Rainaldum Comitem filium Theoderici Barrensis in jus vocavit, quòd castrum non defendisset, et castrum reædificavit. Comes Rainaldus ad audientiam non venit. Richardus coram nobilibus Comitatum urbis Virdunensis Rainaldo abjudicatum committit Guillelmo de *Luscenborc;* dedit et insuper pro ducentis libris Musacum, et Sathanagium ei oppignoravit, quæ B usque hodie Ecclesia perdidit. * *Dieulouard.*

Anno MCXII.... Comes Barri Rainaldus Comitatum Virdunensem armis sibi vindicavit. Richardus cum Comite Guillelmo Lusceburgensi ipsum graviter urgebant, ita quòd primo impetu belli amisit vicum S. Michaëlis, et castrum incensum est et eversum. Deinde tota terra cœpit esse in ruinam, præter castella et quædam loca munita : ad quæ expugnanda Imperatorem Richardus evocavit, qui, capto castro Barri et incenso, Comitem Rainaldum abduxit.

Anno MCXIII. Imperator Henricus Belgas ingressus Rainaldum Comitem hostem judicans bello petiit : quem in castro Barro in termino regni sito obsidione clausum, ad ultimum cum expugnato castro in deditionem accepit, et captivum abduxit. Ante verò prædictum Rainaldum fuit Comes Barri et Moncionis frater ejus Theodoricus, qui cùm esset intolerabilis subjectis, expulsus fuit, et Co- C mitatum Montis-Beliardi tantùm sibi retinuit. Horum autem pater fuit antiquus Comes Barri Theodoricus, cujus uxor mater eorum Ermentrudis est nuncupata....

Hoc anno electus est in Episcopum Laudunensem Bartholomæus, tam generis nobilitate quàm morum probitate, rerumque opulentiâ in tota Laudunensi Remensique provincia famosissimus, et a Rodolpho Remensi Archiepiscopo consecratur. Quis autem, vel de quo genere fuit iste Bartholomæus in anno Domini MLXIII habetur (*a*).

Anno a fundatione Cistercii decimo quinto B. Bernardus cùm esset annorum viginti duorum ætatis, venit ad ordinem cum sociis fermè triginta.

Obiit Hugo Catalaunensis Episcopus, succedit Magister Guillelmus de Campellis, qui moralia Gregorii Papæ abbreviavit et quædam alia fecit....

Intervenientibus pro Comite Barri de toto regno nobilissimis consanguineis, D Imperator eum custodiâ solvit cum omnibus suis, et ut sibi cognatum ad propria remisit, tantummodò sibi hominium ab eo suscepit. Richardus Episcopus omnia sibi contraria videns, Ecclesiam infensam, Imperatorem non fidum, qui hostem ejus dimiserat, et ipsum contra se nova moliri, crucem accepit, ultra Romam in itinere obiit, nondùm a Papa absolutus.

Anno MCXIV. *Episcopus Otto.* Henricus Imperator, Maguntiæ regio apparatu conjunctâ sibi filiâ Henrici Regis Anglorum Mathilde, magnificè nuptias celebravit.... Ipsa est Mathildis Imperatrix, quam post mortem Imperatoris Henrici

(*a*) Eo verò anno sic loquitur Albericus : « Dictum est superiùs in anno Domini 1031, quòd neptis ex sorore Regis Francorum Roberti, Beatrix nomine, Comiti Ebalo, primo marito suo, de Roceio peperit Ælidem et Hadwidem. De ista Hadewide dictum est supra. Istam Ælidem duxit Comes Hilduinus de *Ramerut,* et per eam factus est Comes de Roceio, et genuit ex ea duos filios et septem filias. Duo filii fuerunt Ebalus alter de Roceio, et Andreas de *Ramerut* et Arceis, Comites. — De septem filiabus, Ebali et Andreæ sororibus, prima Regi Galiciæ Sanctio, qui se Imperatorem nominabat Hispaniæ, peperit duos fratres, Petrum-Hildephonsum sive Alphonsum, Regem Galiciæ et Castellæ potentissimum, et fratrem ejus Fernandum, qui post eum totum regnum tenuit. — Secunda soror, Beatrix nomine, Rotroldo (*imò* Gaufrido) Comiti de Pertico peperit Comitem Rotroldum, et Margaretam de Novo-burgo in Normannia, cujus filia Juliana de Aquila fuit mater Reginæ Navarreorum. — Tertia soror Margareta Comiti Hugoni de Claromonte Belvacensi peperit Comitem Rainaldum et sorores ejus, de quarum una fuerunt Comites Bellimontis. De isto autem Comite Rainaldo plures fuerunt filii et filiæ, quos breviandi ratione necesse est prætermittere. — Quarta soror, nomine Ermentrudis, Theobaldo Comiti de Risnello peperit Hugonem, et Hildegardam, matrem Ebali de Buxi et de Monteforti, et aliorum multorum. — Quinta soror, Ælis de Serrata in Burgundia, peperit Ebalum et venerabilem Episcopum Laudunensem BARTHOLOMEUM, et eorum sorores, quarum una Henrico Comiti de Grandi-prato Hescelini filio, peperit illum Henricum qui sepultus est in Fusneio, qui Hescelinus Comes de Grandi-prato habuit fratrem Rogerum Comitem Porcensem, cujus filia fuit Sibylla. — Sexta soror supradictarum, Ada nomine, de Guisia honestissima domina, de cujus progenie sunt illi de *Ruez* et de *Audenarde.* — Septima soror Adela Arnulpho Comiti de Chisneio peperit Comitem Ottonem, patrem Comitis Alberti, et ita in infinitum ».

Digitized by Google

duxit Gaufridus Comes post Fulconem patrem Andegavensis, ut in sequentibus habetur, et genuit ex ea Henricum hujus nominis secundum, postmodùm Regem Anglorum.... A

Sedes Virdunensis per quatuor annos vacabat. Inde occasione supradictarum nuptiarum Imperatoris Henrici Henricus Archidiaconus Wintoniensis factus est Virdunensis Episcopus, postquam malus Richardus Virdunensis Electus obiit in Apulia. Comes Guillelmus de *Lucelburg* Comitatum Virdunensem reddidit Comiti Rainaldo. Cives eum non receperunt, sed factum est prælium ante Virdunum, et inde Comes Rainaldus saucius reportatur.

Anno MCXV. Electi sunt de Canonicis Laudunensibus septem, quibus traditum est sanctæ Mariæ feretrum cum aliis pluribus Sanctorum reliquiis, inter quas eminebat formâ et dignitate unum phylacterium, in quo scriptum legitur :

Spongia, crux Domini, cum syndone, cum faciali B
Me sacrat, atque tui Genitrix et Virgo capilli.

Cum his reliquiis profecti sunt in Angliam, in qua insula multa facta sunt miracula in diversis locis per B. Virginem....

Hoc tempore, ut ait Elinandus, florebant in Francia apud Laudunum nominatissimus ille Magister Anselmus qui glossaturam interlinearem, seu marginalem interruptam primus exhibuit, et frater ejus Radulfus, et ipse Magister Theologus, et Catalaunensis Episcopus Magister Guillelmus. Floruit etiam eo tempore Hildebertus Cenomannensis Episcopus, qui factus est Turonensis Archiepiscopus, Berengarii Turonensis discipulus, versificator et dictator egregius, ut apparet ex paucis quæ fecit, qui epitaphium quoque ejusdem Berengarii scripsit magnificè in versibus quinquaginta duobus, sed in eis laudum modum excessit, qui etiam Canonem metricè exposuit. Deinde de urbe Romana distichon composuit : C

Urbs felix, si vel dominis urbs illa careret,
Vel dominis esset turpe carere fide.

Hoc anno fundatum est Cœnobium Clarevallense sub primo Abbate B. Bernardo, qui uno anno fuit novitius, et uno anno claustralis Monachus, et annis triginta octo, id est, usque ad obitum suum fuit in Abbatis officio, et tam in exterioribus quàm in interioribus sanctæ Ecclesiæ negotiis officialiter occupatus. Erat autem quandò factus est Abbas, viginti quinque annorum. Mortuo Lingonensi Episcopo Joscerano successore Roberti, vacabat sedes Lingonensis, antequam dominus Guillencus esset electus : unde ab Episcopo Guillelmo Catalaunensi benedictionem suam B. Bernardus accepit....

Secundùm epistolas Yvonis fuit hoc tempore in Francia Legatus Cono Cardinalis, Episcopus Prænestinus, qui Concilium suum apud Belvacum tenuit, et postea Remis in Concilio Imperatorem Henricum excommunicavit. Iste Cono de quodam novo ordine B. Nicolai de Aroasia hoc tempore inchoato, hoc est de Trunco-Berengarii fuit assumptus.... D

Anno MCXVI. Obiit Yvo Carnotensis Episcopus, vir multarum virtutum, ut dicit Elinandus, similiter et litterarum, qui decreta abbreviavit, et multa alia utilia scripsit. Hujus volumen epistolarum de boni et æqui commendatione, malique et injusti dissuasione habetur a multis. Hic est qui Philippum seniorem Regem Francorum ausus fuit excommunicare pro pellice Bertrada suæ conjugi superinducta. Contra Comitem suum Stephanum Carnotensem ejusque relictam Adalam, et eorum filium Comitem Theobaldum, et contra Vicecomitem similiter, dominum scilicet de Puisato, in diversis causarum conflictibus pro Ecclesia sua viriliter stetit. Cùm Henricus Rex Angliæ quamdam filiam suam cuidam nobili in diœcesi Carnotensi vellet dare, idem Yvo illud matrimonium dissuadendo consanguinitatem in sexto gradu computavit. Mater secundi Richardi Normanniæ Ducis, nomine Gunnor, sororem habuit Seufriam nomine, de qua Josselina nata peperit Rogerum de Montegommeri. Hujus filia Mabilia soror Roberti Belismensis peperit alteram Mabiliam, uxorem Gervasii, cujus filius Hugo de Castronovo debuit habere filiam prædicti Henrici, sed non habuit. Pater autem hujus Henrici Guillelmus Nothus fuit filius Ducis Roberti, qui filius secundi Richardi memorati. E

De obitu et fine Comitis Flandriæ Roberti Guido ita dicit. Robertus qui in expeditione Asiatica, quam Europa contra Turcos movit, mirandus innotuit,

Digitized by Google

A gratiæ quam meruerat apud Deum et apud homines, laudis et gloriæ magnæ partum studio virtutis, et elaboratum multa militaris exercitii limâ splendorem, lethifero decoloravit eventu quo vitam, dum usu temerario lasciviæ (*a*) militaris arma tractaret, amisit. In historia Comitis Karoli de isto Roberto ita dicitur : Meldis ægrotans obiit, et apud sanctum Vedastum Atrebati sepultus est. Genuerat ex Clementia filium nomine Balduinum, qui circa biennium Flandriæ nobiliter tenuit Comitatum....

Anno MCXVII. (*Anselmus*) Balduinus secundus Rex Jerusalem moritur (*b*), frater Godefridi Ducis Lotharingorum, et primi Regis Hierosolymitanorum. Fuerunt autem filii Comitis Eustachii de Bolonia ex Ida sorore Godefridi Gibbosi Ducis Lotharingorum. Quibus de medio factis, tertius regnat Balduinus, filius Hugonis Comitis de Reitesta.... (*Sequitur Guido*) Comes autem Boloniensis Eusta-
B chius, defunctorum Ducis et Regis germanus, ad regni Hierosolymitani moderamen per quosdam ejusdem regni nobiles vocatus, cùm usque in Apuliam jam venisset, audito quòd in regno hæreditario jure sibi debito Comes Edissanus consanguineus suus successisset utrique germano, persuadentibus ei celeriter transfretare, et quod factum erat in irritum revocare, dignâ tanto Principe voce respondit : quòd nunquam illi terræ moveret scandalum, in qua Christus nos Deo reconciliaverat per sanguinem suum. Frater autem jam dicti Balduini de Burgo Gervasius, ab Episcopatu cassatus Remensi, Clericatum dimisit, et Comitatum de *Reitest* sibi hæreditarium arripuit, ducens in uxorem Elisabeth filiam Comitis Godefridi Namurcensis, natam ex Sibylla filia Comitis Rogerii Porcensis. Isto Gervasio mortuo qui filiam unicam reliquit, duxit eamdem Elisabeth Clarembaldus de Roseto, et genuit ex ea Renaldum, et illum Rogerum qui
C postea fuit Episcopus Laudunensis, et sorores ejus. Una fuit Ælis de Cimaco ; altera Alfelisia quæ ex nobili viro Philippo de Altaripa genuit Mathildem, quam habuit Windus Doicenus et de *Erpens*, de quo nostris temporibus dicemus. Clarembaldus verò supradictus de Roseto filiastram suam, Gervasii filiam, alienavit a terra, dans eam cuidam nobili Roberto Marmioni de Normannia. Dictus verò Gervasius et fratres ejus sorores habebant, quarum una Mathildis Odoni Castellano Vitriaci peperit Castellanum Guitherum et sorores ejus, et iste Guitherus Castellanus Vitriaci factus est ex parte matris Comes Reitestensis, et duxit unam filiarum supradicti Comitis Namurcensis, Beatricem nomine, de qua liberos utriusque sexûs genuit, de quibus postea declarabimus. (*Vide anno* 1168.)

Paschalis Papa moritur ; succedit Johannes Cajetanus, qui et Gelasium se nominat, etc. (*Ex Anselmo Gemblac. ad an.* 1118.)

D Balduinus Comes Flandriæ, Roberti junioris et Clementiæ filius, vigesimo sexto ætatis suæ anno Monachus effectus, sine hærede (*c*) moritur, et apud S. Bertinum sepelitur. Cui succedit consobrinus ejus Carolus, filius scilicet amitæ illius, Athelæ nomine, quem suscepit de Canuto Rege Daciæ. *Ex vita Comitis Caroli.* Comes Balduinus Flandriæ, juvenis egregiæ probitatis, scuto ipsi fronti suæ per infortunium parùm illiso, ægrotare cœpit, et in villa Rosillaria Monachi sumens habitum XV Kal. Junii moritur, et apud S. Bertinum sepelitur. Guillelmus de Ypra, Philippi filius fratris Roberti Frisonis, neptem Comitissæ matris hujus Balduini duxerat : ideò Comitissa hunc succedere volebat ; sed Balduinus Carolum consobrinum suum designaverat, cui Margaretam filiam Comitis Rainaldi de Claromonte conjunxerat, et Comitatum Ambianensium cum castello Incrensi donaverat. Sed Comitissa Clementia nomine nupsit Duci Lovanii
E [Godefrido], qui Dux, et Comes Hainonii nomine Balduinus, et Hugo Cam-

(*a*) Ed. *dum ita temerario lasciviæ*, etc. Cæterùm Robertus Meldas cum Rege Ludovico Crasso, cui auxiliator advenerat, obsidens, dum erumpentes cives in urbem compellere nititur, pro porta suffosso equo lapsus oppressusque, die tertiâ decessit, pridie Nonas Decembris, sive, ut alii tradunt, tertio Nonas Octobris anni 1111. *Meyer.*

(*b*) Balduinus nomine primus, Hierosolymorum Rex secundus anno 1118 in Quadragesima fato functus est, cui anno mortem ejus illigat Anselmus Gemblac. quem hoc loci Albericus exscribit.

(*c*) Balduinus hic *Securis* cognominatus, anno tantùm 1119 interiit, ut ex variis monumentis discimus, quorum instar fit omnium Sithiense Simonis Abbatis cartularium, cujus hæc verba sunt cap. 104. *Quo tempore Balduinus Comes cum Willelmo filio Roberti, quem Henricus Rex Angliæ captum tenebat, in Normannia contra eumdem Regem cum exercitu profectus, a quodam Britone levi ictu vulneratur : qui diutino languore correptus, Monachus S. Bertini in extremis efficitur, et anno Dom.* MCXIX, *sine hærede moritur, et in Cœnobio* Sithiu, *astante Carolo ejus successore cum universa Procerum multitudine et electo Flandrensium flore tumulatur, datâ pro ejus anima* XL *librarum berquaria : cujus frater Willelmus minor natu ante patrem mortuus* Sithiu *sepelitur, a patre datâ parte cujusdam berquariæ ad anniversarium pueri faciendum.* Berquariam verò sive Bercheriam interpretatur Cangius prædium rusticum berbicibus seu ovibus alendis idoneum.

Digitized by Google

pus-Avenæ Comes S. Pauli, et ipse Rex erant contra Carolum, sed Carolus A
Hugonem vicit, et Galterum Hesdinii Comitem patriâ expulit. Comitem quoque
Hainonii et Thomam de *Coci* devicit. Unde Clementia tandem victa de duo-
decim oppidis pro dote sua sibi assignatis ei quatuor guerpivit, Dikemuam,
Bergium, Ariam et Sanctum-Venantium. *Guido.* Comes Flandriæ Balduinus ju-
venis moriens consanguineo suo Carolo, Danorum Regis filio, Flandriæ tradidit
Principatum, qui Carolus Roberti Comitis patris Balduini ex sorore nepos fuit.

Anno MCXVIII. Joannes Cajetanus, qui et Gelasius Papa, Cluniaci moritur et
sepelitur, etc. (*Apud Anselmum Gemblac. an.* 1119.)

In Concilio Remensi Henricus in Episcopum Virdunensem confirmatur, sed
a Virdunensibus non recipitur. Ille ad gratiam Comitis Rainaldi se inflexit, et
cum eo urbem cepit violenter, ignem immiserunt, et quædam Ecclesiæ exustæ
sunt. Comes ad suum votum cives cepit, et ad redemptionem pecuniariam B
coegit (*a*)....

* *Corr.* MCXX. Anno MCXIX * Ordo Præmonstratensis cœpit hoc tempore per virum mira-
bilem Norbertum, natione Teutonicum, et fundata est Ecclesia sub Episcopo
Bartholomæo in diœcesi Laudunensi, in præsentia viri nobilis Thomæ de *Coucy*
et filii ejus Ingelranni. Habet hic Ordo trecentas quinquaginta Abbatias. Et
quia istorum hæredes nobilium, sub quibus fundata est domus illa, adhuc valdè
nobiles sunt, annotanda est breviter eorum antiquitas. Duo fuerunt fratres, Ebalus
Comes de Roceio, et Letardus dominus de Marla, quorum fuit soror Comi-
tissa de *Reitest*, uxor Comitis Manisserii, Jutta, mater Comitis Hugonis, qui fuit
pater Regis Jerusalem Balduini. De filia verò Comitis Ebali Ælide dictum est in
anno MLXIII (*b*), quòd ipsa peperit duos Comites Ebalum et Andræam, et septem
eorum sorores, de quibus ibi satis dictum est. Ebalus autem iste secundus de C
Sibylla genuit Comitem Wiscardum de Rocheio, et Comitem Hugonem *Cholet*,
et Thomam de Boscho, et duas eorum sorores; una Hugoni de Puisato peperit
alterum Hugonem, et exinde illa progenies de Barro super Sequanam. Altera
post mortem mariti sui de Ribodimonte, domino de Claromonte in Bassigneio
peperit Vichardum, etc. Comes Hugo *Cholet* de sorore, ut dicitur, Imperatoris
Conradi genuit Wichardum novissimum, et Hugonem patrem Ebali de Bosco,
cujus mater de Curia-Landonis, et duas eorum sorores. Una Galthero de *Mon-
tejai* peperit Guidonem patrem Comitis Galtheri de Sancto-Paulo, et Galtherum
patrem Galtheri de Nantholio (*c*); altera fuit mater Waurmundi de Castellione.
Wicardus novissimus de relicta Roberti de Monte-acuto, quæ fuit filia Joannis
Vicecomitis de *Maruel*, genuit Joannem et Radulphum, et tres eorum sorores:
unam Eustachiam habuit Robertus de Petraponte, et per illam fuit Comes filius D
ejus Joannes. Filia verò Letardi domini de Marla, nomine Ada, Alberico peperit
supradictum Thomam de *Cocy* (*d*), qui de [Yda] sorore Comitis Hainiaci duas
habuit filias, quarum Basilia (*e*) Alardo de *Cimay* peperit virum nominatissimum

(*a*) Hanc expeditionem recentior Ecclesiæ Virdunensis Historicus ad annum 1120 revocat.

(*b*) Vide supra p. 691. n. Anno verò 1031 dixerat: *Soror Regis Roberti Hadwidis Rainero Comiti de Hainaco, fratri Lamberti Comitis de Lovanio, peperit Beatricem, ex qua Comes Ebalus de Roceio duas genuit filias, Ælidem et Hadwidem. De Ælide sunt omnes Comites de Roceio, de Arceis, sive de* Ramerut, *vel de Brena super Albam, et per istos multi alii. De Hadwide verò, quam habuit Godefridus frater Episcopi Gerardi Cameracensis, processit tota progenies de Ruminiaco cum appendiciis suis. Item supradicta Beatrix Comitissa de Roceio de secundo marito filium habuit Manassem, Archiepiscopum postmodùm Remensem, de quo evidentiùs suo loco declarabitur.* Nempe anno 1070, ubi sic habet: *Manasses ordinatur Remensium Archiepiscopus per annos sexdecim. De matre ejus dictum est superiùs in anno* MXXXI, *quod ipsa fuit Beatrix de Hainaco, neptis Regis Roberti: pater verò ejusdem Archiepiscopi dictus est Manasses Calva-asina, et fuit frater Comitis Hildewini de* Ramerut *sive de Roceio. Horum etiam duorum frater fuit Comes Suessionensis, Guillelmus nomine, qui genuit Renaldum et Joannem Comites, et Manassem Episcopum Suessionensem. Horum soror Yvoni de Nigella peperit Comitem Radulphum, qui genuit Comitem Yvonem et Radulphum Castellanum de* Bruges, *et Theodericum Archidiaconum Cameracensem. De Radulfo Castellano nati sunt Comes Cono, Joannes pater Joannis de Nigella, et iste qui adhuc vivit Comes Radulphus Suessionensis.*

(*c*) Cod. Reg. addit: *Qui ex filia Joannis Comitis de* Maruel *genuit Rodulphum, Joannem et Eustachiam, ex qua Robertus de Petra-ponte genuit Joannem, qui per matrem factus est Comes.* Verùm hæc ex oscitantia videntur exarata, quippè paulò post iterantur.

(*d*) Hìc apertè Chronographus noster hallucinatur. Testis est enim Guibertus de Novigento, scriptor coævus l. 3 de vita sua cap. XI, Adam filiam Letardi Ingelranno I Codiciaci domino Thomam peperisse, quem ille ut spurium ob notam matris libidinem aliquandiu respuit, ac tandem in Codiciacensi toparchia successorem habuit, Marlæ dominio, cujus nomen retinuit, materno jure jam fruentem. Ingelrannus autem Drogonis filius, nepos fuisse videtur Alberici, cujus liberalitate fundata fuit anno 1059 Abbatia B. Mariæ de Novigento subter Codiciacum.

(*e*) Gislebertus Montensis, supra p. 553, eam vocat Ydam; ait enim: *Balduini III Comitis Hanoniensis soror Yda nupsit viro nobili et potenti ac bellicoso in Francia, Thomæ de Marla, de quo filiam habuit Ydam nomine: quæ Yda nupsit viro nobili Alardo de Cimaco, agnomine* Poliere, *Pari castri Montensis, de quo ipsa filium habuit Egidium. Defuncto autem Alardo, Yda nupsit Bernardo de* Orbais, *de quo ipsa filium habuit Engelrannum.* Unde Basilia

Digitized by Google

A Gilonem, et Hadwidem quam habuit Cono de *Vilers* et de *Han*, et post Bernardo de *Orbais* peperit Ingelrannum; alteram habuit Erardus de Bretulio. Idem quoque Thomas de *Cocy* de secunda uxore domina de Bovis genuit Ingelrannum superiùs nominâtum, patrem Radulphi de Marla, et Robertum Bovensem, virum crudelem, et illam quæ data est Hugoni de Gornaio. Et de his omnibus sufficiat sic tetigisse in hoc loco....

Sudarium Domini, de quo supra tetigimus in historia Antiochena, modò est in Abbatia de Caduinii * Petragoricensis diœcesis. Dominus Ademarus Podiensis moriens in Antiochia vasculum plumbeum cum Sudario commisit cuidam Vicecapellano suo, deferendum Ecclesiæ B. Mariæ de Podio cum litteris suis, in quibus litteris præcipiebatur ut idem Vicecapellanus esset Canonicus Podiensis : qui cùm litteras præsentasset et de Sudario prælibasset, spreverunt eum Canonici de Podio
B qui erant magni et nobiles domini, tanquam ista confinxisset; et ita Vicecapellanus iste qui erat de Petragoricensi diœcesi natus, ad parochiam suam cum Sudario illo revertitur, et vasculum plumbeum in quadam trabe in Ecclesia sua non longè ab altari latenter et decenter collocavit. Contigit paulò post Ecclesiam illam comburi, et vasculum plumbeum cum Sudario, miraculo divino, incolume evasit. Deinde procedente tempore, Presbyter idem in Abbatia Caduinii, quæ erat vicina, se reddidit, et sanctuarium illud ibidem dedit....

* *Cadoin.*

Stephanus fit Episcopus Metensis per annos tres et quadraginta, natus ex sorore Papæ Calixti.

Anno MCXX. (*Post recitata quæ an.* 1121 *scripsit Anselmus Gemblac.*) Comes Hainonensium Balduinus moritur, cui succedit Balduinus filius ejus.

Anno MCXXI. Optimates regni, etc. (*Ex Anselmo Gemblac. an* 1122.)

C Obiit venerabilis Episcopus Guillelmus Catalaunensis : succedit dominus Ebalus, vir nobilis, filius Comitis Andreæ de Arceis, de quo habetur superiùs in anno MCX....

Anno MCXXIII. Domnus Adalbero ex Clero S. Stephani Metensis electus, Leodiensium ordinatur Episcopus. Translatio S. Guiberti Gemblacensis patroni....

Querimoniâ Virdunensium ad Imperatorem delatâ contra Comitem Rainaldum, Imperator Henrico de Grandi-prato Comitatum civitatis dedit, qui improvisus civitatem intravit, ac Episcopus ad Rainaldum Comitem fugit. Pugnatum est acriter ab utraque parte, ita quòd pars illius de Grandi-prato facta est superior.

Anno MCXXIV.... (*Episcopus Otto Frising.*) Imperator [Henricus] in Celticam (*a*) cum exercitu profecturus, Metas usque progreditur : ubi dum Vangiones a se defecisse, ac palatium suum extra muros positum comperit destruxisse, iter reflexit,
D urbem obsidione cinxit. Dum autem cives quâdam die incautè erumperent, et cum Augusto pugnare cogitarent, a muris callidè provocati, plurimis occisis ac paucis per fugam elapsis, cæteri capiuntur, qui, ad refrenandam aliorum insolentiam, alii naribus mutilati, alii luminibus orbati dimittuntur, et sic demùm infinitæ pactione pecuniæ in gratiam Imperatoris redierunt. (*Hæc ex chronici Ottonis, a nobis prætermissi, libro* VII, *cap.* 16.)

Obiit Archiepiscopus Remensis Radulphus, et apud S. Dionysium * honorificè sepultus. Godefridus fit Trevirensis Archiepiscopus, mediante Frederico Tullensi Comite.

* *C. R.* Remigium.

Comes Rainaldus et Comes Henricus de Grandi-prato apud Caladiam causâ pacis convenerunt, et Henricus Comitatum Virdunensem illi reddidit. Episcopus verò Henricus dedit eidem Rainaldo Dunum-castrum, et quatuor villas
E proximas....

Anno MCXXV. Remensium ordinatur Rainaldus Archiepiscopus per annos tredecim....

Hugo Comes Campaniæ factus est Templarius (*b*), et Theobaldus nepos ejus

nomen videtur alterius sororis ejus, quam duxit Evrardus de Britolio.

(*a*) Exercitum moverat in Celticam, seu veriùs in Belgicam Henricus V Imperator, injuriam ulturus quam anno 1119 in Concilio Remensi passus fuerat, anathema videlicet quo ferierat ipsum, Rege Ludovico VI præsente, Callistus Papa, urbemque Remorum, tanti opprobrii theatrum, deleturum se thrasonicè nimis jactitabat. Verùm ubi Metis accepit Ludovicum sibi, cum totius Galliæ viribus in occursum properare, pedem confestim retulit, sub obtentu quasi Vangionum rebellionem compressurus. Hæc e Sugerio constant, quem consulito.

(*b*) Hugoni, cùm propositi genus ab ipso mutatum audisset, sequenti epistolâ inter editas 31 gratulatus est S. Bernardus. *Si causâ Dei factus es ex Comite miles, et pauper ex divite; in hoc profectò tibi, ut justum est, gratulamur, et in te Deum glorificamus, scientes quia hæc est mutatio dexteræ Excelsi. Cæterùm*

Digitized by Google

Comes Carnotensis fit etiam Comes Campaniensis, et abhinc dissensiones multæ A
cœperunt oriri; siquidem Comes Hugo duxerat in uxorem Elisabeth, sororem
Comitis Rainaldi de Burgundia et Comitis Guillelmi de Ultrasagonam, et illa peperit
Champlite. filium Odonem nomine de Chanlita *, et dictum est a Physicis Comiti Hugoni
quòd ipse non habebat possibilitatem generandi; et idcircò consequens erat eum-
dem Odonem non esse suum filium, sed alterius, et hæc fuit causa quâ Comes
Hugo dictum Odonem non constituit sibi successorem.

Anno MCXXVI.... Obiit Episcopus Ebalus Catalaunensis : succedit quidam Ma-
gister Albericus (*a*). Apud Tullum post Episcopum Richardum fuit Henricus
Episcopus, frater Ducis Simonis de Nancejo et illius Theoderici qui postea fuit
Comes Flandrensis.

Domnus Norbertus Præmonstratensis Ordinis institutor, missus est ad partes
Alemannorum a Comite Theobaldo Campaniæ ad acquirendam et deducendam B
sibi uxorem, [Mathildem] filiam cujusdam Ingelberti nobilis Marchionis Foro-
Juliensis, et fratres ejusdem Ingelberti erant Episcopus Ratisbonensis et Archie-
piscopus Coloniensis Fredericus.

Anno MCXXVII. Anathema in medio terræ, facinus audax et indignum, om-
nibus sæculis vindicandum, etc. (*Ex Anselmo Gemblac.*)

Ex vita Caroli. Primus in Flandria cœpit vindictam Gervasius cum triginta
Equitibus vicinis Brugis, deinde Arnulphus Advocatus Tarvanensis, Balduinus
Gandavensis, Daniel Tenremondensis, Galtherus Lilariensis, Richardus Wal-
nensis, et Theodoricus de Dikemuda, Gervasio adjuncti. Guillelmus de Ypra
venit Tervanam. Præpositus Bertulfus fugit ad Alardum de *Warnesten*, qui tan-
dem jussu Guillelmi de Ypra comprehensus, Brugis patibulo appensus confessio-
nem fecit, et pœnitens obiit. Buchardus autem apud Insulam fuit appensus. C
Guido. Rex Francorum Ludovicus, militiæ gestis et regiâ magnanimitate præ-
clarus, quantâ Regem decuit exercuit indignatione vindictam in quosdam Flan-
drensium nobilium proditores, qui dominum suum Comitem Flandriæ Karolum,
quia malefactores extirpare nitebatur et raptores e finibus suis ejecerat, confo-
derant gladiis Deum orantem in Ecclesia, et crucis ad instar expansis in terra
manibus adorantem. *Elinandus.* In auctores sceleris acerrimè vindicatum est a
Rege Ludovico, ita etiam ut nonnulli ad rotam damnati sint. Eorum progenies
tota exiliata est, et multi innocentes quæ non rapuerant exsolverunt, inter quos
fuerunt pater meus Hermannus et frater ejus Ellebaudus, qui pueri nobiles et
pulcherrimi, magnis hæreditatibus perditis, de Flandriis in Franciam aufuge-
runt. Guillelmus de Ypra Comitatum Flandriæ sibi vindicavit; Aream, Sanc-
tum-Venantium, Caletum, Bellulam, Ypram, Bergensem et Furnensem ter- D
ram sibi subjecit et pacem servari mandavit. Rex verò venit Attrebatum (*b*) et
invasionem Guillelmi ægrè tulit; Guillelmum verò Normannum, Ducis Roberti
filium, mandavit, qui Reginæ sororem nuper duxérat. Isti ergo volebant esse
Comites : Guillelmus de Ypra, Arnulphus nepos Caroli, et Balduinus Mon-
tensis; sed consilium Reginæ prævaluit, et Guillelmus Normannus fit Comes
decimo Kalendas Aprilis. Rex Angliæ Henricus Flandrias reclamabat, et misit
nepotem suum Stephanum Boloniæ et Moretonii Comitem ad multorum animos
promissis et muneribus sollicitandos. Ducem Lovanii socerum suum, Balduinum

quòd tua jucunda præsentia nobis ita, nescio quo Dei est subtracta judicio, ut ne interdùm quidem videre te valeamus, sine quo nunquam, si fieri posset, esse vellemus, hoc æquanimiter, fateor, non portamus. Quid enim? possumus-ne oblivisci antiqui amoris et beneficiorum quæ domui nostræ tam largiter contulisti? Utinam ipse pro cujus amore fecisti, in æternum non obliviscatur Deus!

(*a*) Magister ille Albricus sive Albericus, Anselmi Laudunensis discipulus, rectorque scholæ Remensis, electus quidem fuit unanimi Cleri populique consensu in Episcopum Catalaunensem. Verùm electioni illi quantumvis canonicæ assensum obstinate è negavit Honorius II Papa, nequicquam deprecante in gratiam Alberici B. Bernardo, cujus hæc verba sunt in epistola inter editas 13, ad eumdem Pontificem hac de re scripta : *De Ecclesia dico, domine, Catalaunensi, cujus, quantùm in me est, nec debeo, nec valeo dissimulare periculum. Videmus nimirùm, jamjamque imminere sentimus, nos qui vicini sumus, pacem videli cet memoratæ Ecclesiæ graviter mox esse turbandam, si electioni illustris illius viri, id est, magistri Alberici, in quam utique totus tam Clerus quàm populus pari voto et voce convenerant et conveniunt, vestræ pietatis assensum impetrare nequiverint. De qua re si nostra quæritur sententia, novimus hominem sanæ fidei et doctrinæ hactenùs extitisse, in divinis pariter et humanis prudentem esse; et speramus in domo Dei (si tamen ipse elegit eum) fore vas in honorem, et utilem futurum non solùm illi, sed et omni Gallicanæ Ecclesiæ.* Quænam verò causa Pontificem adversùs Albericum moverit, ut tanti viri precibus animus ejus expugnari non potuerit, omninò incompertum. Utcumque est, cùm hac repulsa electio cassa et irrita haberetur, anno sequenti Catalaunenses Erlebertum Alberico subrogarunt. Is tamen paulò post Laudunensis Ecclesiæ Canonicus creatus est, tandemque ad sedem Archiepiscopalem Ecclesiæ Bituricensis anno 1136 evectus.

(*b*) Rex Ludovicus *circa mediam Quadragesimam* accessit Atrebatum, teste Gualterio in vita B. Caroli.

Montensem,

Digitized by Google

A Montensem , et Thomam de *Cocy* , et Guillelmum de Ypra in parte sua habuit. Comes tamen Guillelmus Normannus per præsentiam Regis prævaluit.... Rege Ypram tendente , supradictus Guillelmus stultè se illi opposuit , Guillelmus capitur , Ypra (*a*) incenditur , Flandria subjugatur , et vindicta exercetur. Hæc omnia per duos menses post mortem Comitis sunt facta....

Apud Catalaunum Herbertus fit Episcopus.

Comes Rainaldus Barri fit vitricus (*b*) Comitis Frederici Tullensis , et fratrum suorum Theoderici et Wedrici.

Anno MCXXVIII.... Guillelmus Comes Flandriæ cum Godefrido Duce Lotharingiæ castellum *Alost* obsidione premit , ibique levissimo vulnere , imò non vulnere , sed incisurâ in manu acceptâ , malè (ut putatur) a medico potionatus , repentè moritur , sed unde , nescitur. Theodericus ei succedit....

B Post Gaufridum Rotomagensem Archiepiscopum fit Archiepiscopus Hugo Cluniacensis Monachus. Iste Hugo scripsit librum elegantem de diversis quæstionibus ad Matthæum Albaniensem , qui similiter de Cluniaco fuerat assumptus.

Henricus Virdunensis Episcopus accusabatur a suis de incontinentia , de simonia , de rerum Ecclesiæ dilapidatione : qui Romam profectus , remissus est ad Matthæum Albaniensem , qui erat in Francia Legatus.

Magister Hugo Farsitus. Anno Domini MCXXVIII , in pago Suessionensi potestati adversæ concessum est percutere multos plagâ invisibili diversæ ætatis et sexûs , ita ut semel succensa eorum corpora cum intolerabili cruciatu arderent. Est autem morbus hic tabificus , sub extenta liventi cute , carnem ab ossibus separans et absumens , et morâ temporis augmenta doloris et ardoris capiens , per singula momenta cogit miseros mori , sed desiderantibus mortem non venit ,

C donec depastis artubus , ignis ille celer et pestifer invasit membra mortalia ; et (quod valdè mirum est) ignis hic sine calore validus ad consumendum , tanto frigore velut glaciali perfundit miserabiles , ut nullis remediis possint calefieri. Item quod non minùs est , ex quo divinâ gratiâ restinctus fuit , fugato mortali frigore , tantus calor in eisdem partibus ægros pervadit , ut morbus cancri eidem calori persæpè se societ , nisi medicamentis occurratur....

Anno MCXXIX.... Prælium apud Duracium inter Alexandrum Leodiensem Episcopum hujus nominis primum et Godefridum Lovaniensem Comitem , etc. (*Ex Anselmo Gemblac.*)

Domus Sancti Victoris Parisiensis quæ erat Prioria nigrorum Monachorum de Massilia , ejectis prædictis Monachis , adductus est Conventus Regularium [Canonicorum] de Sancto Rufo de Valentia per Magistrum Hugonem qui dictus

D est de Sancto Victore , et de Regis auctoritate , et ita multiplicatâ religione , habet Ordo iste benè triginta Abbatias , et plus quàm octoginta Priorias (*c*).

Matthæus Albanensis Legatus ex Ordine Cluniacensi Concilium tenuit apud Catalaunum in Purificatione B. Mariæ Virginis , ubi de consilio B. Bernardi Abbatis Henricus Virdunensis Episcopus Episcopatum dimisit , et factus est Episcopus Virdunensis per biennium quidam Abbas B. Remigii Remensis (*d*).

Comes Barri Rainaldus infra hoc biennium fecit sibi turrim in civitate Virdunensi , in qua plurima civitati fecit mala.

Anno MCXXX. Cùm B. Bernardus quâdam die venisset apud Divionem , et hospitatus fuisset de nocte in Abbatia S. Benigni , quam semper dilexit eò quòd mater ejus ibi sepulta est , audivit ante horologium circa altare ab Angelis antiphonam *Salve Regina* etc. dulci modulamine decantari. Primò credidit fuisse Conventum , et dixit Abbati die sequenti : « Optimè decantastis antiphonam de Podio hâc nocte

(*a*) VI *Kal. Maii* (an. 1127) *Rex et Comes cum gravi exercitu obsedit Ipram* , inquit Galbertus in vita Caroli Boni n°. 121.

(*b*) Ductâ nimirùm in uxorem eorum matre. Unde consequens est primam ejus uxorem Gislam mortem jam obiisse , uti demonstrat Chesnius contra Wasseburgum. Erat autem Gisla filia Gerardi Waudani-Montis , ut tradit Albericus an. 1070 , his verbis : « Gerardus de Alsatia , Dux » Mosellanorum , moritur hoc anno : cui succe- » dit Theodericus filius ejus. Prædictus Dux Ge- » rardus de Alsatia cum isto Duce filio suo Theo- » derico habuit etiam alterum filium nomine » Gerardum , qui fuit primus Comes Waudani- » Montis. Iste Comes Gerardus duxit filiam Co- » mitis de *Daburg* , neptem S. Leonis Papæ , de » qua genuit Comitem Waudani-Montis Hugo- » nem et sororem ejus Gislam , quæ fuit Comi- » tissa Barri , ut inferiùs dicetur » (uxor nimirùm Rainaldi primi.)

(*c*) Domus quidem S. Victoris Parisiensis olim erat Abbatiæ S. Victoris Massiliensis Cella seu Prioratus , verùm in eam Canonicos Regulares non Hugo , sed Guillelmus de Campellis induxit.

(*d*) Proximus hic Henrici Virdunensis Episcopi successor fuit Ursio Abbas S. Dionysii Remensis , non verò S. Remigii.

Digitized by Google

» circa altare B. Virginis ». Dicebatur autem antiphona de Podio eò quòd Ademarus Podiensis Episcopus eam fecerit ; et inventum est quòd illâ horâ quandò antiphona audita est, Conventus adhuc dormiebat, et ex tunc cùm frequenter ad memoriam antiphonam illam reduceret, audivit eam etiam, ut vulgatum est, circa altare B. Virginis in Claravalle decantari. Unde in quodam Capitulo generali Cisterciensi veniam suam accepit, quatenùs hæc antiphona ab omni Ordine reciperetur, quod et factum.... A

Ecclesia sancti Fursei Peronæ penitùs comburitur.

Fulco Comes Andegavensis fit Rex Jerusalem, ductâ in uxore Melissende filiâ Regis Balduini nuper defuncti. Filius illius Fulconis dictus est Gaufridus, post illum Comes Andegavensis, qui duxit in uxorem relictam Imperatoris Henrici Mathildem Imperatricem, filiam Regis Anglorum Henrici....

Anno MCXXXI. Apud Virdunum factus est Episcopus Albero de Chisneio, frater Comitis Othonis, non tamen uterinus, filius Comitis Arnulphi, qui illicò turrim quam Comes Barri in Virduno erexerat, dejecit. Comes Otto de Chisneio frater ejus jam decesserat, cujus erat filius Comes Albertus de Alaïde sorore Comitis Godefridi Namurcensis. Postea fecit pacem Episcopus cum Comite Barri pro quadam summa, et dedit ei feodum Clarimontis, et feodum de *Hans* et de Vienna, et ita Comes civitatem ei quittavit. B

Albero fit Archiepiscopus Trevirensis....

Papa Innocentius Monasterium S. Medardi Suessionensis, quod est trans fluvium [Axonam] situm, dedicavit.

Cùm B. Bernardus in Episcopatum Catalaunensem fuisset electus, recusavit, et per ipsum Gaufridus Abbas S. Medardi Suessionensis fit Episcopus Catalaunensis.... C

Hugo Comes S. Pauli, qui dictus est Campus-avenæ, exortis inimicitiis contra oppidanos S. Richarii in pago Pontivo, totum oppidum cum Ecclesia S. Richarii combussit : in qua Ecclesia aliquanti Monachi et inæstimabilis multitudo utriusque sexûs (quod dictu nefas est) simul concremata periit (*a*)....

Anno MCXXXII. Obiit S. Hugo Gratianopolitanus Episcopus, anno quinquagesimo secundo sui Pontificatûs, qui multùm fuit familiaris B. Bernardo. Sanctus igitur Bernardus in Francia et in Burgundia, et Sanctus Malachias in Hibernia clarent sanctitate et doctrinâ, et multorum miraculorum gloriâ....

Synodus magna apud Pisas celebratur ab Innocentio Papa, et facta sunt ea quæ de statu hujus temporis in vita S. Bernardi continentur.

Circa hoc tempus mortuus est Simon dominus de *Brois*, cujus relictam Felicitatem nomine duxit Gaufridus Grossus de Jovevilla, ac per hoc dominus Hugo de *Broïs*, filius hujus Simonis, terram per annos octoginta tenuit. D

Anno MCXXXIII.... Factus est Abbas Stabulensis vir eminentissimus Wibaldus per annos viginti septem, qui etiam Corbeiæ * præfuit.

*Corwei.

Anno MCXXXIV. Henricus primus Abbas Vallis-claræ Laudunensis diœcesis, factus fuit Archiepiscopus Eboracensis in Anglia, amoto quodam sancto Guillelmo per Papam, et post septem annos, mortuo domino Henrico, restitutus est idem vir sanctus Guillelmus, sed paulò post decessit veneno in calice ad Missam infecto : cui oblata fuit theriaca, sed ob reverentiam Sacramenti noluit recipere, et modò fiunt ad tumbam ejus miracula, oleo, ut dicitur, inde dimanante....

Comes Rainaldus Barri, mediante fratre suo Stephano Metensi Episcopo, tandem fecit pacem cum Episcopo Virdunensi Alberone, et in eodem anno idem Rainaldus per proditionem Bullonicum castrum sancti Lamberti obtinuit. E

Obiit sanctus Norbertus Archiepiscopus de Maideburg, octavo anno sui Pontificatûs....

Anno MCXXXV.... Rex Anglorum Henricus obiit, vir Ecclesiæ Dei et pauperibus multæ benignitatis, ac per hoc etiam multæ liberalitatis (*b*).

(*a*) Quo pacto illata oppidanis damna Hugo resarcierit, docent sequentia : « Hugo *Campd'Avene* cùm diu propter combustionem villæ » S. Richarii sub anathemate mansisset, tandem, » concedente domino Papâ Innocentio, meruit » ut pœnitentiam in terra sua ageret, et de suis » possessionibus Abbatiam quamdam construeret. » Ecclesiam itaque Cisterciensium, quæ de Carocampo dicitur, constituit, quam terris et possessionibus ditavit.... Hoc laudaverunt filii ejus » Engelrandus et Hugo, Anselmus, Radulphus et » Wido..... Hoc factum est anno ab Incarnat. Domini MCXXXVII. » (*Inter Instr. T. III. Gall. Christ. col.* 96.)

(*b*) Henrici Regis obitum rectè huic anno illigat Albericus ; perperàm verò an. 1133, ubi etiam ejus obitum narrat his verbis : « Rex Anglorum Henricus obiit mense Decembrio, vir pauperibus

Digitized by Google

A Anno MCXXXVI.... Godefridus Dux Lovaniensis et [Godefridus] Comes Namurcensis, rupto pacis fœdere, hostiliter inter se concertarunt multo tempore, etc. (*Ut in Auctario Gemblac.*)

Dominus Adalbero hujus nominis secundus ex Clero Metensi assumptus datur Leodiensium Episcopus: legitur in gestis Pontificum hunc fuisse de prosapia Namurcensi, et quòd filius sororis suæ fuit Dux Lovanii....

Angli dum haberent deliberationem quem sublimarent regio nomine et honore, sine liberis defuncto Henrico Rege, Stephanum nepotem ejus ex sorore constituerunt pro eo regnare. Hic Stephanus fuit frater Comitis Theobaldi Campaniensis, et erat Comes Boloniensis ex parte Idæ * uxoris suæ, quæ fuit filia Comitis Eustachii fratris Ducis Godefridi. Ex prophetia Merlini sic de istis duobus fratribus legitur: *Nitentur posteri transvolare superna, sed favor novorum sublimabitur.* Posteros [appellat] Regis Henrici nepotes ex sorore ejus Adala, Theobaldum videlicet Comitem Blesensem, et fratrem ejus Stephanum Comitem Moritonii et Boloniæ: quorum Theobaldus, divulgatâ morte avunculi sui Henrici, cùm jam in procinctu esset transfretare paratus in Angliam, ut se, hæreditariæ successionis jure, regali diademate insigniret, audito et pro veritate comperto quòd eâdem intentione frater suus præfatus, scilicet Stephanus, jam transiisset, cœpto destitit, regni dignitatem fratri, sicut erat sanctus et integer, germano sine invidia cedens...

* *Al.* Mathildis.

B Anno MCXXXVII.... Obierunt Renaldus Remorum Archiepiscopus (*a*), et Comes Pictaviensis Guillelmus. Petrus quoque Leonis moriens (*b*) pessimum schisma terminavit....

Anno MCXXXVIII. Rex Danorum, auditâ morte Regis Anglorum, cum multo navium apparatu, cum militari et pedestri exercitu, fines Angliæ devastat omni
C crudelitatis genere, dicens antecessorum suorum hæreditario jure et collimitanei maris vicinitate sibi magis deberi regnum Angliæ, quàm Stephano Regi, et Normannis ex Guillelmi Bastardi successione. Rex Anglorum reputans periculosum primo impetu cum tam efferato hoste non ex æquo confligere, habitâ dilatione et inspectâ opportunitate, dispersos longè latèque et inhiantes prædæ facili superavit congressione, multisque eorum interfectis aut captis, reliquos compulit cum dedecore ad propria redire....

Godefridus Barbatus, Lovaniensis, Dux Lothariensium moritur, etc. (*Ex Auctario Gemblac. an.* 1139.)

Anno MCXXXIX.... Gentis Anglorum Principes a Rege suo dissentientes, dum alter alteri variè assentitur, gens tota per eos affligitur, eò deteriùs quò cives ut hostes, sed interiùs, non exteriùs patitur. Unde in Merlino dicitur: *Nitentur*
D *posteri scandere superna*, hoc est regni coronam capiti suo imponere, *sed favor novorum sublimabitur.* Novos appellat Godefridum Comitem et filios ejus ex Mathilde filia Regis Henrici, in quos major hominum numerus tanquam in naturales dominos sese affectuosiùs et familiariùs inclinabat. Unde et Henricus primogenitus fratrum, post dira prælia et diuturna bella, tandem inito fœdere pacis cum Stephano Rege, successor regni ab illo designatus est futurus post obitum suum, de quo Stephano subditur : *Nocebit possidenti ex impiis pietas, donec se genitore induerit.* Cui sensus est iste : Jam Stephanus regio diademate insignitus erat et regni possessor, homo mansuetus et pius, sed impii homines ejus pietate abusi, nunquam eum infestare quieverunt, donec sese genitore induerit, Henricum scilicet juvenem affiliando, id est in filium adoptando, et regiæ dignitatis successorem post excessum vitæ, ut jam diximus, designando....

E Anno MCXL.... Eclipsis solis facta est quarto Nonas Aprilis, etc. (*Ex Auctario Gemblac.*)

Anno MCXLI.... Rex Anglorum Stephanus non satis cavens dubios animos Principum fictâ sibi amicitiâ adhærentium, dum quosdam hostes suos expugnare nititur, a suis derelictus et ab hostibus interceptus capitur et custodiæ mandatur....

» et Ecclesiæ Dei multæ benignitatis, qui hono-
» rificè apud *Radinges* sepelitur, titulo istiusmodi
» supposito :

Orbis honor, patriæque pater, Rex regula Regum,
Juris apex, tumulo clauditur ecce brevi.

(*a*) Diem et annum emortualem Rainaldi primùm Andegavensis Episcopi, deinde anno 1124 ad Archiepiscopatum Remensem translati, sequens inscriptio ex veteri membrana eruta certiùs designat his versibus :

Anno milleno centeno, ter quoque deno,
Octavoque simul, cum Jani dicitur Idus,
Remensis Præsul memorandus obit Reginaldus.

(*b*) Obiit Anacletus, *septimo die stante mensis Januarii*, sive 25 hujus mensis, anni 1138 a Januarii Kalendis inchoati.

Digitized by Google

Anno MCXLII. Adalbero hujus nominis secundus, Leodicensium Episcopus, A dolens fraudulentâ invasione Comitis Barri Rainaldi jam per septem annos violenter retineri castrum Bullonium, etc. (*Ut in Auctario Gemblac. an.* 1141.)

Non est prætereundum silentio quòd prædictus Comes Barrensis Rainaldus Papam per Haymericum Cancellarium, et Imperatorem per domesticos suos ad partem suam ita attraxerit, ut ab omni genere humano, tam seculari quàm Ecclesiastico, causa Leodiensis Ecclesiæ fuerit destituta, et ita miraculosè in adventu beati Lamberti castrum recepit Episcopus, quòd unus de duobus filiis ducis, Hugo nomine, qui erat in castro, in insaniam versus mortuus est (*a*), alter verò Rainaldus minor, Deo permittente, evasit incolumis.

Hoc tempore fuit Magister Petrus Abælardus in scientia (*b*) celeberrimus, cujus scripta de Theologia incendio, et ipsum scriptorem silentio condemnavit Papa Innocentius secundus. Capitula reprehensibilia habentur in quadam beati B
* *Epist.* 189. Bernardi epistola * ad eumdem Papam. Libri tamen ejusdem Magistri diu in abscondito servati sunt ab ejus discipulis. *Elinandus.* Ego ipse in eisdem libris multa reprehensibilia inveni, et dominus Gaufridus Autissiodorensis per annos tredecim beati Bernardi Monachus, qui fuerat ejusdem Petri discipulus, de eo sic ait:
« Ego mihi Magistrum aliquandò fuisse recordor, qui pretium nostræ redemp-
» tionis evacuans, nihil aliud nobis in sacrificio passionis Domini commendabat
» nisi virtutis exemplum et amoris incentivum; et quod scripturæ perhibent,
» humanum genus pretioso illo sanguine de potestate diaboli esse redemptum, in
» eo solo constare dicebat quòd exemplum nobis exibitum est usque ad mortem
» pro veritate et justicia certandi, et adhibitum est velut quoddam amoris in-
» centivum, cùm ex impenso amore occasio data est redamandi: sed beatus
» Bernardus sic imitandum prædicabat Dominum patientem, et redamandum aman- C
» tem, ut principalem hujus sacrificii causam velut Agni caput, redemptionem
» in eo profiteretur et adoraret humanam. Tria namque specialia nobis in sua
» passione Christus exibuit, exemplum virtutis, incentivum amoris, redemp-
» tionis sacramentum. Quod tertium si evacuatur secundùm Magistrum Petrum,
Exod. XII. 9. » non prodesse cætera poterunt; et cùm dicatur, *Caput Agni cum pedibus ejus*
» *et intestinis vorabitis,* Magister Petrus caput omittens, pedes et intestina vo-
» rabat tantummodò »....

Anno MCXLIII. Rex Anglorum Stephanus quibusdam pacis conditionibus solutus a captione quâ tenebatur, iterùm Angliæ genti principatur. Erat enim homo mansuetus et pius, sed impii homines ejus pietate abusi nunquam eum infestare quieverunt, donec sese genitore induit, Henricum scilicet juvenem affiliando et Regiæ dignitatis successorem post excessum vitæ designando. Fuit hic Henricus D Gaufridi Comitis Andegavensis filius, ex Mathilda Regis Anglorum filia.

Rex Francorum Ludovicus frequenter admonens per se et per Legatos suos Theobaldum Comitem Blesensem ne violenter invaderet et retineret aliena, etc. (*Ut in Auctario Gemblac. an.* 1142.)

Rex autem Aldefonsus Hispaniæ Imperator, qui hoc anno Choriam cepit civitatem et Saracenos inde fugavit, fuit filius Comitis Raimundi, fratris Co-
* Urraca. mitis Pontii de Tholosa, natus ex Waraca * filia Imperatoris Fernandi, qui civitatem Colimbriam recuperavit; et habuit iste Aldefonsus sororem Sanctiam
* *Epist.* 301. nomine, ad quam extat una beati Bernardi Epistola *. Filius autem prædicti Imperatoris Aldefonsi ex Rikissa filia Musuch Regis Russiæ, qui Choriam cepit, dictus est Rex Sanctius, de quo natus est Aldefonsus Rex Castellæ et Toleti, qui Parvus Rex appellatus est. De fratre hujus Sanctii Fernando natus est Al- E defonsus Rex Legionis; et de sorore hujus Sanctii Waraca, uxore Sanctii Regis Navarrorum, nata est Blancha Campaniæ Comitissa, et de filio ejusdem Sanctii Rege parvo nata est Blancha Francorum Regina: et hoc breviter per anticipationem tetigisse sufficiat.

Apud Catalaunum, mortuo Episcopo Gaufrido, successit Guido de Monte-acuto.

Anno MCXLIV... Regnum Francorum magnam patitur perturbationem bellorum per discordiam Regis et Principum, etc. (*Ut in Auctario Gemblac. an.* 1143.)

Anno MCXLV. (*In Auctario Gemblac. an.* 1144.) Rex Jerusalem Fulco moritur

(*a*) Hæc expeditio in capite libelli ab Auctore coævo scripti, cui titulus: *Triumphus S. Lamberti Martyris de castro Bullonio*, apud Chappeavillum Tom. 2. p. 577. illigatur anno Christi 1141, Conradi verò Imperatoris quarto.

(*b*) Abælardi scripta in Concilio Senonensi anno 1140 celebrato damnata sunt, personâ ejus Sedi Apostolicæ reservatâ.

Digitized by Google

A anno regni sui decimo quinto, cui successit filius ejus annorum tredecim, tertius Balduinus. *Guido.* Hic in virilem evadens ætatem, sicut elegantiâ formæ cæteris præeminebat, sic in vivacitate mentis et eloquentiæ flore cæteros anteibat. Hujus mater Regina Melissendis in Bethania Monasterium ædificavit puellarum, prædiis et divitiis regulariter ampliatum. Prædictus Rex Fulco antequam esset electus in Regem, fuit Andegavensium, Turonensium et Cenomanensium Comes, cui frater (*a*) fuit Gaufridus successor ejus, qui duxit Mathildem Imperatricem, de qua supra diximus. Civitas Rotomagi dedignata subesse Regi Anglorum Stephano, reddita est cum Normannia huic Comiti Gaufrido (*b*). De morte et superbia ejusdem Gaufridi fit mentio quædam in vita B. Bernardi.

Rex Francorum Ludovicus intelligens quia perturbatio capitis, perturbatio est membrorum, etc. (*Ut in Auctario Gemblac. an.* 1144.)

B Godefridus Comes, frater Balduini, moritur (*c.*)

Anno MCXLVI.... Remis in Cœnobio B. Remigii sanctus Gibrianus, etc. (*Ut in Auctario Gemblac. an.* 1145.)

Apud Laudunum post Bartholomæum Galterus per annos ferè xxx fit Episcopus.

Anno MCXLVII. Sanctus Bernardus Abbas Clarevallensis in Alemannia de mandato Papæ crucem prædicando virtutes multas et magnas fecit, inter quas et mortuum resuscitavit (*d*).... Occidentales ergo Christiani dolentes de subversione civitatis Edessæ, quæ et *Rohaiz* dicitur, etc. (*Ut in Auctario Gemblac. an.* 1146.)

Obiit Guido Catalaunensis Episcopus, succedit Bartholomæus.

Rainaldus Comes magnus Burgundiæ circa hoc tempus obiit (*e*).

Anno MCXLVIII. Hæresis Eonitarum intra Britannias pullulat, imò (ut veriùs dicatur) maxima hæresis Popelitanorum Henrici Apostatæ pessimi, quondam nigri

C Monachi, in terra Albigensium pullulavit, qui cùm esset idiota, et ipsos apices litterarum vix cognosceret, etc. (*Ut in Auctario Gemblac. an.* 1146.) Contra tam pestiferam hæresim missi sunt a domino Papa Hostiensis Episcopus et Legatus vir venerabilis Albricus, et Carnotensis Episcopus Godefridus vir religiosus, et Abbas Clarevallensis Bernardus. Post hæc prædictus hæreticus Henricus diu latuit, sed tandem a quodam Episcopo captus et Remis ad Papam Eugenium ductus est....

Anno MCXLIX. Conradus Rex recessurus Henricum filium suum Aquisgrani in Regem sublimat, etc. (*Ut in Auctario Gemblac. an.* 1147.)

Eugenius Papa, collectâ generali Synodo Remis, multa super statu Ecclesiæ tractavit, etc. (*Ibid. an.* 1148. *Deinde subjungit Albericus.*) In hac Synodo Remensi, Archiepiscopi, Episcopi et Abbates usque ad mille centum resedisse dicuntur. Episcopus Aurelianensis * ibi depositus est, et Hatto Trecensis (*f*). In eodem Concilio

* Helias.

(*a*) Non frater, sed filius Fulconis fuit iste Gaufridus, cognomine *Pulcher* et *Plantagenet.*

(*b*) Deditionem Rotomagi Gaufrido factam ad annum 1144 referunt alii Chronographi.

(*c*) *Locus corruptus, qui de Iwano de Alost, fratre Balduini Gandavensis, intelligendus est ut in Auctario Gemblacensi.*

(*d*) Anno præcedenti Germanicum iter Bernardus aggressus est, idque mense Octobri, ac forsitan ociùs, ut ex itineris serie a Philippo Sancti viri comite in libro de ipsius miraculis descripta colligitur. Hanc verò sic orditur : *Cùm in regno Teutonicorum verus Christi servus Bernardus verbum Crucis annuntiaret, necesse fuit ut Regi Conrado pro quodam pacis negotio loqueretur. Occurrit autem Frankevoert* (Francofurti) *quod in territorio Moguntino super Mogum* (Mœnum) *situm est castrum.... Ibidem quoque Constantiensis Episcopus Hermannus nomine, vir religiosus, adfuit, obnixiùs supplicans ut ad partes suas ascendere dignaretur... Acquievit ergo venire cum Episcopo, et Dominicâ primâ Adventûs Domini ingressi sumus fines Episcopatûs Constantiensis.* Deinde cap. 4. *Tertia,* inquit, *feria Vigilia fuit Dominicæ Nativitatis* (anni nimirùm 1146) *et navi venimus Spiram; ibi enim diem festum celebravit Rex Conradus, ibi coronatus est, ibi adfuit Episcoporum Principumque conventus.* Jam verò cap. 7. *Sextâ igitur feriâ,* inquit,... *soluta est Curia Spiræ, et nos Wormatiam festinavimus, ubi Pater sanctus, licèt obnixiùs rogaretur, moram facere noluit.... Transierat enim per Wormatiam ante duos menses;* nempè cùm Francofurtum ad Imperatorem primò contenderet. Ergo haud seriùs mense Octobri anni 1146 itineri Germanico Bernardus se commiserat. Wormatiâ secundò egressus Coloniam profectus est, unde Leodium venit. *Igitur Dominicâ post Octavas Epiphaniæ,* inquit Philippus cap. 11, *et secundâ feriâ Leodii mansimus.* Montibus Hannoniæ, ex eodem, feriâ sextâ sequenti pernoctavit ; et Sabbato Valencenas adiit. *Dominicâ die,* inquit, *venimus Cameracum.* (Ibid.)... *Secundâ feriâ* (20 Januarii) *in urbe Cameracensi, in Ecclesia B. Mariæ ad altare sublimius Pater sanctus Missarum solemnia celebravit, ut in eminentiori loco positum videre posset populus et non comprimeret.* (cap. 12.) *Dominicâ die festum erat Purificationis B. Mariæ : et Francorum Rex Ludovicus, devotissimus et christianissimus Princeps, Catalaunum occurrebat viro Dei. Plurimi quoque ex Principibus utriusque regni convenerant, et Legati Regis Romanorum, et Welphonis inclyti Ducis, ut de via Jerosolymitana communi consilio tractaretur. Quo vir Domini colloquio sic detentus est per biduum illud, ut ad populum exire nequiverit.* (cap. 13.) Digressus feriâ tertiâ, Barrum super Albam sequenti accessit. *Quintâ igitur feriâ, vir sanctus Missarum solemnia celebravit in Ecclesia S. Nicolai* (ejusdem loci)... *Ipsâ die... fuit redditus Claræ-valli.* (Ibid.) En itineris in Germaniam a Bernardo sacræ expeditionis causâ suscepti compendiosa series, omissis quæ ubique locorum patravit miraculis, quorum testes fuere qui hæc cum Philippo posterorum memoriæ tradiderunt.

(*e*) Die 19 Januarii an. 1148 Rainaldus devixit.

(*f*) Addit codex Regius : *Cui Hattoni ad preces Comitissæ Campaniensium succedit domnus Henricus.* Episcopos Heliam Aurelianensem et Hattonem Trecensem in Concilio Remensi depositos fuisse perperàm asserit Albericus. Priorem namque, sponte

Digitized by Google

B. Bernardus contra Pictaviensem Episcopum Magistrum Gislebertum Porreta de A
fide Sanctæ Trinitatis duobus diebus disputavit. Meminit ipse hujus loci sermone super Cantica Canticorum octogesimo ita dicens : « Si quid propriè de Deo dici » possit, rectiùs congruentiùsque dicetur, *Deus est magnitudo, bonitas, justitia,* » *sapientia; quàm Deus est magnus, justus, bonus et sapiens.* Unde non immeritò » nuper in Concilio quod Papa Eugenius Remis celebravit, tam ipsi quàm » cæteris Episcopis perversa visa est et omninò suspecta expositio illa in libro » Gisleberti Pictaviensis Episcopi, quâ super verba Boetii de Trinitate sanctissima » atque catholica commentabatur hoc modo : *Pater est veritas, id est verus; Filius* » *est veritas, id est verus; Spiritus Sanctus est veritas, id est verus; et hi tres simul non* » *tres veritates, sed una veritas, id est unus verus :* obscuram perversamque explanationem, quoniam veriùs saniùsque per contrarium dixisset : *Pater est verus, id est* » *veritas; Filius est verus, id est veritas; Spiritus Sanctus est verus, id est veritas, et* B
» *hi tres unus verus, id est una veritas.* Quod quidem fecisset si beatum Fulgentium » dignaretur imitari, qui ait : *Una quippè veritas unius Dei, imò una veritas unus Deus,* » *non patitur servitium atque culturam Creatoris creaturæque conjungi* ». Horum duorum, id est Petri Abælardi et Magistri Gisleberti, quidam discipuli nimiùm zelantes pro ipsis, beato Bernardo detrahere cœperunt, quorum unus Magister Stephanus de Aliverra dixit se ipsum interfuisse illi Remensi Concilio, et Bernardum nostrum nihil adversùs Gislebertum suum prævaluisse. In Magistro tamen Gisleberto illud commendatur, quòd correctus est, et quòd fecit minorem glossaturam continuam in Psalterium et in epistolas Pauli, secutus dicta beati Augustini, et quædam alia quæ recipiuntur.

Anno MCL. Conradus Imperator et Ludovicus Rex, qui superiori anno cum infinito exercitu profecti erant trans mare, etc. (*Ut in Auctario Gemblac. an.* 1148.) C

Nobilis Comitissa Mathildis Campaniensis, et uxor Rainaldi Comitis Nivernensis, et Comitissa Montis-veteris juxta Coloniam, et mater illorum Romanorum qui Frangipani dicuntur, neptes * fuerunt superioris Archiepiscopi Coloniensis Frederici.

* *Mss.* sorores.

Occasione cervi venientis quolibet anno ad Ecclesiam S. Cornelii Compendiensis, quem interfecerant Compendienses Canonici, amovit Rex Canonicos, et posuit ibi Monachos de Abbatia S. Dionysii, et ita cœpit Abbatia Compendiensis.

Anno MCLI.... Moritur apud Virdunum Hostiensis Episcopus, Cardinalis et Legatus, dominus Albricus, ad cujus tumulum B. Bernardus Missam pro eo celebrans, cùm venisset ad Postcommunionem, collectam pro mortuo dimisit, et collectam pro uno sancto Confessore dixit.

Episcopus Catalaunensis Bartholomæus mortuus fuit in peregrinatione Hiero- D
solymitana, et electus est in Episcopum Haimo Archidiaconus, nobilis et religiosus de Basochiis, qui fecit Enchiridion in Decretis secundùm Panormiam Yvonis Carnotensis....

Orta est contentio inter Henricum Episcopum Leodiensem, et Henricum Comitem Namurcensem, etc. (*Ut in Auctario Afflighem. anno* 1150.)

Anno MCLII. Mortuus est Imperator Conradus in reditu suæ peregrinationis, qui filium suum Henricum nomine in Regem Aquis, cùm esset iturus Hierosolymam, sublimaverat. Ludovicus de Norembergis qui erat tutor, auditâ morte Imperatoris, crucesignatus est et ipsum puerum commisit avunculo suo Duci Frederico, e partibus transmarinis regresso. Quomodò ejusdem Frederici filius a majori parte Baronum electus Romam adiit, infantem secum duxit, violenter a Papa benedictionem extorsit, et quòd Papa post benedictionem dedit ei male- E
dictionem nisi infanti regnum redderet, cùm ad ætatem pervenisset (*a*); sed eodem infante qui dicebatur infans de *Rodeburc* similiter mortuo, regnum sibi retinuit idem magnus Fredericus, filius Ducis Frederici, fratris ejusdem Conradi, et imperavit annis triginta novem.

abdicato Episcopatu, in Monasterium secessisse, idque anno 1146, liquet ex epistola Bernardi 246 ad Eugenium tertium : *Tempus est,* inquit, *ut et ego scribam, non jam pro Episcopo, sed pro paupere et humili Monacho.... Multi pro eo scripserunt ut remaneret Episcopus.... Ergo cùm sic liceret sperare timenti, nec frustra, ut sibi suisque videbatur, cessit tamen et nostro se totum commisit arbitrio. Ac ne occasione ipsius diutiùs Ecclesia fatigaretur, consulente me, anticipans terminum et securis ictum, ultrò Episcopum exuit.* Dixerat superiùs in eadem epistola : *Nivernis non est Episcopus, sed nec Trecis quidem.* Hatto quippè jam ab anno Trecensi sede relictâ, in Cluniacense Monasterium se receperat, ubi cœnobiticam vitam agebat, ad quem ea de causa scripsit Petrus S. Joannis Senonensis Prior epistolam quam Severtius in Episcopis Matisconensibus p. 135 vulgavit.

(*a*) Supple, *dicere supersedeo*, vel aliud simile.

Digitized by Google

A Obiit Albero Treverensium Archiepiscopus, qui fuerat Primicerius Metensis: cui succedit Hillinus. Item moritur Comes Campaniæ Theobaldus, sexto Idus Januarii, et apud Latiniacum sepelitur. Quatuor habuit filios hoc ordine annotandos; Henricum Comitem Trecensem Palatinum, largitate et liberalitate famosum; Theobaldum Comitem Blesensem, qui tenuit Carnutum; Stephanum Comitem de Sancerra, quæ Sacrum-Cæsaris est dicta; Guillelmum qui fuit Archiepiscopus Senonensis, et postea Remensis, ad quem Magister Petrus Comestor scripsit scholasticam historiam. Habuit etiam prædictus Campaniæ Comes Theobaldus filias sex: Prima fuit Maria Burgundiæ Ducissa [uxor Odonis II]; Secunda Agnes Barri Ducis Comitissa [Rainaldi II uxor]; Tertia quædam Ducissa in partibus remotis [Elisabeth Rogerii Apuliæ Ducis conjux]. (Hanc postea duxit Guillelmus *Goez* in diœcesi Carnotensi, et genuit duas filias, matrem Gaufridi de
B Dunzei, et Agnetem dominam de Monteforti in Cenomannia); Quarta Comitissa Mathildis Pertici [uxor Rotrodi III]; Quinta [Margareta] Monialis Fontis-Ebraldi. Sexta fuit Adela Francorum Regina. *Elinandus.* Relictam Ludovici Francorum Regis, vel potiùs, ut veriùs dicatur, repudiatam duxit Comes Andegavensis et Dux Normanniæ Henricus, Rex Anglorum mox futurus: unde guerra orta est inter eos. Hanc reliquit Rex Ludovicus propter incontinentiam ipsius mulieris, quæ non ut Regina se habebat, sed ferè se communem exhibebat. Fuit autem Alienor dicta, Guillelmi filia Pictaviensis Comitis et Aquitaniæ Ducis, quæ cùm Regi Franciæ Ludovico duas filias peperisset, Mariam Comitissam Trecensem, et Æleidem Comitissam Blesensem (*a*), postea prædicto Regi Henrico quatuor peperit filios et filias tres. Fertur etiam Regina Alienor duas habuisse sorores (*b*) quarum unam Radulphus habuit Comes Peronæ et Veromandiæ.

C Petrus, vir religiosus, factus est Tarentasiensis Archiepiscopus.

Abbas Alanus de Ripatorio fit Autissiodorensis Episcopus.

Anno MCLIII. Fredericus Magnus, Frederici Ducis filius, fratris Imperatoris Conradi, Romanis imperat, qui aliquantulùm de anno superiori imperaverat.

Papa Eugenius moritur, qui fuit Clarevallis Monachus, a quo quædam facta fuisse miracula certissimum est.... Succedit ei Anastasius hujus nominis quartus, anno uno. Moritur beatissimus Abbas Bernardus decimo tertio Kalendas Septembris, centum quadraginta Monasteriorum pater....

Anno MCLIV.... Obiit Rex Anglorum Stephanus, qui fuit frater Comitis Theobaldi, et erat Comes Boloniensis. Tres filios habuit, Eustachium, Joannem et Guillelmum (*c*), qui eodem ferè anno interierunt. De eodem Eustachio invenitur quòd sanctus Edmundus eum percusserit, eò quòd terram ejus depopulatus
D sit. Et factus est Rex Comes Andegavensis et Dux Normanniæ Henricus, filius Mathildis Imperatricis, quæ fuit filia primi Henrici Anglorum Regis.

Hoc tempore Magister Guillelmus de Concis Philosophus magni nominis habitus est.

Romæ mortuo Papa Anastasio, fit Papa Nicolaus natione Anglicus, qui dictus est Adrianus hujus nominis quartus, qui primus fuit Abbas Canonicorum Regularium S. Rufi de Valentia, et exinde factus Cardinalis ad Papatum ascendit....

Anno MCLV.... Godefridus Junior Dux Lotharingiæ [Margaretam] filiam Henrici Comitis Lemburgensis in conjugio sortitus est, per quod tandem rebus omnibus pace compositis, etc. (*Ut in Auctario Afflighem.*)

Anno MCLVI.... Quidam Magister egregius, Omni-bonus nomine, librum de *Concordia discordantium Canonum* diligentissimè ordinavit in duas partes;
E primam partem in viginti sex distinctiones, secundam in causas triginta septem per quæstiones diversas satis artificiosè propositas. Hic liber a nomine Auctoris Omne-bonum appellatur, et hunc secutus est tempore Alexandri Papæ Gratianus Cardinalis, qui multa addidit, ita quòd de viginti sex distinctionibus centum distinctiones fecit, sed per ipsum ista doctrina facta est magis authentica.

Circa hoc tempus Magister Petrus Lombardus fuit Parisiensis Episcopus ferè per triennium (*d*). Apud S. Marcellum est sepultus: qui fecit tria opuscula egregia,

(*a*) Cod. Reg. *Quæ peperit Ludovicum Blesensem.*

(*b*) Unam tantùm habuit Alienor sororem, Petronillam Radulfi Comitis Veromanduensis uxorem.

(*c*) Cod. Reg. *Duos filios habuit Eustachium et Guillelmum*; Eustachius porrò anno 1153 obiit, Guillelmus verò nonnisi mense Augusto anni 1160.

(*d*) Petrus a patria Longobardus cognominatus anno 1159 ad episcopalem Parisiorum sedem evectus est, teste Roberto de Monte ad hunc annum. *Magister etiam Petrus Longobardus,* inquit, *Parisiensem Episcopatum adeptus est, connivente Philippo ejus-*

Digitized by Google

videlicet librum *Sententiarum* quod est opus excellentissimum, Glossaturam A
continuam super B. Pauli epistolas, et opus satis grande super Psalterium. Et hæc est in scholis illa quæ dicitur *major Glossatura*. Magister quoque Richardus de S. Victore, natione Anglicus, multâ est laude prosequendus, ubi agit subtile opus, *de Contemplatione*, et librum qui vocatur *Exceptionum, et de visionibus Ezechielis ad litteram, et de mystico somnio Nabuchodonosor*, et cætera alia quæ suis locis inveniuntur. Et Magister Herveius Dolensis in Bituria, de nigro Ordine Monachus, nobile opus super Isaiam, et multa alia edidit....

Fredericus Imperator, judicio et consilio Archiepiscoporum et Episcoporum, relictâ uxore suâ, duxit filiam Comitis Burgundiorum Rainaldi, etc. (*Ut in Auctario Afflighem.*)

Anno MCLVII. Florebant illo tempore quidam viri nominabiles, quorum unus Zacharias Chrysopolitanus, de Ordine Præmonstratensium apud S. Martinum Lau- B
dunensium, fecit volumen illud egregium super quatuor Evangelia, quod *Unum ex quatuor* appellatur; et Radulphus ille Niger, Monachus Flaviacensis in territorio Belvacensi, fecit opus super Leviticum per viginti libros dispositum, quod prædicatur et probatur magnificum....

Theodoricus Comes Flandriæ jam tertiò profectus est cum quibusdam Principibus terræ suæ, ductâ etiam uxore suâ zelo piæ devotionis accensâ, cum quadringentis militibus et copioso belli apparatu, Hierosolymam. Philippus filius ejus Comitatum suscepit, quem justitia, fortitudo, liberalitas, omnibus bonis laudabilem et amabilem fecit (*a*)....

Anno MCLVIII.... *Guido*. Inter Regem Francorum Ludovicum et Henricum Anglorum Regem gravis discordia ferebatur, indignante Rege Francorum quòd pro diversis regni ejus dignitatibus quas ab eo tenebat idem Henricus, hoc est C
Ducatum Normanniæ, Comitatum Pictaviæ cum Ducatu Aquitaniæ, Comitatum Andegavensium et quædam alia, cùm ejus dominio astrictus esset, idem Henricus fidelitatis hominia non ei deferebat, sed inferebat injurias, et in multis adversùm eum præsumebat. Hujus occasione discordiæ multa inter illos contracta dispendia, commissa prælia, vastatæ regiones, eversa castra, depopulatæ sunt urbes, et strages hominum facta, quantam se vidisse non meminit ætas a tempore longo ante transacta. *Elinandus*. Sed ut pax inter eos firmaretur, filia Regis Francorum nomine Margareta data est filio Regis Anglorum Henrico primogenito ejus, quod tamen parùm profuit in hac parte.

Coloniæ post Arnoldum secundum quidam Fredericus hujus nominis secundus præfuit, de sorore superioris Frederici, frater Comitis Engelberti; deinde Archiepiscopus Rainaldus. Treviris post Hellinum fuit Archiepiscopus Arnoldus, D
de Bavaria, ut dicunt, oriundus. Metis post Episcopum Stephanum electus est Theodericus nepos ejus, frater Comitis Barri, qui erat Primicerius. Hic nota quòd Episcopus Stephanus supranominatus tres habuit fratres Comites, Theodoricum de Montebeliardi, Fredericum de *Ferretes*, patrem Comitis Ludovici, et Rainaldum Strabum Comitem de Barro Ducis, patrem prædicti Episcopi Theoderici et Comitis Rainaldi. Quatuor isti fratres sororem habuerunt quæ Comiti Herimanno de Salmis peperit Henricum de Salmis, et fratrem ejus Theodericum Abbatem S. Pauli Virdunensis. Theodericus Comes Montisbeliardi duas habuit filias, quarum unam [Agnetem] Richardus de Montefalconis accipiens, genuit Comitem Amedæum Montisbeliardi, et Archiepiscopum Theodoricum Bisuntinensem; de altera Comitis Theoderici filia natus est Comes Ludovicus de Salvernia. Apud Virdunum post Albertum Richardus fit Episcopus (*b*).... E

Anno MCLIX. Romæ, Papâ Adriano mortuo, eligitur a saniori parte Cardina-

dem Ecclesiæ Decano (Archidiacono) *fratre Regis Francorum, qui, ut dicunt, electionem suam concessit eidem Petro.* Neque etiam *per triennium Episcopus Parisiensis fuit*, sed admodùm biennium inchoatum, quandòquidem Mauritium de Soliaco in ejus locum anno 1160 suffectum legimus, diesque emortualis Petri XIII Kal. Augusti notatur in ejus sepulcro, quod hodieque in Ecclesia S. Marcelli propè Parisios visitur.

(*a*) Cod. Reg. addit : *Mater hujus Philippi fuit Sybilia Fulconis Regis Jerusalem filia, vivente patre; qui supervixit usque ad annum Domini* 1170, *et sepultus est in Ecclesia de* Vatenes, *quam ipse construxit, non longè ab oppido S. Audomari quasi ad duas leucas.* Verùm Theodericum de Alsatia Flandriæ Comitem anno 1168, die 4° Februarii, expleto quadragesimo sui regiminis anno, e vita migrasse constat atque in templo Vatinensi sepultum.

(*b*) Albertus anno quidem 1159 Episcopatum abdicavit atque in Monasterium S. Vitoni secessit : verùm Richardi successoris ejus electio in annum usque 1163 dilata est, propter discordiam nimirùm cleri Virdunensis, cujus pars in Alexandrum Papam, altera in Victorem Antipapam inclinabat. *Vassebourg, Antiq. Belg. fol.* 416. *Roussel, Hist. Virdun. p.* 263.

lium

Digitized by Google

A lium Rollandus Cancellarius, natione Senensis, et vocatur Alexander tertius : qui cùm se protestaretur indignum causâ humilitatis, prosiliit in medium Octavianus vir ambitiosus, ut aiunt, quibusdam sibi faventibus Cardinalibus : * *Iste non est cogendus.* Et mox ab illa parte de qua præsumebat, se patiens eligi, Victorem se nominare (quamvis victoriâ careret) præsumpsit, et veniens ad Imperatorem Fredericum qui Mediolanum in Lombardia obsidebat, ipsum ad se traxit, et generale schisma in Ecclesia fabricavit, et per annos ferè novemdecim innumera hominum millia ad inferos transmisit. Papa Alexander immobilis in fide stetit, qui habuit in partem suam Regem Franciæ et Regem Angliæ, et multos alios.

* *f.* dicens.

Elinandus. Hujus tempore fiunt miracula B. Mariæ de *Rupe-amatoris.* Abbas Corbeiæ et S. Remacli [Stabulensis Monasterii] Wibaldus, qui decorem domûs Dei dilexit, hoc anno decessit (*a*), cui frater ejus Ellebaldus per annos circiter
B triginta et duos apud S. Remaclum successit.

Bellum gravissimum ortum erat per annos circiter viginti inter Ducem Lovanii Godefridum juniorem, et Walterum cognomento *Bertold*, etc. (*Ut in Auctario Afflighem.*)

Anno MCLX. Rex Anglorum Henricus filiam Stephani neptem suam, Sanctimonialem et Abbatissam in claustro consecratam, contra fas legum Matthæo filio Comitis Flandriæ Theodorici dedit uxorem, ut per eam Comitatum retineret Boloniensem, etc. (*Ibid.*)

Anno MCLXI. Apud Lingones post Gaudefridum factus est Episcopus Galterus quondam Archidiaconus Lugdunensis, et Episcopus Eduensis (*b*). Fuit hic Galterus frater Odonis Burgundiæ Ducis, et habuit alium fratrem Episcopum Eduensem nomine Henricum. Horum etiam fratres fuerunt Raimundus pater Mathildis
C Comitissæ Nivernensis, et Hugo Rufus pater dominæ de Monteregali (*c*), et de sororibus eorum una (*d*) mater Guillelmi domini de Montepessulano, et una (*e*) mater Comitis Gerardi, filii Hugonis de Vaudanimonte. Et horum omnium pater Dux Hugo filius fuit illius Ducis Odonis, sub quo cœpit Ordo Cisterciensis (*f*).

Item hoc anno decesserunt dominus Bozo Catalaunensis Episcopus, et venerabilis Samson Remorum Archiepiscopus, qui obiit undecimo Kal. Octobris....

Anno MCLXII. Henricus Episcopus Bellovacensis, frater Regis Franciæ in Archiepiscopum Remensem promotus, quatuordecim annis præfuit. Hìc dicendum est quòd Rex Ludovicus cognomento Crassus istos habuit filios : Philippum coronatum in Regem, qui a porco (ut dicunt) occisus, vivente patre, decessit ; Ludovicum Pium Regem, qui post eum regnavit ; prædictum Henricum hoc anno in Archiepiscopum Remensem assumptum, et alios duos milites de quibus extat
D maxima progenies : scilicet Petrum de Cortenaio, et Comitem Robertum de Brana, qui duas habuit Comitissas, matrem scilicet Comitis Rotroldi de Pertico *, natam de Salisberia, de qua filiam Alaïdam genuit, unde nobilitas illorum de Torota, et modernorum Comitum de Sancto-Paulo processit. Hæc Alaïdis de primo marito Gallerano de *Brethuil* tres genuit filias, Comitissam Clarimontis Belvacensis (*g*), et uxorem Simonis Clarimontis, et Emiciam. De secundo marito Guidone de Castellione genuit Guidonem et Comitem Galterum et Alaïdem

* Harvisiam.

(*a*) *Anno Domini* MCLVIII, *Indict.* VII, *obiit venerandæ memoriæ domnus Wibaldus Stabulensis et Corbeiensis Abbas.* Hæc ferebat hujus epitaphium quod olim in Stabuliensis Ecclesiæ Sanctuario videbatur. Emortualis autem ejus dies notatur in necrologiis ad 19 Augusti diem, teste Martenio in secundo itinere litterario p. 152.

(*b*) In prochronismum incidit Albericus. Anno quippè tantùm 1163 ex brevi chronico San-Benigniano, successit abdicanti Godefrido Galterus Lingonensis, non verò Lugdunensis Archidiaconus, cujus fratres Robertus et Henricus, alter post alterum, non verò ipsemet Galterius, sedem Eduensem occuparunt.

(*c*) Cod. Reg. addit *et alium fratrem addit Morandus Alexandrum.*

(*d*) Mathildis, quæ Guillelmo VII Montis-Pessulani domino nupsit anno 1156.

(*e*) Sibylla nomine.

(*f*) Codex Reg. addit, *Mater verò Aaliz, filia Mosellanorum Ducis Matthæi et Berthæ sororis Imperatoris Frederici.* Quem locum etiam illustrat Albericus an. 1193, his verbis : « Dux Simon, et Fre» dericus de *Bites*, et Comes Matthæus Tullensis, » et Theodoricus qui fuit Electus Metensis ante » Episcopum Bertrannum, quatuor isti fuerunt » filii Ducis Lotharingiæ Matthæi, qui Dux Mo» sellanorum dicebatur, nati ex Bertha sorore » Imperatoris Frederici : quorum fuerunt sorores, » hujus Berthæ filiæ, Aalix mater Ducis Burgun» diæ Odonis, uxor scilicet Hugonis, et Ivetta » mater Comitis Stephani, avia scilicet Johannis » Cabilonensis. Soror quoque una prædictæ Ber» thæ Landgravio Thuringiæ Ludovico peperit » Hermannum Landgravium. Idem Dux Mat» thæus Mosellanorum et Robertus pater Philippi » de *Florehenges*, filii fuerunt illius Ducis Simo» nis qui fuit frater Comitis Theodorici Flan» drensis. Soror quoque istius Comitis Theode» rici et Ducis Simonis et Episcopi Henrici Tul» lensis, cuidam forti castellano de Burgundia » Bernardo peperit Josceranum et sorores ejus, » qui de sorore Comitis Cabilonensis genuit Henricum » patrem Joscerani Grossi ».

Perperàm id in codice Regio insertum fuisse, quippè ad Hugonem III Burgundiæ Ducem, non ad Hugonem II pertinent.

(*g*) Adelaïdem, uxorem Radulfi, Clarimontensis Comitis.

Digitized by Google

uxorem Guillelmi *Noblet*. De tertio Joanne Castellano Noviomensi genuit Guidonem et Joannem de Torota, patrem Joannis et Radulfi Virdunensis et Roberti Leodiensis Episcoporum. De quarto [Radulpho III] Comite Suessionensi genuit duas filias, Gertrudem uxorem Comitis Joannis Bellimontis, de qua Matthæus de Montemorenci liberos habuit, et uxorem Stephani de Sancerra (*a*). Secunda uxor Comitis Roberti supradicti de Brana fuit Agnes nobilis de Barro super Sequanam, mater Comitissæ Petronillæ, de qua genuit duos Episcopos (*b*) et Comitem Robertum secundum de Brana, et sorores duas eorum (*c*). Ultimus A

(*a*) Alienoram uxorem Stephani de Sancerra, II nomine, Castellionis ad Lupam Toparchæ, Franciæ Buticularii, filiique Stephani Sancerræ Comitis.

(*b*) Philippum nimirùm Bellovacensem Episcopum et Henricum Aurelianensem.

(*c*) Posteros Roberti Comitis ex secunda uxore, necnon Petri de Curtenaio progeniem fusiùs recenset Balduinus de Avesnis, fragmento quod ad calcem genealogiarum Hannoniensium edidit Jacobus Baro *le Roy*, Leibnitiusque chronico Alberici attexuit. Sic porrò se habet : « Rex Francorum Philippus primus, qui filiam suam de » uxore prima dederat Boamundo Principi Antiochiæ in uxorem, et aliam quam genuerat ex » [Bertrada] relicta Comitis Andegavensis, miserat Tancredo, postquam XLIII [*leg.* XLVIII] » annis regnaverat, mortuus est Meludini et sepultus apud S. Dionysium. Post hunc regnavit » filius suus Ludovicus, coronatus apud Noviomum, qui duxit uxorem filiam Comitis de *Moriane*, ex qua genuit quinque filios : quorum » primogenitus nomine Philippus, vivente patre, » infra annum post consecrationem cum equo » suo cecidit Parisiis per porcum, et ex læsione » mortuus est. Unde secundus post ipsum regnavit » Ludovicus post patrem. Tertius nomine Robertus, Drocarum Comes, uxorem duxit Agnetem, Comitissam de *Braine* ex hæreditate sua, » de qua unum genuit filium et unam filiam. Et » filius ille nomine Robertus, patri et matri succedens in Comitatu, Yolendim filiam Radulphi » de *Couchi* duxit uxorem, de quibus dictum est » (vide p. 557). Filiam verò magni Comitis Roberti, » filii Ludovici Regis, Ælidem, in uxorem duxit » dominus Radulfus de *Couchi*, qui filiam suam » dederat, Yolendim nomine, Roberto juniori.

» De hac ergo Aelide dictus Radulfus tres genuit filios et unam filiam : quorum primogenitus Ingelramus nomine patri succedens, ex » uxore sua, sorore domini Johannis de *Montmirail*, tres genuit filios et duas filias. Et horum » primogenitus Radulfus nomine, filiam Comitis » de Pontivo duxit uxorem; sed hic sine liberis » mortuus est ultra mare, quandò Rex Ludovicus » captus fuit *à la Massore*. Secundus horum nomine Johannes, similiter juvenis decessit. Tertius igitur Ingelramus nomine, patri succedens, » primò duxit uxorem filiam Ottonis Comitis » Gelriæ, Margaretam. — Filiarum una nomine » Maria, Regi Scotiæ Alexandro unum peperit » filium Alexandrum, qui patri successit in regno : » et dicta Maria post mortem Regis nupta est domino Johanni de *Acon*, filio Regis Aconensis » Johannis. — Secunda filia dicti Ingelrami, » Aelis, Comiti de *Ghines* Arnulpho plures peperit liberos.

» Secundus verò filius domini Radulfi de *Couchi*, nomine Thomas, dominus de *Vervin*, ex » Mathilde primogenita filia Comitis de *Retest*, » unum genuit filium et quatuor filias. Filius nomine Thomas, patri succedens, uxorem duxit » Ysabellam filiam Comitis Losensis Arnulfi : quâ » sine hærede mortuâ, duxit vicedomini de *Pinkengni* filiam, ex qua duos genuit filios et » unam filiam. Quorum primogenitus Thomas, » patri succedens, uxorem duxit Aelidem filiam » domini Gerardi de *Sottengheen*. Secundus nomine Johannes, uxorem duxit filiam Renaldi » de Sancto Lupo. Filia dicti Thomæ, Maria, » nupsit domino Galtero de Toraca. — Quatuor » autem filiæ supradicti Thomæ de *Couchi*, domini de Vervino, primogenita nomine Yolendis, domino Arnulfo de *Mortagne*, Castellano » Tornacensi, plures peperit filios et filias, ut » dictum est (supra p. 553). Secunda filia nomine Felicitas, domino Balduino de *Avesnes*, domino » de Bellomonte, unam peperit filiam et unum » filium. Filius nomine Johannes, ex Agnete filia » domini Guillelmi de Valencia, fratris Regis » Angliæ Henrici ex parte matris, duos genuit » filios. Et filia dicti Balduini nomine Beatrix, » nupsit domino Henrico de Rupe, primogenito » Comitis Lucelburgensis Henrici, ex sorore Comitis Henrici Barrensis. Tertia filia domini » Thomæ de *Couchi*, domini de Vervino, Agnes, » nupsit domino Goberto de Aspero-monte. Et » quarta ejusdem filia Abbatissa fuit Pacis Dominæ nostræ, Elysandis nomine.

» Tertius filius domini Radulfi de *Couchi*, Robertus nomine, ex filia domini de *Praiaus*, » Goda nomine, unum filium genuit Johannem, » qui post patrem terram tenens de *Pyon*, ex filia » Theolonarii Belvacensis unum genuit filium, » nomine Robertum.

» Filia verò domini Radulfi de *Couchi*, Agnes, » domino de *Beaumes* Ægidio, Castellano de *Batpaulmes*, quatuor genuit filios et filias : quorum primogenitus ex sorore domini Jacobi de » *Bailluel* in Hainonia filios genuit et filias. Secundus nomine Radulfus, uxorem duxit dominam de *Boudoer*, relictam domini de *Walaincourt*, et sine liberis mortuus est. Tertius nomine Thomas, Clericus factus est, et postea » Remensis Archiepiscopus. Quartus, nomine Robertus, cognomen habuit de Britannia, eò » quòd nutritus fuerat cum Comite Britanniæ, » Petro.

» Filiorum autem Regis Franciæ Ludovici quartus, » nomine Henricus, Clericus factus est, et postea Remensis Archiepiscopus.

» Quintus verò ejusdem Ludovici filius, nomine » Petrus, pro terræ portione terram habuit de *Courtenai*, qui duos genuit filios, Petrum et Robertum : quorum Petrus patri succedens, uxorem » duxit Comitissam Nivernensem, Agnetem, filiam » et hæredem Comitis Nivernensis Guidonis, dans » Regi Francorum Philippo *Montargis*, ut eum » juvaret ad hoc matrimonium perficiendum. Robertus quoque frater ejus uxorem duxit dominam de *Meu*.

» Dominus verò Henricus de *Gyent* guerram habuit contra Comitem Petrum, et prælialus est cum » eo ante Abbatiam S. Laurentii, et vicit eum, et » rapuit violenter Mathildem filiam ejus, quam » genuerat ex Comitissa Nivernensi. Postea Rex » Philippus pacem fecit, et dominus Henricus dedit » ei *Gyent*, et concessit quòd Comes Petrus Autissiodorum et *Tonoirre* teneret ad vitam suam : propter quod vocatus fuit Comes Autissiodorensis, » cùm Autissiodorum non esset Comitatus (*fallitur hic Genealogus*).

» Dictus Henricus ex filia Comitis Petri Nivernensis unicam genuit filiam, quam dominus Galtherus de Castellione postmodùm in » uxorem duxit, dans propter hoc Regi Philippo » villam de Remi, in terra Belvacensi, et genuit » ex illa filium unum et filiam unam : nomen » filii Galtherus, qui duxit uxorem filiam Comitissæ Boloniensis, Mathildis, quam peperit » Comiti Philippo, filio Regis Francorum Philippi. Dictus autem Galterus mortuus est in » prælio ultra mare, ubi Rex Ludovicus captus » fuit apud Mansoram. Comitissa verò Nivernensis ejus avia adhuc vivebat, propter quod » dictus Galterus nondùm tenebat Comitatum

Digitized by Google

A fratrum prædictorum Petrus de Corteneio, vir probissimus, de domina de *Montargis* genuit Petrum Autissiodorensem et fratres et sorores illius. Et eorumdem fratrum fuit una soror quæ dicta fuit Constantia, mater hæretici Comitis de Tolosa Raimundi et illius cognationis. Uxor autem Ludovici Grossi, mater omnium prædictorum, Regina Alaïdis, fuit soror Amedæi Comitis Sabaudiæ, de cujus alterâ sorore * Marchiones Montisferrati procedunt, de tertia Reges Portugalliæ (*a*), et istarum mater Comitissa Sabaudiæ fuit filia ejus qui tunc erat Dux Venetiæ (*b*).

* uterinâ.

In Episcopatu Belvacensi prædicto Henrico successit Bartholomæus, natus de *Montcornet* in Ardenna....

Imperator Fredericus a Rege Francorum invitatus, ut sublato schismate Romanæ Ecclesiæ, pax firma redderetur, etc. (*Ut in Auctario Afflighem.*)

Anno MCLXIII. In Cameraco post Nicolaum Alardus fuit Episcopus....

B Apud Catalaunum electus fuit in Episcopum quidam Guido de Dampetra, frater Anserici, Guillelmi, Andreæ et Milonis, virorum nobilium; sed divino, ut creditur, judicio, cùm esset indignus, obiit ipso die quo erat in crastino consecrandus. Et electus est et consecratus alter Guido de Jovevilla, frater Gaufridi, filius Rogeri, qui per annos viginti et octo præfuit.

Apud Tullum post Episcopum Henricum Petrus per annos viginti septem, vel circiter præfuit....

Guido. Florebat in Francia Palatinus Campaniæ Comes Henricus, quin potiùs Francia per illum, vir de quo dubium genere nobilior esset, an animo, cui Franciæ Regina soror, et filia Regis uxor, in quo constabat sibi regnum constituisse virtutes, et reginam plus quàm regalis munificentiæ largitatem. Novum et jocundum in eo spectaculi genus exhibebat invidiæ pia contentio, laudis certamen inter
C famam et meritum ejus, quòd scilicet peragrando circumniterentur invicem prevenire, merito fama tamen et meritò vincebatur. Nam quod præcedente merito premebatur a Comite, pretiosis gestorum titulis et sparsis longè latèque beneficiorum radiis emebatur. Inter insignia suorum operum illud jubare splendidiore refulsit, quòd Ecclesiam palatio suo contiguam in honore B. Proto-martyris Stephani (prout instruxit eum quem erga Deum habebat amor) extruxit, ditavit prædiis, holosericis ornavit, thesauris honoravit, Clero laudes exultatione divinas spirituali decantare celebriter ordinavit. Fateor me non vidisse, legisse autem non memini tantæ liberalitatis extitisse Principem. *Albericus Monachus.* Sed ô exclamatio præ dolore! quid nos ad hæc dicemus, quòd tantam in dicto Principe laudem per famam publicam denigravit, quæ adhuc resonat quædam lues importuna, lues pestifera; et licèt ipse pœnituerit, ut postea dicemus, tamen multi ex illis
D non pœnituerunt, qui per ejus exemplum et opus a via deviaverunt. Et hoc testatur causa Trecensis Episcopi Matthæi, quam apud Papam contra dictum Principem habuit. Sed non est a memoria excidendum, quòd cùm ipse Princeps in visione vidisset se in puteum quemdam cecidisse, et per quamdam virginem sanctam nomine Hildam se a periculo liberari, quæsivit diligenter quæ esset sancta Hilda, nec destitit, donec corpus ejusdem Sanctæ per quemdam armigerum nobilem inventum corio cervino diligenter insutum ab antiquo Trecas transtulit, et decenter non in auro et argento, sed in vase eburneo collocavit in prædicta quam fundaverat sancti Stephani Ecclesia. Fuit hæc sancta virgo Hilda sanctæ Helenæ Constantini matris ancilla.

Circa hunc annum obiit Comes Albertus de Chisneio.

Anno MCLXIV. Apud Cantuariam post Episcopum Theobaldum electus fuit hoc

» Nivernensem: sed terra ex parte patris, ac etiam Comitatus Nivernensis, Altissiodorum et *Tonoirre*, devoluta est ad ejus sororem [Yolendim] quæ maritata fuit domino Archibaldo de *Bourbon*: qui duas ex ea genuit filias, maritatas duobus filiis Ducis Burgundiæ Hugonis.

» Mortuâ quidem Comitissâ Nivernensi, Comes Petrus de Altissiodoro in uxorem duxit Yolendim, sororem Comitis Hainoniensis Balduini, hujus nominis quinti post Richildim, qui postmodùm fuit Imperator Constantinopolitanus. Fuit autem hæc Yolendis priùs per conventiones desponsata Comiti Campaniæ Henrico. Ex ea ergo dictus Comes Petrus tres genuit filios, Philippum, Robertum et Balduinum. Item tres filias, quarum una nupsit Regi Ungariæ; secunda Comiti Viennæ in Alemannia, cui plures peperit filios et filias; tertia domino Galtero, filio Comitis Barri super Secanam: quo sine hærede mortuo, ipsa iterùm nupsit domino de Monteacuto, in Burgundia.

(*a*) Ex Mathilde Amedei IV, Sabaudiæ Comitis, Adelaïdisque fratris filia, atque Alphonsi *Henriquès*, primi Portugalliæ Regis, uxore cæteri Portugalliæ Reges prodiere.

(*b*) Gisla uxor Humberti II Sabaudiæ Comitis, materque Adelaïdis Ludovici Grossi uxoris, filia fuit Guillelmi Magni, Burgundiæ Comitis, non verò Ducis Venetiarum, ut in confesso est apud omnes genealogos.

Digitized by Google

anno et consecratus Regis Angliæ Cancellarius Thomas (*a*), qui statim indutus A
virtutem ex alto, murum pro domo Domini contra Regem fortiter se opposuit, et reliquerunt eum Episcopi suffraganei sui, et eodem anno exul ab Anglia confugit in Franciam, et venit Senonas ad Papam Alexandrum tertium, tenens in manu sua causam scriptam propter quam exulabat, et recitata sunt in conspectu Papæ sexdecim capitula in quibus Rex libertatem ecclesiasticam in Anglia conabatur opprimere. Archiepiscopo ad singula Capitula stando disserente, Cardinales quidam, sed præcipuè Papiensis Guillelmus, qui pecuniam acceperant a Rege, multas vexationes sancto viro ingerebant. Admirans autem Papa sapientiam viri, magnificentiam atque præstantiam, vocavit eum ad se et fecit sedere juxta se. *Benè*, ait, *veneris, frater carissime, qui tantum onus, tamque arduum negotium pro Ecclesia Dei suscepisti.* Vir igitur Domini aliquanto tempore in Curia demoratus, tandem cum licentia et consilio Papæ Pontiniacum se contulit. Interea Rex in B
Anglia in totam cognationem ejus inaudito crudelitatis genere cœpit desævire.

Obiit Hugo Episcopus Rotomagensis, eique successit Rothroldus Ebroïcensis Episcopus, cognatus Comitum Pertici.

Theodoricus frater Comitis Barri per annos decem fuit Metensis electus.....

His diebus Episcopus Leodiensis Henricus erat in Lombardia cum Imperatoris exercitu. Hunc igitur Episcopum, Octaviano mortuo, qui se Victorem nominabat, Imperator Papam facere voluit, sed Episcopus recusavit. Licèt enim lateri ejus adesset ex necessitate, tamen recusabat esse Princeps in tam generali schismate. Cùm itaque Papatum illius partis suscepisset quidam Joannes Strumiensis (*b*) qui dictus est Paschalis, ab eodem Leodiensi Episcopo de mandato Imperatoris benedicitur et consecratur. Ipse verò post consecrationem suam eidem Episcopo pallii dignitatem contulit, et Regem Sardiniæ Barrasonam ab Imperatore coro- C
natum, idem Leodiensis Episcopus in Regem benedicit.

Comes Flandriæ Philippus, Comitis Theodorici filius, cùm per Constantinopolim (*c*) reverteretur a transmarinis partibus, habuit cum eo colloquium Imperator Manuel nobilissimus, et pertractavit cum eo matrimonium tale, ut filio suo juveni nomine Alexio una filiarum Regis Ludovici Francorum transmitteretur per ipsius Comitis industriam et colloquium seu consilium. Jam habebat Rex de filia Comitis Theobaldi, quam novissimè duxerat, Regina scilicet Adela, filiam juvenculam nondùm nubilem, et firmatæ sunt ad invicem pactiones, et factum est quàm citiùs fieri potuit, ut dicta puella Constantinopolim transmitteretur. Imperator verò Manuel in proximo moriturus filium suum Alexium cuidam Principi commisit, qui erat cognatus suus nomine Andronicus, cum cura totius imperii. Proditor autem ille nefandissimus, mortuo Imperatore, imperium ad se D
traxit, et multa alia commisit, et juvenem fidei commissum interfecit....

Anno MCLXV. *Elinandus.* B. Petrus Tarentasiensis Archiepiscopus venit (*d*) apud Calvum-montem, quod est in confinio Franciæ et Normanniæ, pro pace reformanda inter Henricum Regem et Regem Ludovicum pium, ubi multas virtutes per eum operatus est Dominus in præsentia duorum Regum prædictorum, et Henrici junioris Regis Angliæ et Philippi Comitis Flandriæ. In capite jejunii imposuit cineres benedictos capiti Regis Angliæ apud Mortuum mare.

Episcopus Leodiensis cùm reditus suæ Ecclesiæ et Episcopii valdè ampliasset, et palatium Episcopi apud Leodium fecisset, hoc anno secundùm gesta Pontificum Leodiensium decessit pridie Nonas Octobris, et apud S. Lambertum tumulatur: cui Alexander ejusdem Ecclesiæ Præpositus in regimine Episcopatûs succedit.

De nativitate filii Ludovici pii dicturi, priùs repetere debemus, quòd Rex iste Ludovicus de prima uxore sua Alienor, quam dimisit, duas habuit filias, Co-

(*a*) Theobaldum Cantuariensem Archiepiscopum anno 1161 feriâ tertiâ Paschæ, seu 18 Aprilis, e vivis excessisse demonstrat Wartonus Angliæ Sacræ parte I, p. 110. Sedem verò Cantuariensem tredecim mensibus supra dies quatuordecim postmodùm vacasse, Thomamque subinde ex voluntate Regis electum ab Henrico Wintoniensi Episcopo consecratum fuisse *Dominicâ Octavarum Pentecostes,* III *Nonas Junii,* XL° *circiter ætatis suæ anno,* tradit in chronico Gervasius Dorobernensis. Ergo in annum 1162 retrahenda Thomæ Archiepiscopi electio et consecratio.

(*b*) Errat Albericus. Nam Antipapæ Victori anno 1164 die 20 vel 22 Aprilis e vivis erepto, Guido Cremensis hoc ipso anno suffectus est, non verò Joannes Strumiensis, qui Guidoni anno tantùm 1168 successit.

(*c*) Philippus Comes Flandriæ an. 1177 in Palestinam profectus est, indeque sequenti anno in patriam rediit.

(*d*) Fallitur Elinandus, et cum eo Albericus. Petrus enim Tarentasiensis an. 1174 curam conficiendæ pacis inter prædictos Reges suscepit, ipsoque anno vitâ functus est, ut demonstravimus T. XII, p. 233.

Digitized by Google

A mitissam Mariam Campaniensem, et Aleidem Comitissam Blesensem (*a*). De secunda quoque uxore quæ fuit Hispana, duas similiter habuit filias, Reginam [Angliæ] Margaretam, et Comitissam Alix, quam duxit Guillelmus Comes de Pontivo. De tertia verò uxore Regina Adela, Comitis Theobaldi filia, duos etiam habuit liberos, [Agnetem] Imperatricem Græcorum, et illum de quo intendimus dicere Regem post futurum. *Ex chronica S. Dionysii.* Rex prædictus Ludovicus pius, cùm prædictas omnes haberet filias et nullum adhuc filium, genuit in senectute sua, quasi per miraculum, Philippum magnanimum qui Adeodatus est dictus, pro eo quòd pater ejus vir sanctus semper postulabat a Deo masculam prolem, et supplicabat omnibus viris religiosis, ut super hoc pro eo orarent Deum. Insuper cùm omnes Abbates Cistercienses juxta consuetudinem convenissent apud Cistercium, sicut solent singulis annis facere, prostravit
B se Rex Ludovicus in oratione manibus expansis in Capitulo in medio eorum; et cùm clamarent ei ut surgeret, nunquam voluit caput de terra levare, quousque illi, oratione fusâ ad Deum, ex parte Dei omnipotentis certificaverunt eum quòd in brevi esset habiturus prolem masculinam. Et sic tandem exauditæ sunt preces ejus, et datus est ei filius a Deo Philippus magnanimus, natus mense Augusto in Octavis Assumptionis S. Dei Genitricis anni præsentis....

Anno MCLXVI.... *Helinandus.* Hoc anno in Ruthenensi pago quædam tempestas castigavit gravi flagello populum Dei. Nam lupi feroces ab uberibus matrum pueros capiebant, et diris morsibus devorabant. Hæc pestilentia sedata est, et multa alia miracula per B. Mariam Virginem de Rupe-amatoris, id est *Rochemador*....

Anno MCLXVII. Apud Coloniam post supradictum Rainaldum sive Reginaldum factus est Archiepiscopus Philippus, vir inclytus, filius Gosuvini de *Heinesberch*,
C qui talem se exhibuit, quòd quadraginta marcharum millibus emit prædia, castella et reditus Ecclesiæ: sedit annis septemdecim....

Anno MCLXVIII.... Apud Leodium electus est hoc anno in Episcopum Rodulfus frater Bertholdi Zeringiæ Ducis, et Conrardi et Alberti, mediante avunculo suo Comite Namurcensi Henrico: qui Rodulphus apud Maguntiam post Henricum et Arnulfum extiterat Archiepiscopus. Sed quia Bennonem destruxit, id est quamdam statuam auream in Ecclesia Maguntina sic appellatam confregit, et aurum expendit, et consanguineis suis divisit, idcircò ab Episcopatu ipsum cedere oportuit. Et quoniam ventum est ad hunc locum, occasione avunculi ejus Comitis Namurcensis, tangenda nobis est breviter prosapia Namurcensis. Albertus Comes senior Namurcensis genuit Godefridum Comitem de Namurco, et Comitem Albertum * de Rupe, et sorores eorum. Una dicta est Aaliz vel Alaï- * *Corr.*
D dis, quæ Comiti Ottoni de Chisneio Comitem Albertum peperit. Hujus fuerunt Henricum.
filii, Comes Ludovicus, Theodoricus de Marleriis, Episcopus Arnulphus Vir-

(*a*) Ortam ex his duabus Ludovici Regis filiabus progeniem Vincentius Bellovacensis prosequitur in Speculo historiali lib. XXVIII. cap. 128, in hunc modum: « Rex Ludovicus, habito colloquio » cum Theobaldo Blesensi Comite, accepit Adelam sororem illius in uxorem, scilicet bonæ » memoriæ Theobaldi filiam, de genere Karoli, » ut dicitur, descendentem; filiam verò suam » Aelidem dicto Theobaldo juniori dedit in uxorem. Igitur ex Ludovico et Adela Philippus » nostri temporis Rex futurus ortus est; et Theobaldus ex Aelide filium suscepit Ludovicum, » ac filias Margaretam et Elisabeth. Ex quibus » scilicet Ludovicus, in Comitatu patri succedens, » uxorem Catherinam accepit, filiam Comitis » Clarimontis, cui Comitatus idem hæreditario » jure obvenit: qui, ex ea relicto hærede Theobaldo » nomine, perrexit Constantinopolim cum Balduino Flandrensi Comite, et ibi decessit. Porrò » filio ejus Theobaldo leprâ infecto ac sine hærede defuncto, successit in Comitatu Blesensi » Margareta ejusdem amita, et in Comitatu Carnotensi soror ejusdem Margaretæ Elisabeth. His » enim duabus sororibus nulla priùs hæreditas » erat paterna; sed Margareta gratis accepta fuit » in conjugium, primò ab Hugone de Osiaco » propè Cameracum, post cujus obitum nupsit » Othoni Comiti Burgundiæ, fratri scilicet Imperatoris Hainrici: quo defuncto, tertiò nupsit » domino de Avesnis Galtero, qui susceptam ex » ea filiam dedit in uxorem Hugoni filio Hugo» nis (*corr.* Galteri) Comitis Sancti-Pauli, ex qua » ortus est [Guido] filius qui successit in Comi» tatu Blesensi. Elisabeth autem altera filia a patre » suo Theobaldo data est primò conjux domino » de Ambasia, qui ex ea filiam nomine Mathil» dam genuit, quæ in Comitatu Carnotensi matri » successit; illoque mortuo, nupsit Elisabeth Jo» hanni de Montemirabili, qui sine hærede de» cessit, unde et Monsmirabilis Matthæo fratri » ejus jure propinquitatis obvenit.

» Maria verò altera Ludovici Regis filia, data » est uxor Comiti Campaniæ Hainrico, habuitque » duos filios ex ea, scilicet Hainricum et Theo» baldum. Horum Hainricus, cui jure primoge» nituræ post decessum patris obveniebat Comi» tatus Campaniæ, cùm adhuc esset sine uxore, » Comitatu in custodia fratris sui Theobaldi re» licto, perrexit in terram transmarinam cum » Rege Franciæ Philippo. Cùmque capta fuisset » Acon, Philippo Rege in Franciam revertente *, * *Corr.*
» Regina Cypri virum habebat qui simplex homo reverso.
» erat nec bellicosus videbatur, nomine Hun» fridum de *Thoron:* hunc Barones a Regina se» paraverunt, eamque [Conrado] Marchisio de » Monteferrato in conjugium tradiderunt, quem » et terræ acquisitæ custodem statuerunt; nec » multò post Arsacidæ ipsum in Nicomedia in» terfecerunt. Tunc præfatam Reginam Hainrico » Comiti Campaniæ in uxorem tradiderunt, quem » et eidem terræ similiter præfecerunt.

Digitized by Google

dunensis, domina de *Hirges*, Ida domina de Asperomonte et mater Rogerii de Valden *. Item quòd Episcopus Albero Leodiensis, qui Bullonium per B. Lambertum recuperavit, et soror ejus Comitissa Lovaniensis, quæ Comiti Lovanii peperit primum Godefridum Comitem, fuerunt de prosapia Namurcensi, alibi scriptum reperitur. Quædam autem nobilis Comitissa de *Longuy* et de Castris, Ermensendis nomine, Conrado Comiti de *Luscelenburch* peperit Comitem Guillelmum de *Lucelenburg* patrem Conradi, cujus mater Lutgardis; et Ermensendem Comitissam Namurcensem, uxorem Comitis Godefridi, et Mathildam Comitissam de *Longuy* et de *Homborc*, et de Castris. Hæc autem Mathildis Comiti de Castris peperit Comitem Folmarum et sorores ejus, Helvidem quam habuit Gerardus de *Reneke* diœcesis Herbipolensis, et illam de qua Dux de *Brunswick* genuit filiam quæ in Sclavia hæreditavit. De Comite Folmaro nati sunt Episcopus Virdunensis, Hugo Comes de Lignenvilla, et Folmarus Comes de Castris, de quo nati sunt Comes Henricus, qui de sorore Comitis Senensis genuit filias, quarum una conjuncta fuit cuidam Rainaldo. Hugo Comes, filius Folmari Comitis, genuit Folmarum et Conradum de Rista et Hugonem fratrem ejus. De Comite autem Gerardo et Helvide de *Reneke* nati sunt Conradus Primicerius Metensis, et Comitissa Ermensendis, quæ Ludovico Comiti de *Loz*, Comitis Philippi * filio, peperit Comitem Gerardum et sorores ejus, quarum una Ymania uxor secunda [Godefridi] tertii Ducis Brabantiæ, alia nupsit Woutero *Bertolt* Machlinorum; una mater Ducis Bavariæ et matris Lantgravii Ludovici mariti sanctæ Elizabeth, et Henrici electi in Regem Romanorum, et una Abbatissa. Alia Loreta Theobaldo de *Brie* * peperit Agnetem Ducissam Lotharingiæ, matrem videlicet Theobaldi et Matthæi Ducum, Rainaldi et Jacobi Primicerii Metensis, et eorumdem sororum. Comes Gerardus de *Loz* de [Maria] sorore Comitis de Gelra quatuor habuit filios, Comitem Ludovicum, Gerardum de *Reneke*, Arnulphum et Henricum. De Gerardo de *Reneke* nati sunt Ludovicus et iste Comes Arnulphus de *Loz* et de Chisneio, et soror una Comitum de *Loz* Mathildis peperit Imaginam, cujus filia Elizabeth aliqua fuit proles.

A

B

C

* *Cod. Reg.* de Walehen.

* *Leg.* Arnulfi.

* *Leg.* de Barro-Ducis.

Nunc ad superiora redeamus. Comes Godefridus de Namurco et Comes Henricus de Rupe fratres fuerunt, filii senioris Alberti: qui Comes Godefridus duxit Sibyllam filiam Comitis Rogerii Porcensis *, qui fuit frater Hescelini de Grandiprato, de qua Sibylla fuerunt duæ filiæ, Isabella et Flandrina. De Isabella dictum est supra in anno 1117. De Flandrina minùs nobiliter nupta, fuit Hugo de Spineto *, Gerardus Abbas de Claromaresco, et fratres eorum et sorores. Prædictus Comes Godefridus Namurcensis duxit secundam uxorem, genere nobiliorem et vitâ sanctiorem, videlicet Ermensendem sororem Comitis Wilhelmi de *Luscelenburg* (*a*), et genuit ex ea jam prælibatum Comitem Henricum Namurcensem, et tres sorores germanas ejusdem. Prima fuit Ducissa Cyringiæ (*b*), quæ peperit Radulphum Leodiensem Episcopum, Ducem Bertholdum, et Conradum et Albertum fratres eorum. Dux iste Bertholdus duxit filiam Comitis Hermanni de *Frieburch*, et genuit Ducem Bertholdum alterum, et duas sorores. Prima Comiti Haguenoni de Eura in Suevia peperit Conradum Canonicum S. Lamberti, qui postea fuit Abbas Clarevallis et Cistercii, deinde Cardinalis, et postea in Franciam et Alemanniam Legatus, et Abbatem Bertholdum de *Salem*, et fratres ejus et sorores. Secunda Ducis Bertholdi filia fuit Comitissa Kiburgensis, et plures liberos ipsa habuit. — Secunda soror de tribus supradictis Comitis de Namurco Henrici, nomine Beatrix, Comiti Guithero Reitestensi peperit Albertum sancti Lamberti Leodiensis Præpositum, Comitem de *Reitest* Manasserum, Castellanum Vitriaci Henricum, et Hugonem et Balduinum, qui sine liberis mortui sunt, et tres sorores. Una Regina Siciliæ, Beatrix nomine, peperit Rogerio Regi Siciliæ Constantiam Imperatricem, matrem moderni Imperatoris Frederici. Altera fuit mater Hugonis Vicedomini Catalaunensis. Tertia nomine Clementia, (alii dicunt Agatha) viro nobili Hugoni de *Wasnou* peperit Robertum de Petraponte, patrem Comitis Joannis de Rocheio, Galtherum de *Wasnou*, Episcopum Hugonem Leodiensem, et Margaretam dominam de Eppa, matrem alterius Episcopi Leodiensis nomine Johannis. Item Comes Guitherus pater Reginæ Beatricis, quatuor sorores habuit; una Stephano Straboni de Novo-castello super Axonam.

D

E

* *Ed.* Percensis.

* d'*Epinoy*.

(*a*) Ermensendis filia fuit Conradi Lutzelburgensis Comitis.

(*b*) Zeringiæ. Clementia Godefridi Comitis et Ermessendis filia nupsit Conrado Zeringiæ Duci.

Digitized by Google

familiam multam peperit ; altera peperit Hugonem , Balduinum , et matrem illorum de *Hamalmont*. Hugo verò horum primogenitus genuit Rainaldum de Juncherio , patrem Luciæ , quæ fuit mater Isabellæ Castellanæ Barri. Tertia Iveta Miloni peperit Odonem *Pesel* , et post Villano de Arzilliis peperit Adelinam , matrem Odoardi Marescalci , qui habet multam familiam, et habuit quatuor sorores de quibus extat progenies. Quarta soror Comitis Guitheri de matre , non de patre , filia videlicet Comitis Grandis-prati , peperit Comitissam matrem Radulphi de Claromonte , et vetulæ dominæ de Stirpeio. Henricus Castellanus Vitriaci , filius Comitis Guittheri Reitestensis , fuit pater Beatricis dominæ sancti Carauni. — Tertia soror de tribus supradictis Comitis Namurcensis , Ermensendis * nomine , Comiti Balduino de Hainaco (*a*) , cujus mater fuit , ut dicitur , de Pontivo , peperit Comitem Balduinum , Henricum de Seburgo , et quatuor sorores eorum. Una dicta est Agnes , quæ Radulpho de Marla duas peperit filias ; una mater fuit Comitis de Grandi-prato , altera Hyolens Comiti de Brana Roberto , peperit Henricum Archiepiscopum Remensem et tres Comites , Robertum de Brana , Petrum de Britannia , Johannem Matisconensem , et eorum sorores numero septem. Unam habuit (*b*) filius Gervasii ex sorore Hervei Nivernensis Comitis. Pater Gervasii vocatus fuit Hugo. Alteram [Isabellam] habuit Comes Joannes [II] de Roceio , et dimisit eam , quia erant in quarto gradu conjuncti. Et unam habuit Rainaldus de Casseblo *. Una est Comitissa Philippa (*c*) Barrensis , uxor Comitis Henrici , et una Agnes in Burgundia nupsit Comiti Stephano , patri Joannis Cabillonensis ; sextam [Yolendim] duxit Comes Radulphus [III] de Augo ; septima Monialis fuit in Fonte-Ebraldi. Altera soror Comitis Balduini de Hainaco et Henrici de Seburgo , primò fuit Comitissa Suessionensis Hyolens , quæ postea Comiti Hugoni de Sancto-Paulo peperit Isabellam , uxorem Comitis Galcherii de Castellione , qui per uxorem factus est Comes Sancti-Pauli , et Eustachiam uxorem Joannis de Nigella. Tertia soror Comitis Balduini , Loreta , Burchardo de Montemorencei Matthæum peperit in Curia Franciæ nominatissimum , et Comitissam Montisfortis , matrem Comitis Almarici. Quarta nomine Bertha , Ægidio de Sancto-Auberto Cameracensis diœcèsis peperit Gerardum et sororem illius. De Comite Balduino de Hainaco , et tribus filiis ejus , et tribus filiabus multa dicenda erunt in sequentibus.

* *Cod. Reg.* Alidis.

* de Choiseul.

De fratre Comitis Godefridi Namurcensis , qui dictus est Comes Albertus * de Rupe , natus est Fredericus Archidiaconus S. Lamberti Leodiensis , qui postea factus est Archiepiscopus de Tyro , id est de *Sur* , in partibus transmarinis , et soror ejus Mathildis quæ Theoderico de *Vallecurt* peperit Werricum de Rupeforti , et matrem Theodorici de *Hufalise* , cujus filius Henricus de *Hufalise* ; et post , mortuo Theodorico de *Vallecurt* , Nicolao de *Avesnes* peperit nobilem virum Jacobum , et Idam Castellanam Sancti-Audomari. De Werrico quatuor fuerunt filii , et quatuor filiæ. De Jacobo quinque filii , quorum unus dominus Galtherus factus est Comes Blesensis , et habuit quatuor sorores Comitissas.

* *Corr.* Henricus.

Deposito igitur apud Maguntiam memorato Radulpho , factus est Archiepiscopus dominus Conradus , vir honestus et magnanimus , contra quem Imperator schismaticum Archiepiscopum intrusit , non re , sed nomine Christianum. Eidem quoque Conrado Papa Alexander dedit Cardinaliam Sabinensem , et Archiepiscopatum de *Salzeburc* ejus prudentiæ commisit. Treviri quoque fuerunt duo Ar-

(*a*) Cod. Reg. *Cujus mater Yolendis de Gelra* , et quidem rectiùs.

(*b*) Hugo IV , Castri-novi Theodemarensis (*Château-neuf en Timerais*) Toparcha , filius Gervasii et Margaretæ de Donziaco , sororis Hervei Comitis Nivernensis , ac nepos Hugonis III , Eleonoram Roberti II Comitis Drocensis filiam , circiter an. 1205 in matrimonium duxit , ex qua Joannem successorem suum aliosque plures filios suscepit. Hugoni verò circa an. 1230 e vivis exempto superfuit Eleonora , quæ Roberto cuidam a Sancto-Claro secundis nuptiis conjuncta , ad annum usque 1248 , ac fortè etiam ultra , vitam produxit. Hæc e libro D. *Dreux du Radier* , cui titulus : *Récréations historiques* , T. II , p. 22.

(*c*) Albericus anno 1219 , « Comes Barri Henri» cus (inquit) nuptias suas fecit , ducens in uxo» rem filiam Comitis Roberti , nomine Philippam. » Hic tangendum est breviter quòd patruus Regis » Philippi , Comes Robertus , de prima uxore ma» tre Rotroldi Comitis de Pertico , quæ nata fuit » de Anglia , filia [Patricii] Comitis Salesberien» sis , genuit filiam Alaïdem , de qua Guido de » Castellione genuit Galterum Sancti-Pauli Co» mitem , et Episcopum Laudunensem Robertum , » et illam quam habuit Guillelmus qui *Noblet* » appellatus est. Eamdem Alaïdem duxit Joannes » Castellanus Noviomensis , frater Castellanorum » de *Coci* , et genuit Joannem de Torota qui soro» rem habuit domini de Dampetra. Prædictus Co» mes Robertus duxit secundam uxorem Agne» tem , Comitissam de Barro super Sequanam , et » genuit Comitem de Brana Robertum , patrem » Comitissæ Philippæ Barrensis , et duos Episco» pos Henricum Aurelianensem et Philippum Bel» vacensem , et duas sorores eorum , matrem En» gelranni de *Coci* et matrem Simonis de Castro» villani. De matre verò prædictæ Comitissæ Bar» rensis , quæ dicta est Hyolens , quære supra anno » 1168 ».

Digitized by Google

chiepiscopi , Folmarus ex parte summi Pontificis , et Radulphus de Weda , major Præpositus , ex parte Imperatoris. A

Anno MCLXIX. Parisius post Magistrum Petrum Manducatorem Magister Petrus Pictavinus cathedram tenuit Theologicam ; qui Manducator , cùm esset Trecensis Decanus , scholasticam historiam edidit ad Senonensem Archiepiscopum Guillelmum , qui postea Remis fuit Archiepiscopus , cujus etiam Manducatoris habetur liber qui dicitur Pancrisis , et liber sermonum ejus de solemnitatibus per anni circulum. Prædictus verò Pictavinus fecit librum *de theologicis sententiis* ad eumdem Archiepiscopum Guillelmum...

Elinandus. Henricus Rex Angliæ majorem filium suum Henricum , generum Regis Ludovici Pii , fecit in odium et præjudicium S. Thomæ Cantuariensis consecrari in Regem a Rogero Eboracensi Archiepiscopo : quod solùm ad Cantuariensem pertinebat Archiepiscopum. B

Anno MCLXX.... *Elinandus*. Henricus Rex Angliæ , sicut domino Papæ et Regi Francorum promiserat , facturus pacem cum Archiepiscopo Cantuariensi , fecit Missam cantari pro fidelibus defunctis , sciens quòd ad eam pax non daretur , nolens pacem sumere ab Archiepiscopo : unde et idem Archiepiscopus eodem anno , ut dicturi sumus , in Ecclesia et pro Ecclesia martyrium passus est....

In festo S. Laurentii mortuus est Comes Barri junior Rainaldus. Quibus diebus erat Episcopus Virdunensis Arnulphus de Cisneio , de Agnete sorore ejusdem Comitis progenitus (*a*). De una quoque sorore (*b*) ejusdem Comitis fuerunt Comites de Claromonte Belvacensi. De tertia fuerunt Comites qui dicuntur Silvestres in Alemannia ; et de ista fuerunt filiæ , una Mathildis uxor Comitis Manasseri Reitestensis , altera Chunegundis de Reista. De quarta fuit Simon de Commarceio , et duæ sorores illius. Uxor ejusdem Comitis Rainaldi Comitissa C Agnes (*c*) diu terram tenuit , eo mortuo , donec ad incrementum venerunt filii ejus qui quatuor fuerunt , scilicet Comes Henricus , Comes Theobaldus , Hugo , et Episcopus Carnotensis Rainaldus....

Anno MCLXXI (*d*). Beatus Thomas Cantuariensis Archiepiscopus martyrisatur in Ecclesia sua , IV Cal. Januarii , tempore vespertinali , horâ undecimâ , a quatuor militibus quinque plagis occisus pro tuenda Ecclesiæ suæ libertate....

Ex Chronica S. Dionysii. Cùm beatus Thomas Cantuariensis Archiepiscopus pro jure et dignitate Ecclesiæ suæ a sede sua per violentiam Henrici Regis Angliæ ejectus , et a Ludovico Pio Rege Franciæ honorabiliter esset receptus , tandem ad propria reversus est , passus martyrium anno sexto ætatis filii Ludovici pii Philippi. Ad cujus sepulcrum idem Ludovicus pius accessit (*e*) orationis gratiâ. Cùm esset inde recessurus , orationem suam ante sepulcrum gloriosi Martyris sic implevit : « Hospes sancte , ego quidem te recepi , sed minùs honoravi D
» quàm debui ; tamen tu gratanter accipiebas quòd mea tibi parvitas exhibebat ,
» et dixisti quòd , si Deus tibi posse in posterum conferret , mihi retribueres
» quod tibi faciebam. Modò Dominus tibi contulit posse retribuere. Ergo sicut
» promisisti mihi tantùm promove , et protege filium meum Philippum ».

Anno MCLXXII.... Robertus Præpositus de Area in Flandria Episcopatus duos regebat , Attrebatensem et Cameracensem (*f*) , filius fabri rustici Carnotensis , qui , ut aiunt , familiari dæmone utebatur , per quem ad tantos honores venerat.

Anno MCLXXIII.... Hoc anno , decimâ Kalendas Julii , corpus S. Domitiani

(*a*) Et Alberto Cisnei Comite.

(*b*) Clementiâ , Rainaldi II Clarimontensis Comitis uxore.

(*c*) De ea rursùs Albericus an. 1214. « Comes » Barri Theobaldus , inquit , moritur , et juxta patrem suum Comitem Rainaldum in Abbatia S. » Michaëlis sepelitur. Hujus autem mater fuit » Agnes nobilis Comitissa , quæ in Abbatia Trium- » fontium est sepulta. Dictus autem Comes Theo- » baldus primam habuit uxorem Lorettam , filiam » Comitis Ludovici , sororem Comitis Gerardi » Locensis , diœcesis Leodiensis , de qua genuit » Agnetem Lotharingiæ Ducissam. Secundam ve- » rò duxit post mortem primæ , Isabellam no- » mine , relictam domini Anselmi de Triangulo , » sororem Comitis de Barro super Sequanam et » Episcopi Manassæ Lingonensis , de qua natus est » Comes Barrensis Henricus , multis probitatibus » famosus. De tertia ejus uxore Ermensende , filia » Henrici Comitis Namurcensis , filiam Isabellam » nomine genuit , quam junior Walranus Longus » habuit , et ei peperit postmodùm Wallerannum » de *Poile-vache*. Ista Ermensendis nupsit postea » seniori Walleranno , filio Henrici , cui plures » peperit filios. Una ejus filia Catharina est Lo- » tharingiæ Ducissa. »

(*d*) Anglicos Scriptores, quibus solemne est annum a Nativitate Domini auspicari , secutus Albericus , Divi Thomæ necem anno 1171 assignat. More autem hodierno ad an. 1170 ea pertinet.

(*e*) Anno 1179 Ludovicus VII peregrinationem ad S. Thomam aggressus est.

(*f*) Tardiùs utramque sedem conscendit Robertus , Atrebatensem quidem anno 1173 ex chronico Andrensi , chronographo Aquicinctino , necnon Iperio ; Cameracensem verò post Petrum Flandrensem , de quo mox erit sermo , quem Roberti decessorem perperàm fingit Albericus.

Episcopi

Digitized by Google

A Episcopi et confessoris honorabiliter a domino Rodulpho Leodiensi Episcopo, præsentibus quamplurimis personis, Religiosis, secularibus et ecclesiasticis, transfertur, atque in feretro argenteo deaurato decenter locatur....

Anno MCLXXIV. *Elinandus*. Civitas Rotomagi obsessa a Ludovico Pio Rege Francorum, et Henrico novo Rege, et Philippo Comite Flandrensi, contra Regem Angliæ Henricum.

Obiit S. Petrus Tharentasiensis Episcopus, anno vigesimo tertio sui Pontificatûs.

Facta est hoc anno dedicatio Ecclesiæ Clarevallensis, et canonisatio B. Bernardi, et elevatio ejus, ubi adfuit dominus Guichardus Lugdunensis Archiepiscopus. Et sequenti anno in Capitulo generali cœperunt cantum de B. Bernardo, et cantum de Trinitate....

Anno MCLXXV. Post Præpositum de Area, de quo supra tetigimus, electus est
B apud Cameracum Petrus, frater Comitis Flandriæ Philippi et Comitis Matthæi Boloniensis (*a*); sed consentire noluit et Clericatum dimisit, et Comitissam Nivernensem in uxorem duxit, et parvo post tempore in hac vita permansit.

Mortuo Archiepiscopo Remensi Henrico, decimo octavo Kalendas Novembris, Senonensis Archiepiscopus Guillelmus factus est Remensis Archiepiscopus....

Anno MCLXXVI. Remensis Archiepiscopus Guillelmus ad introitum suum quinto Idus Augusti consecravit Nevelonem Suessionensem, Rogerium Laudunensem, et Rogerium, ut puto, Cameracensem Episcopos....

Anno MCLXXVII. Apud Cabillonem Engelbertus ordinatur Episcopus, qui post annos tres Episcopatum dimisit, sed tamen ordines et benedictiones celebrabat.

Magister Lambertus Leodiensis de S. Christophoro obiit, novæ religionis quæ fervet in Leodio, quæ vocatur religio Begguinarum, et circa partes illas,
C ferventissimus prædicator. Iste antigraphum scripsit, et tabulam quæ Lamberti intitulatur, edidit; sed et multos libros, et maximè vitas Sanctorum, et Actus Apostolorum de latino vertit in Romanum.

Anno MCLXXVIII. Abbas Clarevallensis Henricus Regem Anglorum Henricum Cantuariensi Ecclesiæ reconciliatum ad hoc induxit, ut tectum Ecclesiæ Clarevallensis, quod erat latericium, faceret esse plumbeum. Henricum verò Campaniæ Comitem liberalitate nominatissimum ad hoc induxit idem Abbas, ut pro peccatis suis crucesignatus iter arriperet Hierosolymitanum; et cum eodem Comite quidam nobiles transfretaverunt, ex quibus fuit Comes de Grandiprato, Walfardus et Gaufridus de *Balaham* frater ejus.

Eclipsis solis facta est mense Septemb. in vigilia S. Crucis, quartâ feriâ, horâ VI[a].

Anno MCLXXIX *. Mediantibus Episcopo Alvernensi Pontio et sancto Abbate * *Corr.* MCLXXVII.
D Hugone Bonævallis, Venetiis facta est reconciliatio inter Papam Alexandrum et Imperatorem Fredericum : quæ reconciliatio facta fuit in Venetia, et idem Papa Concilium magnum tenuit Romæ eodem anno in Palatio Lateranensi. Ibi de statu sanctæ Ecclesiæ multa tractata sunt, et contra hæreticos et contra Coterellos sive Ruptarios quædam capitula diffinita. In eodem Concilio mitram pastoralem quidam nigri Abbates acquisiverunt, ex quibus fuerunt duo Parisienses, Abbas Guillelmus in Sancto Dionysio in Francia, et * Abbas de sancto Vincen- * Hugo de
tio, id est de sancto Germano de Pratis. In eodem insuper Concilio dominus Moncellis.
Abbas Henricus Clarevallensis factus est Cardinalis Episcopus Albanensis. Item etiam in eodem Concilio crucesignatus est Imperator Fredericus, et pro peccatis suis mare transivit.... Anno ab Incarnatione Domini MCLXXIX, præsidente sanctæ Romanæ Ecclesiæ reverendissimo domino Alexandro Papâ tertio, Ponti-
E ficatûs ejus vigesimo anno, mense Martio, Indictione XII, quinto die mensis, præsidente eodem summo Pontifice venerabili, convenit sancta universalis Synodus in Basilica Lateranensi, quæ appellatur Constantiniana, trecentorum nonaginta sex Episcoporum, exceptis Cardinalibus et Abbatibus, quorum præ nimia multitudine titulos vel numerum colligere non potuimus.

Eodem anno in festo Sanctorum Omnium coronatus est Remis Philippus Rex Francorum, et regnavit annis quadraginta quatuor. Erat autem quindecim annorum, et Archiepiscopus Guillelmus qui eum coronavit, avunculus erat illius : pater verò illius Rex Ludovicus Pius vixit post illam coronationem ferè per biennium [immò annum unum].

(*a*) Petrum an. 1167 ad Episcopatum Camerac. evectum fuisse constat. Huic verò postquam abdicasset, an. 1175 suffectus fuit Robertus, eodem anno IV Nonas Octobris ex Iperio et Meyero a suis interfectus.

Digitized by Google

A

EX CHRONICO SAXONICO

SEU ANNALISTA (*a*) SAXONE.

Apud Jo. Georgium Eccardum, Corporis Historici T. I. Lipsiæ 1723 *fol.*

ANNO Dominicæ Incarnationis MLXXIV. Rex [Henricus] Natale Domini Wormaciæ celebravit. Post hæc exercitu quidem magno, sed non ad præliandum parato, nisi magna necessitas cogeret, congregato, Kalendis Februarii Saxoniam ingredi disposuit.... Philippum Latinæ Franciæ Regem promissis B sollicitat, ut amicitiæ memor, quandò vocatus fuerit, sibi in auxilium veniat : qui similiter a suis solio penè depositus (*b*), vix suum honorem se dixit retinere, nedum illi suum tentaret reponere. Willehelmum Angliæ Regem hâc conditione vocavit in auxilium, ut ei vicem æquam redderet, si se unquam necessarium haberet : qui respondit se terram illam per vim invasisse, quam si reliquerit, ne in ea non recipiatur formidare. Willehelmum Ducem Pictavorum, matris suæ germanum, rogat nepotis sui misereri, ut ejus auxilio possit regno, quo injustè careat, restitui : ille tantas Francigenarum, Normannorum vel Aquitanorum virtutes inter se et ipsum esse respondit, per quos nullo ingenio cum exercitu transire posset....

Anno Dominicæ Incarnat. MLXXVI.... Godefridus qui et Gozelo, Dux Lotharingiæ, occisus est in civitate quæ dicitur Antverpia, per insidias Rod- C berti Flandrensis Comitis. Nam cùm nocte, quiescentibus omnibus, ad necessitatem naturæ secessisset, spiculator confodit eum per secreta natium, relictoque in vulnere ferro, aufugit. Erat quidem vir magnanimus, sed gibbosus, et pro parte Regis Saxonum hostis sævissimus. Mortuus est IV Kal. Martii, atque Werdunis juxta patrem suum sepultus est, nec purgatus ultimâ confessione, nec munitus sacrâ communione. Huic nupserat Machtildis filia Beatricis ex Bonifacio Marchione de Longobardia, quam postea Dux Welpho, Ducis Bavariæ Welphonis filius, uxorem duxit ; sed neuter horum filios ex ea suscepit.... Rex Pascha Trajecti celebravit, ubi Ducatum Lotharingiæ filio suo Conrado, Marcam verò quæ Antverpa dicitur, Godefrido consobrino prædicti Gocelonis seu Godefridi Ducis, impigro ad rem militarem adolescenti tradidit, qui etiam postea Lotharingiæ Ducatum obtinuit. Iste est Godefridus qui post annos ferè D XX, cunctis quæ possederat in pretia redactis, cum armata manu Hierosolymam profectus eam expugnavit, ipse in ea regnavit. Pater ejus fuit Comes Eustachius, mater verò Ida, soror prædicti Gocelonis Ducis ; fratres ejus erant Balduinus qui ei in regno Hierosolymitano successit, et Eustachius Comes de Bar *....

* Bolonien-sis.

Anno Dominicæ Incarnat. MXCIII. Visus est splendor quidam quasi facula volans per aërem ab oriente in occidentem. Eclipsis solis facta est IX Kal. Octobris horâ tertiâ, et mortalitas facta est, et draco visus est. Conradus Henrici Imperatoris et Berthæ Imperatricis filius patri suo rebellavit....

Anno Dominicæ Incarnat. MXCV.... His temporibus, præsidente Romanæ Ecclesiæ Urbano Pontifice, regnante IIII Henrico Imperatore in Germania, Alexio in Græcia, Philippo in Francia, juxta præsagium evangelicum surrexit undique gens contra gentem et regnum adversùs regnum, et terræ motus

(*a*) Ekkehardi Monachi Sangallensis nomen præferunt hi Annales in Ms. codice Regio 4889. A. Unde rectè Eccardus n°. x præfationis T. I. *Audacter,* inquit, *statuo Annalistam Saxonem ab Eggehardo* (seu Ekkehardo) *Vragiensi, insigni sui temporis historiarum magistro, diversum non esse.* Præstantissimi sunt quoad res Germanicas hi Annales, qui ad an. 1139 decurrunt (in codice Regio subsistunt an. 1125) ; sed res Francicas vix attingunt. Unde mens primulùm fuit nobis eos præterire, et si quædam haberent instituto nostro haud aliena, ad excerpta ex chronicis ea rejicere. Maturiùs autem re inspectâ, seriem ex his contexuimus etsi multis in annis vacuam, præsertim cùm instar plurium id generis chronicorum esse possint hi Annales : ex eis quippè multa vel totidem verbis vel compendiosè mutuata sunt in chronico Hildesheimensi, cujus itidem parentem Ekkehardum asserit Eccardus, necnon in chronico S. Pantaleonis Coloniensis, ex quo Appendicem ea de causa eisdem Annalibus ascivimus ; ne quid dicamus de Abbate Urspergensi et Helmoldo, quos eis ipsis usos fuisse perspicuum est. Cæterùm plura ex iis segmenta tomis superioribus adhibuimus, quorum ultimum T. XI pp. 215 ac 640 exstat.

(*b*) Philippum Franciæ Regem in solio tunc nutasse merum commentum videtur, nec ejusmodi excusationem in sua ad Henricum responsione, quæ nullibi exstat, eum adhibuisse verisimile est.

Digitized by Google

A magni erant per loca, et pestilentiæ et fames, terroresque de cœlo et signa magna ; et quia jam in omnes gentes evangelica tuba justi Judicis adventum præconabatur, etiam totum mundum signa properata portendentem universalis Ecclesia contemplabatur. Subsecuta est expeditio, non tam humanitùs quàm divinitùs ordinata, Hierosolymam ex omni penè mundi, sed maximè occidentalium regnorum, partibus tendentium. Unde meritò redarguendi sunt, qui vetusto semper errore contenti, novitatem hanc jam senescenti mundo necessariam ore temerario reprehendunt. Laudemus autem alios quosdam nostri temporis viros gloriosos, qui vicerunt regna mundi, qui, relictis propter pium ovis centesimæ quæsitorem conjugibus ac liberis, regnis ac divitiis, posuerunt animas suas in manibus suis, zelo zelantes pro Deo exercituum, excitati scilicet in zelum frequentibus nuntiis super oppressione dominici sepulcri ac desolatione omnium
B orientalium Ecclesiarum, quas gens ferocissima Turcorum per aliquot annos suo subactas dominio inauditis calamitatibus jamjamque deleverat : quibus, ut dictum est, subvenire cupientes, sicut diversis agminibus, ita diversis etiam et incertis ducibus plerique properabant, sicut in sequentibus dicetur.

Anno Dominicæ Incarnat. MXCVI.... Signum in sole apparuit V Nonas Martii, secundâ feriâ incipientis Quadragesimæ, et eclipsis lunæ facta est VI * Idus Augusti, lunâ XIV. Diversa quoque prodigia mundus parturisse referebatur, ex quibus aliqua hìc interseri duximus utilissimum, cuncta verò longissimum. Nam et nos cometem in plaga meridiana stantem, suumque splendorem in obliquum gladii more protendentem, tunc circa Nonas Octobris vidimus. Anno verò post hæc tertio, stellam aliam in orientem locum suum longo interstitio saltibus mutantem, VI Kal. Martii conspeximus. Nubes quoque sanguineas, tam ab occi-
C dente quàm ab oriente surgentes, sibique invicem in cœli centro concurrentes, rursùmque mediis ferè noctibus a septentrione igneos exsurgere splendores, plerumque etiam faculas per aërem volitantes vidisse nos testibus comprobamus....

* *Corr.* VIII.

Ut hæc ergo manifesta fierent, quæ signa portenderent, quidam cui nomen Petrus erat, in finibus emersit Hispaniæ (*a*), qui, ut ferebatur, primùm reclusus, inde claustris exiens prædicatione suâ totam commovit provinciam, et non solùm viros plebeios, verùm etiam Duces, Reges, cæterasque mundi potestates, utque ad majora veniam, Episcopos, Monachos, reliquosque Ecclesiæ ordines ut se sequerentur, persuasit, quamdam circumferens cartulam quam de cœlo asserebat lapsam, quâque continebatur universam de cunctis mundi partibus christianitatem Hierosolymam armis instructam debere migrare, indeque Paganos propulsantem, eam cum suis finibus in perpetuum possidere ; hocque
D de illo Evangelii testimonio confirmabat, ubi Jesus de destructione urbis illius faciens sermonem, sic concludit : *Et Jerusalem*, inquit, *conculcabitur a gentibus, donec impleantur tempora gentium.*

Consentientibus igitur dictis ejus omnibus, regna rectoribus, urbes pastoribus, vici desolantur habitatoribus, nec tantùm viri seu pueri, sed et mulierum quamplurimæ hoc iter sunt aggressæ. Quâ tempestate Alexius Imperator Constantinopolitanus super barbaris supradictis, videlicet Turcis per majorem regni sui partem diffusis, non paucas epistolas Urbano Papæ direxit, quibus in defensionem Ecclesiarum orientalium se non sufficere deploravit, obtestans totum, si fieri posset, occidentem qui jam ex integro christianâ professione censeretur, sibi in adjutorium advocari, promittens per se cuncta necessaria præliaturis terrâ marique ministrari. Inde commotus Apostolicus et omnis Ecclesia,
E in Arvernia apud Clarummontem (*b*) in confinio Hispaniæ Concilium generale congregari fecit : quò etiam ipse laborioso nimis itinere perveniens, innumeris qui ibidem convenerant populis, diversorumque regnorum legatis, universa quæ præscripta sunt et multò ampliora ore facundissimo declaravit. Mox tot millibus in lacrymas resolutis, variarumque linguarum planctibus in altum levatis, in hoc eis doctor egregius remissionem omnium condonat peccatorum, si renunciatis omnibus quæ possidebant, crucem post Christum unanimiter portantes periclitantibus Christianis ferrent auxilium : quâ sponsione arrectis auribus omnium, designata sunt ad præsens in Domini militiam circiter centum

(*a*) Petrus is erat Ambianensis.

(*b*) Claromontense Concilium an. 1095 mense Novembri habitum est : proinde ante portenta quæ superiùs Auctor commemoravit, et quæ anno 1096 meritò illigat. Petri quoque Eremitæ prædicatio Claromontense Concilium præcesserat.

Digitized by Google

millia virorum, ex Aquitania scilicet atque Normannia, Anglia, Scotthia, A
Hibernia, Britannia, Galicia, Wasconia, Gallia, Flandria, Lotharingia, cæterisque gentibus christianis, qui omnes crucis signaculum in vestibus suis ob mortificationis commonitorium præferebant. Quibus omnibus venerandæ sanctitatis et sapientiæ virum Hademarium [Podiensem] Episcopum Urbanus Papa præfecit, cui ligandi solvendique potestatem concessit, insignitumque cœlestis militiæ exercitum stigmate Apostolicâ benedictione consignans, condicto ab universis tempore profectionis, ipse cum non modica ejusdem expeditionis turma in Italiam rediit.

Legatis denique singulis ad sua regressis, pervagata cis citraque mox orbem totum fama commovit, insuper ipsum Oceanum supervolans, Insulanorum classibus maria in cœlestis Regis militiam redundare fecit. Denique tam ignotos effudit Oceanus populos, quorum non dicam mores et habitus, sed nec loque- B
lam quisquam hujus littoris habitator vel de ipsis marinariis agnosceret, rursùmque alios quibus nihil præter panem et aquam in usu victûs esset; itemque quosdam quibus argentum pro ferro in omnibus suis utensilibus esset. Francigenis occidentalibus facilè persuaderi poterat sua rura relinquere. Nam Gallias per aliquot annos nunc seditio civilis, nunc fames, nunc mortalitas nimis afflixerat, postremò plaga illa quæ circa Nivalensem S. Gertrudis Ecclesiam orta est, usque ad vitæ desperationem terruerat; tactus enim quisquam igne invisibili quâcumque corporis parte, tamdiu sensibili tormento incomparabiliter et irremediabiliter ardebat, quousque vel spiritum cum cruciatu, vel cruciatum cum ipso tacto membro amitteret. Testantur hoc nonnulli manibus vel pedibus hâc pœnâ truncati. Reliquarum nationum plebes vel personæ aliæ præter Apostolicum edictum prophetis quibusdam inter se nuper ortis, seu signis cœlestibus et revelationibus ad terram se C
repromissionis vocatas, aliæ se quibusdam incommoditatibus ad talia vota compulsos fatebantur; magna quippè pars eorum cum conjugibus ac prole, totâque re familiari onusti proficiscebantur. Orientalibus autem Francis et Saxonibus, Thuringis quoque, Bawaris ac Alamannis hæc buccina minimè insonuit, propter illud schisma quod inter regnum et Sacerdotium Alexandri Papæ, Teutonicos Romanis et Romanos Teutonicis invisos et infestos fecerat. Inde est quòd idem Teutonicus populus in principio hujus profectionis causam ignorantes, per terram suam transeuntes tot legiones equitum, tot turmas peditum, totque catervas ruricolarum, fœminarum atque parvulorum, quasi inauditâ stultitiâ delirantes subsannabant, utpotè qui pro certis incerta captantes, terram nativitatis relinquerent et terram repromissionis incertam certo discrimine appeterent; renuntiarent facultatibus propriis, inhiarent alienis. Sed quamvis nostra D
gens cæteris multò sit insolentior, respectu tamen divino inclinatur tandem ad verbum ejusdem remunerationis furor Teutonicus, a conviantium scilicet turbis rem ad integrum edoctus. Præterea signum in sole, quod præscriptum est, visum, aliaque portenta ad hujusmodi exercitia non paucos antea torpidos excitaverunt. Nec moratur inimicus ille generis humani bono illi semini zizania superseminare, pseudoprophetas suscitare, dominicis exercitibus falsos fratres et inhonestas fœminei sexûs personas intermiscere. Sicque per aliorum hypocrisim atque mendacia, per aliorum verò nefarias pollutiones, Christi greges adeò turbabantur, ut in errorem mitterentur, si fieri posset, etiam electi.... Hæcque est causa quâ quidam simpliciores fratres, utpotè rem ignorantes, scandalizati totum hujus profectionis conatum vanum atque frivolum ipsi nimis præproperi judices interpretati sunt. E

* *Corr.* MXCVI. Anno Dominicæ Incarnat. MXCVII *, cometes apparuit.... Mense Martio inchoatum est iter Hierosolymitanum in eodem anno. Godefridus Dux Lotharingiæ, vir genere, armis et ingenio clarissimus, qui priori anno cunctis quæ possederat in pretia redactis, militibus copiosis fideque non modicâ instructus,.... similiter alii Principes quorum hæc sunt nomina: Hugo Magnus, frater Philippi Regis Francorum; Boëmundus Princeps Apuliæ, Roberti Wiscardi filius; frater Godefridi Ducis Baldewinus, qui postea regnavit in Hierosolymis; Raimundus Comes de Sancto Ægidio, cum Gothis et Wasconibus; Rotbertus Comes Nortmannicus, Willehelmus Regis Anglorum filius; Rotbertus Comes de Flandria et Stephanus Comes Blesensis; Comes Baldewinus de Monte, et Baldewinus Comes de Ganda; Pisanus Archiepiscopus de Tuscia, Strasburgensis

Digitized by Google

A Episcopus, et Aimarus Podiensis Episcopus cum suis compatriotis, diversis temporibus Hierosolymitanum iter aggressi sunt...

Anno Dominicæ Incarnat. MXCVIII.... capta est Antiochia II Nonas Junii: quâ captâ, mox Hugo Magnus reversus est per Constantinopolim in Franciam; Comes verò Stephanus Blesensis, etiam antequam caperetur, turpiter inde recesserat. Post in Kal. Augusti, obiit Aimarus Podiensis Episcopus beatæ memoriæ....

Anno Dom. Incarnat. MXCIX. Heinricus Imperator Natale Domini Coloniæ celebravit, Epiphaniam verò Aquisgrani, ubi filium suum Heinricum juniorem Regem fecit, reprobato filio majore Conrado, quem priùs coronaverat....

Anno Dominicæ Incarnat. MCI.... Conradus Rex adolescens, nono postquam a patris palatio discesserat anno, Macthildis illius nobilissimæ et potentissimæ, et ut quidam dicunt, religiosæ fœminæ, sicut sanguine ita et contubernio con-
B junctus, et in rebus per Italiam disponendis tam illius quàm domni Apostolici, cæterarumque Deum timentium personarum consilio semper usus, immaturo præventus occasu, plenâ fide et bonâ confessione a regno transitorio ad perenne creditur migrasse. Sunt etiam qui veneno illum dicant interiisse....

Heinricus Comes de *Linthburh* cum Theoderico Comite Imperatori rebellat: unde Imperator castellum suum *Linthburh* obsedit et destruxit; postremò ipse Comes se in potestatem Regis tradidit....

In ipso anno visus est ab occidente in orientem volans ignis ad instar non modicæ civitatis. Mox.... profectio populosa et quæ penè priori numero posset duntaxat æquari, subsequitur, quæ post auditas ultra spem res Hierosolymæ prosperè gestas, a residuis totius occidentis gentibus, maximè ab his quorum priùs votis timor vel inopia, diffidentia vel imbecillitas obstabat, denuò para-
C batur, primùm ab Episcopis Mediolanensi et Papiensi cæterisque Longobardorum populis ad quinquaginta millia signatis, deinde a diversarum provinciarum Teutonicis, postremò Aquitanicis quibus Willehelmus Pictaviensis præerat, præter vulgus ad triginta millia loricatis....

Anno Dom. Incarnat. MCII. Henricus Imperator Natale Domini Mogontiæ celebravit, ubi Henricus Comes de *Lintburh* Dux [Lotharingiæ] effectus est....

Rotbertus Comes Flandriæ Cameraci fines vastavit, ipsam Cameracum obsedit, sed viriliter ab his qui urbi præsidio erant repulsus est: unde Imperator commotus Autummali tempore expeditionem fecit adversùs Rotbertum, cujus provinciam magna ex parte vastavit et castella pleraque cepit. Denique Rotberto in terræ suæ firmiora se recipiente, nec locum pugnæ dante, Imperator rediit....

Anno Dominicæ Incarnat. MCIII.... Rotbertus Comes Flandriæ cùm per le-
D gatos suos pacem ab Imperatore expeteret, inducias accepit ut apud Leodium Imperatori occurreret, ibique res determinaretur. Ergo in festo Apostolorum Petri et Pauli Imperator Heinricus cum frequentissimo Principum totius regni conventu Leodium venit, ibique Rotbertus gratiam ejus obtinuit....

Anno Dominicæ Incarnat. MCV. Heinricus Rex V illius nominis bellum adversùs patrem Imperatorem in Bawaria parat.... Apostolicus ut audivit inter patrem et filium discidium, sperans hoc a Deo evenisse, mandat ei Apostolicam benedictionem per Gebehardum Constantiensem Episcopum, de hoc commisso sibi promittens absolutionem in judicio futuro, si vellet justus Rex et gubernator esse Ecclesiæ, quæ per negligentiam patris sui deturbata esset multo tempore....

Anno Dominicæ Incarnat. MCVI... primâ hebdomadâ Quadragesimæ cometa
E immensi fulgoris usque ad Passionem Domini apparuit. Henricus Eximperator Coloniam venit cum paucis qui secum remanserant, civibusque illius omnia quæ ipsi acciderant flebiliter enarravit. Deinde venit Leodium, ibique honorificè ab Otberto Episcopo civibusque susceptus et consolatus, convocavit ad se Heinricum de *Lintburh* Ducem Lotharingiæ, et alios plures Optimates, quorum se pedibus advolvens petivit ab eis auxilium, eventumque suum eis per omnia enarravit..... Rex Heinricus ut hæc audivit, quasi partes inimicas humiliaturus, Leodium et ipse Pascalem ibi habiturus curiam convertitur, et regni Principibus ibidem convenire denuntiat. Post festum Palmarum Coloniæ satis jocundè, cedentibus hostibus, celebratum (licèt cognitâ machinatione patris qui se utique, ut vir bellator ab adolescentia sua, satis argumentosè per conductas copias ad civitatem, ubi curia celebranda erat, resistere parabat) ipse juvenili nihilominùs

Digitized by Google

animositate succensus illò, ut cœperat, ire contendit: præmissisque trecentis A
viris qui pontem super Mosam fluvium, in loco qui *Wesegaze* dicitur, observarent (nam omnes fluminis transitus jam hostes interruperant) ipse in palatio Aquisgrani cœnam Domini celebravit. Interea Heinricus Dux Lotharingiæ ipsius ad pontem milites invasit, naviterque resistentes arte quâdam equitandi quâ gens illa plus cæteris utitur, in latiora deductos multitudine legionum cingit, opprimit, sternit atque capit, nonnullos etiam cedentes fluvius voravit.... Rex autem apud Wangionum civitatem in Pentecoste placitum habuit, ibique Heinricum Ducem Lotharingiæ judicio Optimatum ut hostem regni rebus publicis privavit, ac generalem expeditionem contra Lotharingiam, accepto a Principibus sacramento, per totum regnum indixit.... Igitur Rex Heinricus per tres hebdomadas Coloniam obsidebat, et nulla spes acquirendi erat; erat enim æstas magna, et præ nimio fœtore non poterat exercitus ampliùs sustinere B
laborem. Auditur præterea quia Heinricus Eximperator et Heinricus Exdux exercitum undecumque conflant, et adhuc vel semel tentare fortunam omnimodis parant. Quapropter universa militia Regis, imò Christi, saltem ferro rebus finem facere desiderans, ne fortè (quod certissimum erat) hostibus urbani contra semet auxilio forent, obsidionem solvunt, et contra Lotharingiam moti munitiones ac cætera quæ rebellium erant interim diripiunt, præmittentes ad Heinricum seniorem secundos nuncios qui sibi deliberationem proponerent, aut causâ pacis pacto præscripto componendæ ad Aquisgranum propediem filio occurrere, aut imminens sibi bellum non dubitare. Quibus legatis custodiæ nihilominùs traditis, ad resistendum omnimodis, occultè tamen, præparari molitur, sed dimissos post aliquot dies eosdem nuncios inopinata, et quâ nihil acceptabilius castris illis inferri posset, fama mortis ejusdem Eximperatoris subsequitur. C

Luna obscurata est per aliquot horas noctis, xv Kal. Augusti....

Anno Dominicæ Incarnat. MCVII. Rex Heinricus Natale Domini Ratisponæ celebravit, præsentibus legatis domni Apostolici Pascalis, cujus adventum ipse jam aliquandiu apud Augustam Alamanniæ Metropolim cæterasque superiores partes præstolatus fuerat. Ille verò suorum consiliis quasi proterviam Teutonicorum declinans,... profectionem suam cum Hispaniarum legatis per Burgundiam agit, Gallias convertit, et Natalis Domini (*a*) gaudium suâ præsentiâ Cluniacensibus multùm ampliavit. Inde secedens ab universis finium illorum Ecclesiis ut verè Christi discipulus et Apostolorum Vicarius ingenti honore suscipitur, dignâ reverentiâ tractatur, non aliter quàm legifer de cœlo missus auditur.... Rex Heinricus Pascha Mogontiæ celebravit, indeque obviam Papæ in confinio Lotharingiæ et Franciæ venit; et per triduum Legatis invicem missis, D
infecto pro quo venerant negotio, discesserunt. Pascalis Papa circa Ascensionem Domini Concilium non modicum apud Trecas habuit, ubi inter multa quæ pro tempore et necessitate corrigenda correxit, sententiam de libera Pastorum electione et de coercenda Pastorum in ecclesiasticas dignitates præsumptione juxta prædecessorum suorum decreta promulgavit..... Heinricus Rex inducias totum anni sequentis spatium Romam veniendi et eamdem causam generali Concilio ventilandi accepit. Rursùm [Pascalis] necdum humilitatem quam quæsivit Germanicis in cordibus invenire se conquestus, nos nequaquam, ut proposuerat, visitare, sed finibus Italicis se comitatumque suum disponit inferre: quò licèt morosè perveniens, tantis Romani tam Cleri quàm populi tripudiis suscipiebatur, ac si de mortuis redivivus crederetur.

Rex Heinricus Pentecosten Metis celebravit. Dehinc orientalibus redditus E
colloquium Ratisponæ cum Bawariis habuit, in quo expeditionem suam versùs Flandriam contra Rotbertum constituit: quâ circa Octobrem motâ, terram rebellium ingressus, non sine gravi exercitûs sui dispendio, per unum et alterum mensem vastat, donec per internuncios res ad proximam curiam dilata litem separavit....

Anno Dominicæ Incarnat. MCVIII. Rex Heinricus Moguntiæ Natalem Domini celebrans Rotbertum Flandriæ Comitem in gratiam recepit....

Anno Dominicæ Incarnat. MCIX.... Rex Heinricus desponsavit [Mathildem] filiam Regis de terra Anglicâ....

(*a*) Annus adhuc 1106 computabatur, ab his qui anni initium a Kalendis Januarii auspicabantur. Hinc patet Annalistam nostrum a die Natali annum inchoasse.

Digitized by Google

A Anno Dominicæ Incarnat. MCX.... Rex Angliæ Regis filiam sponsam suscepit, quam in Pascha apud Trajectum regio more dotavit....

Eclipsis lunæ facta est, II * Nonas Maii. Circa V Nonas Junii stella, adultâ jam nocte, apparuit, radios admodùm longos versùs Austrum de se effundens.... * *Corr.* III.

Anno Dominicæ Incarnat. MCXIII.... Quidam Rainoldus Burgundiæ (*a*) provinciæ Comes, Imperatoris consanguineus, tyrannidem juvenili insolentiâ actus contra Rempublicam orditur : qui, superveniente sibi cum manu valida Imperatore, munitionem in qua maximè confidebat, ipse captus amisit, sicque lite citò diremptâ, custodiæ traditur....

Anno Dominicæ Incarnat. MCXIV. Imperator,... indicto conventu Mogontiæ, nuptias post Epiphaniam Domini augustissimè instituit, ubi etiam vix aliquem vel nullum de Magnatibus abesse voluit; ubi filiam Henrici Regis Anglo-
B rum Machtildem dudùm desponsatam legitimè sibi conjungens, regni consortem instituit....

Imperator contra quosdam in locis palustribus ultra Fresonum insulas habitantes navalem expeditionem multo studio instituit : quò dum tendit, Coloniam sibi rebellem et in hoc complures trans-Rhenanos atque Westfalos consentientes invenit, quorum numerantur nominatissimi Fridericus Coloniensis Archiepiscopus, Godefridus Dux Lovaniæ, Heinricus quondam Dux Lotharingiæ, et Fridericus Comes de *Arnesberch*. Intermissâ itaque profectione, manum in hostes præsentes extendere cupiens, Coloniæ partibus assedit; civitati verò munificè munitæ non prævalens, regionem circumquaque vastavit, tandemque soluto exercitu, recidivam expeditionem contra eosdem rebelles instituit : quâ circa Kalendas Octobris congregatâ, Friderici possessionem aggreditur, quâ undique
C vastatâ, et in medio regionis illius castro firmo constructo, eoque militibus, armis atque stipendiis instructo, hyeme superveniente, ab armis disceditur....

Anno Dominicæ Incarnat. MCXVIII. Domnus Papa Paschalis secundus diutinâ ægritudine purificatus vitam finivit : pro quo Johannes Cajetanus, vir prudens et venerandus, et in Romana semper Ecclesia irreprehensibiliter eidem Apostolico collaborans, eligitur, et cunctorum catholicorum unanimi consensu ritè consecratur....

Anno Dominicæ Incarnat. MCXIX. Domnus Apostolicus Gelasius secundus apud Viennam (*b*) Synodum congregavit, eoque transacto post paucos dies in Monasterio Cluniacensi vitam præsentem in Domino finivit : quo ibidem honorificè recondito, qualiter Milo * Viennensis Archiepiscopus successerit, ipse Mogontino Archiepiscopo his verbis innotuit : « Domnus vester felicis memoriæ
D » Gelasius a Vienna discedens, injunxit mihi ut ad ejus præsentiam festinarem, » postquam ipse Cluniacum pervenisset : quod cùm implere satagerem, in itinere » de ejus obitu nunciatum est. Ergo ut fratribus qui cum eo venerant solatium, » prout ratio exigebat, exhiberem, Cluniacum cum gravi dolore perrexi. Dum » autem super eorum consolatione attentiùs cogitarem, ipsi mihi gravissimum » onus et vires meas omninò transcendens imposuerunt. Congregati namque in » unum die alterâ post adventum meum Episcopi, Cardinales et centum Clerici » et laïci Romanorum, me penitùs renitentem in Romanum Pontificem, Calix- » tum nominantes, unanimiter assumpserunt ». * *Corr.* Widò.

His temporibus, Cono Prænestinus adhuc legatione Gelasii functus, Synodum Coloniæ cum Teutonicis habuit, ubi Imperatoris excommunicationem omnimodis propalavit.... Quapropter Imperator totius regni Sacerdotum atque
E Procerum nuntiis compulsus, generalem fieri apud Triburium conventum consensit in festo S. Joannis-Baptistæ, ubi de omnibus quæ sibimet imponerentur, juxta Senatusconsultum se satisfacturum spopondit.... Aderant etiam legati tam Romanorum quàm Viennensium, immò diversarum Ecclesiarum, confirmantes

(*a*) Erat is Rainoldus Barri Ducis Comes.

(*b*) Hæc eadem verba descripsit Abbas Urspergensis in chronico. Viennæ tamen a Gelasio eoactum fuisse Concilium negat Pagius his momentis adductus. 1°. Falco Beneventanus Gelasium voluisse quidem celebrare Concilium in Gallia, sed morbo impeditum fuisse narrat. « Dehinc Aposto- » licus, inquit, ipse stabilivit ut in sequente mense » Martii Synodum cum Patribus Franciæ Teutoni- » cisque celebraret, ibique de Sacerdotii et regni » dissidio longè latèque habito, Spiritu sancto me- » diante, loquerentur..... Sed antequam terminus » statutus Synodum celebrandi advenisset, apud » Monasterium S. Petri quod Cluniacus vocatur, ubi » diligenter morabatur, ægritudinis mole detentus » est». 2°. Nec Pandulphus qui Gelasium comitabatur, nec Hugo Monachus Cluniacensis in epistola ad Pontium Abbatem suum, ubi refert quæ Gelasius egerit in Gallia, hujus Concilii meminêre.

Digitized by Google

electionem domni Calixti : cui cùm omnes nostrates Episcopi obedientiam pro- A
fessi, Synodum quæ circa festum S. Lucæ indicebatur, collaudassent, Imperator pollicebatur seipsum ibi ob reconciliationem universalis Ecclesiæ præsentandum iri. Id enim [Guillelmus] Catalaunensis Episcopus et Cluniacensis Abbas [Pontius] apud Argentinam ipsum convenientes, multis ratiocinationibus obtinuerant....

Calixtus Papa Synodum Remis circa festum S. Lucæ celebrat, ubi quid actum sit scire volentibus, difficile non est invenire ex scriptis cujusdam scholastici Hessonis, prout se interfuisse testatur, enucleatim omnia describentis.... Imperator non longè cum suis abfuit, auditurus super synodalibus decretis, sicut in superiori Principum conventu laudatum fuerat; sed peccatis exigentibus, nil ibi ad reconciliationem Imperatoris et Principum agitur, immò Imperator anathematisatur. Unde major in regno controversia recrescit.... B

Anno Dominicæ Incarnat. MCXX.... Bonæ memoriæ Dieggerus, primùm Abbas Cœnobii S. Georgii, indeque per Legatum Apostolicum Metensi Ecclesiæ ordinatus, post multas ab Imperatoris fidelibus illatas sibi injurias requievit in Domino, in eadem Ecclesia cui præerat sepultus, vir adprimè literatus, et in sancta conversatione usque ad ultimam ætatem constantissimus....

Anno Dominicæ Incarnat. MCXXIV.... Eclipsis lunæ apparuit in Purificatione S. Mariæ *.... Imperator indignatus his qui Curiam in *Babenberh* adire contempserant, instituit expeditionem generalem fieri mense Augusto, specie quidem contra Saxoniam, re autem verâ contra Galliam in regnum Regis Ludovici, præbiturus auxilium socero suo Heinrico Regi Angliæ, pro possessione Normanniæ provinciæ contra eumdem Regem Galliæ Ludowicum contendenti : cujus fines postquam Teutonicus exercitus cœpit attingere, exploratores quotidie af- C
firmabant Francigenas, maximo domi congregato exercitu, congressum expectare, immò temerè expetere. Imperator autem non multas (*a*) ducebat copias, quia Teutonici non facilè gentes impugnant exteras. Nunciatur interim Wormatienses auxilio Ducis Friderici contra voluntatem Imperatoris B. Episcopum suum sedi suæ restituisse, seque intra civitatis muros ad rebellandum omnimodo muniisse : quo audito, reversi urbem eamdem magnâ invadunt feritate....

* *Corr.* pridie Purific.

Magnæ molis grando cecidit VIII Kal. Augusti. Item III Idus Augusti, XI horâ diei, solis eclipsis fuit, et secuta est maxima pestilentia boum, ovium atque suûm. Magna fames fuit.

Domnus Papa Calixtus II, vir sanctissimus (quippè cujus faciem in Apostolatu suo nemo unquam vidit immutatam) præterea genere, moribus, sapientiâ quoque, cunctisque divinarum humanarumque rerum dispositionibus præcipuus, D
in Domino vitam finivit : post cujus decessum pars aliqua Romanorum Ravennatem Archiepiscopum, omni religionis testimonio satis commendatum, Apostolicæ Sedi præficere nituntur ; item aliqui Lambertum Ostiensem Episcopum, qui et, universali postmodùm electione concordante, voti compotes efficiuntur. Nam vir idem et in Romana tamdiu probatus Ecclesia, et in ea legatione quâ dudum ipse in reconciliatione regni et Sacerdotii Germanicis in partibus strenuè laboravit, cis citraque notificatus, tam illorum qui longè quàm illorum qui propè erant, Sacerdotum unanimi favore canonicè consecratur, et more sedis illius, ut verè tanto dignus honore, Honorius II appellatur....

Anno Dominicæ Incarnat. MCXXVII.... Karolus Comes Flandrensis in oratione procumbens in Ecclesia a propria militia perimitur. Willehelmus Comes Burgundiæ a suis noctu in cubiculo perimitur.... E

Anno Dominicæ Incarnat. MCXXX.... Honorius Papa moritur, eique Innocentius succedit : post cujus constitutionem aliquot diebus elapsis, quidam Petrus qui et Anacletus, filius Petri-Leonis, qui Papatum multis retrò diebus affectaverat, militari manu Papa substituitur, annitentibus quibusdam Cardinalibus timore magis quàm voluntariè....

Anno Dominicæ Incarnat. MCXXXI,... Dominicâ ante mediam Quadragesimam, XI Kal. Aprilis, celeberrimus conventus XXXVI Episcoporum et Principum

(*a*) Haud exiguum, imò innumerabilem fuisse Imperatoris exercitum testatur Sugerius in vitâ Ludovici VI. *Imperator Henricus*, inquit, *exercitum quantumcumque potest Lotharingorum, Alemannorum, Bajoariorum, Suevorum et Saxonum, licèt eis infestaretur, colligit.* Disertiùs verò chronographus sub nomine Roberti de Monte vulgatus : *Henricus Imperator, congregatâ infinitâ multitudine, fines regni Francorum irrumpere disponit.*

fit

Digitized by Google

A fit Leodii, domno Apostolico Innocentio et Rege Lothario ac Regina præsentibus, ubi multa tam de Ecclesiasticis quàm de regni utilitatibus providè ordinata sunt.... Innocentius Papa iterùm collectis Ecclesiasticis viris et fidelium turmis apud Remensem urbem in festo S. Lucæ, generali Synodo per aliquot dies præsidebat....

Anno Dominicæ Incarnat. MCXXXII.... Eclipsis lunæ facta est V Nonas Martii.... Cometa visa est VI Nonas Octobris....

Anno Dominicæ Incarnat. MCXXXIII.... Eclipsis solis facta est IV Nonas Augusti, circa horam sextam, in tantum ut stellæ in cœlo apparerent.

EX CHRONICA REGIA S. PANTALEONIS

B

PROPE COLONIAM.

Apud eumdem Eccardum Tomo I, col. 931.

ANNO Dom. MCXLVII. Eclipsis solis facta est VII Kal. Novembris, circa horam diei penè quartam. Ipso anno fames maxima facta est, ita ut modius siliginis XII solidis Coloniensis monetæ venderetur. In mense Junio famem etiam pestilentia et mortalitas subsecuta est intolerabilis....

Anno Domini MCXLVIII *. Expeditio Jerosolymitana secundò facta est ex omni regno occidentis per Conradum Regem, anno regni sui XI, Indict. XI, cum quo et Ludovicus Rex Francorum et plures alii Principum proficiscuntur cum innu-

C merabili multitudine bellatorum equestris et pedestris exercitûs, accensi desiderio eundi in Jerusalem visitare sepulcrum Domini, ac dimicare contra gentes quæ ignorant Deum, et dilatare terminos Christiani imperii in oriente. Hujus viæ auctores maximè fuerunt Bernardus Abbas Clarevallensis et quidam Monachus nomine Rodulfus. Ergo, ut diximus, non solùm plebeii et milites, sed et Ecclesiarum multarum Antistites, Duces, Comites, Principes, ipsi et Reges in hanc se expeditionem contulerunt. Nec verò aliquis poterit credere quanta hominum multitudo cum eis et per eos adunata sit.... Et heu, proh dolor! quò plures et fortiores erant, eò minora virtutis reliquere vestigia. Nil quod Regiæ chronicæ dignum sit imprimi hoc actum est itinere, tantùm ea quæ Romano plena sint rubore et infortunio. Periit maxima ex parte innumerabilis ille conventus fame, peste, Paganorum gladio; plurimi a Turcis et Sarracenis capti fœdâ servitute et

D vinculis consenuerunt.... Ergo quia omnia quæ hâc viâ gesta sunt, plena sunt luctûs et miseriæ et nullius victoriæ, melius est inde silere et Romano parcere pudori, quàm tradere cognitioni futurorum....

Anno Domini MCXLIX *. Domnus Apostolicus Eugenius Remis Concilium habuit, congregatis ibi ex omni Gallia et Germannia Episcopis et Ecclesiarum Primatibus, ubi Coloniensis Archiepiscopus ab officio suo suspenditur, quia se huic Concilio subtraxerat. Ibi plurima de utilitate Ecclesiæ tractata sunt.

Eodem anno Conradus Rex de Hierosolyma rediit, filium etiam suum Heinricum ungi fecit in Regem Aquisgrani, qui non multò post obiit....

Anno Domini MCLIII. Eclipsis solis facta est VII Kal. Februarii....

Anno Domini MCLXI *. Adrianus Papa, audito Imperatoris adventu, circa festum B. Petri quod dicitur ad Vincula, cum Cardinalibus suis Romam egressus,

E consilium habuit ut ipsum Imperatorem excommunicaret; sed nocte ipsâ morte præoccupatus, consilium infectum reliquit. Sed dum Cardinales quidam hoc se voto pertinaci constrinxissent quòd nullum ei successorem, nisi qui ejusdem propositi et voluntatis erga Imperatorem esset, eligerent, domnum Rolandum prioris Papæ Cancellarium concorditer elegerunt: quem dum Romano more immantare voluissent, restitit obstinatissimè, indignum se hoc honore, quinimò onere contestatus. Hoc illi audientes qui imperio favebant, Octavianum Cardinalem virum nobilem elegerunt, et Romano more immantatum Victorem appellaverunt, et in jubilo vocis in sede B. Petri collocaverunt, qui mox Romæ consecratus est Nonas Octobris. Quidam verò ex Cardinalibus nono die apud Cisternam castrum convenientes, favore Siculi [Regis] et eorum qui discordiam inter regnum et Sacerdotium facere nitebantur, prædictum Rolandum rursùs

* *Immò* MCXLVII.

* *Corr.* MCXLVIII.

* *Corr.* MCLIX.

Digitized by Google

eligentes , immantatum ibidem consecraverunt et Alexandrum vocaverunt.... Ita- A
que Imperator et qui sub ejus erant imperio , Victorem loco summi Pontificis habebant ; aliarum autem Reges et Principes provinciarum , Episcopi et Abbates , populique omnes Alexandro tanquàm catholico Papæ parebant. Qui post hæc transiens in Franciam , a Rege Franciæ omnibusque Episcopis et Abbatibus honorificè suscipitur , a quibus etiam per aliquod tempus abundantissimè sibi suisque necessaria subministrantibus detinetur. (*Quæ sequuntur ad an.* 1237 , *ea sunt Godefridi S. Pantaleonis Monachi , a Freherio edita.*)

Anno Dominicæ Incarnat. MCLXII.... Ludowicus Rex Franciæ legatos ad Imperatorem pro componenda pace et unitate sanctæ Ecclesiæ misit , quos ipse gratanter suscepit. Igitur generali Synodo indictâ in municipio quod Laona dicitur , super fluvium Saonam in Episcopatu Bisontino, Imperator cum Papa Victore multisque Archiepiscopis , Episcopis , Abbatibusque affuit , in Decollatione B
S. Joannis-Baptistæ. Rex autem Franciæ ex altera parte fluminis pridie advenerat ; sed ex consilio Papæ Alexandri (*a*) et sibi parentium in proximo castro resedit , nec ad Imperatorem pervenit. Affuit huic Synodo Rex Danorum Waldimarus , qui ibidem coronam de manibus Imperatoris suscipiens homo ejus factus est. Igitur Imperator et Rex Danorum cum tota illa frequentia Pontificum et Principum , sicut in prima et secunda Synodo , Victorem universalem Papam nominaverunt , et Alexandrum cum suis sequacibus schismaticos designaverunt.

Anno Domini MCLXIII. Quidam hæretici de secta eorum qui Kathari nuncupantur , de Flandriæ partibus Coloniam advenientes , propè civitatem in quodam horreo occultè mansitare cœperunt ; sed dum neque Dominico die Ecclesiam intrarent , a circummanentibus comprehensi et detecti sunt. Qui Ecclesiæ catholicæ repræsentati et diu satis de secta sua examinati , dum nullis probabilibus documentis corrigi possent , sed in suo proposito pertinacissimè persisterent , ejecti C
sunt ab Ecclesia et in manus laïcorum traditi : qui eos extra urbem educentes , Nonis Augusti ignibus eos tradiderunt , mares quatuor et juvenculam unam , quæ dum miseratione populi propè servaretur , si fortè interitu aliorum terreretur et saniori consilio acquiesceret , subitò de manibus se tenentium elapsa ultrò ignibus se injecit et periit....

Anno Domini MLCXIV. Oceanus limitem suum duodecim penè milliaribus XIV Kal. Martii egressus , multa millia hominum diversi sexûs et ætatis , maximè circa fluvium Wiseram submersit.

In Parasceve , IV videlicet Idus Aprilis , celebrante Rulando apud Senonas divina , horribiles tenebræ factæ sunt ; et dum quidam Cardinalis Passionem legeret , in ipsa ubi dicitur *consummatum est* , fulgur tam stupendum cecidit , et D
deinde tantus fragor intonuit , ut Rulandus dimisso altari , et Diaconus dimissâ lectione , et omnes qui aderant fugâ consulendum esse sibi judicarent. Victor Papa apud Lucam obiit , ibique sepultus est : cui Wido successit Cremensis Episcopus X Kal. Maii , et ab Henrico Leodiensi Episcopo ordinatus est VI Kal. Maii , et Romano more Paschalis est appellatus....

Anno Domini MCLXVI.... Imperator Natalem Domini Aquisgrani celebrat. Ibi IV Kal. Januarii cum frequentia Pontificum ac Principum , magnoque cum tripudio Cleri ac populi extulit de sarcophago ossa Caroli Magni Imperatoris , ubi sepultus quieverat annis CCCLII , et quædam regalia xenia in vasis aureis et palliis sericis tam Imperator quàm Regina eidem contulerunt Ecclesiæ , additis X marcis annuatim....

Anno Domini MCLXVIII.... [Philippus] Coloniensis Archiepiscopus in le-

(*a*) Alexandri diffidentiâ impeditum fuisse colloquium una est Auctorum omnium sententia , inter quos Otto Morena : « Mense Augusto , in» quit , maximum statutum est colloquium in » Lombardia [*lege* Burgundia] apud Besenzonum » a domino Papa Victore et ab illustrissimo Impe» ratore Frederico , ac etiam a Rege Franciæ et » Raynaldo [*al.* Rolando] quondam Cancella» rio , qui et ipse ab Apostolis nomen assump» serat , ut quis dignus in Apostolatûs honorem » sublimandus foret , dilucidè discuteretur. Fuit» que ad ipsum colloquium præfatus Papa Victor » ac strenuissimus Imperator cum copiosa multi» tudine Archiepiscoporum , Abbatum aliorumque » Clericorum , et Principum atque aliorum mili» tum ; ibique cùm statutum fuisset ut per de» cem religiosos Episcopos , quorum quinque ex » parte Papæ Victoris , et quinque ex parte Ray» naldi [Rolandi] præfati ac Regis Franciæ qui » Raynaldo [Rolando] favebat , electi essent , » causa discuteretur , veritasque plenariè ex utra» que parte indagaretur , prædictus Raynaldus » [Rolandus] ipsorum decem Episcoporum exa» mini se subdere recusavit. Ita dirupto colloquio , » dominus Papa Victor Cremonam ivit , Impera» tor verò cum serenissima Augusta conjuge sua et » aliis Principibus ac universo exercitu in terram » Teutonicam proficiscitur ». (*Ex Ottonis Morenæ Historia Laudensi , apud Murat. T. VI Rerum Ital. p.* 1113.

Digitized by Google

A gatione Imperatoris Rotomagum Regem Angliæ adiit, ubi Archiepiscopus Moguntinus et Dux Saxoniæ ei occurrerunt : sed qualis legatio fuerit, præter eos et Regem latuit.

Anno Domini MCLXIX. Imperator celeberrimam curiam VIII Idus Aprilis apud *Bavinberg* habuit, ubi de Francia Abbas Cisterciensis et Abbas Clarevallensis ipsius vocatione eum adierunt, quos cum Episcopo Bavinbergense in Italiam pro Ecclesiæ unitate direxit....

Anno Domini MCLXX.... Mare vehementiâ ventorum limitibus suis excussum, IV Nonas Novembris terram Fresonum circa *Stavern* magna ex parte submersit.

Anno Domini MCLXXI.... Ludovicus Comes de *Los* obiit....

Anno Domini MCLXXII.... Atrebatis contigit res digna memoriâ. Miles enim quidam admodùm literatus de corpore Dominico benè sensit, scilicet quòd nec
B per vomitum seu egestionem corrumpatur: a quo quidam Clericus Robertus nomine, subtiliter quidem sed inutiliter literatus, contraria huic, et ideò hæretica sentiens, inter conferendum dissensit, et ita quæstio ad Episcopum delata est. Qui Archiepiscopum Remensem cum multitudine Cleri advocavit, et dum hæc questio discuteretur, prædictus Clericus quòd non solùm foret hæreticus, sed et alios foveret et defenderet hæreticos, a multis est accusatus. Purgare ergo famam suam de objecta hæresi judicio candentis ferrì frustra proponens, tam manifestè Deo operante cecidit, ut non solùm in dextra in qua ferrum gestabat, et in sinistra manu, et in utrisque pedibus, et in ambobus lateribus, in pectore simul et ventre ustura mirabiliter apparuerit....

Anno Domini MCLXXIV.... Ludowicus Rex Franciæ et [Henricus] filius Regis Angliæ, et [Philippus] Comes Flandrensis Heinricum seniorem Regem
C Angliæ petierunt bello. Sed Rex Anglorum primò pœnitentiam agens de occisione sancti Martyris Thomæ, victoriam adeptus est, plurimis de Flandria captis vel fugatis....

Inundatio Rheni et fluviorum insolita et diutina. [Robertus] Episcopus Cameracensis a vulgaribus occiditur....

Anno Domini MCLXXVIII.... Eclipsis lunæ perspicua, quæ cùm XIV esset, per unius horæ spatium dimidio orbe obscurato, altero fulgida remansit.

Godefridus Episcopus Trajectensis obiit; cui Baldewinus frater Comitis de *Hollant* substitutus est. Imperator de Italia rediit, et curiam in Assumptione S. Mariæ apud Bisuntium in Burgundia habuit....

Anno Domini MCLXXIX.... Episcopus Trajectensis et Comes Hollandiæ contra Fresones arma moverunt; sed sine honore victoriæ redierunt.

D Calendis Augusti terræ motus fuit, et eâdem die circa horam sextam stella juxta solem visa est. Eodem mense eclipsis lunæ in plenilunio a media nocte usque ad mane extitit.

Ludovicus Rex Franciæ obiit, cui Philippus filius ejus succedit. (an. 1180.)

EX VARIIS CHRONICIS,

GESTIS ET INSTRUMENTIS, ETC.

E QUINTO anno collati Wlstano [Wigorniensis] Episcopatûs, Rex Eduardus fato functus ingens seminarium discordiæ reliquit Angliæ, hinc Haraldo, hinc Willelmo Comite Normanniæ, legitimo eam jure clamantibus. Et tunc quidem Haraldus vel favore impetratâ, vel vi extortâ coronâ, regnum paullò minùs totum obtinuit: soli Northanhumbri magnum et gentile tumentes parere distulere, aquilonalem cervicositatem australi, ut dictitabant, mollitiei subjugare non dignati.... Denique [Wlstanus] Haraldo palàm testificatus est, quanto detrimento et sibi et Angliæ foret, nisi nequitias morum correctum ire cogitaret. Vivebatur enim tunc penè ubique in Anglia perditis moribus, et pro pacis affluentia deliciarum fervebat luxus. Ille vitiosos et præsertim eos qui crinem pascerent insectari: quorum si qui sibi verticem supponerent, ipse suis manibus comam lascivientem secaret. Habebat ad hoc parvulum cultellum, quo vel excrementa ungium, vel sordes librorum purgare consueverat: hoc cæsa- An. 1066.

Digitized by Google

riei libabat primitias, injungens per obedientiam ut capillorum cæterorum series ad eamdem complanaretur concordiam. Si qui repugnandum putarent, eis palàm exprobrare mollitiem, palàm mala minari, futurum ut qui erubescerent esse quod nati fuerant, qui æmularentur capillorum fluxu fœminas, non plus quàm fœminæ valerent ad defendendam patriam contra gentes transmarinas: quod in adventu Normannorum eodem anno claruisse, quis eat in inficias?... Willelmus [etenim] Normanniæ Comes Angliam veniens, congressusque prælio cum Haroldo, cæde ipsius et Anglorum strage regnum ditioni suæ asseruit: ubi, sicut præfatus sum, claruit prophetiæ veritas, quòd tanta fuit miserorum provincialium imbecillitas, ut post primam pugnam nunquam communi umbone ad libertatem tentarint assurgere, quasi cum Haroldo robur omne deciderit patriæ. Rex porrò Willelmus nullo unquam sanctum virum affecit incommodo; quin immò multò eum honore veritus, patrem et venerabatur amore et dignabatur nomine. (*Ex vita S. Wlstani Wigorn. Epis. apud Mabill. Sæc. VI. Bened. parte* 2. *p.* 851.)

Anno MLXVI, Indictione quartâ, VII Kal. Maii, cometes apparuit diebus quinque flagrans ad occidentem (*a*). Hoc quoque anno, Comes Normannorum [Guillelmus] invasit Anglorum regnum. (*Ex necrologio S. Maglorii Paris. in Ms. codice Reginæ Sueciæ* nº 173.)

Anno MLXVII. Obiit Maurilius Rotomagensis Archiepiscopus, priùs Fiscannensis Monachus, cui successit Joannes filius Radulfi Comitis, fratris Ricardi primi, qui priùs Abrincensi Ecclesiæ septem annis et tribus mensibus præfuit, et postea rogatu Alexandri Papæ, concedente Willelmo Rege Anglorum et Principe Normannorum, adeptus est cathedram metropolitanæ Rotomagensis Ecclesiæ. (*Ex Accessionibus Roberti de Monte ad Sigebertum, ad calcem operum Guiberti de Novigento p.* 726.)

Anno MLXVIII. Nascitur Henricus filius Regis [Angliæ Guillelmi conquestoris]. (*Ex Annal. Burtoniensibus, apud Joan.* Fell, *inter rerum Anglic. Scriptores V. p.* 246).

Anno MLXXIV. Congregatum est Concilium in Rotomagensi urbe, præsidente Willelmo Anglorum Rege et Normannorum Principe, et Joanne Archiepiscopo Rotomagensi, et Odone Bajocensi Episcopo, et Hugone Lexoviensi, et Michaële Abrincensi, Gisleberto Ebroïcensi et Roberto Sagiensi, in quo tam de negotiis ecclesiasticis quàm de regni utilitatibus diligenter tractaverunt. (*Ex Accessionibus Roberti de Monte ad Sigebertum.*)

In Lingonensi diœcesi fundatum est Cœnobium quod Molismum vocant, anno Domini MLXXIV (*b*), cujus primus Abbas Robertus vir religiosus extitit. (*Ex chronico Strozziano dicto.*)

* *Corr.* Theodericus.

Anno Domini MLXXV, Dux Lotharingiæ Matthæus * et frater ejus Gerardus terras suas inter se dividentes, Comitatus Vademontis Gerardo in sortem devenit, qui non longè post Cellam Bellæ-vallis in territorio castri sui sitam satis compendiosè extruens, prædiis et aliis possessionibus augens, Mediano Monasterio possidendam submisit, ubi postea se delegit sepeliri. (*Ex Cartulario Mediani Monasterii, inter Miscell. Durandi T. I. fol.* 20 *in Biblioth. San-German.*)

Anno MLXXVI (*c*). Beatus Stephanus natione Alvernus, anno XXX ætatis, in

(*a*) « Anno MLXVI, Indict. IV, mense Aprilis, stella » Cometes apparuit a parte orientis, cujus fumus » per aliquot dies tendebat ad meridiem. Ipso quo- » que mense, hæc eadem stella apparuit a parte » occidentis, cujus fumus similiter ad meridiem » per aliquot dies tendebat. » (*Ex Romualdi Salernitani chronico apud Muratorium T. VII. rerum Ital.*)

(*b*) Lege MLXXV, uti declarat hoc disticon ipsius loci tabulario præfixum :

Anno milleno quinto cum septuageno
Sub Patre Roberto crevit domus hæc in aperto.

(*c*) Consonat in anno fundati Ordinis Grandimontensis notando chronographus noster Gerardo vitæ S. Stephani auctori, cujus hæc sunt verba apud Martenium Ampliss. Collect. T. VI, col. 1056 : *Facto de virgultis parvo tugurio, anno ab Incarnat. Domini* MLXXVI, *trigesimum agens ætatis suæ annum, eremum habitare cæpit* [Stephanus] *in jejuniis et orationibus continuis serviens Domino nocte dieque.* Verùm sibi non constat Gerardus; nam cùm ex ipso Stephanus moriens Fratribus dixerit : *Sciatis pro certo quòd in hac solitudine ferè quinquaginta annos complevi*, sequitur anno 1074 virum sanctum in eremum secessisse, quandòquidem anno 1124, die 8 Februarii mortuus est, ut testantur hi versus a Guillelmo Dandina in vita B. Hugonis de Lacerta (ibid. col. 1160 relati) :

Nimbosus luces jam Februus egerat octo,
Lucifluus Stephani cùm spiritus astra petivit,
Anno milleno centeno bis quoque deno,
Adjuncto quarto, regno cœli sibi parto.

Præterea, eodem narrante Gerardo, post obitum Milonis Beneventani Antistitis, a quo fuerat educatus, Romæ remansit Stephanus apud quemdam Cardinalem, *cum quo in Romana Curia per quatuor continuos annos intrans et exiens, et de diversis diversarum Religionum actionibus et dispensationibus totius Ecclesiæ catholicos viros sæpè disputantes audivit*, idque ante conversionem. At verò Milonem anno 1074 electum Beneventi Episcopum intra biennium obiisse probat invictissimis argumentis Ughellus. Ergo ante annum 1080 redire in Galliam, ibique ordinis sui fundamenta jacere non potuit Stephanus.

Digitized by Google

territorio Lemovicensi eremiticam vitam agens, plenus sanctitate et miraculis gloriosus, Ordinem instituit Grandimontis, et in loco Mureti migrat ad Christum. (*Ex chronico Strozziano dicto.*)

Anno MLXXVII. Rodbertus *Curte-hose*, guerram contra patrem suum movit, auxilio Philippi Regis Francorum, eò quòd Normanniam sibi coram eodem Rege promiserat et non dederat. (*Ex chronico de* Mailros, *apud Joan.* Fell, *inter Rerum Anglic Scriptores V. p.* 160.)

Anno MLXXVII. Ecclesia Becci, x Kal. Decembris, in honorem B. Mariæ semper Virginis, matris Domini, dedicata est ab Archiepiscopo Cantuariæ Lanfranco, quod opus pergrande ipse inchoavit et post Abbatem Herluinum primum lapidem posuit, quod opus in sexdecim annis peractum est. Huic etiam dedicationi interfuerunt Episcopi, Odo Bajocensis, Gislebertus Lexoviensis, Gislebertus Ebroïcensis, Robertus Sagiensis et Arnaldus Cenomanensis. De lætitia illius diei et gaudio multiplici superfluum videtur proloqui, cùm de adventu personarum, virorumque illustrium et mulierum nobilium, non sine magna largitione donorum, Franciæ, Normanniæ, Angliæ, et desuper abundanti omnibus præparatâ procuratione, nemo sufficienter vix possit disserere.

Anno MLXXVIII. Defuncto patre Herluino VII Kal. Septembris, anno ætatis suæ LXXXIV, monachatûs verò XLIV, paucis interpositis diebus, electus est Abbas ejusdem loci Anselmus, qui Prior XV annis fuerat. Sequenti verò anno, in festo S. Petri qui dicitur Cathedra, benedictus est Abbas in Ecclesia Becci ab Episcopo Ebroïcensi Gisleberto. (*Ex Accessionibus Roberti de Monte ad Sigebertum.*)

Anno MLXXIX. Obiit Johannes Archiepiscopus Rotomagensis : successit Willielmus Abbas Cadomi.

Anno MLXXX. Factum est Concilium apud Lillebonam in præsentia Willielmi Regis Anglorum in Pentecoste, præsidente Willielmo Archiepiscopo Rotomagensi cum Episcopis, Abbatibus, Consulibus et cæteris Principibus, ubi multa utilia instituta sunt quæ servantur in Normannia. (*Ex Annalibus Waverleiensibus, apud* Th. Gale, *T. II. Rerum Anglic. p.* 132.)

Anno Dominicæ Incarnat. MLXXX, Raimundus famosissimus Comes Provinciarum, famam Rogerii Siculorum Comitis audiens, propter strenuitatem quæ de ipso referebatur, legatos dignos qui a tanto ad tantum dirigerentur mittens, Mathildem filiam suam quam de prima uxore admodùm honestæ faciei puellam habebat, sibi in matrimonium copulandam expostulat. Quod cùm a Comite concessum et ab utrisque partibus exequendum sacramentis firmatum fuisset, die nuptiarum statuto, qui venerant pluribus donariis a Comite munificati, festiniore gressu domino suo sibi congressum renuntiant. Qua de re ille non minimùm gavisus (erat enim, propter formositatem quam de ipsa audierat, illam ardentissimo amore cupiens) audito termino nuptiarum, per seipsum in Siciliam accedendo diem prævenire accelerat. Venientem Comes honore condigno excipit, pactiones renovantur, dos puellæ sub testamento chirographizatur, sponsalia, præsentibus utriusque partis Proceribus, ab Episcopis et sacris ordinibus catholicè celebrantur. Qui jamdudùm inter juvenem et puellam paulatim adoleverat, primâ nocte, ut assolet, immensùm excrescit [amor]. Celebratis itaque, et non sine magnarum expensarum sumptibus, nuptiis, socer generum suum aliquandiu secum retinens, tandem munificentiis benevolum, ut res ipsa expostulabat, factum, sed et iis qui cum ipso advenerant singulis singula, prout quemque esse sciebat, largiens, navibus apparatis, placido æquore a se cum filia dimittit. Illi autem vela ventis accuratissimè committentes, zephiro suffragante, brevi tempore unde venerant cum sponsa redierunt. (*Ex Gaufridi Malaterræ historia Sicula, lib. III. cap.* 22. *apud Muratorium T. V. Rerum Ital. pag.* 582.)

Cœpit Ordo Cartusiensis, inter cæteros Ordines puritate mentium in theoriæ studio singularis. Cœpit (*a*) autem anno Domini MLXXXVI. (*Ex chronico Strozziano dicto.*)

Anno Incarnati Salvatoris MLXXXIV, sexto (*b*) die Februarii, inter sextam et nonam, sol obscuratus est per spatium trium horarum, in tantùm ut qui infra

(*a*) Brunonem an. 1084 cum sociis ad Cartusiæ montes accessisse ostensum est superiùs pag. 686. Id ipsum evincit ipsius Brunonis epitaphium in veteri codice repertum, cujus primi versus :

Anno milleno quarto quoque, si bene penses,
Ac octogeno, sunt orti Cartusienses.
His ortum tribuit excelsus Bruno Magister.

(*b*) Eclipsis hæc contigit an. 1086, die decimâ sextâ Februarii, proinde post obitum Gregorii VII et Roberti Guiscardi.

Digitized by Google

domos alicui operi insudabant, nonnisi luminibus accensis interim quæ cœperant exequi possent; qui verò de domo ad domum transmigrare volebant, lanternis et facibus uterentur. Sed antequam annus pertransisset, significatio talis eclipsis, in quantum nos putamus, pluribus cum maximo damno præclaruit. Nam eodem anno venerabilis Papa Gregorius, infirmitatis suæ a medicis medicamentum expetens, frustratis medicaminibus, obiit; Dux [Robertus Guiscardus] Julio mense, et famosissimus Rex Anglorum et Normannorum Dux Guillelmus nono die Septembris moriuntur. (*Ex Gaufridi Malaterræ Hist. Sicula, Lib. III, cap.* 41.) A

Anno MLXXXVI. Henricus Regis filius miles factus est.... Christina virgo Deo devota, Regis filia, Sanctimonialis facta est apud Ramesiam. (*Ex Annal. Wintoniensibus apud Henr. Wharton, parte II Angliæ Sacræ, p.* 288.) B

Anno Incarnati Salvatoris MLXXXIX, Comes Rogerius, uxore Eremburgâ, filiâ Comitis Guilielmi Mortonensis, defunctâ, aliam duxit Adelaidem nomine, neptem Bonifacii famosissimi Italorum Marchionis, filiam videlicet fratris ejus. (*Ex Gaufridi Malaterræ historia Sicula Lib. IV, cap.* 14.)

Eâ tempestate, Philippus Rex Francorum uxorem habens legitimam et præclari generis, Bertam nomine, ex qua susceperat filium nomine Ludovicum, cui etiam ab omnibus Curialibus regnum post se habere designaverat, contra jus legitimæ conjunctionis exosam habere cœpit, et a se contra canonum statuta libello repudii conatur repellere, nihil criminis objecto, excepto quòd sanguinitatem falsò adnumerare tentabat, nec poterat. Hic legatos apud Siciliam ad Comitem [Rogerium] dirigens, filiam ejus nomine Emmam, quam C de prima uxore speciosam puellam habebat, sibi in matrimonio copulandam expetit. Comes verò fraudis quam versùs legitimam uxorem habebat ignarus, cum multis sponsalibus se sibi daturum concessit; statutoque termino, navibus apparatis, eam usque ad sanctum Egidium cum pluribus thesaurorum exeniis, quò Rex se obviam fieri dixerat, maritimo cursu transmittit. Habebatque fiduciam in Comite ejusdem provinciæ Raimundo, quòd eam Regi honestè consignaret; nam et ipse aliam filiam Comitis jamdudùm duxerat. Rex verò pravorum consilio usus, ad hæc nitebatur ut, thesauris susceptis, Comitem de filia, non ducendo, ludificaret. Porrò Comes Raimundus, Regiâ fraude compertâ, cœpit et ipse nihilominùs aliam fraudem conjecturare, videlicet ut puellam, dissimulatâ fraude, cum honore suscipiens, alteri probo viro in matrimonium consignaret; ipse verò omnem pecuniam usurparet. Sed prudentes viri quos Co- D mes cum familia miserat, prece puellæ pecuniâ exportatâ, fraudem quæ agebatur comperientes, anchoris extractis, vela ventis committentes, puellâ cum sororis marito relictâ, placidâ aurâ sufflante, cum pretiosioribus thesauris ad Comitem in Siciliam revertuntur. Comes verò Raimundus fraude quam machinabatur ex parte frustratus, puellam Comiti Claromontis legalibus nuptiis copulavit. Sicque solâ Dei dispensatione solemniter maritata, et pater opprobrio quod Rex machinabatur, et filia inordinatâ et contra jus quavis legali copulatione liberatur. (*Ibid. Lib. IV, cap.* 8.)

Anno ab Incarnatione Domini MXCII, Philippus Rex Francorum accepit uxorem Bertream nomine, uxorem Fulconis Andegavensium Comitis. (*Mabill. Sæc. IV. Benedict. parte I, pag.* 763.) E

Anno MXCII, Indict. XV, Rogerius Dux [Apuliæ] duxit uxorem Reginam Danorum, nomine Alam, filiam Roberti Frisonis Comitis Flandrensium, et ex ea Dux habuit filios Ludovicum et Guiscardum, qui in puerilibus annis mundo mortui Deo vixerunt. Habuitque ex ea alium filium nomine Wilhelmum, qui postea eidem Duci in honore Ducatûs successit. (*Ex chronico Romualdi Salernitani, apud Muratorium, T. VII, Rerum Ital.*)

Anno MXCIII... IX Kal. Octobris, fuit solis eclipsis circa horam tertiam diei, feriâ VI, Indict. XI. (*Ibid.*)

Anno MXCV. Domnus ac venerabilis S. Romanæ Ecclesiæ Papa Urbanus ter-

Digitized by Google

A minos Italiæ excedens, Gallias causâ utilitatis sanctæ universalis Ecclesiæ venit. Et cùm pro erigendis Christianæ legis negotiis quasdam Ecclesias primùm visitasset, tandem ad locum optabilem ac præ cæteris sibi valdè dilectum, ad Cluniacense videlicet devenit Cœnobium, ubi quondam, relicto Canonicalis Ordinis officio, habitum sacræ Religionis susceperat : ubi cùm, ut tali conveniebat personæ, cum magno honore et gaudio receptus fuisset, privilegia quæ dudùm eidem loco fecerat, Apostolicâ auctoritate roboravit et confirmavit.... Præterea rogatus a D. Hugone hujus Monasterii venerabili Abbate, altare majus novæ Basilicæ, adstantibus plurimis Episcopis, Monachis, Clericis quoque ac plebe innumerabili, in honore Resurrectionis Domini nostri Jesu-Christi, ac B. semper Virginis Mariæ, sanctorumque Apostolorum Petri et Pauli, ac Protomartyris Stephani consecravit VIII Kal. Novembris, Indictione IV, et præcepit ut in ipso
B die eadem Basilica opportuno tempore dedicaretur. (*Apud Baluz. Miscel. T. VI, pag.* 474.)

IV Kal. Augusti officium pro D. Urbano Papâ II. Hic venerabilis et verè Deo dignus Apostolicus, inter cætera laudabilia opera sua, etiam istud Monasterium Celsiniarum cum magna auctoritate et devotione, III Nonas Decembris dedicavit, in qua consecrationis die per successiones temporum, omnibus peccata confitentibus et ad istius diei festum devotè convenientibus atque vota sua persolventibus, maximam ac desiderabilem absolutionem fecit. (*Ex Necrologio Celsiniarum.*)

Urbanus II cùm apud Clarummontem Concilium celebraret, rogatu Petri post Fulcrandum Abbatis Karoffum venit, et majus altare consecravit missamque celebravit, præsentibus Amato Burdegalensi Archiepiscopo S. R. E. Legato, Hugone
C Lugdunensi Archiepiscopo et Legato, Rangerio Pisensi Archiepiscopo, Petro Pictavorum, Brunone Signiensi Episcopo, Joanne Cardinale Diacono. Facta sunt hæc IV Idus Januarii, feriâ scilicet quintâ quâ tunc B. Hilarii festum fuit, anno ab Incarnat. Dom. MXCVI, Pontificatûs D. Urbani II Papæ anno octavo. (*Labbe, T. II, Bibl. Mss. p.* 756.)

Anno Dominicæ Incarnat. MXCVI, quarto Indictionis LXXIV, tertio Idus Junii, IV feriâ, Urbanus Papa Carcassonam ingressus, Missam ibidem celebravit, vivos et defunctos benedicens absolvit, etiam Ecclesiæ B. Nazarii saxa bene-
dixit. Et subsequenti feriâ VI super altare B. Mariæ semper Virginis sanctique Salvatoris Missam celebrans, sermonem nobis fecit, cimiterium propriis manibus salis aspersione absolvit; et sic quinque diebus nobiscum commoratus, vivis ac de-
D functis consignatis, cum laude et gratiarum actione discessit. (*Ex Ms. cod. Reg.* 5256.)

Anno MXCVI, Indict. IV, Urbanus Papa apud Clarummontem Arverniæ Synodum fecit, et tunc multitudo Christianorum innumera exhortatione Urbani Papæ commota est ex omni Europa proficiscentium ad sanctum Sepulcrum Domini in * *Corr.* VIII
Hierusalem. Eodem anno, VI * Idus Augusti, Indict. IV, luna passa est eclipsim a prima hora noctis usque ad tertiam horam ejusdem noctis (*a*). (*Ex chronico Romualdi Salernitani, apud Muratorium, T. VII Rerum Ital.*)

Anno ab Incarnat. Domini MXCVII, Indict. VII, Concurrente IV, Epactâ III. XIV Kal. Maii, lunâ II, feriâ VII, obiit Petrus Vicecomes de Gavareto. (*Ex Cartulario albo Ecclesiæ Ausciensis, fol.* 17.)

Anno MXCVIII *. Luna duodecima in ortu suo defectum passa, paulatim redin- * *Corr.* 1099.
E tegrata est Nonis Junii, et Urbanus Papa moritur. Paschalis fit Papa. (*Ex chronico Cassinensi, apud Muratorium, T. V, Rerum Ital. p.* 56.)

Anno MXCIX, Indict. VII, VII * Kal. Decembris, fuit eclipsis lunæ serò. (*Ex* * *Corr.* pridie.
chronico Romualdi Salernitani.)

Anno ab Incarnat. Domini MCI, Stephanus Comes Palatinus ivit secundâ vice in Jerusalem. (*Mabil. Sæc. IV. Benedict. parte I, p.* 764.)

Anno MCII. Heinricus Imperator cum exercitu terram Ruperti Comitis Flandrensis intrat, castrum *Bolzain* * cum multis aliis castellis capit et incendit, et fir- * *Bouchain.*
missimum castrum Sclusam expugnat et incendit, multis captis et paucis occisis. Rupertus victoriæ Imperatoris invidens, sua ipse munitissima castella comburit,

(*a*) « Anno MXCVI.... Eclipsis lunæ VII Idus Augusti solito fit major in noctis initio ». (*Ex chronico Augustensi, apud Marquardum Freherum, T. I. Rerum German. p.* 356. *Francof. an.* 1624.)

Digitized by Google

scilicet Inci, Bapalmas, *Demeis* (*a*), *Marcoin*, quæ ipse construxerat contra Cameracum. Anno MCIII, Rudpertus Leodii Imperatoris gratiam impetrat. (*Ex brevi chronico Prumiensi, apud Martenium, T. IV, Collect. Ampliss. col.* 520.) A

Anno Dominicæ Incarnat. MCIV, combustio castri Toarcii, patrata a Gauzfrido Martello juvene Andegavorum Comite, die Dominicâ, horâ tertiâ, V Kal. Septembris. (*Ex ms. notitia in archivis Thoarcensibus servata.*)

Anno ab Incarnat. Domini MCV, Indict. XIII, Epactâ III, concurrente VI, feriâ tertiâ, V Kal. Julii, combusta est civitas Lemovicensis ab hominibus de castro S. Martialis, in qua combustione concremata est mater Ecclesia S. Stephani cum omnibus officinis suis. (*Ex Hagiologio S. Stephani Lemov. inter Frag. D. Estiennot, T. I. p.* 111.)

Anno MCV. Kalendis Martii, Henricus Angliæ Rex perrexit in Normanniam, ibique demoratus est usque ad Pascha pacificè. Postea, veniente festivitate sancti Johannis ante Portam Latinam, die Dominico, venit manè cum exercitu suo ad civitatem Baïocensem, eamque combussit et Ecclesias, et plurimam hominum partem occidit : in sexta verò feriâ, tradiderunt se populi illius civitatis suo dominatui, atque ipsam civitatem. Post hæc VI Kal. Septembris, in festivitate S. Rufi Martyris reversus est in Angliam. (*Ex Annalibus de* Margan, *apud Th.* Gale, *T. II. Rerum Anglic. p.* 4.) B

Anno MCV, Indict. XIII,... mense verò Decembris, Boamundus a civitate Antiochia in Apuliam rediit; profectusque in Galliam anno sequenti duxit uxorem filiam Philippi Francorum Regis, nomine Constantiam, ex qua Boamundus ipse duos filios habuit, quorum quidem unus nominatus est Joannes, qui puer mortuus est, alter verò dictus est Boamundus, qui patri suo successit. (*Ex chronico Romualdi Salernitani, apud Muratorium, T. VII. Rerum Ital.*) C

Anno MCVI, Indict. XIV, mense Septembri, perrexit Boamundus in Occiduas partes, auxilium exinde milites quærere : et factum est, cum multitudine Francorum insuper et filiam Philippi Regis Constantiam nomine in conjugio accepit, et in eodem anno mense Augusti reversus est. (*Ex Anonymi chronico Barrensi, apud Muratorium T. V. Rerum Ital. p.* 155.)

* An. 1107. IV. Kal. Februarii *, dedicatio Ecclesiæ S. Martini Athanacensis (*d'Aisnay*). Hanc Ecclesiam venerabilis Papa D. Paschalis II cum quampluribus Episcopis sacravit, eamque suâ auctoritate cum suis appenditiis munivit. (*Ex Hagiologio S. Martini de Canali* (la Chane en Veze,) *apud D. Estiennot, Antiq. Bened. Diœc. Lugdun. p.* 403. *cod. San-German.* 527.)

Anno Dominicæ Incarnat. MCVII, Theobaldus filius nobilissimi Comitis Stephani et Adelæ venerabilis Comitissæ... arma recepit jam factus miles. (*Mabil. Sæc.IV. Benedict. parte I. p.* 765.) D

Anno MCVII, Indict. XIV. [Paschalis] Papa ex Synodi sententia apud Trecas Rothardum Mogontinensem Episcopum ab officio suspendit.... Rex Henricus obviam Papæ Ratisponam venit; sed Papâ non veniente, ibidem Natalem Domini celebravit. Pascha verò Mogontiæ celebravit, indeque obviam Papæ in confinio Lotharingiæ et Franciæ, per triduumque legatis invicem missis, infecto pro quo venerant negotio, discesserunt, et Rex Metis in Pentecoste fuit..... Deinde circa festivitatem Omnium Sanctorum cum exercitu Flandriam petiit (*b*), et pacto cum Comite illius provinciæ Roberto confirmato, Aquisgrani venit, ibique Natalem Domini celebravit. (*Ex Annalibus Hildeshemensibus, apud Leibnitium T. I. Rerum Brunswic. p.* 737.)

Anno MCVIII, apud Floriacum, præsente Philippo Rege Francorum aliisque quamplurimis Proceribus, Episcopis et Abbatibus, corpus sanctissimi Benedicti levatum est impositumque feretro auro gemmisque mirificè fabricato : qui Philippus emit Bituricum ab Harpino, pretio LX millium solidorum. Hoc eodem anno Philippus Rex Francorum moritur, et apud Floriacense Cœnobium supra Ligerim tumulatur. Post quem filius ejus Ludovicus apud Aurelianos consecratur E

(*a*) Quid sit *Demeis* castellum nobis incompertum. Loca expugnata tum ab Imperatore sic recensent chronica Cameracensia, *Marconium*, Paluels, *Incenium*, *Esclusa*, *Bulcenium*. Unde minùs rectè Dodechinus : « Anno MCII. Imperator Flan- « driam cum exercitu adiit, et pacificè rediit. (*Ex Dodechini Appendice ad Marianum Scotum.*)

(*b*) « Anno MCVII... Rex [Henricus] Flan- » driam cum valida manu intrat, ferro et igne » cuncta devastat, Rupertum Comitem cum omni » populo subjugat (*Ex Dodechini Appendice ad Marianum.*)

in

Digitized by Google

A in Regem a Daimberto Sononensi Archiepiscopo, regnavitque annis XXVIII. (*Ex chronico Strozziano dicto.*)

Anno MCVIII, Indict. I, Philippus Francorum Rex obiit, anno ex quo cœpit regnare XLIX: cui Ludovicus filius ejus successit in regnum. (*Ex chronico Romualdi Salernitani, apud Muratorium T. VII. Rerum Ital.*)

Anno MCIX. Tyronensis Ecclesia fundata est. (*Ex chronico de* Mailros, *apud Joan.* Fell, *inter Rerum Anglic. Scriptores V. p.* 163.)

Anno MCIX, Indict. I, Henricus Rex.... desponsavit filiam Regis de Anglica terra. (*Ex Annal. Hildeshem. apud Leibnitium. T. I. Rerum Brunswic. p.* 737.)

Anno MCX, Indict. II.... [Henricus Germaniæ] Rex Anglici Regis filiam [Mathildem] sponsam suscepit, quam in Pascha apud Trajectum regio more dotavit. Eclipsis lunæ facta est II Nonas Martii. (*Ibid.*)

B Anno MCX, Indict. III, stella cometes a parte septentrionali circa polum visa est totâ nocte, a sero usque mane per totum mensem Junii. (*Ex chronico Romualdi Salernitani, apud Muratorium T. VII. Rerum Ital.*)

Anno MCXI. Obiit Robertus Consul Flandriæ, cui successit Balduinus filius ejus (*a*).

Anno MCXII.... Hoc tempore, Magister Guillelmus de Campellis qui fuerat Archidiaconus Parisiensis, vir admodùm literatus, habitum Canonici Regularis assumens cum aliquibus discipulis suis extra urbem Parisius, in loco ubi erat quædam Capella S. Victoris Martyris, cœpit Monasterium ædificare Clericorum. Assumpto * autem illo ad Episcopatum Catalaunensem, venerabilis Gelduinus * An. 1113.
discipulus ejus primus Abbas ibi factus est, sub cujus regimine multi Clerici nobiles, sæcularibus et divinis literis instructi, ad illum locum habitaturi conve-
C nerunt, inter quos Magister Hugo Lothariensis et scientiâ literarum et humili religione maximè effloruit. Hoc anno etiam exordium Savignei fuit. (*Ex chronico Roberti de Monte a Savigniacensi Monacho interpolato, in ms. codice Reg.* 4861.)

Anno MCXII, Willelmus Comes Pictaviensium uxori suæ pellicem superinduxit, vocatam *Amalbergun*. Willelmus Comitis primogenitus matris injurias ulcisci proponens, insurrexit in patrem: inter quos lite protractâ diutiùs, damnosum Aquitania transegit septennium. Tandem filius jure belli captus a patre recipitur in concordiam; sed cùm lex humana filios erubescat patrum castigatores statuere, quia patrem indignè tractaverat, in sepulcro patrum suorum filius sepeliri non meruit, sed peregrè proficiscens apud S. Jacobum in Galicia diem clausit ex- * An. 1137.
tremum *. (*Radulfus de Diceto, apud* Twysden, *col.* 567.)

Anno MCXIV.... Alterâ die post Epiphaniam, collectis totius regni Princi-
D pibus, nuptias filiæ Regis Anglici cum ingenti gloria consummat [Henricus Imperator] quales ante eum nemo Regum longo ex tempore disposuit. (*Ex Annal. Hildeshem, apud Leibnitium T. I. Rerum Brunswic. p.* 738.)

Anno MCXIV (*b*). Ludovicus Rex Franciæ obsedit castrum Gornaii super Matronam fluvium situm, contra Hugonem de Pompona dominum Creciaci, qui rapinis intentus mercatorum naves per fluvium transeuntes exspoliabat, et apud Gornaium spolia deducebat. Venit autem ad auxilium dicti Hugonis Guido Rubeus de Rupeforti, pater ipsius Hugonis, et Comes Campaniæ Theobaldus: sed Rege viriliter decertante, eos ad fugam compulit, et castrum in deditionem accipiens Garlandensibus commisit. Ludovicus Rex Franciæ circa idem tempus fuit a vicinis Baronibus suis et militibus sic arctatus, quòd vix ab urbe Parisius securè egredi posset; sed tandem Dei virtute et auxilio beatorum Martyrum Dio-
E nysii, Rustici et Eleutheri, quos semper invocabat, contra hostes animatus, Hugonem de Puisaco in Belsia et Comitem Blesensem Theobaldum potentissimè subjecit, castrum Puisaci funditùs evertens. Deinde Odonem (*c*) Corboliensem Comitem et Hugonem de Creciaco, Guidonem de Rupeforti et Thomam de Marla

(*a*) Balduinum statim post adeptum Comitatum congregatis Flandrensibus pacem servandam imperasse testis est Herimannus Tornacensis, supra p. 394. Hujus verò conventus epocham tradit Mabillonius Sæc. III Bened. parte I. p. 328, ex quadam charta, cujus hæc est clausula: *Actum est hoc apud S. Audomarum in solemni curia, anno* MCXIV, *Indictione* VII, *regnante Ludovico Francorum Rege, principante in Flandria Balduino Comite, eâ scilicet die quâ ab ipso Comite cunctisque Proceribus Flandriæ pax confirmata est sacramentis.*

(*b*) Multa sub hoc anno conglomerat Nangius Regis Ludovici gesta, quæ diversis temporibus contigisse patet ex rerum indice tomi nostri XII.

(*c*) Odonem Corboliensem iis qui adversùs Ludovicum rebellarunt perperàm accenset Nangius. Constat enim ex Sugerio eum ob servatam eidem Regi fidem et negatam rebellibus opem, captum venando per insidias a fratre suo Hugone de Creciaco in vincula conjectum fuisse, et postmodùm armorum vi a Rege liberatum.

Digitized by Google

tyrannum, sibi adversantes perpetuò exhæredavit. Haimonem etiam dominum A
Borbonis suppeditans, munitiones ejus et omnium prædictorum oppida ad suam jurisdictionem revocavit. Cum Rege autem Anglorum Henrico variis et diversis temporibus pugnans, eum sæpè mirabili bello perdomuit. (*Hæc e Sugerio Nangius.*)

* *Corr.* 1114. Anno MCXV *. Cœnobium Claræ vallis fundatur sub primo Abbate Bernardo. Claravallis autem non longè est a fluvio Alba, quæ antiquitùs fuit spelunca latronum et Vallis Absinthialis dicebatur, propter amaritudinem incidentium in latrones. Eodem tempore Monachi ibidem commorantes sæpè pulmentum ex foliis fagi sibi conficiebant. Panis similis erat illi prophetico ex hordeo, milio et vicia, qui magis terreus quàm furfureus videbatur. (*Hæc ex Helinando Nangius.*)

Anno MCXV. Obiit Maria Comitissa Boloniæ, soror Mathildis Reginæ, uxoris Henrici Regis, XIV Kal. Maii (*a*). (*Monastici Anglic. T. I. p.* 640.)

Anno Domini MCXVI, in contermino præteriti et subsequentis anni, Rex B
[Angliæ] Henricus cum Regina sua ad Natale Domini, die scilicet Innocentium, interfuit dedicationi Ecclesiæ S. Albani, quam dedicavit Archiepiscopus Rotomagensis Gaufridus. (*Ex historia Matthæi Paris.*)

Anno MCXVII.... Hoc eodem anno, multa perpetrata mala, conjurationes injustæ, incendia, homicidia, concremationes Ecclesiarum et abstractiones bonorum inibi Deo servientium, sed maximè in partibus Galliæ, ubi cives contra cives consurgunt, et sibi non consentientes capiunt bona, diripiunt civitates, castella, domos, villas destruunt, incendunt, homines non humano, sed pecudum more dilaniant atque interimunt. Bis etiam hoc anno eclipsis lunæ facta est, scilicet XVI Kal. Julii et III Idus Decembris. Mirabile quoque signum XVII Kal. Januarii in cœlo apparuit, variis coloribus permixtum. (*Ex Dodechini Appendice ad Marianum Scotum.*) C

Anno MCXVIII (*b*), Indict. XI, III Idus Decembris, feriâ IV, luna in signo Geminorum passa est eclipsim a quinta hora noctis usque ad horam nonam noctis ejusdem. (*Ex Romualdi Salernitani chronico, apud Muratorium T. VII. Rerum Ital.*)

His diebus, gravi damno Anglia percussa est in morte Reginæ [Mathildis.]
* An. 1118. Defuncta siquidem est apud Westmonasterium, Kalendis Maii *, et in ipso Monasterio decenter sepulta : quo autem judicio Dei ignoramus. Illicò post hæc, plures Normannorum quam Regi juraverant fidelitatem postposuerunt, et in Regem Franciæ Principesque ejus, adversarios scilicet ipsius naturalis domini sui, non veriti justitiam se transtulerunt. Unde quæ et quanta mala emerserunt, cogitatu, ne dicam dictu, scimus esse difficile. (*Ex Eadmeri historia novorum libro V. p.* 93.)

In temporibus autem istis,... J. Gajetanus in Papam electus, et Presbyter et D
Papa apud Gajetam solemniter est consecratus, et Gelasius Papa secundus est vocatus, qui etiam per plures dies et menses cathedram Apostolicam in Laterano sedit, ipsumque palatium cum Cardinalibus et Episcopis habitavit. Deinde ipse cum navigio Pisas, Januam, pluresque civitates et loca super mare posita quæsivit. Eâdem navi ejus affixâ S. Ægidio (*c*), regnum Franciæ intravit, et cùm benignè foret receptus a Principibus illius regni, de mundo migravit Cluniaci.

(*a*) « Anno MCXV. Obiit Comitissa de Bolonia, secundo Kal. Junii. (*Ex chronico S. Crucis Edimburgensis, apud Hen.* Wharton *Angliæ Sacræ parte I. p.* 159.)

(*b*) More Pisano annus computabatur 1118, qui erat 1117.

(*c*) « Anno Verbi de Virgine nati MCXVIII, defuncto Papâ Paschali, qui Romanæ sedis apicem » X et VIII annis et eò ampliùs gubernavit, assumptus est electione catholicâ, et consecratus » est Gelasius Papa, vir apprimè eruditus, eleemosynis largus, consilio providus. Hic Henrico » IV (V) Romanorum Imperatore contra Ecclesiam » sæviente, declinans ad mare descendit, navigio Gallias expetivit, tibique primùm (*Pontium Cluniaci Abbatem alloquitur*) cursore a Pisis emisso, » suum prænuntiare fecit adventum: te enim, » Cluniaci scilicet Abbatem, in partibus Galliarum habet Romanus Pontifex proprium et specialem filium. Huic apud S. Ægidium occurristi, » huic et multo comitatui suo equitaturas et alia » quæque maxima elegantissimè ministrasti. Hunc » pro maris molestia infirmatum in tuæ solo nativitatis, quod pater tuus Petrus, potens et nobilis Comes Merguliensis, juri Apostolorum » Petri et Pauli contradidit, et inde accepit, tu » Papam officiosissimè confovisti. Qui denuò convalescens, et Cluniacum suum pervenire desiderans, Lugdunum Galliæ pertransit, Matisconam descendit: ubi gravissimâ ægritudine confectus, se Cluniacum perferri instantissimè præcepit. Quò deportatus summâque reverentiâ » susceptus, completo Episcopatûs sui anno primo » et diebus quatuor, in medio Fratrum, circumstantibus Episcopis Cardinalibus, in propria » domo proprius Pastor in pace Cluniaco quievit. » Post hunc reverendus Wido, Viennensis Archiepiscopus, ab Ecclesia catholica est in Cluniaco electus, sicque in Papam Calixtum ordinatus. Hic terrenæ nobilitatis celsitudine præcellit, sed cœlestium nitore charismatum pulchriùs elucescit. Hic secundò Cluniacum rediit, » et ibi festum Dominicæ Circumcisionis et Apparitionis devotè peregit ». (*Ex epistola Hugonis Cluniacensis Monachi, vitæ S. Hugonis Abbatis præfixa, apud Bolland. die* 29 *April. p.* 658, *in Biblioth. Cluniac. col.* 558.)

Digitized by Google

A Cui Viennensis ille Episcopus successit de regia stirpe genitus, et Synodum quam ipse Papa Gelasius convocaverat, iste Archiepiscopus Remis celebravit; sed priùs cum Imperatore colloquium habere disposuit. De Concilio autem isto sive colloquio plura scribere, digitum meæ sexagenariæ ætatis non constringo. (*Ex Landulfi de S. Paulo Hist. Mediolan. cap.* 33, *apud Murator. T. V. Rerum Ital. p.* 503.)

Anno MCXIX (*a*), Indict. XII, pridie Kalendas Decembris, luna passa est eclipsim a media nocte usque in matutinum. Eodem anno *, mense Januarii, Gelasius * An. 1119.
Papa, postquam per annum Romanam gubernavit Ecclesiam, quum esset in Galliæ partibus, defunctus est. Tunc Cardinales qui cum eo ibi fuerant, elegerunt in ordine Romani Pontificis Archiepiscopum Viennensem nomine Guidonem, virum utique nobilem, quem Callistum Papam nuncupaverunt: qui Romano Pontificio sublimatus post annum unum Romam venit. (*Ex chronico Ro-*
B *mualdi Salernitani, apud Muratorium T. VII. Rerum Ital.*)

Anno MCXIX. Domnus Apostolicus Gelasius Synodum in Francia celebraturus apud Cluniacum moritur, ibique sepelitur: cui Archiepiscopus Viennæ, vir religiosus, succedit Kalixtus nomine. Imperator et Principes regni in festivitate S. Johannis-Baptistæ conveniunt et in concordiam redeunt, ita tamen ut omnis causa quæ hactenùs Ecclesiam disturbaverat, et inter eos fomitem discordiæ ministraverat, in præsentiam domni Apostolici Kalixti differretur.... Calistus Papa Synodum Remis circa festum S. Lucæ celebrat, cui Adelbertus Mogontinensis Archiepiscopus pluresque Episcopi Germaniæ interfuerunt. Imperator non longè cum suis consistit (*b*), auditurus super Synodalibus decretis; sed nihil quod ad reconciliationem pertineret actum est, immò Imperator anathematizatus est. (*Ex Annalibus Hildeshem., apud Leibnitium T. I. Rerum Brunswic. p.* 739.)

C Anno MCXIX. Obiit Obertus Leodiensis Episcopus.... obiit et Joannes Papa, qui et Gelasius, apud Cluniacum: cui successit Otto* qui et Callistus, Vien- * Wido.
nensis Archiepiscopus.... Remensi Synodo præsidet Callistus Papa, Kal. Octobris. (*Ex Dodechini Appendice ad Marianum Scotum.*)

Anno MCXIX. Henricus Comes de Warewiche obiit. (*Ex Annalibus Wintoniensibus, apud Henr.* Wharton, *parte II. Angl. Sacræ, p.* 288.)

Anno MCXX. Dieggerus Metensis Episcopus obiit. (*Ex Dodechini Appendice ad Marianum Scotum.*)

Anno Dom. MCXX, Epact. XVIII, Concurrente IV, Carcassona negata est Vicecomiti Bernardo-Atonis ab hominibus ejusdem urbis, sub die IX Kal. Septembris (*c*), feriâ III, regnante Ludovico, præsidente in cathedra Romana Kalisto Papâ, Archiepiscopo Narbonensi Richardo, Episcopo Carcassonensi Arnoldo Ge-
D rundensi. Reddita verò fuit tertio anno. (*Ex Ms. Cod. Regio* 5256.)

Anno MCXXI. Fridericus Leodiensis Episcopus obiit, pro quo *Adelberd*, frater Godefridi Ducis, constituitur. (*Ex Dodechini Appendice ad Marianum Scotum.*)

Anno MCXXII. Sugerius S. Dionysii in Francia Monachus, scripturarum scientiâ clarus, cùm solummodò esset ad Diaconatûs ordinem promotus, a Roma regrediens quò fuerat a Rege Franciæ Ludovico missus, Abbate suo Adam defuncto, eligitur in Abbatem: qui reversus, primò Presbyter ordinatur, et post, præsente Rege, a Bituricensi Archiepiscopo in sua S. Dionysii Ecclesia in Abbatem benedicitur. (*Ex Guillelmi Nangii chronico.*)

Anno Dominicæ Incarnat. MCXXIV, in quo Comes Andegavensium Fulco filius alterius Fulconis cognomento Richin, vi cepit castrum Giraldi Berlaii, id est, Monasteriolum, cogitans hæc et multa sibi prosperè evenire Dei adjutorio præ-
E cedente et subsequente, decreverunt tam ipse idem Fulco quàm nobilis uxor ejus, nomine Aremburgis, filia Heliæ Cenomanorum Comitis (quam quia duxerat uxorem ipse Fulco, Cenomanensium Comes erat) ut pro Dei amore [conferrent] aliquid beneficii perpetualiter permansuri servis Dei, pro sua suorumque filiorum, Gaufridi et Heliæ, salute tam corporali quàm æterna. (*Ex Cartulario Majoris Monasterii, fol.* 15, *de fundatione B. Mariæ de Troo.*)

(*a*) Id est 1118, qui more Pisano 1119 censebatur.

(*b*) « An. Dom. MCXX. (MCXIX) Calixtus Papa cum » Cardinalibus Romanis, et totius Galliæ, Angliæ, Hispaniæ Scotiæque Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus et Clericis, necnon et Prin» cipibus Franciæ, Mosomi venit, habiturus col» loquium cum Imperatore Henrico V Cis-Rhe» nensi, qui et ipse cum Magnatibus totius impe» rii sui ad idem colloquium veniens, apud Beurelia» cum villam S. Mariæ Mosomensis cum omni exer» citu resedit, IX Kal. Novembris ». (*Ex chronico Mosomensi apud Acherium T. II. Spicil. in-fol. p.* 572.)

(*c*) « X Kal. Octobris (*corr.* IX Kal. Septembris) » anno MCXX, die S. Bartholomæi fuit facta traditio » (Carcassonæ) *Ex Necrologio Carcasson. apud D. Vaissette inter probat. Hist. Occitaniæ, T. II. p.* 15.

Digitized by Google

Anno MCXXIV. Brunus Trevirorum Episcopus obiit. Eclipsis lunæ III Nonas Februarii contigit. (*Ex Dodechini Appendice ad Marianum Scotum.*) A

Anno MCXXIV. Eclipsis lunæ facta est Kal. Februarii. Magnæ molis grando cecidit VIII Kal Augusti. Eclipsis solis facta est III Idus Augusti. Magna fames accidit. Calistus Papa obiit : cui Honorius successit. (*Ex Annalibus Hildeshem. apud Leibnitium T. I. Rerum Brunswic. p.* 740.)

Anno MCXXIV. Henricus Imperator Romanorum, collecto longo animi rancore contra Regem Franciæ Ludovicum, eò quòd in regno ejus Remis in Concilio Calixti Papæ anathemate innodatus fuerat, congregatâ exercitûs multitudine ingenti, Franciam invadere disposuit, proponens Remensem destruere civitatem : sed Ludovico Francorum Rege in occursum ejus cum copioso exercitu veniente, timens Imperator Francorum probitatem, ad propria ociùs remeavit. Quo Francorum Rex comperto, solâ Archiepiscoporum, Episcoporum et religiosorum B virorum prece, a vastatione Imperatoris terræ vix se valuit continere. (*Ex chronico Guillelmi Nangii.*)

Anno MCXXV. Henricus quartus Imperator, sed hujus nominis quintus Rex obiit : pro quo Lotharius Dux Saxoniæ III Kal. Septembris constituitur, et Idibus Septembris Aquisgrani coronatur a Friderico Coloniensi Archiepiscopo.... Mathildis Regina in Angliam ad patrem suum proficiscitur, mànum S. Jacobi secum deferens, per quod irreparabile damnum regno Francorum intulit.... Legati pro confirmando Rege Romam mittuntur, Gerhardus Cardinalis, Cameracensis et Virdunensis Episcopi. (*Ex Dodechini Appendice ad Marianum Scotum.*)

Anno MCXXVII. Carolus Comes de Flandria in Ecclesia a suis servientibus occisus est, Wilhelmus Comes Pictavorum obiit. (*Ex Chronographo Saxone, apud Leibnitium T. I. Accessionum historicarum, p.* 286.) C

Anno MCXXVII. Guillelmus Princeps Burgundiæ occiditur a suis. Carolus Comes Flandriæ, super omnes sui temporis Principes justitiæ mirabilis sectator, coram altari cùm orationibus piis intentus esset, a suis hominibus occiditur.... Conradus de Zeringa coram plerisque Burgundionum Optimatibus Principatu Burgundiæ apud Spiram civitatem sublimatur. (*Ex Dodechini Appendice ad Marianum Scotum.*)

Anno MCXXVII.... Karolus Comes Flandrensis, vir justi tenax, ob defensionem justitiæ a suis in templo Domini occiditur ; sed populis inter se dissidentibus, duo mox Comites loco ejus subrogantur, Willehelmus de Anglia et Theodoricus de Alsatia : quibus contra se pugnantibus, immensâ cæde diversisque cladibus Flandrensium devastatur populus. (*Ex Annalibus Bosoviensibus, apud Georgium Eccardum corporis historici medii ævi T. I. col.* 1007.) D

Anno MCXXVIII (*a*). Ludovicus Rex Francorum contra Thomam de Marla dominum Cociaci movet exercitum : cui occurrens in auxilium Radulphus Comes Viromandorum, et conflictum habens cum dicto Thomâ, ipsum saucium ad mortem Ludovico Regi reddidit. Qui post paululùm divinæ expers Eucharistiæ spiritum nequiter exhalavit. Hic enim Ecclesias illius patriæ graviter infestaverat, et mercatores transeuntes bonis suis spoliabat. (*Ex chronico Nangii.*)

Anno MCXXVIII, fundata est Abbatia Grimbergensis....

Willelmus Comes Flandriæ, cum Godefrido Duce Lotharingiæ, obsidione premens in castro de *Alost* Theodericum de Alsatia, qui contra se Comitatum Flandriæ tentabat invadere (erat enim consanguineus Caroli Comitis) levissimo sagittæ ictu in manu accepto, malè, ut putatur, a medico potionatus repentè moritur : cujus corpus, ejectis intestinis, apud Sanctum-Audomarum transfertur E et sepelitur. At verò exercitus ejus cum magna confusione fugiens, partim captus, partim in Tenera submersus est : quem Theodericus cum suis egressus, cum alacritate persequens, cum præda infinita etiam Comitatum obtinuit. (*Ex chronico Balduini Ninoviensis, apud Carolum Lud. Hugo, inter monumenta sacræ antiquitatis T. II. p.* 165.)

Anno MCXXIX. Moniales quædam infames, quæ Ecclesiam B. Mariæ de Argentolio diu potentiâ cujusdam sororis Caroli Magni Regis Francorum occupaverant, industriâ Sugerii Abbatis S. Dionysii in Francia inde expelluntur, et Monachis ejusdem loci, quorum priùs fuerat, restituitur. (*Ex Nangii chronico.*)

(*a*) Thomæ obitum in annum 1130 conferunt Robertus de Monte et chronographus S. Medardi Suessionensis, quibus potior habenda fides

Digitized by Google

A Anno MCXXIX.... Dominus Papa Honorius medio mense Februario viam universæ carnis ingressus est ad Dominum, et dominus Innocentius electus est : post quem Innocentium die ipso ad horam tertiam Petrus Portuensis Episcopus Petrum filium Petri Leonis elegit pro Anacleto, deinde Innocentii illius electionem damnantes, Anacleti Pontificis electionem confirmabant.... Præfatus igitur Innocentius consecratus Pontifex, videns populi Romani divisiones et civilia bella quotidie oriri, consilio habito, ultra montes perrexit ad Regem quidem Francorum et ad alios Romanæ sedis fideles, qui honestè et diligenti curâ ab eis susceptus est. Continuò apud Remensem civitatem Synodum celebravit, ad cujus conventûs præsentiam Archiepiscopi et Episcopi ferè centum (sicut accepimus) et quinquaginta convenere. Ibi Anacletum illum et ejus fautores vinculis excommunicationis alligavit. (*Ex chronico Falconis Beneventani, apud Muratorium T. V. Rerum Ital. p.* 106.)

B Anno MCXXX. Convocato apud Stampas Concilio, S. Bernardus Innocentium suscipi persuasit. Qui Innocentius Aurelianis honorificè a Ludovico Rege Francorum susceptus est. Inde Carnotum deductus est a Gaufrido Carnotensi Episcopo, magnarum virtutum viro, ubi occurrit ei Henricus Rex Anglorum. (*Ex Helinandi chronico Lib.* XLVIII, *cap.* 21.)

Anno MCXXX. Burchardus Cameracensis Episcopus obiit.

Anno MCXXXI. Concilio Remensi præsedit Innocentius Papa, XIV Kal. Novembris, præsente Ludovico Rege Franciæ, cujus filium adhuc parvulum Regem consecravit. (*Ex Dodechini Appendice ad Marianum Scotum.*)

Anno MCXXXI, Æra MCLXIX, mense Octobri, obsidio Baionæ, ab Alphonso Aragoniæ Rege. (*Ex charta edita apud Joseph. Moretum in investigationibus Na-*

C *varricis, p.* 646.)

VIII Kal. Novembris, dedicatio Majoris Ecclesiæ Cluniacensis, quæ quantùm ad fabricam penè totius mundi operibus suo tempore præcellens, consecrata est a venerandæ memoriæ domno Innocentio hujus nominis Papa II. Adfuit cum eo huic dedicationi totus Episcoporum et Cardinalium, qui cum eo ab urbe ad Gallias venerat, conventus, aliorum Pontificum et Abbatum magnus numerus, Cleri et populi exultantis et Dominum laudantis maxima multitudo. Actum autem anno Incarnationis Dominicæ MCXXXI, die quo ante annos plurimos D. Papa Urbanus Cluniacensis Monachus majus ejusdem Ecclesiæ altare consecravit. (*Ex Hagiologio Nantuacensi apud D.* Estiennot, *Antiq. Bened. Diœc. Lugdun. et Belicens. p.* 344 *in Biblioth. S. German.* nº. 527.)

D Anno MCXXXII, reformata fuit pax et concordia inter Monasterium Cluniacense et Monasterium S. Ægidii super subjectione ipsius Monasterii et aliis rebus. Dedit autem Cluniaco præfatus Abbas S. Ægidii obedientiam de *Limans*. Facta fuit hæc concordia anno MCXXXII, tempore D. Papæ Innocentii II anno quoque ejus secundo, et ipso Papâ præsente, adstantibus Episcopis Matthæo Albanensi, Johanne Cremensi, Hugone Autissiodorensi, Aymerico Cancellario, Gregorio Diacono Cardinali, Romano Cardinali Diacono. Testes fuere Raymundus Abbas S. Privati et alii. (*Ex ms. cod. Cluniacensi, apud D.* Estiennot *Antiq. Bened. Diœc. Lugd. et Belic. p.* 553, *cod. S. Germ.* 527.)

Anno MCXXXII Dominicæ Incarnationis, mense Martio IX Indictionis, luna splendorem ortûs sui derelinquens in sanguineum colorem conversa est, quam nos aspicientes prodigium fore credidimus. (*Ex chronico Falconis Beneventani, apud Murat. T. V. Rerum Ital. p.* 109.)

E Anno MCXXXIII, IV Nonas Augusti, XXVII lunâ, sol obscuratus est septimâ horâ diei, et tenebræ factæ sunt ita ut stellæ in cœlo apparerent. (*Ex Dodechini Appendice ad Marianum Scotum.*)

Anno MCXXXV. Henricus Rex Angliæ obiit IV Nonas Decembris, et Stephanus Comes nepos ejus suscepit regnum, et postea XI Kal. Januarii coronatus est, et die coronationis suæ ad Missam oblita est pax populo dari, nec habuit pacem ferè toto tempore vitæ suæ. (*Ex chronico de* Mailros, *apud Joan.* Fell, *inter Scriptores Anglicos, p.* 165.)

Anno MCXXXVII. Guillelmus Pictavensis Comes et Dux Aquitaniæ ad S. Jacobum peregrè proficiscens, in die Parasceve Paschæ obiit et ante altare sancti Jacobi sepelitur, relinquens duas filias, Alienordem et Petronillam. Qui antequam moreretur, Proceres suos quos secum habebat contestatus est, ut filia sua

Digitized by Google

major Alienordis Ludovico juniori Francorum Regi cum Aquitaniæ Ducatu A
uxor traderetur.... Ludovicus Rex Francorum, auditâ morte Guillelmi Ducis Aquitaniæ, misit Ludovicum filium suum jam in Regem coronatum et inunctum in Aquitaniam ad desponsandam Alienordem prædicti Ducis filiam, quam cum Ducatu Aquitaniæ accipiens in uxorem apud Burdegalas desponsavit, de qua postea genuit Mariam Comitissam Campaniæ, et Aelidem uxorem Theobaldi Comitis Blesensis. Infra igitur mensem post nuptias Ludovici juvenis Regis, obiit pater ejus Ludovicus Rex, Kalendis Augusti, et in Ecclesia S. Dionysii in Francia sepultus fuit : cui successit Ludovicus filius ejus, agnominatus Junior. (*Hæc ex Appendice Roberti de Monte ad Sigebertum et ex chronico Turonensi Guillelmus Nangius.*)

Anno Domini MCXXXVII, in festo S. Martini, tres Canonici in oppido Ninivensi commorantes vestem veterem, vestem babilonicam, vestem fervore intem- B
perati caloris in plateis Ethiopiæ denigratam; vestem, inquam, cultûs et pompæ sæcularis in vestem novam, vestem hebraïcam, tincturâ candoris dealbatam, in vestem planè mutarunt religionis et regularitatis.... Erat itaque hoc tempore oppidi Ninivensis Advocatus Gerardus, vir nobilis, cognomento Constabularius, Amelrici Flandrensis Constabularii filius, qui similem sibi in generositate sortitus est uxorem nomine Gislam. De ea duas genuit filias, Machtildem de Ninive et Ermengardem de Woma. At eadem Gisla, susceptis hæredibus, mortiferâ correpta infirmitate, morti appropinquabat : quam visitans Abbatissa de *Ghilengen*, cognata sua, ut ibi post mortem deferretur sepelienda obnixè postulabat. Gislâ verò jam mortuâ, Abbatissæ postulatio penitùs cassatur; nam domino Gerardo potissimùm placuit Ecclesiam suam et uxoris suæ honorare tumulo, et liberalitatis suæ sublevare beneficio. Quo intuitu cùm in eadem Ecclesia tres essent Canonici, C
quartum addere disposuit, ejus illicò præbendæ, ob æternam suæ uxoris habendam memoriam, decimam de *Herlinchoven* assignans, et Ecclesiæ Ninivensi in perpetuam eleemosynam condonans. Sed, Dei disponente providentiâ, quia eo tempore tertius Canonicus morte fortuitâ subtractus erat, et ejus præbenda cum quarta nuper instaurata adhuc vacabat, cœpit unus Canonicus nomine Balduinus, cognomento Wala (nam alter Oïotus dicebatur) sæpedicto Gerardo persuadere, quatenùs fundandæ intenderet Abbatiæ, maximè cùm duabus vacantibus suam paratus esset præbendam adjicere : quibus in hoc sancto proposito devotè concordantibus, placuit Fratres Præmonstratensis Ordinis esse advocandos, quorum suavissimæ conversationis opinio grata Deo et plurimùm commendabilis mundo videbatur. Missâ itaque legatione, Parchensis Ecclesiæ Abbatem nomine Simonem advocarunt : qui omnia parata inveniens, et locum videns Canonicis Regula- D
ribus aptum, in spiritu exultationis domum reversus, seminarium sacræ Congregationis, septiformi gratiâ sancti Spiritûs confovendum, in septenario Fratrum numero transmisit, anno Domini millesimo, ut dixi, centesimo trigesimo septimo, in festo S. Martini : quibus ex unanimi omnium consensu domnus Gillebertus Laudunensis Canonicus, religione, scientiâ et moribus adornatus, in Conversione S. Pauli primus Abbas constituitur. (*Ex chronico Balduini Ninoviensis, apud Carol. Lud. Hugo, inter monumenta sacræ Antiq. T. II. p.* 166 *et seq.*)

Anno gratiæ MCXL, incepimus tabulam (*a*) quæ continet annos DXXXII. (*Ex chronicô Bernardi Iterii ms. in cod. Regio*, nº. 1338, *fol.* 141.)

Anno MCXL, habitaculum servorum Dei Cartusiensium in loco qui dicitur ad Montem Dei construitur. Cœnobium S. Mariæ Frigi-montis in Episcopatu Bel- E
vacensi Cisterciensis Ordinis fundatur (*b*). Henricus, frater Regis Franciæ Ludovici apud Clarevallem Monachus effectus est, qui non multò post ad Episcopatum Belvacensem est assumptus (*c*). Fueruntque præter istum Henricum alii fra-

(*a*) Hæc tabula nihil aliud est quàm Cyclus Paschalis annorum 532, conflatus ex Cyclo Decemnovali et Cyclo solari 28 annorum per se ductis. Hujus autem Cycli Paschalis varia fuere initia, sed illud usitatiùs quod Dionysius Parvus induxit anno a Christo nato 532. Unde Marianus Scotus ad an. 1063 : *Hucusque duo magni cycli, id est* MLXIV *anni*. Et ad an. 1064 : *Cyclus Paschalis magnus Dionysii, in quo sumus, tertius* [incipit] *Indictione secundâ*. Idem habent Sigebertus, Albericus et alii. Ab eo autem computandi modo recessisse Lemovicensem Ecclesiam, ac fortassè alias, testis est Iterius, qui rursùs pag. 29, *Anno gratiæ*, inquit, DCVIII, *regnante Imperatore Heraclio, incepta est tabula quæ continet annos* DXXXII, *et consummata est anno gratiæ* MCXXXIX. Et meritò quidem, quippè hoc ipso anno Decemnovalis cyclus et solaris simul desinunt, et eodem ordine revolvuntur.

(*b*) Conditum fuit Monasterium Frigidi-montis (*Froimont*) an. 1134, juxta illud distichum :

Annus millenus, centenus, terdecimusque
Quartus erat, quandò Mons-frigidus exit ab Urso.

(*c*) Henricum, Regis Ludovici VII fratrem an. 1149 ad infulas Bellovacenses assumptum fuisse

Digitized by Google

A tres Regis Franciæ, Robertus Drocarum Comes et Petrus dominus de Cortenayo. (*Hæc ex Helinando Guillelmus Nangius.*)

Florebat hoc tempore Gallicana Ecclesia, etc. (*Ut in Roberti Appendice ad Sigebertum.*) Floruit præterea his temporibus Hugo de Folieto (*a*), S. Petri Corbeiensis Monachus, qui librum *de Claustro animæ et corporis* composuit. Alii dicunt istum Hugonem in pago Ambianensi fuisse Canonicum Regularem. (*Ex eodem Nangio.*)

Samsone Remorum Archiepiscopo, dominoque Bernardo Clare-vallensi Abbate, necnon aliis Episcopis et Abbatibus, pro audiendis et discutiendis libris Magistri Petri Abailardi, in Octava Pentecostes cum Rege Francorum in Senonensi urbe congregatis, visionem istam scriptam transmisimus. (*Ex revelatione Henrico Tornacensi Canonico factâ, apud Bolland. die* 20 *Februar. p.* 196.) An. 1140.

B Anno MCXLII, ortâ dissensione inter Papam Innocentium et Regem Franciæ Ludovicum, Ecclesia Gallicana turbatur. Nam defuncto Bituricensi Archiepiscopo Alberico, missus est Petrus a Papa ejusdem Ecclesiæ Pastor consecratus, sed a Rege Ludovico repudiatus nec in urbe recipitur, eò quòd sine ejus assensu fuerat ordinatus. Ipse verò Rex Ludovicus concesserat Ecclesiæ Bituricensi libertatem eligendi Episcopum quem vellent, excepto dicto Petro, publicèque juraverat quòd, se vivente, non erat futurus Archiepiscopus: qui tamen Electus Romæ profectus est et consecratus fuit a Papa Innocentio, dicente Regem puerum instruendum et cohibendum, ne talibus assuescat. Et adjecit, veram non esse electionis libertatem ubi quis excipitur a Principe, nisi fortè docuerit coram ecclesiastico judice illum non esse eligendum; tunc enim auditur, ut alius. Rex verò, sicut superiùs dictum est, Archiepiscopum exclusit redeuntem, sed eum

C Comes Campaniæ Theobaldus recepit in terra sua, et ei omnes Ecclesiæ obediebant. Indignatus ob hoc Rex concitavit omnes ferè Proceres suos, ut unà cum eo guerram inferrent Comiti Theobaldo. Radulfus Viromandensis Comes uxorem suam dimittens, Petronillam sororem Reginæ Franciæ Alienordis duxit: propter quod ad instantiam Comitis Campaniæ Theobaldi Ivo Romanæ Ecclesiæ Legatus in Franciam missus Comitem Radulfum excommunicavit, et Episcopos qui divortium illud fecerant, suspendit. (*Hæc ex Appendice Roberti de Monte ad Sigeb. partim Guillelmus Nangius.*)

Anno Domini MCXLII. Domnus Gillebertus primus Abbas noster (Ninoviensis) quinto anno regiminis sui, in Capitulo generali Præmonstratensi, de communi Patrum consilio a Pastorali cura absolvitur. Nempe Fratres nostri contra eum venientes ad Capitulum, nuditatis et paupertatis suæ lacrimabiliter opponentes

D incommoda, ipsum multimodæ indiscretionis accusarunt, et reverâ religione pollens, minùs prudenter tamen agebat, quia non computans quæ sibi forent necessaria, populum utriusque sexûs plurimum, et quem sustentare non poterat, inconsideratè attraxerat. Post quem Fratres alium mox Gillebertum, Canonicum Parchensem, prudentiâ et religione clarum, in Abbatem elegerunt: qui cùm per duos menses vel eo ampliùs cum eis conversatus, nimiæ paupertatis et hujus officii pondere terreretur, ab eis clandestinâ fugâ elapsus est. Post hoc in Abbatem eligitur domnus Gerardus, Laudunensis Canonicus, in conversatione maturus, formâ planè speciosus, simplicitate et morum honestate præcipuus. Iste Gerardus primus Ecclesiæ nostræ Abbas scribitur, et meritò; primus enim eam a paupertate relevavit, divitiis et possessionibus ampliavit, et ad maximam di-

certum est: at ipsum an. 1140 Cisterciensi Ordini nomen dedisse affirmare non audemus. Mabillonius Annal. Ben. T. VI, p. 453, Henricum *cùm vix anno solido apud Claramvallem perstitisset,* adeptum fuisse Episcopatum asserit, Galliæ verò Christianæ editores *triennio post emissa vota.* Certè *scutellas* jam ille apud Cistercium lavabat an. 1147 cùm Eugenius Pontifex in Gallias adventaret, teste Stephano Parisiensi (supra T. XII, p. 91). Utcumque est, clericali militiæ longè antequam Monasticæ fuerat adscriptus, quippè qui an. 1136 Subdiaconus ordinatus, Canonicatum in Ecclesia Parisiensi, Archidiaconatum in Aurelianensi obtinuerat, ac præterea complures Abbatias sæculares, quas in insigni privilegio S. Victoris Parisiensis recenset ipse his verbis: *Henricus, frater illustris Ludovici Dei gratiâ Regis Francorum et Ducis Aquitanorum, et per Dei gratiam S. Martini Turonensis Archiclavus, Abbas etiam quarumdam regalium Ecclesiarum, videlicet S. Mariæ de Stampis, S. Mariæ de Corbolio, S. Mariæ de Medunta, S. Mariæ de Pinsiaco, S. Mellonis Pontisarensis.* Quibus addunt quidam Abbatias S. Guinaldi, S. Exuperii Corboliensis, S. Martini de Campellis, S. Dionysii de Carcere in urbe Parisiaca.

(*a*) Hugo de Folieto seu de Folleio (*Fouilloi*) Corbeiæ etiamnum suburbio, a loco natali dictus, in schola quidem Abbatiæ Corbeiensis educatus fuit. At ipsum Prioratûs de Helliaco (*Heilly*) Canonicum regularem extitisse pluribus argumentis demonstrat Mabillonius Annal. Benedict. Lib. LXXIX, nº. 60. Tractatus complures Asceticos ille lucubravit, quorum maximam partem inter Hugonis Victorini opera editos reperies.

Digitized by Google

gnitatem provexit. (*Ex chronico Balduini Ninoviensis, apud Carol. Lud. Hugo, inter monumenta sacræ antiquit. T. II. p.* 168 *et seq.*) A

Anno MCXLV. Amædeus Comes et Marchio (Sabaudiæ) antequam iret in Jerusalem ad Dei militiam pro defensione vivificæ crucis, contempto Comitatûs honore, venit in Capitulum nostrum, ubi et Fratrum orationibus se commendavit, et in manu Aymardi Abbatis et Fratrum ejus concessit quæ antea nobis data fuerant. (*Ex ms. cod. S. Sulpitii in Belgiaco, apud D.* Estiennot, *Antiq. Bened. Diœces. Lugdun. et Belicens. p.* 506.)

* *Corr.* MCXLVII. Anno MCXLVI *. Eugenius Papa Burgundiam ingressus a Ludovico Rege Francorum apud Divionem honorificè susceptus est, cum quo Pascha apud Parisius celebravit (*a*), ipsiusque tutelæ regno Franciæ dimisso, idem Rex cum magno exercitu Hierosolymam perrexit: quo etiam anno Conradus Rex secundus Alamanniæ cum ingenti exercitu per Ungariam Hierosolymam profectus, Constantinopolim devenit, ibique Ludovico Regi sociatus, et ab Imperatore Emmanuele cognato suo honorificè suscepti, per Iconium desertum ingressi sunt, et quamplures de exercitu fame perierunt, alii a Turcis occisi sunt. (*Ex Anonymi chronico Cassinensi, apud Muratorium T. V. Rerum Ital. pp.* 65 *et* 142.) B

Anno MCXLVII. Conradus Rex et Ludovicus Rex de Gallia, cum Episcopis et Ducibus atque Comitibus, cumque multarum provinciarum multitudine innumerabili diversæ conditionis, tam equitum quàm peditum, quorumdam magnæ æstimationis et religiosi habitûs hominum sermonibus territi, dicentium quòd instaret dies Domini, Hierosolymam zelo fidei contra Paganos pugnaturi proficiscuntur.... Eclipsis solis VII Kal. Novembris, horâ diei sextâ, facta est. (*Ex Annalibus Bosoviensibus, apud Georgium Eccardum corporis historici medii ævi, T. I. col.* 1013.) C

* *Corr.* VII. Sol obscuratus est IV * Kal. Novemb. Eugenius Papa Autissiodorum veniens, Monasterium S. Mauri sub obedientia Cœnobii Cassinensis manere confirmavit, Abbate priùs ab obedientia Episcopi Andegavensis soluto; indeque Treverim veniens, ab Archiepiscopis et Proceribus Alamanniæ susceptus est. (*Ex Anonymi chronico Cassinensi, apud Muratorium T. V. Rerum Ital.*)

Anno MCXLVII, fundata est Abbatia nostra quæ dicitur *Margan*, et eodem anno Comes Gloucestriæ Robertus, qui eam fundavit, apud *Bristol* obiit pridie Kal. Novembris. (*Ex Annal. de* Margan, *apud Th.* Gale *T. II. Rerum Angl. p.* 7.)

Anno Dominicæ Incarnationis MCXLVIII... domnus Papa Eugenius a Treviris recedens, Remis celebraturus Concilium mediâ Quadragesimâ pervenit. Ad quod Concilium domnus Albero [Treverensis] Archiepiscopus tam magnificè pervenit, quòd omnium oculos in se et ora de se aperuit.... In hoc ergo Concilio prior in ordine cunctis residens Episcopis, relegi de primatu sedis suæ plurima fecit privilegia super omnem Belgicam, Galliam atque Germaniam. Quibus auditis, Archiepiscopus Remensis non mediocriter turbatus est: unde et homines illius cum hominibus suis turbationem facientes, aliquos ex eis vulneraverunt. Quod ipse dominus Archiepiscopus Albero valdè ferens indignè, minabatur Ivodio secessurum et Remensem vastaturum Episcopatum. Tandem ad hunc finem res est perducta, quòd Remensis cum Suessionensi ad hospitium ejus pervenit, et homines qui hanc culpam commiserant in ejus potestatem dedit. (*Ex Gestis Trevirensium Archiepisc. apud Marten. T. IV. Ampliss. Collect.* nº 77.) D

Anno MCXLVIII. In Concilio Remis celebrato, mediante gratiâ Spiritûs sancti, in præsentia domini Papæ Eugenii, ordo Saviniensis vinculo caritatis conjungitur Ordini Cisterciensi. (*Ex Annalibus Waverleiensibus, apud Th.* Gale, *T. II. Rerum Anglic. p.* 156.) E

Anno MCXLVIII. Idem Papa Remis Concilium celebrans quemdam hæresiarcham Hispaniæ qui se Christum esse dicebat, perpetuâ custodiâ damnavit, sicque per Liguriam regressus est Bitervum.

Conradus Rex Alamanniæ cum Ludovico Rege Hierosolymam ingressus et per

(*a*) Octavâ quoque die Paschæ Militum Templi Capitulo eosdem interfuisse constat ex charta Bernardi de Ballolio edita T. II Monastici Anglic. p. 523, in hunc modum : « Volo notum fieri tam » futuris quàm præsentibus, quòd pro dilectione » Dei et pro salute animæ meæ antecessorumque » meorum, Fratribus Militibus de Templo Sa» lomonis XV libratas terræ meæ, quam in An» glia possideo, perpetuò in eleemosynam liberè » et absque ulla consuetudine dedi et concessi... » Hoc donum in Capitulo quod in Octavis Pas» chæ Parisiis fuit, feci, domino Apostolico Eu» genio præsente et ipso Rege Franciæ.... et » Fratribus Militibus Templi albâ clamyde indu» tis CXXX præsentibus ».

aliquot

Digitized by Google

A aliquot dies ibi remoratus, congregato exercitu, Damascum obsedit, sed fraude incolarum deceptus per Constantinopolim et Venetiam in Alemanniam rediit; Ludovicus verò Rex Antiochiam reversus est. (*Ex chronico Cassinensi.*)

Anno MCXLIX. Ludovicus Rex Francorum, fractis per deserta Syriæ viribus, Antiochiam venit, ibique a Principe Remundo, fratre bonæ memoriæ Guillelmi Ducis Aquitaniæ, patris Alienordis Reginæ Francorum, honorificè susceptus est. Sed dum ibidem moraretur ad naufragi exercitûs reliquias consolandas, fovendas et reparandas, Alienordis regina uxor ejus, fraude patrui sui Principis Antiochiæ decepta, voluit ibidem remanere; sperabat enim Princeps in mora Regis Franciæ de Turcis ibi propinquis victoriam obtinere. Cùmque Rex pararet eam exinde avellere, ipsa parentelæ mentionem faciens dixit illicitum esse ut diutiùs commanerent, quia cognatio inter eos in quarto gradu vertebatur. Unde
B Rex plurimùm turbatus, quamvis eam affectu ferè immoderato diligeret, acquievit eam dimittere, si consiliarii sui et Francorum Proceres paruissent. Abstracta ergo coacta est cum Rege viro suo Jerusalem proficisci; sed vicissim in corde utriusque, licèt dissimularent quantùm poterant, remansit injuria. (*Ex Guillelmi Nangii chronico.*)

Anno MCXLVIII *.... Ludovicus Rex a partibus Hierosolymitanis reversus et a Rege [Siciliæ] Rogerio apud Potentiam cum honore susceptus, IV Nonas Octobris ad hoc Monasterium [Cassinense] venit, susceptusque honorificè, post diem recedens tertium, et apud Tusculanum cum Apostolico colloquens, Franciam (*a*) rediit. (*Ex Anonymi chronico Cassinensi.*) * *Corr.* MCXLIX.

Anno MCXLIX, luna Martii XII eclipsim passa est, noctè Sabbati ante Palmas, quippecum esset plena; siquidem sextâ feriâ, XXV die ejusdem mensis, octavo vi-
C delicet Kal. Aprilis extiterat XII : sequenti nocte, Sabbato illucescente et clarè lucente, nonâ horâ noctis, subitò obscuratæ sunt ferè duæ ejus partes inferiores, et tertiâ ejus parte clarè fulgente superiùs. (*Notula Barrensi chronico subjecta, apud Murat. T. V. Rerum Ital. p.* 156.)

Anno Domini MCXLIX. Inter Balduinum Comitem Montensem et Sibyllam Comitissam Flandrensem ortâ discordiâ, milites Flandrenses in pago Austrebatensi incendiis et rapinis patriam demoliuntur. Ad hanc discordiam pacificandam Samson venerabilis Remensis Archiepiscopus cum quibusdam Episcopis suffraganeis suis venit; sed quibusdam malivolis pacem turbantibus, parùm profecit. Ecclesia Hasnoniensis tunc ab eodem Archiepiscopo dedicata est. (*Ex Annal. Aquicinensibus in ms. cod. Reg.* 5440.)

Anno Domini MCL. Theodericus Comes Flandrensis revertitur ab Hierosoly-
D mis : qui commotus pro injuria quam Balduinus Comes Montensis præterito anno suæ fecerat uxori, contra eum exercitum movit. At Balduinus de suis viribus diffidens, Henricum Episcopum Leodiensem et Henricum Comitem Namurcensem contra Flandrenses adduxit; sed Flandrensibus suo more viriliter repugnantibus, inglorii ad sua sunt reversi Namurcensis Comes et Leodiensis Episcopus. (*Ibid.*)

Anno MCLI. Henricus Episcopus Wintoniensis Romam profectus est, purgare se coram summo Pontifice de his quæ imponebantur ei a Bernardo Abbate Cla-

(*a*) Gesta annorum 1146, 47, 48, 49, in hunc modum sub an. 1145 contrahit Romualdus Salernitanus. « Anno MCXLV, Indict. VIII, Lucio Papæ » successit Bernardus natione Pisanus, priùs Mo- » nachus Clarevallensis, deinde Presbyter Cardi- » nalis, qui Eugenius III est dictus. Hic propter » tumultum Senatorum et populi de urbe egre- » diens, apud Farfense Monasterium solemniter » est consecratus. Deinde in Galliam proficiscens, » a Ludovico juniore Rege Francorum et tota » Gallicana Ecclesia honorificè est receptus. Hic » Remis generale Concilium celebravit. Eo autem » tempore, Chonradus Rex Theutonicorum cum » magna multitudine militum et peditum Hiero- » solymam proficiscens Constantinopolim venit, » et ab Emmanuele Imperatore tum timore, tum » quia cognatam ejus in uxorem duxerat, ho- » norificè est receptus... Ludovicus Rex Fran- » corum cum magno exercitu militum et pedi- » tum prædictum Regem Chonradum eodem anno » et itinere prosecutus, ab Emmanuele Impera- » tore simili modo receptus est et deceptus.... » Sicque factum est quòd, peccatis exigentibus, » suggestione Græcorum et malitiâ, duo adeò po- » tentes et nobiles Principes, amisso exercitu, » parùm boni ad honorem nominis Christiani » proficere potuerint. Qui Hierosolymam causâ » orationis aliquantulùm sunt demorati; dehinc » Chonradus per Constantinopolim in Alaman- » niam rediit, Rex autem Franciæ per Apuliam » remeavit, quem Rex Rogerius satis officiosè » suscepit, equitaturas multas et munera contulit » plurima, et eum per terram suam honorificè » conduci præcepit. Papa verò Eugenius, post- » quam in Francia aliquantulùm est demoratus, » Italiam repetens apud Tusculanum se recepit... » Quum autem prædictus Papa apud Tusculanum » moraretur, Rex Franciæ ab Hierosolymis re- » diens ad eum venit : qui memor beneficii et » honoris sibi in Francia ab illo collati, eum » prout decuit cum reverentia magna et honore » suscepit, dona multa obtulit, et in pace ad » propria redire permisit ».

Digitized by Google

revallensi et Monachis de Hida et multis aliis. Pacificatus Papæ post multas cavillationes et multa munera ab Episcopo data et multò plura promissa, cum priori potestate sua reversus est ad propria. (*Ex Annalibus Wintoniensibus, apud Henr.* Warthon, *parte II Angliæ Sacræ. p.* 288.) A

Anno MCLI. Obiit Adelidis, Regina secunda Henrici Regis. (*Ex Annalibus de* Margan, *apud Th.* Gale, *T. II. Rerum Anglic. p.* 7.)

Obitus Theobaldi Magni, secundi nominis, Comitis Palatini Campaniæ et Briæ, qui Ecclesiam Sparnacensem, primùm sub Decanatu sæculari institutam et sua usque tempora a suo jure pendentem, in regularem et electivam Abbatiam Ordinis S. Augustini, auctore B. Bernardo Claræ-vallis Abbate suadente, commutavit, et in ipsa primum Abbatem religiosum Fulconem nomine, a D. Rainaldo Archiepiscopo Remensi benedici promeruit : qui obiit anno Domini MCLII, die x Januarii. (*Ex Necrologio Sparnac. apud D.* Estiennot *Frag. T. XIV. p.* 122.) B

Anno MCLII. Ludovicus Rex Franciæ zelotipiæ spiritu inflammatus, cum Alienorde uxore sua in Aquitaniam vadit, munitiones removet et gentes suas inde reducit : qui dum regrederetur, apud Baugenciacum castrum juratâ consanguinitate, uxorem suam repudiat, de qua duas filias habebat, Mariam quam Henricus Comes Trecensis postea habuit uxorem, et Aelidem quam Theobaldus Comes Blesensis postea duxit. Facto itaque divortio inter Regem Franciæ et Alienordem conjugem suam, dum in terram nativitatis suæ regrederetur, Henricus Dux Normanniæ et Comes Andegaviæ ei occurrens, eam desponsavit : pro quo inter ipsum et Ludovicum Regem magna discordia insurrexit. Genuit autem postmodùm idem Henricus Dux Normanniæ ex prædicta Alienorde Regina Henricum, Richardum et Joannem, postea Reges Angliæ, atque Gaufridum Comitem Britanniæ; item quatuor filias, quarum una [Alienora] data est uxor [Alphonso] Regi Castellæ, unde orta est Blancha Regina Franciæ, mater S. Ludovici Regis; altera verò Constantinopolitano Imperatori nomine Alexi; (*a*) tertia quoque [Mathildis] Saxoniæ Duci [Henrico] unde natus est Otho postmodùm Imperator Romanorum; quarta verò [Joanna] Tolosano Comiti, unde natus est Remundus, cujus filiam postmodùm Alfonsus Comes Pictaviensis, frater S. Ludovici Regis Franciæ, accepit uxorem. (*Ex chronico Turon. partim Nangius.*) C

Anno MCLII. Obiit Mathildis Regina Angliæ, v Nonas Maii. (*Ex chronico S. Crucis Edimburgensis, apud Henr.* Warthon, *Angliæ Sacræ parte I, p.* 160.)

Anno MCLIII. Cives Metenses cum vicinis militibus congrediuntur et vincuntur, et pereunt ex eis plusquam duo millia. (*Ex Vincentii Bellovac. speculo historiali, lib.* XXIX, *cap.* 2.)

Anno MCLIV. Obiit Ranulfus II cognomento de *Gernons*, quartus post conquestum Angliæ Comes Cestriæ : cui successit filius suus Hugo II, qui fuit in Ducatu illo XXIX annis et strenuè multa egit. (*Joan.* Bromton, *apud* Twisden, *col.* 1043.) D

Anno MCLIV. Obiit Stephanus Rex Angliæ VIII Kal. Novembris, et Henricus Dux Normanniæ XIV Kal. Januarii regni diademate insignitur. (*Ex chronico S. Crucis Edimburgensis, apud Henricum* Warthon, *parte I Angliæ Sacræ, p.* 159.)

Anno MCLVI. Hoc ipso anno, Fridericus Imperator Agnetem, [Beatricem Rainaldi] Principis Burgundiæ filiam, uxorem duxit, repudiatâ priori legitimâ uxore apud Constantiam : unde gravissimum in Ecclesia exortum est schisma. (*Ex Dodechini Append. ad Marianum Scotum.*)

* *Corr.* MCLVII.

Anno MCLVIII *. Theodericus de Alsatia, Comes Flandriæ, iteratò Jerosolymam petit cum uxore sua Sibylla, zelo piæ devotionis accensa : quæ cùm illò venisset, Bethaniæ suscepit religionis habitum; Theodericus verò et Rex Jerosolymorum Regem Paganorum Noradin superantes, multas civitates et castella ceperunt. Habuit autem Theodericus tres filios et duas filias; Matthæum Comitem Boloniæ, et Petrum ex Episcopo Cameracensi Comitem Tornacensem *, et Philippum Comitem Flandriæ patri succedentem, et quem justitia, fortitudo et liberalitas omnibus bonis laudabilem fecit et amabilem : fuerunt verò filiæ, Sibylla et Margareta. Sibylla ex Comitissa Morianensi fit Abbatissa Metenensis *; Margareta verò uxor Balduini Comitis Montensis et Flandriæ post Philippum, ei genuit duas filias, quarum una [Elisabeth] nupsit Philippo filio Ludovici Regis Franciæ, et tres filios, Balduinum, Henricum et Philippum. (*Ex chronico Balduini Ninov. apud Carol. Ludov. Hugo, inter monum. sacræ antiq. T. II. p.* 173.) E

* Tornodorensem.

* Merkemiensis.

(*a*) Hæc filia fuit Ludovici VII et Alæ tertiæ conjugis, non verò Henrici II Anglorum Regis.

Digitized by Google

A Anno Domini MCLVIII. Ascalona civitas a Christianis, Deo præside, capta est. Eodem anno bellum inter Samsonem Archiepiscopum Remensem et Guiscardum Comitem de Roceio. (*Ex chronico Mosomensi, apud Acherium T. II. Spicil. in-fol. p.* 572.)

Anno Domini MCLVIII. Philippus Comes Flandriæ, filius Theoderici, navalem expeditionem ducit adversùs Theodericum Comitem Hollandiæ et piratas sub ejus tuitione degentes, et acceptis obsidibus, victor revertitur. (*Ex Annalibus Aquicin. in ms. codice Regio* 5440.)

Anno MCLVIII. Obiit piæ memoriæ Gilbertus Abbas Cisterciensis : cui successit Alexander decimus Abbas. (*Ex chronico de* Mailros, *apud Joan.* Fell, *inter Rerum Anglic. Script. V. p.* 170.)

Anno Domini MCLIX. Henricus (II) Rex Anglorum post adeptum regnum ultra
B se elatus, quod diu mente conceperat, contra Ludovicum Regem Francorum rebellat, et congregato exercitu, in Aquitaniam transiit, et urbem Tolosam obsidione cinxit. Rex autem Francorum cum suis militibus, priusquam obsideretur, civitatem potenter ingressus est, et a Comite S. Ægidii et a civibus cum gaudio magno susceptus est. Quod Rex Anglorum cernens, et eorum constantiam et stabilitatem videns, indoluit ; veritusque Regis potentiam, inefficax rediit. (*Ex Annalibus Aquicin. in ms. codice Regio* 5440.)

Anno MCLIX. Adrianus Papa Imperatorem pro conjugii dissidio excommunicare proposuerat, sed mense Octobri morte præventus est : pro quo duo constituti sunt, id est Orlandus, qui dictus est Alexander, Adriani sententiam approbans, et Octavianus cognominatus Victor, Imperatori plurimùm favens. (*Ex Dodechini Appendice ad Marianum Scotum.*)

C Anno Domini MCLX. Adriano Papâ defuncto, Alexander qui et Rollandus, Cancellarius Romanæ Ecclesiæ, ordinatur Papa post B. Petrum CLXVIII^us^. Contra quem Octavianus, Presbyter Cardinalis tituli S. Ceciliæ, Papatum ambiens magno scandalo universali Ecclesiæ fuit, quia prolixa inter eos contentio etiam usque ad sanguinis effusionem prorupit. Fredericus enim Imperator et Episcopi Teutonici vel Principes Octavianum in Patriarchio immantatum Lateranensi Victorem appellaverunt ; Italienses verò qui et Longobardi Rollandum Cancellarium extra Romam, in loco qui nuncupatur Cisterna Neronis in regno Siciliæ, consecraverunt et Alexandrum vocaverunt. Alexander et Victor de Papatu contendentes legatos in Franciam certatim ad Ludovicum Regem et Primates regni dirigunt : quorum relatione in civitate Belvacensi auditâ et examinatâ, præfatus Rex et omnes Episcopi ipsius regni Alexandro Papæ se submiserunt.
D Porrò Fredericus Imperator et omnes Teutonici Victori obtemperabant..... Legatio pro reconciliatione regni et Sacerdotii nunc a Rege Ludovico Francorum ad Imperatorem Romanorum Fredericum vadit, nunc ab Imperatore ad Regem vicissim redit. (*Ex Annalibus Aquicin. in ms. codice Regio* 5440.)

Defuncto Adriano Papâ, ortum est schisma in Ecclesia Dei inter Alexandrum qui et Rolandus, et Victorem qui et Octavianus. Cùm ergo Cæsar expugnaret Mediolanum, venit ad eum Victor in castra quæ erant apud Papiam, et recepit eum, adunatoque Concilio, receperunt eum Reinoldus Coloniensis et Conradus Moguntinus Electi, et omnes quos imperialis aut timor aut favor agebat. Porrò Alexandrum recepit Hierosolymitana Ecclesia et Antiochena, præterea omnis Francia, Anglia, Hispania, Dania et omnia regna quæ sunt ubique terrarum. Insuper Cisterciensis Ordo eidem universus accessit, in quo sunt Archiepiscopi
E et Episcopi quamplures, et Abbates ampliùs quàm septingenti, et Monachorum inæstimabilis numerus. Hi singulis annis celebrant Concilium apud Cistercium, et decernunt ea quæ utilia sunt. Horum invincibilis sententia vel maximas vires addidit Alexandro. Quamobrem iratus Cæsar proposuit edictum, ut omnes Monachi Cisterciensis Ordinis qui consistebant in regno suo, aut Victori subscriberent, aut regno pellerentur. Itaque difficile relatu est quot patres, quanti Monachorum greges, relictis sedibus suis, transfugere in Franciam.... Postquam ergo transierunt obsidionis quinque vel eo ampliùs anni, Cæsar obtinuit Mediolanum (*a*).... Tunc elevatum est cor ejus nimis ; et timuerunt omnia regna

(*a*) « Imperator cùm præcepisset de obsidibus » Mediolani qui erant Papiæ centum solummodò » retineri, et singulis mensibus permutari, recessit » et abiit ad Soram (*Seurre*), et fuit ibi in festo » S. Johannis Decollati, ut ibi colloquium cum » Rege Franciæ et Apostolico Alexandro et Oc-

Digitized by Google

terrarum ad famam nominis ejus. Et misit ad Regem Franciæ Ludovicum, ut occurreret sibi ad colloquium apud Laonam, quæ est in terra Burgundionum juxta Ararim fluvium, ad redintegrandum unitatem Ecclesiæ; et annuit Rex Franciæ. Præterea misit nuncios ad Regem Daniæ et ad Regem Ungariæ, ut venirent ad constitutum diem : insuper omnibus Archiepiscopis et Episcopis et summis potestatibus regni sui et religiosis quibusque solemniter adesse mandavit. Grandis ergo expectatio erat universorum ad tam celebrem curiam, quò uterque Papa et tanti terrarum Reges conventuri ferebantur. Tunc abierunt simul Waldemarus cum Episcopis Daniæ, Hartwichus Archiepiscopus, Geroldus Episcopus et Comes Adolphus, cum multis Saxoniæ nobilibus, ad præfixum colloquii locum; Dux verò positus in Bavaria aliâ viâ venerat. Ludovicus ergo Rex Franciæ, cujus præcipuè expectabatur adventus, ubi intellexit Cæsarem appropiare cum exercitu et armis multis, dubitavit occurrere illi; sed propter fidem sacramentorum venit ad locum placiti, constituto die, hoc est, in Decollatione
* An. 1162. Joannis-Baptistæ *, et exhibuit se in pontis medio ab hora tertia usque ad horam diei nonam. Porrò Cæsar necdum venerat : quod Rex Franciæ accipiens pro omine, lavit manus suas in flumine ob testimonium, quasi qui fidem pollicitam reddiderit; et digrediens inde, abiit ipso vespere Divionem. Veniens ergo noctu Cæsar intellexit Regem Franciæ discessisse, et misit honorabiles personas denuò accersere eum; sed ille nullâ ratione vacare potuit, gratulans se fidem solvisse et suspectam Cæsaris manum evasisse. Ferebatur enim a multis quòd Cæsar eum circumvenire voluerit, et propter hoc contra pactionum tenorem armatus advenerit. Sed ars arte delusa est : Francigenæ enim ingenio altiores, quod armis et viribus impossibile videbatur, consilio evicerunt. Tunc Cæsar vehementer irritatus, secessit a Curia, intentans Francigenis bellum. Alexander Papa confortatus ab eo tempore magis invaluit. (*Ex chronico Slavorum Helmoldi Sacerdotis cap.* XC, *apud Leibnitium, T. II. Rerum Brunswiensium, p.* 613.)

Anno MCLXII. Alexander Papa per mare ivit in Franciam, et a Rege Franciæ et Anglorum honorificè receptus est. (*Ex Anonimi chronico Cassinensi, apud Muratorium, T. V. Rerum Ital. p.* 68.)

Anno Domini MCLXII. Ludovicus Rex Francorum indignum ducens contra statum Ecclesiæ agi per violentiam Imperatoris Frederici, legatum ad eum dirigit Henricum Comitem Trecensem, ut eum ad mutuum convocet colloquium apud castrum Galliæ quod Divion dicitur, quo in loco B. Martyr Benignus requiescit, de pace et unitate sanctæ et universalis Ecclesiæ locuturi conveniunt; sed dissensu unusquisque rediit ad sua. Octavianus autem qui et Victor per totum regnum Imperatoris synodales agit causas. Alexander verò qui et Rollandus, veritus potentiam Imperatoris, profugùs ab Italia venit in Franciam, qui a Ludovico Rege et Optimatibus ejus gloriosè excipitur. (*Ex Annalibus Aquicin. in ms. codice Regio* 5440.)

Audiens autem Imperator Alexandrum Papam perrexisse in Gallias, metuens ne a Francorum Rege reciperetur, nuncios ad eum festinanter mandavit, rogans ut apud Digionem pariter convenirent, et quidquid de Papa Alexandro et Victore eis esset faciendum Ecclesiasticarum personarum judicio definirent. Quod verbum Ludovico Regi Francorum admodùm placuit, qui in præfixo die et termino cum paucis militibus ad locum constitutum venit, sed Imperatorem minimè invenit. Alterâ autem die Imperator cum magna manu militum et peditum et cum Octaviano ad eumdem locum venire curavit : quod Rex Franciæ cognoscens, ejus versutias metuens, venire ad illud colloquium recusavit. Quare Imperator indignatus cum Octaviano in Alamanniam rediit..... Interea dum Alexander Papa apud Salviniacum (*a*) moraretur, primò Rex Angliæ ad eum veniens ipsum cum universo regno suo in dominum et Patrem recepit. Post hæc Rex Franciæ cum tota Gallicana Ecclesia eum pro universali Papa recipiens, honorificè Parisios usque deduxit. Papa autem Alexander Regem Franciæ et
* An. 1163. Angliæ conveniens, pacem inter eos et concordiam reformavit. Qui non multò *

» taviano de eorum electione haberet. Sed Ale- » xander non adfuit, Imperatoris collusionem, » quam præsenserat, timens; et sic Imperator » et Rex discordes discesserunt, et inde Impe- » rator abiit in Alamanniam ». (*Ex Radulfi Mediolanensis de rebus gestis Frederici in Italia, apud Muratorium, T. VI. Rerum Ital. col.* 1188.)

(*a*) Anno Incarnati Verbi MCLXII, Silviniaci, præsente in eadem villa domino Papâ Alexandro, Rex Ludovicus VII diploma edit in gratiam Gellonensis Cœnobii. (*Mabil. Sæc.* IV *Benedict. parte I, pag.* 96.)

Digitized by Google

A post Turonis universale Concilium celebravit, in quo Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, Hispaniarum ac totius Galliæ convenerunt. (*Ex chronico Romualdi Salernitani, apud Muratorium, T. VII. Rerum Ital.*)

Anno MCLXV. Alexander Papa per mare de Francia rediens urbem intravit. (*Ex Anonymi chronico Cassinensi.*)

Interea Romani, morte Octaviani cognitâ, nuncios suos ad Alexandrum in Franciam transmiserunt, affectuosè rogantes ut ad urbem rediret et commissum sibi populum visitaret, quia ipsi eum cum honore et devotione reciperent. Alexander autem credens hoc sibi et Ecclesiæ profuturum, Magalonem venit; et paratâ quâdam magnâ navi quæ erat Hospitalis, cùm eam penè omnes Cardinales intrassent, et Papa cum paucis Cardinalibus cum galea Narbonensium eamdem navim ascensurus veniret, galeæ Pisanorum, quæ illi paraverant insi-
B dias, repentè apparuerunt : quibus visis, Papa cum galea sua festinus Magalonem rediit. Galeæ autem Pisanorum navim in qua erant Cardinales circumdederunt; et non invento ibi Apostolico, eam in pace liberam abire permiserunt : quæ vento flante secundo, priùs Panormum, dehinc Messanam applicuit. Non multò post Alexander Papa cum Cardinalibus qui remanserant et cum Maguntino Archiepiscopo quamdam minorem navim intravit, et alto se committens pelago, licèt multis exagitatus procellis, salvus tamen cum omnibus suis Messanam, Domino ducente, pervenit. (*Ex chronico Romualdi Salernitani, apud Muratorium, T. VII. Rerum Ital. col.* 205.)

Anno Domini MCLXV. Friderici XIII.... Dissensio inter Regem Angliæ et Regem Karlingiæ, quam concitavit Reinoldus Coloniensis Archiepiscopus hac de causa. Idem Archiepiscopus functus legatione Imperatoris ad Regem Franciæ,
C primò honorificè ab eo susceptus est, et ferè impetratâ causâ pro quâ venerat, a [Bartholomæo] Belvacensi Episcopo superveniente impedita est, et ita Archiepiscopus non sine indignatione inactè reversus est. (*Ex Chronographo Saxone, inter Accessiones historicas Leibnitii, T. I. p.* 308.)

Rex Siciliæ Guilielmus circa Quadragesimam * fluxu ventris et molestiâ cœpit affligi, quam passionem cùm aliquanto tempore occultasset, circa mediam Quadragesimam, eâdem passione crescente, credens se moriturum, pœnitentiam et confessionem accepit,... testamentum fecit, in quo Guilielmum filium suum majorem totius regni hæredem instituit. Henrico alteri filio Principatum Capuæ, quem concesserat, confirmavit; pecuniam magnam expendendam pro salute ani- * An. 1166.
mæ suæ dereliquit; Margaritam Reginam suam totius regni et filiorum suorum tutricem et gubernatricem pariter ordinavit.... Defunctus est autem Rex Gui-
D lielmus anno vitæ suæ XLVI, anno autem regni sui quo cum patre et per se regnaverat, XV, mense X, anno autem MCLXVI, Indict. XIV, mense Maii, septimo die intrantis ejusdem mensis, circa horam nonam. (*Ex Romualdi Salernitani chronico, apud Muratorium, T. VII. Rerum Ital.*)

Emenso itaque post mortem Regis annuo * ferè spatio, cùm paulatim decidens procella curiæ resedisset, Proceres regni multis victi Reginæ beneficiis interim quiescebant. Ut enim incarceratorum multitudinem liberatam, servos libertate donatos, civibus immunitates concessas, consuetudines quæ perniciosæ videbantur explosas, ut villas oppidaque multis nobilibus viris donata præteream, octo Comites eodem anno creaverat, Richardum Mandrensem, Bertrannum Comitis Gravinensis filium, Richardum de Sagio, Rogerium Richardi filium, Jocelinum, Simonem Sangrensem, Guillelmum Silvestri Comitis filium, Hu-
E gonem de Rupeforti, consanguineum suum, qui de Francia nuper advenerat; Rogerium quoque Comitem Acerranum et Rogerium Avellini Comitem, ab exilio revocatos pristinæ restituerat dignitati. His ergo multisque præterea beneficiis Reginæ liberalitatem experti, tentabant ab innata rebellandi consuetudine feroces animos cohibere. Curiæ verò status hic erat : Richardus Molisii Comes cæteris familiaribus potestatis eminentiâ prælatus, apud Reginam postulata faciliùs impetrabat; Electus verò Syracusanus et Matthæus Notarius Cancellarii gerebant officium.... Porrò Matthæus Notarius cùm sciret Admiratum se non posse fieri, ob multam ejus nominis invidiam, Cancellariatum totis nisibus appetebat; Electus autem in proximo se confidebat Ecclesiæ Panormitanæ regimen adepturum. Sed Regina longè diversum fovebat propositum, et eamdem digni- * An. 1167.

Digitized by Google

tatem alii reservabat. Scripserat enim avunculo (*a*) suo [Rotrodo] Rotomagensi A
Archiepiscopo, ut aliquem de consanguineis suis, vel Robertum de Novoburgo, vel Stephanum [Rotrodi] Comitis Perticensis filium sibi transmitteret : quorum quia alterum sine dilatione venturum sperabat, interim tam Electi Syracusani quàm Agrigenti Episcopi spem et desiderium eludebat. Nec eam diu sua fefellit opinio; paucis enim interjectis diebus, famâ præcurrente, compertum est Stephanum Comitis Perticensis filium in Siciliam venientem ad Comitem Gravinensem fratris sui filium (*b*) divertisse. Quem ipse Comes multis honoratum muneribus et de statu curiæ diligenter institutum, ad saluberrima Siciliæ loca transmisit, timens eum, cùm jam æstas ingrueret, ob intemperiem aëris in Apulia diutiùs detinere, simulque sciens Reginam illius adventum summo desiderio præstolari. Cùm igitur, transito Pharo, Panormum accessisset, curiæ familiares, Episcopique ac milites cum Comestabulis illi obviam exeuntes, ad Palatium eum, ut jussi fuerant, B
perduxerunt. Quem Regina multo cum honore suscepit, et astantibus cunctis : « Ecce, inquit, completum video quod plenis semper votis expetii. Nec enim » aliter quàm fratres proprios diligere quidem et honorare debeo filios Comitis » Perticensis, per quem, ut verum fatear, pater meus regnum obtinuit. Nam » idem Comes patri meo terram amplissimam cum nepte sua, matre mea, dotem » dedit, quam in Hispania multis periculis ac diuturnis laboribus expugnatam » Sarracenis abstulerat. Nec ergo mirari debetis, si filium ejus matris meæ con- » sobrinum, loco mihi fratris habendum censeam, et de remotissimis partibus » ad me venientem gratanter excipiam : quem quidem volo jubeoque, ut qui » me filiumque meum diligere se fatentur, propensiùs diligant et honorent, ut » eorum erga nos ex hoc ipso fidei dilectionisque quantitatem emetiar ». Tunc omnes id se facturos libenter promptissimè responderunt, licèt inter eos essent C
nonnulli quibus illius adventus maximè displiceret.

Interea Regina voluntatem ejus diligenter inquirens, cùm intellexisset eum nolle diutiùs in Sicilia commorari, summâ ope niti cœpit ut hoc ejus propositum immutaret, et gloriam ei divitiasque, quas habiturus erat si remaneret, ostentans, simulque transmontanorum inopiam ei frequenter objiciens, socios quoque ipsius, propositis ingentibus præmiis, hortabatur ut cum eo se promit-
terent remansuros, intelligens non posse mentem illius aliter ad id quod postulabat inflecti. Quod ubi plurimâ precum instantiâ multisque promissionibus vix tandem obtinuit, constitutâ diè cunctis qui tunc aderant Episcopis, Proceribusque convocatis ad curiam, Cancellarium eum instituit, jussitque ut universa curiæ negotia deinceps ad eum principaliter referrentur. Non multò post cùm eum Archiepiscopus Salernitanus Subdiaconum ordinasset, missi sunt qui Canonicis D
Panormitanis dicerent Regem ac Reginam, precibus eorum quas sæpè porrexerunt exauditis, liberam eis concedere potestatem ut Ecclesiæ suæ Pastorem eligerent, et ad palatium venientes, quem sibi putarent idoneum, juxta consuetudinem in curia nominarent. At illi, nullâ super hoc inter eos (quod rarò contigit) obortâ controversiâ, concordes atque unanimes Cancellarium elegerunt, gaudente populo, et quod actum fuerat adprobante Gulielmo Papiensi, Romanæ Ecclesiæ Cardinali, qui Panormum nuper venerat in Gallias transiturus.

Itaque duas regni maximas dignitates adeptus, totius curiæ post Reginam onus et honorem suscepit. Domui verò suæ præfecit Odonem Quarrellum, Carnotensem Canonicum, qui remanendi consilium ei dederat et cum eo duobus annis se spoponderat remansurum, donec amicos in Sicilia probatæ fidei reperisset, aut aliquos de propinquis et amicis suis, quibus æquè consilia sua cre- E
deret, ad eum de Francia venire contingeret. Nam eumdem Odonem plurimùm diligens, consilium illius ultra quàm expediret ei, in maximis quoque

(*a*) Erat Margareta filia Garciæ Ramiri Regis Navarræ et Margaretæ de Aquila in Normannia. Hæc autem nata erat Gisleberto de Aquila et Juliana Perticensi, sorore Rotrodi II Mauritaniæ Comitis. Proinde Rotrodus Archiepiscopus cognatus erat seu, ut vocant, consobrinus Reginæ Navarrensis, quippè natus Henrico de Bellomonte comite Warwici et Margaretâ sorore Julianæ Aquilensis matronæ. Henricus autem de Novoburgo frater erat Rotrodi Archiepiscopi. Stephanus quoque Perticensis amitinus erat Margaretæ Navarrensis Reginæ matris Reginæ Siciliensis.

(*b*) Quâ ratione Gilbertus Comes Gravinensis fratris filius dicatur Stephani Perticensis, neutiquam assequi potuimus. Id solùm constat ex ipso Falcando, *col.* 273, Reginæ illum fuisse consanguineum, *cui Rex* [Guillelmus] *ex Hispania vocato Gravinæ dederat Comitatum.*

Digitized by Google

A negotiis admittebat : quem cùm neque literarum exornaret scientia, neque prudentiæ sæcularis utilitas commendaret, tantæ nihilominùs cupiditatis erat, ut nec in extorquenda pecunia modum attenderet, et in conciliandis amicitiis, virtutis fideique ratione nullâ habitâ, solam quantitatem munerum sequeretur. (*Ex Hugonis Falcandi historia Sicula, apud Muratorium, T. VII. Rerum Ital. p.* 313.)

Rex autem Guillelmus, propter multa beneficia quæ ipse cum matre sua regno suo contulit, ab hominibus suis cœpit multùm diligi et regnum suum in pace tenere. Stephanus autem Cancellarius primò quidem omnibus se humilem et benignum exhibuit (*a*); postmodùm verò in superbiam elatus, consilio pravorum hominum indigenas terræ cœpit habere odiosos pariter et suspectos. Qui circa Nativitatem * Domini cum Rege et Regina et Magnatibus curiæ Messa- * An. 1167.
nam venit : Gilbertus autem Comes Gravinæ, Reginæ et Cancellarii consangui-
B neus, qui tunc Capitaneus erat totius Apuliæ, cum magna manu militum Messanam accessit. Cancellarius autem, habito cum eo consilio, Comitem Henricum fratrem Reginæ capi fecit et apud Rhegium custodiri, imponens ei quòd ipse cum multis mortem Cancellarii et Comitis Gilberti jurasset (*b*)... quod factum

(*a*) « Justitiæ verò rigorem (inquit Hugo Falcandus, *col.* 315) eatenùs voluit observari, ut » nec amicis quidem aut ipsis Magnatibus curiæ » parcendum crederet, nec a potentibus viris subjectos opprimi pateretur, nec omninò quamlibet injuriam pauperis dissimulando transiret. » Cujus rei fama totum regnum brevi pervadens, » plebisque gratiam et favorem ei concilians, » tantâ nomen ejus celebritate diffudit, ut omnes » assererent velut consolatorem Angelum a Deo » missum qui, curiæ statu in melius innovato, » aurea sæcula revexisset... Curiæ verò Magnates cæterique potentes viri, qui jam non poterant liberè solitam in subjectos tyrannidem exercere, cùm omnia lucra curiæ viderent ad Cancellarium ejusque familiares transiisse, sibique » de tanta munerum affluentia vix modicos arescentesque rivulos superesse, cœperunt familiariter inter se velut invicem se consolando conqueri, minùs cautè contumeliosa verba jacere, » dicentes indignum esse puerum hunc alienigenam, maximis curiæ dignitatibus occupatis, in » tantam prorupisse præsumptionis audaciam, ut » neminem sibi socium adhibere dignetur, solus » velit tanti regni curam gerere, et singularis » privilegio potestatis omnibus præeminere ; se » verò qui jam in servitio curiæ consenuerint, » qui difficultates plurimas et pericula consilio » suo populsari vel præcaveri docuerint, nunc » humiles abjectosque despici, nulloque dignos » honore censeri ; Reginam, cùm Hispana sit, » Francum hunc consanguineum appellare, nimis » ei familiariter colloqui, et velut rapacibus » eum oculis intueri, verendum ne sub nomine » propinquitatis amor illicitus occultetur... Cancellarius cùm hæc omnia persensisset, cœpit rem » dissimulans blandiùs eosdem ac familiariùs alloqui, et multis eos beneficiis attentare, nec » interim tamen quod ad tuitionem sui necessarium videbatur omittere. Nam Berengario Magistro Comestabulo trans Pharum, in terram » quam ei curia dederat, abeunte, Rogerium Tyronensem, de quo plurimùm confidebat, illi » substituit : qui cùm multâ generis nobilitate » polleret et virtutis esset haud dubiæ, fidem » quoque servare studuit eatenùs inconcussam, ut » non solùm adversùs Regem neque conspiraverit, neque conspirantibus unquam consenserit, » sed amicis quoque semper æquè robustam fidem » servaverit. Hic igitur et Robertus de Sancto-Joanne, cùm plurimos haberent amicos, neque » Panormi facilè posset aliquid curâ dignum accidere, quod non ad eorum notitiam perveniret, conspirantium machinamenta Cancellarium » edocebant et quibus oporteret ea consiliis præpediri : quorum si quidem ipse monitus Odonis » Quarrelli consilio prætulisset, emergentes ab » initio motus facilè compressisset. Verùm tanta » cupiditas ejusdem Odonis mentem invaserat, » ut ex sola munerum quantitate fidem omnium » metiretur. Inde factum est, ut auri gemmarumque splendore seductus, salubre consilium » amicorum neglexerit, et velut angues in sinu » fovens nonnullos hostium valdè familiares habuerit ».

(*b*) « Tunc etiam (inquit Hugo Falcandus, *col.* » 312) Panormi morabatur quidam Reginæ frater, » qui, morte Regis auditâ, nuper in Siciliam ex » Hispania transfretarat, multosque milites Hispanos spe lucri secum adduxerat : quem (ut » eorum plerique qui cum ipso venerant, asserebant) Rex Navarrorum nunquam filium suum » vel esse credidit, vel dici voluit, indignum » existimans eum, quem mater multorum patens » libidini concepisset, Regis filium appellari. » Hunc ergo Regina, cùm antea Rodericus diceretur, idque Siculi nomen abhorrentes velut » ignotum et barbarum irriderent, Henricum » appellari præcepit et ei Montis-caveosi Comitatum integrè dedit, oppidaque Siciliæ quæ cum » eodem Comitatu Gaufridus Comes olim tenuerat Idem autem Henricus staturâ parvus, barbam habens rarissimam, sub pallida nigredine » cutem fœdatus, indiscretus, elinguis, præter » alearum ac tesseræ ludum nullius peritiam vindicabat, nihilque aliud affectabat, nisi ut haberet qui secum luderet, et pecuniam quam » prodigus indiscretè ac temerè posset effundere. » Hic aliquandiù Panormi commoratus, cùm » immoderatis sumptibus immensam pecuniam a » Regina sibi traditam facilè consumpsisset, in » Apuliam transire proposuit, veniensque Messanam multos ibi viros quales affectabat invenit.... » Henricus autem Comes (*col.* 322) Cancellarii penitùs voluntatem et consilium sequebatur, eique » tantâ se familiaritate conjunxerat, ut cum eo balneum frequenter intraret, cum eo singulis diebus ad curiam ascenderet, indeque revertentes » magnam diei partem secretiùs colloquendo » transmitterent. Qui verò conspiraverant adversùs Cancellarium, videntes si concordiam » illam inter eos perseverare contingeret, machinationes suas sperato non posse fine concludi, modis omnibus perquirebant, quibus » possent artibus eam amicitiam et familiaritatem » dissolvere, primòque mentem Comitis quibusdam insinuationibus pertentantes, aiebant : non » oportere Reginæ fratrem in curia quemquam » superiorem admittere, nec ejus frequentare » domum et inhærere vestigiis, a quo potiùs ipse » debuerat visitari ; nam ad eum potestatis prærogativam et totius regni curam meritò pertinere. Quibus ille : Francorum se linguam ignorare, quæ maximè necessaria esset in curia, nec » ejus esse respondebat industriæ, ut oneri tanto » sufficeret ; Cancellario hanc curam rectissimè » debere committi, qui discretus esset et prudens, » summèque nobilis, Regis quoque nihilominùs » et Reginæ non dubiâ propinquitate conjunctus. » Hac illi repulsâ non contenti, milites Hispanos » quos ei maximè familiares esse cognoverant, » cœperunt secretiùs convenire, dicentes multæ » mansuetudinis et patientiæ Comitem esse, qui » Cancellarium quem velut hostem debuerat per-

Digitized by Google

animos hominum regni non modicùm perturbavit. Post hæc consilio et auxilio Cancellarii, Gilbertus Comes Gravinæ Comitatum Loritelli cum omnibus suis pertinentiis a Rege obtinuit, et in Apuliam cum honore recessit. Cancellarius verò cum Rege et Regina circa Pascha * Panormum rediit, dehinc non multis transactis diebus Matthæum civem Salerni, Magistrum Notariorum domini Regis et familiarem, sine causa (*a*) capi fecit : quod factum grave resedit omnibus et

* An. 1168.

A

» sequi, potiùs diligat et honoret, propensiorem » ei reverentiam exhibendo; et hoc eum fortè » videri prudenter agere, quòd sororem nolens » offendere, docuerit animum omnia patienter » sustinere, nisi patientiam hanc gravis infamia » sequeretur : nunc reliquum quidem esse, ut » aut inhonestis Reginæ votis deservire credatur, » ipsiusque Cancellarii libidini seu potiùs inces- » tui consentire, aut illicitam eorum familiarita- » tem se nescire fateatur; patere autem omnibus » hanc esse, ut dici solet, nimis crassam ac supi- » nam ignorantiam, ut quod omnes prædicant, » solus ignoret. Hæc igitur a multis frequenter au- » dita milites ad aures Comitis pertulerunt : qui » cùm primùm mente dubiâ vacillaret, dehinc » ab ipsis rei principibus, qui confinxerant ea, » cumulatiùs eadem audiens, plenam his quæ » sibi dicta fuerant fidem adhibuit, relictoque » Cancellario, consiliis eorum adhæsit, quod » inde suaderent se facturum pollicitus. At illi » rem quam multùm desideraverant adsecuti, non » distulerunt eum, præstitis hinc inde sacramentis, » quibus visum est pactionibus obligare. Hæc » ergo conspiratio jam eò usque processerat, ut » amicis Cancellarii plurimùm terroris incute- » ret.... At Cancellarius adversùs eorum insidias » sese præmuniens, statuit non jam omnes, ut » consueverat, indifferenter admittere, sed cer- » tas horas constituit, quibus ad eum omnibus » pateret accessus, militesque suos eisdem horis » paratos adesse præcepit; sed et quinquaginta » viros eligens qui post primam januam in ves- » tibulo domûs cum armis parati semper assiste- » rent, numerum quoque militum studuit adau- » gere, plerosque etiam milites transmontanos, » qui de Francia nuper venerant Hierosolymam » transituri, secum detinuit, inter quos erat Joan- » nes de Lavardino, cujus acta Cancellario non » parùm attulerunt incommodi, quemadmodùm » sequentia declarabunt....

» Itaque Rex, xv die Novembris, ut constitu- » tum fuerat, Messanam proficiscitur, relictis » Panormi militibus ad ipsius custodiam civita- » tis.... Interea Gilbertus Comes Gravinensis ex » insperato superveniens conjuratorum repressit » audaciam, et incipientem jam apertis indiciis » apparere compulit inter suas iterùm latebras » occultari. Centum enim milites non dubiæ vir- » tutis secum adduxerat, armis, ut præmonitus » fuerat, diligenter instructos, quos de nomina- » tissimis Apuliæ et Terræ-laboris militibus mul- » tis cognitos bellis elegerat. Tota verò civitas » variis jam cœperat rumoribus fluctuare, et » plebem multosque milites adversùs Cancella- » rium, præter eam quæ jam plurimùm invalue- » rat conspirationem, e vicino quoque causa » suppetens instigabat. Nuper enim ad eum de » Francia Normanniaque clientuli multi conflu- » xerant, qui, ut eorum mos est, in contumeliosa » verba præcipites, et curiæ patrocinio licen- » tiùs abutentes, Græcos et Lombardos prodito- » res appellabant, multis eos injuriis lacessentes. » Henricus ergo Comes crebris eorum qui cons- » piraverant exhortationibus et consiliis anima- » tus, terminum certum constituit, ut in Can- » cellarium a curia redeuntem irrueret inpro- » visus et incautum occideret. Cùmque dies in- » staret quo id sibi faciendum decreverat, ... » visum est Cancellario Regem ac Reginam super » his convenire, eosque consilium et acta Comi- » tis edocere. Quod ubi Regina cognovit, anxiâ » cœpit distrahi sollicitudine, multæque fluctua- » tionis æstibus agitari; durius enim in fratrem » decernere quidpiam, tantamque præsumptio- » nem animadversione dignâ punire, crudele » quidem tyrannidique proximum videbatur : sed » et si fratri parceret, intelligebat Cancellario » non dubium capitis periculum imminere, neque » posse proditores ab eo quod cœperant abster- » reri, simulque considerabat indignum esse cui » fraternus exhiberetur affectus, qui, sororis des- » pectâ reverentiâ, qui tot ejus beneficiorum im- » memor, id solùm agere decrevisset, quod ad » ejus dedecus et infamiam non ambigeret retor- » quendum, multisque rebellandi præberet mate- » riam, regni pacem et quietem niteretur modis » omnibus impedire. Huic ergo deliberationi » justa succedens indignatio fraternam ab ejus » animo clementiam exturbavit, placuitque con- » gregatâ curiâ Comitem solemni judicio conve- » niri, convictumque vel confessum interim in » aliqua munitionum servari, donec ejus indicio » cæteri possent proditores agnosci.... Henricus » itaque Comes audiens ex insperato palam esse » cuncta quæ gesserat, tanti se criminis objectione » pulsari, neque sibi dari copiam ut quamlibet » dilationis interim causam opponeret, inter » metum ac stuporem anxiè deprehensus, tardè, » timidèque respondit nunquam se contra Can- » cellarium conspirasse.... De Henrico verò Co- » mite Montis-caveosi Reginæ consilium fuit, ut, » datis ei mille auri unciis, in Hispaniam eum » ad fratrem remitteret. Jussit ergo septem galeas » armari, quæ Odonem Quarrellum in Franciam » transiturum et sub ejus custodia Comitem usque » in Arelatensium fines transveherent. Interim » autem in castello Rhegii servabatur.... His ita- » que dispositis, XII die Martii Rex iter arripiens, » XX die ejusdem Panormum pervenit. Gilbertus » autem Comes Pharum transiens cum militibus » suis in Apuliam reversus est. Odo verò Quar- » rellus Messanæ remansit, multùm a Cancellario » instructus et diligenter admonitus, ut omni di- » lationis occasione sublatâ, statim post discessum » Regis galeas intraret ».

(*a*) Id sine causa factum fuisse negat Hugo Falcandus (ibidem p. 331.) « Interea, inquit, Gay- » tus Richardus Magister palatii Camerarius, » Matthæus Notarius et Gentilis Agrigentinus » Episcopus, aliique quibus Cancellarius rem » dissimulando scelerum impunitatem indulserat, » semel conceptam rabiem nitebantur ad effec- » tum urgere, nec illius erant beneficiis emol- » liti, sed ex absentiâ Comitis Gravinensis consi- » derantes Cancellario multùm subtractum esse » virium, facilè suis eum patere jam æstimabant » insidiis, tanquam improvidum et incautum, et » velut omni difficultate superatâ, nihil ultra » periculi formidantem. Itaque novas ex integro » pactiones instituunt, mutuisque se rursùs obli- » gant sacramentis. Dehinc adimplendo proposito » dies certa præfigitur, et jurejurando præstito, » milites eliguntur qui Dominica in Ramis Palma- » rum, ubi Rex e palatio juxta consuetudinem » exierit, Cancellarium gladiis in ipsa turba con- » fodiant. Sed et multos civium, tam Panormi » quàm in quibusdam aliis oppidis, adversùs Can- » cellarium instigaverant, multa dando multaque » pollicendo, quibus non difficilè persuaserant » Cancellarium, si diu perseveraverit in eo cul- » mine potestatis, universis populis Siciliæ liber- » tatem, quam hactenùs habuerant, sublaturum. » Cujus rei magnum illis visum est argumentum, » quòd Johannes de Lavardino, cui rogatu Can- » cellarii terra Matthæi Bonelli nuper data fue- » rat, oppidanos suos tantis affligebat injuriis, » ut omnium rerum mobilium quas habebant, » mediam partem exigeret; hanc enim esse suæ » terræ consuetudinem asserebat. At illi liberta- » tem civium et oppidanorum Siciliæ præten- » dentes, nullos se reditus aiebant, nullas exac- » tiones debere, sed aliquoties dominis suis, » urgente qualibet necessitate, quantùm vellent » spontè et liberâ voluntate servire; Sarracenos

molestum

Digitized by Google

A molestum, quia prædictus Matthæus homo erat sapiens et discretus, et in aula regia a puero enutritus, et in agendis regiis probatæ fidelitatis inventus. Infra Octavas autem Paschæ populus Messanæ in tumultum conversus Rhegium ivit, et Comitem Henricum de carcere eduxit, Comitem etiam Richardum [de Mo-

» autem et Græcos, eos solùm qui Villani dicantur, solvendis reditibus annuisque pensionibus obnoxios. Cùmque nihil hæc allegando proficerent, rem ad Cancellarii notitiam pertulerunt; qui Roberti de Sancto-Joanne, Rogeriique Tyronensis Magistri Comestabuli, neglecto consilio, maluit quorumdam quos de Francia secum adduxerat, temeritate seduci; qui super hoc nullam illis justitiam oportere fieri decernentes, dicebant intolerabilem hanc esse rusticorum audaciam, et si quidem eos id quod postulent obtinere contigerit, inde perniciosum exemplum datum iri, ut adversùs dominos suos contumaces ac rebelles existerent. Itaque nihil eorum quæ speraverant impetrantes, coacti sunt injuriam suam patienter interim sustinere. Ea res hostibus Cancellarii plurimam opportunitatem attulit, ut adversùs illum multorum civium et oppidanorum odia suscitarent, dicentes id eum proponere, ut universi populi Siciliæ reditus annuos et exactiones solvere cogerentur juxta Galliæ consuetudinem, quæ cives liberos non haberet. Cancellarius autem, agnitis eorum consiliis, ubi nullâ vidit eos mansuetudine, nullis beneficiis a proposito revocari, primò Matthæum Notarium qui cæteris astutiâ præeminebat, congregatâ curiâ, judicio solemni postulatum, neque defensionem congruam afferentem recipi jussit in carcerem.... Episcopus Agrigentinus, captis sociis, nihil spei reliquum videns, ut ad peragendum propositum facinus tot partibus mutilata conspiratio convalescat, statuit adversùs Cancellarium urbis Agrigentinæ et adjacentium oppidorum populos commovere, et apertas in eum inimicitias profiteri... Itaque sine licentia curiæ cum paucis militibus clam discedens, occultâ quâdam viâ pervenit Agrigentum, convocansque populum, Matthæi Notarii et aliorum eis captionem exponit, dicens hoc esse propositum Cancellarii ut omnes Siciliæ Proceres, quot quot ei non consenserint, primò capiat, inde veneno Regem extinguens, regnum ipse sibi transumat, cum Regina, quam propinquam suam nunc appellat, matrimonium contracturus; eò ventum esse necessitatis, ut oporteat Siculos omnes qui fidem Regi servare voluerint, unanimiter adversùs proditorem insurgere, et antequam tam detestabile perpetretur flagitium, consiliorum ejus machinas prævenire. Hæc et Agrigenti publicè concionatus est, et Messanensi populo scripta dimisit: verùm Agrigentinis nihil persuaderi potuit, neque satis justa visa est occasio rebellandi....

» Ita jam metu reique difficultate sublatâ, viribus omninò destituta conspiratio, deinceps respirare non poterat, nisi novus denuò casus emergens novum induxisset periculum et multorum prudentium virorum industriâ sopitum extinctumque penè malorum fomitem unius viri temeritas suscitasset. Nam cùm Odonem Quarrellum Messanæ diutiùs morari post constitutum abeundi terminum Cancellarius comperisset, quod futurum erat pæsagâ mente conspiciens, minis et contumeliis plenam ei direxit epistolam, præcipiens ut infra triduum post susceptas literas, omni lucri spe neglectâ, damni posthabitâ ratione, discederet. At ille, fatali jam imminente præcipitio, cupiditatis tenebris excæcatus, nullis minis aut precibus, nullo poterat genere persuasionis avelli, ob id solùm tanto se periculo negligenter objiciens, ut a navibus in Syriam transituris extorqueret pecuniam, non aliter eis indultâ copiâ transeundi. Hanc exactionem cives molestissimè ferentes cœperunt inter se primùm occultè conqueri, deinde licentiùs ac manifestiùs indignari, suamque ipsorum temeritatem et ignaviam accusare, quæ prædones alienigenas paterentur regni thesauros et de civium injuriis conquisitam pecuniam in Franciam asportare. Sed et Odonis Quarrelli clientes qui per urbem ebrii vagari consueverant, fortè Græcos in domo quadam ludentes invenerunt, eorumque ludos improbè perturbantes, cœpere multos eorum verborum injuriis irritare.... Videntes Latini, qui ob navium redemptionem in odium Francorum inducti fuerant, Græcos quoque adversùs eosdem novis injuriis lacessitos, cœperunt ad seditionem eos hortari, asserentes Francis id esse animi ut, omnibus Græcis expulsis, ipsi domos eorum, vineas, cæteraque oppida possiderent; Reginam verò nupsisse Cancellario, neque satis adhuc constare quid Regi contigerit, sed eum, si quidem vivat, magno discrimini subjacere. Itaque tota jam civitas falsis rumoribus perstrepebat, et evidens rebellandi prætendens indicium eo rerum turbine laborabat, ut neque Stratigotus neque judices contra voluntatem plebis audereut juris quidpiam exercere. Quod ubi Regi Reginæque cognitum est, falsâ civitatem opinione delusam immensis tumultuum fluctibus agitari, Messanensibus.... epistolam direxerunt.... Has literas recipiens Stratigotus, jussit ad Ecclesiam novam populum convenire, ut eas faceret coram universis civibus recitari. Cùmque, moram eo faciente, populus diutiùs expectaret, cœperunt incitari invicem colloquendo varias opiniones confingere. Alii Stephanum Cancellarium asserebant procul dubio Regem factum, et hanc ejus epistolam quam audituri venerant, regias literas appellari; nam Gilbertum (f. Guillelmum) Regem interfectum esse, Henricum fratrem ejus cum paucis militibus in Castello-maris clausum obsidione vallari. Aliquibus ratione magis utentibus tam aperta falsitas hujus rei fidem subtraxerat, vel, ut moderatiùs adstruebant, non ipsum Cancellarium, sed Gaufridum quemdam ejus fratrem regnaturum, et ob hoc Odonem Quarrellum cum ingenti pecunia transiturum in Gallias, ut ejus operâ ductuque prædictus Gaufridus in Siciliam transfretaret, et Constantiam Rogerii Regis filiam uxorem duceret, inde sibi dandam occasionem existimans, ut videretur regnum justiùs occupare. Cùm ergo jam murmur invalesceret, et plebis indignatio multiplicatis rumoribus augeretur, exclamavit quidam, ad ejus vocem facto silentio, solùm hoc in tanto turbine superesse consilium, ut Odonem Quarrellum primò interficerent, dehinc Henricum Comitem, qui Messanenses plurimùm semper dilexerat, liberarent. Tunc universi qui aderant, non aliter quàm si consiliis illius se paritum ire jurassent, ad expugnandam Odonis Quarrelli domum, neglecto Stratigoti mandato, concurrunt. Sed cùm primo impetu nihil agere potuissent, ad portum repentè se transferunt, et septem galeas ibi repertas viris et armis complentes, Rhegium trajecto Pharo perveniunt.... Inde ad castellum ubi Comes sub paucorum militum custodia servabatur, confidentiùs accesserunt, dicentes militibus qui ad defensionem parati muros ascenderant, ut Comitem sibi redderent, alioqui ipsos, si vi capti forent, tanquam proditores illicò suspendendos.... Milites igitur, omni spe fiduciâque resistendi sublatâ, tandem illis Comitem reddiderunt: quo post Phari transitum a Messanensibus, non sine totius civitatis concursu multaque plebis alacritate, suscepto, juraverunt omnes Henrici Comitis de cætero se per omnia secuturos imperium, nec ei vitâ superstite defuturos. Interim autem Odo Quarrellus in palatium Regis, quod domui suæ proximum erat, cum omnibus rebus suis se contulerat, ibique virorum multitudine circa muros excubantium circumseptus, nec ipse poterat

Digitized by Google

lisio] qui apud Taurimenium tenebatur in carcere, liberavit; et Odonem Quarrellum, Clericum Cancellarii et ipsius familiarissimum, qui tunc erat Messanæ, occidit. Quo audito (*a*), populus Panormi similiter in seditionem versus, A

» exire, neque per literas Cancellario quod ei » contigerat indicare. Nam et palatii custos, cùm » aliter irruentis populi furorem arcere non pos- » set, eum se capitis sui periculo spoponderat » servaturum. Comes igitur, missis cum Notario » suo plerisque civium, universam illius pecu- » niam, aurum, argentum, gemmas, vestesque » sericas scripto consignari fecit, et in interiori » parte palatii summâ diligentiâ custodiri: ipsum » autem Odonem lintri sub silentio noctis impo- » situm, ad Castellum vetus quod in portu secùs » Ecclesiam novam situm est, jussit transferri. In- » terea Messanenses, veriti ne Comes illum eâ » spe custodiri faceret, ut eo curiæ reddito ve- » niam impetraret, eorumque societati se frau- » dulenter subtraheret, optimum arbitrati sunt » ipsum Odonem interficere; hoc enim perpe- » trato, non posse Comitem erga curiam excusari. » Itaque magnâ virorum multitudine convocatâ, » Comitem adeunt, postulantes ut Odonem » Quarrellum eis traderet puniendum; non enim » eo captum fuisse consilio ut incolumis serva- » retur, sed ut, eo diris excruciato suppliciis, » tam Regis quàm suas injurias vindicarent. » Comes autem ne videretur eorum ingratus » beneficiis, simulque videns, et si reluctari » vellet, plebis tamen oportere desiderium ad- » impleri, noluit eorum petitioni moras oppo- » nere, licèt ei plurimùm displiceret; timebat » enim ne speratum finem non posset res incon- » sultè cœpta sortiri. At illi repentè Castellum » adeunt, et Odonem Quarrellum a Castellano » sibi traditum exuentes, asino quem ad hoc » præparaverant eum imponunt, pedibus ejus in » anteriorem asini partem porrectis, capite verò » in partem contrariam acclinato. Dehinc uni- » verso populo ad hoc spectaculum confluente, » per medium urbis eum cum ingenti clamore » deducunt, contumeliis interim ac verberibus » insistentes. Ubi ad portam civitatis ventum est, » quidam eorum cultrum Pisanum quantis po- » tuit viribus illius immergens cerebro, cruorem » qui ferro adhæserat sub omnium aspectu lin- » gebat, ad inexorabilis odii magnitudinem ex- » primendam: cujus exemplum secuti cæteri, » membratim Odonem innumeris confossum vul- » neribus discerpserunt; caput autem ejus affixum » lanceæ per urbem diutiùs ostentantes, ad ulti- » mum illud in cloacas publicas projecerunt, » quod inde furtim sublatum est et traditum se- » pulturæ. Inter hæc autem Græci transalpinos, » quotquot invenire poterant, trucidabant, do- » nec Henricus Comes id fieri cum interminatione » pœnæ prohibuit ».

(*a*) « Hæc ubi Cancellario nunciata sunt (pergit » Hugo Falcandus) tanto repentè turbatus infor- » tunio, consilium amicorum, quod diu negle- » xerat, tunc demùm expetiit, visumque est » persuadere Regi ut, exercitu congregato, Mes- » sanam obsessum pergeret: quod ille facilè pro- » nâque voluntate concessit, ad educendum exer- » citum certo ab Astrologis termino constituto... » Matthæus autem Notarius cùm in palatio clausus » teneretur, audiens quod Messanæ gestum fue- » rat, simulque videns Ansaldum Castellanum, » amicum Cancellarii, in superiori parte palatii » valetudine detineri, ex illius absentia datam » sibi perpetrandi quod optabat opportunitatem » agnovit, et Constantinum ejus socium, penès » quem solum custodiendi palatii cura tunc erat, » multis persuasionibus eò impulit, ut universos » palatii servos, qui ferè quadringenti erant, » jurare faceret quòd die tertiâ, quam eis præ- » fixerat, Cancellarium ad curiam venientem et, » cum eo Joannem de Lavardino, et Rogerium » Avellini Comitem inter primam et secundam » portam interficerent. Jam tunc ergo conspira- » toribus in spem et audaciam rursùs erectis, in » partes scissa civitas variis assensibus laborabat.... » Inter has rerum ambiguitates et pericula Can- » cellarius deprehensus, ab Ansaldo Castellano » statuit sciscitari quid ei potissimùm in tanto » turbine faciendum decerneret: cujus consilium » fuit ut, neglecto termino quem Astrologi præ- » fixerant, in aliquam munitionem Siciliæ se » reciperet, et tam Lombardos quàm cæteros » quos sibi fideles noverat accersiens, quantum » posset exercitum congregaret, ibique Regis » præstolaretur adventum; nam eum, si Panormi » diutiùs moraretur, vix tantas hostium insidias » evasurum. Prævaluit tamen Roberti Comitis » Mellenti cæterorumque Francorum sententia, » qui proditorum astutiam et curiæ consuetudi- » nem nescientes, Panormi morari tutiùs asseve- » bant, nec oportere Cancellarium sine Rege » quòpiam proficisci, ignorantes nusquam ap- » tiùs insidias quàm in ipso palatio præparari, » ubi nemini liceat armis se vel militibus præ- » munire. At ubi jam constituta dies aderat, » servi ipsius palatii sperantes Cancellarium manè » juxta consuetudinem ad curiam ascensurum, » parati ante januam consistebant, ut eum ve- » nientem cum paucis admittentes, milites ejus » excluderent. Odo verò Magister stabuli, cùm » eorum intellexisset consilium, repentè des- » cendens e palatio, Cancellarium quod ei pe- » riculum imminebat, edocuit: qui paucos ami- » corum suorum retinens, milites et hostiarios » qui ante domum ejus convenerant, ut euntem » ad curiam sequerentur, jussit abscedere. Cons- » tantinus itaque Castellanus, ubi spem et opi- » nionem suam elusam animadvertit, mittens » plerosque palatii servos quos civibus notissimos » esse cognoverat, per singulas urbis regiones eos » distribuit, jussitque clamare ut universi cives » ad arma concurrerent, et domum Cancellarii » qui, paratis jam navibus, cum thesauris regiis » fugere decreverat, obsiderent. His urbe com- » motâ rumoribus, Herveus Floridus quem non » tam familiaritas Cancellarii, quàm ipse de se » plurimùm loquens palatinis suspectum fecerat, » cum Rogerio Comite Avellini secùs palatium » equitabat: quem cùm vidissent clientes Gayti » Richardi, ac plerique alii viri qui jam illuc » armati confluxerant, irruerunt in eum et equo » dejectum gladiis confoderunt. Inde Comitem » persequentes, cùm extra portam urbis in pla- » num quod palatio adjacet pervenissent, fu- » giendi spe sublatâ, jam in eum lanceas inten- » debant, cùm Rex, ut ad fenestras palatii quid » tumultûs esset prospectum venerat, exclamans » multùm illis interminatus est, nisi sibi vivum » illum et incolumem assignarent. Sic eorum im- » petu vix compresso, cùm aliter Comitem li- » berare non posset, jussit eum in Castello-maris » summâ diligentiâ custodiri.

» Tunc verò Sagittarii Curiæ, qui nunquam in » seditionibus, ubi lucri spes appareat, ultimi » consueverunt occurrere, cum his quos supe- » riùs conjurasse diximus, magnâque præterea » confluentium multitudine, domum Cancellarii » circumvallant. Simon autem Pictavensis, cujus » diligentiæ domûs ejusdem cura commissa fuerat, » milites peditesque, prout locorum opportunitas » exigebat, per murorum disponens ambitum, » singula loca congruâ defensione præmunivit. » Militum verò maximam partem repentinus plebis » concursus excluserat. Cancellarius ubi rem » vidit in id discriminis devenisse, cum pleris- » que viris nobilibus quos a se non passus erat » discedere, per Ecclesiam quæ domui suæ erat » contigua, in campanarii fortissimam, ut in » plano, munitionem se recipit. Erant autem qui » semper ei familiariùs adhærebant Carbonellus » et Boamundus Tarsenses, Gulielmus de Sancto- » Severino, Alduinus Catuensis, Hugo Lupinus, » Robertus quoque Mellenti Comes cum quibus- » dam Francis militibus. Interea Rogerius Tyro- » nensis, Magister Camestabulus, cum militibus » suis superveniens, viros quos ibi repererat

Digitized by Google

A insultum in Cancellarium fecit, et eum cum omnibus suis in turri campanarum per diem unum obsedit. Alterâ autem die [Cancellarius] ex mandato Regis et Reginæ cum quibusdam de suis galeam intravit; sed cùm venisset apud Lecatam, galea fracta est : qui postmodùm navim ingressus Hierosolymam venit, et ibi non multo tempore demoratus interiit. Gilbertus autem Comes Loritelli cum Berteraimo filio suo, Comite Andriæ, cum omnibus suis terram abjuravit et Hierosolymam perrexit. Comes verò Henricus et Comes Richardus postquam de carcere exierunt, simul cum Messanensibus cum viginti galeis Panormum venerunt : quibus Rex gratiam suam reddidit et sublatas terras restituit. Postquam autem Cancellarius et Comes Gilbertus de terra exierunt, terra in pace et tranquillitate remansit. (*Ex Romualdi Salernitani chronico, apud Muratorium T. VII. Rerum Ital. col.* 207 *et seqq.*)

B Anno Dominicæ Incarnationis MCLXVII.... [Fredericus Imperator] Burgundiam ingressus, terram soceri sui Reginaldi Comitis qui jam obierat, in ditionem suam redegit, ac regnum Burgundiæ cum Archisolio Arelatensi, quod Duces de *Zeringen* (quamvis sine fructu, tantùm honore nominis) jure beneficii ab imperio jamdiu tenuerant, a Bertolfo Duce extorsit, præstitis sibi trium Episcopatuum Advocatia cum investitura regalium, scilicet Lausanensis, Genevensis, Sedunensis,... liberosque suos omnes literis apprimè erudiri faciens, eos facultatibus reddituum, excellentiis dignitatum per sortitas provincias delegaliter sublimavit. Nam Friderico qui secundus natu erat filiorum, Ducatu Sueviæ cum hæreditate Welfonis et prædiis Rudolfi Comitis de *Phullendorf* concesso; Cunrado verò dignitatibus, beneficiis et prædiis Friderici Ducis de *Rotinburch* ditato; Ottone Archisolio Arelatensi cum Burgundia, Reinaldi avi sui terrâ,
C sublimato, Henricum qui prior natu erat, Regem post se designavit; Philippo adhuc infantulo præter hæc omnia res Ecclesiarum ab Episcopis vel Abbatibus

» acerrimè proturbabat. At ubi jam multitudo » populi confluentis in immensum excrevit, re- » sumptis animis in eum pariter irruentes, tam » ipsum quàm ejus milites fugere compulerunt, » domumque Cancellarii quæ multo distendebatur » ambitu, cœperunt ex omni parte totis viribus » oppugnare. Obsessi verò de locis sibi designa- » tis nihilo segniùs instantibus resistebant; verùm » etiam apertis aliquoties foribus erumpentes, » totam multitudinem audacissimè repellebant, » longiùsque cogebant absistere. Matthæus quo- » que Notarius et Gaytus Richardus, de locis » in quibus clausi fuerant exeuntes, pristinæ se » dignitati, nemine prohibente, reddiderunt : » qui, servis buccinariis accersitis, præceperunt » ut ante domum Cancellarii tubis ac tympanis » personarent. Tunc universa civitas, tam Sarra- » ceni quàm Christiani, signum belli notissimum » audientes, jussu Regis id fieri crediderunt, » moxque cum ingenti clamore ac strepitu con- » currentes, cœperunt instare vehementiùs, vi- » dentesque diutiùs insistendo nihil proficere, » tandem ad portam Ecclesiæ magnâ lignorum » strue appositâ, decreverunt ignem supponere. » Cùmque jam redactis in carbones foribus, liber » patuisset introitus, plerique milites Cancellarii » quibus immensa virtus periculi metum sustu- » lerat, opposuerunt se conantibus introire. Ibi » diu multùmque summâ virtute pugnatum est, » his quidem urgentissimâ necessitate vires et » audaciam ministrante, illis autem indignantibus » quòd paucissimi viri tantæ multitudinis impe- » tum sustinerent. Prævalente vix tandem multi- » tudine, fatigati se milites in campanarium con- » tulerunt. At illi per Ecclesiam in domum Can- » cellarii liberè transeuntes, milites peditesque, » qui muris defendendis operam dabant, repentè » captos vinctosque Castellanis palatii transmise- » runt, quos autem repererant de locis adhuc » munitioribus resistentes, ut se dederent bonis » conditionibus effecerunt. Inde ad expugnandum » campanarium redeuntes, cùm jam multis eo- » rum vulneratis, acriùs instando nihil agerent, » variis huc illuc consiliis agebantur : alii, multâ » lignorum coacervatâ congerie, supponendum » ignem censebant, nam ex ejusmodi saxis con- » structum esse campanarium quæ, perseverante » diutiùs igne, facilè dissolvantur; alii machinas » ociùs inferendas, alii cratibus invectis suffo- » diendum ab imo campanarium decernebant. » Interea cùm Rex ad matris petitionem e pa- » latio vellet exire, ut ab obsidione populum » amoveret, Matthæus Notarius cæterique cons- » piratores qui aderant, prohibuerunt eum egre- » di, dicentes non esse tutum illuc accedere; » nam sagittarum ac lapidum circumquaque tur- » binem agitari. Cùmque viderent nullatenùs eâ » die posse campanarium expugnari, timuerunt » ne, si res produceretur in crastinum, plebis te- » pescerent animi, vel pœnitentiâ ducti desiste- » rent ab incœpto, cùm id Regi displicere co- » gnoscerent. Statuerunt ergo cum Cancellario » pacisci ut, abjurato regno Siciliæ, liceret ei » in quam eligeret terram liberè transmeare. Missis » itaque nunciis qui hanc ei conditionem pro- » ponerent, ita demùm inter eos transactum est, » ut armatâ galeâ Cancellarius, cum paucis quos » eligeret, traduceretur in Syriam, Comiti verò » Mellenti cæterisque Francis ad transfretandum » navigia pararentur.... Manè verò Cancella- » rium e campanario cum paucis sociis extra- » hentes, ad portum eum Gallicum perduxe- » runt. Cùmque galeam ascenderet, Canonici » Panormitani qui aderant, rogabant eum ut a » sacramento fidelitatis eos absolveret; at ille » rem dissimulans nihil respondit. Tum curiæ » familiares cœperunt primò blandiùs hortari, » dehinc acriùs et importuniùs comminantes » instare, ut electioni renuntians eligendi Pasto- » ris potestatem daret; ille verò videns armatam » circumfremere multitudinem, tumultuari mi- » lites, indignari quòd necdum revertendi vide- » retur animum abjecisse, metu compulsus re- » nuntiavit electioni : moxque galeam ingressus » jussit eam a terra propelli, suspectum habens » populum magno illuc impetu confluentem. » Itaque curiæ familiares ad campanarium re- » gressi, Comitem Mellenti cæterosque Francos » eduxerunt, plebisque seditiosos impetus et ad- » ventum Messanensium formidantes, in duobus » castellis, Parthenico Carinulâque, fecerunt » illos interim commorari, donec eis ad trans- » fretandum navigia providerent ».

Digitized by Google

sibi concessas vendicans sub jure hominii. (*Ex Ottonis San-Blasiani chronico, cap.* XXI, *apud Urstisium T. I. p.* 207.) A

Anno ab Incarnatione Domini MCLXVIII.... Ludovicus Rex Franciæ et Henricus Rex Angliæ invicem guerrant : ab Imperatore [Frederico] de pace inter se facienda precibus conveniuntur, adjunctis minis ex parte Regis Franciæ ; nam inter Imperatorem et Regem Angliæ fœdus et amicitia fuit, datâ filiâ suâ in uxorem Henrico Duci Bavariæ et Saxoniæ. (*Ex Appendice vetusti Scriptoris ad Radewicum, apud Urstisium T. I. p.* 559.)

Anno MCLXVIII, castrum Sarebrucha Comitis Simonis jussu Imperatoris [Friderici] confractum cum aliis tribus castris ejusdem Comitis. (*Ex Dodechini Appendice ad Marianum Scotum.*)

Anno MCLXIX, obiit Robertus Comes Leicestriæ, qui Abbatiam Canonicorum Leicestriæ fundavit. (*Joan.* Bromton, *apud* Twysden, *col.* 1060.) B

Anno MCLXX. [Fredericus] Imperator Natale Domini in Alsatia egit.... Intrante Quadragesimâ, Cisterciensis et Clarevallensis Abbates Imperatorem conveniunt super schismate, eique suggerunt, ut Babenbergensem Episcopum cum eis Romam destinet : quod et factum est ; sed propter Longobardorum insolentiam negotium ipsum tunc provectu caruit. Nam Episcopus ipse ab eis repulsus, ad propria redire coactus est. (*Ex Appendice vetusti Scriptoris ad Radewicum, apud Urstisium T. I. p.* 560.)

[Circa annum MCLXX] post decessum Guastonis [IV] de Bearne, quæ ejus fuerat uxor, soror Regis Navarræ, Leofas (*a*) nomine, gravida remansit : sed non multò post obitum viri abortivum emisit. Nobiles, ignobiles, omneque promiscui sexûs vulgus, planctum nimium super eum fecerunt ; et quasi jam factam, futuram populi stragem, Ecclesiarum destructionem, totius denique regionis desolatio- C
nem prænuntiabant. Et sicut exitus probavit acta, conjecturâ falsâ falsò mulierem Rex Pampiloniæ Sancius et Regis consilium in causam vocantes, pueri ante tempus natale editi imponebant crimen : quare diverso tormento affici, vel igne cremari, vel sub undis ligatam mergi decreverunt. Illa verò pro morte instanti, ab hoc immunis facinore, Virginem nostram dominam Rupis Amatoris, ut in auxilium suum intenderet, exorabat. Nec petitioni ejus defuit : enimverò in modum subituræ judicium aquæ ligata, ab altissimo ponte castri Salvaterra nomine, projecta est in profundum torrentem. Ad spectaculum illud doloris, immò immanitatis, plusquàm tria millia virorum ac mulierum, naufragium non naufragantis præstolantium, convenerant, alii insultando, alii compatiendo Dominum pro ea precabantur. Illa verò super undas profundissimi torrentis, miseratione Domini et ejusdem Matris gloriosissimæ subventione, plusquàm ter D
posset arcus jacere, sine mersione delata consedit arenis : unde sui cum gaudio reportaverunt liberatam ad propria. (*Bollandus T. IV. Augusti. p.* 23, *ex notis Baluzii ad Agobardum, p.* 103.)

Anno MCLXXI. Obiit Henricus Wintoniensis Episcopus, grandævus et plenus dierum, IV Idus Augusti, et coram majori altare honorificè sepultus est. (*Ex Annalibus Waverleiensibus, apud Th.* Gale *T. II. Rerum Anglic. p.* 160.)

Anno Incarnat. Dominicæ MCLXXI, ego Willelmus, Dei gratiâ Senonensis Archiepiscopus, et Apostolicæ Sedis Legatus, transtuli partem ossium B. Carilefi, VIII Kal. Septembris, regnante Ludovico filio Ludovici senioris anno ætatis domini Philippi filii ejus sexto, præsidente castro Blesi Theobaudo Comite, filio Theobaudi viri bonæ memoriæ, Comitis senioris. (*Mabil. sæculo* I. *Benedict. p.* 655.) E

Anno MCLXXI. Piæ memoriæ domnus Pontius, Abbas Clarævallis, in Episcopum Clarimontis eligitur et ibidem Pastor præficitur, translatus et assumptus de Valle in Montem, de Claravalle in Clarummontem, de claritate in claritatem, tanquam a Domini spiritu. (*Ex chronico de* Mailros, *apud Joan.* Fell, *inter Rerum Anglic. Script. V. p.* 172.)

Anno Domini MCLXXII. Eclipsis lunæ in Octava Epiphaniæ in plenilunio noctu facta, inviso modo per quatuor ferè horas apparuit. (*Ex chronographo Saxone, apud Leibnitium, T. I. Accessionum historicarum, p.* 309.)

Anno MCLXXII. Alexander Papa Legatos in Normanniam ad Henricum Regem dirigit, Autbertum videlicet Presbyterum Cardinalem sancti Laurentii in

(*a*) *Aliàs.* Sancia, filia Garsiæ Ranimiri Regis Navarræ.

Digitized by Google

A Lucina, et Theothimum Presbyterum Cardinalem tituli S. Vitalis : in quorum præsentia, adstantibus Episcopis et regni sui Optimatibus, de interfectione B. Thomæ, tactis Sanctorum reliquiis, præfatus Rex se purgavit, et Ecclesiis sui regni quæ sui erant juris restituens, a vinculo absolvitur anathematis. Quod factum Regi Ludovico Francorum et omnibus Optimatibus ejus valdè displicuit. Cardinales verò, Normanniâ relictâ, in Francia hiemare disposuerant; sed Rex prædictus invitos redire fecit in Italiam. (*Ex Annalibus Aquicinensibus in ms. Codice Regio.* 5440.)

Anno MCLXXIII. Facta est contentio et ferè inexorabile bellum inter ventrem et viscera, inter patrem et prolem, inter Henricum seniorem et Henricum filium ejus juniorem, Regem Angliæ, ita ut puer ipse, miles tamen jam tunc et Rex, obortis quibusdam molestiis et gravaminibus a patre illatis, clanculò noctu
B ad Regem Francorum, patrem suum dictum in lege, se citissimè transtulit, et hoc ex consilio matris suæ, ut dicebant. Nos nescimus; viderit ipsa, et judicet ipse. Cogitabat enim pater, ut rumor vulgi erat, filium capere et in custodiam firmam et securam ponere. Secuti sunt eum tam de Anglia quàm Normannia viri potentes et nobiles, ad bella promptissimi : quorum fretus consilio et auxilio surgit filius, immò filii in patrem, et guerrarum tumultu et turbine non solùm cismarinæ, sed transmarinæ provinciæ commotæ, in arma ruunt et dexteras jungunt ad dimicandum. (*Ex chronico de* Mailros, *apud Joan.* Fell, *inter Rerum Anglic. Script. V. p.* 172.)

Anno Domini MCLXXV. Præpositus de Area Robertus occiditur, procurante, ut aiunt, necem ejus Jacobo de Avesnis, inclyto milite. Non multò post, immò etiam eodem anno, mortuus est Hainricus Remensis Archiepiscopus. Fuerat
C autem inter eos invidia magna de potentatu, quia ille dominabatur Flandriæ, et iste Franciæ, et ambo in brevi extincti sunt. Itaque Guillelmus Senonensis Archiepiscopus fit Archiepiscopus Remensis, et succedit Guido Senonensis, anno Domini MCLXXVII. (*Ex Vincentii Bellovac. speculo historiali lib. XXIX, cap.* 21.)

Anno Dominicæ Incarnationis MCLXXVII, VIII Idus Maii, die Dominicâ, dominus Oto Carcassonensis Episcopus consecravit altare B. Mariæ semper Virginis, quod in Ecclesia B. Nazarii sedis Carcassonensis fundatum est, decimo Indictionis LXXXæ. (*Ex ms. Codice Regio* 5256.)

XVI Kal. Augusti, præsens civitas Teloni a Saracenis destructa fuit, in qua trecenti Christianorum et ampliùs igne et gladio perierunt, currente tunc anno Dominicæ Incarnationis MCLXXVIII. (*Ex Necrologio Telonensis Ecclesiæ, in ms. Codice*
D *Reginæ Sueciæ.* 139.)

Anno MCLXXVIII, V die intrante mensis Martii, luna passa est eclipsim in signo Virginis et incœpit a fine primæ horæ et duravit usque ad principium quartæ, et obscurata est tota minùs quartâ. Secundâ autem die stante mensis Augusti, luna in signo Virginis post mediam noctem passa est eclipsim, et penè in tertia parte sui obscurata est. Tertio decimo verò die intrantis mensis Septembris, Indict. XII, sol in signo Virginis circa horam *** (*a*). (*Ex Romualdi Salernitani chronico, apud Muratorium T. VII. Rerum Ital.*)

Anno MCLXXIX. Philippus filius Ludovici Regis Francorum unctus et coronatus est in Regem Remis, Kalendis Novembris.... Henricus Rex [Angliæ] et Alienor Regina reconciliati fuerunt.... Hoc anno Willielmus (*b*) de Tolosa, Abbas de Savinneio factus est Abbas Cisterciensis. (*Ex Annalibus Waverleien-*
E *sibus, apud Th.* Gale *T. II. Rerum Anglic. p.* 161.)

Anno MCLXXXI *. Obiit piæ memoriæ Willelmus de Tolosa, Abbas Cisterciensis, cui successit Petrus de Pontiniaco. Ludovicus Rex Franciæ pius et religiosus sæculum nequam despexit, regnumque suum, quod ipse per XLIV annos strenuè gubernavit, Philippo filio suo honorificè tradidit. Ille autem postea, Deo inspirante, ad Ordinem Cisterciensem apud Abbatiam quæ *Port* dicitur, quam ipse fundavit, humiliter convolavit, et eodem anno de corpore mortis feliciter

* *Corr.* MCLXXX.

(*a*) VII (*corr.* XVIII) Kal. Octob. anno MCLXXVIII, fuit eclipsis solis quartâ feriâ. (*Ex Necrologio Carcas. apud D.* Vaissette, *inter probat. histor. Occitanæ, T. II. p.* 19.)

(*b*) Guillelmus ex Abbatia Firmitatis ad Cisterciensem circiter annum 1175. sublectus, obiit ante Lateranense Concilium an. 1179 die 5 Martii inchoatum; cui successor ejus Petrus interfuisse creditur. Sed fortassis Guillelmus hic de Tolosa cognominatus, alius est a Guillelmo Abbate Firmitatis.

Digitized by Google

migravit. (*Ex chronico de* Mailros, *apud Joan.* Fell, *inter Rerum Anglic. Script.* V. p. 175.) A

Anno MCLXXX. Philippus juvenis Rex Franciæ duxit in uxorem Isabellem filiam Balduini Comitis Hannoniæ, neptem Comitis Flandriæ Philippi de sorore, et cum ea recepit Atrebatum cum omni terra quæ fuerat Comitis circa fluvium qui dicitur *Lis*. Eam autem unxit Guido Senonensis Archiepiscopus apud sanctum Dionysium in Reginam, datis priùs litteris quòd nullum jus propter hoc reclamabat in Ecclesia S. Dionysii in Francia, quæ exempta est ab ejus et Episcopi Parisiensis jurisdictione. (*Ex chronico Guillelmi Nangii hæc et sequentia.*)

Ludovicus Rex Franciæ morbo paralysi et senio fatigatus obiit, et in Abbatia Cisterciensis Ordinis a se constructa, quæ Sanctus-portus dicitur, id est *Barbeel*, versùs Meledunum castrum super Secanam sepelitur. Fuit enim honestate laudabilis, etc. (*Ut in chronico Turonensi.*) B

Addenda superioribus excerptis.

Anno MCXLIX.] Ludoviçus Rex, dum reverteretur [Hierosolymis] vento impellente Siciliam divertens, venit Panormum : a quo Roglerius, qui noviter insulam ipsam Siciliæ contra Saracenos bellando obtinuerat, hâc astutiâ coronatus est in Siciliæ Regem. Dum enim Regem Ludovicum suscepisset hospitio, et in ostentatione divitiarum suarum ipse Roglerius Regi thesauros suos aperuisset, acceptâ Roglerius de industria insigni coronâ, rogavit Regem ut eam accipiens capiti ejus imponeret. Rex autem credens Roglerium joco, non seriò hoc petiisse, capiti Roglerii imposuit : quo facto, Roglerius coronatus genua flectens, gratias illi egit qui eum coronasset in Regem, professus quòd a sublimiori inter Christianorum Reges coronari non potuisset (*a*). Post hæc usque ad mare concomitatus est Ludovicum. (*Ex Bernardi Thesaurarii libro de acquisitione Terræ-Sanctæ, cap.* 124, *apud Muratorium T. VII. Rerum Ital. p.* 766.)

Anno MCLIV, obiit Rogerius excellentissimus Rex [Siciliæ] III (*b*) Kalendas Martii. (*Ex Anonymi chronico Cassinensi, apud Muratorium T. V. Rerum Ital. p.* 143.)

(*a*) Rogerium a Rege Ludovico coronatum fuisse tradit Gaufridus Vosiensis, qua de re silent, congressum utriusque Regis narrando, chronica Cassinense et Romualdi Salernitani superiùs relata. Unde privatim ac joco id factum fuisse tenendum est, aut quadam observantiæ et urbanitatis testificatione.

(*b*) In altero chronici Cassinensis exemplari (ibid. p. 66) legitur. *Anno* MCLIV, *obiit Rex Rogerius, mense Februarii die ultimo.* Utrobique mendosè, si fides Romualdo Salernitano, qui Rogerium die 26 Februarii, seu IV Kal. Martii obiisse tradit, cujus verba hìc subnotare non abs re futurum duximus. « Postquam Deus omnipotens Regem » Rogerium multis prosperis successibus extulit » et exaltavit, ne succedentia prospera animum » ejus plus justo elevarent, eum quarumdam adversitatum flagellis paternâ miseratione corripuit. Nam primò Albyria illustris Regina uxor » ejus, ex qua tres filios habuerat, mortua est, » et filia ejus; post hæc Tarentinus Princeps, et » Anfusus Capuanorum Princeps, et Henricus » mortui sunt. Novissimè autem Rogerius Dux » Apuliæ, primogenitus ejus, mortuus est anno » Dominicæ Incarnat. MCXLIX, Indict. XII, vir » quidem speciosus et miles strenuus, pius, benignus, misericors, et a suo populo multùm » dilectus. Et quia solùm Guilielmum Capuanorum Principem habebat superstitem, veritus » ne eumdem conditione humanæ fragilitatis » amitteret, Sibyliam sororem Ducis Burgundiæ » duxit uxorem, quæ non multò post (an. 1150) » Salerni mortua est, et apud Caveam est sepulta. » Tertiò Beatricem filiam Comitis de *Reteste* in » uxorem accepit, de qua filiam habuit, quam » Constantiam appellavit. Biennio autem antequam moreretur, Guilielmum filium suum Capuanorum Principem in Regem Siciliæ fecit » inungi, et secum jussit pariter conregnare..... » Sed quia negatum est summis stare diu, totius » regni sui peccatis exigentibus, gloriosissimus » Rex Rogerius, post tot victorias et triumphos » apud Panormum febre mortuus est, et sepultus » in Archiepiscopio ejusdem civitatis, anno vitæ » suæ LVIII, mensibus duobus, diebus quinque, » XXVI die mensis Februarii, anno regni sui » XXIV, anno autem Dominicæ Incarnat. MCLII » (*corr.* MCLIV) Indict. I. Fuit autem Rex Rogerius » staturâ grandis, corpulentus, facie leoninâ, » voce subraucâ, sapiens, providus, discretus, » subtilis ingenio, magnus consilio, magis utens » ratione quàm viribus; in acquirenda pecunia » multùm sollicitus, in expendenda non plurimùm largus; in publico ferus, in privato benignus; fidelibus suis honores et præmia largiens, infidelibus contumelias et supplicia inferens, erat suis subditis plus terribilis quàm » dilectus, Græcis et Sarracenis formidini et » timori ».

FINIS.

Digitized by Google

INDEX GEOGRAPHICUS.

Litteræ quæ numeros sequuntur, denotant litteras positas in margine, littera n *notas indicat.*

A.

Abbatis-Villa. 223. b. *Abbeville.*
Abergavenni, Abergeveni, Angliæ castrum. 89. n. 90. n.
Abrai, castellum in Britannia. 311 e. *Vide,* Aurai.
Abrincæ. 10. a. 112. n. 136. a. 147. b. 190. c. 243. b. 300. b. n. 301. a. c. 315. d. e. *Avranches.*
Abrincatenses, Abrincatini. 289. c. 306. c. Abrincatina plebs. 317. c.
Achinnium, Achinneium, Normanniæ castrum. 288. b.
Acuti-montis castellum. 513. e.
Adriaticum mare. 7. b.
Aduallenses partes. 547. a.
S. Ægidii fanum. 168. n. 165. a. 200. a. b. 269. c. 532. a. 730. d. n. 733. d. *Saint-Gilles.*
Aenghien, villa in Brabantia. 568. a.
Aessa, castellum in Lemovicino. 165. b. *Aix.*
Affligemense, Afflighemense Cœnobium. 258. b. 259. a. 261. b. 263. b. 403. b. 535. a. n. 549. n. *Afflighem.*
Agenvilla. 179. a.
Agennum urbs. 306. b. Agennensis provincia. 108. n. Agennenses hæretici. 321. d. *Agen.*
Agrippina. 652. a. *Vide,* Colonia.
Aimeries (Ecclesia de). 552. n.
Airevella in Anglia. 195. a.
Aisanna, villa territorii Virdunensis. 635. c.
Aiz, ditionis Comitis Moriennæ. 148. n.
Akensis urbs. 167. c. *Acqs* vel *Dax.*
Alamanni. *Vide,* Alemanni.
Alba, Germaniæ fl. 587. a.
Albæmarlæ castellum. 14. n. 54. d. 152. c. 189. e. 196. b. 192. b. c. 316. c. 574. d. Oppidum. 3 b. 114. b. Comitatus. 57. n. 204. a. *Aumale.*
S. Albani Abbatia. 42. b. n. 51. n. 52. n. 77. d. 96. e. 97. b. 102. e. 739. b.
Albiensis diœcesis. 176. n. Albigensium terra. 701. c. Albigenses hæretici. 108. n.
Alchiacense Cœnobium. 456. c. 461. a. *Auchi.*
Aldenarda, Oldenarda. 372. d. 374. c. 376. b. n. 384. a. 399. c. n. 544. a. *Oudenarde.*
Aldemburch, Cœnobium. 259. a. *Vide,* Oldenburg.
Alderwicum castrum. 431. c. e. 433. a. 434. b. d. 449. e.
Alemannia. 37. a. 105. b. 130. e. 216. b. 253. b. Alemanni. 130. e. 716. c. *Vide,* Germannia.
Alenceium castrum. 150. b. 151. c. 172. b. 191. a. 309. e. Alenconii turris. 287. a. *Alençon.*
Alesta, Alestum. 109. n. 666. c. *Alais.*
Alethensis pagus in Britannia. 312. a. *S. Malo.*
Allues, castrum Hugonis de Oisy. 541. n. 577. e.
Almaria, urbs Hispaniæ. 43. b.
Almari-vallum, in pago Bolon. 433. d. e. 434. a-c. 449. e. *Omerval.*
Alnæ Monasterium ad Sabim fl. 274. c.
Alnei castellum. 289. c.
Alneti Abbatia. 324. a.
Alnewic, castellum in Anglia. 138. a. d. 158. b. 159. b. 219. e. 318. e.
Alostum Flandriæ castrum. 37. a. 83. a. 268. e. 390. b. c. 391. b. 400. c. 407. c. 412. d. 418. a. 466. d. 558. c. 697. a. 732. d. *Alost.*
Alsatia, Auxatia, Lotharingiæ provincia. 400. b.
Alst. Vide, Alostum.
Alta-Scleva. 566. a.
Alvernia. 59. a. 109. n. 171. n. 173. a. b. 215. n. *Vide,* Arvernia.
Alvertona, castellum in Anglia. 40. a. 158. c. 159. c.
S. Amandi Cœnobium. *Vide,* Elnonæ.
Amandivilla, castellum ad Viram fl. 306. a.
Ambasia. 118. n. 305. d. e. 319. a. Ambasium castellum. 137. b. 144. b. 151. b. 160. d. n. 161. b. n. 189. a. 197. c. 301. c. *Amboise.*
Ambianum urbs. 325. n. 678. b. Ambianensis Comitatus. 336. d. n. 520. e. 566. a. 693. d. *Amiens.*
Amblivium prope Virdunum. 637. e. 638. c. *Ambli.*
Ambreræ castellum. 285. c. 287. c. 306. c.
Amillau, castellum in provincia Narbon. 682. c.
Amincourt, Curticella Virdun. Ecclesiæ. 635. c.
Amoytense castrum. 212. e. *Vide,* Alnewic.
Anagni, urbs Italiæ. 196. d.
Anant, castellum in Angl. 152. d.
Ancenis castrum in confinio Nannetensium et Andegav. 158. e. 194. e.
Andana. *Vide,* Andena.
Andegavia. 37. b. 43. d. 122. c. 127. a. 143. e. 145. d. 148. b. 150. a-c. 152. c. n. 156. n. 157. d. 158. e. 161. n. 162. a. b. 167. d. 172. b. 194. e. 199. a. 205. d. 215. n. 255. a. c. 307. c. 565. d.
Andegavensis Comitatus. 99. d. 103. c. 110. d. e. 122. d. 123. e. 143. c. 184. a. 185. n. 293. a. e. 295. a. 306. a. 312. e. 320. e. 678. b. 704. c.
Andegavensis pagus. 29. c. 33. d. 132. a. 186. c. 298. d. 313. b. 316. a. 317. e.
Andegavensis urbs. 76. b. 173. c. 184. a. n. 309. c. 313. c. 321. c. 322. b. 324. d.
Andegavenses. 20. d. 46. d. 102. b. 194. c. 226. c. 235. d. 292. d. 293. b. 302. n.
Andegavensis moneta. 299. a. 301. a. 303. d.
Andela fl. 35. n. 294. c.
Andeliacus, in Vilcassino. 187. d. 208. e. 310. d. *Andély.*
Andena, Andana. 583. c. 602. a. n. 603. d. 616. b. n.
Andoverpia. *Vide,* Antverpia.
Andrensis S. Medardi Ecclesia. 425. b. 430. a. d. 440. c. 457. d. *Andres.*
Anerey, castrum Metensis Episcopatûs. 644. b.
Angevilla. 556. c.
Angeriacense S. Joannis Monast. 63. d. 64. e. 65. a. *S. Jean d'Angely.*
Anglia. 1 — 255. *Et alibi passim.*
Angra, castellum in Anglia. 166. c.
S. Aniani castrum in Bituria. 313. d. *Saint-Agnan.*
Anicium. 109. n. 670. a. *Le Puy en Vélai.*
Ansa, in Burgundia. 618. c. 624. c. *Anse.*
Antiochia Syriæ. 43. a. 93. e. 154. a. 244. c. 261. b. 282. a. 550. a. 581. c. 600. d. 631. e. 672. e. 717. a. 737. a.
Antonienses Canonici. 583. b. *Antoing.*
Antverpia. Andoverpia. 108. n. 257. n. 266. e. 714. c. *Anvers.*
Antverpiæ Marchia. 257. n. 545. n. 714. c.
Antverpensis Ecclesia. 268. a. 328. a. 329. a.
Apulia. 6. b. 8. d. 10. d. 109. e. 110. c. d. 154. a. 222. c. 250. d. 260. e. 285. e.
Apefenesea castellum. 54. a. *Vide,* Penesea.
Aquæ, Aquense oppidum. 263. d. 268. a. b. *Vide,* Aquisgranum.
Aquicinensis Ecclesia in insula Aquicincto. 257. d. 258. e. 260. b. 262. c. 282. c. 403. b. 406. c. 411. b. 419. b. 453. c. 456. d. 460. c. 478. a. n. 535. a. n. 685. a. *Anchin.*
Aquisgranum. 263. d. 267. d. 268. a. b. 272. b. 278. b. 717. a. 728. d. *Aix-la-Chapelle.*
Aquitania. 19. b. 22. b. 110. e. 113. c. 125. b-d. 126. d. 127. a. 150. c. 152. c. n. 156. c. 167. b. 172. b. 173. a. 184. n. 186. c. 187. d. 194. e. 205. d. 210. a. 211. d. 212. c. 215. n. 255. d. 260. e. 277. c. 296. e. 303. a. 306. b. 307. a. c. 319. b. 565. d. 567. a. 666. a. 716. a. 729. c. 738. b. 739. b.
Aquitaniæ Ducatus. 101. b. 102. b. 132. a. 144. e. 145. a. 219. a. 255. a. 271. d. 275. b. d. 276. c. 293. e. 302. a. 306. a. 312. e. 333. b. 678. b. 704 c. 744. a.
Aquitaniæ Barones. 671. a. Aquitani. 99. a. 113. c. 302. n. 311. c. 714. b.
Aragonia, Aragoniæ regnum. 106. c. 184. d. 302. a. Aragonenses. 108. b.
Arar fl. 186. n. 201. c. 587. a. *la Saone.*
Archæ in Palestina. 262. b.
Archarum castellum in Normannia. 14. a. n. 192. c. 196. d. 285. c. 290. c. d. 292. c. *Arques.*
Archiac, castellum in Pictonibus. 165. d.
Ardea, oppidum. 432. d. 440. c. 442. a. 445. e. 449. c. *Ardres.*
Arelas, urbs. 201. n. 583. c. 662. b. n. Arelatense Archisolium. 747. b.

Digitized by Google

Areluna. 647. n. *Erlans* seu *Arluns*.
Argences, Argentses, Normanniæ castellum. 31. d. 55. d.
Argentina. 653. a. 720. a. *Strasbourg*.
Argentolii Monasterium. 185. b. 298. e. 732. e. *Argenteuil*.
Argentomagus, Argentomium, Argentonium, in Normannia. 145. c. 150. b. 162. a. 166. b. 167. b. 172. b. 189. b. 191. a. 237. n. 255. a. 285. c. 287. c. 300. b. 311. b. 312. d. 315. b. 316. b. 319. a. *Argentan*.
Argoniæ nemus. 684. b.
Aria, Flandriæ castrum. 41. n. 337. b. 342. e. 345. a. 346. d. 372. c. 392. b. 423. b. 461. d. 464. c. 466. a. 540. d. 580. c. 694. a. 696. d. *Aire*.
Aridagamantia silva. 326. n. 686. n. *Vide*, Aroasia.
Armoricum regnum 211. a. *Vide*, Britannia.
Aroasiæ Abbatia. 204. n. 326. c. n. 686. c. n. *Arouaise*.
Arvernia, 255. d. Arvernericus pagus. 310. b. *Vide*, Alvernia.
Arundel, castellum in Anglia. 11. c. 25. e. 26. a. 33. b. 40. c. 58. e. 68. d. 71. d. e. 76. c. 254. e.
Ascalon. 454. c. 583. c. 739. a.
Asper mons, ditionis Comitis Moriennæ. 148. n.
Asperi-montis castrum Metensis Episcopatûs. 643. a.
Asiensis urbs. 178. c. *Acqs* vel *Dax*. *Vide*, Akensis.
Astromensis parthenon. 431. b. *Estrun*.
Ath, villa in Brabantia. 559. c.
Athanacensis S. Martini Ecclesia. 728. c. *Aisnay*.
Athies, castrum in Viromandia. 566. e. 678. b.
Atrebas, Atrebatensis urbs. 153. a. 266. a. 269. b. 345. a. c. 363. e. 380. d. 384. a. 386. a. n. 392. b. 397. c. 399. a. 400. b. 404. e. 417. c. 420. a. 459. b. 477. b. n. 480. n. 495. a. b. 498. d. 512. c. 514. b. 516. c. 580. c. 696. d. 723. b. 750. a. *Arras*.
Atrebatensis Ecclesia. 533. d. n. 535. c.
Atrebatensis terra. 520. e.
Atrebatense S. Wedasti Cœnobium. 270. d. 335. e. 394. c. 403. d. 411. b. 461. c. 462. a. 490. c. 501. a. 693. a. *S. Wast d'Arras*.
Aucum, Aucense castrum, Anglis Scriptoribus *Hou*, *Ou*, *Owe* dictum. 14. n. 31. d. 35. b. 55. e. n. 56. a. 61. n. 417. a. *Eu*.
Aucensis, Augiensis Comitatus. 54. e. 130. b. 192. d. 227. c.
S. Audomari castrum. 124. b. 128. a. 163. b. 345. d. n. 367. b. 372. a. 373. c. 379. b. 380. d. 381. a. d. 390. e. 392. b. 729. n. 732. e. S. Audomari villa. 413. n. 454. a. 469. a. 470. c. 580. c. *Saint-Omer*.
Audomarensis Ecclesia. 412. a.
Audomarenses. 412. c. 466. a. b. n. 467. a.
Avenio urbs. 620. b. 682. d.
Avennæ, Avethnæ, Avesniense castrum. 402. b. c. 547. d. e. n. 560. n. 577. a-c. *Avesnes*.
Avesnensis, Avednensis parthenon. 412. e. 468. e.
Aversa, urbs in Apulia. 285. e.
Augustensis vallis. 148. n. *Aouste*.
Augustodunum. 476. a. n. 534. c. 618. d. *Vide*, Edua.
Aurai, castellum in Britannia. 319. b. *Vide*, *Abrai*.
Aureæ-vallis Cœnobium, apud Treveros. 270. a. *Orval*.
Aureliani, Aurelianensis urbs. 284. n. 304. d. 415. b. 461. c. 674. a. 733. b. *Orléans*.
Aurelianensis S. Maximini Abbatia. 308. b.
Austrebatensis pagus in Flandria. 736. e. *Vide*, Ostrevannum.
S. Autberti castrum in Cameracesio. 499. c. 521. b. 538. d. 539. a. 542. b. *Saint-Aubert*.
Autissiodòrensis Comitatus. 706. n. 707. n.
Autissiodorense S. Germani Monast. 456. c.
Auxatia. *Vide*, Alsatia.
Axla. 387. e. *Axpole*. 466. d.
Axona fl. 280. e. 588. e. 698. b. l'*Aisne*.

B.

Babanburch, *Bahamburch*, castellum in Anglia. 32. a. 56. b. c. n. 84. b. 85. b.
Bade, Angliæ urbs. 30. e.
Baggamor, locus in Anglia. 86. b.
Bajoarii. 201. b.
Bajocæ, Baïocæ. 12. c. 33. c. 52. b. 59. b. 72. b. 126. e. 188. a. 217. d. 223. e. 251. a-c. n. 306. c. 728. b. *Bayeux*.
Bajocensis Ecclesia B. Mariæ. 217. d. 305. a.
Bajocenses. 250. e. 288. e.
Balgenceium. 255. c. 293. c. Balgentiacum. 689. b. 738. b. *Beaugenci*.
Balliolum, in Flandria. 466. a. *Bailleul*.
Balneium, castrum in Lotharingia. 639. a.
Baonia, Baiona urbs. 167. c. 733. b. *Bayonne*.
Bapalmæ, in Hannonia. 204. d. 205. a. 282. d. 517. d. 570. d. 580. d.
Barastrum, in Flandria. 502. c.
S. Barbara, in Episcopatu Lexoviensi. 136. c. 316. c. *Sainte-Barbe*.
Barbefluvius, Barbefluctus. 18. a. 80. c. 120. d. 146. d. 159. a. 160. a. 163. a. 164. c. 185. a. 195. c. 218. b. 247. a. 293. d. e. 297. b. 299. d. 307. c. 674. d. *Barfleur*.
Barbellum Monast. ad Sequanam fl. 142. a. 182. d. 205. c. 282. e. 324. c. 423. n. 683. c. 750. a. *Barbeaux*.
Barbezeacum, in Pictonibus. 199. b. *Barbésieux*.
Barcinonæ Comitatus. 302. a.
Bardeney, Cœnobium in Anglia. 85. n.
Barrum-Ducis, castrum. 633. c. n. 644. e. 650. c. 691. b. *Bar-le-Duc*.
Barrum ad Albam fl. 683. n.
Barrum ad Sequanam fl. 158. b. c. 159. c.
Bascherville, castellum in Vilcassino. 294. d.
Bascli. 322. d.
Baseio-villa, in Brabantia juxta Nivigellam, Ecclesia S. Huberto subdita. 590. e.
Bathonia, pagi Wultensis pars. 2. c. 26. d. 39. b. 53. d. 68. d. 77. a. *Bath*.
Bebbaburh. Vide, *Babanburch*.
Beccum, Beccensis Ecclesia. 284. c. 286. b. e. 289. c. 300. n. 302. n. 304. a. 305. a. b. 311. a. 321. e. 323. b. 725. a. *le Bec*.
Becherel, castrum Rollandi Dinanensis. 312. a. 326. a.
Becescotium in ditione Alostana. 444. a.
Bedefordia, in Anglia. 39. d. n.
Bederensis urbs. 107. a. b. n. 189. d. *Vide*, Biterræ.
Belcasnes, castrum in Viromandia. 366. e.
Belencumbre, castellum in Anglia. 100. n.
Belfort, villa Comitis Hanon. 575. a. b.
Belicensis Comitatus. 148. n. 149. d. *le Belei*.
Bellævallis cella Mediani Monast. 724. d.
Belismus. 254. c. 301. d. *Belesme*.
Bellelanda, Monast. in Anglia. 97. c.
Belli Abbatia, in Anglia. 229. e. 239. e.
Belli-loci Cœnobium Aroasiensi subditum. 428. b.
Bellimontis castrum in Hannonia. 545. c. 608. n.
Bellimontis castellum in Normannia. 62. d. Bellimontis Ecclesia. 289. d. 291. c. *Beaumont-le-Roger*.
Bellovacus, Belvacensis urbs. 104. n. 204. n. 266. e. 276. d. 305. b. 326. c. 454. a. 518. b. n. 674. c. d. 692. d. 739. c. Belvacensis pagus. 304. d. Belvacense territorium. 690. a. Bellovacenses. 225. d.
Bellovacense S. Quintini Cœnobium. 275. d. 685. a.
Bellula, Flandriæ castrum, juxta Haiam de *Malaffre*. 313. c.
Belvoir, castrum in Viromandia. 566. e.
S. Benedicti ad Ligerim. Cœnobium. 322. d. *Vide*, Floriacus.
Beorkenlaum, villa regia in Anglia. 68. d.
Bercheleia, in Anglia. 2. c. 30. e. 53. d.
Berehamdonia, in Anglia. 126. a.
Berenhem, in Flandria. 385. a.
Berewic, castellum in Anglia. 152. d. 157. d.
Bergenie, in Anglia. 89. n.
Bergæ, Bergium, in Flandria. 337. b. 372. d. 466. a. 694. a.
Bergensis terra. 41. n. 345. a. 696. d. *Berghes*.
Bergense S. Vinoci Cœnobium. 456. a. 461. b. 464. a. *Saint-Vinoc*.
Berlemont, Berlaimont, castrum in Hannon. 554. c. 575. c.
Bernai, burgus in Normannia. 296. d.
Berria. 145. a. 167. b. d. 171. n. 172. a. c. 173. a. *Vide*, Bituria.
S. Bertini Cœnobium. 64. b. 75. a. 127. n. 128. b. 264. a. 267. n. 275. b. 279. a. 336. c. 381. a. 396. b.-d. 400. d. 403. c. 411. b. d. 412. c. 413. n. 416. b. c. 417. c. 418. a. 442. d. 454. c. n. 466. c. n. 470. e. 473. b. d. 693. d. n. *Vide*, Sithieu.
Bertiniacum, in Burgundia. 622. a.
Besuntio, Bisuntium. 517. a. 568. d. 584. b. 602. c. 663. a. *Vide* Vesuntio.
Bethunia, in Artesia. 281. b. 445. d.
Bettini-curtis, in Lotharingia. 639. a. *Balaycourt*.
Bewæ, in Hannonia. 560. n. *Bavai*.
Bilisia, castrum Gerardi Lossensis. 617. a.
Bincium, villa Comitatûs Hannon. 559. b. 564. d. Bincii Monast. B. Mariæ. 556. c.
Biterrensis urbs. 313. c. *Vide*, Bederrensis.
Bithæ, in Alsatia. 563. e.
Bituricæ, Bituricensis urbs. 82. b. 145. a. 169. d. 171. n. 183. b. 215. n. 670. a. 728. e. *Bourges*.
Bituricensis pagus. 320. d. *V.* Berria.
Blandiniense Monast. 417. c.
Blavia castrum. 302. a. *Blaye*.
Blesæ. 315. a. Blesensis Comitatus. 293. c. *Blois*.
Bochordæ, in pago Bolon. 427. b.
Bohain, villa. 554. d.
Bokinghamiæ Comitatus. 309. a.
Bolbec, in Normannia. 321. c.
Boleen. 443. b. Fortè *Bouchain*.
Bolonicnsis Comitatus. 28. c. 182. n. 218. c. 254. c. e. 277. n. 567. c. 705. b. Bolonienses. 226. c. 233. b. 235. d. 304. b.

Digitized by Google

Bona-villa, in Normannia. 194. e. 195. b. 316. a.
Bonmolini munitio Richerii de Aquila. 253. d. 287. a. 295. a. 301. d.
Borteriæ, Cella S. Auberti Camerac. 420. c.
Bortoroud. 285. c. *Al.* Burgus-Thuroldi.
Bossuc, castrum. 585. n.
Bothmeniæ Abbatia, in Anglia. 170. a.
Boves, in pago Ambian. 549. n.
Bracbantus, Brabantia. 113. n. 266. d. 402. b. c. 597. b. Braibandorum terra. 443. c. d.
Brabantiones, Bribantiones, Braibaceni, Brebantini, Brebenzones. 113. n. 115. a. 116. b. 152. n. 153. d. 155. c. 157. d. 158. a. 159. a. 160. a. 165. b. 193. b. c. 194. a. b. 195. c. 199. b. 317. a. c. e. 318. d. 322. d. 681. a.
Braina, in pago Suessonico. 576. b. *Braine*.
Braina-castellum, alodium B. Waldetrudis Montensis. 546. b. Braina-Wilhotica. 546. b. 559. c.
Braium, castrum in Viromandia. 566. e.
Bramæ, in pago Ardensi. 445. b. 448. e. 451. a.
Bramtune, in Anglia. 36. a. 62. b.
Braz, appendix Comitatûs Montensis. 587. d.
Breconiæ terra, in Anglia. 89. n. 90. n.
Bredenarda, regio Fland. 433. d.
Bredlinton, Monast. in Anglia. 85. n. 89. c.
Brena, ad Albam fl. 685. n. *Brienne*.
Bretenghes, castrum in ditione Luscemburgensi. 571. e.
Bria terra. 573. a. *la Brie*.
Briacensis potestas, diœcesis Virdun. 631. d.
Briciensis S. Petri Ecclesia, diœcesis Metensis. 684. d.
Brionna. 81. c. n. Brionium, castellum Galeranni Comitis Mellenti. 285. a. *Brionne*.
Bristova, Bricstowa, *Bristou*, castellum in Anglia. 2. c. 25. b. 26. a. 27. d. 30. e. 39. d. 40. c. 41. d. 53. d. 63. b. 66. c. 68. d. 76. d. 77. b. 87. c. 88. c. 96. b. 121. d. e. 123. a. d. *Bristol*.
Britannia. 9. e. 14. b. 23. d. 26. b. 33. d. 37. b. 49. c. n. 50. b. 82. a 104. a. 110. a. 111. a. b. 113. c. 126. e. 128. n. 132. a. 142. b. 145. d. 147. a. b. 150. c. 152. c. n. 155. c. n. 161. n. 162. d. 163. d. 171. a. 172. b. 173. c. 179. d. 186. c. 187. d. e. 188. d. 189. c. 194. a. 197. n. 203. c. 209. a. 222. a. b. 236. n. 238. n. 260. e. 273. c. 307. b. 319. b. 326. a. 365. d. 654. c. 658. b. 683. b. 701. b. 716. a.
Britanni, Britones. 13. c. 33. e. 35. a. 49. a–c. 99. a. 102. b. 113. c. 124. c. 126. e. 132. a. 133. b. 155. c. n. 203. c. 222. b. n. 223. b. 226. c. 233. c. 235. d. 238. n. 243. b. c. 292. d. 299. b. 300. n. 301. a. 302. n. 310. e. 312. b. 313. c.
Britanniæ Ducatus. 310. a. 312. e. 313. a. 314. d. 678. b.
Britanniæ Barones, Optimates, Principes. 187. a. 309. a. 310. a. 311. e. 313. b. 317. a. 681. a.
Britanniæ Episcopi. 315. d. 319. d.
Britolium, in Normannia. 114. n. 154. a. 296. a. 317. a. *Breteuil*.
Britolium in Viromandia, castrum Radulfi Comitis Clarimontensis. 566. e.
Broburgensis parthenon S. Mariæ, 412. e. 414. b. 444. a. 468. e. *Bourbourg*.
Brochorensis silva, in Brabantia. 271. c. 268. a. 547. a. b. *Broqueroi*.
Broherec, Comitatus cujus caput urbs Venetensium. 311. e.
Brucham, villa Boloniensis agri prope Mercuritium. 425. c.
Brueroles, castrum Hugonis de Novocastello Theodemarensi. 294. e. 312. c.
Brugæ Flandrorum. 339. d. 340. a. b. 341. e. 342. c. 345. c. 349. b. 352. a. 365. d. 373. a–c. 376. c. 377. d. 380. a. e. 381. b. 397. b. 412. a. 416. b. c. 417. b. 465. d. 475. b. Brugensis Castellania. 398. n. 553. n. 554. a. *Bruges*.
Brugenses. 282. b. 380. d. 381. a–e. 382. d. 383. b–e. 384. a. e. 385, d. 386. a–e. 387. a–e. 388. a–d. 389. a–e. 390. a.–e..
Brugensis S. Donatiani Ecclesia. 268. c. 328. d. 334. e. 340. d. 346. a. 375. d. 466. b.
Brugæ, Brigæ, castellum in Anglia. 11. c. 33. b. 36. c. 59. a. 63. b. 71. d. e. 185. b. 216. a. 298. b. *Britge*.
Brunengeruz Comitatus. 607. c.
Brunsewich. 566. a.
Brustenienses, Trudonensibus adversi. 592. e.
Fredericus III, Dux Suevorum, an. 1147 iter Hierosol. aggreditur, et inter Crucesignatos probè se gerit. 291. a. 568. b. An. 1152 imperium adipiscitur post Conradum. 568. b. 583. c. 602. a. 605. a. 641. c. 645. a. 661. c. coronatus in Regem die Natalis Domini. 507. d. An. 1153, exercitum ducit versùs Arelatem ; sed eo deficiente, revertitur nihil assecutus. 583. c. An. 1154, expeditionem aggreditur in Italiam causâ impetrandæ consecrationis. 583. c. 645. a. An. 1155, debellatis Romanis, imperiali coronâ donatur ab Adriano Pontifice. 298. c. 583. d. 605. b. die SS. Marci et Marcelliani. 602. b. Ipso anno, die Natalis Domini, judicium et justitiam exercet Wormatiæ. 583. d. sequenti Quadragesimâ, Leodium se confert. 583. d. An. 1156, repudiatâ priori uxore, Beatricem ducit filiam Rainaldi III Burgundiæ Comitis. 104. n. 276. d. 299. b. n. 472. a. 568. d. 661. c. 738. d. die Octavâ Pentecostes. 602. b. An. 1157, de Burgundiæ regno paciscitur cum Bertholdo Zaringiæ Duce. 662. b. n. 747. b. (ubi an. 1167.) Eod. anno, mense Octobri curiam habet Vesuntione, in qua regni Arelatensis Principibus adunatis, eorum sibi fidem obstringit. 663. a. b. Ipso anno, dum in Alemanniam abit, rebus in Burgundia feliciter gestis, a legatis Ludovici VII Regis Franc. salutatur, quem vicissim per legatos resalutavit. 663. d. An. 1158, a Rege Ludovico et ab Henrico Angliæ Rege discordantibus sollicitatur, ut cuique auxilium impendat. 664. a. Eodem anno in Italiam profectus, Mediolanenses triennio insectari non cessavit. 583. e. sæpiùs ab Adriano Papa correptus ob repudiatam uxorem, Cardinalibus Romanis interdicit introitum civitatum et Ecclesiarum regni sui. 276. d. An. 1158, anathemate percellitur aut penè excommunicatur, suasu Rollandi Cancellarii. 104. c. n. 277. a. 472. a. Ei itaque an. 1159 post Adrianum electo ad Romanum Pontificatum adversatur, et partes Octaviani Antipapæ amplectitur. 104. c. n. 206. a. 474. d. An. 1160, Concilium cogit Papiæ post Purificationem B. Mariæ ad examinandam utriusque electionem, re autem verâ ad deprimendam Alexandri partem ; nam reprobato Alexandro, Octavianum recepit. 104. c. 124. b. 185. e. 518. a. 539. c. 664. b. d. 665. a. Missis deinde circumquaque litteris, ut omnes obedirent Octaviano, id neutiquam Regibus Franciæ et Angliæ per spectabiles nuncios persuadere valuit. 104. c. 127. b. 185. e. 518. b. Anno 1161, interest Laudensi Concilio ab Octaviano Antipapa celebrato. 584. a. n. In Mediolanenses deinde totus invehitur, quos ad deditionem an. 1162 compellit, et urbem eorum funditùs evertit. 127. c. 605. b. Videns totum penè orbem sectari partes Alexandri, apud se cogitavit qualiter posset Alexandrum et Octavianum pariter dejicere, et personam tertiam in Romanum Pontificem ordinare. 666. c. Prælocutus itaque cum Henrico Comite Trecensi, colloquium Regi Ludovico indicit ad examinandam utriusque electionem, et ut schisma Romanæ Ecclesiæ comprimeretur. 666. d. 667. a. 740. a. d. Ipso anno 1162, die Decollationis S. Joannis - Baptistæ propè Lovigennam seu Laonam ad Ararim (non verò Divionem aut Vesuntionem) accedit cum multo comitatu. 186. c. n. 278. a. n. 307. c. 475. a. 519. a. b. 584. b. 602. c. 667. b. 722. a. 740. a. d. Adducto secum Octaviano, Regi Franc. per internuncios exprobrat quòd Alexandrum suum non perduxerit. 667. b-e. 722. a. n. Rex, ne fallaciæ argueretur, accersurum se Alexandrum spondet. Interim verò Fredericus ciborum penuriâ cruciatus, occasionem quærens recedendi honestiorem quam potuit, Regi mandat soli Romanorum Imperatori et Prælatis sub eo degentibus competere litem de Romani Pontificis electione dirimendam. 668. b. Eam allegationem postquam Rex Ludovicus prudenti responsione suggillavit, ad locum constitutum accessit, et ab hora diei tertia usque ad nonam expectato Imperatoris adventu, lavit manus in flumine, quasi fidem exsolvisset, et recessit. 668. d. 740. b. Imperator venit ipsâ die noctu, et misit honorabiles personas denuò accersitum Regem ; sed ille nullâ ratione potuit revocari. Ferebatur enim e multis quòd Cæsar eum circumvenire voluerit, et propterea contra pactionum fidem armatus advenerit. 740. b. Manens igitur in sua erubescentia et minas intentans Francis, exercitum remisit ad propria, et parti Victoris adhæsit ut antea. 668. e. 722. b. 740. b. Anno 1164 vel 1165 (initio anni ducto a die Natali) celebratâ Fredericus Natalis Domini festivitate Aquisgrani, ossa Caroli Magni e terra levat IV Kal. Januarii, adstante frequentiâ Pontificum et Principum. 278. b. 521. a. 722. d. An. 1165, Guillelmum Montispessulani dominum frustra muneribus pertentat, ut Alexandrum ei Pontificem tradat. 110. c. Eodem anno, Reginaldum Colon. Archiep. mittit ad Henricum Angliæ Regem, ut eum in partem schismatis pertrahat. 216. b. idem erga Regem Ludovicum inaniter tentat. 741. b. An. 1166, diem Natalis Domini celebrans Aquisgrani, partes Paschalis Antipapæ jurejurando amplectitur. 584. c. Eodem anno exercitum duxit adversùs Romanos. 521. b. Anno 1168, legatos mittit ad Henricum II Angliæ Regem, ut eum in partem schismatis sui perducat, quem et sponsione auxilii adversùs Regem Ludovicum avertit ab obsequio Alexandri. 130. e. 131. a. 723. a. Circa Pentecosten Concilium habet Wirceburgi, ubi abjurato Alexandro, partibus schismatici Papæ sacramento se astringit. 131. b. Mense Octobri, missis ad Reges Franciæ et Angliæ legatis, de pace inter eos componenda satagit, additis minis erga Regem Franciæ, quia Regi Angliæ conjunctus erat amicitiâ. 527. c. d. 748. a. Iisdem cum Petro Cameracensi Electo ad se reversis, Cameracensem Comitatum et urbis Præsulatum ei contradit circa festum S. Nicolai. 528. a. Eodem anno, Sarbrucam, castrum Comitis Simonis, everti jubet cum aliis tribus castellis ejusdem Comitis. 748. a. An. 1169, Henricum filium regni consortem facit Aquisgrani, die Assumptionis B. Mariæ. 528. e. 602. d. An. 1170, diem Natalis Domini agit in Alsatia. 748. b. Intrante Quadragesimâ, conventus ab Abbatibus Clarevallensi et Cisterciensi de tollendo schismate, legatos Romam mittit ; sed impedientibus Longobardis, pax tum evanuit. 748. b. An. 1175, Paschalem solemnitatem agit Aquisgrani cum uxore et filio. 602. d. An. 1177, ejurato schismate, ad unitatem redit Ecclesiæ, IX Kal. Augusti. 118. c. 139. e. 281. d. 320. c. 422. e. 475. a. 578. e. 713. d. An. 1178, curiam habet Vesuntione, die Assumptionis B. Mariæ. 723. c. Regiam deinde dignitatem innovaturus in Burgundia, coronatur Viennæ die Nativitatis B. Mariæ. 201. c. Arelate paulò ante in Regem coronatus itidem fuerat. 201. n. filii ex Beatrice, Henricus, Fredericus, Otto, Conradus, Philippus. 568. d. 747. b.

Digitized by Google

Frederici I Mosellanorum Ducis et Comitis Barrensis, uxor Beatrix soror Hugonis Capeti; filii, Albero Metensis Episc. Theodericus.
Frederici II Mosellanorum Ducis et Comitis Barrensis, filiæ, Beatrix, Sophia.
Frederici de Luxemburgo, Ducis Lotharingiæ inferioris, filia ex Gerberga Bolon. Jutta.
Frederici de *Bittes*, Mosellanorum Ducis filius, Fredericus.
Frederici II de *Bittes*, Mosellanorum Ducis filii ex Agnete seu Thomasceta Barrensi, Jacobus Metensis Episc. Theobaldus et Matthæus Duces, Rainaldus Comes de Castris, ac filiæ plures.
Frederici de *Ferretes* filius Ludovicus.
Frederici I Comitis Tullensis filii, Fredericus, Henricus Leod. Episc.
Frederici II Comitis Tullensis filii, Rainaldus, Petrus.
Frieburch. Vide, Hermannus.
Frigidi-montis Abbas, Manasses.
Fugerai. Vide, Hardewicus.
de Fulcimaco. *Vide,* Henricus.
Fulconis Grisægonellæ, Comitis Andegav. soror, Blancha Abelatensis Comitissa.
Fulconis Richini Comitis Andegav. filia ex uxore prima, Ermengardis; filius ex uxore secunda, Gaufridus Martellus, ex tertia Bertrada, Fulco Rex Jerusalem.
Fulco junior, Comes Andegav. an. 1110 Cenomanensem assequitur Comitatum post obitum soceri sui Heliæ, cujus filiam duxerat. 34. c. 60. c. Annis 1111 et 1112 bellum gerit cum Henrico I Angliæ Rege, ut Cenomanniam ab ejus clientela eximat. *ibid.* An. 1117, rursùs Angliæ Regi bellum indicit, ut Guillelmo filio Roberti Normanniæ Ducis paternam hæreditatem restituat. 35. a. 61. b. An. 1119, pacem componit cum Henrico Angliæ Rege, traditâ in matrimonium Mathilde filiâ suâ Guillelmo ejus filio cum Cenomannico Comitatu. 17. e. 74. a. Eodem anno, apud Ludovicum Franc. Regem efficit ut Cenomannia genero suo concedatur sub fide clientelari. 18. a. An. 1120, profecturus Hierosolymam, Comitatum suum Andegavensem commendat Henrico Angliæ Regi. 17. e. Ipso anno, itineri se committit. 74. a. An. 1121, reversus Hierosolymâ, legatos in Angliam mittit, qui filiam suam Mathildem Guillelmo viduatam ad se perducant. 62. b. 80. b. An. 1122 vel 1123 (more Anglico) Regem Henricum per legatos convenit die Natalis Domini apud *Dunestaple*, ut urbes et castella recipiat quæ in dotem filiæ suæ dederat: quibus circa festum Candelarum vacuis revertentibus, Regi Fulco bellum indicit. 18. e. 62. c. 81. b. Itaque, ipso anno 1123, Sibyllam alteram filiam suam Guillelmo filio Roberti Normanniæ Ducis tradit in conjugium cum Cenomannico Comitatu, et auxilium ei ad vindicandam paternam hæreditatem pollicetur. 18. e. 62. e. 81. b. Soluto per Joannem A. S. Legatum, artibus Angliæ Regis, eo matrimonio, sententiæ latores Fulco injuriis afficit, atque ab Honorio Papa excommunicatur, terrâ ejus interdicto suppositâ. 81. n. An. 1124, Monasteriolum castrum Geraldi-Berlaii expugnat. 731. d. An. 1130 vel 1131, regnum Hierosolymitanum adipiscitur. 269. c. 495. b. 698. a. An. 1145, moritur. 700. e. Filii ex uxore prima, Aremburgi Cenoman. Gaufridus, Helias; filiæ, Mathildis, Sibylla. Filii ex altera conjuge Melisende, Amalricus, Balduinus, Reges Hierusalem.
Fulconis Comitis Arelunæ filia, Beatrix.
Fulconis de Mercurricio et Sarræ Markiniensis filius, Simon de Calcata.
Fulconis de Sarcellis filius, Guido de Acromonte.
Fulgeriarum domini, Henricus, Radulphus.
Furmeselles. Vide, Gualterus.
de Furnis. *Vide,* Aquilinus.
de Fustaia. *Vide,* Rodulphus.

G.

Gael seu Monsfortis in Britannia. *Vide,* Gaufridus, Radulphus.
Galiciæ Comes, Raimundus Burgundicus.
Galliæ provinciarum mos est, ut semper seniori fratri ejusque liberis, seu maribus seu fœminis, paternæ hæreditatis cedat auctoritas, cæteris ad illum tanquam ad dominum respicientibus. 662. a. Gallia bellicis tumultibus an. 1117 agitatur. 730. b. *Vide,* Francia.
Gallicana Ecclesia Henricum Imperatorem an. 1112 damnat et execratur in Concilio Viennensi ob extortum investiturarum privilegium. 19. c. 596. b. An. 1141, Gallicana Ecclesia turbatur dissidio exorto inter Papam Innocentium et Regem Ludovicum. 331. b. An. 1148, in Concilio Remensi, Cardinales negant Gallicanæ Ecclesiæ competere jus definiendarum controversiarum fidei, se inconsultis. 659. b-e.
Gandavense S. Petri Monasterium an. 1117 juxta Consuetudines Cluniacensium informatur. 403. d. 462. c. Abbas, Arnoldus.
Gandavenses an. 1128 a fide Guillelmo Flandriæ Comiti pacta desciscunt, odio Castellani sui. 379. c-e. 380. a. Castellani, Sigerus, Wenemarus.
Garlanda. *Vide,* Guido Franciæ Senescallus.
Garsiæ Ramiri Regis Navarræ et Margaretæ de Aquila filia, Margareta.
Gaufridus, Decanus Cenomanensis, an. 1110 succedit Guillelmo in Archiepiscopatu Rotomag. 284. a. An. 1115, die SS. Innocentium consecrationem peragit Ecclesiæ S. Albani, præsente Henrico Angl. Rege. 730. b. An. 1128 moritur IV Kal. Decembris. 75. a. mense Decembri. 285. d.
Gaufridus II, Carnot. Episc. an. 1117 succedit Ivoni. 327. n. An. 1122, interest Concilio Suessionensi et de Abailardo proponit sententiam æquitati consonam. 655. n. Anno 1130 Innocentium Papam perducit Carnotum. 733. b. An. 1147, in terram Albigensium mittitur ad profligandos Henrici hæresiarchæ sequaces. 701. c. Frustra regularem vivendi morem instituere conatus est in sua Ecclesia. 290. c.
Gaufridus Martellus II, Comes Andegav. an. 1104 Thoarcium castrum incendit. 728. a. An. 1105, Henrico Angliæ Regi adversùs Robertum Normanniæ Ducem militans, Bajocas cum eo expugnat. 33. d.
Gaufridus Bellus, Comes Andegav. an. 1127, post Pentecosten, uxorem ducit Mathildem filiam Henrici I Angliæ Regis, Henrico V Imp. viduatam. 20. e. 21. b. 36. c. 63. c. 83. a. 121. a. 218. b. 253. b. Anno 1129, eamdem a se dimittit, et sine honore Rotomagum abire permittit. 83. c. An. 1131, uxorem suam in Anglia cum patre morantem ad se remitti exorat. 37. c. eâque redditâ, inimicitias cum socero exercet, artibus conjugis suæ. 37. d. An. 1133, mense Martio, nascitur ei filius, Henricus appellatus. 286. d. et an. 1134, mense Maio, Gaufridus circa Pentecosten. *ib.* An. 1135, statim post obitum Henrici Angliæ Regis castella quædam Normanniæ obtinet Gaufridus, videlicet Damfrontem, Argentomagum, Oximum, Ambreras, Gozram, Colmiæ-montem, quæ Juello de Meduana confert, ut sibi adjutorium impendat ad reliquam Normanniam edomandam. 287. c. Guillelmo quoque Talavacio Comiti Pontivi munitiones, quas eidem Rex Henricus abstulerat, reddit eâdem lege. 287. c. An. 1136, mense Augusto, tertius ei filius in lucem editur, nomine Guillelmus. 287. e. Mense Septembri, maximum exercitum adducit in Normanniam, Lexoviasque progressus urbem incendit. 84. a. 288. b. Inde revertens Sappum occupat. 288. b. An. 1137, in Normanniam adducit exercitum multò majorem adversùs Stephanum Angliæ Regem; sed intercurrentibus pacis sequestris, inducias eidem concedit ad tres annos, eâ lege ut sibi quotannis bis mille argenti marcas pensitaret. 288. c. inducias paciscitur biennales mense Julio. 39. c. An. 1138, circa Paschа, fœdere copulatur Roberto Comiti Glocestriæ, quo adjuvante, tertiò in Normanniam ingressus, Falesiam mense Octobri per dies quindecim oppugnat. 95. d. 122. b. 288. e. Eodem anno, Oximenses et Bajocenses edomat. 288. e. Annò 1140, Fontanetum castellum Roberti *Marmiun* in Oximensi pago evertit, quia Falesiam Robertus contra eum propugnabat. 289. a. An. 1141, die Octavâ Paschæ, compos Lexoviensis urbis efficitur, dedente se Joanne Episcopo cum Proceribus totius Comitatûs. 289. b. Circa Pentecosten suas pertrahit in partes Gualerannum Comitem Mellenti, concesso eidem castellò Montisfortis ad Risellam, quod post mortem Henrici Angliæ Regis adeptus fuerat. 289. b. Ipso anno, suæ potestati subdit Rotomagenses, non quidem urbis cives, sed circummanentes incolas a Sequana fl. usque ad Risellam. 289. b. Eodem anno, Falesia ipsi redditur. 289. b. Anno 1142, circa mediam Quadragesimam, missis ab uxore nuntiis invitatur, ut filiorum hæreditatem veniens in Angliam armis vindicet. 29. c. Cunctanti Robertus Comes Glocestriæ, prout ipse postulaverat, mittitur æstivo tempore, quocum habito apud Cadomum colloquio, Gaufridus impedimenta sua in Normannia et exortos in Andegavia motus causatur, filium tamen ei suum concredit Henricum in Angliam transvehendum. 29. d. e. 122. d. 289. c. nec morâ, præsente Co-

Digitized by Google

mite Roberto, castellum Alneium obsidet et capit, et collecto majori exercitu, Moritolium expugnat, deinde Tenerchebraicum, Carentias, Tiliolum, castella Stephani Regis ac Comitis Moritoliensis. 289. c. Eodem vel seq. anno Abrincatenses suo subdit imperio et Constantienses. 289. c. n. Anno etiam 1143, Cæsaris-burgum expugnat. 289. e. deinde Vernolium et Vallem-Rodolii. 289. e. Gualterio quoque Giffardo et aliis Caletensibus pacem indulget. 289. e. An. 1144, congregato magno exercitu post festum S. Hilarii, Sequanam transmittit apud Vernum, ac castrametatus juxta S. Trinitatem de Monte Rotomagi, die SS. Fabiani et Sebastiani a Rotomagensibus civibus recipitur. 290. a. 701. a. Arcem deinde aggressus quam tenebant milites Comitis Warennæ, eam adhibitis machinis nequaquam expugnare valuit; sed tandem deficiente alimoniâ, ei arx reddita fuit. 290. b. Potitus arce Rotomagensi Gaufridus, ad subigendam reliquam Normanniam accingitur. Auxilio itaque Regis Ludovici et Theoderici Flandriæ Comitis castellum Drincurtis aggreditur, quod satellites Comitis Warennæ reddere compelluntur. 290. b. Hugo quoque de Gornaco metu perculsus, castelli Leonum deditionem facit. 290. c. Deinceps compos totius Normanniæ, suis eam adstringit legibus. 95. d. 122. n. 273. b. 290. c. 421. b. Gisortium tamen et alia duo castella Regi Ludovico condonat. 111. b. An. 1145, castellum Arcense suæ addit potestati. 290. c. Eod. anno, pontem reficit Rotomagensem. 290. e. An. 1146, sartatecta turris Rotomagensis labefactata restaurat. 291. b. Ipso anno, refrenato quorumdam Andegavensium rebellare volentium impetu, integrâ pace potitus, filium suum Henricum de Anglia accersit. 123. d. Superioribus annis Girardo electo Sagiensi Episc. adversatus fuerat, quem Sagienses quidam genitalibus mutilaverant; et licèt scelus non probaverit, anno tamen 1147, eidem tandem reconciliatus est circa Pascha, agente Eugenio III Papâ. 183. c. n. An. 1148, castellum Roberti Bertranni *Fag.* destruit in Comitatu Lexoviensi. 291. e. An. 1149, obsidet Monasteriolum Berlaii in pago Pictaviensi, erectis in circuitu tribus castellis. 292. b. An. 1150, Henrico filio suo jam militi facto et ex Anglia reverso Normanniæ Ducatum resignat. 184. a. 292. e. Anno 1151, Monasteriolum expugnat, et eversâ turri, Giraldum castri dominum capit: quæ causa fuit exortæ inter ipsum et Regem Ludovicum discordiæ. 184. a. 292. c. Eodem anno, aufert Roberto Comiti Perticensi castellum de Nube, quod anno superiori amiserat per traditionem Joannis filii Guillelmi Talavacii: quo facto iram Regis Ludovici magis accendit. 292. d. Mense Augusto, Gaufridus exercitui Regis occurrit inter Mellentum et Medantam cum filio suo Henrico; sed intercurrentibus propter Regis ægritudinem viris religiosis, inducias paciscitur dum ille convalescat. 292. e. Regem deinde Parisiis conveniens placat, reddito Giraldo-Berlaii, et Henrico filio suo clientelam pro Normannia profitente. 292. e. 506. c. Regressus Parisiis, intra unius mensis spatium moritur apud Castrum-Ledi, VII Idus Septembris, et Cenomanis in Ecclesia S. Juliani sepelitur. 43. d. n. 91. b. 99. d. 125. a. 184. b. 293. a. 333. a. 506. c. n. Ejusdem testamentum quo dotationi singulorum filiorum providit. 103. c. Filii ex Mathilde Anglica, Henricus, Gaufridus, Guillelmus; filii naturales, Hamelinus, Emma.

Gaufridus, filius Gaufridi Comitis Andegav. an. 1134 nascitur Rotomagi, mense Maio, ad Pentecosten. 121. b. 286. d. An. 1150 vel 1151, militaribus armis accingitur a Theobaldo Comite Blesensi. 184. a. 292. c. An. 1151, quatuor castellis a patre suo donatur, Chinone, Losduno et Mirabello, et si quandò frater ejus Henricus ad Angliæ regnum pervenerit, Andegaviæ et Cenomanniæ Comitatibus. 103. c. 293. a. An. 1152, Regi Ludovico adversùs fratrem fœderatus, post festum S. Joannis bellum agitat in Andegavia, dum ille in Normanniam impressionem facit. 293. e. At circa finem mensis Augusti, fratris viribus contritus, pacem flagitare cogitur. 125. c. 184. b. 294. e. 295. a. Anno 1156, mense Februario, Henricum fratrem suum convenit Rotomagum, sed non contentus iis rebus quæ frater offerebat, hostili animo in Andegaviam recedit; Rexque illum e vestigio subsequitur. 298. d. Itaque jus suum armis dum vindicat, Mirabello, Chinone et Losduno a fratre spoliatur, vix terrâ plenâ sibi ad victum relictâ. 103. e. n. 126. d. 185. b. 299. a. Mense Julio, Losdunum fratri suo concedit pro annua pensitatione mille librarum Anglicæ monetæ et bis mille Andegavensis. 299. a. Eodem vel seq. anno, a Nannetensibus expetitus Comes efficitur Nannetensis. 104. a. n. 298. d. An. 1158 moritur, VII Kal. Augusti, et in urbe Nannetensi sepelitur. 185. c. 300. n.

Gaufridus, filius Henrici II Angliæ Regis, an. 1158 nascitur, IX Kal. Octobris. 185. c. 300. n. 301. a. An. 1166, in futuram ei uxorem despondetur Constantia filia Conani IV Britanniæ Ducis (non an. 1168.) 187. e. n. 310. a. An. 1169, clientelam profitetur fratri suo Henrico pro Britanniæ Ducatu. 313. a. Mense Maio, Redonas accedit, et Britonum fidem sibi obligat. 313. b. Die Natalis Domini, curiam celebrem habet cum patre in urbe Nannetensi, ac deinde peragratis castellis Britanniæ, fidem illorum sibi devincit qui nondum sacramentum emiserant. 142. b. 188. d. An. 1170, Britanniæ Ducatus eidem asseritur a patre morbo decumbente, cum filia Ducis Conani. 143. d. An. 1171 vel 1172 more Anglico, die Natalis Domini, interest curiæ ab Henrico fratre suo Buris celebratæ. 315. c. Anno 1173, partes fratris sui Henrici in patrem rebellis amplectitur. 113. c. 137. a. 150. c. 191. b. 212. b. 216. c. 316. b. 680. e. Eodem anno, in exercitu Philippi Flandriæ Comitis adversùs patrem militat. 153. a. VIII Kal. Octobris, in colloquio Gisortii habito cum Rege Ludovico, Rex Henricus pater offert Gaufrido filio suo illam Britanniæ partem quam Conani filia in dotem ei attulerat, si Romani Pontificis veniâ cum illa matrimonio societur; sed Rege Ludovico eam compositionem respuente, patris in gratiam tum non recipitur. 156. d. An. 1174, in colloquio apud Montem-Laudiacum pridie Kal. Octobris habito, in gratiam patris recipitur, eique media pars reddituum Britanniæ assignatur. 118. b. 161. b. n. 197. c. n. An. 1175, ut omnem a patris animo suspicionem removeat, clientelam ei profitetur Cenomannis. 198. b. Eodem anno, a patre in Britanniam mittitur ante Pascha, designato sibi terræ procuratore Rollando de Dinano. 319. b. Ipse castella quæ contra patrem firmata fuerant, diruit. 163. d. Eudonem Porricidii Vicecomitem insectatus, fiscalia eidem aufert, scilicet Venetum, *Ploasmel*, *Aurai* et mediam patrem Cornubiæ. 319. b. An. 1176, partem convenit Wintoniam vigiliâ Paschæ, et Paschalem solemnitatem cum eo agit. 164. b. Die Natalis Domini adhuc in Anglia diversabatur. 167. c. An. 1177, mense Augusto, cum patre transfretat in Normanniam, statimque in Britanniam mittitur ad debellandos hostes suos. 171. a. 320. c. Eodem anno, diem Natalis Domini cum patre solemnem agit Andegavis. 321. c. Anno 1178, VIII Idus Augusti, cingulo militari a patre donatur apud Wdestokam, statimque mari transmisso, in finibus Franciæ et Normanniæ armorum tyrocinia facit. 178. b. 201. b. Die verò Natalis Domini reversus jam in Angliam, Wintoniæ festum agit cum patre. 179. b. Anno 1179, post Pascha, missus in Britanniam adversùs Guihomarum de Leonio, terram ejus vastat et castella occupat. 179. d. 322. c. cum Guihomaro quoque filio ejus paciscens undecim ei parochias relinquit, retento fratre ejus Hervæo in obsidem. 322. c. Kal. Novembr. interfuit coronationi Philippi Augusti, clientelam de Britannia præstiturus. 683. b. An. 1181, in uxorem accipit Constantiam filiam Conani IV Britanniæ Ducis. 325. a. Anno 1182, inimicitias exercet cum Henrico patre suo. Ablatâ sibi a patre Redonensi turre, magnam urbis partem et Abbatiam S. Georgii comburit, necnon *Becherel* castrum Rollandi Dinanensis. 326. a. An. 1183, in patrem cum Henrico fratre rebellat, et an. 1185 moritur. 216. e. mores ejusdem adumbrantur. 211. a. b. Filius ex Constantia, Arturus; filia, Alienora.

Gaufridus I Jovævillæ dominus et Comes Joviniaci, an. 1080 moritur. 685. a. n. Filii, Holdoinus, Gaufridus.

Gaufridi II de Jovevilla filii, Renardus Comes Joviniaci, Rogerus Jovævillæ dominus; filia, Hadvidis de Asperomonte.

Gaufridus Grossus, III Jovævillæ dominus, an. 1132 uxorem ducit Felicitatem Brenensem, Simone de *Brois* viduatam. 698. d. Filius, Gaufridus Vaslectus; filia, Gertrudis.

Gaufridi de Meduana uxor N. filia Waleranni Comitis Mellenti. 306. c.

Digitized by Google

Gaufridus de Monteforti in Britannia, an. 1180 moritur, filium relinquens successorem ex N. filia Rualendi de Saia. 324. c.
Gaufridi II Comitis Perticensis uxor Beatrix de Roceio; filius, Rotrodus II; filia, Margareta de Novoburgo.
Gaufridi de *Plozac* filius, Merlo.
Gavareti Vicecomes, Petrus.
Gaunt. Vide, Gillebertus, Gualterus, Robertus.
Gaura vel *Gavre. Vide*, Rasso.
Gebennensis Episc. Arduno.
Gelasius II Papa, an. 1118 successor datur Paschali. 19. c. 61. c. 73. d. 267. b. 582. a. 634. c. 674. c. 719. c. Eodem anno, Româ cedere coactus, Genuam contendit, indeque in Franciam ad S. Ægidium allabitur. 19. d. 73. d. 634. c. 730. d. n. Hunc ægrotantem apud Mergulium confovet Pontius Abbas Cluniac. 730. n. Convalescens Pontifex per Burgundiam et Gothiam agit synodales causas. 327. b. Viennæ Concilium celebrat. 719. n. An. 1119, XVII Kal. Februarii, missâ per Gallias epistolâ, Concilium Remis mediâ Quadragesimâ indicit. 73. n. Viennâ profectus Lugdunum pertransit, Matisconamque progreditur, sed morbo ingravescente, Cluniacum deferri voluit. 730. n. Ibi III Kal. Februarii, morti occubuit. 19. d. 35. e. 61. d. 74. a. 267. b. 327. c. 582. a. 601. a. 634. c. 674. c. 719. c. 731. a. c.
Gemblacenses Abbates, Anselmus, Arnulphus, S. Guibertus, Lietardus, Tietmarus.
Gemmeticenses Abbates, Gunthardus, Petrus, Robertus, Rogerius.
de S. Genesio. *Vide*, Sofredus.
S. Georgii Baucherivillæ Abbates, Ludovicus, Victor.
Gerardus, Camerac. Episc. an. 1076 succedit avunculo suo Lietberto. 257. c. 476. a. n. 534. c. 581. a. non multò post pacem componit cum Hugone de Osiaco Castellano Camerac. 476. b. n. 534. d. Eo circa idem tempus ad Imperatorem proficiscente, cives in Communiam fœderantur, sed ille mox reversus eorum Communiam dissipat. 476. c. n. 534. d. cum Hugone Castellano pluribus etiam annis disceptavit pro redditibus Castellaniæ Camerac. 477. b. c. n. 534. e. An. 1079, primordia Cœnobiorum Aquicinensis et Affligemensis adjuvat. 478. a. n. 535. a. n. An 1080, Oratorium B. Andreæ apud Lobias consecrat. 581. b. An. 1086, Aquicinensem et Affligemensem Ecclesias dedicat. 258. e. 259. a. An. 1088, dedicationem Elnonensis Ecclesiæ peragit cum Rabodo Noviom. Episc. 453. c. An. 1092, moritur pridie Kal. Augusti. 260. b. c. 479. a. n. 535. b. n. 581. c.
Gerardus de Alsatia, Dux Mosellanorum an. 1070 moritur. 697. n. Filii, ex Hadevide Namurcensi, Theodericus, Gerardus Comes Vaudanimontis.
Gerardi de Businiis filius ex Ermengarde de Osiaco, Ægidius.
Gerardi de Flammengeria et Idæ de *Lamprenisse* filii, Balduinus, Gerardus, Joannes, Nicolaus; filiæ, Agnes, Ida, Philippa.
Gerardi II de Flammengeria et Melisendis de *Venduel* filia, Hadvidis.
Gerardi Florinensis filius Theodericus.
Gerardi Comitis Ghelriæ uxor, Ida Boloniensis.
Gerardi de Gribergis uxor, N. de *Bevra*.
Gerardi fratris Balduini IV Comitis Hannon. filius, Henricus.
Gerardi de *Haslut* uxor, Clementia de Ruminio.
Gerardi I de Jacea filii, Rainerus, Gerardus.
Gerardi II de Jacea filii ex Berta de *Bivel*, Gerardus, Guillelmus, Joannes.
Gerardi III de Jacea uxor N. filia Joannis de Alneto. 552. n.
Gerardi Comitis de *Loz* filii ex Maria Ghelrica, Ludovicus Comes, Gerardus de *Reneke*, Arnulphus et Henricus.
Gerardi II de *Reneke* et Helvidis de *Longvi* et de Castris, filius Conradus Metensis Primicerius; filia Ermensendis Comitissa Lossensis.
Gerardi de *Reneke* filii, Ludovicus, Arnulphus Comes de *Loz* et de Chisneio.
Gerardi de *Lucelburg* uxor, Mathildis Clevensis.
Gerardi de *Prouvi* uxor Ida de Ghisnis.
Gerardus de Sancto-Auberto cognomine *Maufilâtre*, an. 1122, Cameracesium vastat, et a Carolo Flandriæ Comite comprimitur. 494. d. 498. c. An. 1133, inimicitias exercens cum Lietardo Episcopo, Castellum in Cameracesio expugnat et incendit, quam ob causam anathemati supponitur. 495. e. n. Eodem anno, impetitur armis a Simone de Osiaco, et ad pacem flagitandam adigitur, sed eam ab Episcopo impetrare nequivit nisi duris conditionibus. 496. a. b. n. 499. a. An. 1135, cives quosdam Cameracenses capit et ad pecuniariam redemptionem cogit, rursùsque excommunicationis sententiam cum suis fautoribus incurrit. 496. e. 497. a. An. 1136 vel 1137 ante Pascha, ob occupata Episcopatûs bona capitur a Nicolao Pontifice, statimque datis obsidibus, et receptis in castro S. Auberti præsidiis Episcopi, in libertatem asseritur. 499. b. 538. d. Interim servis suis in Cameracenses debacchantibus, et ab Episcopo privatione oculorum multatis, Gerardus ipso anno 1137 vel 1138, bellum Episcopo et civibus indicit, mense Maio; sed dum Novumcastellum oppugnat, a Castrensibus perimitur pridie Nonas Julii. 499. c. 538. e. Filius, Ægidius.
Gerardi de *Sottenghien* uxor N. de *Viane* juxta *Grammont* ex qua filius, Gerardus; filiæ, N. nupta Thomæ de Vervino, N. Joanni de *Lens*.
Gerardi Comitis Vaudanimontis filius ex N. de *Dasburg*, Hugo; filia, Gisla.
Germaniæ Reges, iidemque Imperatores, Conradus Salicus, III, Fredericus I, II, Henricus I, II, III, IV, V, VI, Lotharius. Anti-Cæsares, Herimannus, Rodulphus.
Gervasius, filius Hugonis Comitis Reitestensis, an. 1106 eligitur Remensis Archiep. ab una parte Canonicorum, dum Radulphus Viridis ab alia eligitur. 490. b. n. Anno 1107, in Concilio Trecensi exauctoratur a Paschali Papa. 490. c. 689. c. Adeptus deinde hæreditario jure Comitatum Reitestensem, uxorem duxit Elisabeth filiam Godefridi Comitis Namurc. ex Sibylla filia Rogeri Comitis Porcensis, ex qua filiam unicam suscepit. 490. n. 692. b.
Gervasius de *Praat*, Camerarius Caroli Flandriæ Comitis, an. 1127, Nonis Martii, necem illius ulcisci primus aggreditur, et a Brugensibus receptus, proditores in castrum retrudit. 341. e. 356. d. *et seq.* 465. d. 696. b. Eodem anno, a Rege Ludovico et Guillelmo Comite Brugensis Castellanus efficitur, IV Nonas Aprilis. 365. b. An. 1128, Brugis egreditur VII Kal. Aprilis, ne fidem Guillelmo Comiti pactam mentiatur. 381. e. Quarto Nonas Aprilis, Brugas revertitur, et Theoderici partes amplectitur. 383. d. Sexto Nonas Maii, fautores Guillelmi armis insectatur Gandavi et in Winchina. 385. e.
Gervasii I de Novo-castello Theodemarensi filius, Hugo II.
Gervasii II de Novo-castello Theodemarensi et Margaretæ de Donziaco filius, Hugo IV.
Ghelriæ Comites, Gerardus, Otto.
S. Ghisleni Abbates, Gossichinus, Lambertus.
Ghisnenses Comites, Albertus seu Albericus Aper, Ardolphus, Arnoldus I, II, Balduinus I, II, Eustachius, Manasses qui et Robertus, Rodulphus, Sifridus.
Ghisnenses S. Leonardi Abbatissæ, Adela de Mardico, Mathildis, Sibylla.
Girardus Sagiensis Episc. efficitur an. 1144 post Joannem. 290. c. A Gaufrido Normanniæ Duce reprobatus, ab adversariis etiam mutilatur genitalibus. 183. n. Romam profectus ut de illata sibi tanta injuria queratur, in Episcopatu confirmatur, ac tandem an. 1147 circa Pascha Duci reconciliatur, agente Eugenio III Papa. 183. n. An. 1154, Herberto Abrincensi Episcopo assistit, Robertum Abbatem S. Michaëlis de Monte consecranti. 297. a. An. 1157, moritur. 299. d.
Gislebertus, Gillebertus, Porretanus, Pictav. Episc. a. duobus Archidiaconis Ecclesiæ suæ erroris circa Trinitatem accusatus, an. 1146 Romam pergit; sed invento in urbe Senensi Eugenio III, in Gallias examinandus remittitur. 654. b. Anno 1147, Autissiodori primùm, deinde Parisiis de fide coram Eugenio III Papa examinatur. 657. b-e. An. 1148, in Concilio Remensi biduò cum Bernardo Abbate disputat. 658. c. *et seq.* 702. a. Scripta quæ defendere non potuit ipse damnat. 332. d. An. 1154, mortem obit. 297. c.
Gisleberti de Aquila et Julianæ Perticensis filia, Margareta.
Gisleberti de *Audenarde* et Richeldis Tornacensis filius, Arnulphus.
Gislebertus, Comes Durachiensis, circa an. 1100, infensus Theoderico Abbati Trudonensi, acceptâ pecuniâ, eidem conciliatur. 594. c. An. 1106, Trudonenses Monachos tutatur ab infestatione Henrici Ducis Limburgensis. 595. b. An. 1114, a Duce Godefrido Lovâniensi hostiliter habetur, quia Henricum ille Imp. deserere nolebat. 595. d. An. 1119, partes Alexandri pseudo-Episcopi Leod. sectatur adversùs Fredericum Namurcensem. 596. e. Anno 1128, Advocatiâ Trudonensis Abbatiæ, quam expilabat, judiciali sententiâ privatur. 598. b. non multò post etiam Comitatu suo

Digitized by Google

quem a Leodiensi Episc. tenebat, spoliatus, vires suas confert cum Godefrido Lovaniensi Exduce ad infestandam provinciam, et ab Alexandro Episcopo percellitur anathemate. 598. c. d. An. 1129, mense Augusto, ab eodem obsidetur apud Durachium, et tandem ad satisfactionem veniens absolvitur a vinculo quo erat constrictus. 598. e. 599. a. An. 1133, in offensam prolapsus Godefridi Comitis Lovaniensis, ab eodem armorum vi exagitatur. 599. c. d. Filius, Otto.

Gisleberti Comitis Lucemburgensis filius, Conradus; filia, Ogiva.

Gisortium castellum extruxit Henricus I Angliæ Rex. 285. c. Ibi an. 1119, colloquium habet idem Henricus cum Calixto II Papa. 35. e. 79. d. Gisortium et alia duo castella Regi Ludovico VII condonat circa an. 1144 Gaufridus Comes Andegavensis, ut Normanniâ quietè potiatur. 111. b. An. 1158, Gisortium Henrico II Angliæ Regi paciscitur Rex Ludovicus, gratiâ nuptiarum Henrici filii ejus cum Margareta filia sua. 111. c. 206. c. Moræ tamen impatiens Rex Henricus, illud anno 1160 de manibus Templariorum extorquet ante præfinitum tempus. 111. c. 186. a. 305. b. 518. a. Anno 1161, Gisortium firmius reddidit Angliæ Rex. 306. a. Ibi an. 1173, VIII Kal. Octobris, colloquium habent Rex Ludovicus et Henricus II Angliæ Rex. 156. c anno item 1174, die Nativitatis S. Mariæ. 160. d. ibidem etiam an. 1180 congrediuntur die Apostolorum Petri et Pauli Philippus Augustus et idem Henricus. 182. a. 205. b.

de Gistella. *Vide*, Christianus.

de *Givel* et *Wrac* Comes, Arnulphus de Chisneio.

de Glanvilla. *Vide*, Ranulphus.

Glastonienses Abbates, Henricus, Turstanus.

Glocestriæ Comites, Guillelmus, Robertus.

Gobberti de Asperomonte filii ex Juliana de *Rosoi*, Gobbertus, Guido, Joannes, Joffridus.

Gobberti II de Asperomonte filii ex Agnete Codiciac. de Vervino, Joffridus, Thomas; filia, Joanna.

Goberti de *Montchablon* uxor N. de *Bevre*, filius Gobertus et filia una.

Goberti de *Bivel* filia, Berta.

Godefridi Comitis Ardensis et Virdun. uxor Mathildis Saxonica vel Burgundica; filii, Albero II Virdun. Episc. Fredericus Comes, Hermannus Comes de *Dasburg*, Godefridus III Dux Lotharingiæ, Gothelo Dux Lotharingiæ.

Godefridus IV, Dux Lotharingiæ an. 1069 moritur. 644. d. filius Godefridus V; filia, Ida.

Godefridus V, Dux Lotharingiæ, Gibbosus dictus, an. 1069 patri succedit, et cum Theoderico Abbate S. Huberti diu litigat, patris testamento morem gerere supersedens. 586. a. n. An. 1072, in Hollandiam impressionem facit cum Guillelmo Trajectensi Episcopo, fugatoque Roberto Frisone, Hollandiam et Frisiam occupat. 418. n. An. 1074, sæpiùs a Romano Pontifice et ab Episcopis commonitus, tandem Abbati S. Huberti satisfacturum se promittit, hebdomadâ secundâ Adventûs. 586. b. Anno 1075, apud Henricum Imp. efficit, ut Leodiensis Episcopatus detur Henrico Virdunensi Archidiacono. 586. c. Eodem anno, diem Natalis Domini celebrem agit Trajecti. 586. e. Inde in Frisiam secedens, Antverpiæ IV Kal. Martii per quosdam necessarios Roberti Flandriæ Comitis trucidatur, et Virduni sepelitur. 257. b. n. 418. n. 545. a. n. 581. a. 586. e. 600. b. 628. c. 684. d. 714. c. uxor, Mathildis Longobardiæ Comitissa.

Godefridus VI, Bulloniensis dictus, filius Eustachii Comitis Bolonienses, an. 1076 Antverpiensi marchiâ donatur ab Henrico IV Imp. sed non Lotharingiæ Ducatu quem avunculus suus Godefridus Gibbosus habuerat. 257. n. 545. n. 600. b. 714. c. Bullonium quoque castrum adeptus nomine matris suæ Idæ, de illo pluribus annis cum Alberto Comite Namurc. disceptavit. 587. c. 684. d. An. 1078, Virdunensis urbis Comitatu spoliatur a Theoderico Episcopo, qui eum Alberto Namurc. contradit. 628. c. Igitur plurimùm infensus Episcopo, per Henricum de Grandiprato quas potest eidem ingerit molestias; ipse verò, munito Sathanaco castro, Virdunenses hostiliter perstringit. 628. d. An. 1080, partes Henrici IV Imp. adjuvat adversùs Rodulphum Anticæsarem. 629. b. Anno 1081, quemdam Theodericum Comitem, filium Gerardi Florinensis, sibi adversantem capit. 587. c. Anno, ut videtur, 1082, auxilio Henrici Leod. Episc. compos Bulloniensis castelli efficitur. 545. b. 587. d. An. 1086, cum Theoderico Virdun. Episc. dimicat apud Sathanacum. 628. d. 629. a. 641. a. n. 644. d. mense Julio, interest exequiis Theoderici Abbatis S. Huberti. 588. e. An. 1089, Ducatu Lotharingiæ donatur. 259. d. 545. n. 600. c. (ubi malè an. 1087.) An. 1096, Hierosolymam profecturus possessiones suas vendit, ut earum pretium Deo fœneretur. 606. d. Mosacum et Sathanacum vendit Richero Virdun. Episc. 631. a. b. 688. b. Comitatum quoque urbis Virdun. eidem reddit, et Falconis-montis castrum everti permittit. 631. c. 688. b. Bullonium item Principatum Otberto Leod. Episc. venalem exponit, vel potiùs pignori opponit. 549. a. 590. c. 591. b. 607. a. b. 631. d. 688. c. pro trecentis marcis argenti. 631. d. pro mille quingentis libris argenti. 591. b. Eodem anno, itineri Hierosol. se committit. 7. b. 32. b. 70. a. 217. c. 394. b. 459. c. 549. a. 716. e. An. 1099, expugnatâ a Christianis Hierosolymâ, in Regem eligitur XI Kal. Augusti. 70. c. 631. e. An. 1100, moritur. 262. c. De antiqua Caroli Magni linea originem trahere dicitur. 7. b.

Godefridus Barbatus, Comes Lovaniensis, an. 1095 succedit fratri suo Henrico. 260. n. Eodem, ut videtur, anno, pacis sequester efficitur inter Arnulphum Comitem de *Loz* et Henricum Comitem Limburgensem. 594. b. An. 1099, Comitatum de *Brunengeruz*, de quo lis erat cum Otberto Leod. Episc. judiciali sententiâ perdidit. 607. d. An. 1101, Cameracensibus jussu Imperatoris fert opem adversùs Robertum Flandriæ Comitem. 486. a. An. 1106, Trudonenses Monachos tutatur ab infestatione Henrici Ducis Limburg. 595. b. Eodem anno, Ducatu Lotharingiæ donatur ab Henrico V Imp. qui illum Henrico Limburgensi abstulerat. 263. c. 549. b. n. 595. c. 603. b. An. 1107, cum Henrico Limburg. bellum gerit pro Lotharingiæ Ducatu, et Aquisgrani victoriam de eo reportat. 263. d. 604. b. An. 1114, infensus Henrico Imp. bellum indicit Gisleberto Comiti Durachiensi, qui pro Imperatore stabat, et Trudonense oppidum cujus erat ille advocatus, flammis absumit XIV Kal. Augusti. 595. d. e. n. 719. b. An. 1119, partes sectatur pseudo-Episcopi Leod. Alexandri adversùs Fredericum Namurcensem. 596. e. 608. a. An. 1120, suppetias fert Alexandro obsesso in Hoïensi castello ab Episcopo Frederico et ejus fratre Godefrido Comite Namurc. 597. b. n. 609. a. b. Eodem, ut videtur, anno, uxorem ducit Clementiam Flandriæ Comitissam, et ejus gratiâ Carolo Comiti adversatur. 336. d. An. 1122, Henricum Imp. adjuvat ad expugnandum Montis-Falconis castrum. 267. d. Eodem anno, post obitum Frederici Leod. Episc. per Alexandrum absolvitur a vinculo anathematis quo erat constrictus. 597. d. Sequenti tamen anno, Adelberonem fratrem suum eidem ad Episcopatum Leod. anteferri curat. 598. a. An. 1125, legatione fungitur ad Carolum Flandriæ Comitem, ut ei Romani coronam imperii offerat. 349. e. Ipso anno, Lotharingiæ Ducatu privatur a Lothario Imperatore. 598. c. n. Rebellis eam ob causam Imperatori, vires suas confert cum Gisleberto Comite Durachiensi ad debellandum novum Ducem Walerannum Limburgensem, et Abbatiam Trudonensem, cujus erat ille major Advocatus, prædis et incendiis vastat: quapropter ab Alexandro Episcopo anathemate percellitur. 598. b-d. An. 1127, Guillelmo Normanno Flandriæ Comiti adversatur, precibus generi sui Henrici Angliæ Regis. 345. c. partes Angl. Regis adjuvat, ut ille Flandriæ Comes efficiatur. 696. d. An. 1128, ut Angliæ Regem promereatur, partes Arnoldi nepotis Caroli Flandriæ Comitis adversùs Guillelmum Normannum amplectitur, eique filiam suam in conjugium spondet. 382. c. Eodem anno, Theoderico Alsatio pro Comite Flandriæ se gerenti adversatur (quippè de dote matris ejus cum eo disceptabat) et partes Guillelmi Normanni adjuvat. 268. e. 391. d. n. 697. a. Quinto Idus Julii, castrum *Alost* quò Theodericus cum suis se receperat, obsidet: quâ durante obsidione, cùm Guillelmus Normannus interiisset, VI Kal. Augusti pacem cum Theoderico componit, et Guillelmum e vivis sublatum denuntiat. 390. a-d. 400. c. 732. d. An. 1129, VII Idus Augusti cum Alexandro Leodiensi Episc. et Duce Waleranno pugnat apud Durachium, et factâ utrimque hominum strage, vincitur. 269. a. 582. b. 598. e. 601. b. 604. d. 609. e. 610. a. Tandem ad satisfactionem veniens Ecclesiæ communioni redditur. 599. a. Anno, ut videtur, 1133, bellum gerit cum Gisleberto Comite Durachiensi. 599. c. d. et an. 1136, cum Godefrido Comite

Digitized by Google

Namurcensi, pro electione Abbatis Gemblacensis. 271. b. An. 1139 vel 1140, die 15 Januarii, obit Monachus effectus Affligemi, ubi sepulturam accepit. 271. e. n. 549. n. 582. d. Filii ex priori uxore, Godefridus, Henricus; filiæ, Aelis, Clarissia, Ida.

Godefridus II, Comes Lovaniensis, an. 1140 succedit patri suo Godefrido. 582. d. Eodem anno, Lotharingiæ Ducatu donatur a Conrado Imp. gratiâ uxoris suæ, sororis Imperatricis. 271. e. Ipso anno, lacessitus bello ab Henrico Comite Limburgensi, S. Trudonis oppidum expugnat. Deinde Aquisgranum progressus, oppidanos a studio partium Henrici deterret ostentatione virium suarum. 272. b. Anno 1142 vel 1143 moritur, quarto anno sui Ducatûs. 272. e. Filius ex Lutgarde, sorore Lotharii Imp. Godefridus.

Godefridus III, Comes Lovaniensis et Dux Lotharingiæ, an. 1155 uxorem ducit Margaretam filiam Henrici Comitis Limburgensis, quo pacto in Ducatu confirmatur, et advocatiâ S. Trudonis cum castello *Rode* donatur. 276. b. 703. d. Anno 1159, postquam viginti annis infestatione Walteri-Bertholdi divexatus fuerat, ejus urbem Grimbergensem expugnat die S. Remigii, et cum Bertholdo pacem componit. 277. b. An. 1165, Philippo Flandriæ Comiti fœderatur adversùs Florentium Hollandiæ Comitem. 278. d. An. 1169, bellum gerit, Autumni tempestate, cum Henrico Comite Namurcensi. 570. e. Anno 1170, hastiludii occasione Balduinum V Comitem Hanon. hostiliter aggreditur, a quo vincitur III Idus Julii. 532. b. 571. b. An. 1190 moritur. 549. n. Filii ex priori uxore Margareta Limburgensi, Henricus et Albertus; ex Imaina Lossensi altera, Guillelmus stirps dominorum de *Perewes*.

Godefridi de Lovanio, fratris Henrici I Brabantiæ Ducis, uxor N. de *Audenarde*; filii, Arnulphus, Henricus.

Godefridus, Comes Namurcensis, annum circiter 1088, uxorem ducit Sibyllam filiam Rogeri Comitis Porcensis, cujus etiam Comitatum datâ pecuniâ, consequitur. 589. a. n. 686. c. An. 1105 vel 1106, inimicitias exercet cum Henrico Duce Limburgensi. 595. a. Anno 1119, electionem Frederici fratris sui Leod. Episc. propugnat adversùs Alexandrum et ejus fautores. 596. e. Anno 1120, confert opem fratri suo Frederico ad expugnandum Alexandrum in Hoïensi castello inclusum. 597. b. n. 601. a. 609. a. b. An. 1136, cum Godefrido Duce Lovaniensi bellum gerit pro electione Abbatis Gemblacensis. 271. b. An. 1149, copiam militarem confert Balduino Comiti Hanon. adversùs Theodericum Flandriæ Comitem. 502. c. Filiæ ex priori uxore Sibylla Porcensi, Elisabeth, Flandrina; filii ex uxore secunda Ermensendi Luxemburgensi, Henricus, Albertus; filiæ, Clementia Zaringiæ Ducissa, Beatrix Comitissa Reitestensis, Aelis Comitissa Hannoniensis.

Godefridus, frater Balduini IV Comitis Hannon. anno 1163 moritur VII Idus Aprilis, tyro futurus in Pentecoste. 519. e. 556. c. n. uxor Aenora Viromandensis.

Godefridi de *Buchain* filius ex Yolende priùs Hannon. Comitissa, Godefridus; filia, Berta.

Godefridi de *Perewes* uxor, Aelis Suessionensis.

Godefridi de Ruminiaco uxor, Hadvidis de Roceio.

Godefridi Comitis de Vienna in Ardenna uxor, N. de *Audenarde*.

Godefridi de *Winti* uxor, Beatrix de *Virve*.

Godescalcus, Abbas Montis S. Martini, an. 1151 fit Atrebatensis Episc. consecratus XI Kal. Octobris a Samsone Remensi Archiep. 275. b. 332. e. 471. a. 506. d. An. 1156, Samsoni assistit in Ecclesia Atrebatensi, crucem peregrinationis danti Theoderico Flandriæ Comiti. 514. b. An. 1163 vel 1164, ob invaletudinem Episcopatu se abdicat. 278. c. 472. b. 520. a. An. 1172 moritur in Monasterio S. Martini cujus pridem Abbas extiterat. 279. n. 422. c.

Goffridi de Asperomonte uxor, N. Comitissa de *Salebruges*.

Gornaium. *Vide*, Girardus, Hugo I, II, III.

Goswini de *Heinesberch* filius, Philippus Colon. Archiep.

Goswini de Montibus et Beatricis de Ruminio filius, Goswinus; filiæ, Ida, Mathildis, Aelis, Rixa, Beatrix, Agnes. 552. c. n.

Goswini de Montibus uxor Ermengardis de Calvomonte in Hannonia; filius, Isaac.

Goswini de Osiaco, Castellani Camerac. et Avesniarum Domini, uxor, Agnes de Ribodimonte.

Goui. Vide, Amalricus.

Gozelonis I Lotharingiæ Ducis filius, Godefridus IV; filiæ, Oda, Raelendis.

Grai. Vide, Henricus.

Gramines. Vide, Joannes *Bertout*.

Grandberga. *Vide*, Arnoldus.

de Grandiprato. *V.* Balduinus, Henricus I, II, III, IV, Hescelinus.

Gratianopolitanus Episc. S. Hugo.

Gravinensis Comes, Gilbertus.

Gregorius VII Papa ordinatur anno 1073. 256. d. 683. d. An. 1074, celebratâ Synodo in qua simoniacos anathemate feriit et uxoratos Sacerdotes a divinorum celebratione amovit, turbas in Ecclesia excitat maximas. 256. e. An. 1076, totus in Henricum Imp. invehitur, et quoscumque potest ac ipsam ejus matrem Agnetem ab eo avertit. 257. b. An. 1077, Imperatorem anathemate percellit, ut quasi justa ex causa primates in eumdem insurgant. 257. c. Eodem anno, Rodulphi Burgundionum Ducis electionem ratam habet, cui et coronam mittit. 257. d. 649. b. Anno 1079, mense Februario, Romæ Concilium habet, ubi Berengarius errorem suum ejuravit. 620. c. An. 1080, quasi divinitùs sibi revelatum prædixit eo anno falsum Regem esse moriturum; sed fefellit eum conjectura de Henrico Imp. interpretata. 257. e. An. 1081, in urbe ab Imperatore obsidetur. 581. b. Anno 1084, captâ ab Imperatore Roma Leonina, fugâ elabitur ad Normannos Apuliæ. 258. b. 581. b. 621. d. An. 1085 moritur Salerni. 258. e. 726. a. Confessor et Martyr. 621. d.

Grentemesnil. Vide, Albericus, Guillelmus, Hugo.

Gres. Vide, Garnerius.

Gresteni Abbates, Fulcherius, Gaufridus, Guillelmus, Herbertus.

de Gribergis. *Vide*, Gerardus.

Gualcherus, Galcherus, Walcherus Camerac. Archidiaconus, duobus de urbis Episcopatu contendentibus, Manasse videlicet et Masselino, tertius an. 1093 eligitur ab omnibus. 260. b. c. 480. c. 535. d. confirmatus ab Imperatore, totus incumbit edomandis Proceribus Cameracesii, qui castella firmaverant et fidem suam Flandriæ Comiti obligaverant. 481. a-c. 535. d. Romam deinde profectus Urbani Papæ gratiam promeretur, quo jubente, ordinatur et consecratur a Rainaldo Remensi Archiep. frustra intercedente Manasse. 481. d. n. 482. a. n. 535. d. An. 1095, disceptans in Concilio Claromontensi cum Lamberto Atrebatensi Episcopo, Urbanum Pontificem sibi reddit infensum, a quo exauctoratur ob contumaciam et electio competitoris ejus Manassis confirmatur. 260. d. 482. d. 483. a. 536. a. de gradu Episcopali dejicitur quasi simoniacus, eò quòd virgam atque annulum ab Imperatore recepisset. 404. b. Reversus Cameracum a Clericis et civibus excipitur; sed ejus causâ civitas supponitur interdicto a Manasse Remensi Archiep. 483. b-d. Interim castella Ogeyum, Busiginium et Bussinias ille expugnat et solo æquat. 484. e. 485. a. 536. b. Clericis verò ab eo deficientibus, cedere coactus, ad Henricum Imp. confugit. 484. a. b. 485. a-d. 536. b. Impetratâ ab eo militum manu, rursùs in urbem intruditur, et Manasse cum suis abscedente, remanentium Clericorum fidem sibi obstringit. 485. d. e. 536. b. Divina nihilominùs officia sibi vetita peragit. 404. b. An. 1102, armis Roberti Flandriæ Comitis impetitur instinctu Remensis Archiepiscopi; sed ei suppetias cum exercitu venit Imperator Henricus. 486. a-e. 536. c. Imperatore ob instantem hyemem repedante, rursùs Cameracensibus imminet Robertus, quocum cives paciscentes absolutionis beneficium ab Archiepiscopo flagitant, Walchero ad præsidium suum Estromium se recipiente. 487. a-d. 536. c. obsessus ibi a Godefrido de Ribodimonte, ad Castellum in Cameracesio se recipit, nec multò post ab eodem in urbem reducitur. 487. e. Manasse an. 1103 ad Suessionensem Episcopatum assumpto, rursùs a Cameracensibus expetitur, sed Archiepiscopus eis haud assentitur. 488. a. An. 1105, jussu Paschalis Papæ exauctoratur in Concilio Remensi, et Odo Abbas S. Martini Tornacensis in locum ejus sufficitur. 403. d. 488. b-d. 536. d. Imperiali potentiâ fretus, Ecclesiæ Cameracensi nihilominùs incubat, donec auctoritate Henrici V expulsus an. 1106 vel 1107 ad Otbertum Leod. Episc. perfugit. 404. c. 488. d. 536. e. Inde ad Imperatorem profectus, ejus opem sibi conciliat adversùs Flandriæ Comitem et Cameracenses, ac tandem pro subactis civibus an. 1108 intercessor accedit. 489. a-d. Non multò post legatione functus

Digitized by Google

ad Paschalem Papam pro Imperatore, causam suam denuò exagitat, et a Romano Pontifice in eum statum quem ante Pontificatum habuerat, restituitur. 490. a. b. 536. e. Odone vitâ functo, rursùs a Cameracensibus in Episcopum cooptatur anno 1113; at præ senectute Pontificatum detrectat, et ad Monasterium S. Nicolai de Nemore secedens, ibidem ad obitum usque demoratur. 491. c. 536. e.

Gualdricus, Waldricus, Laudunensis Episc. an. 1110 per ministros suos Gerardi Carisiacensis necem machinatur. 266. c. An. 1112, cives a sacramento juratæ Communitatis revocare nisus, a seditiosis perimitur, quintâ feriâ hebdomadæ Paschalis, VII Kal. Maii, die Litaniæ majoris. 266. b. 461. d. 491. c. 581. e.

Gualerannus, Walerannus, qui et Paganus Comes Limburgensis, anno 1119, partes Frederici Leod. Episc. sectatur adversùs Alexandrum et ejus fautores. 597. a. An. 1125, ab Imperatore Lothario donatur Lotharingiæ Ducatu, quo Godefridus Lovaniensis spoliatus fuerat. 598. c. n. An. 1128, Trudonensis Monasterii Advocatiam, cujus erat major Advocatus, aufert Gisleberto Comiti Durachiensi. 598. b. Sequenti anno, contra eumdem et Godefridum Exducem pugnat, mense Augusto, apud Durachium, pro Alexandro Leod. Episc. 598. e. filius, Henricus.

Gualeranni, Waleranni III, Comitis Limburgensis, filius Walerannus Longus; ex uxore altera Ermensende Luxemburgensi, Henricus Comes Luxemburgensis, Catharina Lotharingiæ Ducissa, cum aliis.

Gualeranni, Waleranni Longi, Comitis Limburg. filius ex Isabella Barrensi, Walerannus *Poile-vache*.

Gualerannus, Galerannus, Valerannus, Comes Mellenti, anno 1123 cum aliis Normanniæ Baronibus rebellat in Henricum Angliæ Regem causâ Guillelmi filii Ducis Roberti : contra quem Rex Henricus arma movens, Pontem-Aldemari et Brionnam incendit. 36. b. 62. d. 81. c. 285. a. d. An. 1124, VII Kal. Aprilis, die Annuntiationis B. Mariæ, dum Bellomonte Watevillam proficiscitur, haud procul a Burgo-Turoldi ab insidiantibus sibi Regis satellitibus capitur et in carcerem Rotomagi conjicitur. 36. b. 62. d. 74. d. 82. c. n. 285. c. An. 1126, in Angliam transvehitur, et Brigis primò, deinde apud *Walingeford* includitur. 63. b. An. 1129, e carcere absolutus, datisque obsidibus, ad sua remittitur, castellis tamen et munitionibus privatus. 64. c. 83. b. sic Regi amicus factus, cum eo in Angliam circa messem revertitur. 64. c. An. 1136, mense Septembri, occupat Achinneium castrum Rogeri de Toeneio. 288. b. n. Adveniente in Angliam Mathilde Imperatrice, an. 1139 eidem comes datur ad securitatem. 26. a. An. 1141, militans Stephano Regi, e prælio Lincolniensi se subducit. 41. b. 88. b. Eodem anno, convertit se ad partes Gaufridi Belli Comitis Andegav. concesso sibi Montis-fortis castello ad Risellam, quod post mortem Henrici Angl. Regis adeptus fuerat. 289. b. An. 1144, Comiti Andegav. opem confert ad expugnandam arcem Rotomag. 290. a. Vizeliaci, an. 1146, Dominicâ in Ramis Palmarum cruce insignitur, peregrinaturus Hierosolymam. 291. b. An. 1150, Stephani Angliæ Regis arma in se concitat, et incendio urbis Virecestriæ multatur. 43. c. An. 1152, tutor efficitur Radulphi Comitis Viromandensis. 294. b. An. 1153, capitur a nepote suo Roberto de Monteforti in colloquio indicto prope Bernaium, et in *Orbec* castro inclusus eod. anno dimittitur, redditâ turri de Monteforti. 296. d. An. 1154, castrum Montis-fortis obsidet, sed ab eodem nepote suo fugatur. 296. d. Ipsi suas munitiones aufert an. 1161 Henricus II Angl. Rex. 305. e. An. 1166, moritur factus Monachus Pratelli. 309. e. Mores ejus adumbrantur. 40. d. filius ex N. sorore Simonis Comitis Ebroïcensis, Robertus.

Gualeranni de Bretolio filiæ ex Alaïde Drocensi, Adelaïs, nupta Radulpho Comiti Claromontensi, N. uxor Simonis de Claromonte, Emicia.

Gualterus, Walterus, Cabilon. Episc. an. 1093 Hugoni Lugdun. Archiep. assistit Richerium Virdun. Episc. consecranti. 623. a. An. 1098, primordia Cisterciensis Cœnobii adjuvat. 261. e. 459. d. 673. a. Anno 1100, interest Concilio Ansano. 624. c. Eodem anno, causam Norgaudi Eduensis Episc. defendit in Concilio Cabilonensi. 625. a.

Gualterus, Walterus, primus Abbas S. Martini Laudun. instituitur anno 1124. 327. e. An. 1151, fit Laudunensis Episc. post Bartholomæum. 332. e. 583. b. 701. b. An. 1153, vitâ fungitur, multarum fundator Ecclesiarum, et Præmonstrati sepelitur. 333. c.

Gualterus II, de Mortania, Laudun. Episc. anno 1153 succedit alteri Gualtero. 333. c. An. 1161, interest conventui Cameraci habito, XII Kal. Aprilis. 518. c. An. 1164, Nicolao Camerac. Episc. assistit Kal. Maii, Ecclesiæ S. Auberti consecrationem peragenti. 520. b. An. 1175, Episcopatu se abdicat. 576. d. Illi successor datus fuit a quibusdam nepos ejus Walterus, Laudun. Ecclesiæ Thesaurarius, qui Romam profectus, et a summo Pontifice confirmatus, inter redeundum morti occubuit. 576. e. ipse verò circa annum 1176, vivere desiit. 681. d.

Gualteri, Galtheri de *Antoing* uxor, Catharina de *Soreau*.

Gualterus de Osiaco, filius Fastradi Tornac. Advocati et Richeldis, assequitur post obitum patrui sui Gossuini Avesniense dominium cum toto penè Bracbanto. 402. b. Anno 1147, post festum Omnium Sanctorum, subitâ morte tollitur Montibus Hannoniæ in aula Balduini Comitis, ubi litigabat. 402. d. n. 560. c. n. Filii ex Ida Tornacensi, Theodericus se vivente demortuus, Nicolaus Plukellus Avesniarum dominus, Fastradus Tornac. Castellanus, Ivo, Evrardus Tornac. Episc. ac filiæ quatuor.

Gualteri, Galtheri de Avesnis, Jacobi filii, et Margaretæ Blesensis Comitissæ filia, Maria.

Gualteri, Walteri, Broburgensis Castellani, et Mathildis Bethuniensis filius, Henricus; filia, Beatrix.

Gualteri, Walteri Bertholt, Advocati Macliniensis, uxor Adeluya de *Enghien*, ex qua Walterus, Henricus, etc.

Gualteri, Walteri Bertholt II et Mariæ Alvernicæ filius, Walterus.

Gualteri, Walteri Bertholt III uxor, Aelis de *Ghisne*.

Gualteri, Galcheri, de Castellione, et Isabellæ Comitissæ S. Pauli filius, Hugo V Comes S. Pauli et Blesensis.

Gualteri de Creciaco, filii Hugonis V Comitis S. Pauli, filius ex N. de Triangulo, Gualterus.

Gualteri, Walteri de *Enghien* uxor prima Mathildis de *Barbenchon*, secunda N. de *Perewes*, tertia Maria Reitestensis, ex qua filius Walterus.

Gualteri, Walteri de Fontanis uxor, Mathildis de Montibus.

Gualteri, Walteri de *Gaunt* filii ex Mathilde Richemundensi, Gillebertus, Robertus.

Gualteri, Walteri de *Hartain* uxor N. de *Marlins*.

Gualteri, Walteri de *Lens* filius ex Beatrice de *Ruez*, Eustachius; filiæ, Ida, Maria.

Gualteri, Walteri de Linea uxor, Mathildis de Montibus.

Gualteri, Galtheri de *Montejai* filii ex N. de Roceio, Guido, Gualterus.

Gualteri de Pollario uxor Gisla de *Ag* seu de Aqua.

Gualteri, Walteri de *Sottenghien* uxor, Richeldis Tornacensis.

Gualtheri, Galteri de Toraca conjux, Maria de *Vervin*.

Guarinus de *Galardun* anno 1165 fit Abbas Pontiniacensis. 674. b. Anno 1174 vel 1175, Bituricensem Archipræsulatum adipiscitur. 319. b. 674. b. n. An. 1178, Tolosam a Regibus Franciæ et Angliæ mittitur ad confutandos hæreticos ibidem grassantes. 174. a. An. 1179, interest Concilio Lateranensi, ibique consecrationem impertitur Sebrando Lemovicensi Episc. 204. n. Eodem anno, assistit Remensi Archiep. Philippum Augustum in Regem consecranti. 181. a. An. 1180, cùm ad eum accessissent Canonici Lemovicenses, ut secundùm Alexandri Papæ mandata causam dirimeret quæ inter Sebrandum et Henricum II Angliæ Regem vertebatur, mortuus inventus fuit. 204. c. Obiit an. 1180, die 20 Martii. 324. b.

Guassemberge. Vide, Gerardus.

Guibertus, Ravennas Episc. an. 1079 electus Antipapa opponitur Gregorio VII. 257. e. 621. b. An. 1084, vi Regis Henrici Romam ingreditur, imperialemque coronam eidem tradit. 600. c. 621. d. An. 1095, ab Urbano II Papa percellitur anathemate in Concilio Claromontensi. 6. c. An 1100, moritur. 581. d.

Guichardus, an. 1136 fit Abbas Pontiniacensis post Hugonem. 674. b. An. 1164, Thomam Cantuar. ab Anglia exulantem excipit hospitio. 128. c. Anno 1165, Pontificatum Lugdun. adipiscitur, consecratus ab Alexandro Papa apud Montempessulanum. 319. b. 674. b. n. 676. e. Anno 1174, interest dedicationi Clarevallensis Ecclesiæ. 713. a.

Guido Cremensis, an. 1160 missus ad Concilium Bellovac. Legatus causam orat Octaviani Antipapæ. 104. d. n. Anno 1164, eidem successor datur a schismaticis, Paschalis III appellatus. 110. b. 127. d. 207. e. 308. d. 584. c. 669. d. 722. d. Anno 1168 moritur. 298. b. 312. d.

Guido, Præpositus Autissiod. electus

Digitized by Google

an. 1176 Senon. Archiepiscopus, VI Kal. Octob. consecratur a Joanne Carnot Episc. 200. a. 319. d. 749. c. An. 1179, Guillelmo Remensi Archiep. assistit Philippum Augustum in Regem coronanti. 181. a. Anno 1180, eumdem Philippum cum Regina Elisabeth coronat apud S. Dionysium, die Ascensionis Domini. 182. b. 205. a. 282. d. 324. b. 750. a.

Guidonis de Acromonte et Hescelinæ de Nullejo filius, Werricus.

Guidonis de Castellione filii ex Alaïde Drocensi, Guido, Gualterus Comes S. Pauli; filia, Alaïs uxor Guillelmi *Noblet*.

Guidonis II de Castellione uxor N. de *Gien*, ex qua Galtherus et Yolens uxor Archimbaldi de Borbonio.

Guidonis III, Comitis S. Pauli uxor Mathildis Brabantica; filii, Hugo Comes Blesensis, Guido Comes S. Pauli, Jacobus dominus Lutosæ.

Guidonis de Dampetra, Flandriæ Comitis, filia, Margareta.

Guidonis de *Laval* conjux, N. filia Roberti Comitis Moritonii.

Guidonis de *Montengni* et Idæ de *Hondescote* filius, Robertus.

Guido, Comes Nivernensis, anno 1168 succedit fratri suo Guillelmo. 677. a. An. 1175 moritur. 319. c. Filius ex Mathilde Burgundica, Guillelmus V; filia, Agnes.

Guidonis I Comitis Pontivi filia, Agnes.

Guidonis II Comitis Pontivi filius, Joannes.

Guidonis de Rupeforti filius, Hugo de Pompona dominus Creciaci.

Guihomarus, Vicecomes Leonensis, Hervei filius, an. 1167, partibus favens Eudonis Porricidii Vicecomitis, generi sui, bello impetitur ab Henrico II Angl. Rege, incensoque et capto castro suo munitissimo, fidei suæ obsides tradit. 310. e. An. 1168, patri succedit. 312. d. An. 1171, Hamonem Leonensem Episc. fratrem suum perimit. 314. d. Eodem anno, perterritus multitudine armatorum quos Henricus II Angl. Rex ad eum comprimendum miserat, circa Pentecosten ad eum accedit Pontem-ursonem, suique et castellorum deditionem facit. 314 e. An. 1173, partes Henrici filii Angliæ Regis in patrem rebellantis sequitur. 152. b. An. 1177, perdomitus a Gaufrido Britanniæ Duce, Henricum II Angliæ Regem convenit, arbitrio ejus se cum omni terra sua permittens. 321. b. Anno 1179, terrâ et castellis suis spoliatur a Gaufrido Britanniæ Duce, retentis solummodò duabus parochiis usque ad proximum Natale Domini, quo Hierosolymam cum uxore sua erat profecturus. 179. d. 322. c. Filii, Guihomarus, Herveus.

Guillelmus Papiensis Episc. Alexandri III Legatus, an. 1160 auctoritate suâ comprobat matrimonium Henrici, filii Henrici II Angliæ Regis, septennis, cum Margareta filia Regis Ludovici, trienni. 186. b. Ipso anno, causam Alexandri orat in Concilio Tolosano vel potiùs, Bellovacensi. 105. a. Eodem anno, legatione fungitur in Francia cum Henrico Pisano. 306. b. An. 1166, cura ipsi et Joanni Neapolitano demandatur conficiendæ pacis inter Thomam Cantuar. Archiep. et Henricum II Angliæ Regem, quibuscum apud Montem-mirabilem congressus pacem non perficit. 187. b. Eodem anno, Archiepiscopum convenit Pontiniaci cum litteris Angliæ Regis, rogans ut aliò commigret. 127. c. An. 1167, Senonas ad Archiepiscopum accedit cum Ottone Card. pacis sequester futurus. Deinde cum Anglico Rege colloquium habet, postmodùm cum Rege Ludovico, tandemque cum Archiepiscopo locutus inter Gisortium et Triam in Octavis Sancti Martini, pace infectâ, revertitur in Italiam. 130. d.

Guillelmus, Cantuar. Archiep. anno 1127, Mathildi Imperatrici fidem suam obligat de tradendo ipsi regno, si patrem absque mascula prole obire contingat. 21. b. Anno 1135, Stephanum Boloniæ Comitem in Angliæ Regem coronare cunctatur propter jusjurandum Mathildi factum. Asserente tamen Hugone *Bigod* Regem id sacramentum ante obitum relaxasse, coronam Stephano imponit, die Natalis Domini. 65. d. 84. a. 121. c. n. Anno 1136, die duodecimâ post Natale, funus exequitur Regis Henrici. 38. d. 287. c. An. 1138 moritur. 66. b.

Guillelmus, filius Theobaldi Magni Comitis Blesensis, an. 1163 ad Lugdunensem Archiepiscopatum postulatur. 307. d. An. 1165, eligitur Carnot. Episc. Papâ permittente ut ad quinquennium differretur ejus consecratio. 309. c. Anno 1168, fit Senonensis Archiep. consecratus a Mauritio Paris. Episc. XI Kal. Januarii. 677. a. Biennio tamen Carnotensem Episcopatum retinuit, permissu Alexandri. 312. d. Anno 1169, acceptis Alexandri mandatis, Legatos Gratianum et Vivianum de pace Cantuariensis Ecclesiæ quidquam definire prohibet, se inconsulto. 188. a. Eodem vel seq. anno, Romam pergit, effecturus ut terra Henrici II Angliæ Regis ob dissidium cum Thoma Cantuar. Archiepiscopo supponatur interdicto. 134. a. 144. b. An. 1170, interfuit colloquio apud Montem-Laudiacum habito inter Regem Ludovicum et Henricum II Angliæ Regem, ubi Cantuariensis Archiep. Regis in gratiam receptus fuit. 144. b. 189. a. An. 1171, necem Thomæ Cantuariensis per epistolam Papæ Alexandro significat, ut invidiam Angliæ Regi pariat. 145. d. Reversis interim nunciis quos Romam transmiserat, ut Alexander Regem Angliæ cogeret pacem servare quam cum Archiepiscopo Cantuar. pepigerat, terram Regis cismarinam, juxta Pontificis mandata, interdicto supponit, spretâ Rotrodi Archiep. Rotomag. ad Apostolicam sedem appellatione. 146. a. n. Eodem anno, partem ossium B. Carilefi transtulit, VIII Kal. Septembris. 748. d. An. 1173, legatione fungitur pro Rege Ludovico VII Vernolium obsidente ad Henricum II Angliæ Regem. 154. d. anno item 1174. 160. c. d. Anno 1176, fit Remensis Archiep. veniâ Romani Pontificis. 139. d. 166. e. 281. b. 319. d. 422. d. 576. d. 681. c. 749. c. possessionem adeptus VI Idus Augusti, Nevelonem Suession. Episc. consecrat, et Rogerum Laudunensem. 199. d. 713. b. An. 1177, IX Kal. Augusti, dedicationem peragit Marciniacensis Ecclesiæ. 281. e. An. 1178, peregrinationem aggreditur, mense Julio VI Kal. Augusti, ad sepulcrum B. Thomæ Cantuariensis. 178. b. 201. b. An. 1179, in Concilio Lateranensi creatur Sabinensis Episc. Card. ibidemque Rogerium ordinat Cameracensem Episcopum. 179. c. 541. b. Die Sanctorum Omnium, Remis Philippum Augustum in Regem coronat. 181. a. 203. b. 323. c. 423. c. 455. d. 475. c. 683. a. 713. c. Dominicâ sequenti, Concilium celebrat cum Episcopis Belgicæ secundæ. 282. d. Eâ occasione Lobias accessit cum Rogero Camerac. Episc. et Balduino Comite Hannon. 584. e. An. 1180, ægrè ferens nimiam Philippi Flandriæ Comitis auctoritatem, et animum Philippi Regis a se, fratribus et sorore aversum, Henrici Angliæ Regis auxilium implorat. 181. c. n. 324. a. Eodem anno, queritur apud Alexandrum Papam de Guidone Senon. Archiep. qui Regem et Reginam coronaverat apud S. Dionysium. 182. a. 324. b. non multò post, die SS. Petri et Pauli, cum fratribus et sorore in gratiam recipitur a Rege Philippo, agente pro eis Henrico II Angliæ Rege. 182. b.

Guillelmus, Abbas Cadomensis, an. 1079 fit Rotomag. Archiep. 725. b. An. 1080, ad Pentecosten, Concilium habet Lillebonæ. 725. c. A divinis interdictus multis annis ob impensam nuptiis Regis Philippi cum Bertrada benedictionem, vix tandem per Anselmum Cantuar. communioni redditur. 14. b. Anno 1110, moritur. 284. a.

Guillelmus de Campellis an. 1113 fit Catalaun. Episc. post Hugonem. 691. c. 729. b. An. 1115, benedictionem impertitur Bernardo Abbati Clareval. quia vacabat sedes Lingonensis. 692. c. An. 1119, legatione fungitur ad Imperatorem pro Calixto II Papa. 720. a. Anno 1121 vel 1122, vitâ fungitur XV Kal. Februarii, suscepto monastico habitu octo diebus ante obitum. 80. d. 655. n. 695. c.

Guillelmus, Dunelm. Episc. Angliæ regni sub Guillelmo II præcipuus administer, an. 1088 cum Odone Bajoc. Episc. conjurationem facit ut, dejecto Guillelmo, Robertus Dux Normanniæ ad solium evehatur. 2. b. 31. a. 53. c. 67. d. Captâ Rovecestriâ et rebellibus a Rege profligatis, Regis veniâ indemnis in Normanniam abire permittitur. 3. a. 31. b. 54. c.

Guillelmus, Prior S. Martini de Campis, an. 1161 fit Abbas Ramesiensis. 306. a. An. 1178 vel 1179, assumitur ad Abbatiam Cluniacensem. 200. d. 323. d. Moritur an. 1180, postridie Epiphaniæ, postquam duos ferè annos præfuisset. 323. e.

Guillelmus Nothus, Dux Normanniæ an. 1062 Cenomanniam redigit in suam potestatem. 47. b. An. 1063, in exilium pellit Rogerium de Toenio, Hugonem de Grentemaisnilio, Guillelmum Geroium, ac Rogerium S. Ebrulfi Abbatem. 222. b. An. 1064, congregatis Episcopis et Baronibus *Treviam* Dei servandam edicit. 221. d. In Angliam proficiscitur causâ invisendi Regis Eduardi. 222. a. Inde reversu

Digitized by Google

transit in Britanniam, ac Eudonem et Alanum fratres inter se discordes conciliat. 222. b. Circa idem tempus hæres Angliæ regni renunciatur ab Eduardo. 222. d. Non multò post Haraldum Regis sororium a Guidone Comite Pontivi captum ad se transmitti curat, quocum de Angliæ regno paciscitur, sponsâ ei filiâ suâ Alâ. 223. a-d. An. 1066, certior factus de obitu Regis Eduardi et de coronatione Haraldi, cum Baronibus suis tractat de sua in Angliam profectione. 225. a-e. Locutus quoque cum Rege Philippo et Comite Flandriæ Balduino, nec ullam ex eis opem consecutus, exercitum cogit apud S. Walericum in Pontivo. 226-227. In Angliam appulsus die S. Michaëlis, commissoque cum Haraldo prælio die S. Calixti, victoriam reportat, eoque regno et vitâ privato, in Regem coronatur Dominicâ seq. 22 die Octobris, ab Aldredo Eboracensi Archiep. 47. c. 92. b. 217. a. 239. b. 724. a. An. 1067, in Normanniam trajicit, et eodem anno, die festo S. Nicolai in Angliam revertitur. 48. a. n. Anno 1070, fœdus icit cum Comite Waltheofo, et tempore Quadragesimæ perscrutari jubet omnia Monasteria, ut pecuniam in eis repositam auferat. 48. b. n. Eodem anno, Stigandum Cantuar. Archiep. qui se in Regem coronare detrectaverat, ab A. S. Legato exauctorandum curat in Concilio Wintoniensi. 92. d. n. Ipso anno. filiorum Balduini Flandriæ Comitis patrocinium suæ tutelæ commendatorum suscipit. 48. b. An. 1073, in Normanniam trajicit cum Eadgaro Clitone, quem cum omnibus suis *inlagavit*. 48. c. n. Collecto Anglorum et Francorum exercitu, Cenomanniam intrat, totamque provinciam edomat. 48. c. An. 1074, rogatus ab Imperatore ut auxilium sibi ad comprimendos Saxones impendat, gentis suæ indomitæ cervicositatem causatur. 714. b. Ipso anno, interest Concilio Rotomagensi. 724. c. Monitus anno 1075 Rogerium Herfordiæ Comitem et Radulphum de *Gaël* simul conspirasse ut eum regno deturbent, in Angliam transit Autumni tempestate, captisque Rogerio et Waltheofo Comite, Britones omnes rebellionis conscios die Natalis Domini suppliciis afficit, et anno sequenti Waltheofum decollari permittit. 49. a-c. n. Anno 1076, habito cum Simone Comite Crispeiensi colloquio, unam ei filiarum suarum in conjugium offert. 684. c. Eodem anno, exercitum ducit in minorem Britanniam, et Dolense castrum obsidet : at metu properantis in obsessorum auxilium Philippi Regis, cum damno rerum suarum recedit. 49. c. An. 1077, cum Philippo Francorum Rege pacem componit, et eodem anno, filio suo Roberto, cui Normanniam denegabat, bello exagitatur. 49. c. n. Prælialus an. 1079 cum filio suo juxta Gerboredum castellum, ab ipso vulneratur in brachio, et in terram prostratus fugere permittitur. 49. c. 50. n. Insaniam filii primò irriserat, deinde verò in iram actus, paternâ eum benedictione et hæreditate fraudavit Anglicâ, concessâ ægrè Normaniâ. 8. b. An. 1080, Odonem fratrem suum mittit cum exercitu in Northymbriam, ad ulciscendam necem Walcheri Dunelm. Episcopi. 50. n. Eodem anno, provinciam gerendi belli contra Malcolmum Scotiæ Regem demandat Roberto filio suo. 50. n. An. 1082, Odonem fratrem suum capit. 50. a. Monitus an. 1085, Kanutum Daniæ Regem, auxilio Roberti Flandriæ Comitis, irruptionem in Angliam meditari, Autumni tempestate illuc trajicit cum exercitu in Francia et Britannia conscripto, hostibusque accessum intercludit. 50. b. n. Ineunte an. 1086, edicto præcipit, Angliæ terram describi. 50. c. n. Ad Pentecosten Henrico filio suo arma militaria tradit, deinde post festum Primitiarum in Normanniam revertitur. 51. a. An. 1087, irrisus a Rege Philippo quòd more puerperarum decumberet, eam injuriam ulturus impressionem facit in Franciam ante Assumptionem B. Mariæ, urbem Medantum incendit, et factâ servorum Regis strage, dum revertitur, lethaliter vulneratur in inguine. 51. c. 217. b. 240. c. d. 672. b. Itaque sibi moriendum prospiciens, rebus suis testamento providit. 241. a-d. et nono die Septembris vitâ functus in Ecclesia S. Stephani, quam extruxerat, sepulturam accepit. 51. c. 92. d. 217. b. 241. e. 260. b. n. 644. d. 672. b. 726. a. Singulare nothorum decus appellatus. 93. a. in ejus mores et politiam censura. 51. *et seqq*. In sigillo suo sedebat ex una parte super equum ut Comes, et ex alia super thronum cum sceptro ut Rex. 392. d. Filii ex Mathilde Flandrica, Guillelmus, Henricus, Richardus, Robertus ; filiæ, Adela, Cecilia, Christina, Constantia.

Guillelmi Rufi, filii Guillelmi Conquestoris, in Normannia nati pluribus annis antequam pater Angliam adiret, tyrocinia et indoles. 1. a. b. An. 1079, cum patre dimicans juxta Gerboredum contra fratrem suum Robertum, vulnus accipit. 50. a. n. An. 1087, patris edicto in Angliam transvectus, Rex coronatur die SS. Cosmæ et Damiani, a Lanfranco Cantuar. Archiep. 1. a. b. 53. b. 242. c. 672. b. An. 1088, post Pascha, bello impetitus a patruo suo Odone Bajocensi Episc. et aliis regni Optimatibus, ut regno deturbetur, Conciliatis sibi sponsione bonarum legum Anglis, castella patrui sui *Tunebrige* et *Pevensel* effringit, ipsumque captum ad tradendam Rovecestriam adigit. 2. a-e. 30. e. 31. a. 53. c. 54. a. b. 68. a-e. Interim misso navali exercitu ad maris custodiam, Roberti Normanniæ Ducis copias in perfidorum auxilium properantes fundit. 3. b. 31. a. 54. b. Anno 1089 vel 1090, certus injurias a fratre acceptas ulcisci et par pari referre, castella S. Walerici et Albemarlam acquirit pecuniâ, ibique præsidia sua collocat ad infestandam Normanniam. 3. b. 31. b. 54. d. Philippum quoque Francorum Regem, qui Roberto Duci suppetias venerat, pecuniâ corruptum ad retrocedendum inducit, bellumque intestinum in Normannia exercet. 3. b. 54. d. An. 1091, post festum Candelarum in Normanniam trajicit cum Roberto fratre suo pacem componit, eâ lege ut castella a se acquisita, Fiscannum, Aucum et Cæsaris-burgum, retineat, fratri verò ad acquirendam Cenomanniam auxilio sit. 3. c. 31. c. 54. e. 242. e. Dum ergo expeditionem in Cenomanos parant, arma in Henricum utriusque fratrem convertunt, et in Monte S. Michaëlis inclusum obsident mediâ Quadragesimâ. 3. d. 10. a. 69. a. Ibi Guillelmus Rex inter probitatis suæ facinora equo dejicitur, et subsannatâ Roberti erga fratrem mansuetudine, tædio affectus recedit. 3. d. 243. a-d. Mense Augusto, in Angliam revertitur cum fratre Roberto, ut Malcolmum Scotiæ Regem in Angliam ingressum propellat, moxque pacem cum Scoto componit, eodem agente Roberto. 31. c. 55. b. Anno 1093, dum curiam suam die Christi Natali celebrat Glocestriæ, a Roberto Normanniæ Duce per nuncios de perjurio accusatur ob violatum vel neglectum fœdus anni 1091. 31. d. 55. c. Quamobrem in Normanniam proficiscitur an. 1094, mediâ Quadragesimâ, congressusque cum fratre causâ cadit judicio fidejussorum : unde iratus Aucum redit, conciliatisque sibi auro et argento Normanniæ Proceribus, eorum et sua castella munit. 31. d. 55. d. n. Castellum deinde apud *Bures* expugnat, exercitumque in Anglia xx millium bellatorum conscribi jubet. 31. d. 55. d. Interim verò a Roberto et Philippo Francorum Rege obsessus apud Aucum, oblatâ Regi pecuniâ, eorum conatus infringit. 31. d. 55. e. Appulsus in Angliam circa Domini Natale, fratrem Henricum a se accersitum obvium habet, quem sequenti quadragesimâ in Normanniam remittit, ut eo contra Ducem Robertum utatur. 31. e. 56. a. An. 1095, curiam suam habet die Pentecostes apud Windsoras, cui dum Robertus de Molbraio adesse detrectat, expeditionem in eum aggreditur, castellum Tinemuthum capit, *Babbeburg* obsidet, firmatoque ex adverso castello Malovicino dicto, recedit. 32. a. 56. b. Interim capitur Robertus, cui Rex minas intentat, nisi castellum reddatur ; quo recepto, Robertum conjicit in carcerem, consciosque rebellionis Guillelmum Aucensem et Odonem Campaniensem suppliciis afficit et rebus spoliat. 5. a. 32. a. 56. c. d. n. An. 1096, in Normanniam trajicit mense septembri, datisque fratri suo Roberto 6666 libris, vel decies mille marcis argenti, in subsidium transmarinæ peregrinationis, Normanniam ab eo pignoris nomine recipit, et Anglis tributum importabile indicit. 4. e. 32. b. 57. a. n. 70. b. 93. e. 244. c. 623. d. An. 1097, Vigiliâ Paschæ in Angliam revertitur. 32. b. 57. a. 70. b. Anselmum Cantuar. Archiep. pellit in exilium. 57. b. 94. a. n. Circa festum S. Martini vel S. Andreæ in Normanniam redit. 32. b. 57. b. 70. b. Annum 1098 totum agit in Normannia bellicis tumultibus occupatus. 32. c. 57. e. Æstatis tempestate, Cenomannicam urbem, et magnam illius provinciæ partem suæ subdit potestati. 70. c. 217. c. Heliam quoque de Flexia Comitem Cenoman. a suis captum libertate donat. 5. b. 246.

Digitized by Google

246. b. An. 1099, ad Pascha redit in Angliam, et post Pentecosten, commonitus familiam suam in urbe Cenomannica obsideri ab Helia de Flexia, mari turbido se committit, dissuadentibus nautis propter ventorum inclementiam; Heliam fugat et Cenomannenses edomat. 5. a. 32. c. d. 57. c. 70. c. 245. a-d. Ad festum S. Michaëlis in Angliam revertitur. 57. c. An. 1100, IV Nonas Augusti, sagittâ inter venandum perimitur a Waltero Tirello, Wintoniamque delatus in Ecclesia S. Petri tumulatur. 5. d. 32. d. 57. c. 70. d. 94. a. 217. c. 246. d. 262. c. 393. a. 673. d. Ejusdem mores adumbrantur. 4. *et seq.* 32. d. 57. c. 93. c.

Guillelmus, filius Henrici I Angliæ Regis, an. 1103 nascitur. 120. c. An. 1115, eidem fide et hominio se obligant Normanniæ Proceres, patre jubente. 34. d. 61. a. et anno 1116 Angliæ Optimates, in conventu Saresberiensi XIV Kal. Aprilis celebrato. 17. d. 73. d. 120. c. An. 1119, mense Junio, uxorem ducit Mathildem filiam Fulconis Comitis Andegav. accepto Cenomannico Comitatu pro munere sponsalitio. 15. b. 17. e. 61. d. n. 74. a. 80. a. n. 120. c. 247. a. Eodem vel seq. anno, clientelam profitetur Regi Ludovico pro Normannia sibi concessa. 15. b. 18. a. 80. b. An. 1120, post patrem in Angliam vela faciens, naufragio perit VII Kal. Decembris. 18. a-d. 35. e. 36. n. 62. b. 74. c. 80. c. 94. e. 120. d. 218. b. 247. b. 393. b. 674. d.

Guillelmus, filius Roberti Normanniæ Ducis, militaribus armis donatus a Comite Flandriæ Balduino, an. 1118, ab eodem adjuvatur ad sibi vindicandam armis paternam hæreditatem. 336. a. 395. d. Normanniâ quoque a Rege Ludovico donatur sub fide clientelari. 61. n. An. 1119, in prælio Brennivillensi primam Francici exercitûs aciem ducit. 35. b. An. 1123, in uxorem accipit Sibyllam filiam Fulconis Comitis Andegav. cum Cenomannico Comitatu. 18. e. 62. e. 81. b. Auctus Fulconis auxilio, crebras irruptiones facit in Normanniam. 82. b. An. 1124, artibus patrui sui Henrici Angliæ Regis ab uxore sua sejungitur auctoritate Joannis A. S. Legati. 18. n. 20. e. 63. d. 81. n. An. 1127, mense Januario, alteram sibi copulat uxorem Joannam filiam Ragineri Montis-ferrati Marchionis, sororem uterinam Adelaïdis Franc. Reginæ. 63. d. 81. n. 82. d. n. Eod. anno, Regem Ludovicum circa mediam Quadragesimam convenit Atrebatum, dumque illic diebus 15 de eligendo Flandr. Comite tractatur, tandem precibus Reginæ Comes Flandr. renuntiatur, X vel VI Kal. April. 36. c. 63. d. 82. e. 253. a. 268. c. 345. b. 364. b. 412. b. 416. c. 417. a. 466. a. 696. d. Inde cum Rege Ludovico Insulas progreditur, pridie Kal. Aprilis, ubi civium fidem sibi obstringit. 365. c. Quarto Nonas Aprilis, Gandavi a Brugensium legatis Comes Flandriæ resalutatur, quibus et Gervasium de *Praat* præficit Castellanum. 365. d. Nonis Aprilis, Brugas cum Rege progressus solemniter excipitur, ac postridie sacramento assertis Brugensium privilegiis et novis additis, omnium fidem sibi devincit. 345. d. 365. e. *et seq.* Circa medium Aprilem, postquam Insulæ et Bethuniæ suam exhibuisset præsentiam, Tervannæ excipitur Cleri populique applausu, ubi factâ bidui morâ, ad Audomarenses profectus recipitur ut Comes, quorum consuetudinibus vicissim pondus suæ auctoritatis addit, XVIII Kal. Maii. 345. d. n. 372. a-c. Sexto Kal. Maii, Regi Ludovico Ypram obsidenti suam opem confert adversùs Guillelmum Yprensem pro Comite se gerentem, et civium proditione captum Insulis in vincula conjicit. 346. b. d. 375. e. 376. a. 412. b. 466. a. Kal. Maii, Regem Ludovicum antevertit Aldenardam, ad expugnandum Balduinum Montensem qui viciniam inde infestabat, immissoque in suburbium igne, trecentas animas in Ecclesia exussisse perhibetur. 376. b. Tertio Nonas Maii, Brugas cum Rege revertitur, sumptoque de interfectoribus Caroli Flandriæ Comitis supplicio, Regi Ludovico in Franciam revertenti ducatum præbet, pridie Nonas Maii. 346. e. 377. b. Kal. Augusti, Insulenses in ipsum rebelles aggreditur, et summâ mille et quadringentarum marcarum multat. 379. b. Inde cùm eos suspectos haberet, VI Idus Septemb. Guillelmum Yprensem Brugas transfert, in camera castri servandum cum fratre ejus Thiebaldo *Sorel.* 377. d. Decimo sexto Kal. Octobris, edicto præcipit conscios proditionis in Comitem Carolum prodi, et Teloneum a Brugensibus requirit quod paulò antè condonarat. 377. e. 378. a. Unde cùm de Brugensibus etiam diffideret, VIII Idus Octobris Guillelmum Yprensem Castellano Insulensi servandum transmittit. 378. d.

An. 1128, III Nonas Februarii, Sanctum-Audomarum obsidet, ut partes Castellani adversùs incolas tueatur, eosque rigore frigoris ad pacem coactos sexcentis marcis multat. 379. b. Similiter XIV Kal. Martii, Gandavenses sibi reddit infensos, dum Castellanum eisdem truculentum præficere nititur. 379. c. Interea dum ibi consistit, ab Iwano de *Alost* violatæ fidei arcessitur, quam ut injuriam a se propulset, duello rem dirimere proponit. At Iwan renuit : unde judicio contendere cum eo acquiescit Ypræ, feriâ quintâ in Capite jejunii, VIII Idus Martii. 379. d. e. 380. a. Igitur cùm ad præfinitum diem convenisset Ypram cum armatis militibus, id indignè ferentes Ywan et Daniel Tenremundensis, eidem significant absolutos se esse simul et Gandavenses a fide quam ei pepigerant. 380. a. Inde conjuratione in eum factâ, illi universorum penè Flandrensium animos ab eo avertunt, et Theodericum Alsatium accersunt. 380. c. 400. a. 407. c. Guillelmus dum expeditionem parat adversùs Iwanum et Danielem, XII Kal. Aprilis Arnoldum nepotem Caroli Comitis, qui etiam pro Comite se gerebat, apud Sanctum-Audomarum aggreditur, et in Ecclesiam S. Bertini retrusum abjurare Flandriam cogit. 381. a. 412. c. 458. a. n. 466. c. n. Circa idem tempus Brugenses infidos experitur, et Ypram secedere cogitur. 581. b. d. Ab omnibus ferè derelictus, Guillelmum Yprensem in libertatem restituit ante Kal. Aprilis, ut ejus operâ utatur contra insurgentes undique hostes. 382. b. d. angustias quoque suas et Henrici Angliæ Regis insidias Regi Ludovico significat. 382. n. Circa Pascha, Compendium pergit ad Regem Franciæ, ut consilium ab eo et auxilium poscat contra Theodericum. 385. a. Simoni Noviomensi Episc. duodecim altaria reddit, eâ lege, ut in fautores Theoderici sententiam interdicti et excommunicationis promulget. 383. a. 407. b. Pridie Nonas Maii, Flandriæ Comes asseritur ab Episcopis et Baronibus Atrebati jussu Regis Ludovici congregatis, ejusque competitor Theodericus e Flandria excedere jubetur. 386. a. n. Idibus Maii, cum fautoribus Theoderici pugnat apud *Orscamp.* 386. d. Inde vires suas confert cum Rege Ludovico adversùs Theodericum Insulæ inclusum. 386. e. n. 400. c. n. Rege in Franciam reverso XII Kal. Junii, Brugenses aggreditur IV Kal. Junii, et eâdem die revertitur Jadbecam. 386. e. Variâ deinde fortunâ certatur inter fautores ejus et sequaces Theoderici. At Comes Guillelmus XI Kal. Julii victoriam de Theoderico reportat apud *Tiled.* 388. a-d. 412. d. 417. b. 466. d. Quarto Nonas Julii, cum Theoderico Comite iterùm pugnat spatio sex dierum apud *Orscamp*, flumine interposito. 389. a-c. Quinto Idus Julii, Godefrido Lovaniensi occurrit, Theodericum, Iwanum et Danielem obsidenti apud *Alost.* 390. a. Ibi dum viriliter rem suam agit, in dextra manu vulneratus post dies quatuor morti occumbit VI Kal. Augusti, et ad S. Bertinum sepelitur. 36. n. 37. a. 64. b. 75. a. 268. e. 390. c. 400. c. 407. c. 412. c. 417. b. 418. a. 466. e. 495. b. 674. d. 697. a. 732. d. ejusdem epitaphium. 37. n.

Guillelmus, filius Gaufridi Comitis Andegav. et Mathildis Imperatricis, an. 1136 nascitur Argentomagi, XI Kal. Augusti. 121. b. n. 287. e. An. 1164 moritur Rotomagi, III Kal. Februarii, et in Ecclesia S. Mariæ sepelitur. 207. c. 219. c. n. 308. d.

Guillelmus, filius Henrici postmodùm Angliæ Regis II et Alienoræ primogenitus, an. 1153 nascitur infra Octavas S. Laurentii. 125. c. 296. b. An. 1155, post Pascha, in conventu Procerum Angliæ hæres regni declaratur, si patri superstes sit. 126. c. 298. a. An. 1156, moritur et Radingis ad pedes proavi sui Henrici sepelitur. 298. e.

Guillelmus Scotiæ Rex anno 1170 fidem suam obligat Henrico filio Henrici II Angliæ Regis, recens coronato. 143. b. An. 1173, eidem in patrem rebelli auxilium suum spondet, et totâ Northumbriâ usque ad Tinam sub fide clientelari donatur. 151. c. Post hæc castella sua de Strivelina, Puellarum, de Geddevurda, de *Berewic*, de Rokesburga, de *Anant*, de *Logmahan* munit. 152. d. Impressionem deinde in Angliam facit. 115. c. verùm a strategis Regis Henrici senioris impugnatus, damnis in Berwicensi provincia afficitur, ac tandem inducias cum eis paciscitur a mense Octobri usque ad festum S. Hilarii.

Digitized by Google

157. b. An. 1174, post Pascha rursùs in Angliam irruptionem facit, Northimbriam vastat et castellum de Alnewic obsidet. At captus a Regiis militibus III Idus Julii, et ad Regem in Normanniam transmissus, Falesiæ mittitur in custodiam. 116. b. n. 117. d. 138. a. d. 158. b. 160. a. 219. e. 318. e. Eod. anno, VI Idus Decembris, pacem componit cum Angliæ Rege apud Valonias, et datis obsidibus, in Angliam revertitur III Idus Decembris. 197. d.

Guillelmus I, Rex Siciliæ, an. 1154 succedit patri Rogerio. 296. e. An. 1166, moritur septimo die mensis Maii. 741. c. Filii ex Margareta Navarrensi, Guillelmus, Henricus.

Guillelmus II, Rex Siciliæ, an. 1166 patri succedit sub tutela matris. 741. c. An. 1173, rescribit Henrico II Angliæ Regi, conquerenti de rebellione filiorum suorum. 151. n. An. 1176, per legatos expetit in matrimonium Joannam ejus filiam, et accipit. 139. d. 164. c. 216. c. 319. c.

Guillelmus Comes Albæmarlæ, cognomento Grossus, an. 1138, præsidio Eboracensi constitutus ab Stephano Rege cum Morinis et Pontivis, Davidem Scotiæ Regem fugat in prælio *Standardi*. 66. a. 85. c. n. Eodem anno, Comitatu Eboracensi donatur ob suam egregiam navatam operam. 86. b. An. 1141, e prælio Lincolniensi elabitur et Regem periculo exponit. 41. b. 88. b. An. 1142, præliaturus cum Alano Comite Richemundiæ, a Stephano Rege impeditur. 89. c. An. 1143, inimicitias exercet cum Ranulfo Comite Cestriæ et Gilberto de *Gaunt*. 89. c. An. 1173, in partes filii Henrici II Angliæ Regis proclivis oppidum Albemarlam a Philippo Flandriæ Comite vix oppugnatum tradit. 114. b. 152. c. 192. b. 219. e. 316. d. An. 1179, moritur. 181. b. Filia ex uxore sua Cecilia, nata Guillelmo filio Duncani fratris Davidis Scotiæ Regis, Hawisia. 57. n. Spurcitiæ causâ relictus ab uxore sua dicitur. 40. e.

Guillelmus Talavatius, Comes Alencionensis, Sagiensis et Pontivi, an. 1135, munitiones quas ei Rex Angliæ Henricus I abstulerat, dono Gaufridi Comitis Andegav. recuperat. 287. d. An. 1166, Henrico II Angliæ Regi castra resignat Alenceium et Rocam-Mabiriæ. 309. e. An. 1171, e vivis tollitur. 315. a. Filii ex Agnete Pontivensi, Guido, Joannes, ac filiæ duæ. 254. d.

Guillelmus VII Comes Pictav. Dux Aquitaniæ IX, cùm esset in expensis profusior, acceptâ a Raimundo Comite S. Ægidii pecuniâ copiosâ, urbem ei Tolosam circa an. 1094 pignori opponit. 105. b. 303. b. n. An. 1100, præsens Concilio Pictaviensi succenset Legatis A. S. eò quòd Philippum Regem vellent anathemati supponere. 626. b. Eodem anno, peregrinaturus in Palestinam, meditatur terram suam oppignorare Guillelmo II Angliæ Regi. 5. e. An. 1101, profectus cum 60 armatorum millibus, et a C. P. Imperatore in insidias Turcorum inductus, penè solus reversus est. 8. a. n. 717. b. An. 1112, subreptâ Vicecomiti Castri-Heraldi uxore suâ Malbergione, a Gerardo Engolismensi et Petro Pictaviensi Episcopis anathemate percellitur, et a proprio filio bellis divexatur. 20. a. 729. c. An. 1127, moritur. 732. b. in multis vituperatur. 19. e. 20. a. Filius ex Philippa Tolosana, Guillelmus; filia, Agnes.

Guillelmus VIII, Comes Pictav. Dux Aquitaniæ X, an. 1112 in patrem insurgit ob repudiatam ab illo matrem suam, eoque rebellante damnosum Aquitania transegit septennium. 729. c. An. 1137, ad S. Jacobum orationis gratiâ peregrinatur, ibique ante altare feriâ sextâ Parasceves animam efflat. 330. b. 699. b. 733. e. Moriturus autem Proceres qui se comitabantur, contestatus est ut major filiarum Alienordis in conjugium traderetur Ludovico filio Regis Ludovici VI. 271. d. 330. b. 733. e. Filiæ, Alienora, Petronilla.

Guillelmus de Albineio, Comes de *Arundel*, an. 1165 legatione fungitur pro Henrico II Angl. Rege ad Regem Ludovicum. 207. d. Anno 1173, eidem Henrico militat adversùs Franciæ Regem. 154. a. Eod. anno, mense Octobri, Robertum Leicestriæ Comitem profligat juxta S. Edmundum. 157. c. Anno 1176, moritur IV Idus Octobris. 167. a. 200. b. 319. e. Is uxorem duxerat Adelizam Lovaniensem, viduam Henrici I Angliæ Regis, ex qua filii, Guillelmus ac Godefridus, et Helisendis Aucensis Comitissa.

Guillelmus, Comes Aucensis, socius conjurationis Odonis Bajocensis Episc. in Guillelmum II Angliæ Regem, Glavornensem eidem Comitatum an. 1088 aufert. 68. d. An. 1093, a naturali domino suo Roberto Duce Normanniæ deficit, et Guillelmo Angliæ Regi se dedit. 69. b. An. 1095, in necem Guillelmi Rufi conspirat, ut Stephanum de Albemarla, filium amitæ illius, ad Angliæ solium evehat. 69. c. Hujus proditionis apud Regem accusatus, duello cum accusatore decertat, sed minor in certamine anno 1096, infra Octavas Epiphaniæ, excæcatur et eviratur. 5. a. 32. a. 56. d. Filius, Henricus.

Guillelmus I, Audomarensis Castellanus, circa an. 1139 Arnoldum Gandavensem adjuvat ad sibi vindicandum armis Ghisnensem Comitatum. 429. d. 431. a. Hic ex uxore sua Millesenda, filia Arnulphi Vicedomini Pinkiniensis, filios suscepit Guillelmum, Hostonem, Gerardum, Hugonem de Falkenberga, et Walterium Tiberiadis vel Tabariæ Principem; filias quoque Mathildem, Euphemiam, Gislam de Monasteriolo, Luchgardim et Beatricem in Astromensi Monasterio sanctimoniales. 429. e.

Guillelmi II, Castellani Audomarensis, filii ex Ida de Avesnis, Guillelmus, Gualterus, Jacobus, Nicolaus; filiæ, Mathildis, Ida, Agnes, Alaïs, Margareta, Beatrix.

Guillelmi de Ypra, Castellani Audomarensis et Comitis de Falkenberga, filii ex Adeluya de *Ghisnes*, Guillelmus, Joannes, Gerardus, Jacobus, Balduinus, Walterus, Bouchardus; filia, Mathildis.

Guillelmus, Comes Boloniæ, filius Stephani Angliæ Regis, an. 1154, pace compositâ inter patrem et Henricum Normanniæ Ducem, Moritolii Comitatu donatur cum aliis Stephani possessionibus citra et ultra mare. 100. d. n. 255. b. Eodem anno, Ducem abeuntem prosecutus, et ex equo prolapsus, crure læditur. 101. a. 126. a. Anno 1157, cum eodem Henrico Angliæ Rege paciscitur, redditis fiscalibus et munitionibus suis tam in Anglia quàm in Normannia. 299. e. An. 1158, die S. Joannis-Baptistæ, cingulo militari ab eodem donatur. 300. b. An. 1159, redux ab expeditione Tolosanâ, moritur mense Octobri absque liberis. 45. n. 185. e. 206. b. 277. n. 304. d. uxor N. filia Guillelmi III Comitis Warennæ.

Guillelmi Magni, Burgundiæ Comitis, filii, Guido Viennensis Archiep. Raimundus Comes Galiciæ; filiæ, Clementia, Gisla.

Guillelmus Puer, Comes Burgundiæ vel Sedunorum, an. 1127 a quibusdam damnatitiis perimitur, feriâ tertiâ secundæ hebdomadæ Quadragesimæ, Kalendis Martii. 268. c. 465. c. 604. d. 662. a. n. 720. e. 732. c.

Guillelmus Crispinus, an. 1106 Roberto Normanniæ Duci militans in prælio Tenerchebraïco, ibidem capitur. 60. a. 72. c. An. 1112, rebus suis ab Henrico Rege spoliatur et de Normannia expellitur. 34. d. 60. d. An. 1119 Regi Ludovico stipendia faciens, in prælio Brennivillensi, Henricum Angliæ Regem bis ferit in capite, sed ab eo repercussus cum equo prosternitur et capitur. 35. c. 61. n.

Guillelmus de Curceio, Normanniæ Justitiarius, an. 1176 moritur, relinquens parvulum filium ex N. filia Richeri de Aquila. 167. a. 319. e.

Guillelmi de Dampetra et Margaretæ Flandriæ Comitissæ filii, Guido, Guillelmus, Joannes.

Guillelmus, Comes Ebroïcensis, an. 1112 rebus suis spoliatur ab Henrico Angliæ Rege, et de Normannia expellitur. 34. d. n. 60. d. uxor, Helwisa.

Guillelmus *Taillefer*, Comes Engolismensis, an. 1168 cum aliis rebellat adversùs Henricum II Angl. Regem. 311. c. An. 1169, tempore Quadragesimæ, eidem reconciliatur. 313. b. An. 1176, ob pacem violatam bello impetitur, post festum S. Joannis-Bapt. a Richardo Pictaviæ Comite, coactusque ad deditionem ipsam urbem Engolismensem, Castella de Boutevilla, de *Archiac*, de *Montiniac*, de *Lachesa* et de Melpis reddit. 165. c. An. etiam 1177, bellum gerit cum Duce Richardo. 321. a.

Guillelmus, filius Roberti II Fland. Comitis, an. 1109 moritur apud Ariam, et in Ecclesia S. Bertini sepelitur. 411. b. n. 416. c. 417. a. 461. d.

Guillelmus, Comes Glocestriæ, an. 1176, ægrè ferens hæreditatem suam inter filias dividendam, hæredem instituit IV Kal. Octobris Joannem filium Henrici II Angliæ Regis, pactâ eidem tertiâ filiâ suâ. 166. d. 200. b.

Guillelmi *Goet*, uxor Elisabeth Carnotensis, ex qua filia N. mater Gaufridi de Donzeio, et Agnes domina de Monteforti in Cenomannia. 703. b.

Guillelmi de *Graumes* et Margaretæ de *Antoing* filii, Guillelmus, Hugo;

Digitized by Google

filia N. uxor Henrici de *Marlins*.
Guillelmi de *Hondescote* uxor N. de *Bevre*, ex qua filii plures, quorum primogenitus Petrus.
Guillelmi de *Hufalise* uxor N. de Altavilla ; filius, Guillelmus.
Guillelmi de Jacea filius ex N. de *Vasiers*, Guillelmus et filia una.
Guillelmi-Lupelli filius, Galerannus de Ibera vel Ibreio.
Guillelmus, Yprensis dictus et Loensis, Roberti Frisonis ex patre Philippo nepos, an. 1119 ad Flandriæ Comitatum aspirat, auxilio Clementiæ Comitissæ, cujus neptem duxerat in uxorem. 336. c. 693. d. An. 1127, auditâ Caroli Comitis nece, pro Comite se gerit, positisque in castello suo Sclusa, quod in dotem acceperat, præsidiis suis, Ariam, S. Venantium, Casletum, Bellulam, Ypram, Bergensem quoque ac Furnensem terram in suam pertrahit ditionem. 345. a. n. 372. c. 412. b. 466. a. 696. d. Pridie Nonas Martii, per legatum internecidis salutem dicit, ut eorum sibi favorem conciliet. 355. c. hominia deinde et securitates extorquet a mercatoribus Flandriæ qui Ypras ad nundinas convenerant. 354. d. 355. d. XVII Kal. Aprilis, Brugensibus denunciat se Flandriæ Comitatu donatum a Rege Ludovico, ut eo mendacio impediat electionem Diederici Hollandiæ Comitis. 359. e. XIII Kal. Aprilis, Isaac nepotem Præpositi Brugensis Ariam perductum extremo supplicio afficit. 342. d. Nono Kal. Aprilis, falsum rumorem spargit ab Henrico Angl. Rege pecuniam sibi fuisse transmissam, ut submissam verè a traditoribus eo mendacio tegat. 363. e. Cassus Flandriæ Comitatu, Angliæ Regi fœderatur ut provectum impediat Guillelmi Normanni. 345. e. Quinto Idus Aprilis, a Rege Ludovico convenitur apud Winendalam, cùmque oblatam pacis compositionem refutasset, Regem sibi reddit infensum. 367. d. Tertio Idus Aprilis, ut famæ suæ consulat, Bertulfum Brugensem Præpositum Ypris extremo supplicio afficit. 343. b-e. 367. c-e. *et seq.* Circa medium Aprilem, apud Ariam obsidetur ab Hugone Campo-avenæ et Waltero de Florerdeslo. 372. c. Ypræ, VI Kal. Maii, a Rege Ludovico et Guillelmo Comite novo impugnatur, dumque viriliter repugnat, Yprensibus ab eo deficientibus, capitur, traditusque custodiæ Insulensis Castellani, munitionibus quas occupaverat spoliatur. 346. b-d. 376. a. 412. b. 466. b. 697. a. Sexto Idus Septemb. e carcere Insulensi transfertur Brugas in suprema camera servandus cum fratre suo Thiebaldo *Sorel.* 377. d. Octavo Idus Octobris, Ypras reducitur in vincula conjiciendus. 378. d. An. 1128, ante Kal. Aprilis, in libertatem asseritur eâ lege, ut Guillelmo Normanno a Brugensibus et Gandavensibus rejecto esset auxiliator contra insurgentes undique hostes. 382. b. d. at ille libertati redditus fidem vix uno die servavit. 412. c. Theoderico etiam Comitatum adepto non minùs rebellis, tandem e Flandria exulare coactus, in Angliam transit, et operam suam locat Stephano Regi. 122. a. 413. a. 468. d. Anno 1137, ut Regem promereatur, Comitem Glocestriæ Robertum neci ex insidiis destinat. 24. c. An. 1140, viribus Stephani Angl. Regis, Balduini Comitis Hanon. et Hugonis Comitis Sancti-Pauli adjuvatur adversùs Theodericum Flandriæ Comitem. 501. b. n. Cantiæ Comitatu a Rege donatus, an. 1141 eidem in prælio Lincolniensi militat. 41. b. n. Eod. anno, sollicitus pro Rege compedito Mathildem Imperatricem in urbe Wintoniensi obsidet, cum Roberto Comite Glocestriæ dimicat, eoque capto, Regem e custodia eximit. 41. d. 89. a. b. 96. c. 413. b. 470. e. Post hæc dum toti Angliæ alter a Rege imperat, lumine oculorum orbatus languescit. 413. b. An. 1152, conventus a Leonio S. Bertini Abbate, facultates suas erogat ad eam Ecclesiam post incendium instaurandam. 413. n. An. 1155, de Anglia expulsus cum suis Flandrensibus ab Henrico II Rege, in Flandriam revertitur, ac post decem annos morti occumbit, VIII Kal. Februarii. 413. c. 471. e.
Guillelmus, Comes Luxemburgensis, an. 1111 Virdunensis urbis Comitatu donatur a Richardo Episcopo, additis Mosaco et Stanaco castris in pretium bellici stipendii adversùs Rainaldum Comitem Barrensem. 633. b. 691. a. An. 1112, cum Rainaldo bellum gerit, et primo impetu vicum S. Michaëlis expugnat et incendit, deinde quotidiano armorum impulsu patrium ejus Comitatum profligat. 633. c. 691. b. Richardo vitâ functo, anno 1114, cum Rainaldo pacem componit, eique Virdunensis urbis Comitatum reddit, nolentibus ipsis urbanis : quorum ut edomet pervicaciam, an. 1117 urbem obsidet. 634. a. 641. b. 692. a. Filius ex Lutgarde, Conradus.
Guillelmus de Mandevilla seu Magnavilla, Comes Essexiæ, an. 1173, Henrico II Angliæ Regi militat adversùs Regem Franciæ Ludovicum. 154. a. An. 1175, Angliæ Regi fidejussor datur ab Henrico ejus filio. 198. n. Anno 1177, post Pascha, Hierosolymitanum iter aggreditur cum Philippo Flandriæ Comite. 139. e. 169. a. An. 1178, e sua peregrinatione revertitur, VIII Idus Octobris. 201. d. An. 1179, Regem Ludovicum comitatur ad sepulcrum B. Thomæ Cantuar. peregrinantem. 180. c. An. 1180, uxorem duxit XIX Cal. Februarii Hadewisam filiam Guillelmi Comitis Albæmarlæ, et per eam Albæmarlæ Comitatum adipiscitur. 203. d. 204. a. n. 322. d.
Guillelmus VII, Montispessulani dominus, an. 1159 opem suam confert Henrico II Angliæ Regi adversùs Raimundum Comitem Tolosanum. 304. d. An. 1162, statim post Pascha, Alexandrum III Papam in Gallias adventantem excipit. 665. e. An. 1165, promissis Frederici Imp. sollicitatus ut Alexandrum ei proderet, in animum id inducere minimè potuit. 110. c. filius ex Mathilde Burgundica, Guillelmus.
Guillelmus, Moritolii Comes, Henrici I Angliæ Regis a puero invidus, eidem regnum assecuto jurgii causam intulit. Non enim contentus duobus Comitatibus Moritonii et Cornugalliæ, Comitatum etiam Cantiæ, sibi a patruo suo Odone Bajoc. Episc. ut dictitabat, refusum protervè expostulabat. 11. e. Tandem expunctus sententiâ judicii, an. 1104 indignabundus abscedit de Anglia, turbas in Normannia excitat, Regiis castellis vim infert, et in Richardum Cestriæ Comitem Regis tutelæ commendatum debacchatur. 12. a. 33. c. 59. b. 72. a. 248. b. Rege anno 1106 castrum ejus Tenerchebraïcum impugnante, eò Guillelmus cum exercitu Roberti Normanniæ Ducis contendit, victus capitur, et in Angliam transmissus perpetuis vinculis addicitur. 12. d. 33. c. 59. e. 72. c. 217. d. 282. d. 303. b. Ei Rex Henricus oculos eruisse perhibetur. 38. b.
Guillelmus Comes Nivern. an. 1168 moritur in terra Hierosol. nullâ prole relictâ. 677. a. uxor, Aenora Viromand.
Guillelmi Osberni filius, Rogerius Herfordiæ Comes.
Guillelmus de Paceio an. 1153 moritur absque liberis. 296. a.
Guillelmus Patricius, an. 1173 partes Henrici filii Henrici II Angliæ Regis in patrem rebellis amplectitur cum tribus filiis suis. 191. d. 216. b. Eodem anno, in expugnata turri Dolensi capitur. 194. b. 317. a. c. An. 1174 morti debitum solvit. 318. a. filii, Guillelmus, Ingelrannus.
Guillelmi de *Percy* et Emmæ de *Port* filius, Alanus.
Guillelmus *Peverel* de *Notingham*, an. 1138 pro Stephano Angliæ Rege militat in prælio *Standardi* contra Davidem Scotiæ Regem. 86. a. Anno 1141, in prælio Lincolniensi capitur, stipendia faciens Regi Stephano. 88. b. An. 1155, ob propinatum Ranulpho Comiti Cestriæ venenum exhæredatur. 185. a.
Guillelmi de *Pois* uxor N. de Boumo, ex qua filius.
Guillelmus de Romara, an. 1123 adversùs Henricum Angliæ Regem cum aliis Normanniæ Proceribus rebellat, causâ Guillelmi filii Ducis Roberti. 62. d. An. 1141, Ranulphum Cestriæ Comitem, fratrem suum uterinum, adjuvat in prælio adversùs Stephanum Angl. Regem suscepto. 88. b. Anno 1152 moritur, patre Guillelmo superstite, relinquens duos filios ex sorore Guillelmi Comitis Albæmarlæ. 294. b.
Guillelmi Comitis de Salmis uxor N. de *Prouvi*.
Guillelmi Comitis Suession. fratris Hilduini de Roceio, filii Renaldus, Joannes, Manasses Suession. Episc. filia Ramentrudis.
Guillelmus de Tancarvilla, Rabelli filius, anno 1124, die Annuntiationis Beatæ Mariæ, rebellantes in Henricum I Angliæ Regem Proceres et Gualerannum Comitem Mellenti profligat, captosque numero 25 Regis in manus tradit. 36. b. 62. e. 285. An. 1140, Camerarii dignitatem post patrem adipiscitur. 289. a. An. 1173, partibus se addicit Henrici filii Henrici II Angl. Regis in patrem rebellis. 191. d. 316. c.
Guillelmi de Timbronia uxor, Mathildis Ghisnensis.
Guillelmi de Tingreio uxor, Beatrix Gandavensis.
Guillelmi IV Comitis Tolosani et

Digitized by Google

Emmæ Moritoniensis filia, Philippa.
Guillelmus II de Warenna, Comes Surrei, an. 1102 de Anglia expellitur, quia partes Roberti Normanniæ Ducis adjuverat. 248. c. Anno 1136 moritur. 288. a. uxor Elisabeth Viromandensis.
Guillelmus III Comes Warennæ, an. 1141 Stephano Angliæ Regi militat in prælio Lincoln. 41. b. Die Exaltationis S. Crucis, egressus Wintoniâ cum Roberto Comite Glocestriæ, capitur a militibus Henrici ejusdem urbis Episc. 78. c. Anno 1144, arcem Rotomagensem pro Stephano Angliæ Rege propugnat adversùs Gaufridum Comitem Andegav. 290. a. Anno 1146, itineri Hierosol. se devovet. 291. b. Profectus an. 1147 vitam in ea peregrinatione impendit. 90. b. 300. b. 308. d. filia N. uxor Guillelmi filii Stephani Angliæ Regis.
Guingamp. Vide, Stephanus.
Guirche. Vide, Joibertus.
Guisia. *Vide*, Buchardus.
Guitheri Comitis Reitestensis uxor Beatrix Namurcensis, ex qua Albertus Leod. Præpositus, Comes Manasserus, Henricus Vitriaci Castellanus, Hugo et Balduinus; filiæ, Beatria Siciliæ Regina, N. mater Hugonis Vicedomini Catalaun. Clementia vel Agatha uxor Hugonis de *Wasnou*. 710. e.
Gwiun. Vide, Gelduinus.

H.

Haia. *Vide*, Gaufridus, Radulphus, Richardus.
Haimonis de Columbejo filius, Abelinus.
la Hamaide. Vide, Arnulphus.
Hamenses Abbates, Gerardus, Godescalcus.
de Hammis. *Vide*, Arnoldus, Balduinus, Laureta.
Hannoniæ Comitum origo et genealogia. 372. d. *et seqq.* 474. a. n. Comites, Balduinus I, II, III, IV, V, VI, Hermannus, Rainerus, Richildis.
Hans in Campania. *Vide*, Henricus, Jacobus.
Haraldus, Eduardi Angliæ Regis sororius, dum in Normanniam navigat, a Guidone Comite Pontivi capitur, redditusque Guillelmo Normanniæ Duci, cum eo de Angliæ regno paciscitur ac filiam ejus Alam sibi deligit sponsam. 223. a-d. An. 1065, vitâ functo Eduardo, regnum capessit ab omnibus electus, et spreto sacramento quo Duci Guillelmo tenebatur, die Epiphaniæ an. 1066 consecratur. 47. b. 48. n. 224. e. Eodem anno, lacessitus bello a Guillelmo, vitâ et regno privatur. 47. c. 48. n. 217. a. 236. b.
Hardoinus, Decanus Cenoman. an. 1160 fit Archiep. Burdigal. 305. a. An. 1162 moritur apud Montempessulanum. 307. a.
Harnes. Vide, Hugo, Michaël.
Hartain. Vide, Gualterus.
Hasculfus de Sancto-Hilario, an. 1173 partibus se addicit Henrici filii Henrici II in patrem rebellis. 191. d. Eodem anno capitur ab Henrico Rege seniore in expugnata turri Dolensi. 194. b. 317. a. c. An. 1177, Hierosolymam pergit cum Philippo Flandriæ Comite, et in ea peregrinatione moritur. 320. a.
Hasculfus de Solennio, an. 1169 obit. 313. a. filius, Gislebertus.
Hasebroech. Vide, Ægidius.
Haslut vel *Szalut. Vide*, Gerardus.
Hasnoniense Cœnobium condit anno 1067 Balduinus VI Comes Flandriæ. 543. d. An. 1122, Hasnoniensis Ecclesia, seditione Advocati sui, igne absumitur. 267. d. An. 1149, Hasnoniensem Ecclesiam postridie S. Petri dedicat Samson Remensis Archiep. 502. b. 737. c.
Hastaings. Vide, Richardus.
Hausi. Vide, Guillelmus.
Heinesberge. Vide, Gossuinus.
Helias de Flexia, an. 1090 Cenoman. Comitatum emit ab Hugone Estensi. 244. n. An. 1098, captus a Roberto Bellismensi, in manus Guillelmi Angliæ Regis traditur, nec nisi Cenomanniæ urbis deditione mercatus est libertatem. 5. a. b. n. 246. b. Redditus libertati an. 1099 a Cenomanensibus recipitur, dumque Angliæ Regis præsidia in arce debellat, metu Regis adventantis in fugam agitur. 32. d. 57. c. 245. a-d. Anno 1105, Henrico I Angliæ Regi opem confert adversùs Robertum Normanniæ Ducem, et cum eo Bajocas expugnat. 251. a. Anno 1110 moritur. 34. c. 60. c. filia, Aremburgis.
Heliensis Episc. Nigellus.
Helli. Vide, Gualterus.
Hellini de *Waurin* uxor N. de Bethunia; filia, Sibylla.
Hennin. Vide, Balduinus.
Henricus Pisanus, A. S. Legatus, an. 1160 auctoritate suâ comprobat matrimonium inter Henricum filium Henrici II Angliæ Regis septennem et Margaretam filiam Regis Ludovici VII, triennem. 186. b. An. 1161, Alienoram baptisat. filiam Regis Henrici. 306. c.
Henricus, Abbas Clarevallensis, an. 1178 expensas ab Henrico II Angliæ Rege impetrat ad operiendam plumbo Ecclesiam suam. 713. c. Idem Henrico Campaniensi auctor fuit, ut hoc anno iter Hierosolymitanum aggrederetur. 713. c. Eod. anno, Tolosam mittitur cum Petro Cardinali S. Chrysogoni ad confutandos hæreticos ibidem grassantes. 174. a. n. Profectus in Albigensem diœcesim Castris prædicat, et Rogerium Vicecomitem Biterrensem, qui Albiensem Episcopum in vincula conjecerat, anathemate percellit. 176. n. ejusdem ea de re epistola. 174. n. An. 1179, in Concilio Lateranensi fit Albanensis Episc. Cardinalis. 179. c. 713. d.
Henricus, filius Regis Ludovici VI, Monachus Cisterciensis, an. 1149 fit Episcopus Bellovacensis. 332. d. 334. b. 676. a. 734. e. n. An. 1159, Ludovico fratre suo in partibus Tolosanis occupato, Franciam ab infestatione Normannorum et Theobaldi Comitis Blesensis tutatur. 304. a. An. 1161 vel 1162, Remensem Archiepiscopatum adipiscitur. 277. d. 306. d. 454. d. 518. e. 584. a. 705. c. An. 1167, cum civibus inimicitias exercet; ac tandem precibus Philippi Flandriæ Comitis et Henrici Comitis Campaniensis inflexus, cives in gratiam recipit, redditâ libertate. 522. a. An. 1170, militem quemdam nomine Balduinum expellit de urbe. 532. e. An. 1175, pacis sequester efficitur inter Philippum Flandriæ Comitem et Jacobum de Avesnis. 280. d. Eodanno moritur, pridie Idus Novembris. 166. e. 199. a. 280. e. 319. c. 422. d. 576. d. 675. d. 713. b. (ubi VIII Kal. Novembris.) 749. b.
Henricus, cognomento Aper, anno 1123 fit Senonensis Archiep. 674. d. An. 1145 vitâ fungitur. 675. e.
Henricus, Decanus Salisberiensis, an. 1165 Bajocensi Episcopatu donatur. 309. b. An. 1170, interest consecrationi Henrici filii Henrici II Angliæ Regis. 313. e. An. 1175, Regi Henrico fidejussor datur ab Henrico ejus filio. 198. n. Anno 1177, missus in Siciliam ut interesset nuptiis Joannæ filiæ Regis Henrici cum Rege Guillelmo, circa Ascensionem Domini revertitur in Angliam. 169. c. non multò post legatione fungitur ad Regem Franciæ Ludovicum. 169. c. Eod. anno, interest colloquio apud Ivriacum habito inter Regem Ludovicum et Regem Henricum. 172. n. Die S. Martini affuit electioni Rollandi Dolensis Archiep. 321. b. An. 1178, Rotrodo assistit Rotomag. Archiep. Beccensem Ecclesiam dedicanti. 321. c.
Henricus I, Leod. Episc. Pacificus dictus, filius Friderici Comitis Tullensis, an. 1075 succedit Deoduino seu Theoduino. 257. b. 581. a. 586. c. d. 684. b. An. 1076 et seqq. partes Idæ Boloniensis Comitissæ et Godefridi filii ejus amplectitur adversùs Albertum Comitem Namurc. pro hærede se gerentem Godefridi Gibbosi Lotharingiæ Ducis. 545. b. 587. a. An. 1081 vel 1082, Mirwaldense castrum a Richelde Montensi comparatum munit, ut Bulloniense castellum ab invasione Comitis Namurcensis tutum præstet. 545. b. 587. d. 685. b. An. 1082, VI Kal. Aprilis, legem pacis stabilivit, quâ certis diebus arma ferre fas non erat. 606. a. b. An. 1083, cum Herimanno Metensi Episc. ad S. Trudonem accedit, congregatisque Monachis Idus Augusti, Lanzonem S. Vincentii Metensis Abbatem eis præficit, reprobato Luipone ab omnibus ferè electo. 691. c. Anno 1085, XVII Kal. Julii, anathematis sententiâ percellit Luiponem. 592. a. Nonis Julii, Trudonense oppidum expugnare aggreditur, acceptisque obsidibus de facienda deditione, graviter fert a Brustoniensibus irruptionem in oppidanos fieri et armis rem geri. 592. b-e. An. 1085, Mirwaldum castrum diruendum permittit Theoderico Abbati S. Huberti. 587. e. An. 1086, misertus solitudinis Monasterii Trudonensis, Lanzonem Abbatem illuc remittit, mense Februario. 593. b. Mense Julio, funus curat Theoderici Abbatis S. Huberti, et alterum Theodericum ibidem ordinat Abbatem. 588. e. An. 1087, pacis sequester efficitur inter Theodericum Virdun. Episc. et Godefridum Bullonicum. 629. a. b. An. 1091 moritur, pridie Kal. Junii. 260. a. 581. c. 589. a. 593. e. n. 600. d. 606. c. 686. d.
Henricus II, Leod. Episc. an. 1145 succedit Adalberoni. 273. b. 583. a. 601. d. electus IV Idus Maii. 606. a. An. 1148, Fossense castrum instaurat. 605. a. An. 1149 vel 1150, copiam militarem confert Balduino Comiti Montensi adversùs Theo-

Digitized by Google

dericum Flandriæ Comitem. 502. c. 750. d. An. 1150, bellum diutinum incepit cum Henrico Comite Namurcensi, ac tandem ipsum apud Andenam superavit anno 1151 vel 1152, circa Purificationem B. Mariæ. 274. e. 275. a. 583. c. 602. a. n. 605. a. 616. b. c. An. 1164, dum Imperatori Frederico stipendia faceret in Longobardia, Guidonem Cremensem Antipapam ordinavit IV Kal. Maii, et ab eo vicissim pallii dignitate donatus est. 708. b. 722. d. Eodem anno, morti occubuit Papiæ pridie Nonas Octobris. 522 b. 584. c. 602. c. 605. b. 616. d. 708. d.

Henricus, Abbas Glastoniensis, filius Stephani Comitis Carnot. et Adelæ Anglicæ, an. 1129, post festum S. Michaëlis, Wintoniensi Episcopatu donatur ab Henrico Angliæ Rege et XV Kal. Decembris consecratur a Guillelmo Cantuar. Archiep. 64. c. 75. b. 83. c. 95. c. An. 1133 et seqq. Stephanum fratrem suum juvat auctoritate quâ pollebat, ut in Angliæ Regem suscipiatur. 23. b. n. An. 1139, fratri suo infensus ob captos ab eo Episcopos, Rogerium Saresberiensem et Alexandrum Lincoln. Concilium Wintoniæ cogit IV Kal. Septembris. 25. d. Ibi fratris pedibus provolutus frustra pro Episcopis intercedit ut libertate donentur. 40. b. Adveniente interim in Angliam Mathilde Imperatrice, comes ei ad securitatem datur, nec multò post Arundello fratris jussu ejectam cum honore perducit Bricstovam. 26. a. 76. d. Eodem anno, fraudatus Cantuar. Archiepiscopatu, a fratre avertitur et ad Imperatricis partes se convertit. 124. n. Theobaldi quoque electi æmulus, jurgium inter eum et fratrem seminat. 124. a. An. 1140, de eligendo Saresberiensi Episcopo a fratre dissentiens ab eo magis magisque avertitur, et Philippum de Harulficurte ab eo electum minimè recipit. 76. e. n. Post Pentecosten, cum fautoribus Mathildis Imperatricis congreditur Bathoniæ de pace cum fratre suo componenda. 26. d. Re infectâ, in Galliam mense Septembri navigat, Regis Ludovici et Comitis Theobaldi sententiam rogaturus, indeque reversus mense Novembri, cùm frater paci non acquiesceret, fortunæ suæ eum permittit. 26. e. An. 1141, fratre suo ab hostibus capto, Mathildem Imperatricem excipit Wintoniæ feriâ quintâ post Cineres, Wintoniensesque fidelitatem ei jurare cogit. 28. a. 41. d. 66. c. 77. c. 88. d. Id indignè ferentibus Londoniensibus insidiasque parantibus, cum eadem recedit. 28. b. non multò post avertitur ab ea ob denegatos Eustachio fratris filio Moritolii et Boloniæ patrios Comitatus. 28. c. 41. d. 66. c. Reginæ quoque inflexus lacrymis ad liberandum fratrem animum intendit. 28. c. 96. c. Circa festum S. Petri ad vincula, Imperatricem in castello regio receptam devitat, egressusque ignem urbi jubet immitti, et commeatum inferri prohibet. 28. d. 78. a. Transactis in obsidione septem hebdomadis, die Exaltationis S. Crucis, pace simulatâ, portas aperiri jubet, fugientemque Imperatricem insectatus armis satellitum suorum, Robertum Comitem Glocestriæ capit. 28. e. 41. d. 66. c. 78. a-c. 89. a. 96. c. Die Octavâ post festum S. Andreæ, Concilium cogit Westmonasterii, ubi lectis Papæ litteris, fautores Mathildis Imperatricis anathemati addicit. 29. b. An. 1144, perstrictus severiori censurâ Cœlestini Papæ, Romam proficiscitur. Cluniaci aliquantulùm immoratus, mortuoque interim Cœlestino, ejus successori Lucio sistit se Henricus, accusationes ab Imperatrice intentas elidit, legationis tamen officium non obtinet. 90. a. An. 1151, rursùs Romam abit, ut se de his purget quibus a S. Bernardo et Monachis de Hida accusabatur; munerum tamen largitione in gratiam receptus, cum priori potestate in Angliam remittitur. 737. d. An. 1153, pacem conficit inter Stephanum Regem et Henricum filium Mathildis Imperatricis. 46. a. 91. c. An. 1155, præmisso clam thesauro suo Cluniacum, de Anglia elabitur absque Regis venia, qui sex castella ejus solo æquavit. 185. a. 298. c. An 1171, in extremis agens ab Henrico II Angliæ Rege invisitur, quem pro nece Cantuariensis Archiep. increpat. 189. d. non multò post migrat ad Dominum, IV Idus Augusti. 189. d. 216. b. 315. b. 748. d.

Henricus, Wintoniensis Archidiaconus, secutus Mathildem Imperatricem in Alemanniam, anno 1116 Virdunensem Episcopatum adipiscitur dono Henrici Imp. 624. b. 641. b. 692. a. Conciliatis sibi Virdunensibus, a Brunone Trevir. Archiep. et a Laurentio S. Vitoni Abbate respuitur; a Guidone quoque Vien. Archiep. A. S. Legato percellitur anathemate. 634. b. Romam itaque seq. anno proficiscitur, verùm Cæsarianis iter ei præcludentibus, Mediolani a Joanne Cremensi Presb. Card. absolvitur, et in Episcopum consecratus remittitur. 634. b. Eum revertentem jam præcesserant Legati Imperatoris, prohibentis ne a Virdunensibus reciperetur. Itaque clausas urbis portas inveniens et animos civium infensos, ad Hadonis-castrum secedit, unde minas urbi intentat. 634. c. Interim accusatus a Clero et civibus, an. 1119 Remensi Concilio se sistit, et conciliatis sibi Cardinalibus, pervincit; a civibus nihilominùs respuitur. 634. d. 694. a. junctus itaque Rainaldo Comiti Barrensi, qui et ipse a civibus non recipiebatur, an. 1120 urbem expugnat et pro Episcopo se gerit. 634. e. 694. a. Occupatâ an. 1123 ab Henrico de Grandiprato Virdunensi urbe, ad Rainaldum Comitem Barrensem confugit. 635. b. 695. c. An. 1124, in urbem a Rainaldo reducitur, cui plura Ecclesiæ prædia gratificatur. 635. d. 695. d. Bellis deinceps consopitis, voluptate resolutus, a Clericis suis de simonia, de incontinentia et de dilapidatione rerum Ecclesiæ apud Honorium Papam accusatur. 635. d. Romam vocatus cùm moras innecteret, munia sua obire prohibetur, rursùsque vocatus an. 1128 Romam pergit, cum accusatoribus suis litigaturus. 635. e. 697. b. Jussus Matthæo Albanensi Episc. A. S. Legato se sistere, an. 1129 circa Purificationem B. Mariæ ad Catalaunense Concilium accedit, ubi, suadente Bernardo Abbate, Pontificatu se abdicat. 636. a. 641. b. 697. d.

Henricus, cognatus Henrici I Angl. Regis, fuit Suessionensis Episc. ab anno 1086 usque ad annum 1088. Factus deinde Monachus Cluniacensis, Prioratûs officium gessit Cluniaci ac postmodùm Silviniaci, tandemque Angeriacensem Abbatiam adeptus est dono cognati sui Comitis Pictav. Post hæc Vesontionensem Archiepiscopatum per industriam assecutus, tertio die illum, jubente Cluniacensi Abbate, abdicare compellitur, itemque Santonensem Episcopatum, quem spatio septem dierum occupavit. 63. e. n. An. 1123, legatione fungens pro Romano Pontifice in Angliam appellit de denario S. Petri. 62. b. An. 1127, Abbatiâ de *Burh* in Anglia donatur ab Henrico Rege, mentitus priorem se Abbatiam abdicasse. 63. d. An. 1128, Regis veniâ in Pictaviam redit, pollicitus Angeriacensem Abbatiam se abdicaturum. 64. c. An. 1130, reversus in Angliam Petroburgensem Abbatiam Cluniacensi frustra obnoxiam facere conatur. 64. e. An. 1131, redux ad Angeriacense Monasterium postridie festi S. Joannis a Monachis expellitur. 64. e. Cluniacum itaque se recipit, et a Cluniacensibus in custodiam mittitur ob disjunctum ab eis suâ culpâ Angeriacense Cœnobium. 65. a. Pollicitus ejus loco Petroburgensem eis se acquisiturum Abbatiam, an. 1132 Regem circumvenire tentat; at contra cassus Abbatiâ Petroburgensi e Regis terris abscedere compellitur. 65. b. in eumdem invectiva. 65. n.

Henricus de Soleio, nepos ex fratre Stephani Angliæ Regis, an. 1140 Fiscannensi Abbatiâ donatur pro Episcopatu Saresbiriensi quem affectaverat. 76. e. n. 289. a. Eodem anno, electus ad Archiepiscopatum Eboracensem, industriâ Henrici Wintoniensis Episcopi, ab Innocentio Papa reprobatur. 87. d.

Henrici Aucupis, Germaniæ Regis, filii ex Mathilde Saxonica, Bruno Episc. et Dux Coloniæ, Otho Imp. et Henricus Dux Saxoniæ; filiæ, Gerberga, Hadwidis.

Henrici III Imp. et Agnetis Pictav. filius Henricus IV.

Henricus IV Imp. an. 1071 interest Maguntinæ Synodo cum Legatis Alexandri II Papæ. 580. e. Anno 1074, Saxones bello impetiturus, auxilium a Philippo Francorum Rege flagitat, necnon a Guillelmo Notho Angliæ Rege et a cognato suo Guillelmo Duce Pictaviensi. 714. b. An. 1075, Saxones rebelles perdomat. 581. a. In eum an. 1076 Gregorius VII totus invehitur, et quoscumque potest, etiam matrem ejus Agnetem, ab eo alienat. 257. b. Ipso anno, Lotharingiæ Duce Godefrido Gibboso e vivis sublato, Henricus Ducatum ejus tradit Conrado filio suo, Marchiam verò Antverpiensem Godefrido Bullonico, Gibbosi ex sorore nepoti. 257. n. 600. b. 714. c. Anno 1077, Wormatiæ Concilium cogit, ubi Hildebrandi decreta irrita declarantur, a quo vicissim anathemate perstrictus imperio indignus judi-

Digitized by Google

catur, missâ ad Rodulphum electum Imp. coronâ. 257. d. 649. b. An. 1078, Herimannum Metensem Episcopum urbe pellit, quia impensiùs Hildebrandi partes fovebat. 257. d. An. 1079, habito Moguntiæ conventu, Hildebrandum exauctorandum decernit, et profectus in Longobardiam Guibertum Ravennæ Episcopum pseudo-Papam ei opponit. 257. e. An. 1080, cum Saxonibus et Radulpho Anticæsare dimicat, eoque perempto, triumphat. 258. a. 581. b. 600. b. 621. b. 629. b. n. An. 1081, Romam contendit Hildebrandum Papam debellaturus. 581. b. 600. b. An. 1084, expugnatâ urbe Leoninâ, Gregorium fugere compellit, a Romanis Patricius renuntiatur, et a Guiberto Antipapa in Imperatorem coronatur. 258. b. c. 581. c. 600. c. 621. d. An. 1085, coacto Moguntiæ conventu, exigit ab omnibus ut Hildebrandi depositionem et Guiberti ordinationem ratas habeant. In locum quoque Herimanni Metensis Episcopi alium sufficit. 258. e. An. 1088, Conradum filium suum regni consortem facit. 603. a. An. 1089, uxorem ducit Adelaïdem filiam Regis Ruthenorum. 600. c. An. 1093, a filio suo Conrado divexatur. 260. b. An. 1095, ab Urbano Papa percellitur anathemate in Concilio Claromontensi. 6. c. An. 1097 vel 1098, partes Gualcheri Camerac. Episc. ab Urbano exauctorati amplectitur, et militibus suis stipatum remittit Cameracum. 485. d. 536. b. Anno 1099, cùm esset Aquisgrani die Epiphaniæ Domini, filium suum Henricum regni consortem facit, reprobato filio majore Conrado. 603. a. 717. a. An. 1101, Henricum Comitem Limburgensem sibi adversantem debellat, et eodem anno festum Natalis Domini Moguntiæ celebrans, eidem gratiam suam multâ pecuniâ redimenti Lotharingiæ Ducatum tradit. 262. c. 604. a. 717. b. c. Interim Roberto Flandrensium Comite Gualcherum et Cameracenses infestante, Godefridum Comitem Lovan. et Otbertum Leod. Episc. eis suppetias mittit, quantociùs se adfuturum promittens. 486. a. An. 1102, Autumni tempestate, impressionem facit in terram Flandriæ Comitis, et expugnatis quibusdam ejus castellis in Ostrevanno, Marconium, *Paluels*, Incenium, Sclusam et Bulcenium, cùm Robertus locum pugnæ non daret, propter instantem hyemem revertitur. 263. a. 411. b. 453. d. 460. c. 486. d. 536. c. 581. d. 604. a. 717. e. An. 1103, die Apostolorum Petri et Pauli, ab eodem convenitur Leodii, ac pacem flagitantem et clientelâ sibi obstrictum in gratiam recipit, Gualchero Episc. priùs reconciliatum. 263. a. 453. d. 487. a. b. 717. d. 728. a. An. 1105, Cameracensis urbis proventus largitur Roberto Flandriæ Comiti. 488. d. 492. e. Eodem anno, bellis exagitatur ab Henrico filio suo. 263. a. 717. d. Exauctoratus ab eo, Coloniam cum paucis se recipit anno 1106, deinde Leodium, ubi Otberto Episc. et civibus ipsum consolantibus, Henricum Limburgensem, cui Lotharingiæ Ducatum contulerat, accersit cum aliis Optimatibus. 717. e. calamitates quoque suas Regi Franc. Philippo per epistolam significat. 263. b. Die Dominicæ Cœnæ, comperiens filium suum properare Leodium, Ducem Henricum maturatè præmittit, qui occupato ponte super Mosam apud *Wiset*, Regis filii copias fundit. 263. c. 595. c. 604. b. 718. a. Eod. anno, dum expeditionem parat ut fortunam resarciat, moritur Leodii VIII Idus Augusti. 263. c. 453. d. 581. d. 596. a. n. 604. b. 650. c. 718. b. uxor prima, Berta ex qua Conradus et Henricus, secunda Adelaïs seu Praxedis.

Henricus V Imp. filius Henrici IV, an. 1099, die Epiphaniæ Domini, a patre in regni consortium asciscitur. 603. b. 717. a. An. 1105, in patrem rebellat sub velamine religionis, eique Paschalis Papa gratulatur. 263. a. 604. a. 717. d. An. 1106, Patre insignibus regni spoliato, Coloniam post festum Palmarum accedit, Paschalem solemnitatem acturus Leodii quò pater confugerat. Die Dominicæ Cœnæ, viros mittit qui pontem super Mosam apud *Wiset* occupent; verùm iis ab Henrico Duce Limburgensi fusis, retrocedens urbem Coloniensem oppugnat, quam non expugnavit. 263. b. 595. c. 718. a. Die Pentecostes, Henricum Limburgensem hostem Reipublicæ decernit judicio Optimatum, et abjudicatum eidem Lotharingiæ Ducatum tradit Godefrido Comiti Lovaniensi. 263. c. 595. c. 603. b. 718. a. dein expeditionem in Lotharingiam edicit, interimque de obitu patris sui certior efficitur. 718. b. Ipso anno, diem Natalis Domini celebrem agit Ratisponæ cum Legatis Paschalis Papæ, cujus adventum præstolabatur. 718. d. 728. d. Anno 1107, Paschâ Moguntiæ celebrato, inde obviam Papæ in confinio Lotharingiæ et Franciæ procedit, et per triduum legatis invicem missis, infecto quod agebatur negotio, discedit. 718. d. 728. d. Tum exceptus Virduni, prece Richardi Episcopi castrum Clarimontis expugnat. 632. c. Interim celebrato Trecensi Concilio de investituris, inducias accipit Romam intra unius anni spatium veniendi et eamdem causam generali Concilio ventilandi. 718. d. Diem Pentecostes Metis celebravit. 718. e. 728. d. Dein colloquium Ratisponæ cum Bavariis habuit, in quo expeditionem suam versùs Flandriam contra Comitem Robertum ordinavit. 718. e. Mense Octobri, circa festivitatem Omnium Sanctorum, terram rebellium ingressus, non sine gravi exercitûs sui dispendio, per unum et alterum mensem vastavit. 718. e. 728. d. Nam ut Gualchero Camerac. Episc. exauctorato et Balduino Comiti Hanon. opem ferret, Duacum Comitis Roberti castrum obsedit. 263. e. (ubi malè an. 1108.) 420. b. 460. d. 489. a. 497. d. 604. b. Comite viriliter repugnante, Henricus cum eo paciscitur de Cameracesio, contentus ejus clientelari fide ad tempus. 489. b. n. unde pacto pacis magis simulato quàm composito, et penè inefficax recessisse dicitur. 263. e. 420. b. 604. b. Cameracum reversus cives graviter perstringit, eorumque Communiam abrogat. 486. b. e. n. 497. d. Diem Natalis Domini festum agit Moguntiæ, ibique Robertum Flandriæ Comitem in gratiam recipit. 718. e. An. 1109, Mathildem filiam Henrici Angliæ Regis per legatos expetit in uxorem, quacum nuptias VIII Idus Maii paciscitur. 18. e. 34. b. 60. b. 120. c. 490. c. 690. c. 718. e. 729. a. An. 1110, eamdem Trajecti die Paschæ regio more dotat. 719. a. 729. a. Anno 1111, Romam pergit ad componendum dissidium quod inter Sacerdotium et imperium vertebatur de investituris. 264. b. *et seq.* Romam ingressus manus sacrilegas extendit in Papam et Cardinales, quos in carcerem retrusos compellit ad permittendas investituras, et a Papa coronatus recedit. 19. a. 455. c. 490. d. e. 581. e. 596. b. 604. b. 644. e. An. 1112, eo privilegio in Concilio Viennensi irrito facto, ipse anathemati supponitur. 19. b. 491. b. 596. b. An. 1113, rogatus a Richardo Virdunensi Episcopo Barrum castrum expugnat, et Rainaldum Comitem capit. 633. c. n. 644. e. 650. c. 691. b. 719. a. Ipso anno, diem Natalis Domini agit Moguntiæ, et in solemni Procerum conventu Mathildem sponsam ducit in uxorem, alterâ die post Epiphaniam. 73. c. 120. n. 266. d. 326. d. 604. c. 650. e. 691. d. 719. a. 729. d. An. 1114, navalem expeditionem aggreditur adversùs quosdam Fresones in locis palustribus ultra insulas habitantes : quò dum pergit, Coloniam sibi rebellem et quosdam Optimates, præsertim Fredericum Archiep. Godefridum Ducem Lovaniensem, Henricum Exducem Limburgensem, et Fredericum Comitem de *Arnesberch* rebellio consentientes comperit. 595. d. 651. a. 719. b. Intermissâ itaque profectione, manum in hostes præsentes extendit, Coloniam obsidione cingit, vastatâque regione, exercitum solvit. 719. b. Mense Octobri, recidivam expeditionem instituit in eosdem rebelles, possessionem Frederici Comitis aggreditur, eâque populatâ, propter instantem hyemem arma deponit, extructo in medio regionis illius castro. 719. c. Anno 1116, regni Principibus in rebellio perdurantibus, transit in Italiam. 604. e. An. 1118, Romam pergit, reprobatâque Gelasii electione, Burdinum Antipapam intrudit. 19. c. 267. b. 634. c. Anno 1119, damnatus in Concilio Frislariensi conventum Procerum generalem fieri apud Tiburium consensit die festo S. Joannis-Baptistæ, ubi Synodum Remis proximè celebrandam laudavit, cui et se pollicitus est adfuturum. 596. c. 719. e. 720. a. 731. b. Mense Octobri, Calixto Synodum Remis celebrante, Ivodium accedit auditurus synodalia decreta; sed nedum ad reconciliationem venerit, novo ibi anathemate perculsus est. 79. b-d. 267. b. 596. c. 720. a. 731. b. An. 1122, Pascha Domini celebrat Aquisgrani. Dein Leodium progressus, Montem-Falconis castrum cujusdam Gothuini capit et incendit. 267. d. Eodem anno, cum Papa Calixto paciscitur de investituris. 582. a. An. 1123, in Concilio Romano absolvitur a vinculo quo in

Digitized by Google

Remensi Concilio fuerat constrictus. 81. c. Eodem anno, Virdunensibus auxilia ministrat ad expellendos urbe Henricum Episcopum et Rainaldum Comitem Barrensem, urbisque Comitatum tradit Henrico de Grandiprato. 635. a. 695. c. An. 1124, mense Augusto, generalem instituit expeditionem fieri, specie quidem contra Saxoniam, re autem verâ contra Galliam in regnum Regis Ludovici, præbiturus auxilium socero suo Henrico Angliæ Regi de Normannia cum Ludovico disceptanti. 720. b. Regi Ludovico infensus, quia Remis anathemate perstrictus fuerat, Remensem destruere urbem meditabatur. 732. a. Itaque Metas usque progressus, propter Wangionum rebellionem iter reflectit. 695. c. vel potiùs metu properantis cum exercitu Regis Francorum, retrò pedem refert. 328. c. 720. c. 732. a. An. 1125, moritur Trajecti feriâ quintâ Pentecostes, die 23 Maii. 20. d. 32. b. 82. c. 121. a. n. 218. b. 268. a. 495. a. 582. b. 601. b. 604. d. 651. e. 732. b. An. circiter 1138, quidam apud Solotorum reclusus Henricum se esse mentiebatur, qui falsi convictus Cluniaci attonsus est. 330. d.

Henricus I Angliæ Rex, filius Guillelmi Nothi, anno 1068 in Anglia nascitur, tertio anno postquam pater in eam pervaserat. 9. d. 724. c. An. 1086 vel 1087, ad Pentecosten, armis militaribus a patre donatur, quocum in Normanniam profectus, solus e fratribus funeri ejus astitit. 9. d. 51. a. 672. b. 726. a. Auctus paternâ benedictione cum materna hæreditate et multiplicibus thesauris, utrique germano vel assistens, vel adversans pro merito, Normanniæ Duci Roberto potissimùm adhæsit. 9. d. An. 1088, illis inter se de regno disceptantibus, in Britanniam mittitur a Roberto, cui pecuniam suam mutuo dederat pro Constantiensi pago. 9. e. 242. d. Eâ commotione sedatâ, turris Rotomagensis custodiæ præficitur, ubi delatorum nequitiâ criminatus in libera servatur custodia. 9. e. Inde post sex menses emissus Guillelmo invitanti operam suam locat: a quo nihilo æquiùs muneratus, ad Robertum meliora promittentem redit, Abrincas et alia quædam castella occupat. 10. a. Anno 1090, Guillelmo belli vicem fratri Roberto inferente, Henricus pro Normanniæ Duce certat, Regios proventus Rotomago expellit, et insignem quemdam proditorem Conanum e turri præcipitat. 10. a. b. An. 1091, tempore Quadragesimæ ab utroque germano obsidetur in Monte S. Michaëlis. 3. d. 10. c. 69. a. 243. a-d. An. 1094, vocatus a Guillelmo fratre suo, die Natalis Domini accedit Londoniam, et sequenti Quadragesimâ remittitur in Normanniam cum magna pecuniarum vi, ad exagitandum continuis bellis Ducem Robertum. 31. e. 56. a. An. 1100, Angliæ regnum præripit Roberto fratri suo, coronatus Nonis Augusti, die Dominicâ, a Mauritio Londoniensi Episcopo. 10. c. 33. a. 58. a. 70. d. 94. b. 120. b. 217. c. 246. e. 262. c. 393. a. 462. e. 673. d. Conciliatâ sibi plebe pravarum consuetudinum abrogatione, Ranulphum Dunelm. Episc. in vincula conjicit et Anselmum ab exilio revocat. 10. c. 33. a. 58. a. 94. b. 120. b. Die festo S. Martini, uxorem ducit Mathildem filiam Malcolmi Scotiæ Regis. 10. e. 33. a. 58. b. 71. a. 120. b. 217. c. 247. a. 673. e. An. 1101, Roberto fratri suo a conjuratis Proceribus accersito in occursum procedit mediâ æstate; sed antequam prælium committatur, eumdem sibi conciliat, pactâ pensitatione annuâ trium millium marcarum. 8. e. 11. a. b. 33. a. b. 58. c. d. 71. b. 94. c. 217. d. 248. a. b. 673. d. Eod. anno, Robertum Flandriæ Comitem Hierosolymâ reducem, et annuum munus trecentarum marcarum Flandriæ Comitibus ab Angliæ Regibus pensitari solitum cum fastu exigentem retundit, quadringentas tamen paciscitur, eâ lege ut cum mille sibi militibus stipendia faciat. 13. e. n. An. 1102, Robertum Bellismensem de Anglia expellit, captis castellis ejus Scrobesbiria, Brigis et Arundello. 11. c. 33. b. 58. e. 71. e. 248. c. Eodem anno, Mariam uxoris suæ sororem in conjugium tradit Eustachio Comiti Bolon. 72. a. An. 1103, a Roberto fratre suo convenitur in Anglia, et ab eo subdolè pecuniam quotannis pactam emungit. 9. a. 11. b. 33. c. 59. a. 72. a. An. 1104, Guillelmum Moritolii Comitem de Anglia expellit, et Roberto fratri suo bellum indicit propter Robertum Bellismensem eidem fœderatum. 12. a. 33. c. 59. b. 72. a. Rogatus etiam a Normannis ut turbatis patriæ rebus subveniat, non semel in Normanniam trajicit, et brevi tempore totam præter Rotomagum, Falesiam et Cadomum edomat. 9. b. 94. c. An. 1105, Kal. Martii, in Normanniam navigat, certus eam fratri suo auferre, pacificè tamen usque ad Pascha se habuit. 250. a. 728. b. Die festo S. Joannis ante Portam Latinam, Dominicâ, Bajocensem urbem expugnare aggreditur auxilio Heliæ Comitis Cenoman. et Ecclesiâ incensâ, sexto die oppidanos ad deditionem compellit. 12. c. 33. d. 59. c. 72. b. 217. d. 251. e. 728. b. Cadomum deinde per civium proditionem acquisivit. 33. d. 59. c. 72. b. 217. d. 251. *et seq.* in obsidione Falesiæ multos ex carissimis amisit. 12. c. Potitus totâ penè Normanniâ, VI Kal. Septembris, die S. Rufi, in Angliam revertitur. 33. d. 59. c. 72. b. 728. b. Eodem anno, Curiam celebrans Westmonasterii die Natalis Domini, a Roberto Bellism. proditionis in fratrem arguitur, deinde ab ipso fratre apud Northamtoniam convenitur ante Quadragesimam, inimicioresque efficiuntur. 33. d. 59. c. An. 1106, ante Augustum, in Normanniam redit, approbante Paschali Papâ ut fratrem Normanniâ spoliaret. 12. c. 33. d. 59. e. 72. c. Omnibus penè ad eum confluentibus, cum instructo exercitu Tenerchebraïcum castrum Guillelmi Comitis Moritoniensis aggreditur, ubi commisso Vigiliâ S. Michaëlis prælio, Robertum fratrem suum fundit, captumque nec non Guillelmum Moritoniæ Comitem in Angliam transmittit perpetuo carceri addicendos. 9. b. 12. d. 33. e. 59. e. 72. c. 94. c. 217. d. 252. d. 263. d. 393. a. 395. d. 463. a. 673. e. Henrici eâ de re ad Anselmum Cantuar. Archiep. epistola. 72. n. Eodem anno, post adeptam victoriam Henricus urbem Rotomagensem ultrò se dedentem ingreditur. 253. a. Laudatur quòd fratri præter solitudinem nihil intulerit mali. 9. e. Guillelmo tamen Moritoniensi oculos eruisse vituperatur. 38. b.

Dispositis in Normannia rebus, anno 1107 in Angliam revertitur tempore Quadragesimæ, et ad Pascha curiam suam habet apud *Windesores*, ubi Angliæ et Normanniæ Proceres cum tremore affuerunt. 34. a. 60. a. 72. d. An. 1108, inter alias leges quas condidit, rei nummariæ edicto prospexit. 73. a. Mense Augusto, redux in Normanniam bellis exagitat Ludovicum novum Regem. 34. b. 73. a. An. 1109, circa Rogationes redit in Angliam, et pactis Mathildis filiæ suæ nuptiis cum Henrico V Imp. sequenti anno eam transmittit in Alemanniam ante Quadragesimam. 18. e. 34. b. 60. b. 73. a. 120. c. 718. e. An. 1111, mense Augusto transit in Normanniam, eoque et sequenti anno bellum gerit cum confinibus suis in Francia, et præsertim cum Fulcóne Comite Andegavensi pro Cenomannia. 34. c. 60. c. 674. b. An. 1112, exortâ simultate inter Regem Ludovicum et sororis filium Theobaldum Comitem Blesensem, missis frequenter nunciis, Regem frustra hortatur ut Comitis satisfactionem dignetur. 14. d. Eodem anno, Guillelmum Comitem Ebroïcensem et Guillelmum Crispinum possessionibus privatos e Normannia expellit, Philippo verò de Brahusa, ea quæ priùs abstulerat, reddit. 34. d. n. 60. d. Ipso anno, Robertum Bellismensem capit, quem apud Cæsaris-burgum mense Octobri addicit carceri. 34. d. 60. d. n. 73. c. An. 1113, æstatis tempestate, mense Julio devehitur in Angliam cum Roberto Bellism. quem apud *Warham* mittit in custodiam. 34. d. 60. d. 73. c. An. 1114, redit in Normanniam, mense Septembri. 34. d. 60. e. 73. c. Anno 1115, fidelitates et hominia nobilium Normanniæ Guillelmo filio suo conciliat. Deinde mense Julio in Angliam revertitur. 17. d. 34. d. 61. a. 73. c. 120. c. Die SS. Innocentium, interest consecrationi Ecclesiæ S. Albani. 730. b. Anno 1116, regni Optimates cogit Salesberiæ XIV Kal. Aprilis, et designato filio suo regni successore, eorum illi fidem obstringit. 73. d. Ad Pascha in Normanniam trajicit, ut Theobaldo Comite Blesensi opem ferat contra Regem Ludovicum. 35. a. 61. a. 73. d. 284. a. An. 1117, bellis supra modum oppressus est. Nanque Rex Francorum, Balduinus Comes Flandriæ et Fulco Andegav. conjurati Normanniam ipsi auferre et Guillelmo filio Ducis Roberti tradere conati sunt: multi etiam Proceres sui ad hostes se converterunt. 35. a. 61. a. Henricus autem impar vi per vim repellendæ, eorum excursus patienter toleravit. 15. a. An. 1118, continua debellatio horumce Principum gravissimè Regem divexavit, donec Balduinus Comes Flandriæ apud Aucum funestè vul-

Digitized by Google

neratus ad sua deportatus est. 14. a. 35. b. 61. b. 395. d. Ei saucio Henricus illacrymatus est, et medicum peritissimum decumbenti misit. 14. a. Veneno tamen eum infecisse dicitur. 463. b. Bello quaquaversùm impetitus, an. 1119 cum Fulcone Comite Andegav. pacem componit, acceptâ filiâ ejus Mathilde in uxorem Guillelmo filio suo. 18. e. 20. d. e. 61. d. 74. a. 120. d. 247. a. Die 20 Augusti signa confert cum Rege Ludovico et Francis apud Brennivillam. Ibi a Guillelmo Crispino bis gladio feritur, ita ut sanguis efflueret, sed percussorem suum prosternit, et tandem victoriam obtinet. 15. b. 35. c. 61. c. Eodem anno, Episcopos Angliæ qui secum in Normannia degebant, necnon Episcopos Normanniæ dirigit ad Concilium Remense. 74. b. Post Concilium, Turstino Eborac. Archiep. reditum in Angliam interdicit, quia se invito ibi a Calixto II Papâ ordinatus fuerat. 62. a. Post hæc cum Romano Pontifice Gisortii colloquium habet. 15. c. 35. e. 79. e. 218. b. 285. a. Anno 1120, pacem componit cum Rege Ludovico, ac Proceres qui a se defecerant in gratiam recipit. 15. b. 35. c. 62. a. 74. a. 80. a. Tum Guillelmus filius ejus clientelam Regi Ludovico de Normannia professus est, quam pater pro culmine imperii præstare fastidiebat. 18. a. 74. a. 80. a. Eodem anno, Fulcone Comite in Palestinam proficiscente, Henricus ejus Comitatum regendum suscipit. 17. e. Rebus in Normannia ita compositis, quibus agendis quatuor annos insumpserat, ante Adventum Domini prosperè in Angliam appellit, sed filius ejus Guillelmus post eum cum electis juvenibus navigans, naufragium passus in mari extinguitur, VII Kal. Decembris. 18. a. 35. e. 62. a. 74. b. 80. c. 120. d. 247. b.

Orbatus uxore et unico filio, an. 1121 ante festum Candelarum (IV Kalendas Februarii) spe prolis adipiscendæ, uxorem ducit Adelam filiam Godefridi Ducis Lovaniensis, quacum die Pentecostes coronatus est Londoniæ. 17. d. 18. d. 36. a. 62. b. 74. c. 80. d. 94. c. 120. d. 253. b. 267. c. Eodem anno, Mathildem nurum suam patri eam reposcenti remittit. 62. b. 80. d. An. 1123, convenitur a Legatis Fulconis Comitis Andegav. ut urbes et castella restituat quæ in dotem filiæ suæ dederat, iisque circa festum Candelarum ob repulsam hostiliter recedentibus, Comitem sibi reddit infensum. 18. e. 36. a. 62. c. 81. a. Cùm verò Fulco partes Guillelmi filii Ducis Roberti amplexus fuisset, datâ eidem in conjugium filiâ suâ Sibyllâ. Rex sibi metuens Robertum filium suum et Ranulfum Cestriæ Comitem in Normanniam præmittit tuitionis causâ, ipse autem operam dat matrimonio dissolvendo. 81. b. n. Feriâ secundâ post Pentecosten in Normanniam trajicit, ut eam ab infestatione Guillelmi tueatur. 36. a. 62. c. 74. d. 81. c. Rebellantibus siquidem ejus causâ Gualeranno Comite Mellenti, Amalrico de Monteforti Comite Ebroïcensi, Hugone de Monteforti necnon Guillelmo de Romara, mense Octobri Henricus eis virili-ter se opposuit, Pontem-Aldemari castellum Gualeranni expugnavit, necnon Hugonis castellum de Monteforti ad Risellam. 36. b. 62. d. 81. c. n. 82. a. 285. a. An. 1124, Regi Henrico fortuna gloriosius arrisit. Die siquidem Annuntiationis beatæ Mariæ, Guillelmus de Tancarvilla, Camerarius, Gualerannum Comitem Mellenti, Hugonem de Monteforti et Hugonem de Novo-castello Theodemarensi cum aliis cepit, quos Rex in carcerem trusit, et eorum castella occupavit. 36. b. 62. e. 74. d. 82. c. 285. c. Eod. anno, matrimonium Guillelmi cum filia Comitis Andegav. irritum effecit decreto Apostolico, prætextu consanguinitatis. 20. e. 63. d. 82. d. An. 1125, in Normannia moratur, ad compescendos si qui fierent motus, et ante Christi festum edicto præcipit omnes monetarios in Anglia emancari ob adulteratam pecuniam. 20. d. 36. b. 63. a. An. 1126, Mathildem filiam suam Henrico Imp. viduatam ad se revocat. 20. d. 74. e. 82. c. 121. a. 253. b. Tertio Idus Septembris, in Angliam trajicit cum filia sua Mathilde, adducens secum Gualerannum Comitem Mellenti et Hugonem de Novo-castello, quos in carcerem mittit. 20. e. 36. c. 63. b. 82. c. 121. a. Eod. anno, Robertum Ducem Normanniæ e custodia educi permittit, rogatu filiæ suæ et Davidis Regis Scotiæ, Bristovamque perductum filio suo Roberto Glocestriæ Comiti servandum concredit. 63. b. Die Natalis Domini Curiam solemnem habet apud *Windesores*. Transactis diebus festivioribus, die Circumcisionis Domini Londoniæ in conventu Procerum, Mathildem filiam suam hæredem designat Angliæ regni et Ducatûs Normanniæ, adactis ad id jurejurando firmandum Episcopis et Magnatibus. 20. e. 21. a. 63. c. 74. e. 82. c. 94. e. 121. a. 253. b. An. 1127, compertâ Caroli Flandriæ Comitis cæde et Guillelmi nepotis suî electione, anxietate torquetur; missoque Stephano Comite Boloniensi, Flandrensium animos donis et promissis sollicitat, non tam ut ipse Comitatum assequatur, quàm ut nepoti adversarios pariat. 36. c. 345. c. 363. e. 696. d. Itaque ut Comitis Andegavensis opem ei subtrahat, post Pentecosten filiam suam mittit in Normanniam desponsandam filio ejus Gaufrido; ipse verò subsecutus VII Kal. Septembris, eos matrimonio copulavit. 21. b. n. 36. c. 63. c. 75. a. 83. a. 121. a. 218. b. Hanc copulam cùm improbarent Angli et Franci, jam tum absolutos se a sacramento quod fecerant Mathildi arbitrabantur. 21. c. 63. c. An. 1128, donis et promissis allicit Iwanum de *Alost* et Danielem de *Tenremonde*, ut nepotem suum Guillelmum e Flandria expellant. 382. b. 466. d. Godefrido quoque Lovaniensi, socero suo fœderatus, Arnoldo nepoti Comitis Caroli favet, cui ille filiam suam desponderat. 382. c. Ipso anno, impressionem hostiliter facit in Franciam, ut Ludovicum Regem prohibeat auxilium ferre Guillelmo Flandriæ Comiti. 36. c. 64. b. Guillelmo e vivis sublato, Theoderico Alsatio assentitur ut Flandriæ Comes permaneat. 83. b. 392. c. An. 1129, Gualerannum Comitem Mellenti et Hugonem de Novo-castello de Anglia in Normanniam duci jubet, et libertate donatos ad propria remittit, retentis obsidibus et Gualeranni castellis. 64. c. 83. b. Pace tandem ubique compositâ, in Francia, Normannia, Flandria, Britannia, Cenomannia, Andegavia, cum gaudio in Angliam revertitur Idus Julii. 21. c. 37. b. 64. c. 75. b. 83. b.

Non multò post graviter turbatur nuntio ad se perlato Mathildem filiam suam a marito repudiatam fuisse et abjectam. 83. c. Ad festum S. Michaëlis accedit Wintoniam, et urbis Præsulatum contradit Henrico Campaniensi. 83. c. Anno 1130, mense Septembri trajicit in Normanniam, et diem Nativitatis B. Mariæ exigit Becci cum Hugone electo Rotomag. Archiep. 21. e. 37. b. 64. d. 75. b. Disceptantibus de Apostolico culmine Innocentio et Anacleto, pro Innocentio stat et Gallos in suam sententiam pertrahit. 22. a. 37. c. 64. d. Post Natale obviam eidem procedit Carnotum, et suum exulanti obsequium profitetur. 22. a. 37. c. 64. e. 286. c. 733. b. An. 1131, post Pascha, eumdem Pontif. excipit Rotomagi perquàm honorificè. 22. a. 286. c. Post festum S. Petri, in Angliam abit cum filia sua. 22. b. 37. c. 64. e. 75. b. 286. c. Die Nativitatis B. Mariæ, congregatis Principibus Angliæ apud *Northamtune*, eorum consilio filiam suam transmittit viro suo Comiti Andegav. eam reposcenti. 37. c. An. 1132, ad Natale Domini, in morbum incidit apud *Windesores*. 37. c. Anno 1133, IV Nonas Augusti transit in Normanniam, non ampliùs reversurus in Angliam. 22. c, 37. c. 65. c. 75. d. 83. d. 121. b. 218. c. 286. d. An. 1135, rediens a venatu comedit carnes murenarum, undè in morbum prolapsus obiit Kal. vel IV Nonas Decembris apud S. Dionysium in silva Leonum. 22. c. d. 37. d. 65. c. 75. e. 83. d. 95. a. 121. b. 218. c. 254. e. 287. a. 330. a. 420. d. n. 469. a. 675. a. 698. e. n. 733. e. Corpus regaliter curatum delatum est Rotomagum, ibique interaneis in Monasterio de Prato reconditis, reliquum corpus devectum est Cadomum, quousque serenas auras paulò clementior hyems inveheret. 23. a. 38. c. 287. b. Nonis Januarii, in Angliam transvectum sepelitur Radingis. 23. c. 38. c. 65. c. 75. e. 83. d. 95. a. 121. c. 254. e. 287. b. Ejusdem epitaphia. 37. n. 95. n. politia et commendatio. 16 — 17. 65. c. virtutes et vitia librantur. 38. a. n. Castella et Ecclesiæ ab eo extructa recensentur. 253. d. 285. b. 287. a. filius ex priori conjuge Mathilde, Guillelmus; filia, Mathildis. Filii naturales, Rainaldus Comes Cornubiæ, Richardus, Robertus Comes Glocestriæ; filiæ, Juliana, Mathildes tres, et aliæ.

Henricus, filius Gaufridi Comitis Andegav. et Mathildis Imperatricis, filiæ Henrici I Angliæ Regis, anno 1133 nascitur, III Idus Martii. 121. b. n. 286. d. An. 1142, in Angliam ad matrem transvehitur ab avunculo suo Roberto Comite Glocestriæ. 30. a. 122. d. 289. c. Degens verò sub tutela ejusdem Roberti quatuor annos

Digitized by Google

nos, Matthæi cujusdam disciplinæ apud Bristovam traditur. 123. a. An. 1146, ad patrem remittitur ipsius videndi cupidum. 123. d. Anno 1147, die Ascensionis Domini, solemniter in Ecclesia Beccensi excipitur. 291. c. An. 1149, medio mense Maio, in Angliam revertitur cum electis sodalibus, et multorum animos contra Regem Stephanum excitat. 124. d. Assumptis itaque Ranulpho Comite Cestriæ et Rogero Comite Herfordiensi, Davidem Scotiæ Regem adit, a quo militari cingulo donatur die Pentecostes apud Carleolum. 43. b. 90. c. 99. d. 124. d. 184. a. 292. b. Anno 1150, redit in Normanniam, ineunte mense Januario. 90. d. 125. a. Eodem anno, Normanniæ Ducatu a patre donatur, vel in consortium illius asciscitur. 91. b. 219. a. 292. c. An. 1151, Torinnense castellum Eustachii filii Regis Stephani obsidet; verùm propter ejus et Regis Ludovici in Normanniam adventum recedit, combustis priùs domibus usque ad turrim. 292. d. Progressis illis ante castellum Archas occurrit cum exercitu Normannorum, Andegavensium et Britonum; sed a Principibus exercitûs cum domino suo Rege congredi non permittitur. 292. d. Eod. anno, mense Augusto, cum armata militia consistit in margine Ducatûs, ut exercitui occurrat a Rege Ludovico inter Mellentum et Medantam misso. Intercurrentibus autem propter Regis ægritudinem viris religiosis, inducias paciscitur, ac tandem cum Rege convalescente locutus Parisiis, pro Normanniæ Ducatu clientelam profitetur. 184. a. 219. a. 292. e. Regressus Parisiis, Optimates suos mandat congregari Lexoviis die Exaltationis S. Crucis, ut de itinere suo in Angliam cum eis tractet. 293. a. Vitâ functo interim patre Gaufrido, Andegaviæ Comitatum adipiscitur, et circa Domini Adventum fidem Andegavensium sibi devincit. 125. a. 293. b. 506. c.

An. 1152 tempore Quadragesimæ, convenitur ab avunculo suo Rainaldo, ut rebus suis in Anglia prospiciat. 293. d. Post Pascha, cum Proceribus suis apud Lexovias congregatis tractat de itinere suo in Angliam. 293. d. Circa Pentecosten, sive repentino, sive præmeditato consilio, in uxorem ducit Alienoram a Rege Ludovico separatam. 43. d. n. 67. b. 91. b. 125. c. 184. b. 219. a. 275. b. 293. d. 333. b. 421. b. 471. d. 507. a. 703. b. 738. b. Minùs quidem solemniter, ne impedimentum pateretur celebratio nuptiarum. 102. a. His nuptiis Aquitaniæ Ducatum, id est, tredecim Comitatus adeptus est. 91. b. 471. d. quod indignè ferens Rex Ludovicus eidem bellum infert. 43. e. 125. c. 293. d. 333. b. 507. a. 703. b. 738. b. Post festum S. Joannis, Henricus iter suum in Angliam parat. Compertâ verò Regis Ludovici et fautorum ejus impressione in Normanniam, Barbefluvio recedit XVII Kal. Augusti, ut munitioni Novi-mercati ab eis obsessæ opem ferat. 43. e. 184. b. 293. e. Eâ, dum electos milites contrahit Henricus, fraude observantium a Rege occupatâ, statim ille accurrens castrametatur juxta fluvium Andelam, e regione Calvimontis quò Ludovicus se retraxerat. 293. e. 294. c. nec morâ, igni tradit castella *Baschervilla*, Chitreium et Stripinneium, munitionem quoque Hugonis de Gornaco, Feritatem appellatam, comburit. 294. d. Medio mense Augusto, Rege Ludovico castra movente, ut, transmeatâ apud Mellentum Sequanâ, Paceium aggrediatur, ipse per pontem Vernonis copias suas traducit, et Regem antevertens Paceium, ipso die Medantam redire compellit. 294. e. Inde vocatus a Gisleberto de Tegulariis, *Brueroles* Castrum Hugonis de Novo-castello comburit, deinde Maculfi-villam in pago Dorcassino. 294. e. Reversus in Normanniam, Richerium de Aquila qui hostibus suis favebat, compescit, traditâ ignibus munitione ipsius Bonmolini. 295. a. Circa finem mensis Augusti, præsidiis suis in Normannia relictis, in Andegaviam pergit contra fratrem suum Gaufridum, munitionem Montis-Sorelli expugnat, ac demùm fratrem eo infortunio infractum flagitare pacem compellit. 125. c. 184. b. 294. a. 295. a. non multò post inducias cum Rege Ludovico paciscitur: quas cùm ille mox irritas fecisset, nihilominùs propositum in Angliam transfretandi Henricus haud intermisit. 295. b.

An. 1153, dispositis in Normannia præsidiis, ne qua se absente a Francorum Rege fieret irruptio, infra Octavas Epiphaniæ in Angliam appellit, ut obsessis ab Stephano Rege in castello de *Wallingford* opem ferat. 44. b. 99. e. 125. e. 184. c. 295. b. Auctus ingentibus copiis Malmesburiense castellum obsidet, ubi frustra per Regem Stephanum ad pugnam provocatus, eo recedente, castrum ad deditionem compellit. 44. b. 100. a. 184. c. 295. b. Wallingfordiam deinde progressus, castellum de *Craumers* ab Stephano extructum obsidet; sed intermissâ obsidione, Stephano præliaturus occurrit, ac tandem habito cum eo colloquio, pacem præloquitur quam filii Regis indignatio irritam facit. 45. b. n. Itaque castellum de *Stanford* capit, deinde urbem *Nottingham*. 46. d. Interea Rex Ludovicus ingressus in Normanniam mense Julio, Vernonem castrum occupavit. 295. d. 333. b. 509. c. d. Infra Octavas S. Laurentii, nascitur Henrico filius Guillelmus appellatus. 184. c. 296. b. Eodem tempore, moritur Eustachius Stephani Regis filius, qui magnum paci conficiendæ impedimentum erat; eo autem e vivis sublato, tandem cum Stephano paciscitur de Angliæ regno VIII Idus Novembris, eâ lege ut post eum Rex fieret Henricus, etc. 46. b. n. 91. c. 100. c. n. 126. a. 184. c. 255. b. 275. d. 296. c. 333. b. 514. a. n. An. 1154, ad Octavas Epiphaniæ, interest conventui Oxoniensi, ubi clientelam ei profitentur Angliæ Proceres. 46. b. 67. b. Non multò post congreditur cum Rege Stephano apud *Dunestaple*, ut castella quæ tempore Henrici Regis non extabant, dirui permittat, modestè tamen, ne Regem exasperet. 46. c. Tempore Quadragesimæ, colloquium habet Dovoriæ cum eodem et Theoderico Flandriæ Comite. 126. a. Dum Cantuariam inde cum Rege revertitur, ad necem a Flandrensibus quæsitus insidiantes frustratur, et post dies paucos in Normanniam navigat. 46. c. 101. a. 126. a.

Appulsus an. 1154 circa Pascha in Norman. fiscalia quæ pater Magnatibus ad tempus concesserat, in suum dominium revocat. 296. e. Deinde in Aquitaniam profectus, rebellionem quorumdam comprimit. 296. e. Mense Junio, reversus de Aquitania electionem Roberti de Thorinneio ad Abbatiam S. Michaëlis de Monte ratam habet Rotomagi, die S. Joannis-Bapt. 296. e. Mense Augusto, pacem componit cum Rege Ludovico, redditisque sibi castellis Vernone et Novo-mercato, Regi bis mille marcas argenti pensitat. 297. a. 333. c. Circa Kalendas Octobris, sospes factus ex ægritudine quâ periclitatus fuerat, cum exercitu pergit in Vilcassinum, accitus a Rege Ludovico quem cum Ascelino Crispino pacificavit. 297. b. Inde rediens obsidet Thorinneium per dies quindecim: quo expugnato, certior factus de obitu Stephani Angliæ Regis, cum matre sua Imperatrice, cum fratribus suis, cum Episcopis et Optimatibus Normanniæ, de itinere suo in Angliam tractat, et Barbefluvii spatio unius mensis auram secundam ad transfretandum expectat. 297. b. Appulsus in Angliam VII Idus Decembris, in Regem coronatur Westmonasterii a Theobaldo Cantuar. Archiep. XIV Kal. Januarii, die Dominicâ ante Natale Domini. 47. a. 67. c. 102. c. n. 126. b. 185. a. 216. a. 219. c. 255. c. 297. d. 333. c. 454. c. 471. e. 514. a. n. 703. d. 738. d.

An. 1155, edicto præcipit omnes alienigenas terrâ cedere. 102. d. in propriam ditionem revocat urbes et castella ad fiscum pertinentia, quæ Stephanus Rex minùs cautè distribuerat. 297. d. Flandrenses omnes cum Guillelmo Yprensi de Anglia expellit, et castella passim tempore belli extructa jubet subverti. 126. c. 205. d. 297. d. 413. c. 471. e. Castella sex Henrici Wintoniensis Episcopi, quia de Anglia excesserat, evertit. 185. a. 298. c. Guillelmum *Peverel* de *Notingham* exhæredat ob veneficium Ranulfo Cestriæ Comiti propinatum. 185. a. 298. a. Pridie Kal. Martii, nascitur ei filius Henricus vocatus. 185. a. 297. e. Quarto Idus Aprilis, Dominicâ post Octavam Paschæ, conventum Procerum habet Walingfordiæ, ubi Angliæ regnum asserit post se Guillelmo primogenito filio, et eo deficiente, Henrico puerulo. 126. c. 298. a. Mortuo Rogerio de Glocestria, Comitatum Herfordiæ et urbem Glocestriam fisco addicit, relictis solummodò fratri ejus Gualterio paternis fundis. 185. b. 298. b. Nonis Julii, pacem componit cum Hugone de Mortuo-mari, quem ad reddenda castella *Bruge* et *Wigemore* compellit. 185. b. 216. a. 298. b. Circa festum S. Michaëlis,

Digitized by Google

cum Optimatibus suis tractat de acquirendo Hiberniæ regno, ut Guillelmum fratrem suum eidem præficiat; propositum tamen illud in aliud tempus differt, quia non probabatur matri suæ. 298. c.
An. 1156, Angliâ relictâ, die Purificationis B. Mariæ fuit Rotomagi, et die Dominicâ sequenti colloquium habuit cum Rege Ludovico. 298. d. Tum clientelam Ludovico professus est de Normannia et Aquitania, Andegavia, Cenomannia et Turonia. 205. d. Reversus Rotomagum convenitur a Theoderico Flandriæ Comite et a Gaufrido fratre suo. 185. b. 298. d. Fratre ea respuente quæ illi offerebantur, sed hostili animo in Andegaviam abeunte, Rex e vestigio illum subsequitur. 298. d. nempè pater eorum moriturus testamento suo prospexerat, ut cùm Henricus Angliæ regnum esset adeptus, jus paternum Gaufrido cederet. Interim verò Henricus absolvi se fecerat per Romanum Pontificem a sacramento quo tenebatur, ne Comitatus Andegav. et Cenoman. linquere cogeretur. Hæc fraterni causa dissidii. 103. c. d. Gaufrido jus suum armis vindicante, Henricus Mirabellum et Chinonem eidem aufert, ac tandem ad pacem flagitandam adacto mille libras Anglicæ monetæ et bis mille Andegavensis annuatim paciscitur, eâ lege ut Losdunum quoque sibi relinquat, contentus terris planis ad victum; sicque mense Julio finem imposuit fraterno dissidio. 103. e. n. 126. d. 185. b. n. 299. a. Eodem anno, orbatur primogenito suo Guillelmo. 298. e. ipsique nascitur filia nomine Mathildis. 185. b. 298. d. Mortuo Gisleberto de *Gaunt*, filiam ejus unicam matrimonio collocat Simoni filio Simonis Comitis Huntindonensis cum ejusdem honore. 298. e.
Anno 1157, post Octavam Paschæ, transit in Angliam, et cum Guillelmo filio Stephani Angliæ Regis paciscitur de castellis quæ habebat tam in Anglia quàm in Normannia. 299. d. Hugonis quoque *Bigod* castella recipit. 299. e. Denique omnia ferè castella tempore Regis Stephani excitata prosternit, novam monetam cudit, et leges Henrici avi sui instaurat. 205. d. Ipso anno, Angliæ Cancellariam confert Thomæ *Becket* Cantuar. Archidiacono. 205. e. Theoderico Flandriæ Comite Hierosolymam peregrinante, Philippum ejus filium cum Flandriæ Comitatu in sua tuitione recipit. 300. a. Circa festum sancti Joannis-Baptistæ, edicto præcipit maximam expeditionem adversùs Wallenses parari. 300. a. Mense Septembri, nascitur ei filius Richardus appellatus. 185. b. 300. a. Walliâ perdomitâ, an. 1158, die Paschæ coronatur Wigorniæ cum Alienora Regina, deinde coronam altari superponit, certus eâ non ampliùs uti. 185. c. 206. a. Vigiliâ Assumptionis B. Mariæ in Normanniam appellit, ut Nannètensem Comitatum percipiat post obitum fratris sui Gaufridi. 300. b. n. Antea verò Richemundiæ Comitatum fisco addixerat, quia Conanus Dux Britanniæ Nanneticam urbem præripuerat. 104. a. Pridie Kal. Septembris, colloquium habet cum Rege Ludovico inter Gisortium et Novum-mercatum super Ettam fl. ubi nuptias filii sui Henrici triennis paciscitur cum Margareta ejus filia sex menses nata. 126. d. 185. c. 300. b. n. 516. a. 704. c. Harum gratiâ nuptiarum dedit Ludovicus in manus Templariorum Vilcassinum Normannicum de quo inter eos erat controversia, præsertim verò Gisortium et Nealfiam, ab illis custodienda dum pueri ad nubiles annos pervenissent. Henricus autem in donum filio suo assignaverat urbem Lincolniensem in Anglia, mille libras et fiscum 300 militum, in Normannia quoque urbem Abrincatensem, mille libras et fiscum 200 militum. 111. c. 206. c. n. 300. n. 678. n. Reversus Argentomagum, die Nativitatis B. Mariæ edicto jubet exercitum totius Normanniæ convenire Abrincas die S. Michaëlis, ad debellandum Conanum Britanniæ Ducem, nisi redderet Nanneticam urbem. 300. c. Eod. mense Septembri Regem Ludovicum convenit Parisios, ut filiam ejus abduceret in Normanniam. 185. d. 300. c. n. Exceptus verò inæstimabili honore a Rege et Regina Constantia, modestè ac dapsiliter se habuit, et postridie Margaretam abduxit, quam Roberto de Novo-burgo nutriendam commisit, Rege Ludovico eum usque Medantam deducente. 300. n. 301. a. Nono Kal. Octobr. nascitur ei filius Gaufridus. 185. c. 300. n. 301. a. die S. Michaëlis, a Conano Duce cum suis Britonibus convenitur Abrincis, qui Nanneticam ei urbem quam invaserat, cum Comitatu Mediæ reddit. 104. a. 301. a. Inde ad Montem sancti Michaëlis accedens, post Missam stipatus Baronibus suis comedit in refectorio Monachorum, quibus Ecclesias Pontis-ursonis concessit. 301. b. Ipsâ die ad Pontem-ursonis perveniens, castellum ibidem inchoari jubet. 300. n. 301. b. Inde cum armata manu pergit ad recipiendam urbem Nanneticam. 300. n. 301. b. Nempè a Rege Ludovico impetrarat ut ex Senescalli munere in Britanniam intraret, dissidentes Britones coerciturus. 126. e. Receptâ urbe Nanneticâ, paucis interpositis diebus, cum innumerabili exercitu aggreditur castrum Thoarcium, et triduò expugnat. 126. e. 300. n. 301. b. Mense Novembri, obviam pergit Regi Ludovico ad Montem S. Michaëlis peregrinanti, quem Pacei receptum per Ebroas et Novumburgum, ubi filia ejus alebatur, deduxit Beccum. Die B. Clementis, Dominicâ, ad Montem S. Michaëlis cum eo accessit, et fusis precibus, Abrincas cum deduxit, ac per Rotomagum in Franciam, muneribus ditatum et decentissimè procuratum. 126. e. 185. d. 300. n. 301. c. Mense Decembri, pacem componit cum Theobaldo Comite Blesensi, redditis sibi ab eo Ambasiâ et Fractavalle. 300. n. 301. c. Cum Rotrodo quoque Moritaniæ Comite conciliatus, Bellismum eidem sub clientelari fide concedit, retentis castris Molinis et Bonmolino, quæ ad Normanniæ fiscum pertinebant. 301. d. Eodem anno, diem Natalis Domini festum egit Cæsaris-burgi. 301. e. n.
Ineunte anno 1159, fœdus amicitiæ icit apud Blaviam cum Raimundo Comite Barcinonensi, et nuptias filii sui Richardi paciscitur cum filia ipsius, concessurus illis Aquitaniæ Ducatum, exactis nuptiis. 302. a. Intrante Quadragesimâ, congregatis Optimatibus suis in urbe Pictaviensi, tractatum habet de expeditione Tolosana, quia Raimundus Comes S. Ægidii, fretus auxilio Regis Francorum cujus sororem duxerat, urbem quam Pictavorum Duces jure hæreditario possederant, reddere nolebat. 301. n. Dehinc cum Rege Ludovico congreditur de eodem negotio apud Turones; sed Regis utriusque sententiâ minimè conveniente, mediâ Quadragesimâ Rex Henricus edicto præcipit exercitum suum Angliæ, Normanniæ, Aquitaniæ, et cæterarum provinciarum suarum Pictavos convenire die S. Joannis-Baptistæ; de Ecclesiis quoque infinitam accipit pecuniam in hujus expeditionis subsidium. 127. a. 302. n. 303. a. d. Celebratâ Becci solemnitate Ascensionis Domini, factâque ibi trium dierum morâ, Rotomagum revertitur, et VIII, VII et VI Idus Junii, rursùs cum Rege Ludovico, astantibus utriusque partis Episcopis et Baronibus, congreditur apud *Hilliricort*; sed ab expeditione Tolosana minimè deterreri potuit. 302. n. Post festum igitur S. Joannis-Baptistæ exercitum promovet a Pictavorum urbe, dumque Tolosam appropinquaret, tertiò a Rege Ludovico convenitur, circa Octavas Apostolorum Petri et Pauli, de pace Tolosano Comiti danda; sed eâ neutiquam impetratâ, Rex Francorum Tolosam ingreditur, ut sororis filiis præsidio sit. 302. n. 516. d. n. Consilio itaque Principum Tolosam impugnare non est ausus pro Regis reverentia, sed universam provinciam vastavit, et castella circumposita expugnavit, videlicet Montem-regalem et Caturcensem urbem. 103. b. 127. a. n. 185. d. 206. a. 216. a. 219. d. 277. c. 302. n. 303. d. 334. c. 421. c. 517. a. 678. n. 739. b. Indignatus tamen Regi Francorum, Theobaldum Comitem Blesensem, clientelâ sibi obstrictum, remittit in Franciam ad sollicitandum interim regnum. 302. n. 303. e. Peractis in expeditione Tolosana tribus mensibus, et urbe Cadurcorum munitâ, certus de auxilio Raimundi-Berengarii Comitis Barcinon. Raimundi *Trencavel*, Vicecomitis Nemausi et Biterrensis, necnon Willelmi de Montepessulano, etc. circa festum S. Michaëlis ad propria redit cum exercitu inani labore fesso. 106. e. 302. n. 304. c. 517. a. Ac primò quidem Estrepenium juxta Gisortium obfirmat, quod Rex Franciæ antea diruerat. 302. n. Inde pergens in pagum Belvacensem cum valida manu, Gerboredum castrum munitissimum destruit et villas multas comburit. 304. d. Mense Octobri, mortuo Guillelmo filio Stephani Angliæ Regis, Comitatum ejus Moritonii Rex Henricus in manu sua retinet. 304. d. Circa festum S. Martini, præsidia sua col-

Digitized by Google

locat in firmitatibus Simonis Comitis Ebroïcensis, Rupeforti, Monteforti et Esparlone, quibus Regi Ludovico iter præcluditur, ne Parisiis Aurelianos vel Stampas procedat. 302. n. 304. d. Itaque satagentibus viris pacificis, induciæ utrimque datæ sunt a mense Decembri usque ad Octavas Pentecostes. 302. n. 304. d. 517. b. Tum, ut videtur, non anno 1158, uterque missis ad Imperatorem Fredericum nunciis, ejus expetivit favorem. 664. a. Henricus diem Natalis Domini solemnem egit Falesiæ cum Alienora Regina quam transmisit in Angliam. 304. e. n.

Anno 1160, pacem componit cum Rege Ludovico et fautoribus ejus, renovatis prioribus pactis. 305. a. Mense Julio, conventus a legatis Imperatoris Frederici ut in partem Octaviani concedat, Episcopos, Abbates et Barones Normanniæ cogit apud Novum-mercatum, dum Rex Ludovicus Bellovaci cum suis de dissidio Romanæ Ecclesiæ tractat, et ex mutuo consensu Alexandro III adhærent, reprobato Victore. 104. d. n. 127. b. 185. e. 305. b. 518. b. Mense Septembri, Alienoram uxorem de Anglia accersit, cum Henrico filio et filia Mathilde. 305. b. Mense Octobri, locutus cum Rege Ludovico pactum mutuæ pacis confirmat, et Henricus ejus filius clientelam Regi profitetur de Ducatu Normanniæ. 305. c. Paucis interpositis diebus, Ludovicus tertiam duxit uxorem Alam Campaniensem : quod indignè ferens Henricus Margaretam ejus filiam triennem matrimonio jungit Henrico filio suo septenni, nuptiis IV Nonas Novembris apud Novumburgum celebratis, veniâ Henrici Pisani et Guillelmi Papiensis, R. E. Legatorum, et tria castella, Gisortium, Nealfiam et Novum-mercatum in puellæ dotem pacta occupat. 111. c. 127. b. 186. b. 206. c. n. 305. c. 518. a. Celebrato præproperè matrimonio, Regem Ludovicum sibi reddit infensum, et Templarios e Francia ejectos gratanter excipit. 186. b. 206. d. Illo cum sororiis suis, Henrico, Theobaldo et Stephano, bellum in Turonico pago movente, Henricus illuc properat, et munitionem Calvimontis quam Theobaldus Comes Blesensis firmaverat, expugnatam reddit Hugoni de Ambasia, cui ablata fuerat. 186. b. 305. d. Exinde, munitis turribus Ambasiæ et Fractævallis, festum Natalis Domini exigit Cenomanis cum Regina Alienora. 305. e. Ipso anno, Mariam Sanctimonialem et Abbatissam, filiam Stephani Angliæ Regis, in conjugium tradit contra fas legum Matthæo filio Theoderici Flandriæ Comitis, ut Boloniensem Comitatum sibi obnoxium faciat. 277. c. n. 705. b. Eodem anno, Publicanos qui in Angliam irrepserant, in Oxoniensi Concilio damnatos flagris cædi et cauteriatis frontibus de Anglia expelli jubet. 109. b-d. 187. a. (ubi malè anno 1166).

An. 1161, munitiones Comitis Mellenti et aliorum Baronum suorum in Normannia occupat, suaque in eis præsidia collocat. 305. e. Post Pascha ad bellum procedit adversùs Regem Ludovicum, primò in Vilcassinum, postea in Dunensem pagum ad Fractamvallem, sed antequam manus conseruissent, datis induciis, post festum S. Joannis in Aquitaniam pergit. 186. b. 306. b. 584. a. Ibi inter alia quæ strenuè gessit, Castellionem super Agennum expugnavit die festo S. Laurentii, Wasconibus mirantibus atque perterritis. 306. b. Eodem an. nascitur ei filia Alienor vocata. 186. c. 306. b. Celebrato Bajocis Natalis Domini festo, an. 1162, mense Januario, castella quæ pater suus contulerat Juhello de Meduana, Gorram, Ambreras et Novum-castrum ad Colmiam fl. recipit a Gaufrido ejus filio. 306. c. Eodem mense, amoto Aquilino de Furnis e castello Pontis-ursonis, quia pagum Abrincatensem nimiis exactionibus gravabat, idem castellum Roberto Abbati de Monte ad tempus commendat. 306. c. Primâ Dominicâ Quadragesimæ, congregatis Rotomagi Episcopis, Abbatibus et Baronibus Normanniæ, queritur de ministris eorum et Vicecomitibus, ac Concilium Juliobonæ celebrari præcipit. 306. d. Mense Julio, post obitum Joannis de Dolis, præsidia sua statuit in turre Dolensi. 307. b. Invitatus litteris Imp. Frederici ut interesset colloquio habendo IV Kal. Septembris cum Rege Ludovico de dissidio Romanæ Ecclesiæ inter Alexandrum et Octavianum, primò quidem assentitur, dein adesse renuit. 519. a. b. Mense Septembri, Alexandrum Papam convenit in Dolensi Monasterio degentem, et post triduum recedit. 669. a. Rursùs eidem occurrit Tociacum ad Ligerim (non verò Silviniacum) et Regi Ludovico, quocum, agente Pontifice, pacem firmam componit. 110. a. 278. a. 307. c. 740. e. Eod. anno, Thomam Cancellarium mittit in Angliam, eâ mente ut in Archiepiscopum Cantuar, eligatur. 127. c. 206. d. Tempore Dominici Adventûs, compositis rebus cismarinis, Barbefluvium contendit, volens ante Natale Domini transfretare in Angliam, sed vento prohibitus eam solemnitatem transegit Cæsarisburgi cum Alienora Regina. 307. d.

An. 1163, mense Januario in Angliam appellit VIII Kal. Februarii, cum Alienora conjuge. 127. c. 186. c. 206. e. 307. d. Illicò fidem Episcoporum et Procerum obstringit Henrico filio suo, cui antea fidem Episcoporum et Procerum Normanniæ conciliaverat. 186. c. 307. d. Eodem anno, datis ad Rotrocum Ebroïc. Episc. et Rainaldum de Sancto-Valerico mandatis, describi jubet consuetudines quæ per Episcopatus Normanniæ ad Regem et ad Barones pertinebant. 308. a. An. 1164, controversiam habet cum Thoma Cantuar. Archiep. de jure Ecclesiastico et regni consuetudinibus. 127. d. 207. a. b. Mense Augusto, Constabularius ejus Richardus de *Humez* eidem acquirit castrum *Comborc*, quod Radulfus de Fulgeriis occupaverat post obitum Joannis de Dolis. 309. a. Mortuo absque prole Gualterio *Giffart*, terram ejus tam in Anglia quàm in Normannia fisco addicit. 309. a. Interim Thomas Archiepiscopus de Anglia aufugit, vel, ut aliis placet, exulare compulsus est. 110. a. 207. d. 278. c. 520. d. quo cognito, Rex Henricus an. 1165 nuntios ad Regem Ludovicum mittit, rogans ne profugum recipiat, et si se diligit, Alexandri Papæ favorem ei subtrahat. 128. a. 207. e. furore percitus pro repulsa, res Archiepiscopi fisco addicit et cognatos ejus de Anglia expellit. 110. a. 128. d. 208. a. Tempore Quadragesimæ in Normanniam navigat, et edicto cavet sibi ab Alexandro Pontifice et Thoma Archiep. 208. a. 309. b. Octavâ die Paschæ, colloquium habet Gisortii cum Rege Ludovico. 309. b. Inde Rotomagum reversus Philippum Comitem Flandriæ regaliter excipit. 309. b. et accersitâ Alienorâ Reginâ, in Angliam redit cum multo apparatu bellico ad edomandos Walenses. 309. c. Mense Octobri, nascitur ei filia nomine Joanna. 186. d. 309. c. Conventus a legatis Imp. Frederici, nuptias filiæ suæ Mathildis paciscitur cum Henrico Saxoniæ Duce, sed in partem schismatis perduci nequit. 186. e. 207. a. 216. b. Attamen cum Rege Ludovico se habet inimicè, quia ille Imperatoris Legatum Reinoldum Colon. repulerat. 741. b.

An. 1166, Tempore Quadragesimæ, in Normanniam transit, ut filiorum dotationi prospiciat. 110. c. n. 128. e. n. 187. a. 309. d. Locutus cum Rege Ludovico, Episcopos et Barones congregat apud Cenomannos, hebdomadâ tertiâ post Pascha, et decernit collectam denariorum fieri in subsidium orientalis Ecclesiæ, exemplo et petitione Regis Ludovici qui similem in regno suo eleemosynam edixerat. 128. d. n. 187. c. 309. d. Die Ascensionis Domini, perstrictus litteris comminatoriis Cantuariensis Archiep. ad dominum Papam appellat, coactisque regni sui Episcopis et Abbatibus itidem appellare, nuncios Romam dirigit. 129. b. Missis interim comminatoriis litteris Capitulo Cisterciensi, Thomam e Pontiniacensi Cœnobio expelli exorat. 129. c. 208. a. Eodem anno, fisco addicit Alenceium et Rocam-maberiæ, concedentibus Guillelmo Talavatio et filiis ejus. 309. e. Quia verò Optimates Cenomannicæ et Britannicæ regionis mandatis Reginæ, se absente, minùs quàm par erat obtemperaverant, expeditionem in eos aggreditur, ac primò castrum Fulgeriarum expugnat et delet. 187. b. 310. a. Inde pactis nuptiis filii sui Gaufridi cum Constantia filia Conani Britanniæ Ducis, Britanniâ nomine filii sui potitur, præter Comitatum de *Guingamp*, Britanniæ Baronibus suam ei fidem obligantibus apud Thoarcium. 111. a. 187. d. (ubi malè an. 1168) 310. a. Redonas deinde profectus, quæ caput est Britanniæ, pro Duce se gerit. Inde orationis gratiâ ad Montem S. Michaëlis pergens, castra *Comborc* et Dolum, recenter ditioni suæ addita, transeundo videt. 310. a. Solemnitatem Natalis Domini agit in urbe Pictaviensi, quò ad eum accedit filius ejus Henricus. 310. b.

Digitized by Google

An. 1167, ante Quadrag. redit Rotomagum, et tempore Quadragesimæ colloquium habet cum Raimundo Comite Tolosano apud Magnum-Montem. 310. b. Post Pascha, ducto in Arverniam exercitu, terram Guillelmi Comitis vastat; quippè is nepotem suum exhæredaverat, et licèt justitiæ Angliæ Regis staturum se promisisset, fidem mentitus ad Regem Ludovicum confugerat. 310. c. Inde obortæ inter utrumque Regem discordiæ Joscius Turon. Archiep. caminos addidit, occasione pecuniarum Turonibus congregatarum, quas uterque per suos Hierosolymam ferri volebat. 310. c. Octavis itaque Pentecostes, Henricus cum Rege Ludovico de pace congreditur in Vilcassino : quâ haud confectâ, cùm Rex Ludovicus villas aliquot combussisset inter Medantam et Paceium, ipse Calvummontem, ubi Rex Franciæ subsidia belli comportaverat, incendit et plurimas villas in circuitu. 130. b. 187. c. 208. e. 278. d. (ubi malè an. 1166.) 310. d. 677. a. Fusis quoque in Normannia copiis suis a Roberto fratre Regis Ludovici, exercitum reparat, quem Matthæus Comes Bolonien-sis dissipat et in fugam convertit. 130. c. 521. c. d. Ludovico nihilominùs incendiis graviùs insistente, et vicem ei Calvimontis in Andeliaco rependente, inducias cum eo Rex Henricus mense Augusto facit usque ad Pascha, pactis Richardi filii sui nuptiis cum Aelide ejus filia. 187. d. 278. d. 310. e. Post hæc in Britanniam pergit, et edomitis Britonibus, Guihomarum etiam Leonensem sibi subdit, fautorem Eudonis Vicecomitis Porricidii qui filiam ipsius duxerat. 310. e. Mortuâ interim Mathilde matre suâ Rotomagi IV Idus Septembris, ab ea expeditione revocatur. 311. a. Die octavâ post festum S. Martini, colloquium habet cum Legatis A. S. Guillelmo Papiensi et Joanne Neapolitano, de negotio Cantuariensis Archiepiscopi, sed ne paci manus daret, causam belli a Rege Ludovico suscepti refundit in Archiepiscopum. 130. d. 187. b. (ubi malè an. 1166.) Ipso anno nascitur ei filius Joannes. 187. a. 311. b. cum Joscio quoque Turon. Archiep. conciliatur. 311. a. Diem Natalis Domini festum agit Argentomagi, deinde filiam suam Mathildem mittit in Alemanniam, nupturam Henrico Saxoniæ Duci. 130. e. 311. b.

An. 1168, rebellantibus in Pictavia et Aquitania, Aldeberto Comite Marchiæ, Guillelmo Engolism. Haimerico de Lizinneio et aliis, Rex Henricus illò contendit, Lizenneium capit et munit, ac villas et municipia eorum destruit. 311. d. Relictâ ibi Reginâ cum Patricio Comite Salisberiensi, die Octavâ Paschæ Regem Ludovicum convenit inter Paceium et Medantam, queriturque acceptos ab eo fuisse obsides Pictaviensium, fide interpositâ quòd cum Rege Anglorum sine ipsis non concordaretur. 311. d. Ludovico reddere obsides detrectante, cùm gravis altercatio inde fieret, inducias paciscitur usque ad festum S. Joannis. 311. d. Circa Octavas Paschæ, Patricius Comes Salisb. in Pictonibus occiditur : quam ob causam Guidonem de Lisiniaco in exilium pellit, et dissidium cum Rege Francorum increscit. 130. e. 208. e. 311. e. Interim adversùs Eudonem Porricidii Vicecomitem, pro Duce Britanniæ se gerentem, quem ad stipendia facienda frustra submonuerat, proficiscitur, ejusque Castellum-Joscelini quod habebat præcipuum destruit, urbem Venetensem cum Comitatu de *Broherec* occupat, dimidium Cornubiæ illi aufert, castellum *Abrai* expugnat et munit. 311. e. Vastatâ sic Eudonis terrâ, Rollandum Dinanensem aggreditur, castrum *Hedde* Gaufridi de Monteforti munit, et Tintiniacum evertit. 312. a. Inde *Becherel* munitionem Rollandi Dinanensis per aliquot dies obsidens, adhibitis machinis expugnat et munit; *Lehun* verò castrum in quo Rollandus maximè confidebat, obsedisset, nisi tempus eundi ad colloquium Regis Franc. eum ursisset. 312. a. Traditâ itaque terrâ Rollandi rapinis et incendiis circa Ricem fl. eadem agit in ulterioribus; nam transmisso amne, per *Lehun* descendens aliqua pessundat, parcens Monachis Lehunensibus; Dinanum verò circumiens quædam destruit, quædam intacta relinquit. In Alethensi pago eadem agit. 312. a. Infra Octavas S. Joannis, de pace congreditur cum Rege Ludovico ad Feritatem-Bernardi; sed eâ infectâ, bellum utrimque continuatum est usque ad Adventum Domini. 279. a. (ubi malè anno 1167.) 312. b. Ut igitur auxilia sibi comparet, cum Matthæo Comite Boloniensi pacem componit, pactâ ei pro Comitatu Moritonii annuâ pecuniâ. 312. b. Cùm autem Joannes Pontivi Comes iter eidem Matthæo per terram suam præclusisset, Rex Henricus arma in eum convertit rogatu Comitis Matthæi, et in pago Vimacensi quadraginta et ampliùs villas comburit. 312. c. Interim Ludovicus municipium quoddam Normanniæ *Chesnebrut* vocatum incenderat. Illum itaque insecutus Rex Henricus, multos ejus milites capit, inter quos erat Senescallus Philippi Comitis Flandriæ. 312. c. *Brueroles* quoque castellum Hugonis de Novo-castello flammis absumit, dum sui Novum-castellum Theodemarense incenderent. 312. c. Terra etiam Comitis Perticensis ab eo magna ex parte vastata est. 312. c. Mense Octobri convenitur a legatis Imperatoris Frederici, qui opem ei adversùs Franciæ Regem pollicentur, si modò in partem schismatis concedat. 131. a. 312. d. 527. c. d. 723. a. Missis itaque ad Concilium Wiceburgense nuntiis, partes Alexandri III abjurat, sed Anglos in suam sententiam perducere nequit. 131. b-d. n. Impetratâ circa Natale Domini pace a Rege Ludovico, eam solemnitatem agit Argentomagi. 131. e. 312. d.

An. 1169, die Epiphaniæ Domini, cum Rege Ludovico conciliatur in colloquio apud Montem-mirabilem habito, et exhibitis filiis suis, Henricum et Richardum ei clientelâ devincit. 111. b. 132. a. 312. e. 527. a. In eo colloquio Pictavos et Britones in se rebelles, Ludovici Regis amore, in gratiam recipit. 132. a. Thomam quoque Cantuariensem ad id colloquium accedentem benignè excipit, ejusque arbitrio se permittentem, salvo tamen honore Dei (quam clausulam reticere nolebat) duriùs increpat, et invidiam ei moderatione suâ conflat. 132. b-e. Tempore Quadragesimæ, pergit in Wasconiam (id est, Pictaviam) et destructis pluribus castellis quæ contra eum munita fuerant, pacem cum Guillelmo Comite Engolism. et Aldeberto Marchiæ componit. 313. a. Reversus in Normanniam Henricus, mense Augusto Britones dissidentes ad se vocat. 313. c. Mense Septembri, a legatis Ecclesiæ Hierosolymitanæ convenitur, ut redintegratâ cum Rege Ludovico amicitiâ, Christianis periclitantibus opem ferat : quos ille de die in diem cunctando procrastinans spe vacuos remittit. 132. b. 529. c. d. Infra Octavas S. Martini cùm Ludovici Regis animum in se iratum intellexisset, quasi orandi gratiâ accedit ad Montem-martyrum propè Parisios; dein cum Rege Ludovico de pace Archiepiscopi rursùs tractatum habet apud S. Germanum in Laia, sed eum ad osculum admittere recusavit. 133. b-e. 188. a-d. 313. a. Itaque perdurante dissidio, ad vesperam deducitur a Rege Medantam, interimque legati a Rege Francorum et Archiepiscopo Romam diriguntur, ut in eum severiùs agatur. 134. a. Eod. anno, Rex Henricus pecuniâ comparat ab Hervæo de *Gien* Montem-mirabilem et Sanctum-Anianum in Bituria : unde discordia inter eum et Theobaldum Comitem Blesensem innovata est. 313. d. Ipso anno, castrum *Fanuel* demolitur. 209. a. Castrum quoque munitissimum extruit juxta Haiam de Malaffra, vocatum *Belveier*. 313. c. Inter Franciam et Normanniam alta fecit fossata et lata ad arcendos prædones; in Andegavensi pago quædam retinacula opposuit fluvio Ligeri, molendina quoque et piscatorias fecit in fl. Meduana. 313. b. c. Eodem anno, festum Natalis Domini exegit in urbe Nannetensi, ubi præsentium Episcoporum et Baronum fidem obstrinxit Gaufrido filio suo. 142. b. 188. d. 313. d. Transactis diebus festivioribus, an. 1170 cum Gaufrido filio castella Britanniæ circuit, ut absentium Baronum fidem illi devinciat. 142. b. Eudonem deinde Porricidii Vicecomitem omnibus ferè terris suis judiciali sententiâ privat. 142. b. Die Purificationis B. Mariæ fuit Sagii, unde castella Normanniæ lustravit. 142. b. Tempore Quadragesimæ profectus in Angliam, V Nonas Martii applicuit Portesmutam cum familia sua quæ horribili fuit tempestate jactata. 134. b. 142. c. 188. d. 313. e. Ad Pentecosten, congregatis Londoniæ Episcopis et Baronibus, Henricum filium in Angliam evocatum militem facit, et XVIII Kal. Julii in Regem coronari jubet a Rogerio Eborac. Archiep. 111. e. 134. b. c. 143. a. 188. e. 313. e. 422. b. 474. a. 573. e. 677. b. 712. a. Interim

Digitized by Google

mandato Apostolico commonetur de pace reddenda Cantuariensi Ecclesiæ. 134. b. Itaque traditâ Henrico filio suo regni dispositione cum sigillo novo sub tutoribus, circa festum S. Joannis-Bapt. revertitur in Normanniam, quia Rex Ludovicus indignè ferens filiam suam non fuisse cum Henrico coronatam, minas in eam provinciam intentabat, vel hostiliter jam ingressus fuerat. 134. d. 143. b. n. 189. a. 314. b. Circa Octavas Apostolorum Petri et Pauli, colloquium habet cum Theobaldo Comite Blesensi apud Feritatem-Bernardi de pace sua cum Rege Franc. Ludovico facienda. 143. c. Ipsum quoque cum Hervæo de *Gien* Henricus pacificavit. 314. b. Ad festivitatem B. Mariæ Magdalenæ, congressus Vindocini cum Rege Ludovico, eidem conciliatur eâ lege ut filiam ipsius quantociùs coronandam curaret. 134. d. 143. c. Inde regressus in Normanniam, circa festum S. Laurentii in morbum incidit apud Motam Gerni, haud procul Damnifronte. Cùmque se moriturum prospiceret, et in Francia jam mortuus crederetur, filiis suis terras suas partitur et ad Grandemmontem se sepeliendum rogat. 143. c. d. 314. c. At convaluit, et statim circa festum S. Michaëlis peregrinationem aggreditur ad Rupem-Amatoris, armatus quasi ad prælium, quia appropinquabat finibus inimicorum suorum. 143. e. 314. e. Reversus in Andegaviam, metu sententiæ Papalis in eum promulgandæ, colloquium habet IV Idus Octobris cum Rege Ludovico, Theobaldo Comite Blesensi et Guillelmo Senon. Archiep. de pace Cantuar. Ecclesiæ, primò apud Montem-mirabilem, deinde ad Fractam-vallem, ac tandem Ambasiæ Thomam in gratiam receptum ad Ecclesiam suam redire permittit, sed eum ad osculum non admittit. 111. d. n. 134. d. e. 144. b. 189. a. 279. b. 422. b. 474. a. 677. b. 712. b. Circa festum S. Clementis, exercitum ducit in Berriam, ut Bituricensem urbem armis vindicet, quam ad Aquitaniæ Ducatum pertinere contra Regem Ludovicum asserebat. Cùm verò Ludovicus ejus in urbem adventum prævertisset, datis et acceptis induciis usque ad festum S. Hilarii, in Norman. revertitur. 144. e. 145. a. n. Thomæ in Angliam mense Decembri appulso septa Ecclesiæ suæ exire prohibet, ob interdicti sententiam ab eo in alios Episcopos latam. 144. d. Ipso anno, Alienoram filiam suam mittit in Hispaniam, ad nuptias cum Alfonso Castellæ Rege. 188. e. 216. b. 314. b. Ad Natale Domini fuit Buri juxta Bajocas, interimque Thomas Cantuar. Archiep. a quatuor ejus satellitibus perimitur : quo percepto apud Argentomagum nuntio, in tristitiam decidit magnam. 145. c. 189. b. 314. d.

An. 1171, infamatus ubique ob necem B. Thomæ et a Francorum Principibus apud Alexandrum Papam accusatus, nuncios Romam mittit qui se de perpetrato scelere excusent, et si quid deliquerit, satisfacturum promittant. 112. c. d. 135. b. 189. c. 670. c. Interim a Guillelmo Senon. Archiep. divexatur, qui terras ejus cismarinas, spretâ Rotomagensis Archiepiscopi appellatione, interdicto supponit. 145. d. e. Eodem tempore, post mortem Conani IV Britanniæ Ducis, totam Britanniam cum Comitatu de *Guingamp* et honore Richemundiæ occupat. 314. d. Tempore Quadragesimæ Pontem-ursonem accedit, missisque armatorum millibus ad comprimendum Guihomarum Vicecomitem Leonensem, circa Pentecosten ab eo ad Pontem-ursonem convenitur, sui et castellorum deditionem faciente. 314. e. Interim nunciis causam ejus Romæ agentibus, rursùs a. R. E. Legatis Gratiano et Viviano divexatur, quibus etiam effugium appellationis opponit ; ab illis verò nihil actum est, prohibente Guillelmo Senon. Archiep. ne quidquam se inconsulto definirent. 146. b. 188. a. (ubi malè an. 1169.) Attamen Apostolicam veritus severitatem, portus suos cautè servari jubet, et Henricum filium suum ab Anglia revocat. 135. b. 146. c. Mense Julio, congregatis Argentomagi Baronibus, de expeditione sua Hibernica tractat, et III Nonas Augusti vela facit in Angliam. 135. b. 146. c. 315. b. c. Interim investigari jussit terras et silvas quæ tempore Henrici I ad fiscum pertinebant, et eo pacto redditus Ducatûs Normanniæ duplos fecit. 315. b. Octavo Idus Augusti, Wintoniam transiens Henricum Episcopum in extremis agentem invisit, qui eum pro nece Cantuariensis Archiep. durissimè increpat. 189. d. XV Kal. Novembris, navali subsidio in Hiberniam appellit, quam brevi tempore suam facit. 189. e. 209. c.

Anno 1172, subactâ Hiberniâ, post Pascha vel circa Ascensionem Domini in Normanniam revertitur, statimque A. S. Legatis Alberto et Theotimo se sistens, primo eorum consilio Regem Ludovicum placat, missis filio suo Henrico et ejus filia in Angliam coronandis. 135. c. 146. d. 190. a. 212. b. 216. c. 315. d. Circa Pentecosten colloquium habet cum Balduino V Comite Hannon. innovatisque pactis quæ cum patre et avo ejus pepigerant Angliæ Reges, eidem se et proceribus ejus pro militari stipendio vectigalem facit. 573. d. Dum verò filiorum coronatio perficeretur, in Britanniam abit. 147. b. Circa festum S. Matthæi, eisdem Cardinalibus occurrit Abrincis, ac tandem V Kal. Octobris, post varios tractatus Savinnei, Abrincis et Cadomi habitos, immunem se a nece Archiepiscopi profitetur, interfectores ejus execratur, et si quid deliquerit, emendaturum se itinere Hierosolytano promittit. 112. e. n. 135. d. n. 147. c. 190. c. 212. a. 216. c. 279. d. 315. d. 670. d. e. 749. a. Circa festum S. Michaëlis, Episcopos Normanniæ et Britanniæ cogit Abrincis, ad tractandum coram Legatis de rebus ecclesiasticis : verùm Rege adversâ valetudine conflictato, parùm profecerunt. 147. d. 315. e. Circa festum omnium Sanctorum, filium suum Henricum ab Anglia revocatum mittit cum Margareta conjuge ad Regem Ludovicum eos videndi cupidum ; sed mox fraudem aliquam suspicatus eos ad se redire jubet, et in Andegaviam pergit. 136. d. 148. b. Filio ad se reverso, Normanniamque vel Angliam instinctu Regis Francorum sibi dari petenti non assentitur. 137. a.

Celebrato Chinone Natalis Domini festo, an. 1173 ante Purificationem B. Mariæ in Alverniam pergit usque ad Montem-ferrandum, ibique habito cum Humberto Comite Moriennæ colloquio, nuptias filii sui Joannis paciscitur cum filia ejus Alaïde. 148. c. n. 190. d. 314. e. (ubi malè an. 1171.) 679. a-c. (ubi an. 1170.) Inde reversus Lemovicas, pridie Idus Februarii pacem componit inter Alphonsum Aragoniæ Regem et Raimundum V Comitem Tolosanum, qui et Angliæ Regi clientelam profitetur pro Tolosæ Comitatu, salvâ fide Ludovici Regis Franc. 149. a. 190. e. n. 219. e. 316. a. ibidem a Legatis Comitis Moriennæ conventus, Joanni filio suo assignat tria castella, Chinonem, Losdunum, Mirabellum, gratiâ nuptiarum ipsius : cui dono cùm intercederet Henricus natu-major, ante mediam Quadragesimam revertitur Chinonem. 137. a. 150. a. Dum cogitat Henricum mittere in custodiam, illum aufugientem VIII Idus Martii ad Ludovicum Regem frustra insecutus, castella sua et imprimis Gisortium munit. 113. a. 150. b. 191. a. 316. b. 749. b. Desertus quoque a duobus filiis suis Richardo et Gaufrido, Alienoram conjugem dissensionis flabrum, abjectâ veste muliebri aufugientem et comprehensam, arctæ addicit custodiæ. 137. a. 219. e. Ministros filii sui ad se reversos remittit in Franciam cum muneribus. 150. d. Nihil lucratus et ab omnibus ferè derelictus, Brabantiones stipendiis suis conducit. 113. b. e. Die Paschæ diversabatur Alencione, et interim missis litteris ad Imperatores et Reges quos sibi putabat amicos, questus est de filiorum rebellione. 151. c. n. Post Pascha, undique a fautoribus filiorum suorum bello lacessitur. 114. a. 137. d. 152. c. 212. c. 219. d. 279. d. 316. c. 422. d. 574. d. 671. a. Post festum S. Petri, Rex Francorum Ludovicus obsedit Vernolium, Philippus Comes Flandriæ Albemarlam, et castellum Driencurtis expugnavit. Rex verò Henricus impar tot hostibus simul resistendo, Rotomagi se continebat. 114. a. 137. d. 152. c. 192. a-e. 316. d. Matthæo Comite Bolon. die S. Jacobi prope Archas perempto, Philippus frater ejus infractus recedit. Rex Henricus ex illa parte securus, VI Idus Augusti cum Brabantionibus suis procedit adversùs Regem Ludovicum integro jam mense Vernolium obsidentem. 114. b. c. 153. d. n. 193. a. Invitatus ab eo ad colloquium sequenti die habendum de pace filiorum, Conchas eâ die revertitur. Postridie ad colloquium pergens, Vernolium a Rege Ludovico flammis absumptum conspicatur. Fugientes itaque Francos insecutus multam illorum stragem edit, Vernoliumque reversus muros qui ceciderant refici jubet. 114. d. 154. et *seq.* 193. b. 317. a. Sequenti die Damvillæ castellum Gisleberti de Tileriis occupat. Inde reversus

Digitized by Google

Rotomagum, Brabantiones suos mittit in Britanniam. 153. b. c. Siquidem a Britanniæ Baronibus sacramentum fidelitatis exegerat, quod renuentibus quibusdam fœderatis cum Radulpho de Fulgeriis, Rex Brabenzones mittit ad vastandam illius terram. Iis verò inter S. Jacobum et Fulgerias profligatis, ipse latenter illùc accedit ut Radulphum intercipiat, eoque fugiente, multam prædam aufert. 317. b. Captis a Radulpho interim castro *Comborc* et urbe Dolo, rursùs Rex Henricus Brabenzones illò mittit, qui conjuratos profligant XIII Kal. Septembris, et fugâ elapsos in turrem Dolensem retrudunt. 155. d. 317. c. illuc itaque Rotomago properanter accurrens, turri Dolensi machinas applicat, pactâque rebellibus vitâ cum membris, VII Kal. Septembris arcem intrat, et Hugonem Cestriæ Comitem cum militibus ferè centum in vincula conjicit. 115. a. b. 153. d. 194. a. 681. a. Die Nativitatis B. Mariæ curiam suam habet in urbe Cenomanensi, et ibi usque ad Exaltationem S. Crucis commoratus, VIII Kal. Octobris cum Rege Ludovico colloquium habet Gisortii, in quo pacem filiorum æquis conditionibus mercari conatus, Rege Francorum eas respuente, pace infectâ recedit. 156. c. d. In ipso colloquio conviciis a Roberto Leicestriæ Comite impetitus fuit, eoque finito, sui milites cum Francis conflictum habuerunt. 156. d. n. Interim a fidelibus suis in Anglia strenuè agitur in Regem Scotiæ et Robertum Leicestriæ Comitem, quem circa festum omnium Sanctorum (imò XVII Kal. Novembris) comprehensum, et ad se cum uxore et Hugone de Novo-castello transmissum, Falesiæ in vincula conjicit, et cum eis Hugonem Cestriæ Comitem. 115. c-e. 137. d. 157. b-d. Circa festum S. Martini, in Andegaviam pergit cum Brabancenis suis, et statim reddita sunt ei castella de Haya, de *Prulli* et de *Campenni,* in quo milites multos cepit. 157. e. Deinde circa festum S. Andreæ, Vendomiam contendit ad profligandum Buchardum de *Lavardin,* eâque expugnatâ, in Normanniam revertitur. 158. e.

Celebrato Cadomi Natalis Domini festo, an. 1174, inducias paciscitur cum Rege Ludovico a die festo S. Hilarii usque ad clausum Pascha. 138. a. 158. b. 318. a. Ineunte Quadragesimâ, de pace congreditur apud Calvum-montem cum Rege Ludovico coram Petro Tarentasiensi Archiep. 319. b. 708. d. n. Post Pascha, exploraturus fidem subditorum suorum in Cenomanniam contendit pridie Kal. Maii, et inde in Andegaviam pergit. Omnibus ibi pro voluntate completis, Pentecostes solemnitatem in urbe Pictaviensi celebrat. 194. c. Cùm verò intellexisset Richardi filii sui militiam occupasse urbem Santonicam, illuc progreditur et tria urbis præsidia in suam potestatem redigit. 158. e. 194. d. Commendatâ sex viris illustribus Aquitaniâ, in Andegaviam revertitur, et circa festum S. Barnabæ villam *Ancenis* juxta S. Florentium occupatam munit, traditamque providentiæ Mauritii de Credonio cum Andegavia et Cenomannia, in Normanniam redit. 158. e. 194. e. Ibi dum apud Bonam-villam cum suis Normannis colloquium habet die festo S. Joannis, a legatis Angliæ justitiariorum convenitur, ut turbatis Angliæ rebus quantociùs provideat; quippè Philippus Comes Flandriæ, præmissis jam stipendiariis, excensionem cum Henrico ejus filio in Angliam parabat. 116. a. 138. a. 195. a. b. 280. b. Itaque sumptis secum Alienorâ et Margaretâ Reginis cum præcipuis quos habebat captivis, VIII Idus Julii in Angliam navigat, malens fines suos transmarinos periclitari quàm regnum. 116. b. 138. b. 159. a. 195. c. 318. d. Postridie sepulcrum B. Thomæ peregrinus adit, et post unius noctis pervigilium ingressus capitulum a singulis Monachis, ipso jubente, verberibus cæditur. 116. b. 138. c. 159. a. n. 280. b. 318. d. III Idus Julii, completâ peregrinatione dum recedit, a strategis suis victoria de Scotiæ Rege apud *Alnevic* reportatur : quo rescito, gratias Deo agit et B. Thomæ. 138. d. 159. b. 318. e. Itaque supra modum exhilaratus exercitum ducit versùs Huntindoniam, et XII Kal. Augusti ejus compos efficitur. 159. b. Inde ad *Fremingham* castellum Hugonis *Bigod* progressus, illo VIII Kal. Augusti cum castello de Bungeia, ipso Hugone tradente, potitur, vix datâ Flandrensibus repatriandi licentiâ. 138. d. 159. c. 318. e. Reversus inde castella Hugonis Dunelmensis Episc. Dunelmum, Norham et Alwertonam recipit, pridiè Kal. Augusti, ægrè concessâ Hugoni Comiti de *Bar* abeundi facultate. 159. c. Ipsâ die reddita sunt ei castella Leicestriæ Comitis, Leicestria, *Munsorel* et *Grobi;* castella quoque de *Treske,* Tutesbiriæ et Duffeldæ. 159. d. Ita compositis in Anglia rebus spatio trium hebdomadarum, VI Idus Augusti revertitur in Normanniam, opem laturus obsessis a Rege Ludovico in urbe Rotomagensi, secum trahens insignes captivos, Guillelmum Scotiæ Regem, Comitem Leicestriæ, Comitem Cestriæ, et Guillelmum Comitem de Ferreris. 117. d. 138. e. 159. d. 160. a. 195. n. 318. e. Ingressus itaque urbem postridiè S. Laurentii, Francis per suos Walenses commeatum diripit, ipse verò reseratis portis ad bellum progreditur : verùm petenti Ludovico inducias secedendi vigiliâ Assumptionis B. Mariæ concedit, dum in crastinum ad colloquium revertatur. 117. e. 139. a. 160. a-c. 196. b. 256. b. 280. c. 318. e. 723. c. Eo in Franciam ipsâ nocte reverso et alium colloquii diem poscente, Rex Henricus die Nativitatis B. Mariæ Gisortium cum Rege Ludovico congressurus accedit : prælocutus verò pacem cum filiis, aliud colloquium ad festum S. Michaëlis paciscitur, interimque in Pictaviam abit ad compescendam Richardi filii sui rebellem contumaciam. 139. a. 160. d. 319. a. Eo perdomito et patris in gratiam recepto, Regi Ludovico Henricus occurrit ad Montem-Laudiacum inter Turones et Ambasiam pridie Kal. Octobris, ibique filios et eorum sequaces in gratiam recipit, Rege Ludovico et Comite Flandriæ munitiones quas ceperant reddentibus. 118. a. n. 139. a. 161. a. b. n. 197. c. n. 280. d. 319. a. 574. d. 671. c. in eodem colloquio Rex Henricus Leicestriæ Comitem libertate donat, rogante Ludovico Rege, sed non Scotiæ Regem. 118. c. cum eo tamen pacem composuit VI Idus Decembris. 197. d. deinde Natalis Domini festum egit Argentomagi. 162. a. 319. a.

An. 1175, castella Norman. et Angl. quæ tempore rebellionis extructa fuerant, solo æquari jubet. 198. a. Profectus in Andegaviam castella sua Pictaviæ munit, ac misso deinde Richardo filio suo, hostilia castella ut evertat edicit. 162. a. 319. b. Die Purificationis B. Mariæ diversatur in urbe Cenomannica cum filio suo Henrico, indeque Gisortium profectus, die sancti Mathiæ colloquium habet cum Rege Ludovico. 162. b. Inde in capite jejunii Rotomagum se recipit cum filio suo Henrico, transfretaturus in Angliam; sed priùs in Andegaviam abit ad munienda castella sua, hostilia verò diruenda. 162. b. Reversus Cadomum post mediam Quadragesimam, Henricum filium suum Rotomagi consistentem accersit ad transfretandum; sed illo renitente ac timente ne in carcerem mitteretur, prout illi a nunciis Franciæ Regis insinuabatur, pater metum ejus excutere tentat. Tandem Kal. Aprilis clientelâ sibi devinctum ut ejus fratres, sed hominio etiam, juramento et fidejussoriâ cautione, mittit ad Regem Francorum. 118. b. 162. b-d. 319. b. Ipse interim Valonias et Cæsaris-burgum pergit; Gaufridum filium suum mittit in Britanniam, ut hostilia castella diruat, deputato eidem in procuratorem terræ Rollando de Dinano. 162. d. 319. b. Henrico filio suo ad se reverso, Paschalem solemnitatem agit Cæsaris-burgi, ac die Martis post clausum Pascha Cadomum occurrit Philippo Flandriæ Comiti cruce-signato, ubi rescisâ cartâ quam ei filius suus fecerat, pecuniam eidem paciscitur. 162. e. Henricum quoque filium suum ære alieno exonerat. 199. a. ac tandem VII Idus Maii cum filio in Angliam navigat. 139. b. 163. a. 198. c. 319. b. Quinto Kal. Junii, ad sepulcrum B. Thomæ contendit, gratias acturus pro compositâ pace. 139. b. 198. c. Mense Octobri, cum Hugutione Legato agit de dissolvendo matrimonio suo cum Alienora. 139. b. Obeunte paulò ante Natalis Domini festum avunculo suo Reginaldo, Cornubiæ Comitatum et cæteras ejus possessiones in Anglia et Normannia retinet ad dotandum filium suum Joannem, relictâ filiabus ipsius modicâ illarum portione. 319. b.

An. 1176, Rex Henrico filio suo ad S. Jacobum peregrinari permittit, ægrè tamen. 163. e. Appropinquante Paschali solemnitate, eumdem apud Porcestriam expectantem prosperam auram navigandi ad se revocat Wintoniam, ubi transacto Paschali festo cum tribus filiis suis, ab Henrico exorat ut, intermissâ peregrinatione, in Pictaviam cum Richardo abeat ad debellandos Proceres insurgen-

Digitized by Google

tes. 164. a. b. Eodem anno, Andegavensibus et Cenomannensibus penuriâ laborantibus annonam providet a Kal. Aprilis usque ad messem. 199. a. Ipso anno, conventus a legatis Guillelmi Siciliæ Regis, filiam suam Joannam eidem in conjugium tradit. 139. d. 164. c. 165. a. 199. e. 216. c. 319. e. Missis quoque in Flandriam legatis, iter Hierosolymitanum Philippi Comitis differri exorat ad proximum Pascha, spondens sese comitem illi adjuncturum, vel certè subsidium militare Regi Balduino consanguineo suo missurum. 164. d. 281. a. n. XI Kal. Octobris veniam indulget Vulgrino Comiti Engolism. a Richardo Comite Pictav. capto et ad se transmisso. 200. a. Circa festum S. Michaëlis universa Angliæ et Normanniæ castella occupat, et amotis Comitum et Baronum præsidiis sua ponit. 166. c. Eodem tempore, castella Comitis Leicestriæ solo æquat, necnon castella Rogeri de *Moubrai* et Hugonis *Bigod*. 167. a. Ipso anno, nuptias filii sui Joannis paciscitur cum filia Guillelmi Comitis Glocestriæ, ut Comitatum ejus eidem acquirat. 166. d.

An. 1177, celebratâ Natalis Domini festivitate apud *Nothingham* cum filiis suis Gaufrido et Joanne, statim post festum S. Hilarii occurrit Northamptonam legatis Philippi Flandriæ Comitis, significantis a Ludovico Francorum Rege in matrimonium postulari filias fratris sui Matthæi Comitis Boloniensis, alteram Philippo Regis filio collocandam, alteram filio Theobaldi Comitis Blesensis, et super hoc ejus consilium quærentis. 167. e. Petenti quoque sibi pactam solvi pecuniam in subsidium itineris Hierosol. et pro anima fratris sui Matthæi, bona verba dat, si tamen Comes suis consiliis stare velit de matrimonio dictarum puellarum. 168. a. c. in eodem conventu possessiones suas restituit Roberto Leicestriæ Comiti ad saniorem mentem converso, sed castella *Munsorel* et *Pasci* retinuit. 168. b. Interim cùm audisset Radulphum de Dolis mortem obiisse et filiam ejus triennem a propinquis raptam fuisse, Henrico filio mandat ut, congregato quantociùs exercitu, in Berriam proficiscatur et terram Radulfi invadat. 167. d. Die Jovis *absoluti* Cantuariam occurrit Philippo Flandriæ Comiti ad sepulcrum B. Thomæ peregrinanti, cui et quingentas argenti marcas largitur in subsidium Hierosolymitanæ peregrinationis. 168. e. Per milites quoque Templi quingentas marcas et per Hospitalarios alias quingentas transmittit ad defensionem terræ Hierosolymitanæ. 169. a. Exorarat Rex Henricus ab Alexandro Papa, ut quem vellet filiorum, Hiberniæ Regem faceret. Itaque Hugoni Cestriæ Comiti suas possessiones tam in Anglia quàm in Normannia reddit, et illum statim cum Joanne filio suo in Hiberniam mittit ad eam imperio ejus subigendam. 169. b. Interim Rege Ludovico satagente pro matrimonio filiæ suæ Aleidis et Richardi Comitis Pictav. Henricus missis statim post Ascensionem Domini ad eum legatis, ab eo reposcit Vilcassinum quem Henrico juniori pactus fuerat in dotem filiæ suæ, et item Bituricensem urbem quam Richardo sponsus fuerat gratiâ nuptiarum ipsius cum altera ejus filia. 169. d. Congregato exercitu suo Wintoniæ die Octavâ post festum S. Joannis-Baptistæ ad transfretandum in Normanniam, dum prosperam auram expectat, significatur ei a legatis quos miserat, Petrum Cardinalem S. Chrysogoni juxta Papæ Alexandri mandata decrevisse terram ejus interdicto supponere, nisi permitteret Richardum filium suum in uxorem ducere filiam Regis Ludovici. Intermissâ itaque profectione suâ, Episcopos regni compellit appellare ad Alexandrum Papam. 170. c-e. Ascensis tandem navibus, XV Kal. Septembris in Normanniam appellit cum Comitibus et Baronibus regni sui, et statim Gaufridum filium suum mittit in Britanniam ad debellandos hostes suos; ipse verò cum Henrico filio Rotomagum se recipit, tumque Walerannus filius Guillelmi Lupelli ad eum accedens, Ibreii turrim ei reddit quam multùm concupierat. 171. a. b. 320. d. III Idus Septembris a Petro Cardinale convenitur, interminante sententiam interdicti de mandato Papæ Alexandri. 171. a. Igitur sibi cavendum ratus, inducias petit loquendi cum Rege Ludovico, indictoque inter Ivriacum et Vadum S. Remigii colloquio die festo S. Matthæi, matrimonio Richardi verbo tenùs adstipulatur; attamen amicitiæ fœdere Regi Ludovico conjungitur, propter utriusque votum peregrinandi in terram sanctam. 140. b. 171. b. n. 200. c. n. 281. e. 320. c. Finito colloquio, Henricum filium suum mittit in Berriam et Richardum alterum filium in Pictaviam, ad hostes suos debellandos. 172. a. b. Ipse verò profectus Vernolium, prece Bonorum-hominum de Grandimonte legem statuit, ut res clientum essent indemnes a debitis dominorum. 172. a. Statim post festum S. Michaëlis exercitum ducit in Berriam in auxilium filii sui, et primo impetu Castellum-Radulfi capit. Inde Castram properanti, ubi filia Radulfi de Dolis, clientis sui, servabatur, occurrit dominus illius oppidi pacem flagitans et puellam tradens, quam ille receptam mittit Chinonem custodiendam. 172. d. 200. e. 320. e. Issoldunense castrum a Baronibus sibi oblatum accipere renuit, quia Odonis Toparchæ hæredem in sua custodia non habebat. 320. e. Turonium deinde Vicecomes ejusdem castri reddidit ei. 320. e. Inde profectus in Lemovicinum, Comites et Barones qui rebellionis filiorum conscii fuerant, multat et in Berriam revertitur. 172. d. Post festum S. Martini, cum Rege Ludovico congreditur de dominio Alverniæ, quam incolæ testimonio suo ipsi asserunt, excepto jure conferendi Claromontensis Episcopatûs. 173. a. Mense Decembri pergit ad Grandem-montem, eique Aldebertus Comes Marchiæ occurrens Comitatum suum vendit pretio sex millium marcarum et 40 mulorum. 173. b. n. 201. a. 321. a. Rex igitur, devinctis sibi clientelâ Marchiæ Proceribus, in Andegaviam recedit, Natalis Domini festivitatem celebraturus. 173. b.

An. 1178 (more Angl.) diem Natalis Domini solemnem agit apud Andegavos cum tribus filiis suis. 321. c. Mediâ Quadrag. XIV Kal. Aprilis, interest dedicationi Beccensis Ecclesiæ, cui et redditum centum librarum Andegav. concedit. 321. c. Habito deinde colloquio cum Rege Ludovico ad Nonantiscurtem, rursùs de itinere suo Hierosolymitano tractat. 321. d. Profecturus in Angliam legatos mittit ad Regem Ludovicum, et terras ei cismarinas, Normanniam, Andegaviam et Britanniam commendat. 173. c. n. Intermissâ tamen profectione suâ ob hæreticos in provincia Tolosana grassantes, cum Rege Ludovico decernit illuc exercitum ducere ad eos debellandos; mutato tamen consilio, placuit utrique viros sapientes et religiosos mittere ad eos confutandos. 173. d. 174. a. Idibus Julii, in Angliam appellit, et statim, ut mos suus erat, sepulcrum B. Thomæ venerabundus adit. 178. a. 201. a. 322. a. VI Kal. Augusti, Guillelmo Remensi Archiep. occurrit eadem de causa in Angliam adventanti. 178. b. 201. b. VIII Idus Augusti, Gaufridum filium suum militem facit. 178. b. 201. b. Eodem anno, expensas subministrat Henrico Abbati Clareval. ad obtegendam plumbo Ecclesiam suam. 713. c. An. 1179, reconciliatur uxori suæ Alienoræ. 749. d. XI Kal. Septembris occurrit Regi Ludovico ad sepulcrum B Thomæ peregrinanti, eique individuus comes efficitur. 141. b. 180. c. d. n. 202. d. e. 323. a. 423. c. 475. b. An. 1180, III Nonas Martii, legatos in Franciam mittit ad sibi conciliandam Philippi novi Regis amicitiam. 204. b. Excitus crebris nuntiis Adelæ Francorum Reginæ, ante Pascha transit in Normanniam, Paschalem solemnitatem agit in urbe Cenomannica, et conventus a Regina et Comite Theobaldo, auxilium eis suum spondet adversùs Regem et Philippum Flandriæ Comitem. 181. c. 204. d. 324. b. Die festo SS. Apostolorum Petri et Pauli, colloquium habet Gisortii cum Rege Philippo, quem erga matrem efficit æquiorem. 182. a. 205. b. in eodem colloquio Philippum Flandr. Comitem sibi clientelâ devincit pro annua pensitatione mille marcarum Esterlinguorum. 182. c. Mense Septembri, fœdus amicitiæ icit cum Rege Philippo, vel potiùs pactum quod cum Ludovico pridem pepigerat, cum eo innovat. 182. d. n. Eodem anno, Canonicis Lemovicensibus reconciliatur, et electionem Sebrandi de *Chabot* ratam habet. 204. c. n. et Natalis Domini festum transigit in urbe Andegavensi. 324. d. An. 1181, circa finem Julii mensis in Angliam revertitur. 325. a. An. 1182, mense Martio, redit in Normanniam, paratus in adjutorium Regis Francorum, quem cum Philippo Flandriæ Comite conciliat. 325. d. n. Ipso et sequenti anno, gravi discordiâ filiorum divexatur propter castellum Claræ-vallis, quod licèt ad Comitatum Andegavensem pertineret, Richardus Dux Aquitaniæ firmaverat. 216.

Digitized by Google

e. 326. a. Eodem anno, misso in Britanniam exercitu, turrem Redonensem expugnat et combustam instaurat. 326. a. Castella quæ Rex Henricus extruxit vel instauravit, recensentur. 306. a. Mores ejusdem et prosopographia adumbrantur. 213. et *seq.* Filii ex Alienora conjuge, Guillelmus, Henricus, Richardus, Gaufridus, Joannes; filiæ, Mathildis, Alienora, Joanna; filius naturalis, Gaufridus Lincolniensis Episc.

Henricus, filius Henrici II Angliæ Regis, an. 1155 nascitur pridie Kal. Martii, et a Theobaldo Cantuar. Archiep. baptisatur. 126. c. 185. a. 297. e. Eod. anno post Pascha, in conventu Procerum Angliæ hæres regni asseritur, si patri et fratri Guillelmo superstes sit. 126. c. An. 1158, mense Septembri, pater ei despondet in uxorem Margaretam filiam Regis Ludovici et Constantiæ, sex menses natam. 111. c. 126. d. 185. c. 206. c. n. 219. a. 300. b. n. 421. c. 516. a. 704. c. Anno 1160, de Anglia accersitus a patre, mense Octobri clientelam pro Normanniæ Ducatu Regi Ludovico profitetur. 305. c. Paucis interpositis diebus matrimonio jungitur, patre jubente et venià Legatorum Romanæ Eeclesiæ, cum Margareta sponsa sua trienni, nuptiis apud Novum-burgum celebratis IV Nonas Novembris, ante tempus præstitutum. 111. c. 127. c. 186. b. 305. c. An. 1163, Baronum Angliæ fidem ei pater obstringit, quemadmodùm priùs fidem Baronum Normanniæ illi devinxerat. 186. c. 307. d. An. 1169, in colloquio apud Montem-mirabilem die Epiphaniæ habito, clientelam Regi Ludovico profitetur pro Britannia, Andegavia et Cenomannia, cùm de Normannia suam ei fidem priùs obligasset. 132. a. 312. e. 678. b. Donatus vicissim a Rege Senescalciâ Franciæ, quæ pertinet ad Comitatum Andegav. die Purificationis B. Mariæ Regi ad mensam ut Senescallus ministrat. 312. e. Non multò post fidem quoque suam obstringit Philippo Regis Ludovici filio, et Britanniæ Ducatum, patre jubente, ipsi obnoxium profitetur Gaufridus frater ejus. 313. a. Anno 1170, a patre in Angliam accersitus militiæ cingulo donatur, eoque jubente, in Regem coronatur a Rogero Eborac. Archiep. pridie SS. Viti et Modesti, XVIII Kal. Julii. 111. d. 134. c. 143. a. 188. e. 216. b. 313. e. 422. a. 474. a. 677. b. 712. a. Mense Augusto, patre in Normanniam abeunte, regimini Angliæ præficitur vi sigilli novi quod ei pater tradit. 143. b. 314. b. Eod. anno, a patre morbo decumbente hæres instituitur Angliæ regni, necnon Comitatuum Normanniæ, Andegaviæ et Cenomanniæ. 143. c. n. An. 1171, circa festum S. Petri ad vincula, in Normanniam a patre revocatur. 146. c. Eodem anno, Natalis Domini festum celebrat Buri juxta Baïocas, et quia primam tunc curiam tenebat in Normannia, eam perquàm solemnem agit. 315. c. An. 1172, VI vel V Kal. Septembris, a patre missus in Angliam iterùm coronatur Wintoniæ cum Margareta uxore a Rotrodo Rotomag. Archiep. 135. c. 147. a. 190. c. 315. d. Circa festivitatem Omnium Sanctorum redux in Normanniam, patris venià cum uxore ad Regem Ludovicum abit eos videndi cupidum. 136. d. 148. a. 315. e. Per hanc moram a socero suo Ludovico commonetur ut Angliam vel Normanniam sibi dari petat, ne vacuum Regis nomen gerat. Interim verò a patre suspicioso revocatus in Normanniam redit. 113. a. 148. b.

Celebrato Natal. Domini festo apud Bonam-villam, an. 1173 ad patrem abit in Andegaviam. 316. a. Tum ab eo petit Angliam vel Normanniam sibi relinqui, prout ipsi a Rege Francorum insinuatum fuerat; verùm repulsam passus silet indignans. 136. d. 150. a. Ante Purificationem B. Mariæ cum patre in Alverniam pergit, deinde Lemovicas: ubi cùm Rex pater Joanni filiorum natuminimo tria castella donasset, Chinonem, Losdunum et Mirabellum, gratiâ nuptiarum ipsius cum filia Comitis Moriennæ, huic dono Rex filius intercessit. 136. d. 150. a. Circa mediam Quadragesimam a patre apud Chinonem diversante noctu aufugit, et VIII Idus Martii ad Regem Ludovicum confugit, a quo gratanter exceptus fratres suos Richardum et Gaufridum, connivente matre Alienorâ, in rebellium pertrahit. 113. b. 137. a. 150. b. c. 191. a. 212. b. 216. c. 219. d. 279. d. 316. b. 574. d. 671. a. b. 677. d. 680. e. 749. a. Exinde pro Rege se gerens et accepto a Rege Francorum sigillo, donis et promissis potentes quosque suam in partem allicit. 113. d. 137. a. 151. a-c. ac primò quidem intercedit electioni Cantuariensis Archiep. se inconsultò, patris tamen assensu factæ. 137. c. n. Circa Octavas Apost. Petri et Pauli, militans in exercitu Philippi Flandriæ Comitis et Matthæi Comitis Bolon. Hugonem de Gornaco cum filio et quater-viginti militibus capit, castrum ejus succendit, et burgenses ad redemptionem compellit. 191. c. Inde illorum auxilio Albæmarlæ castro potitur, Henrici Comitis Aucensis castella occupat, et Driencurtis castellum expugnat. 153. a. 192. b.-d. 316. d. Octavo Kal. Octobris, in colloquio Gisortii habito, obtulit ei pater mediam partem reddituum Angliæ vel Normanniæ cum idoneis castellis ad libitum; sed Ludovico eam pacem respuente, in gratiam tum non fuit receptus. 156. c. Anno 1174, ineunte Quadragesimâ, interest colloquio apud Calvummontem de pace habito inter patrem suum et Regem Ludovicum coram Petro Tarentasiensi Archiep. 708. d. Itaque innovato fœdere cum Rege Ludovico et regni Proceribus, bellum adversùs patrem instaurat. 280. b. 318. c. 723. b. Urbem Sagiensem aggreditur ope Theobaldi Comitis Blesensis, Rotrodi Perticensis et Joannis Pontivensis, sed nihil proficit. 194. b. Pridie Idus Junii Witsandum contendit, Radulfum de Haia missurus in Angliam, dum ipse cum Philippo Comite Flandriæ classem parat ad excensionem faciendam. 116. a. 138. a. 158. d. 159. a. 195. a. 318. c. Cùm autem Rex pater eos antevertisset, intermissâ profectione, Regi Ludovico Rotomagum obsidenti adjungitur. 116. d. 138. d. 159. d. 195. e. 256. b. 713. a. Pridie Kal. Octobris, in colloquio apud Montem-Laudiacum habito patris in gratiam recipitur, eique singulis annis viginti millia librarum Andegav. et duo castella in Normannia destinantur. 118. b. 139. a. 161. b. n. 197. c. n. 280. d. 319. a.

An. 1175, die S. Mathiæ, interest colloquio a patre Gisortii habito cum Rege Ludovico. 162. b. Post mediam Quadragesimam accersitus ab eo Cadomum ad transfretandum, reluctatur, timens ne, prout ei a nunciis Regis Franciæ insusurrabatur, ibidem in carcerem mitteretur. 162. b. Victus tamen multâ patris instantiâ, eum apud Burum convenit, ejusque pedibus provolutus, in hominem se, sicut pridem fratres, suscipi exorat, datisque fidejussoribus, ut omnem suspicionem amoveat, clientelam Kal. Aprilis profitetur. 118. b. 162. c. 198. b. n. 319. b. Quo facto, ad Regem Ludovicum mittitur, reversusque ad patrem festi Paschalis solemnitatem exigit Cæsaris-burgi. 162. e. Die Martis post clausum Pascha, Cadomum occurrit Philippo Flandriæ Comiti cruce-signato, eique, rescisâ cartâ quam pridem fecerat, pecuniam paciscitur. 162. e. VII Idus Maii in Angliam cum patre navigat, eumque ad sepulcrum B. Thomæ comitatur. 139. b. 163. a. 198. c. 319. b. Eodem anno, ære alieno quo erat gravatus, exoneratur a patre. 199. a. Anno 1176, a patre licentiam petit ad S. Jacobum peregrinandi. 163. e. Eâ ægrè admodùm impetratâ, dum apud Porcestriam expectat prosperam auram transfretandi in Normanniam, a patre accersitur Wintoniam, ibique cum fratribus Paschalem exigit solemnitatem. 164. a. b. Rogatus autem ut, intermissâ peregrinatione, cum Richardo in Pictaviam pergat ad comprimendos proceres rebellantes, XIII Kalend. Maii in Normanniam trajicit, et statim cum uxore sua Regem Ludovicum invisit. 164. c. Post festum S. Joannis Bapt. in Pictaviam profectus, junctusque Richardo fratri, Novum-castrum Comitis Engolismensis obsidet, eoque capto, a fratre recedit. 165. c. Cùm autem Pictaviensem ad urbem pervenisset, compertâ Vicecancellarii sui proditione, severiùs in eum agit et patrem offendit. 165. e. 166. a. Ipso anno, die Natalis Domini fuit Argentomagi cum uxore sua Regina. 167. b. An. 1177, patris jussu exercitum ducit in Berriam ad occupandam terram Radulphi de Dolis demortui, et statim Castellum-Radulfi in suam redigit potestatem. 167. d. Circa clausam Pentecosten nascitur ei filius, qui appellatus est Guillelmus, et post triduum vivere desiit. 169. e. Mense Augusto, interest colloquio apud Ivriacum inter patrem et Regem Ludovicum habito de Crucis susceptione in expeditionem Hierosol. 172. n. 320. c. Inde rursùs mittitur in Berriam ad debellandos patris sui hostes. 172. a. Diem Natalis Domini cum patre,

ipso

Digitized by Google

ipso anno, festum agit Andegavis. 321. c. An. 1178, mediâ Quadragesimâ, interest dedicationi Beccensis Ecclesiæ. 321. c. An. 1179, circa mediam Quadragesimam vel IV Kal. Martii, ad patrem in Angliam abit. 179. d. 201. e. Post Pentecosten in Flandriam navigat. 179. e. Die Sanctorum omnium interest coronationi Philippi Augusti, et ratione Ducatûs Normanniæ coronam præfert, et impositam capiti novi Regis manibus sustentat. 181. a. 203. c. n. 323. d. 683. b. An. 1180, ante Quadragesimam in Angliam transit, ut patri significet quàm iniquè se Rex Philippus in matrem et avunculos agat, et cum eo ante Pascha in Normanniam revertitur. 181. c. 204. d. An. 1181, exercitum ducit in auxilium Regis Francorum contra Philippum Flandriæ Comitem. 325. b. An. 1182, cum patre inimicitias exercet propter castellum Clarævallis, quod Richardus Dux Aquitaniæ firmaverat, quamvis ad Comitatum pertineret Andegaviæ. 326. a. An. 1183, iterùm in patrem rebellis moritur apud Martellum. 210. a. 216. c. mores ejusdem et indoles adumbrantur. 209. c-e.

Henricus I Comes Aucensis an. 1140 moritur. 289. a. Filius ex Margareta de Solleio, Joannes.

Henricus II Comes Aucensis, Joannis filius, an. 1170 patri succedit in Comitatu. 314. a. An. 1173, se et castella sua tradit Philippo Comiti Flandriæ et Henrico juniori Angliæ Regi in patrem rebelli. 151. c. 316. d.

Henrici II Comitis Barrensis filii ex Philippa Drocensi, Theobaldus, Henricus, Renaldus, et filiæ quarum una nupsit Henrico de *Lucelborg*.

Henricus Comes Trecensis, filius Theobaldi magni, an. 1146 itineri Hierosol. se devovet in Conventu Vizeliacensi. 653. a. Circa idem tempus nuptias suas paciscitur cum filia Theodorici Flandriæ Comitis, quibus consanguinitatis obicem opponit Ludovicus VII. 401. a. An. 1152 patri succedit, assecutus pro parte hæreditatis Comitatum Tricassinum et Campaniensem, et quidquid pater habuit trans Sequanam. 293. c. 506. e. Eodem anno, Regi Ludovico militat adversùs Henricum Normanniæ Ducem. 184. b. 293. e. An. 1160, mense Octobri, partes Regis Ludovici sororii sui amplectitur adversùs eumdem Henricum Angliæ Regem. 305. d. Circa idem tempus uxorem ducit Mariam filiam Regis Ludovici et Alienoræ. 102. a. 218. d. An. 1162, ut Imp. Fredericum promereatur, Regem Ludovicum inducit ut cum eo congrediatur de tollendo schismate Romanæ Ecclesiæ. 666. e, 667. a. 740. c. An. 1164, ad se revocat Mariam uxorem, quam dimiserat. 309. a. An. 1167, pacis sequester efficitur inter cives Remenses et Henricum Archiep. 522. a. An. 1171, nuptias filii sui Henrici et Mariæ filiæ suæ paciscitur cum filio et filia Balduini V Comitis Hanon. 571. d. An. 1173, Regi Ludovico stipendia facit in obsidione oppidi Vernoliensis. 153. c. 193. a. Cum Matthæo Trecensi Episc. litigavit (incerto anno). 707. c. An. 1177, Hierosolymam peregrinaturus cruce insignitur. 281. c. 713. c. An. 1179, Dominicâ post Ascensionem Domini, matrimonii pacta innovat Henrici filii sui et filiæ suæ Mariæ cum filia et filio Balduini Comitis Hannon. 579. a. Eodem die, filium Theobaldum ei parit Maria Comitissa. 579. b. An. 1180, e Palestina in patriam rediens per Asiam et Illiricum, insidiis appetitus spoliatur facultatibus suis et hominum suorum stragem patitur. 282. e. Eod. anno, inimicitias exercet cum Philippo Augusto, gratiâ sororis suæ Adelæ Reginæ. 321. a. An. 1180 moritur, die 17 Martii. 182. d. 324. e. Filii ex Maria Francica, Henricus, Theobaldus; filia, Maria.

Henrici Comitis Gelriæ filia, Agnes.

Henrici de Ghisnis uxor, Natalia Markiniensis.

Henricus I Comes de Grandiprato, Hescelinus etiam dictus, circa an. 1086 Godefrido Bullonio fœderatur adversùs Theodericum Virdun. Episc. 628. d. An. 1096 et seqq. Virdunense territorium infestat. 630. e. Tandem an. 1101, illectus secundis rebus Crucesignatorum et ipse peregrinationem vovet, statimque mente captus Virduni moritur. 630. d.

Henricus II, Comes de Grandiprato, Virdunensi Comitatu donatus ab Imperatore an. 1123, a civibus non recipitur. 635. a. 695. c. Ibi a Rainaldo Comite Barrensi obsessus variâ fortunâ repugnat, et an. 1124 pace cum Rainaldo compositâ, urbem reddit. 635. b. c. 695. d. An. 1140, rapinis assuetus et monita Virdun. Episcopi Alberonis, necnon Rainaldi Comitis despiciens, ab his profligatur, et ad pacem flagitandam compellitur. 638. e. 639. a. Filius ex Ermentrude de Serrata, Henricus.

Henrici III Comitis de Grandiprato et N. Luxemburgensis filii, Henricus agnomine *Wafflart*, Gaufridus de *Balahan*.

Henricus IV, Comes de Grandiprato, an. 1179 in Palestinam peregrinatur cum Henrico Comite Trecensi. 713. c. Filius ex uxore prima Isabella Codiciac. Henricus et filia N. nupta Radulpho Comiti Suession.; uxor secunda Agnes de Avesnis, ex qua Jacobus de *Hans*, Joffridus, Catalaun. Episc.

Henricus I, Comes Limburgensis, circa an. 1095 bellum gerit cum Arnulpho Comite de *Loz* pro Abbatia Trudonensi, cujus erat major Advocatus. 594. b. An. circiter 1100, partes cujusdam Hermanni pseudo-Abbatis tuetur adversùs Theodericum ejusdem Cœnobii Abbatem. 594. d. An. 1101, in Henricum Imp. rebellis ab eo debellatur; at ejus gratiam multâ pecuniâ demeritus, circa festum Natalis Domini Lotharingiæ Ducatu ab eo donatur. 262. c. 549. b. 603. b. 604. a. 717. b. An. 1104 vel 1105, Trudonense Monasterium occupat, Abbate ob ejus infestationem ad Durachiense castellum secedente. 594. e. Plexus eam ob causam anathemate ab Otberto Leod. Episc. in Monachos furore invehitur, sed Comes Gislebertus Durachiensis ejus conatus frustratur. 595. a-b. Anno 1106, opem suam confert Henrico Imp. adversùs filium rebellem, cujus copias fundit apud *Wiset* die Dominicæ Cœnæ. 718. a. Die verò Pentecostes hostis Reipublicæ judicatus, amissione Ducatûs Lotharingiæ multatur. 263. c. 595. c. 603. b. 718. a. Interim dum eam injuriam ulcisci parat, Henricus IV Imperator vitâ fungitur. 718. b. An. 1107, certus sibi Ducatum armis vindicare, oppidum Aquisgranum occupat, sed ibidem a Godefrido Lovaniensi funditur et fugatur. 263. d. 604. b. An. 1114, in Imperatorem rebellis ejus in se arma concitat. 719. b. Is Castrum *Wassenberghe* assecutus fuit per nuptias cum N. filia Gerardi Comitis Ghelriæ. 551. a. Filius, Walerannus.

Henricus II Comes Limburgensis, an. 1140 bellum infert Godefrido Lovaniensi, quem dolebat in Ducatu Lotharing. sibi fuisse prælatum. 272. b. An. 1155, amicitiæ fœdus icit cum Godefrido Lotharingiæ Duce, datâ eidem filiâ suâ Margaretâ in uxorem cum Advocatia S. Trudonis et castello *Rode*. 276. b. Is in uxorem duxit Lauretam filiam Theoderici Flandriæ Comitis, a qua postmodùm causâ consanguinitatis fuit separatus. 413. a. n.

Henricus III Comes Limburg. anno 1172, inimicitias exercet cum Henrico Comite Namurc. et ab eo Autumni tempestate in castro *Erlons* obsessus, decimo die ad damna quæ intulerat resarcienda compellitur. 574. a. Filius, Walerannus III.

Henrici I Comitis Lovaniensis filius, Otto; filiæ, Adela, Adelaïs, Chunegunda.

Henrici II Comitis Lovaniensis et Adelæ filii, Henricus, Godefridus; filia, Ida.

Henricus III, Comes Lovan. anno 1091 vel 1092 Luiponem Trudonensem Abbatem ab Episcopo Leod. exauctoratum in Abbatiam restituit. 594. a. Excommunicatus ab Otberto Episcopo ejus sententiam parvi pendet, tanquam ab excommunicato prolatam. 589. d. Anno 1095, Tornaci perimitur in hastiludio, et Nivellæ sepelitur. 260. c. n. 393. d. 549. n. uxor Gertrudis, filia Roberti Frisonis Flandriæ Comitis, ex qua proles nulla.

Henricus IV, Comes Lovaniensis, Dux Brabantiæ I, an. 1179 Regem Franc. Ludovicum VII comitatur ad sepulcrum B. Thomæ Cantuar. peregrinantem. 180. c. Eo vel seq. anno, uxorem ducit Mathildem filiam Matthæi Comitis Bolon. 182. d. n. 202. c. An. 1235 moritur. 549. n. Filii ex priori uxore Mathilde, Henricus, Godefridus; filiæ, Maria, Aelis, Mathildis; filia ex uxore secunda Margareta Francica, Elisabeth.

Henrici V Comitis Lovan. Brabantiæ Ducis II, filius ex Maria Sueviça, Henricus; filiæ, Mathildis, Beatrix, N. Bavariæ Ducissa et N. Monialis. Filius ex secunda uxore N. Thuringica, Henricus alter.

Henrici VI Comitis Lovan. Brabantiæ Ducis III, filii ex Alaïde Burgundica, Henricus, Joannes, Godefridus; filia, Maria.

Henrici, Comitis Luscemburgensis, filius ex N. filia Henrici Comitis Barrensis, Henricus de Rupe, et alii.

Henricus, Comes Namurcensis, an.

Digitized by Google

1136 Luscemburgensem Comitatum adipiscitur post obitum avunculi sui Conradi. 555. b. n. Anno 1140, bellum gerit cum Alberone Leod. Episc. et oppidum Fossense in Lomacensi pago incendit cum Ecclesia S. Foilani. 272. a. 582. d. 603. c. 605. a. n. An. 1141, opem suam confert eidem Alberoni ad expugnandum Bullonium castrum. 612. a. An. 1150, Balduinum Comitem Hannon. adjuvat viribus suis adversùs Theodericum Flandriæ Comitem. 737. d. Anno 1151 vel 1152, circa Purificationem B. Mariæ, cum Henrico Leod. Episc. dimicat apud Andenam, et vincitur. 274. e. 583. c. 602. a. n. 605. a. 616. b. c. An. 1163, hæredem suum instituit Balduinum IV Comitem Hannon. et filios ejus ex Aelide sorore sua susceptos. 555. a. n. An. 1168, Radulphum de *Zeringen*, sororis filium, ad Episcopatum Leod. promovendum curat. 709. c. Eod. anno, contra fidem Comiti Hannon. pactam uxorem ducit valdè senex Agnetem filiam Henrici Comitis Ghelriæ, studio recuperandæ Trajecti villæ quam Imperatori pro mille sexcentis marcis argenti oppignoraverat. 570. b. Cùm verò Comes Gelriæ pecuniam reddere neglexisset, quarto anno Comes Namurcensis filiam ei suam remisit, quam thori sui participem nequaquam fecerat. 570. c. An. 1169, Autumni tempestate, bellum gerit cum Godefrido Duce Lovaniensi. 570. c. An. 1171, a propriis clientibus divexatus, auxilio Comitis Hannoniensis hostes suos dissipat. 571. e. Anno 1172, prædis et incendiis Henrici Ducis Limburgensis exagitatus, arma in eum convertit, junctusque Balduino V Comiti Hannon. *Erlons* castrum ejus præcipuum Autumni tempestate cingit obsidione, ac decimo die illum ad damna resarcienda compellit. 574. a. Ibi tum nepotem suum Balduinum, sicut pridem sororium, in hæredem cooptavit. 574. b. An. 1176, opem confert eidem Balduino adversùs Jacobum de Avesnis. 577. b. An. 1180, nuptiis interfuit Philippi Augusti et Elisabeth Hannon. apud Bapalmas celebratis. 282. d. uxor prima Laureta Flandrensis; uxor secunda, Agnes Gelrica; filia, Ermensendis.

Henrici, Comitis de Rupe in Ardenna, filius Fredericus Tyri Archiep. et Mathildis uxor Theodorici de *Wallecourt*.

Henricus X, Dux Saxoniæ, an. 1168 uxorem ducit Mathildem filiam Henrici II Angliæ Regis. 130. e. 187. c. 207. a. 311. b. Eodem anno, legatione fungitur pro Imp. Frederico ad socerum suum Regem Henricum, ut eum in partem schismatis pertrahat. 130. e. 312. d. 527. c-d. Filii, Otto IV Imp. Guillelmus Wintoniensis.

Henricus, filius Davidis Scotiæ Regis, an. 1136 clientelam profitetur Stephano Angliæ Regi, et in augmentum honoris Huntindoniensis Dunecastrâ et Carleolo ab eo donatur. 39. a. 84. b. An. 1139, Northimbriæ Comitatu ab eodem Stephano muneratur. 87. a. Ipso anno uxorem ducit Adam sororem Waleranni Comitis Mellenti et Guillelmi de Warenna, ex qua filios suscepit Malcolmum, Guillelmum et Davidem. 41. n. 87. b.

Henricus Comes Warwici, filius Rogeri de Bellomonte, an. 1100 Henrico adversatur Angliæ regnum præripienti. 10. c. An. 1101, deficientibus ab eodem Henrico Optimatibus, eidem adversùs Robertum Normanniæ Ducem adhæret. 10. e. An. 1119 moritur. 731. c. vir sanctus et integer dictus. 10. c. Dulcis et quieti animi vir. 15. d. Filii ex Margareta Perticensi, Rogerius, Rotrodus Rotomag. Archiep. Robertus de Novoburgo.

Henricus Broburgensis Castellanus, Deinardi filius, ex uxore sua Sibylla, Rosa etiam dicta, filia Manassis Comitis Ghisnensis, filiam unicam procreavit Beatricem. 428. c. Mortuo circa an. 1137 Comite Manasse, Albericum Aprum cui filiam suam Beatricem conjugio sociaverat, de Anglia accersit ut Ghisnensem assequatur Comitatum. 430. a. Eo in Angliam reverso, contra Gandavensem Arnoldum pro Comite se gerentem arma corripit et apud Alderwicum præsidia sua ponit. 432. e. Inde ab eo fugatus, castellum ad Almari-vallum extruit Alderwico adversum, ubi etiam obsessus ab Arnoldo pedem retrahere cogitur. 433. e. 434. a-c. An. 1139 vel 1140, rapinis et incendiis in terram Ghisnensem debacchatur, et ut Balduinum Ardensem suis partibus abdicat, filiam ei suam Beatricem ab Alberto sejunctam contradit. 434. e. 435. a. b. Mortuâ non multò post Beatrice, ab infestatione Arnoldi Gandavensis temperat, cui et Ghisnensem Comitatum permittit habendum. 435. d. Is priori conjuge orbatus alteram duxerat Beatricem filiam Balduini Barbati Alostensis Toparchæ, ex qua septem suscepit filios, Balduinum, Walterum, Henricum, Gilbertum, Rodulphum, Sigerum et Waltcrum, ac filias quinque, Mabiliam, Mathildem, Lutgardam, Adelidem et Beatricem. 443. d. e. Post an. 1151 morti occubuit. 444. a.

Henrici de Campana et Adelidis de Contavilla filia, Adelis.

Henrici de *Hirge* uxor, Yolens de Ruminio.

Henrici de *Hondescote* et Idæ Audomarensis filia, Ida.

Henrici de *Hufalise* uxor N. de Altavilla, ex qua Theodericus et alii quatuor cum filia una.

Henrici de *Marlins* uxor N. de *Graumes*.

Henrici de *Mirevaut* in Ardenna uxor N. de *Hufalise*.

Henrici de Seltunio filia, Adelis.

Henrici Vitriacensis Castellani filia, Beatrix domina S. Carauni.

Herbertus, Heribertus, Abrincensis Episc. an. 1153 succedit Richardo. 296. a. An. 1154, interest consecrationi Henrici II Angliæ Regis. 297. d. Eodem anno, die S. Mariæ Magdalenæ, Robertum de Torineio benedicit in Abbatem S. Michaëlis de Monte. 297. a. An. 1156, hebdomadâ Pentecostes, Hugoni Rotomag. Archiep. assistit Moretonii corpus B. Firmati e terra levanti. 298. d. Inde ad Montem S. Michaëlis cum Archiepiscopo profectus altare Crucifixi consecrat. 298. e. An. 1160 moritur mense Septembri, et in Ecclesia Beccensi sepelitur sicut decessor ejus Richardus de Bellofago. 305. b.

Herberti IV Comitis Viromandensis filius, Odo cognomento Fatuus; filia, Adela.

Heremari de *Balinghehem* filius, Eustachius.

Herfordiam urbem Guillelmo II Angliæ Regi aufert an. 1088 Rogerius de Laceio. 53. n. 68. e. An. 1138, Herfordiæ castellum post Pascha expugnat Stephanus Angliæ Rex. 39. d. An. 1141, Herfordiæ Comitatum Miloni Glocestriæ Castellano tradit Mathildis Imperatrix. 78. a. Fisco illum addicit an. 1155 Henricus II Angliæ Rex. 298. b. Herfordiæ Comites, Guillelmus Osberni filius, Guillelmus Milonis filius, Milo, Rogerius filius Guillelmi Osberni.

Herfordiæ Episc. Ægidius.

Herimannus, Hermannus, Leodiensis Archidiaconus, an. 1073 fit Metensis Episc. 256. d. 644. d. Anno 1074, Godefridum Gibbosum Lotharingiæ Ducem convenit hebdomadâ secundâ Adventûs, ejusque dissidium cum Theoderico Abbate S. Huberti componit. 586. b. An. 1078, Metensi ab urbe pellitur, quia partes Hildebrandi Papæ impensiùs fovebat. 257. d. Pœnitentiâ motus quòd Episcopatum de manu laïca suscepisset, an. 1079 a Jarentone Abbate Divionensi vice Romani Pontificis absolutionem percipit, Vigiliâ Natalis Domini. 621. a. An. 1085, hostis Imperii judicatus in Concilio Moguntino, rursùs Metensi ejicitur ab urbe, et Gualo S. Arnulphi Abbas eidem a schismaticis sufficitur. 258. e. 591. d. n. Anno 1086, ad Mathildem Longobardiæ Comitissam se recipit. 622. b. An. 1089, a Metensibus revocatus ad Ecclesiam suam redire permittitur. 260. a. 593. e. 622. c. Anno 1090, dum post prandium liberaliter celebratum in lecto se reclinasset, mortuus inventus est IV Nonas Maii. 260. a. 589. c. n. 593. e. n. 622. c. 641. a. 686. c.

Herimannus, Abbas S. Martini Tornac. effectus, an. 1127 succedit Segardo. 407. d. Eodem anno, interfuit exequiis B. Caroli Comitis Flandriæ Brugis celebratis. 399. c. An. 1136, regimine se abdicavit. 407. d. An. 1141, Romam missus litteras ab Innocentio Papa reportat, quibus præcipiebatur Tornacensibus ut proprium sibi Episcopum eligerent. 408. c. Eo a Tornacensibus electo, sed ab Archiepiscopo Remensi non recepto, Romam anno 1142 revertitur cum Simone Noviom. Episc. litigaturus, et causâ cadit. 408. d. *et seq.* Anno 1147, Hierosolymam profectus, non ampliùs comparuit. 410. c.

Herimanni de Salmis filii ex N. Barrensi, Henricus, Theodericus Abbas S. Pauli Virdun.

Hermanni Comitis Montensis filii ex Richelde Comitissa, Rogerus. Catalaun. Episc. filia Gertrudis. 543. b. n.

Hermanni Sueviæ Ducis et Guepæ Burgundicæ filia, Gisela.

Herveius de *Gien*, post mortem Guillelmi *Goiet* cujus filiam primogenitam duxerat, Montem-mirabilem et alias ejus firmitates occupavit : quas cùm ab eo expostularet Co-

Digitized by Google

mes Theobaldus Blesensis, anno 1169 videns se resistendo imparem, Montem-mirabilem et S. Anianum in Biturico tradit Henrico II Angliæ Regi, acceptâ inde pecuniâ sub quibusdam pactionibus. 313. d.
An. 1170, agente Henrico Rege, pacem componit cum Theobaldo Blesensi Comite. 314. b.
Hervæus de *Lehun* moritur an. 1168, 312. d. Filius Guihomerus.
Hesdiniensis S. Georgii Abbatia, an. 1093, datur Aquicinensibus. 260. b. Hesdiniensibus an. 1179 Reipublicæ seu Communiæ dignitatem aufert Philippus Comes Flandriæ, sublatâ eorum campanâ communi. 423. b. Hesdinienses Comites, Anselmus, Gualterus, Ingelrannus.
de S. Hilario. *Vide*, Asculfus.
Hilduini Comitis de *Rameru* et Aelidis de Roceio filii, Ebalus, Andreas; filiæ, Felicia, Beatrix, Margareta, Ermentrudis, Aelis, Ada, Adela.
de Hinniaco. *Vide*, Eustachius.
Hirge. *Vide*, Henricus.
de *Hoembore* Comes, Hugo.
Hoïensis Dux, Henricus.
Holdernessæ Comes, Odo Campaniensis.
Holdoïni de Jovevilla filii, Galtherus, Whiterus; filia, Hescelina de Nullejo.
Hollandiæ Comitatum an. 1072, ejectis Florentii Comitis filiis et Roberto Frisone, acceptum refert Henrico IV Imp. Guillelmus Ultrajectensis Episc. 418. n. Hollandiæ Comites, Florentius I, III, IV, Gertrudis, Petronilla, Theodericus.
Homensis in Anglia Abbas, Hugo.
Hondescote. *Vide*, Guillelmus Moranus, Henricus, Petrus.
Honnecort. *Vide*, Gualterus, Hugo.
Honorius II Papa, an. 1124 succedit Calixto. 82. c. 268. a. 327. e. 582. a. 601. b. 674. d. 720. d. 732. a. Epistola ejusdem de matrimonio Guillelmi filii Roberti Normanniæ Ducis et Sibyllæ filiæ Fulconis Comitis Andegav. 81. n. Anno 1129 vel 1130, medio mense Februario moritur. 64. d. 75. b. 269. b. 286. b. 329. b. 467. b. 674. e. 720. e. 733. a.
S. Huberti Abbas Capellanus perpetuò efficitur Comitum Hannoniensium. 550. d. S. Huberti seu Andaginenses Abbates, Joannes de *Wahart*, Theodericus I, II.
Hufalise. *Vide*, Guillelmus, Henricus, Theodericus, Winandus.
Hugo, Lugdunensis Camerarius, an. 1073 dum Romam pergit et Diensi in urbe diversatur, ibidem ad Episcopatum rapitur. 617. c. Dein Romanum iter prosecutus, mense Decembri a Gregorio VII Diaconus ordinatur, et sequenti Quadragesimâ Presbyter et Episcopus consecratur. 618. a. Remissus in Franciam cum auctoritate Legati A. S. simoniacos insectatur. 618. a. Primum itaque Concilium habuit apud Ansam, secundum an. 1077 apud Clerum-montem Arverniæ, tertium eodem anno Divione, quartum eodem item anno Augustoduni. 618. c. d. Post Concilium Claromontense ad Podium accessit, et sententiam dixit in Stephanum Episc. absentem. 619. e. An. 1079, quintum Concilium celebravit in urbe Pictaviensi. 619. e. an. 1080 sextum Lugduni. 620. a. et eodem anno septimum Avenione. 620. b. Anno 1082, ad Lugdunensem Archiepiscopatum assumitur. 621. b. Anno 1092 vel 1093, hebdomadâ primâ Quadragesimæ Metas accedit, ut Popponem Episcopum consecret, communione Schismaticorum contaminari formidantem. 589. c. (ubi Episcopus appellatur Buchardus.) 622. e. An. 1094, Augustoduni Concilium cogit 32 Episcoporum. 623. a. Anno 1095, die sancto Paschæ, Richerum item Virdun. Episc. ordinat, postquam ille de simonia se purgasset. 623. a. 630. b. n. Eodem anno, peregrinationem aggreditur ad S. Jacobum mense Aprili, et die tertiâ ante Nativitatem S. Joannis-Baptistæ Lugdunum revertitur. 623. a. An. 1096, IV Idus Januarii, Urbano Papæ assistit Karoffensis Ecclesiæ majus altare consecranti. 727. c. An. 1098, primordia Cisterciensis cœnobii adjuvat. 261. e. 459. d. Impetratâ a Romano Pontifice licentiâ in Palestinam peregrinandi, Concilium cogit an. 1100 apud Ansam, et in eos sententiam dicit qui peregrinandi votum prætermiserant. 624. c. Ipso anno interesse non potuit præ invaletudine Concilio Valentinensi a Legatis Joanne et Benedicto pridie Kal. Octobris celebrato; et licèt nuncios suos ipse miserit, suffraganeis tamen suis prohibuisse, quominus illuc accederent, ferebatur. 624. d. Eod. an. exauctorationem Norgaudi Eduensis Episcopi a Legatis in Concilio Pictaviensi decretam improbat. 627. c. An. 1101, Romam pergens Joannem Tusculanum in itinere obvium Norgaudo placabilem efficit. Romæ deinde cum Canonicis Eduensibus litigat. 627. c. d. Inde Hierosol. itineri se cum Diensi Episcopo committit. 627. e.
Hugo, Ambianensis cognominatus, Abbas Radingensis, an. 1129 Rotomagensi Archiepiscopatu donatus ab Henrico Angliæ Rege, an. 1130, consecratur die Exaltationis S. Crucis a Richardo Bajocensi Episcopo. 22. d. 75. b. n. 286. c. 697. b. Anno 1135, Regi Henrico apud Leonias extremo morbo decumbenti assistit, ejusque obitum Innocentio Papæ per epistolam significat. 22. d. n. An. 1137, pacem componit inter Stephanum Angliæ Regem et Robertum Comitem Glocestriæ. 24. c. An. 1139, causam Stephani Regis agit in Concilio Wintoniensi adversùs Rogerium Salisb. et Alexandrum Lincoln. Episcopos ab eo captos. 25. d. An. 1140, in conventu Bathoniensi de pace pro Stephano Angliæ Rege agit cum sequacibus Mathildis Imperatricis. 26. d. An. 1148, interest conventui Parisiis habito coram Eugenio III Papa, in causa Gilleberti Porretani. 657. e. An. 1154, manus apponit coronationi Henrici II Angliæ Regis. 297. d. Anno 1156, corpus B. Firmati e terra levat Moritonii, hebdomadâ Pentecostes. 298. d. Inde ad Montem S. Michaëlis profectus altare B. Mariæ consecrat. 298. c. moritur an. 1164, IV Idus Octobris. 309. a. 708. b.
Hugo, Senon. Archiep. an. 1145 succedit Henrico. 675. e. Anno 1166, omnem exhibet humanitatem Thomæ Cantuar. Archiep. Senonas adventanti. 130. b. An. 1168, morti concedit, die Dominicæ Cœnæ, V Kal. Aprilis. 677. a.
Hugo Pontiniacensis Abbas efficitur an. 1114. 674. b. An. 1136, ad Episcopatum Autissiod. assumitur, ubi ferè annos XII (imò XV) complevit. 674. b. n. quippè an. 1151 morte sublatus fuit. 333. a. 676. a.
S. Hugo Gratianopolitanus Episcopus efficitur an. 1080 in Concilio Avenionensi. 620. b. 686. n. An. 1084, primordia Carthusiæ adjuvat. 258. d. 686. a. n. Anno 1095, Clarummontem accedens ad Concilium generale, funus curat Duranni Episc. cujus discipulus fuerat. 623. b. Anno 1132, in cœlos ipse abit. 270. b. 698. c.
S. Hugo Abbas Cluniacensis obit an. 1109. 264. a. 461. c. 690. a.
Hugo II, Abbas Cluniac. ex Priore Marciniac. anno 1122 Pontio successor datur, et primo regiminis anno moritur. 81. a. 284. b.
Hugo III, Abbas Cluniac. efficitur an. 1157. 300. a. Anno 1162, Cluniaco expulsus, ad Imperatorem et Octavianum Antipapam se confert. 307. a.
Hugo I, Abbas Elnonensis S. Amandi, an. 1085 succedit Bovoni, ordinatus XIX Kal. Januarii. 453. c. Anno 1088, Ecclesiam S. Stephani a se instauratam dedicari curat. *ibid.* An. 1107 moritur, VI Idus Septembris. *ibid.* e.
Hugo, Abbas Humolariensis, anno 1150 fit Abbas Elnonensis hujus nominis II. 454. c. et an. 1168 vivere desinit. *ibid.* d.
Hugo, Abbas Flaviniacensis efficitur an. 1097, X Kal. Decembris. 623. e. An. 1100, interest Concilio Valentinensi, ubi inter patres sedere jubetur, postquam se de illatis criminibus purgavit. 624. e. Anno 1101 Abbatiâ cedere cogitur a Norgaudo Eduensi Episc. 628. a.
Hugo de Sancto Victore an. 1140 vel 1141 moritur, III Idus Februarii. 272. d. 289. e. n. 331. a. n. 454. b. 455. c. 470. d.
Hugo, filius Rainaldi Comitis Barrensis, anno 1131 et duobus seqq. patri militat adversùs Alberonem Episc. Virdun. 637. e. Anno 1140, prope Viennam dimicat cum hominibus Henrici Comitis de Grandiprato, et circiter quater vicenos ex eis capit. 639. a. An. 1141, ab exercitu Leodiensi obsessus in castro Bullonico, et Deo vindicante in amentiam versus moritur, mense Septembri. 615. b. n.
Hugo de *Bar* ad Sequanam an. 1174 in Angliam transit mense Julio cum exercitu Francorum et Flandrensium, vocatus ab Hugone Dunelm. Episc. patre vel patruo suo, atque præsidio Alvertonæ ab eo præficitur, sed redditâ eodem mense Alvertonâ Henrico Regi, vix indemnis abire permittitur. 158. c. 159. d.
Hugonis Magni Comitis Paris. ac Burgundiæ Ducis, filii ex Hadvide filia Henrici Aucupis; Hugo Capetus, Otto et Henricus; filia, Beatrix.
Hugo I, Dux Burgundiæ, anno 1077 interest Concilio Augustodunensi. 618. e. permotus exemplo Simonis Comitis Crispeiensis, Monachus efficitur Cluniaci. 684. d.
Hugonis II Burgundiæ Ducis filii, Odo, Robertus, Henricus, ambo Eduenses Episcopi, Gualterus Lingon. Episc. Raimundus, Hugo Rufus; filiæ, Mathildis uxor Guillelmi VII de Montepessulano, Sibylla

Digitized by Google

uxor Hugonis Comitis Vaudanimontis. 705. c.
Hugo III, Dux Burgundiæ, an. 1170 Hierosolymam proficiscitur cum Stephano Sacri-cæsaris Comite, ad deferendam pecuniam quam Rex Ludovicus in subsidium Terræsanctæ collegerat. 314. d. An. 1177, filium Odonis Issoldunensis suscipit educandum, furtim sublatum ne in manus Henrici II Angliæ Regis incideret. 320. e. Eodem anno, legatos Angliæ Regis e Sicilia revertentes spoliat. 200. c. Filii ex Aelide Mosellana, Odo, Alexander.
Hugonis IV Burgundiæ Ducis filii ex Yolende Drocensi, Odo, Joannes, Robertus; filia, Alaïs.
Hugo, Comes Campaniæ seu Trecensis, anno circiter 1100 oratorium de *Chiminon* condit. 690. b. Anno 1104, separatur ob parentelam ab uxore sua Constantia, filia Philippi I Regis Franc. 689. b. n. Anno 1114, Hierosolymam abit. 633. d. An. 1125, Hierosolymam reversus militiæ Templi nomen dat, exhæredato filio suo Odone de Chanlità, quem ei pepererat Elizabeth Burgundica, quia eum adulterinum reputabat. 673. d. 678. n. 695. c. 696. a.
Hugo Comes Cestriæ, an. 1153 patri Ranulfo succedit. 296. d. 738. d. Ante an. 1170 uxorem ducit N. filiam Simonis Comitis Ebroïcensis cognatam suam. 314. c. An. 1173, redux a peregrinatione ad S. Jacobum partibus se addicit Henrici junioris Angliæ Regis in patrem rebellis. 152. d. 191. d. 316. b. Eodem anno, conjuratis in Henricum Regem Britonibus junctus, a Brabancenis Regis funditur XIII Kal. Septembris, ac VII Kal. Sept. in expugnata turre Dolensi capitur et in vincula conjicitur. 155. c. d. 194. b. 317. c. Anno 1174, mense Julio in Angliam ducitur compeditus, et sequenti mense Augusto in Normanniam reducitur. 138. d. 159. a. 160. a. 195. c. Eidem possessiones suas tam in Anglia quàm in Normannia reddit an. 1177 Rex Henricus, quem statim cum Joanne filio suo mittit in Hiberniam ad eam imperio ejus subigendam. 169. b.
Hugonis Comitis de Grandiprato filius ex N. filia Erardi de *Rameru*, Henricus.
Hugonis Comitis de Lignenvilla filii, Folmarus, Conradus de Rista, Hugo.
Hugonis Bruni Comitis Marchiæ filii ex N. Britannica, Hugo, et alii. 557. n.
Hugo II, Comes S. Pauli, Campusavenæ dictus, an. 1096 Hierosolymam inter Crucesignatos peregrinatur. 70. n. 459. c. An. 1115, a Balduino Flandriæ Comite spoliatur Encrensi castro quod malè usurpaverat. 266. e. 463. b. An. 1117, ab eodem Balduino obsidetur in castro S. Pauli, quia prædas et incendia in terram ipsius exercebat; agente tamen Eustachio Comite Bolonіensi, eidem reconciliatur. 267. a. An. 1119, Carolo Flandriæ Comiti adversatur, qui victor castrum ejus solo æquavit. 336. d. 337. c. 464. c. An. 1127, Guillelmo Normanno Flandriæ Comiti stipendia faciens, Guillelmum Yprensem apud Ariam impugnat circa medium Aprilem. 372. c. Ductâ circa idem tempus in secundam uxorem Margaretâ, Carolo Flandriæ Comite viduatâ, Radulphum et Guidonem ex ea suscepit. 415. d.
Hugo III, Comes S. Pauli, Campusavenæ etiam dictus, an. 1131 infestus oppidanis S. Richarii oppidum et Ecclesiam incendit. 269. d. 698. c. An. 1140, cum Stephano Angliæ Rege et Balduino Comite Hannon. conspirat, ut, dejecto Theoderico Flandriæ Comite, Guillelmus Yprensis ejus in locum suffici atur. 454. b. 501. b. n. Filii, Engerranus, Hugo, Anselmus, Guido.
Hugo IV, Comes S. Pauli, an. 1178 uxorem ducit Yolendem Hannon. Ivone Comite Suession. viduatam, ex qua duas filias Elisabeth et Eustachiam suscepit. 578. d. An. 1180, interfuit nuptiis Philippi Augusti cum Elisabeth Hannon. 282. d.
Hugonis V, Comitis S. Pauli et Mariæ Comitissæ Blesensis filii, Joannes Comes Blesensis, Guido Comes S. Pauli, Gualterus de Creciaco.
Hugonis Comitis Reitestensis filii, Balduinus Rex Hierusalem, Gervasius; filia, Mathildis.
Hugonis *Cholet*, Comitis de Roceio uxor N. soror Imp. Conradi; filii, Wichardus, Hugo; filiæ N. conjux Galtheri de *Montejai*, N. mater Warmundi de Castellione. 694 c.
Hugonis Comitis Waudanimontis filius ex Sibylla Burgundica, Gerardus.
Hugo Magnus, Comes Viromand. frater Philippi Regis Franc. an. 1096 inter Crucesignatos in Palestinam peregrinatur. 32. b. 36. n. 70. a. 217. c. 261. a. 394. b. 459. c. 598. e. 716. e. Captus ab Alexio C. P. Imperatore et vinculis constrictus, ope supervenientium Crucesignatorum e carcere liberatur. 7. c. An. 1098, ab obsidione Antiochiæ inglorius recedit, et in Franciam redit 8. n. 717. a. Anno 1101, reversus in Palestinam cum Guillelmo Comite Pictaviensi, in itinere moritur apud Tharsum. 8. n. 283. a. 406. c. Filii ex Adela Viromandensi, Radulphus, Simon, Henricus; filiæ, Mathildis, Elisabeth.
Hugo de Ambasia, Sulpitii filius, an. 1160 bellum gerit cum Theobaldo Comite Blesensi, ob extinctum ab eo in carcere patrem suum. 305. e. mense Octobri, munitionem suam Calvimontis a Comite Theobaldo munitam recuperat auxilio Henrici II Angliæ Regis, cujus clientelæ suberat ratione Ambasiæ castri. 305. d.
Hugonis de *Antoing* et d'*Epinoit* filii ex Philippa de *Harnes*, Michaël, Hugo, Joannes; filia, Beatrix. Filii ex uxore secundâ Maria de *Cisoing*, Alardus, Gualterus, Joannes, Arnulphus, Ægidius; filiæ, Maria, Ida.
Hugonis de *Balinghehem* et Mathildis de Hammis filia, Adelis.
Hugo *Bardol*, dominus Brecarum, an. 1074 jus sibi vindicat in hæreditatem Radulphi Comitis Crispeiensis, cujus erat sororius. et auxilio Philippi Francorum Regis Vitriacum invadit et Barrum ad Albam et Firmitatem. 683. n. An. 1075, Vitriacum reddere cogitur. 684. b.
Hugonis Castellani de Bellomanso uxor, Beatrix Gandavensis.
Hugo *Bigod*, anno 1135 jurejurando affirmat Henricum I, Angliæ Regem, in extremis agentem exhæredasse filiam suam Mathildem et Stephanum Comitem Boloniensem in hæredem cooptasse, cunctantemque Guillelmum Cantuar. Archiep. inducit ad eum coronandum. 121. c. n. An. 1136, se in castello Norwicensi tuetur, nec nisi Stephano advenienti deditionem facit. 39. b. An. 1145, Stephanum Regem bello exagitat. 42. c. An. 1157, castella sua reddit Henrico II Angliæ Regi. 299. c. An. 1173, partes amplectitur Henrici filii Henrici II Angliæ Regis, in patrem rebellis, et honore de Exa cum castello Norwicensi ab eo donatur. 113. d. 151. c. Castella quoque de *Fremigham* et de Bungheia munit. 152. d. Robertum Comitem Leicestriæ in Angliam cum exercitu adventantem in suis excipit munitionibus et junctus eidem castellum de *Hagenet* expugnat III Idus Octobris. 115. c. 137. d. 157. a. 193. e. An. 1174, roboratus electis militibus sibi a Rege Francorum et a Philippo Flandriæ Comite missis, bellum in Henricum Regem instaurat, ac Norwicensem urbem vastat. 138. a. Mense Julio, pacem cum Henrico Rege componit, de hostibus victoriam assecuto. 138. d. 318. e. An. 1176, Rex castella ejus *Fremigham* et de Bungheia solo æquat. 167. a. An. 1177, Hugo moritur, relinquens filium Rogerium successorem. 320. c.
Hugonis de Claromonte in Diœcesi Bellovac. uxor Margareta de Roceio, ex qua Rainaldus et sorores ejus.
Hugonis de *Creki* uxor N. de *Selles*, ex qua plures liberi.
Hugonis de *Enghien* filii, Gossuinus, Engelbertus, Soherus, Bonifacius.
Hugo de Gornaco, Henrico Normanniæ Duci debitum famulatum negans, an. 1152 ab eodem impetitur armis, ejusque munitio Feritas incenditur. 294. e. Anno 1173, cum filio cognomine et quater viginti militibus ex insidiis interceptus capitur ab Henrico filio Henrici II Angliæ Regis. 191. c.
Hugonis de *Harnes* et Yolendis de *Barbenchon* filii, Hugo, Joannes, Michaël.
Hugonis Insulensis Castellani uxor, Adelis Gandavensis.
Hugo de *Lasci* an. 1173 Vernolium oppidum viriliter defensat ab oppugnatione Regis Ludovici VII. 153. b. 316. d. An. 1177, post Pascha, iter Hierosol. aggreditur cum Philippo Fland. Comite. 169. a.
Hugonis de Malo seu Molli-Alneto conjux, Adelina Ghisnensis.
Hugo de Monteforti ad Risellam, an. 1123 Gualeranno Comiti Mellenti sororio suo fœderatus adversùs Henricum I Angliæ Regem, causâ Guillelmi filii Roberti Normanniæ Ducis, castello Monteforti a Rege spoliatur. 62. d. 285. a. An. 1124, captus a Regis militibus VII Kal. Aprilis, juxta Burgum-Thuroldi et Regis in manus traditus carceri addicitur. 62. e. 285. c. An. 1178 moritur, eique filius cognominis succedit. 321. e.
Hugo de Mortuo-mari, Radulfi filius, an. 1155 in Henricum Regem Angliæ rebellis, Nonis Julii ad pacem flagitandam adigitur, redditis castellis de *Bruges* et de *Wigemore*. 216. a. 298. b. An. 1185 moritur, die 26 Februarii. 69. n. Filii ex

Digitized by Google

Mathilde de *Longespeye*, Hugo, Rogerius, Radulfus, Willelmus.
Hugonis I de Novo-castello Theodemarensi uxor, Mabilia de Montegomerico.
Ludovicus VII, Junior dictus, filius Regis Ludovici VI, an. 1131, a patre ad Remense Concilium perductus, ibidem ab Innocentio Papa in Regem ungitur et coronatur, VIII Kal. Novembris die SS. Crispini et Crispiniani, Dominicâ. 22. b. n. 217. e. 270. a. 286. d. 329. c. 334. b. 733. b. An. 1137, patre disponente in Aquitaniam mittitur, accepturus in conjugem Alienoram filiam et hæredem Guillelmi Pictaviæ Comitis. 22. b. 218. d. 271. d. 288. c. 330. c. 420. d. 469. c. 675. b. 734. a. Interim dum Burdigalæ nuptias solemnes agit, pater vitâ fungitur Kal. Augusti, eique succedit. 271. d. 288. c. 420. d. 469. c. 734. a. An. 1140, Normanniæ Ducatum confert Eustachio filio Stephani Angliæ Regis, gratiâ nuptiarum ipsius cum Constantia sorore sua. 76. e. 122. b. Eod. anno, interest Concilio Senon. adversùs Abailardum coacto. 330. e. 655. a. 735. a. Ipso anno, rogatus ab Henrico Winton. Episc. de pace satagit componenda inter Stephanum Angliæ Regem et Mathildem Imperatricem. 26. e. Eodem item anno, cum Theobaldo Comite Blesensi simultatem exercet, eò quòd in Aquitanicam expeditionem, quam Rex meditabatur, ille stipendia facere detrectaret. 331. a. An. 1141, circa festum S. Joannis, eam expeditionem aggreditur, ut Tolosam nomine uxoris suæ reposcat. 105. c. 331. n. Eodem anno, Cadurcum palatii Clericum in Archiepiscopum Bituricensem electum promovet, et Petrum de Castra ab Innocentio Papa consecratum urbis ingressu prohibet, quo facto Pontificem offendit, qui regnum ejus interdicto supponit. 183. b. n. 289. d. 331. b. 408. a. 735. b. Cùm verò Comes Theobaldus Pontificis partes foveret, simultas quæ sopita videbatur, inter eos recrudescit. 331. c. Anno itaque 1142, Theobaldum armis aggreditur et Vitriacum ejus castrum incendit cum Ecclesia in quam 1300 capita confugerant. 272. d. 289. d. 421. a. 583. a. 678. n. 735. b. Quo infortunio Rex permotus plorasse dicitur et iter Hierosol. jam tum vovisse. 331. c. Idem tamen castrum Odoni Campaniensi contulit, quem patruus ejus Theobaldus exhæredaverat. 331. d. 678. n. An. 1144, Ecclesiæ reconciliatur a Cœlestino Papa. 331. d. agente quoque S. Bernardo, pacem componit cum Comite Theobaldo. 273. b. 331. d. 421. a. et eodem pervincente, tandem Petro de Castra reconciliatur, sed ob violatum juramentum itineri Hierosol. se devovet. 183. b. Eodem anno, Gisortium acquirit et alia duo castella dono Gaufridi Comitis Andegav. ne ipsi Normanniam armis vindicanti adversetur. 95. e. 111. b. Ipso anno, auxilium ei impendit Driencúrtis castrum obsidenti. 290. b. Anno, ut videtur, 1145, nuptiis intercedit Henrici filii Comitis Theobaldi cum filia Theoderici Flandriæ Comitis, allegans eos esse in tertio gradu consanguineos. 401. a. Eodem anno, cum Bernardo Abbate Clareval. deliberat de Hierosol. expeditione. 652. d. Tandem anno 1146, ob captam a Turcis Mesopotamiam zelo accensus, litteris etiam Eugenii Papæ animatus, et (ut creditur) Vitriacensis incendii conscientiâ compunctus, Vizeliaci accepto ab Abbate Crucis signaculo, se devovet peregrinationi cum Principibus regni et multitudine innumerabili. 332. a. Dominicâ in Ramis Palmarum. 291. b. die sancto Parasceves. 183. b. die sancto Paschæ, pridie Kal. Aprilis. 653. a. 675. e. Eodem anno, inflexus litteris Eugenii Papæ, Tornacensibus permittit proprium habere Episcopum ab eo ordinatum. 410. a. Interim ituro Hierosolymam magnifica ex libris Sibyllinis promittuntur. 601. d. 653. n. Anno 1147, Eugenio III Papæ occurrit Divionem adventanti. 736. a. Die Purificationis B. Mariæ, tractatum habet Catalauni de itinere Hierosol. cum legatis Imperatoris. 701. n. Octavis Paschæ, interest Parisiis cum Eugenio Papa Capitulo Militum Templi. 736. n. In Litania majore, Pontificem comitatur Ecclesiam S. Genovefæ adeuntem; cùmque, tumultu exorto, Clerici Pontificis a mancipiis Ecclesiæ vapulassent, domos Rex subverti jubet et Canonicos inde amoveri. 183. c. Post Pentecosten, itineri se committit cum uxore Alienora. 42. d. 90. b. 99. a. 124. c. 218. e. 273. e. 291. c. 332. a. 334. b. 410. c. 436. d. 449. d. 471. a. 568. d. 583. b. 653. d. 675. e. 736. a. b. Fractis per deserta Syriæ viribus dolo Emmanuelis Imp. an. 1148 circa mediam Quadragesimam appellit Antiochiam. 660. b. 737. a. Reparato exercitu, Hierosolymam progreditur circa Ramos Palmarum, ibique Passionis et Resurrectionis Dominicæ solemnia peragit. 43. a. 660. c. 737. a. Circa Nativitatem S. Joannis-Bapt. Tyrum accedit ad expugnandum Damascum cum Imp. Conrado. 43. a. 124. c. 660. c. 737. a. Illo, nondum expugnatâ urbe, in Alemanniam proficiscente, Rex Ludovicus Antiochiam revertitur, indeque sequenti anno 1149 in Siciliam navigat. 737. b. Panormi exceptus a Rege Rogerio coronam capiti ejus imponit. 750. b. IV Nonas Octobris apud Montem-cassinum diversatur, ac post diem tertium cum Eugenio Papa congreditur Tusculani. 737. b. Post hæc in Franciam revertitur. 91. a. 184. a. 218. e. 274. d. n. 292. b. 583. b. 602. a. 675. e.

An. 1150, Canonicos amovet ab Ecclesia Compendiensi, occasione cervi quem illi interfecerant, eamque Ecclesiam tradit Monachis S. Dionysii. 679. d. 702. c. Eodem anno, Ducatum Normanniæ largitur Henrico filio Gaufridi Comitis Andegav. ab eo vicissim donatus Vilcassino Normannico. 219. a. Ipso anno, Sagiensem urbem aggreditur ad ulciscendam proditionem Joannis filii Guillelmi Talavatii, qui castellum de Nube Roberto fratri suo Comiti Perticensi abstulerat, et Gaufrido Comiti Andegav. tradiderat. 292. d. An. 1151, inimicitias contrahit cum ipso Gaufrido propter Giraldum Berlaii, quem ille captum dimittere renuebat. 292. c. Collectâ igitur militum manu in Normanniam cum Eustachio filio Stephani Angliæ Regis ante Archas accedit, ut Henricum filium Gaufridi ab obsidione castelli Torinnensis amoveat. 292. d. Mense Augusto, exercitum ex omni ditione sua congregatum mittit versùs Sequanam inter Mellentum et Medantam, et interim in morbum incidit. 292. e. Pro pace igitur laborantibus viris religiosis, induciæ dantur utrimque. 292. e. 506. c. Postquam verò Rex convaluit, congressus Parisiis cum Comite Gaufrido et Henrico ejus filio pacem componit, impetratâ libertate Giraldi Berlaii, propter quem potissimùm discordia erat, et clientelâ sibi devincto pro Ducatu Normanniæ Henrico Comitis filio. 184. a. 292. e. An. 1152, zelotipiæ spiritu ductus in Aquitaniam transit cum Alienora conjuge, et certus eam dimittere munitiones suas inde reducit. 738. b. tempore Quadragesimæ ab eadem separatur auctoritate Concilii Balgentiacensis, dato sacramento coram Episcopis quòd essent consanguinei. 43. d. 91. b. 101. b. 102. a. 125. b. 184. b. n. 219. a. 255. c. 275. b. 293. c. 333. b. 421. b. 471. d. 507. a. 703. b. 738. b. Cùm verò Dux Normanniæ Henricus eam non multò post in uxorem accepisset, id indignè ferens Ludovicus eidem bellum indicit, quia duas ex ea filias susceperat. 125. c. 293. d. 333. b. 507. a. 703. b. Itaque post festum S. Joannis impressionem facit in Normanniam cum Eustachio filio Stephani Angliæ Regis, cum fratre suo Roberto Comite Perticensi et Henrico Campaniæ Comite. 293. d. Gaufrido quoque Ducis fratri fœderatur, ut ille interim in Andegavia bellum agitet. 126. c. 293. e. XVII Kal. Augusti, munitionem Novi-mercati occupat fraude custodum, eamque Eustachio Angliæ Regis filio contradit. 43. e. 184. b. 293. e. Exercitum inde reducit Calvum-montem, et Henricus cum electis militibus castrametatur juxta fl. Andellam, unde prædationibus et incendiis vastat illam Vilcassini partem quæ est inter Andellam et Ittam, Francis spectantibus nec suis opem ferentibus. 294. c. d. Medio mense Augusto, Ludovicus exercitum suum trans Sequanam ducit per Mellentum, ut obsideat Paceium; sed Henrico eum illuc prævertente, Medantam revertitur. 294. e. Circa finem mensis Augusti, nactus opportunitatem ex absentia Ducis qui ad debellandum fratrem suum in Andegaviam abierat, partem burgi Tegulariensis, ut Roberto fratri suo gratum faciat, et quemdam vicum castri Vernolii flammis absumit; castrum quoque Nonanti-curtis apparatu bellico cingit, sed nihil ei nocet. 125. d. 295. b. Post hæc subitâ febre correptus, defluenteque exercitu, in Franciam redire compellitur. 125. d. Inducias itaque Ludovicus cum Henrico Duce paciscitur, quas non multò post irritas facit. 295. b. An. 1153

Digitized by Google

bellum instaurat adversùs Ducem Henricum ad Angliam edomandam profectum, et statim post Octavam Paschæ Medantâ movens exercitum, Vernonis burgum extra muros positum comburit, necnon et Longam-villam, quia Richardus de Vernone mercatores ejus in conductu deprædatus fuerat. 295. c. Circa finem Julii mensis, die B. Margaretæ, rursùs in Normanniam impressionem facit, et Vernonis castrum obsidet per dies ferè quindecim; cùmque nihil proficeret, et Theodericus Comes Flandriæ ab eo discedere vellet, secretis conditionibus agit cum Richardo de Vernone, ut saltem vexillum suum in turre levetur. 295. e. 333. b. 509. c. d. Mense Septembri, partem burgi Vernolii ex improviso comburit. 296. a. An. 1154, uxorem ducit Constantiam filiam Alphonsi Regis Castellæ. 184. d. 219. a. 296. d. 421. c. 471. d. 513. e. Eodem anno, opem confert Samsoni Remensi Archiep. in obsidione Montis-acuti. 513. e. Mense Augusto, pacem componit cum Henrico Normanniæ Duce, cui et castella Vernonem et Novum-mercatum reddit pro bis mille marcis argenti. 297. a. 333. a. Circa Kal. Octobris, ejusdem operâ utitur ad sibi conciliandum in Vilcassino Gosselinum Crispinum. 297. b. Sub anni finem peregrinationen aggreditur ad S. Jacobum. 185. a. 297. c. n.

An. 1156, Dominicâ post Purificationem B. Mariæ, colloquium habet cum Henrico II Angliæ Rege in confinio Normanniæ et Franciæ. 298. d. in eo colloquio, Rex Henricus clientelam ei professus est pro Normannia et Aquitania, Andegavia et Cenomannia atque Turonia. 205. d. Eodem anno, Ludovicus Senonensem Ecclesiam eximit a prava consuetudine, quâ, decedentibus Episcopis, bona ipsorum in manu Regis detinebantur. 676. c. Anno 1157, Divionem accedit locuturus cum Imp. Frederico; cùmque Imperator jam in Alemanniam abiisset, per legatos ipsum salutavit, ab eo vicissim resalutatus. 663. d. An. 1158, Imperatoris Frederici auxilium implorat adversùs Henricum Angliæ Regem. 664. a. Pridie Kal. Septembr. cum Angliæ Rege colloquium habet inter Gisortium et Novum-mercatum, ac nuptias filiæ suæ Margaretæ sex menses natæ pacisciture cum Henrico ejus filio trienni. 185. c. 300. b. 704. c. et harum gratiâ nuptiarum in dotem puellæ assignat Gisortium et alia duo castella, de quibus controversia erat, tradita in manus Templariorum, dum pueri ad nubiles annos pervenissent. 111. c. 206. c. n. 300. n. 516. a. Mense Septembri, Angliæ Regem excipit Parisiis condigno honore; relicto namque palatio suo eidem, ipse ad claustrum Canonicorum secedit cum Regina. 185. d. 300. c. n. Postridie, concreditâ eidem filiâ suâ, abeuntem prosequitur usque Medantam. 300. n. ipsi tum permisit Ludovicus, ut tanquam Franciæ Senescallus in Britanniam ingrederetur, ad coercendos Britones dissidentes. 126. e. Mense Novembri peregrinationem aggreditur ad Montem S. Michaëlis, cui usque Paceium obviam procedens Rex Henricus, per Ebroas et Novumburgum, ubi filia ejus alebatur, Beccensem ad Abbatiam eum deducit. 300. n. ibi unâ nocte simul hospitio excepti sunt. ac die B. Clementis, Dominicâ, Rex Ludovicus, eodem se comitante, ad Montem S. Michaëlis perducitur, ubi fusis precibus, eodem die Abrincas reducitur, et per Baïocas, Cadomum et Rotomagum in Franciam, ubique muneribus et honoribus auctus. 126. e. 185. d. 300. n. 301. c. Mense Decembri, pacis sequester efficitur inter Angliæ Regem et Theobaldum Comitem Blesensem. 300. n. Anno 1159, expeditionem parante adversùs Raimundum Comitem Tolosanum Henrico Angliæ Rege, sollicitus pro nepotibus ex sorore Ludovicus cum eo congreditur apud Turones tempore Quadragesimæ; sed Anglico Rege in proposito persistente, rursùs VIII, VII et VI Kal. Junii cum eodem agit de pace Tolosani Comitis, nec rem perficit. 302. n. 516. e. n. Mense Julio, circa Octavas Apost. Petri et Pauli, Henricum Tolosam appropinquantem Ludovicus denuò convenit; et cùm a proposito eum minimè absterruisset, Tolosam viribus suis propugnaturus ingreditur, ejusque reverentiâ Henricus ab urbis impugnatione abstinuit. 106. e. 127. b. 185. d. 219. d. 277. c. 302. n. 303. d. 334. c. 421. c. 517. a. 739. b. Circa festum S. Michaëlis, Henrico Rege hostili animo ad propria repedante, et ipse in Franciam revertitur, collectumque exercitum ducit prope Estrepeneium quod Rex Henricus obfirmaverat, cùm paulò ante a Rege Francorum fuisset eversum. 302. n. Interim satagentibus de concordia duorum Regum viris pacificis, induciæ pactæ sunt utrimque a mense Decembri usque ad Octavas Paschæ. 302. n. 304. d. 517. b.

An. 1160, exorto in Romana Ecclesia schismate, legatos mittit Ludovicus ad Concilium Papiense. 664. n. Mense Maio, pacem componit cum Henrico Angliæ Rege, innovatis prioribus pactis. 305. a. Conventus a legatis Imperatoris Frederici ut in partem schismatis concedat, mense Julio circa festum B. Mariæ Magdalenæ, Episcopos et Barones regni cogit Bellovaci ad examinandam Alexandri III et Octaviani electionem, dum Rex Henricus suos apud Novum-mercatum congregasset, et Alexandro adhæret perinde ac Angliæ Rex. 104. d. n. 127. b. 185. e. 305. b. 518. b. 578. e. 739. c. IV Nonas Octobris, orbatur uxore suâ Constantiâ. 517. e. Eodem mense Octobri, locutus cum Angliæ Rege pactum mutuæ pacis confirmat, præstitâ sibi ab Henrico ejus filio clientelâ pro Normanniæ Ducatu. 305. c. Paucis interpositis diebus, et elapsis vix diebus 15 ab obitu Constantiæ, tertiam ducit uxorem Alam, filiam Theobaldi Magni Comitis Blesensis. 127. b. 186. a. 219. a. 305. c. 517. e. Celebrato interim ab Henrico Rege ante præfixum tempus matrimonio filiæ Regis Margaretæ cum Henrico ipsius filio, et occupatis ab eo castellis, Gisortio, Nealfia et Novo-castello ad Eptam fl. quæ in puellæ dotem pacta fuerant, indignatus Ludovicus Templarios proditionis reos expellit e regno, ac cum sororiis suis Henrico, Theobaldo et Stephano, bellum parat 111. c. 186. a. 206. d. 305. d. Anno 1161, post Pascha, acies suas perducit primò in Vilcassinum, postea in Dunensem pagum ad Fractamvallem adversùs Angliæ Regem, sed antequam ventum esset ad prælium, inducias paciscitur post festum S. Joannis. 108. c. 186. b. 306. b. 584. a. An. 1162, compescere schisma Romanæ Ecclesiæ studens, congredi ea de re decernit cum Imperatore Frederico. 519. a. b. 667. b. 740. a. Itaque circa festum Decollationis S. Joannis-Baptistæ ad colloquii locum accedens, primò cum Alexandro præloquitur apud Silviniacum; cùmque indignum videretur ut summus Pontifex ad id colloquium accederet, post biduanum tractatum inde proficiscitur unà cum aliquot Cardinalibus qui Alexandri causam adversùs Octavianum acturi erant. 667. b. c. Lovigennam seu Laonam ad Ararim (non verò Divionem aut Vesuntionem) progreditur die constitutâ, id est, Decollationis S. Joannis-Baptistæ. 186. c. n. 278. a. n. 307. c. 584. b. 602. c. 722. a. n. 740. a. c. d. Stans autem in medio Pontis Saonæ ab Imperatore per legatos ementitæ fidei arcessitur, quòd Alexandrum suum non perduxerit. 667. d. Mittit itaque Ludovicus ad Alexandrum ut sine mora veniat, sin autem ipse in Imperatoris manus se tradet. 667. e. Interim dùm Alexander moras innectit, Fredericus tædio et fame affectus, honestam quærens recedendi occasionem, Regi significat soli Romanorum Imperatori competere controversiam de Romani Pontificis electione dirimendam. 668. b. Expertus igitur Rex non integram Imperatoris fidem, exhibuit se in Pontis medio ab hora diei tertia usque ad horam nonam. Porrò Cæsar nondum advenerat: quod Rex accipens pro omine, lavat manus in flumine, et ipso die redit Divionem. 278. a. 307. c. 668. c. 740. b. d. Veniens autem noctu Cæsar, ubi intellexit Regem abiisse, mittit honorabiles personas denuò accersitum eum; sed ille nullâ ratione potuit revocari, gratulatus se fidem exsolvisse et suspectam Cæsaris manum evasisse. 740. b. d. Paucis exinde interjectis diebus, Alexandro Papæ occurrit Tociaci ad Ligerim, ubi cum Anglico Rege stratoris functus officio, pacem cum eodem firmam, agente Pontifice, componit. 110. a. 278. a. 307. c. An. 1163, circa Septuagesimam, in occursum Papæ ad duas leucas procedit, Parisios adventanti. 669. b. 740. e. Eodem anno, Monachos S. Maximini Aurelianensis expellit, consentiente Alexandro Pontifice, ob interfectum ipsius loci Abbatem. 308. b.

Anno 1164. Dapiferatum Franciæ gratificatur Theobaldo Comiti Blesensi, gratiâ nuptiarum ipsius cum Aleïde filia sua. 308. d. Eodem anno, cùm masculâ prole careret et sæpiùs religiosorum virorum preces adhibuisset, ad Cisterciense Capitulum accedit, precesque ad Deum fundi exorat ut filius ipsi donetur.

Digitized by Google

709. a. Ipso anno, per litteras et nuncios convenitur ab Angliæ Rege Henrico, rogante ne Thomam Cantuar. Archiep. ab Anglia profugum recipiat; at contra Rex nobili exuli Suessiones usque occurrit, eique patrocinium suum et vitæ subsidia repromittit. 110. a. 128. b. 207. e. 278. c. 422. a. 473. b. An. 1165, infra Octavas Paschæ, colloquium habet Gisortii cum Henrico Angliæ Rege. 309. b. Mense Augusto, die Octavâ Assumptionis B. Mariæ, nascitur ei filius de nomine Comitis Flandriæ Philippus appellatus. 128. d. 186. d. 203. a. 219. b. 309. c. 521. b. 676. e. 677. e. 709. b. Eodem anno, convenitur a Reinoldo Colon. Archiep. misso ab Imp. Frederico, ut partes Alexandri deserat, et cùm in ejus ferè sententiam inclinasset, a superveniente Bellovac. Episcopo deterretur. 741. c. An. 1166, tributum unius denarii per singulos viginti solidos imperat tam Clericis quàm laïcis in subsidium Ecclesiæ Hierosol. locutus verò cum Henrico Angliæ Rege, tempore Quadragesimæ, eum ad idem præstandum impellit. 128. n. 309. d. Eodem an. Thomam Cantuar. Archiep. e Pontiniacensi Cœnobio minis Angliæ Regis exclusum in suum recipit patrocinium, missisque satellitibus, eum ad Senonense S. Columbæ Cœnobium die S. Martini perducit, suis expensis nutriendum. 130. a. 187. c. 208. b. An. 1167, partes amplectitur Guillelmi Arverniæ Comitis adversùs Henricum II Angliæ Regem, pro Arverniæ domino se gerentem. 310. c. Eodem tempore, aliud inter utrumque Regem exoritur dissidium occasione pecuniæ Hierosolymam mittendæ et Turonibus coactæ, quam Rex Ludovicus per suos deferri volebat, quia Ecclesia Turonensis sua erat. 310. c. Habito eâ de re in Vilcassino cum Anglico Rege colloquio in Octavis Pentecostes, Ludovicus, pacem detrectantibus Franciæ primoribus, ad arma confugit, et villulas aliquot inter Medantam et Paceium comburit. 130. b. 278. b. (ubi an. 1166.) 310. c. 521. c. 676. e. Vicem ei rependente Henrico apud Calvum-montem, ubi Rex Ludovicus belli subsidia comportaverat, rursùs in Vilcassino Vadum-Nigasii et alias villas Rex comburit, Andeliacum quoque villam Rotomag. Archiepisc. succendit. 187. d. 208. e. 310. d. Amissis tamen de exercitu multis Deo vindice, inducias mense Augusto cum Anglico Rege paciscitur usque ad proximum Pascha. 187. d. 278. d. 310. e. Eodem anno, circa festum S. Martini, colloquium habet cum legatis Papæ Alexandri, Guillelmo et Ottone, et Angliæ Regis criminationes in Archiep. Thomam retundit. 130. d. An. 1168, bellum adversùs Angliæ Regem instaurat, gratiâ Pictaviensium qui ab eo defecerant. 130. e. 279. a. (ubi an. 1167). Infra Octavas Paschæ, colloquium habet cum Rege Henrico inter Medantam et Paceium; cùmque obsides quos a Pictonibus acceperat, reddere nollet, (quippè sacramento spoponderat quòd sine ipsis nunquam Anglorum Regi concordaret) et gravis altercatio inde fieret, inducias paciscitur usque ad festum S. Joannis. 311. d. In Octavis S. Joannis rursùs ad Feritatem-Bernardi de pace tractat, eâque minimè confectâ, limites suos munit, et bellum usque ad Adventum Domini protrahit. 312. b. 527. a. Eo durante, municipium quoddam Normanniæ *Chesnebrut* dictum combussit, et quatuor milites in eo cepit; sed Rex Henricus mox ei vicem rependit. 312. c. Mense Octobri, a legatis Imp. Frederici conventus fuit de pace cum Angliæ Rege facienda; sed eos ad suum colloquium non admisit. 131. a. 527. c. d. Circa Domini Natale paci cum Henrico Angliæ Rege manus dedit, ac die Epiphaniæ Domini an. 1169 cum eo colloquium habuit apud Montem-mirabilem. 111. d. n. 131. e. 312. e. 527. a. Ibi acceptâ clientelari fide ab Henrici filiis, primogenito Henrico qui de Normannia hominium jam antea fecerat, Britanniam, Andegaviam et Cenomanniam contradit cum Senescalcia Franciæ. 132. a. 312. e. Richardo quoque alteri filio Aquitaniam concessit cum filia sua Aleïde in futuram uxorem. 132. a. 312. e. Pictavos etiam et Britones eatenùs rebelles Angliæ Regi conciliavit. 132. a. In eodem colloquio pacem Thomæ Cantuar. Archiep. quæsivit et Regem penè inflexit, sed obstinatum Pontificis animum inveniens, aliquantulùm ab eo avertitur. 132. c. d.

Eodem anno 1169, die Purificationis B. Mariæ, Regi Ludovico Henricus Rex Angliæ junior ad mensam ministrat ut Senescallus. 312. e. Non multò post cognitâ Ludovicus Henrici Regis fraude circa pacta conventa, Archiep. gratiam suam reddit, ejusque prudentiam se ipsum accusans laudat. 133. a-c. Mense Septembri, a legatis Terræ Hierosol. convenitur Parisiis de auxilio ferendo Christianis contra infideles: quibus illacrymatus promptum ad succurrendum animum patefacit; sed quia Regis Angliæ insidias metuebat, si absque illo peregrinaretur, ad eumdem illos remittit, ac nihil boni reportantes refovet. 529. a-d. Infra Octavas S. Martini, ab Henrico Angliæ Rege convenitur ad S. Germanum in Laia, quocum de pace Cantuar. Archiepiscopi rursùs tractatum habet inani, ut priùs, conatu. 133. d. e. 188. c. d. 313. a. Abeuntem itaque Angliæ Regem comitatus usque Medantam, legatos Romam dirigit, petens ne ulteriùs censura in Angliæ Regem procrastinetur. 134. a. Eod. anno, partes Theobaldi Comitis Blesensis adjuvat adversùs Herveum de *Gien* et Henricum Angliæ Regem. 313. d. An. 1170, indignè ferens Margaretam filiam suam non fuisse in Reginam coronatam cum Henrico Angliæ Regis filio, in Normanniam hostiliter ingreditur circa festum S. Joannis-Baptistæ. 143. b. n. Circa festum B. Mariæ Magdalenæ, colloquium habet Vindocini cum Anglico Rege, eique conciliatur eâ lege ut filia sua quantociùs coronetur. 134. d. 143. c. n. Interim Alexandro Papâ districtiùs in Angliæ Regem agente, ut pacem Cantuariensi Ecclesiæ redderet, IV Idus Octobris cum eodem congreditur, atque ipsius prece Archiepiscopus Thomas Regis in gratiam receptus est et ad Ecclesiam suam redire permissus. 279. b. 422. a. 474. a. inter Gisortium et Triam. 111. e. in confinio Carnotusiæ et Cenomanniæ. 134. d. apud Montem-laudiacum. 144. b. apud Montem-mirabilem. 188. e. Circa festum S. Clementis exercitum ducit in Berriam adversùs Henricum Angliæ Regem, certum armis sibi vindicare Bituricensem urbem, progressumque ad *Montluçon* illuc eum antevertit, quocum et inducias usque ad festum S. Hilarii paciscitur. 145. a. Eodem anno, Hierosolymam transmittit pecuniam quam in subsidium Terræ Sanctæ colligendam curaverat. 314. d. An. 1171, necem Cantuariensis Archiepiscopi per epistolam Alexandro Papæ significat, ut Angliæ Regi Henrico invidiam pariat. 145. d. An. 1172, queritur apud A. S. Legatos Albertum et Theotimum, quòd filia sua Margareta nondum fuisset in Reginam coronata. 135. c. Habito itaque ea de re colloquio cum Henrico Rege, eidem placatur coronatione filiæ suæ V Kal. Septembris peractâ. 135. c. 147. a. 190. d. 212. d. 216. c. 315. d. Cardinalibus tamen infensus qui Henricum Angliæ Regem de nece B. Thomæ absolverant, eos in Francia hiemare, uti proposuerant, non permittit. 749. a.

Ipso anno 1172, filiam suam videndi cupidus, circa festum Omnium Sanctorum eam ad se mitti exorat cum Henrico Angliæ Rege juniore, cui secretiùs collocutus suggerit ut a patre sibi Angliam vel Normanniam dari postulet, ne vacuum Regis nomen gerat, sin autem ad se revertatur. 136. d. 148. a. 316. a. An. 1173, eum ob repulsam a patre profugum et ad se tempore Quadragesimæ revertentem excipit, coactoque Parisiis Procerum conventu, indeficiens ei et fratribus spondet et conciliat auxilium. 113. a-d. 137. a. 150. e. 212. c. 219. d. 279. e. 316. b. 574. d. 671. b. 677. d. 680. e. 749. a. Circa Octavas Apost. Petri et Pauli, cum exercitu septem millium militum, exceptâ reliquâ multitudine, ingreditur in Normanniam et Vernolium obsidet. 114. a. 153. b. 192. a. e. 279. e. 316. d. 680. e. Transacto in obsidione mense uno, Burgenses fame ad deditionem coactos exire permittit ad Regem Henricum, eâ lege ut se dedant, nisi eis ante vigiliam S. Laurentii suppetias veniat. 153. c. Angliæ Rege Vernolii VI Idus Augusti castrametante, inducias per legatos petit usque in crastinum, ut cum eo de pace filiorum agat. Postridie Burgenses deditionem facientes captivos abducit, et Vernolio præter sacramentum ignibus absumpto, in Franciam revertitur ipsâ vigiliâ S. Laurentii, relictâ maximâ parte impedimentorum. 114. a-e. 154. d. e. 155. a. b. 193. a-c. 317. a. VIII Kal. Octobris, colloquium habet Gisortii cum Henrico Rege de pace filiorum ejusdem; conditiones tamen oblatas ab eo respuit. 156. c. d. Deinde Robertum Comitem Leicestriæ mittit cum exer-

Digitized by Google

citu Flandrensium in Angliam. 156. e. Eodem anno, militaribus armis donat Richardum Aquitaniæ Ducem, filium Henrici Angliæ Regis. 158. b. Anno 1174, inducias cum Angliæ Rege paciscitur a die festo S. Hilarii usque ad clausum Pascha. 138. a. 158. b. Ineunte Quadragesimâ, de pace cum eodem congreditur apud Calvum-montem coram legatis Alexandri III, Petro Tarentasiensi Archiepisc. et Alexandro Cisterciensi Abbate. 318. b. 708. d. Cùm verò conficiendæ pacis spes nulla superesset, cum Baronibus suis tractat Parisiis de instaurando adversùs Angliæ Regem bello, aliisque se Anglicæ expeditioni devoventibus, ipse in Normanniam impressionem facturum se promittit. 158. d. 318. c. Illis, Philippo videlicet Comite Flandriæ et Henrico Angliæ Rege juniore, ventis obluctantibus quominùs exscensionem facerent præpeditis et ad se reversis, cum ingenti exercitu Rotomagensem urbem obsidione cingit XI Kalend. Augusti, dum Rex Henricus senior in Angliam abiisset. 116. c. n. 138. d. e. 159. d. 195. e. 256. b. 280. b. 318. c. 422. d. 574. e. 680. e. 713. a. 723. b. Die festo B. Laurentii, ferias voce præconis indicit obsessis; suadente tamen Philippo Flandriæ Comite, scalas eo die muris applicat, ut incautos circumveniat; verùm suis e muro propulsis, solam ignominiam et prævaricationis notam reportat. 117. a-d. Henrico post hæc Rotomagum reverso, et ad bellum properante, Ludovicus, quia exercitus jam biduò laborabat inediâ, de fuga cogitat; missisque ad Angliæ Regem nunciis, inducias recedendi petit et iterùm revertendi ad colloquium, verùm fidem mentitus ipsâ nocte, XIX Kal. Septembris, Vigiliâ Assumptionis B. Mariæ, exercitum quasi fugiendo reducit in Franciam. 117. c. 139. a. 160. a-d. 196. b. 280. c. 318. e. Postridie rursùs quæsito per legatos colloquio, die Nativitatis B. Mariæ cum Anglico Rege congreditur Gisortii, ubi pacem filiorum ejus prælocutus eam ad festum S. Michaëlis definiendam decernit, dum Rex Henricus filium Richardum in Pictavia rebellantem compescuerit. 160. d. n. 319. a. Postridie festi sancti Michaëlis, cum filiis Angliæ Regis accedit Montem-laudiacum inter Turones et Ambasiam, ubi pace inter patrem et filios compositâ, ipse munitiones quas ceperat, restituit et Roberti Leicestriæ Comitis libertatem exoravit. 118. a. c. 161. b. 197. n. 280. d. 319. a. 574. e. Anno 1175, die festo S. Mathiæ, colloquium habet Gisortii cum Henrico II Angliæ Rege et Henrico ejus filio. 162. b. Post mediam Quadragesimam, Henricum juniorem dehortatur in Angliam transfretare, ne ibi a patre in carcerem mittatur. 162. c. Non multò post ab eo convenitur, patris veniâ. 162. d. An. 1176, mense Aprili, ab eodem Henrico, et Margareta filia sua invisitur. 164. e. Eodem anno, Nivernensem Comitatum largitur Petro fratri Comitis Flandriæ Philippi gratiâ nuptiarum ipsius cum Mathilde Comitissa. 166. c. An. 1177, a Philippo Flandriæ Comite petit in matrimonium filio suo unam filiarum Matthæi Boloniæ Comitis, et alteram filio Theobaldi Comitis Blesensis; sed Philippus absque assensu Angliæ Regis id concedere non est ausus. 167. e. Cùm verò Ludovicus peteret Aleïdem filiam suam matrimonio copulari Richardo Angliæ Regis filio, circa Ascensionem Domini a legatis Henrici Regis convenitur, petentis Henrico filio suo dari Vilcassinum pagum ratione matrimonii sui cum filia Regis, et Richardo urbem Bituricensem in dotem alterius filiæ pactam. Mandabat insuper ut Regina Margareta, quæ prægnans ad patrem abierat, in Normanniam remitteretur. 169. d. Perlatâ itaque Ludovicus ad Romanum Pontificem querelâ, terram Angliæ Regis interdicto supponi exorat, nisi quantociùs ille permittat Richardum filium suum in uxorem ducere Aleïdem Regis filiam. 140, b. 170. d. Hujus rei gratiâ cùm Petrus Cardinalis S. Chysogoni eum III Idus Septembris convenisset Rotomagi, et ille inducias loquendi cum Ludovico peteret, habitum est inter Ivriacum et Vadum S. Remigii colloquium ad festum S. Matthæi, VII Kal. Octobris, in quo Rex Angliæ verbo tenùs matrimonio filii sui Richardi assensum præbuit, et Rex Ludovicus amicitiæ fœdus cum eo pepigit, suscipiendi studio itineris Hierosol. 140. b. 171. a. b. n. 200. n. 281. e. 320. c. Post festum sancti Martini, rursùs cum eodem Henrico congreditur apud *Grossai* de dominio Alverniæ; cùmque testimonio incolarum Alvernia tota Henrico assereretur, excepto jure conferendi Claromontensis Episcopatûs, huic definitioni Ludovicus stare renuit. 173. a. Eod. vel seq. anno, ulturus stragem civium Laudunensium ab Episcopo Rogerio factam, cum exercitu illuc contendit et bona Episcopatûs occupat. 578. a. Laudunum prætergressus, terram Hugonis de Petraponte, Rainaldi de *Rosoi* fratris Episcopi, necnon Jacobi de Avesnis vastare aggreditur: verùm cùm jam ad castellum de *Nisi* pervenisset, et hostes aciebus instructis apud Steas consisterent, retrocedit. 578. b. 682. b. Anno 1178, post Pascha, habito cum Henrico Angliæ Rege colloquio apud Nonanti-curtem, terram ejus cismarinam, id est, Normanniam, Andegaviam et Britanniam in sua recipit tuitione, si illum in Angliam reverti vel peregrè proficisci contingat. 173. c. n. 321. d. Eodem anno, cum Angliæ Rege deliberat exercitum ducere in provinciam Tolosanam ad debellandos hæreticos ibidem grassantes; mutato tamen consilio, placuit utrique viros sapientes et religiosos illuc mittere ad eos confutandos. 173. d. 174. a. Ipso anno, conventus a legatis Manuelis C. P. Imperatoris, nuptias filiæ suæ Agnetis paciscitur cum Alexio ejus filio. 119. b. 321. e. An. 1179, Agnetem filiam suam mittit Constantinopolim ad nuptias cum Alexio. 170. d. 201. e. 322. e. Edicto quoque præcipit Episcopos et regni Barones Remos convenire die Assumptionis B. Mariæ ad coronationem filii sui Philippi. 179. e. 322. e. Appropinquante termino præfixo, cùm filius ejus in morbum incidisset, monitus tertiò in somnis a beato Thoma Cantuariensi, peregrinationem ad ejus sepulcrum aggreditur XI Kal. Septemb. factâque ibi duorum dierum morâ et oblatione per cuppam auream centum modiorum vini annuatim percipiendorum, VII Kal. Septembris revertitur in Franciam. 141. b. n. 180. a-d. 202. d. 216. d. 282. c. 323. a. 423. b. 475. b. 712. d. Vix Parisios reviserat, cùm in paralysim incidit, ac novo edicto imperat Majores regni adesse coronationi filii sui die Sanctorum omnium. 181. a. b. Itaque Philippum filium suum in Regem coronatum regni consortem facit. 181. a. 203. b. 282. d. 323. c. 423. b. 475. b. 579. c. 683. a. 713. e. Eodem anno, post Natale Domini, exoratus a Balduino Comite Hannon. Rogerium Laudun. Episc. in gratiam recipit, eique bona Episcopatûs restituit, postquam ille juramento suo et trium Episcoporum asseruit, nullum se Laudunensem civem propriâ manu interfecisse. 580. a. An. 1180, tradito regni moderamine filio suo, ad Abbatiam de Barbellis, quam fundaverat, secedit. 749. e. ne quid tamen in regno statuat præter filii conscientiam, sigillo suo privatur. 205. a. Ibi eodem anno moritur, XIV Kal. Octobris, et ibidem sepulturâ donatur. 119. a. n. 142. a. 182. d. 205. b. 282. e. 324. c. n. 423. c. n. 455. a. 580. d. 585. a. 683. c. 723. d. 750. a. Propè moriturus, accersitis Parisiensi Episc. et Abbatibus S. Germani ac S. Genovefæ, pretiosa quæque in usus pauperum erogavit. 205. b. Christianissimus dictus. 126. d. homo intepidæ devotionis in Deum et eximiæ lenitatis in subditos, sacrorum quoque Ordinum præcipuus venerator. 119. a. qualibet sextâ feriâ jejunare solitus pane et aquâ contentus. 119. n. in aliis multis commendatur. *ibid.* sed nimiæ simplicitatis dictus, qui pravorum hominum usus consiliis filios Henrici II Angliæ Regis in patrem rebelles adjuverit. 119. a. Filiæ ex Alienora conjuge, Maria, Aleis; ex Constantia filiæ, Margareta, Aelis; filius ex tertia Ala, Philippus, et filia, Agnes.

Ludovici Comitis Blesensis et Catharinæ Claromontensis filius, Theobaldus VI Comes Blesensis.

Ludovici Comitis de Cisneio uxor N. de Albomonte, germana Theobaldi Comitis Barrensis.

Ludovicus Comes Lossensis an. 1171 moritur. 723. a. uxor Ermensendis de *Reneke,* ex qua filius Gerardus, Ymaina Ducissa Brabantiæ, N. uxor Walteri-Bertholdi Macliniensis, N. Ducissa Bavariæ, N. Abbatissa, et Loreta Barri-Ducis Comitissa. 710. b.

Ludovici Comitis Moncionis filii ex Sophia Lotharingica, Theodericus, Fredericus.

Lugdunensis sedes primatum habet super tres Archiepiscopatus. 325. d. Lugduni ea pars quæ cis Rhodanum est regno Francorum semper

Digitized by Google

obnoxia fuit. 308. a. n. Ibi anno 1080 Concilium habuit Hugo Diensis Episc. 620. a. Lugdunenses Archiep. Drogo, Gibuinus, Guichardus, Guillelmus, Heraclius, Hugo, Humbertus, Joannes.
Luipo, electus Trudonensis Abbas an. 1083, III Idus Augusti, ab Herimanno Metensi Episc. qui Lanzonem præfecerat, non recipitur. 591. c. Confugiens igitur ad Imperatorem, susceptoque de manu ejus Abbatiæ dono, an. 1085 militibus stipatus revertitur VII Kal. Junii, Lanzonemque cum suis sequacibus in turrim retrudit. 592. a. Metas deinde profectus Abbatiam suam Gualoni pseudo-Episcopo acceptam refert, quapropter ab Henrico Leod. Episc. percellitur anathemate XVII Kal. Julii. 592. a. Rursùs itaque querelam ad Imperatorem perfert, munitaque interim a suis fautoribus turris per Leod. Episcopum expugnatur, Lanzoque cum suis in Monasterium revocatur. 592. b-e. 593. a. b. An. 1092, post obitum Henrici Episc. in Abbatiam restituitur, fultus potentiâ Henrici Comitis Lovaniensis et a Monachis expetitus. 594. a. Profectus circa Autumnum ad Imperatorem in Longobardia diversantem, ab eodem commendatur Otberto Leod. Episc. qui consecrationis ei beneficium impertitur. 589. c. 594. a. Exactis post consecrationem duobus annis, moritur Kal. Augusti. 594. a.
de S. Lupo. *Vide,* Rainaldus.
Luscelburgenses Comites, Conradus I, II, Gislebertus, Guillelmus, Henricus.
de *Luscelburg, Vide,* Gerardus, Petrus.
de *Luvenni. Vide,* Philippus.
de *Luvetot. Vide,* Richardus.
Lyrenses S. Mariæ Abbates, Gualterus, Guillelmus, Hilcherius, Osbernus, Osbertus.

M.

Machecourt. *Vide,* Balduinus.
Magnavilla. Vide, Gaufridus.
Maicicort. Vide, Joannes.
Majoris-monasterii Abbates, Garnerius, Hervæus de Villa-pirosa, Petrus, Robertus II, III.
Malcolmi III Scotiæ Regis uxor Margareta, filiæ, Maria, Mathildis.
Malcolmus IV Scotiæ Rex an. 1159 in Normanniam trajicit XIV Kal. Julii cum 45 navibus armatorum, junctusque Henrico II Angliæ Regi, post festum S. Joannis cum eo in expeditionem Tolosanam proficiscitur. 127. a. 302. n. 303. d. Redux ab ea expeditione, Turonibus cingulo militari ab eo donatur, et Huntingdoniæ Comitatu. 41. n. 206. b. Reversus in Scotiam rebellium experitur, eò quòd Angliæ Regi stipendia fecisset. 206. b. An. 1160, Margaretam sororem suam matrimonio collocat Conano IV Britanniæ Duci. *Ibid.*
Malet. Vide, Guillelmus.
Malliun. Vide, Radulphus.
Mallore. Vide, Anketillus.
de Malo seu Molli-Alneto, Hugo.
Manasses I, Remensis Archiep. anno 1077 a Clericis suis accusatus de simonia in Concilio Eduensi, judicium subterfugit, et sacris interdicitur. 619. b. inde cùm se truculenter erga eos habuisset, Romam citatus pergit ut sex Episcoporum testimonio se purget. 619. b. Anno 1080, jussus Lugdunensi se Concilio sistere, Hugonem Diensem Episc. pecuniâ labefactare, tentat; sed inexpugnabilem ejus constantiam expertus, Concilio se subtrahit, et nihilominùs judicio Synodali exauctoratur. 620. a.
Manasses II, Remensis Archiep. anno 1096 succedit Rainaldo. 483. d. 688. c. Eodem anno, consecrationis beneficium impertitur Manassæ nepoti suo, de Cameracensi Episcopatu contendenti cum Gualchero. 484. c. n. 536. a. An. 1102, Robertum Fland. Comitem inducit ad expellendum armis Gualcherum pro Episcopo se gerentem. 485. e. 536. c. An. 1103, vigiliâ S. Matthæi, Cameracum accedit, reconciliatisque civibus, Gualcherum Episcopum anathemate percellit. 487. c. d. 497. b. Manasse, ipso anno, ad Suessionensem Episcopatum assumpto, cùm Gualcherum Cameracenses sibi reddi postularent, eis non assentitur, sed coacto Remis Concilio, an. 1105 Odonem S. Martini Tornac. Abbatem eis Episcopum ordinat. 403. e. n. 488. a. c. 536. d. An. 1106, Episcopatu se abdicat, et ad Cœnobium S. Dionysii secedens, ibidem vitâ fungitur XV Kal. Octobris. 490. c. 497. d. n. 632. b. n.
Manasses, filius Guillelmi Comitis Suession. an. 1093 electus a plebe Cameracensis Episc. sed non a Clero, ab Imperatore non recipitur. 479. c. n. 535. b. Eodem vel seq. anno, intercedit consecrationi Gualcheri, sed frustra. 482. b. n. 535. d. Anno 1095, causam suam orat in Concilio Claromontensi, et electioni suæ robur Apostolicæ auctoritatis addit. 260. d. 483. a. n. 536. a. An. 1096, ab avunculo suo Manasse Remensi Archiepiscopo consecratur. 484. c. n. 536. a. Anno 1097, Gualchero civium timore ad Imperatorem abeunte, a Cameracensibus recipitur, sed post tres menses, exire compellitur metu supervenientium Imperatoris satellitum. 485. d. 536. b. An. 1103, ad Suessionensem Episcopatum assumitur. 488. a. 536. d. n. Anno 1105, suscepto monastico habitu, cedit Episcopatu. 263. h. (quod potiùs de avunculo ejus Remensi Archiepisc. videtur intelligendum.)
Manasses Comes Ghisnensis, Robertus etiam dictus de nomine patrini sui Comitis Flandriæ, patri Balduino succedit circa an. 1092. 426. a. n. Notissimus in aula Guillelmi Rufi Angliæ Regis, in qua sæpiùs diversabatur, ibi uxorem duxit Emmam filiam Roberti Camerarii de Tancarvilla. 426. c. Filiam unicam ex ea suscepit Sibyllam, nuncupativè Rosam dictam, quam postmodùm accepit in conjugium Henricus Broburgensis Castellanus. 428. c. Mortuâ ex primo partu filiâ suâ Sibylla, neptem suam Beatricem, licèt calculosam, matrimonio jungit Alberto seu Alberico Apro, genere Anglo, ne Ghisnensis Comitatus ad quemdam sororum suarum filium post se deveniat. 428. d. An. 1129, Abbatiam S. Leonardi Ghisnensis condere decernit, quam morte præreptus non perfecit. 467. c. Obiit circa an. 1137. 430. d. n. Filia ex Emma de Tancarvilla, Sibylla, dicta etiam Rosa; filia naturalis, Adelis Balinghenorum parens.
Manassis, seu Manasseri Calvæ-asinæ filius ex Beatrice Hannon. Manasses I Remensis Archiepisc.
Manassis, Manasseri II Comitis Reitestensis uxor, Jutta de Roceio, ex qua Hugo Comes.
Manasseri III Comitis Reitestensis uxor, Mathildis Lotharingica.
Manasseri IV Comitis Reitestensis filia, Maria.
de S. Manechilde. *Vide,* Albertus cognomento *Pichot.*
Marchiæ Comitatus sub ditione Aquitaniæ Ducis. 200. e. Anno 1177, mense Decembri, Marchiæ Comitatum vendit Henrico II Angliæ Regi Comes Audebertus, pretio sex millium marcarum. 173. b. n. 201. a. 321. a. Comites, Audebertus, Hugo, Brunus.
de Marchisia. *V.* Gonfridus, Mathildis.
Marchuin. Vide, Joannes.
Margareta, filia Regis Ludovici VII et Constantiæ, an. 1158 sex menses nata in uxorem despondetur mense Septembri, Henrico filio Henrici II Angliæ Regis. 111. c. 126. d. 185. c. 206. c. n. 300. b. 516. a. 704. c. Concredita verò Angliæ Regi, nutrienda traditur Roberto de Novoburgo. 301. a. An. 1160, IV Nonas Novembris, matrimonio jungitur eidem Henrico ante præstitutum tempus a patre. 111. c. 127. c. 186. b. 219. a. 305. c. 421. c. An. 1170, in Angliam transit, nec tamen in Reginam coronatur, quia tardiùs advenit. 314. a. An. 1171, in Normanniam revertitur. 315. b. An. 1172, remittitur in Angliam, et VI vel V Kal. Septembris in Reginam ungitur Wintoniæ a Rotrodo Rotomag. Archiep. 135. c. 147. a. 190. c. 315. d. An. 1177, circa clausam Pentecosten filium enititur Parisiis, qui Guillelmus vocatus post triduum vivere desiit. 169. e.
Margareta, filia Theoderici Flandriæ Comitis, an. 1169, mense Aprili, nubit Balduino V Comiti Hannon. 473. e. 474. n. 570. c. 679. d. n. An. 1171, filium parit Balduinum, mense Julio. 571. c.
Maria, filia Stephani Angliæ Regis, Ramesiensis Abbatissa, anno 1160 nubit contra fas legum Matthæo filio Theoderici Flandriæ Comitis. 185. e. 277. c. n. 305. b. 517. e. 705. b. An. 1169, relicto sponso cui filias duas procreaverat, ad Messinense Cœnobium secedit, cessavitque interdictum causâ ipsius diu protelatum. 279. n. 422. b. n. 438. b.
Maricolensis Abbas, Elbertus.
de Marisco. *Vide,* Simon.
Markiniensis Vicecomes, Arnoldus de Colvida.
de Marla. *Vide,* Letardus, Thomas.
de Marleriis. *Vide,* Theodericus.
de *Marlins. Vide,* Henricus.
Marmion. Vide, Rogerius.
Maruel. Vide, Bernardus, Joannes.
de *Masci. Vide,* Hamo.
de *Mastac. Vide,* Guillelmus.
Mathildis Anglorum Regina, conjux Guillelmi Nothi, anno 1082 argenti copiam transmittit Romam ad ornandum sepulcrum B. Simonis Comitis Crispeiensis. 685. c. Anno 1083 moritur, postridie Festi omnium Sanctorum. 50. a. 671. d.
Mathildis, filia Malcolmi Scotiæ Regis, an. 1100 die S. Martini nubit Henrico I Angliæ Regi, coronaat

Digitized by Google

in Reginam ab Anselmo Cantuar. Archiep. 17. c. 71. a. 120. b. 217. c. 673. e. An. 1102, puellam enititur Mathildem appellatam, et an. 1103 filium nomine Guillelmum. 120. c. An. 1118, moritur Kal. Maii. 17. d. n. 35. b. 61. c. 73. d. 120. c. 218. a. 674. c. 730. c.

Mathildis, filia Henrici I Angliæ Regis, anno 1102 in lucem editur. 120. c. An. 1109, in uxorem despondetur Henrico V. Imp. 34. b. 60. b. 73. b. 94. e. 120. c. 490. c. 690. c. 718. e. An. 1110, die Paschæ ab eo more regio dotatur. 719. a. An. 1114, VIII Idus Januarii, eidem matrimonio jungitur et in Imperatricem consecratur. 18. e. 73. c. 266. d. 326. d. 393. b. 604. c. 719. a. An. 1125, Henrico viduata in Normanniam ad patrem redit. 20. d. 82. c. 121. a. An. 1126, circa festum S. Michaëlis, cum patre in Angliam transit, ac Robertum Normanniæ Ducem e carcere solvi et in manus Roberti Comitis Glocestriæ concredi exorat. 63. b. An. 1127, die Circumcisionis Domini, hæres Angliæ regni decernitur in conventu Procerum, si patrem absque masculâ prole obire contingat. 21. a. 36. c. 63. c. 74. e. 82. c. 95. a. 121. a. 253. b. An. 1127, post Pentecosten, missa in Normanniam despondetur in uxorem Gaufrido filio Fulconis Comitis Andegav. 21. b. 36. c. 63. c. mense Septembri, eidem matrimonio jungitur. 20. e. 21. b. 83. a. 95. a. 121. a. 218. b. 253. b. 393. b. An. 1129, a viro suo abjecta Rotomagum revertitur. 83. c. An. 1131, post festum S. Petri, trajicit in Angliam cum Henrico patre suo, et in conventu Northamtoniæ habito rursùs Angliæ regni hæres asseritur. 22. b. 37. c. 64. e. Circa Nativitatem B. Mariæ redditur marito suo eam reposcenti. 37. c. Anno 1133, mense Martio, Henricum filium enititur. 121. b. 286. d. An. 1134, mense Maio ad Pentecosten, Gaufridum alterum filium parit Rotomagi. 121. b. 286. d. quo ex partu ad mortem ægrotans Ecclesiis benefacit, et se Becci sepeliendam rogat, verùm convaluit. 286. e. An. 1135, a patre discors erat ob Guillelmi Talavatii munitiones quas eidem reddi postulabat, et ob violatam pactionem de omnibus Normanniæ firmitatibus sibi et filiis suis servandis. 254. c. 287. d. Eodem anno, patre vitâ functo, moras innectit in Angliam transfretandi, quod obfuit ei plurimùm. 23. a. n. Interim verò Damfrontem in Normannia suæ potestati addicit. 23. a. Anno 1136, mense Augusto, tertium filium enititur Guillelmum apud Argentomagum. 121. b. 287. e. An. 1139, in Angliam appellit cum Roberto fratre suo et grandi exercitu, ante festum S. Petri ad vincula. 25. e. 40. c. 76. c. 87. c. 95. d. 122. b. Recepta verò ab Adela noverca sua apud *Arundel*, ibidem a Stephano Rege obsidetur; sed abire permissa Bristovam ad fratrem perducitur, ac post duos menses Glocestriam se recipit, mense Octobri. 26. a. 40. a. 76. d. 87. c. An. 1140, propositæ pacis compositionis assentitur, quam ille refutavit. 26. d. e. An. 1141, capto a fautoribus suis Stephano Rege, Wintoniam contendit feriâ quintâ post Cineres, ubi agente Henrico Episcopo, in dominam suscipitur ab omnibus, exceptis Kentensibus, XV Kal. (non verò V Nonas) Martii. 27. e. 28. a. 41. d. 66. c. 77. c. 88. d. Peragratis urbibus sibi subditis, venit Londoniam post Rogationes, ac cum Londoniensibus tractatum habet Westmonasterii: quorum petitionibus cùm non acquiesceret, insidiis appetita urbe cedit, deducentibus eam Henrico Episcopo et David Scotiæ Rege. 28. a. 77. c-e. 96. c. Interim simultas oritur inter eam et Episcopum, petentem Eustachio fratris filio dari Comitatus Moritonii et Boloniæ; quibus negatis, cùm Episcopi animum a se aversum intellexisset, circa festum S. Petri ad vincula Wintoniensem ad urbem se recipit. 28. b. 41. d. 78. b. Obsessa ibi ab Episcopo et Regis militibus per hebdomadas septem, die Exaltationis S. Crucis fugere compellitur: qua in fuga capto Roberto fratre suo, Regem pro eo recuperando liberum dimittit. 28. d. e. 42. a. 66. d. 78. d. n. 89. a. 96. d. Habito cum suis consilio, an. 1142 circa Quadragesimam, legatos semel et iterùm mittit ad Gaufridum Comitem Andegavensem, ut in Angliam appellat. 29. c. Interim Oxoniensi in urbe obsidetur ab Stephano Rege circa festum S. Michaëlis, indeque circa Domini Natale linteis ob nivis similitudinem observantium oculos fallentibus obvoluta elabitur, et Walingfordiam se recipit. 30. a-c. 42. a. 66. e. 90. a. 96. d. 122. e. Anno 1147, tædio affecta Anglicanæ discordiæ, ante Quadragesimam revertitur in Normanniam. 123. e. Anno 1160, adversâ valetudine conflictata divitias suas Ecclesiis distribuit, præeunte consilio filii sui Henrici. 305. a. An. 1167, moritur IV Idus Septembris Rotomagi, et in Ecclesia de Pratis sepelitur. 208. b. 311. a. (ubi Becci) 677. a.

Mathildis, filia Eustachii Comitis Bolon. nubit post patris obitum Stephano Comiti Moritoniensi. 28. b. 95. c. An. 1136, XI Kal. Aprilis, in Angliæ Reginam coronatur Westmonasterii. 121. c. An. 1138, opem confert Regi Stephano a suis Proceribus lacessito, et Doveræ castellum expugnat. 39. e. Eodem anno, plurimùm adlaborat paci componendæ inter Regem et avunculum suum Davidem Scotiæ Regem. 86. d. An. 1139, voti compos effecta utrumque conciliat, V Idus Aprilis. 87. a. An. 1140, interest mense Februario nuptiis filii sui Eustachii cum Constantia Regis Franc. Ludovici sorore. 77. a. 122. b. Anno 1141, sollicita pro viro suo compedito, Mathildem Imperatricem primò inflectere tentat bonis conditionibus, quas illa spernit. 77. d. Henricum deinde Wintoniensem Episc. convenit apud *Geldefort*, lacrymisque inflexum ad vindicandam mariti sui libertatem inducit. 28. c. Auxilio itaque Kentensium et Guillelmi Yprensis Imperatricem Wintoniâ expellit die Exaltationis S. Crucis, captumque Robertum Comitem Glocestriæ pro impetranda Regis libertate reddit. 41. d. 78. d. n. 89. a. 96. c. An. 1152, moritur die Inventionis S. Crucis, V Nonas Maii, et in Monasterio de *Faversham* a se condito sepelitur. 91. c. n. 125. e. 184. c. 215. a. 294. a. 738. c.

Matisconenses Episc. Berardus, Landricus.

Matisconenses Comites, Gerardus, Guillelmus frater Rainaldi III Burgundiæ Comitis, Joannes de Brana seu Drocensis.

Matthæus filius Theoderici Flandriæ Comitis, an. 1160 in uxorem ducit Mariam filiam Stephani Angliæ Regis, Ramesiensem Abbatissam, et Boloniensem per eam adipiscitur Comitatum. 185. e. 277. c. n. 305. b. 414. a. 416. c. 418. b. 517. e. 705. b. quod quia contra fas legum erat, a Samsone Remensi Archiep. fidelium communione privatur, et a patre ac fratre propter castellum *Lens* injuriis afficitur. 277. d. n. 517. e. An. 1161, interest conventui habito Cameraci XII Kal. Aprilis, ubi Ægidio de S. Auberto adjudicatum est *Gavalum* illius territorii. 518. c. An. 1165, Philippo fratri suo Comiti Flandriæ militat adversùs Florentium Hollandiæ Comitem. 278. d. Anno 1167, inimicitias exercet cum Henrico Angliæ Rege ob sibi denegatum Moritonii Comitatum, dumque a Rege Ludovico ille et a Philippo fratre suo in Normannia bello exagitatur, ipse exscensionem in Angliam parat, interimque Angliæ Regis exercitum adversùs Francos properantem profligat. 130. c. 521. d. An. 1168, cum Angliæ Rege paciscitur de Moritonii Comitatu pro annua pensitatione. 312. b. Eodem anno profecturus in auxilium Henrici, cùm Joannes Comes Pontivi transitum ei denegaret, navali subvectione ad eum accedit, et Regis arma in Joannem convertit. 312. b. Mariâ uxore suâ, ex qua duas filias susceperat, ad Monasterium reversâ, anno 1170 alteram ducit uxorem Eleonoram filiam Radulphi Comitis Viromand. Guillelmo IV Comite Nivernensi viduatam. 192. c. 314. a. 414. b. Anno 1173, suum Henrico filio Henrici II Angliæ Regis spondet auxilium adversùs patrem, et ab eo Moritonii Comitatu et Kirketoniâ in Anglia sub clientelari fide donatur. 137. a. 151. b. Ipso anno, dum Normanniam cum Philippo fratre suo hostiliter pervagatur, in obsidione castelli Driencurtis ad mortem vulneratur die S. Jacobi, ac post dies paucos mortuus sepelitur in Ecclesia S. Judoci. 114. b. 137. d. 153. a. 192. c. 196. c. 279. d. 316. e. 414. c. 422. c. 567. d. 574. d. 681. a. Filiæ ex priori uxore, Ida, Mathildis.

Matthæus, Comes Bellimontis, anno 1177 a Comite Hannon. Balduino capitur in hastiludio inter *Venduel* et Feriam. 578. c. Conjux, Aenora Viromand.

Matthæi de Montemorenciaco uxor, Gertrudis Suession.

Matthæus I, Dux Mosellanorum seu Lotharingiæ superioris, an. 1152, die Natalis Domini, interest coronationi Friderici sororii sui in Regem Romanorum electi, ibique Theoderico Flandriæ Comiti, cognato suo, adminiculatur ad obtinendam a Rege Cameracam potestatem. 507. *et seq.* Filii ex Berta, Judith etiam dictâ, sorore Frederici Imp. Simon II, Fredericus de *Bittes*, Matthæus Comes Tullensis, Theodericus Metensis Episc. Filiæ, Aelis, Ivetta.

de

Digitized by Google

de S. Maura. *Vide,* Guillelmus, Hugo, Joscelinus.
Maurianensis Episc. Guillelmus.
Mauritaniæ Comites. *Vid.* Perticenses.
Mauritius Burdinus, Bracarensis Archiep. an. 1118 ordinatur Antipapa. 267. b. 634. c.
Mauritius, Londinensis Episc. anno 1100 Henricum I in Angliæ Regem consecrat, exulante Anselmo Cantuar. Archiep. 33. a. 58. b. 71. a. 120. b. 217. c.
Mauritius, Paris. Archidiac. an. 1161 fit Paris. Episc. 306. c. Anno 1168, Guillelmum Senon. Archiep. consecrat. 677. a. An. 1176, VI Idus Augusti, consecrationem impertitur Joanni Carnot. Episc. 199. d. is Cathedralem Eccles. ædificavit. 320. d.
Mauritius de Credonio, an. 1174 præsidio munitionis de *Ancenis* præficitur ab Henrico II Angliæ Rege. 194. c. Anno 1177, pacis sequester eligitur inter Regem Ludovicum et Henricum II Angliæ Regem. 171. n.
Medantum oppidum concremat anno 1087, circa Assumptionem B. M. Guillelmus Nothus, Angliæ Rex. 51. c. 217. b. 240. d. 672. b.
de *Medon. Vide,* Matthæus.
de Meduana. *Vide,* Gaufridus, Juellus.
Meldenses Episc. Gualterus, Petrus, Stephanus.
Mellentum castellum a Rege Franciæ pecuniâ nundinatur Robertus filius Rogerii de Bellomonte. 15. d. Mellenti Comites, Gualerannus, Hugo, Robertus I, II.
de Meolano. *Vide,* Nantelmus.
Merguliensis Comes, Petrus.
de Merlo. *Vide,* Guillelmus.
de *Merlymond. Vide,* Oliverius.
Metenses an. 1111 Desluardum castrum Episcopi Virdun. expugnant et evertunt, ad ulciscendam necem cujusdam concivis sui. 633. b. 691. a. An. 1153, ab exercitu Rainaldi Comitis Barrensis profligantur apud Tyreum, et plusquam duo millia ex ipsis cæduntur. 641. c. n. 645. a. 738. c. Metenses Episc. Adalbero I, III, IV, Bertrannus, Burchardus, Dieggerus, Fredericus de Pluyosa, Gualo, Herimannus, Jacobus, Philippus de *Florenges,* Poppo, Stephanus, Theodericus III, IV.
Metensis S. Arnulphi Abbas, Gualo.
Metenses S. Vincentii Abbates, Isambardus, Lanzo, Ranulfus, Robertus.
S. Michaëlis de Clusa Abbates, Benedictus, Stephanus.
S. Michaëlis ad Mosam Ecclesia, an. 1084 incendio profligatur a Theoderico Virdun. Episc. 629. e. n. 685. d. Anno 1112, S. Michaëlis vicum Rainaldi Comitis Barrensis incendit Guillelmus Comes Luxemburgensis. 604. c. 633. c.
S. Michaëlis de Terrascia Abbas, Gelduinus.
de S. Michaële. *Vide,* Ysmido.
Michaël, Monachus Becci, an. 1152 fit Abbas Pratellensis, die S. Thomæ Apost. 294. a. An. 1154 interest consecrationi Roberti Abbatis de Monte S. Michaëlis. 297. a. An. 1167, moritur. 311. a.
Michaëlis *de Harnes* filii ex N. *de Liedekerke,* Hugo, Clariscia, Philippa; ex uxore secunda N. de *Pinkengni,* Maria.
de *Mili. Vide,* Drogo.
de *Minhiac. Vide,* Gaufridus.
de *Mirabel. Vide,* Humbertus, Odo.
de *Mirewaut* in Ardenna. *Vide,* Henricus.
Milo I, Morinensis seu Tervannæ Episc. ex Abbate S. Judoci ordinatur an. 1130 vel 1131, XV Kal. Martii. 270. a. 329. b. 454. a. 468. a. An. 1133, Ecclesiæ suæ dedicationem peragit. 270. b. An. 1149, Sabbato Pentecostes, interest conventui habito ad Speculam S. Remigii, de pace componenda inter Theodericum Flandriæ Comitem et Balduinum Comitem Hannon. 502. a. Eodem anno, Samsoni Remensi Archiep. assistit Valcellensem Ecclesiam consecranti. 274. n. An. 1151, Radulpho Montis S. Eligii Abbati benedicit, Dominicâ II post Pascha. 506. b. An. 1156, interfuit conventui Atrebatensi die sextâ post Ascensionem Domini, ubi Theodericus Comes crucem peregrinationis accepit. 514. b. Anno 1158 moritur. 277. a. 472. b. vel 1159. 304. b.
Milo II, Morinensis Episc. an. 1158 vel 1159 succedit alteri Miloni. 277. a. 304. b. 472. b. intercedentibus ejus consecrationi Clericis Boloniensibus, proprium Episcopum habere cupientibus, Romam pergit, ibique consecrationem percipit. 304. b. Anno 1165, Thomam Cantuar. Archiep. in Francia exulantem perducit ad Regem Ludovicum. 473. b. An. 1169 moritur, Idibus Septembris. 279. n. 422. b. 474. a. 528. e.
Milo Angliæ Constabularius, Walteri filius, an. 1138 conjurationem facit adversùs Stephanum Angliæ Regem. 76. b. 121. e. 122. a. An. 1139, Mathildem Imperatricem excipit in castello Glocestriæ, dato fidelitatis sacramento. 26. a. 76. b. An. 1141, Herfordiæ Comitatu ab ea donatur. 78. a. An. 1143 moritur, vigiliâ Natalis Domini. 89. d. 123. b. Filii ex Sibylla de Novo-mercato, Rogerus, Matthæus, Henricus; filiæ, Berta, Lucia, Margareta.
Milonis *Pesel* conjux, Yvetta Reitestensis.
Moguntinenses Archiep. Adelbertus, Arnulphus, Christianus, Conradus, Henricus, Radulphus de Zaringen, Rothardus.
Molisii Comes, Richardus.
de Molinis. *Vide,* Guillelmus.
Molismensis Abbas, B. Robertus.
Monasteriolum castrum Giraldi Berlaii, an. 1124 expugnat Fulco Comes Andegav. 731. e. Anno 1151, post triennalem obsidionem evertitur a Gaufrido Comite Andegav. 184. a. 292. b. c.
Moncionis Comes, Ludovicus.
de *Monci. Vide,* Drogo.
de Mongardino. *Vide,* Eustachius.
Montis-acuti in Ardenna Comes, Cono.
de Monte-acuto. *Vide,* Robertus.
Montis-beliardi Comes, Amedæus de Monte-falconis, Theodericus Barrensis.
Mons, Castri-locus etiam dictus, caput Hannoniensis Comitatûs. 543. a. Montensis S. Waldetrudis Ecclesia, an. 1112 flammis absumitur. 266. a. 604. c. Eadem anno 1136, cum toto penè oppido conflagrat incendio. 271. c. Montenses Comites, Hermannus, Rainerus Longicollus. *V.* Hannonienses Comites.
Montis-caveosi Comes, Henricus.
de *Montchablon. Vide,* Gobertus.
Montis S. Eligii Abbates, Radulphus, Ricuardus.
de Monte-falcone. *Vide,* Berlio, Gothuinus.
Montis-ferrati Marchiones, Guillelmus, Reginerius.
de Monteforti. *Vide,* Amalricus, Simon, Comites Ebroïcenses.
Montis-fortis ad Risellam castellum, anno 1123 expugnat Henricus I Angliæ Rex. 62. d. 285. a. An. 1136, illud post obitum Henrici occupat Gualerannus Comes Mellenti. 289. b. quod anno 1153 Roberto nepoti suo reddit, et anno seq. recuperare nititur. 296. d. *Vide,* Hugo IV, V, Robertus.
de Monte-forti in Britannia. *V.* Gaufridus, Radulphus de *Gaël.*
de *Montejai. V.* Guido, Gualterus.
Montis S. Martini Abbas, Godescalcus.
Mons S. Michaëlis. Ibi anno 1091, tempore Quadragesimæ, a fratribus obsidetur Henricus filius Guillelmi Nothi. 3. d. 10. c. 69. a. 243. a. d. An. 1112, ejus locis Ecclesia fulmine icta conflagrat. 266. a. 463. e. Ibi an. 1135 terra motu concutitur, XVIII Kal. Maii. 298. a. Anno 1158, peregrinus ibi excipitur die B. Clementis Ludovicus VII. 126. c. 185. c. 300. n. 303. c. Abbates, Bernardus, Robertus.
de Monte-mirabili. *Vide,* Joannes, Matthæus.
de Monte-morenciaco. *Vide,* Burchardus, Matthæus.
de Monte-pessulano. *Vide,* Guillelmus V, VI, VII, VIII.
de Monte-rabelli. *Vide,* Petrus, Oliverius, Vivianus.
Montis-sorelli dominus, Guillelmus.
de *Morbeke. Vide,* Gualterus.
de Morestello. *Vide,* Gocelinus.
Moriennæ Comites et Sabaudiæ, Amedæus II, Humbertus II, III.
de *Morimont. Vide,* Radulphus.
Morinenses Episc. Albertus, de Bellolio, Balduinus, Desiderius, Drogo, Erkembaldus, Gerardus, Hucbertus, Joannes, Milo I, II, Obertus de *Helchi.*
Moritonii Comitatum Stephano sororis filio largitur Henricus I Angliæ Rex. 28. d. Moritonium expugnat an. 1142 Gaufridus Comes Andegav. 289. c. Ibi an. 1156 corpus B. Firmati e terra levatur. 298. d. An. 1159, Moritonii Comitatum in manu sua retinet Henricus II Angliæ Rex, post obitum Guillelmi Comitis. 304. d. An. 1168, de eo paciscitur cum Rege Henrico Matthæus Comes Boloniensis. 312. b. Illum anno 1173 Matthæo reddit Henricus filius Henrici Regis, ut ei adversùs patrem auxilio sit. 137. a. 151. b. Moritonii Comites, Guillelmus, Robertus.
de Mortania in regione Tornac. *Vide,* Balduinus, Evrardus, Guillelmus, Hugo, Joannes, Michaël, Rodulphus, Rogerius, Thomas.
Mortui-maris Abbates, Alexander, Stephanus.
Mortui-maris gentis fragmentum genealogicum. 68. n. *Vide,* Guillelmus, Hugo, Radulphus, Rogerius.
de Morvilla. *Vide,* Hugo, Richardus.
Mosacum castrum an. 1096 Richero Virdun. Episc. vendit Godefridus Bullonius. 631. b. 688. b. Illud an 1111 Guillelmo Luxemburgensi oppignerat Richardus Virdunensis Episc. 633. b.
Mosellanorum seu Lotharingiæ Duces, Fredericus I, II, Gerardus de

Digitized by Google

Alsatia, Matthæus I, II, Simon I, II, Theobaldus I, Theodericus.
de Mota. *Vide*, Guillelmus, Hugo.
de *Moun. Vide*, Guillelmus.
de *Mulbrai. Vide*, Nigellus, Robertus, Rogerius.
de *Muncasson. Vide*, Petrus.
de *Munluzun. Vide*, Guillelmus.
de *Mureto. Vide*, Stephanus.
de *Muschamp. Vide*, Thomas.

N.

NAMURCENSIUM Comitum genealogia. 553. *et seq.* Comites, Albertus I, II, III, Godefridus, Henricus, Philippus.
Nannetenses an. 1157 urbis Comitatum tradunt Gaufrido fratri Henrici II Angliæ Regis. 104. a. 298. d. An. 1158, Nanneticam urbem cum Comitatu Mediæ occupat mense Octobri Henricus Rex Angliæ. 104. a. 126. e. 185. c. 300. n. 301. a. Ibi anno 1169, diem Natalis Domini festum agit Henricus. 142. b. 188. d. 313. e. Comites, Hoellus, Gaufridus.
Nannetenses Episc. Bernardus, Robertus.
de *Nangeou. V.* Amedeus, Guillelmus.
de Nantolio. *Vide*, Gualterus filius Galtheri de *Montejai.*
Narbonenses Archiep. Joannes, Richardus.
de Narneselia. *Vide*, Franco.
Navarræ Reges, Garsias-Ramiri, Sancius VI, Theobaldus.
de Neela. *Vide*, Drogo.
Nicolaus, electus an. 1136 absque civium assensu Cameracensis Episc. circa Pascha, Remis XII Kal. Januarii consecratur. 328. d. n. 499. b. 538. c. n. Reversus Cameracum, an. 1137 Gerardum de S. Oberto, qui Episcopatûs bona retinebat, a colloquio Simonis de Oisiaco revertentem capit, et vinculis constrictum ad reddendum Novum-castellum cogit, cujus etiam servis oculos erui præcipit. 499. b. 538. d. Gerardo armis ob eam causam sæviente et apud Novum-castellum ab hominibus Episcopi perempto, gravius an. 1138 pro castro S. Auberti exoritur bellum inter Cameracenses et Simonem de Oisiaco, cujus partes dum amplectitur Nicolaus, cives sibi reddit infensos, et Cameraco exire compellitur. 499. c. d. 539. a. Dissipatâ viribus Theoderici Flandriæ Comitis civium Communiâ, an. 1139 post Pascha Cameracum revertitur. 501. a. 539. b. An. 1149, Sabbato Pentecostes, interest Conventui ad Speculam S. Remigii habito de pace componenda inter Theodericum Flandriæ Comitem et Balduinum Comitem Hannon. 502. a. Eodem anno, Samsoni Remensi Archiep. assistit Valcellensem Ecclesiam consecranti. 274. n. et ipso anno, copiam militarem confert Comiti Hannon. adversùs Theodericum. 502. c. An. 1151, Synodum cogit in Ecclesia S. Auberti die S. Lucæ. 504. c. Eodem anno, cum Communia disceptat de Clerico homicidii accusato, et rebus Clerici vim inferentem interdicto supponit. 506. a. An. 1152, Oratorium B. Michaëlis consecrat in Ecclesia S. Auberti, IV Kal. Octobris. 509. b. Comperto Theodericum Comitem Flandriæ ad curiam Frederici Regis Romanorum accessisse, eumdem circa Domini Natale prosequitur: ubi certior factus Cameracensem ei potestatem fuisse traditam, coram Frederico disceptat et causam obtinet. 307. c-e. *et seq.* Præcavens tamen Comitis malevolentiam, inducias ab eo petit usque ad festum S. Remigii: quibus vix usque ad Pentecosten impetratis, ad propria circa Epiphaniam redit. 508. e. *et seq.* Anno 1153, hebdomadâ Quadragesimæ quartâ, peregrinationem aggreditur ad S. Jacobum, voto adstrictus in quadam ægritudine facto, pactisque rursùs induciis cum Flandriæ Comite usque ad sui reditum, circa festum S. Joannis Bapt. revertitur. 509. e. Redux e sua peregrinatione Simonem de Oisiaco in palatio suo rixantem dum compescit, sibi reddit infensum. 510. *et seq.* Cùm verò is se ad Comitem transtulisset, et fidem ei de reddenda Cameracensi castellaria obligasset, ab utroque Præsul in villa sua Thunnio vim patitur, die S. Bartholomæi. 511. d. 512. a-c. Comite ibidem castrametante, Præsul urbem Cameracensem militibus committit, qui, Episcopo inconsulto, adversùs Comitem egressi funduntur. Præsul igitur inducias cum Comite per dies octo paciscitur. 512. e. Finitis induciis, *Noeles* municipium Simonis super fluvium Scaldim invadit et incendit ope Communiæ Cameracensis, dumque ad majora anhelat, a Comite impetitur bello III Nonas Septembris, factâque suorum strage, ipse vulneratur et capitur, sed ob suæ dignitatis reverentiam abire permittitur, amisso equo. 513. a-c. Post hæc cum Comite pacem componit, demptam Simoni Castellariam Comiti contradit, venientemque cum uxore et liberis in urbem admittit Kalendis Novembris. 513. e. 539. b. Anno 1157, vocatus a Theoderico Hierosolymam profecturo, ut cum majoribus suis intersit Conventui Atrebatensi Dominicâ post Ascensionem Domini, fictâ excusatione hostilem animum patefacit. 514. e. An. 1159, Imperatorem Fredericum obsidentem Mediolanum convenit de pace inter se et Flandriæ Comitem componenda. 517. b. Reversus ab Imperatore, anno 1160, amicitiæ fœdere jungitur Theoderico, Bapalmis, XIV Kal. Februarii. 517. d. Nonis Aprilis, Theodericum et Philippum ejus filium excipit Cameraci. *Ibid.* An. 1161, XII Kal. Aprilis, cœtum Episcoporum et Magnatum cogit Cameraci, ubi Ægidio de S. Auberto abjudicatum est *gavalum* illius territorii. 518. c. An. 1162, Fredericum Imperatorem comitatur ad colloquium quod cum Rege Ludovico habiturus erat IV Kal. Septembris, de dissidio Romanæ Ecclesiæ inter Alexandrum III et Octavianum Antipapam. 519. d. An. 1164, consecrationem peragit Ecclesiæ S. Auberti, Kal. Maii. 520. b. Durante schismate Romanæ Ecclesiæ ita se gessit, ut nec Remensis Archiepiscopi, nec Imperatoris offensam incurrerit. 539. d. Mortem obiit an. 1167, in Cœnobio sancti Martini, Kal. Julii. 279. a. 521. e. 522. b. 539. d. n. 584. d.
Nicolaus de Avesnis, cognomine Plukellus, an. 1147 Waltero patri succedit. 560. n. Filii ex Mathilde de Rupe in Ardenna, Jacobus, Fastradus advocatus de Flammengeria; filia, Ida Audomarensis Castellana.
Nicolai de S. Audomaro, Regis Thessalonicæ, filius Bilas.
Nicolai de *Bailluel* filii ex N. filia Guillelmi de *Keu.* 551. n.
Nicolai de *Barbenchon* filii ex Isabella Suession. Joannes, Nicolaus; filiæ, Mathildis, Yolens et N. nupta Arnulpho de *Steyve.*
Nicolai de *Bouleirs* uxor, Ada de *Ruez,* ex qua filia una. 551. c. n.
Nicolai de Flammengeria filii ex N. de *Walaincourt,* Fastradus, Balduinus; filia N. nupta Alberico de Alta-villa.
Nicolai de *Kieverain* filia, Maria.
S. Nicolai de Prato Abbas, Ogerus.
Nicolai de Ruminio et Domitionis de Cirnia filii, Nicolaus, Hugo; filiæ, Juliana, Clementia, Yolens. 552. a. n.
Nicolai II de Ruminio filii ex Mathilde de Avesnis, Nicolaus, Hugo, Jacobus.
Nigelli de Albineio filius, Rogerius de *Mulbrai.*
Nigellæ domini, Cono, Joannes, Ivo, Radulphus.
Ninovienses Abbates, Gerardus, Gillebertus I, II.
Nivernensis Episc. Bernardus.
Nivernenses Comites, Guido, Guillelmus II, IV, V, Odo Burgundicus, Petrus Flandrensis.
Noblet. Vide, Guillelmus.
S. Norbertus, e Lotharingia oriundus, circa annum 1116 ministerio verbi se addicit. 327. a. An. 1119, interest Coloniensi Concilio in habitu peregrino. 267. c. Anno 1120, Præmonstratense Cœnobium condit. 267. d. 327. d. 463. d. 694. b. An. 1121, Floreffiensem Ecclesiam dono Ermensendis Comitissæ Namurcensis recipit. 267. d. An. 1126, pro Theobaldo Comite Blesensi fungitur legatione in Alemanniam, ad deducendam ipsi uxorem. 696. b. An. 1134, moritur. 698. e.
Norgaudus anno 1099 fit Episcopus Eduensis sub contentione, circa Ascensionem Domini. 624. a. An. 1100, interest Concilio Ansano. 624. c. Eodem anno, a Clericis suis de simonia accusatur in Concilio Valentinensi. 624. e. Ipso anno, exauctoratur in Concilio Pictaviensi. 625. a. An. 1101, Romam pergit cum Hugone Lugdun. Archiep. et Waltero Cabilon. ac in itinere se coram Joanne Tusculano purgans, pristinam recuperat dignitatem. 627. c. Eduam reversus pro Episcopo se gerit, sed a Canonicis suis non recipitur. 627. e. Hugoni Flaviniac. Abbati exauctorato Gerardum sufficit. 628. a. Post hæc, agente Milone A. S. Legato, a Capitulo et a Cluniacensibus recipitur. 628. a.
de *Norhout. Vide,* Gosso, Paganus.
Normannia, an. 1088, intestino bello laborat, Roberto Duce et Guillelmo II Angliæ Rege inter se concertantibus. 3. c. 53. c. 67. d. Normannia patiens malorum nutricula, seditiones intestinas probè tolerat, et pace redditâ, in fœcundiorem statum maturè resurgit. 11. e. Normannorum potestas finitimis

Digitized by Google

suspecta, et per orbem gloria prædicabilis. 204. b. Normanniam an. 1096 Guillelmo fratri suo oppignerat Dux Robertus Hierosol. profecturus. 4. e. 32. b. 57. a. n. 70. b. 93. e. An. 1104, Normanni auxilium Henrici Angliæ Regis implorant, ut desolatæ Roberti Ducis desidiâ patriæ succurrat. 9. b. Normanniam bonis legibus informat Rex Henricus, pace ubique compositâ. 13. b. An. 1119 vel 1120, pro Normannia clientelam Regi Ludovico profitetur Guillelmus filius Henrici I Angliæ Regis. 15. c. 18. a. 74. a. 80. a. An. 1126, Mathildi Imperatrici Normannia jurejurando asseritur post patris obitum. 63. c. An. 1135, Normanniam Theobaldo Comiti Blesensi offerunt Proceres, Stephano Regi parere detrectantes. 38. b. 39. b. 287. d. Pro Normannia clientelam an. 1137 Regi Ludovico profitetur Eustachius Stephani Regis filius. 39. c. 122. b. 388. b. anno item 1150 vel 1151. Henricus filius Gaufridi Comitis Andegav. 184. a. 219. a. 292. e. Anno quoque 1155 idem Henricus Angliæ regnum assecutus. 205. d. et anno 1160, mense Octobri, Henricus filius Henrici II Angliæ Regis. 305. c. An. 1171, Normanniæ redditus ad fiscum pertinentes investigari jubet Rex Henricus. 315. b. An. 1174. Normanniam vastat Ludovicus VII, Rex Franc. 138. a. An. 1175, Normanniæ castella quæ tempore rebellionis filiorum extructa fuerant, solo æquat Rex Henricus. 198. a. An. 1176, universa Normanniæ castella occupat Rex Henricus. 166. d. Normanniæ Duces, Gaufridus, Guillelmus Nothus, Henricus I, II, Richardus I, II, Robertus I, II.

Northymbriæ, Comites, Henricus Scotus, Robertus de Molbraio.

Norwicensis Episc. Joannes.

Noviomenses Episc. Baldericus, Balduinus, Harduinus, Lambertus, Rabodus, Simon.

Noviomensis Castellanus, Joannes de Torota.

de Novo-burgo. *V.* Henricus, Robertus.

de Novo-castello super Axonam. *Vide,* Stephanus Strabo.

de Novo-castello Theodemarensi. *Vide,* Gervasius I, II, Hugo I, III, V, Joannes.

de Novo-mercato. *Vide,* Bernardus.

de Nullejo. *Vide,* Gualterus Werrici filius.

O.

Obertus Leod. Episc. *Vide,* Otbertus.

de S. Oberto. *Vide,* Ægidius, Gerardus *Maufilastre.*

Oceanus an. 1164 exundat XIV Kal. Martii. 722. c. Item an. 1170, IV Nonas Novembris. 723. a. *Vide,* Flandria.

Octavianus Antipapa, an. 1159, dum Alexander onus Pontificatûs subire cunctatur, a paucis Cardinalibus eligitur, cui cùm faveret Fredericus Imp. Nonis Octobris consecratur, Victor appellatus, et deinceps cum Alexandro contendit de Pontificatu. 104. b. 127. a. 206. a. 302. n. 304. c. 421. d. 584. a. 602. c. 676. c. 705. a. 721. e. An. 1160, in Concilio Papiæ habito post Purificationem B. Mariæ, causam obtinet, receptus ab Imp. Frederico et Theutonicis. 518. a. 664. b. c. Missis ad Reges Franciæ et Angliæ nunciis, eodem anno ab eisdem Bellovaci congregatis reprobatur circa festum B. Mariæ Magdalenæ. 104. d. 518. n. 739. c. d. An. 1161, Cremonæ vel in Laudensi urbe Concilium cogit, mense Maio. 584. a. n. An. 1162, circa festum Decollationis S. Joannis-Bapt. Lovigennam accedit ad colloquium a Rege Ludovico et Imperatore indictum. 584. b. 740. d. An. 1164, moritur in urbe Lucensi, die Parasceves, IV Idus Aprilis. 110. b. n. 127. d. 207. c. 308. d. 520. c. 584. c. 669. d. 722. d.

Odo, Ostiensis Episc. *Vide,* Urbanus II.

Odo, Bajocensis Episc. frater uterinus Guillelmi Nothi Angliæ Regis, an. 1074, interest Concilio Rotomagensi. 724. c. An. 1075, Radulphum de *Gaël* fratri suo rebellantem aggreditur apud *Nortwic,* indeque uxorem ejus expellit. 49. n. An. 1077, X Kal. Decembris, interest dedicationi Beccensis Ecclesiæ. 725. a. An. 1082, a fratre in vincula conjicitur, consilio Lanfranci Cantuar. Archiep. 2. c. 50. a. Solutus e carcere et in Cantiæ Comitatu restitutus, an. 1088 conjurationem adversùs Guillelmum II Angliæ Regem excitat, et primò Archiepiscopi terras in Cantia vastat. 2. a. b. 30. a. 53. c. e. 67. d. A Rege proinde lacessitus in castello *Pevensel,* capitur et Rovecestriam tradere compellitur. 2. e. 31. a. 54. a. Rovecestriam perductus a Regis militibus, et fidem mentitus, nedum eam traderet, a suis in castro recipitur : verùm a Rege iterùm obsessus, cum Rovecestria capitur et de Anglia expellitur. 3. a. 31. b. 54. b.

Odo, Abbas S. Martini Tornac. an. 1105 electus Cameracensis Episc. in Concilio Remensi, a Manasse Archiep. consecratur. 263. b. 401. n. 403. e. 488. c. 491. d. 497. c. 536. c. Galchero interim pro Episcopo se gerente, Tornacum revertitur, ubi episcopalia munia spatio unius vel alterius anni obit. 403. e. 404. c. 488. c. 491. e. Galchero tandem ad Otbertum Leod. Episc. abeunte, Cameracum Odo introducitur a Roberto Flandriæ Comite, nihil habens de regalibus, sed solùm militans fidelium suorum stipendiis. 488. d. 536. e. An. 1107 vel 1108, Henricus V Imp. Cameracum a Gualchero perducitur : cujus timore Odo abscedit ab urbe, et apud Inciacum commoratur. 489. a-e. 537. a. An. 1111, ad Imperatorem Paschali Papæ reconciliatum accedit, a quo investiturâ donatus Cameracum remittitur. 491. a. 537. a. An. 1113, ob acceptam regiam investituram exauctoratus a Paschali, Aquicinctum secedit, ubi ipso anno moritur XIII Kal. Julii. 406. d. n. 491. e. 492. a. 537. a. n.

Odonis II Burgundiæ Ducis uxor, Maria Blesensis.

Odonis I Comitis Campan. filius ex Berta Burgundica, Odo.

Odonis II, Comitis Campan. filius ex Ermengarde Arvernica, Theobaldus III; filia, Berta.

Odo Campaniensis, profugus a terra sua propter homicidium cujusdam Magnatis, confugit ad Guillelmum Nothum Normanniæ Ducem, cujus uterinæ sorori conjugio copulatur. 56. n. Albæmarlæ Comes effectus a Rotomagensi Archiep. Holdernessæ etiam insula a Guillelmo Conquestore donatur. 57. n. An. 1096, accusatus proditionis apud Guillelmum Rufum, bonis suis ab eo spoliatur. 32. a. 56. d. Filius, Stephanus Albæmarlæ Comes.

Odo, Issoldunensis dominus, anno 1177 moritur, relicto filio parvulo ex Mathilde Burgundica. 166. n. 320. e.

Odonis de *Lageri* filius, Ægidius Remensis Monachus; filia, Hersendis.

Odonis Viromandensis, cognomento Fatui, filius Odo Ferrarius, qui fuit pater Joannis de S. Simone. 415. b. e.

Odonis Castellani Vitriacensis et Mathildis Reitestensis filius, Guitherus Comes Reitestensis; filiæ, N. uxor Stephani Strabonis de Novo-castello super Axonam, N. mater Hugonis de Juncherio, Iveta uxor Milonis *Pesel.* 711. a.

Oisiacum seu Ogeium castellum solo æquat an. 1096 vel 1097 Gualcherus Camerac. Episc. 484. c. 536. b. Illud an. 1121 obsidet et incendit Burchardus Episc. 493. e. An. 1158, Philippus Comes Flandriæ illud impugnat, sed non expugnat. 515. d. Toparchæ e. qui et Camerac. Castellani, Hugo I, II, III, Simon.

de Oleo. *Vide,* Robertus.

de *Orange. Vide,* Guillelmus.

de *Orbaiz. Vide,* Bernardus, Engelrannus.

de *Orbec. V.* Landricus, Richardus.

de *Ordre. Vide,* Anselmus.

Ostonis de *Trasengnies* uxor N. de Cisneio, ex qua plures filii et filiæ.

Otbertus, Ecclesiæ S. Crucis Præpositus, an. 1091 Leod. Episcopatum adipiscitur dono Henrici Imp. 260. a. 581. c. 589. b. 594. a. 600. d. 606. c. 686. d. Circa an. 1094, bellum gerit cum Henrico Comite Lovan. et excommunicationis sententiam in eum profert. 589. d. Anno 1095, Lobiensem Ecclesiam S. Mariæ et S. Ursmani dedicat, XIII Kal. Februarii. 581. c. An. 1096, Bullonium castrum emit a Godefrido Lotharingiæ Duce Hierosolymam profecturo. 590. c. 591. a. 606. e. 607. a. 631. c. 688. b. Castellum quoque de Couino ab Hannon. Comite Balduino. 608. n. An. 1099, Comitatum de *Brunengeruz* aufert Godefrido Comiti Lovan. illumque Alberto Comiti Namurc. contradit. 607. d. Eodem anno, non verò 1096, Kal. Junii castrum de *Mirwalt* exsuscitat, quod prædecessor ejus dejiciendum censuerat. 591. a. Seq. anno, ipsâ die anniversariâ, capitur ab Henrico Comite Limburgensi, Durboiumque indomito equo perducitur. 591. b. Anno 1101, Cameracensibus fert opem, jussu Imperatoris, adversùs Robertum Flandriæ Comitem. 486. a. An. 1105 vel 1106, inimicitias exercet cum Henrico Duce Limburgensi, eumque ob infestationem Trudonensium Monachorum anathemate percellit. 595. a. Anno 1106, Henricum Imp. a filio exauctoratum excipit Leodii, et consolatur. 604. b. 717. e. An. 1117, III Kal. Octobris, Trudonensem Ecclesiam dedicat, et Kalendis

Digitized by Google

Octobris, Ecclesiam S. Petri Leod. 596. n. 603. c. An. 1118 vel 1119, pridie Kal. Februarii moritur. 582. a. n. 596. c. 601. a. 604. c. 608. a. 731. c.
Ottonis I Imp. filius, Otto; filia, Judith.
Ottonis IV Imp. uxor, Maria Brabantica.
Ottonis Comitis de Chisneio et Alaïdis Namurc. filius, Albertus.
Ottonis-Guillelmi, Burgundiæ Comitis et Ermentrudis de Roceio filia, Agnes.
de Oudelando. *Vide*, Joannes.
de Oveneia. *Vide*, Guillelmus.
de *Oumengni*. *Vide*, Gualterus.

P.

Paceium anno 1152, mense Augusto, impugnare molitur Ludovicus VII, sed ab Henrico Normanniæ Duce præpeditur. 294. e. Paceium anno 1153 post obitum Guillelmi adipiscitur Robertus filius Roberti Comitis Legecestriæ, quia pertinebat ad honorem Britolii. 296. a. An. 1167, circa Paceium villulas quasdam incendit Ludovicus VII. 310. d. Toparchæ, Eustachius, Guillelmus.
Pagani de *Norhout* conjux, Windesmoda Markiniensis.
Painel. *Vide*, Fulco, Gervasius, Guillelmus.
Parchensis Abbas, Simon.
Parisiis an. 1158, magnificè a Rege Ludovico excipitur mense Septembri Henricus II Angliæ Rex. 126. d. 300. c. n. Ibi an. 1163, totâ Quadragesimâ diversatur Alexander III Papa, et Paschalem solemnitatem agit. 669. b. Parisios anno 1165 post Pascha revertitur Alexander Papa, antequam Franciæ valedicat. 670. a. Parisienses Episc. Gualo, Guillelmus, Mauricius, Petrus Lombardus, Stephanus, Theobaldus.
Parisiensem S. Genovefæ Ecclesiam an. 1147, die Litaniæ majoris adit Eugenius III Papa; sed exorto ibi tumultu, cùm Clerici Pontificis a mancipiis Ecclesiæ vapulassent, Rex Ludovicus ædificia subverti jubet, et Canonicis sæcularibus Regulares sufficit. 183. c. 291. c. Abbas, Odo.
Parisiensis S. Germani Abbas, Hugo de Moncellis.
Parisiensis S. Victoris Abbates, Achardus, Gelduinus.
Paschalis II Papa electus anno 1099, Idibus Augusti, post Urbanum, die seq. ordinatur. 70. c. 262. b. 581. d. 624. c. 631. e. 673. c. Circa an. 1104, Henrico Angliæ Regi animos addidisse fertur, ad spoliandum Normanniâ Robertum fratrem suum. 12. c. n. Anno 1105, Henrico filio Henrici Imp. qui, patre exauctorato, pro Rege se gerebat, gratulatur. 717. e. An. 1106, colloquium cum eo habiturus in Germaniam iter aggreditur; sed proterviam Teutonicorum veritus, per Burgundiam iter reflectit in Gallias, legatos tamen ad Imperatorem mittit Ratisponam. 262. n. 718. c. Cluniaci exceptus Natalis Domini gaudium suâ præsentiâ valdè amplificat. 718. c. An. 1107, IV Kal. Februarii, Athanacensem Ecclesiam dedicat. 728. c. Ecclesiam quoque castri Dolensis. 673. c. Post Pascha, obviam Imperatori ad Lotharingiæ fines procedit, et pertriduum legatis invicem missis, infecto cujus causâ venerat negotio, recedit. 718. d. 728. d. Circa Domini Ascensionem, Trecis habet Concilium, ubi de investituris sententiam dicit, inducias tamen unius anni concedit Imperatori Romam veniendi, ad definiendam generali Concilio eamdem causam. 453. d. 490. c. 674. a. 689. c. 718. d. in eodem Concilio Richardum Virdun. Episc. anathemate percellit, quia Episcopatum de manu Imperatoris receperat. 632. d. Post hæc reditum in Italiam morosè prosequitur. 718. d. An. 1111, fidem mentitus Imperatori datam de Regalibus dimittendis, ab eodem capitur, et Dominicâ II post Pascha, eidem in Imperatorem coronato jus conferendi Episcopatus per annulum et virgam permittit. 19. a. 264. *et seq*. 455. c. 490. d. e. 581. e. 596. a. b. 604. b. 644. e. Ignaviæ accusatus ab Episcopis, an. 1112 privilegium investiturarum irritum facit, et Imperatorem anathemati supponit. 19. b. 491. b. An. 1113, Tornacensibus proprium habere Episcopum indulget. 405. a. Id minùs æquanimiter ferente Ludovico Rege, Tornacenses interim parere Noviomensi Episcopo præcipit. 406. a-c. n. An. 1118, moritur XIV Kal. Februarii. 19. c. 73. d. 267. a. 582. a. 674. c. 719. c.
Paschalis Antipapa. *Vide*, Guido Cremensis.
Patric. *Vide*, Engerrannus.
Patricius Comes Salisb. Princeps militiæ Regis Anglorum, an. 1168, circa Octavas Paschæ, neci traditur a Pictonibus. 130. e. 187. d. 208. c. 311. e. Hic filium reliquit ex N. filia Guillelmi Talavatii Comitis Pontivi, matre Comitissæ de Warenna. 311. e. Filia, Hadvidis.
S. Pauli castrum anno 1117 obsidet Balduinus Comes Flandriæ. 267. a. illud circa annum 1120, solo æquat Comes Carolus. 337. c. 464. c. Comites, Engerrannus, Galcherus de Castellione, Guido III, IV, Gualterus filius Guidonis de *Montejai*, Hugo II, III, IV, V, VI.
Pembrochiæ Comes, Richardus.
Percy. Gentis illius genealogia. 86. n.
Vide, Alanus, Guillelmus.
Peronensis Ecclesia S. Furceii anno 1130 conflagrat. 269. c. 698. a. Peronæ cives an. 1179 graviter affligit Philippus Comes Flandriæ. 423. a. Anno 1182, Peronam urbem cum appendicibus obtinebat pignoris nomine idem Philippus. 325. n. Peronæ seu Viromandiæ Comites, Hugo Magnus, Radulphus I, II.
de *Peruwes* in Brabantia. *Vide*, Balduinus, Godefridus, Ingelrannus, Nicolaus.
Pesel. *Vide*, Milo, Odo.
de *Pesnes*. *Vide*, Balduinus, Guillelmus.
Perticenses Comites, Gaufridus II, Robertus, Rotrocus I, II, III.
de *Petinghem*. *Vide*, Ingelrannus.
Petragoricensis Episc. Petrus.
de Petraponte seu Wasnadio. *Vide*, Hugo, Robertus, Agatha.
Petroburgenses Abbates, Brandus, Henricus, Leofricus.
Petrus Leonis, Antipapa, Anacletus dictus, an. 1130 seditione populi et vi parentum suorum urbe potitur, et Innocentium in Franciam demigrare compellit. 22. a. 37. c. 64. d. 269. b. 286. b. 329. b. 467. b. 601. c. 674. e. 720. e. 733. a. Anno 1131, damnatur in Concilio Remensi. 733. a. Moritur an. 1137 vel 1138, die 25 Januarii. 76. b. 86. b. 271. c. 330. c. 675. c. 699. b.
Petrus Cardinalis, titulo S. Chrysogoni, anno 1177 Legatus in Franciam mittitur, ut terram Henrici II Angliæ Regis interdicto supponat, nisi ille permittat Richardum filium suum in uxorem ducere Aelidem filiam Regis Ludovici: cujus rei gratiâ cùm Henricum convenisset Rotomagi III Kal. Septembris, inducias loquendi cum Rege Ludovico eidem permittit, et colloquio interest Ivriaci habito die festo S. Matthæi. 171. a. b. n. Anno 1178, Tolosam mittitur ad confutandos hæreticos ibidem grassantes. 174. *et seq*. 321. e.
Petrus de Castra, an. 1141 consecratus Bituricensis Archiep. ab Innocentio Papa, urbem ingredi prohibetur a Rege Ludovico et ad Theobaldum Comitem Blesensem se recipit. 183. a. n. 331. b. 408. a. 675. d. 735. b. Bernardo tandem Abbate pro eo agente, anno 1144 Regis in gratiam receptus, ad Ecclesiam suam abire permittitur. 183. b. Morti proximus an. 1170 contestatur Bituricensem urbem adjacere Ducatui Aquitaniæ. 145. a. n. Moritur an. 1171, Kal. Maii. 677. c.
Petrus Tarentasiensis Archiep. efficitur an. 1152. 703. c. Anno 1173, fidejussor datur Henrico II Angliæ Regi ab Humberto Comite Moriennæ. 149. n. Eodem anno, interest colloquio Gisortii habito VIII Kal. Octobris inter Henricum Angliæ Regem et Ludovicum Regem Franc. 156. d. An. 1174, cum iisdem Regibus congreditur apud Calvum-montem de pace filiorum Angliæ Regis, et in Capite jejunii cineres imponit capiti Regis Henrici apud Mortuum-mare. 318. b. 671. c. 708. d. (ubi malè an. 1165). Eodem anno, moritur vigesimotertio anno sui Pontificatûs. 713. a.
Petrus, filius Theoderici Flandriæ Comitis, an. 1167 eligitur Cameracensis Episc. post Nicolaum. 279. a. 522. d. 565. b. 584. d. Patre et fratribus apud Imperatorem agentibus, Alardo Archidiacono ab adversa parte electo præfertur. 522. *et seq*. 539. e. Imperatore tamen litteris suis alteram electionem permittente, rursùs ab universis eligitur feriâ sextâ post festum S. Nicolaï, et Idibus Decembris in urbe recipitur. 526. c. An. 1168, circa festum S. Michaëlis, iter ad curiam Frederici Imp. aggreditur; cùm verò Coloniam usque processisset, iter Cameracum reflectit cum legatis quos Imperator ad Reges Franciæ et Angliæ pacificandos direxerat. 527. b-d. Iis revertentibus se comitem adjungit, receptisque de manu Imperatoris Præsulatu et Cameracensi Consulatu, cum ejusdem litteris revertitur circa festum S. Nicolaï, ab omnibusque receptus pro Episcopo se gerit, ab ordinatione tamen ob schisma Romanæ Ecclesiæ abstinet. 527. a-d. Anno 1169, interest Aquisgrani, die Assumptionis B. Mariæ, coronationi Henrici filii Frederici Imp. 528. e.

Digitized by Google

Eodem anno, urbis cives in causam vocat ob destructam Thunnii domum. Illi confictis mendaciis nihil proficientes, inducias petunt, interimque dominum suum tyrannidis apud Cæsarem accusant. 530. a-e. Exasperatus Pontifex in eosdem perjuros et hostes insurgit, anathemate perculsos tandem anno 1170 post Purificationem B. Mariæ ad damna resarcienda compellit, ac pensitatione sexcentarum librarum multatos in gratiam recipit. 531. b-d. 540. a. An. 1174, relicto Episcopatu, militaribus armis accingitur a Philippo fratre suo, hebdomadæ Pentecostes Sabbato. 153. a. 280. a. 414. d. 575. d. Castris quoque de *Lilers* et Sancto-Venantio ab eo donatur. 565. b. Eodem anno, vulneratur in obsidio Rotomagensis urbis. 196. d. Anno 1175, uxorem ducit Mathildem Nivernensem Comitissam, permissu Regis Ludovici VII. 166. c. 280. a. 414. d. 416. d. 540. b. n. 565. b. Eodem anno, acceptâ cruce III Idus Aprilis, itineri Hierosol. se devovet. 198. b. An. 1176, moritur Issolduni, mense Augusto, circa Assumptionem B. Mariæ. 166. c. 281. a. 320. a. n. 540. b. 565. b. veneno, ut creditur, sublatus. 416. d. Filia, Sibylla.

Petrus Lombardus, anno 1159 fit Parisiensis Episc. ordinatus circa festum Apost. Petri et Pauli. 277. e. (ubi malè 1161.) 302. n. 304. b. 703. e. An. 1160, moritur XIII Kal. Augusti. 704. n.

Petrus Pictaviensis Episc. an. 1096, Urbano Papæ assistit IV Idus Januarii, Karoffensis Ecclesiæ majus altare consecranti. 727. c. A Guillelmo Comite Pictav. in exilium actus ob anathematis sententiam in eum prolatam, an. 1115 vitâ defungitur extorris, pridie Nonas Aprilis. 20. b. n.

Petrus, Abbas Cluniac. anno 1122 succedit Hugoni. 284. c. An. 1130, in Angliam accedit. 64. e. Anno 1156 moritur, VIII Kal. Januarii. 299. c.

Petrus Abælardus, an. 1121 vel 1122 in Concilio Suessionensi damnatur. 654. e. *et seq.* An. 1140, rursùs in Concilio Senon. de fide examinatus, Romanum Pontificem appellat. 331. a. 656. a. 675. b. 700. b. Inde ad Cluniacense Cœnobium se recipiens apologeticum edit, et an. 1142 moritur die 21 Aprilis, Cabiloni, apud S. Marcellum. 331. a. n. 656. e. 675. d.

Petrus Eremita, an. 1094 missus ab Urbano Papa, regiones occiduas pervagatur, quamdam circumferens cartulam de cœlo, ut dictitabat, dilapsam, quâ continebatur universam christianitatem debere Hierosolymam commigrare. 687. c. 715. c. Anno 1096, in Palestinam proficiscitur. 70. a. Reversus e sua peregrinatione anno 1101 Hoïum secedit, ubi Ecclesiam in honorem S. Crucis condit. 607. e. 688. c. 689. a. An. 1117, ibidem mortuus sepelitur, VIII Idus Julii. 607. e. vel an. 1115. 266. e.

Petrus de Cortenaio, filius Regis Ludovici VI, an. 1167 contra Henricum Angliæ Regem in Normannia dimicat, et victoriam reportat. 521. c. Anno 1177, in colloquio Ivriaci habito, pacis sequester eligitur inter Regem Ludovicum VII et Henricum II Angliæ Regem. 171. n. Is terram de *Courtenai* adeptus est per nuptias cum filia Reginaldi Comitis. 218. a. Filii, Petrus, Robertus.

Petri II de Cortenaio filia ex Agnete Nivernensi, Mathildis; ex uxore secunda Yolende Hannon. filii, Philippus, Robertus, Balduinus; filiæ, N. Regina Hungariæ, N. Comitissa Viennæ in Alemannia, N. uxor Galteri Comitis Barri ad Sequanam. 707. n.

Petri *Mauclerc* filius ex Aelide Britannica, Joannes, et filia N. nupta Hugoni Bruno Comiti Marchiæ.

Philippus de *Heinesberch* an. 1167 fit Colon. Archiep. post Reinoldum. 584. d. 602. c. 709. c. Anno 1168, legatione fungitur pro Imp. Frederico, ad Reges Franciæ et Angliæ pacificandos. 130. e. (ubi malè Rainoldus) 527. c-d. 723. a. Eod. anno, circa Pentecosten, interest Concilio Virceburgensi, ubi primus omnium, licèt reluctans, Alexandri partes abjurat. 131. b. c. An. 1189, Leodiensem S. Lamberti Ecclesiam consecrat, VII Idus Septembris. 603. d.

Philippus de Harulficurte, Stephani Angliæ Regis Cancellarius, anno 1140, Salisberiensi Episcopatu ab eo donatur; sed ab Henrico Winton. Episc. A. S. Legato non receptus, an. 1142 vel 1143, fit Bajocensis Episc. 76. e. n. 289. d. An. 1154, interest consecrationi Henrici II Angliæ Regis. 297. d. An. 1160, instaurare satagit Ecclesiam suam incendium passam. 305. a. An. 1163 moritur, mense Februario. 308. a.

Philippus, Catalaun. Episc. frater Hugonis Comitis Campaniensis, an. 1093 succedit Rogerio. 687. b. An. 1100 moritur. 624. d. 688. d.

Philippus I Rex Franc. an. 1060 patri succedit. 47. b. An. 1066, colloquium habet cum Guillelmo Normanniæ Duce apud S. Geremarum, rogatusque ut eidem opem suam conferat ad obtinendum Angliæ regnum, prorsùs abnuit. 226. c. An. 1070, filiorum Balduini Flandriæ Comitis tutor ab eorum patre designatur. 48. b. Eodem anno, Arnulphum eorum primogenitum a Roberto patruo exhæredatum militem facit, et invasorem judicio suo stare decernit. 544. c. Parere detrectantem armis aggreditur, junctisque suorum viribus cum Hannoniensibus, an. 1071 apud Cassellum pro Arnulpho dimicat, et in fugam agitur. 416. b. 417. a. d. 544. c. d. Anno 1074, rogatus ab Henrico IV Imp. ut amicitiæ memor auxilium sibi contra Saxones impendat, nutare se in solio reponit, vixque regno moderando par esse. 714. b. Eodem anno, Simoni Comiti Crispeiensi infensus, partes Hugonis *Bardol* domini Brecarum adversùs eum adjuvat. 683. n. An. 1075, a Simone vincitur, fit conventus nobilium, pax reformatur, et hæreditas paterna Simoni redditur. 684. b. An. 1076, obsessis a Guillelmo Notho in Dolensi castello Britonibus auxiliator accurrit, et Guillelmum fugere compellit. 49. c. An. 1077, pacem componit cum Anglico Rege. 49. c. et eod. anno Robertum ejus filium Normanniam infestantem adjuvat. 49. n. 725. a. Anno 1087, jocatur in ventrem Guillelmi Nothi, quem potione alleviaverat, quòd more puerperarum decumberet; ille verò eam contumeliam ulturus, mox ut convaluit, circa Medantam ignes infert. 51. c. 240. c. 672. b. An. 1089, vocatus a Normanniæ Duce Roberto ejus in auxilium properat adversùs Guillelmi Angliæ Regis milites; verùm pecuniâ illius infractus cingulum solvit. 3. b. 54. d. Circa idem tempus, in matrimonium expetit Emmam, filiam Rogeri Siciliæ Comitis, eo animo ut, acceptis thesauris, Comitem ludificetur. 726. b. c. Anno 1092, uxore suâ repudiatâ, Bertradam sibi copulat uxorem Fulconis Comitis Andegav. 726. d. An. 1094, profectus in auxilium Roberti Normanniæ Ducis contra Guillelmum Angliæ Regem, cum eo Argentias castellum expugnat, deinde Holmense; tandemque Anglicum Regem apud Aucum aggressurus cùm Longamvillam processisset, acceptâ a Rege pecuniâ, pedem retrahit. 31. d. 55. d. e. Anno 1095, anathemate percellitur in Concilio Claromontensi, ob superductam Bertradam. 6. c. n. 260. d. 419. c. 548. e. 688. a. A fidelium communione sejunctus eam pœnam irridet. 14. b. A Guillelmo Rotomag. Archiep. conjunctus fuisse Bertradæ dicitur. 14. b. ab Odone item Bajoc. Episc. et ab Ursione Silvanectensi. 14. n. A Philippo Trecensi Episc. et Waltero Meldensi. 625. e. n. An. 1100, in Concilio Pictaviensi a fidelium communione sejungitur cum pellice Bertrada. 626. d. Eodem anno, Senonis consistens pro excommunicato habetur. 627. a. An. 1103, de eo reconciliando agitur in Conciliis Balgentiacensi et Trecensi. 689. b. Ejus cum Bertrada consuetudo gravi invectivâ proscinditur. 625. b-e. 627. a. A Guillelmo quoque Malmesb. contumeliis perstringitur. 14. b. Ad saniorem mentem reversus Philippus, in extremo vitæ termino Monachus efficitur Floriaci, vel potiùs quoddam consilium agitat vitam monasticam amplectendi. 14. b. n. 36. n. An. 1108, mense Aprili, interest translationi corporis S. Benedicti apud Floriacum. 674. a. 728. e. Eodem anno, moritur III Kal. Augusti, et Floriaci sepelitur. 34. b. 60. b. 73. a. 217. e. 264. a. n. 453. e. 461. c. 581. d. 604. b. 674. a. 690. a. 728. e. 729. a. Filius ex Berta, Ludovicus; filia, Constantia. Filii ex Bertrada, Philippus, Florus; filia, Cecilia.

Philippus, filius Regis Ludovici VI, an. 1129 Remis in Regem ungitur die sancto Paschæ, XVIII Kal. Maii. 22. b. n. 37. b. 269. b. 285. d. 329. a. 420. c. 495. b. 674. d. Anno 1131, Parisiis dum equitat III Kal. Octobris, equo a sue proturbato, in terram dejicitur et animam efflat. 22. b. 37. b. 121. d. 217. e. 269. e. 286. c. 329. c. 469. a.

Philippus, alter Regis Ludovici VI filius, sejunctus auctoritate Samsonis Remensis Archiep. ab uxore sua, filia Theobaldi Comitis Blesensis, ob consanguinitatem, fit Archidiaconus Paris. 186. a. n. An. 1159 eligitur Paris. Episc. at Petrum Longobardum sibi anteponi petit.

Digitized by Google

186. n. 304. b. An. 1160 vel 1161, vitæ finem imponit, die 16 Octobris. 305. c. n.

Philippus Augustus dictus, filius Regis Ludovici VII et Adæ uxoris tertiæ, an. 1165 in lucem editur die Octavâ Assumptionis B. Mariæ, XI Kal. Septembris. 128. d. 186. d. 219. b. 309. c. 521. b. 676. e. 677. e. 709. b. desideratus a populis, et a Clero devotiùs expetitus. 203. a. An. 1169, clientelam ei profitetur Henricus, filius Henrici II Angliæ Regis. 313. a. An. 1179, cùm esset in Regem coronandus die Assumptionis B. Mariæ, inter venandum a sociis oberrans in morbum incidit ex pavore, paucis ante diebus. 180. a. n. 322. e. Sospes verò factus meritis B. Thomæ Cantuar. et piâ sollicitudine patris, eodem anno in Regem coronatur Remis die Sanctorum omnium ab avunculo suo Guillelmo Remensi Archiep. 141. b. 181. a. 203. b. 282. b. 323. c. 414. d. 423. c. 455. a. d. 475. c. 579. c. 683. a. 713. e. 749. d. An. 1180, patrem paralysi laborantem sigillo suo privat, matri verò castella quæ in dotem assignata fuerant, aufert. 205. a. Judæos, Regem nulla in re offendentes, edicto præcipit intra regnum comprehendi XV Kalend. Februarii, dein summâ 15 millium marcarum multatos respirare permittit. 204. b. Philippi Comitis Flandriæ consiliis cùm in rerum administratione uteretur, matrem et avunculos ampliùs offendit, eisque auxilium Henrici Angliæ Regis implorantibus, Philippus ante Pascha exercitum congregat, ut se ab ejus infestatione tueatur. 181. b. d. Post Pascha, in Flandriam pergit ad desponsandam Elisabeth seu Isabellam filiam Balduini Comitis Hannon. quam ei Philippus Comes Flandriæ in uxorem destinarat : quâ desponsâ apud Truncum-Berengarii, nuptias celebrat Bapalmis, mense Aprili. 141. c. 181. d. 204. d. 282. d. 324. b. 414. e. 475. c. 580. d. 683. b. 750. a. Harum gratiâ nuptiarum Viromandensem assequitur Comitatum. 181. d. Atrebatensem quoque urbem. 750. a. illam etiam Flandriæ partem quæ citra Leiam fl. est. 324. a. 683. b. Post hæc edicto præcipit Episcopos et Barones regni adesse Senonis die Pentecostes ad sui coronationem et conjugis. 181. e. Ne quid tamen impedimenti subrepat, præfixum terminum, suadente Flandriæ Comite, antevertit, et die Ascensionis Domini apud S. Dionysium cum uxore coronatur a Guidone Senon. Archiep. 182. a. 205. a. 282. d. 324. b. 580. d. Die festo Apost. Petri et Pauli, colloquium habet Gisortii cum Henrico Angliæ Rege, et eo agente, matri suæ reconciliatur. 182. a. b. 205. b. Eodem anno exercitum promovet adversùs Guillelmum Comitem Cabilonensem et Hubertum de Bellojoco, Cluniacensi Ecclesiæ infestos. 205. b. An. 1181, bellum gerit cum Philippo Comite Flandriæ. 325. b. n. et eodem anno, pacem cum eo componit certis conditionibus. 325. n. de Gonessa dictus. 647. b.

Philippus, filius Theoderici Flandriæ Comitis, anno 1156 uxorem ducit Bellovaci Elisabeth filiam Radulphi Comitis Viromand. 276. d. 414. a. 416. c. Anno 1157, patre in Palestinam peregrinante, Comitatûs habenas suscipit. 276. d. 300. a. 515. b. 704. b. Eo et duobus sequentibus annis, bellum agitat adversùs Simonem de Oisiaco a jurata fidelitate desciscentem. 276. e. 583. d. n. Dominicâ primâ post Pentecosten, Inciaco exercitum applicat et vastationes agit, Metturias et totam usque ad Oisiacum terram incendio profligat, ipsumque Oisiacum igne attentat. Exercitum deinde missum facit. 515. b. Appropinquante mense Augusto, rursùs adunato exercitu, Inciaco machinas applicat illudque ad deditionem cogit, IV Kal. Augusti. 515. c. Anno 1158, mense Maio, castrum de *Sauci* Oisiaco adversum extruit, quod cùm Simon obruisset, circa mensem Augustum toto cum exercitu Oisiacum per aliquot dies obsidet ; sed de proditione quadam præmonitus, infecto negotio, recedit. 515. d. Mense Septembri, Robertum Bethuniensem Advocatum, multiplices nequitias agentem capit, Duaci in custodiam retrudit, et hebdomadâ transactâ, in libertatem restituit fide sibi obstrictum. 515. e. An. 1160, fratrem suum Matthæum injuriis afficit ob nuptias ejus cum Maria Boloniensi Comitissa, et propter castellum *Lens* quod expostulabat. 277. d. n. An. 1161, interest conventui habito Cameraci XII Kalend. Aprilis, ubi Ægidio de S. Auberto abjudicatum est *Gavalum* illius territorii. 518. c. Anno 1163, sororio suo Radulpho Viromandiæ Comite elephantiâ laborante, dominus efficitur duorum Comitatuum Viromandiæ et Montis-desiderii, ratione uxoris suæ. 308. c. An. 1164, patre in Palestinam quartò peregrinante, Flandriæ Comitatum rursùs cum Viromandensi in pace moderatur. 308. c. 454. d. 520. c. An. 1165, Henricum II Angliæ Regem convenit Rotomagi. 309. b. Ipso anno, non 1164, Aquisgranum profectus, die Natalis Domini interfuit elevationi corporis B. Caroli Magni, et clientelam Frederico Imp. pro Cameracensi urbe professus est. 278. b. 521. a. Inde discedens obviam patri e Palestina revertenti occurrit. 278. b. Circa idem tempus, terram assequitur de *Alost* et Waisa post obitum Theoderici de Alost. 558. c. Eodem anno (rectiùs an. 1166) navalem expeditionem cum Matthæo fratre suo et Godefrido Duce Lovaniensi aggreditur adversùs Florentium Hollandiæ Comitem, quem subactum diutiùs captivum tenuit. 278. d. 739. a. (ubi malè an. 1158.) An. 1167, pacis sequester efficitur inter cives Remenses et Henricum Archiep. 522. a. Eodem, ut videtur, anno, Viromandensem et Valesii adipiscitur Comitatus, post obitum Radulphi Comitis. 279. b. 473. d. 566. e. Ipso anno (non verò 1166) bellum aggreditur contra Henricum II Angliæ Regem, auxiliaturus Regi Ludovico, et in Aucensi Comitatu prædas agit, dum frater ejus Matthæus exscensionem in Angliam parat. 130. c. d. 278. d. Eodem item anno, legatos ad Imperatorem et maximè ad Imperatricem cognatam suam mittit pro electione fratris sui Petri ad Camerac. Episcopatum assumpti. 522. *et seq.* Eâ ab Imperatore confirmatâ, et Alardi electione reprobatâ, fratrem suum perducit Cameracum Idibus Decembris. 526. c. An. 1168, Theoderico patri obeunti succedit. 279. b. 311. b. 473. d. 678. a. Eodem anno (non 1167) Regi Ludovico militat adversùs Henricum Angliæ Regem, sed irrisus a Francis absque bellica laude revertitur. 279. a. Mense Octobri, legatos Imperatoris excipit Cameraci ad Reges Franciæ et Angliæ pacis causâ proficiscentes, eisque ducatum suis expensis præbet. 527. d. Eodem anno, cum Francis et Hannoniensibus hastiludio se exercet inter *Gornai* et *Rissuns*. 569. c. Anno 1169, mense Aprili, nuptias sororis suæ Margaretæ paciscitur cum Balduino filio Balduini IV Comitis Hannon. ictoque cum eo amicitiæ fœdere, vectigal pro Duacensi castro, quod erat 200 librarum, ad 500 effert harum gratiâ nuptiarum. 279. b. 570. c. d. Anno 1170, datâ in uxorem Matthæo fratri suo alterâ filiâ Radulphi Comitis Viromand. callidè agit ut per quemlibet fratrum terram retineat Radulphi de Perona. 314. b. Eodem anno, peregrinationem aggreditur ad S. Ægidium, vota deinde B. Mariæ de Rupeamatoris persolvit. 532. a. Ipso anno, ducatum præbet Thomæ Cantuar. Archiep. ad suam Ecclesiam revertenti. 279. c. 422. b. 474. b. An. 1171, nuptias Balduini et Elisabeth filiorum Balduini V Comitis Hannon. et sororis suæ Margaretæ paciscitur cum filia et filio Henrici Comitis Campaniensis. 571. d. An. 1172, reduce sua peregrinatione ad S. Jacobum, pacis sequester efficitur inter Regem Ludovicum et Henricum II Angliæ Regem. 212. b. An. 1173, agente Rege Ludovico, in partes Henrici filii Henrici II Angl. Regis in patrem rebellis pertractus, auxilium ei suum spondet, et ab eo Cantiæ Comitatu, necnon Rofensi et Dovoriæ castellis sub clientelari fide donatur. 113. c. 116. a. 137. a. 151. b. 192. b. 219. d. Ingressus itaque in Normanniam cum copiis suis circa festum Apost. Petri et Pauli, Albemarlam expugnat, captisque Guillelmo Comite, ac Simone Comite Ebroïcensi, alia ejus castella occupat. 114. b. 137. d. 152. c. 192. b. 279. d. 316. c. 574. d. Castella quoque Henrici Comitis Aucensis, ipso se dedente, aufert. 316. d. Progressus inde Driencurtis castellum crebris assultibus ad deditionem cogit ; sed Matthæo fratre suo ibidem ad necem vulnerato, expeditionem solvit. 114 b. 137. d. 153. a. 192. c. 316. d. 574. d. 681. a. Eo mortuo, quia successorem de illo sperabat, quem ipse non habebat, fratrem suum Petrum, electum Camerac. Episc. militem facit, cui castra *Lilers* et S. Venantium, ac postmodùm Mathildem Nivern. Comitissam in conjugium tradidit. 114. b. 153. a. 280. a. 316. e. 414. d. 565. b. 575. d. An. 1174, ineunte Quadragesimâ, interest colloquio apud Calvum-montem de pace habito inter Reges Franciæ et Angliæ, coram Petro Tarentasiensi Archiep. 708. d. Eâ infectâ, bellum

Digitized by Google

instaurat adversùs Angliæ Regem, præmissâque in Angliam Flandrensium turmâ, ipse circa festum S. Joannis-Baptistæ classem parat Graveringis, ut cum Henrico juniore exscensionem faciat. 116. a. 138. a. 158. d. 159. a. 195. a. 318. c. 723. b. Cùm autem Rex senior eos in Angliam antevertisset, exercitum reducit Rotomagum, collaturus opem Regi Ludovico eam obsidenti. 116. d. 138. d. 159. d. 195. e. 280. b. 422. d. 574. e. 713. a. Die festo S. Laurentii, appositis ad muros scalis contra ferias obsessis voce præconis datas, viriliter a civibus propellitur, et a Rege ob fidem violatam culpatur. 117. a-d. Eodem anno, paci cum Henrico II Angliæ Rege compositæ adstipulatur, et quidquid ei bellicus casus contulerat, reddit. 118. a. 319. a. 574. e. His gestis, Jacobum de Avesnis bello aggreditur ob interfectum ab eo Robertum de Aria, electum Cameracensem Episc. sed inducias petenti Henrico Remensi Archiep. concedit, dum ille se in curia sua purget. 280. d. 575. e. Duobus interim de Cameracensi Episcopatu contendentibus, Rogero scilicet et Alardo, hunc litteris suis Frederico Imperatori commendat. 280. c. An. 1175, die sancto Parasceves, III Idus Aprilis, acceptâ cruce, Hierosol. se itineri devovet cum innumera multitudine, ad expiandas quas Henrico Angliæ Regi intulerat injurias. 162. d 198. b. 280. e. 422. e. Die Martis post clausum Pascha in Normanniam pergit, locuturus cum Henrico II Angliæ Rege et Henrico ejus filio : a quibus Cadomi exceptus, cartam tradit quam ei Rex junior fecerat, et vicissim ab eis annuâ pensitatione donatur. 162. e. Eodem anno, III Idus Augusti, Walterum de Fontanis uxoris suæ amasium, in adulterio deprehensum, morte damnat : quo facto filiorum ejus et Jacobi de Avesnis odium in se concitat, unde iter ejus Hierosolymitanum impeditum est. 163. a-c. 198. d. Anno 1176, a legatis Henrici II Angliæ Regis convenitur, et iter Hierosol. quod ad proximum Natale Domini suscepturus erat, ad sequens Pascha differret, spondentis illuc se eo tempore profecturum, vel certè subsidium militare Regi Balduino consanguineo suo missurum; timebat enim ne Comes ad regnum Hierosol. averet. 164. d. 281. a-n. Eodem anno, ulturus necem Roberti Ariensis, vires confert cum Balduino Comite Hannon. adversùs Jacobum de Avesnis, ac post messem Augusti duas ejus munitiones in Comitatu Viromand. Guisiam et *Leschieres* expugnat, quarum unam diruit, alteram retinet. 281. a. n. 577. c. d. 681. d. Anno 1177, petente Ludovico Rege in matrimonium filio suo collocandam unam filiarum fratris sui Matthæi et alteram filio Theobaldi Comitis Blesensis, rem Philippus per legatos defert circa festum S. Hilarii ad arbitrium Henrici II Angliæ Regis, a quo et pecuniam sibi pactam postulat in subsidium Hierosol. peregrinationis et pro anima fratris sui Matthæi. 167. e. Rege multò plura quàm petebat ei per legatos suos spondente, dummodò neptes suas nemini absque suo assensu collocaret, jurejurando Philippus in hoc se Angliæ Regis arbitrio staturum promittit. 168. c. Ipse in Angliam appellit die Dominicæ Cœnæ, locuturus cum Henrico Rege, ac visitato B. Thomæ Cantuar. sepulcro, in Flandriam revertitur, acceptis quingentis argenti marcis in subsidium Hierosol. peregrinationis. 139. e. 168. e. Jamjam profecturus, congregatis apud Insulam Baronibus suis, Balduinum Comitem Hannoniensem et Margaretam sororem suam hæredes Comitatûs instituit. 577. d. Itineri deinde circa Pentecosten vel clausum Pascha se committit. 169. e. 200. c. 281. b. 320. a. 577. d. An. 1178, celebratâ Hierosolymis solemnitate Paschali, Palestinæ valedicit, et mense Octobri a Flandrensibus cum gaudio excipitur. 282. b. 321. e. 423. a. 578. d. Inter redeundum cum Imperatore C. P. tractatum habet de matrimonio Agnetis filiæ Regis Ludovici cum Alexio ejus filio. 708. c. An. 1179, castra S. Quintini et Peronæ graviter affligit. Hesdiniensibus quoque Reipublicæ dignitatem aufert, sublatâ et Ariam transmissâ eorum campanâ communi. 423. a. Eodem anno, cum Rogerio paciscitur Cameracensi Episcopo de præpositura Novi-castri quam comparaverat in Cameracesio. 541. c. Ipso anno, Regem Ludovicum comitatur ad sepulcrum B. Thomæ peregrinantem. 180. c. 216. d. 282. c. 423. b. 475. b. Regis edicto vocatus ad inaugurationem Philippi Augusti, Remos cum armatis militibus accedit, ad sibi vindicandum jus præferendi gladii Regalis. 579. c. Eidem itaque coronando ministrat, et in gladio præferendo et in dapibus apponendis, duplici jure, proprio et uxorio. 181. a. 203. b. 414. d. Nactus exinde magnam apud Regem Philippum auctoritatem, animum ejus a matre et avunculis alienat. 181. c. Pactis itaque neptis suæ Elisabeth cum Rege nuptiis, an. 1180 Balduinum Comitem Hannon. puellæ patrem convenit tempore Quadragesimæ, et licèt reluctantem ad hoc perducit ut filiam suam ipsi concredat. 580. b. c. Feriâ deinde secundâ post Octavas Paschæ, nuptias ejus celebrat Bapalmis, et harum gratiâ nuptiarum Atrebatum ei et Viromandensem Comitatum, et illam Flandriæ partem quæ cis Leiam fl. est, concedit post obitum suum habenda. 181. d. 282. d. 324. a. 414. e. 580. d. 683. d. 750. a. Die Ascensionis Domini, utrique coronando assistit apud S. Dionysium, Regalem gladium gestans. 580. d. Die Apost. Petri et Pauli, colloquio interest Gisortii habito inter Regem Philippum et Henricum II Angliæ Regem, ubi clientem se Henrici profitetur pro mille marcis Esterlingorum annuis. 182. c. Ipso anno, filias fratris sui Matthæi matrimonio collocat præter sacramentum quod Angliæ Regi fecerat. 182. d. n. Eodem anno, aggeres mari opposuit circa Brugas. 475. b. Anno 1181, bellum gerit cum Philippo Francorum Rege. 325. b. n. An. 1182, pacis sequestro Henrico II Angl. Rege, pacem cum eodem componit, concessâ urbe Ambianensi et vicino tractu usque ad fl. Lisium. 325. n. An. 1184, Godefridum Colon. Archiep. comitatur ad sepulcrum B. Thomæ Cantuar. 216. e. An. 1189, profectus Hierosolymam inter redeundum moritur, et apud Claram-vallem sepelitur a Mathilde conjuge sua secunda. 413. n.

Philippi de Altaripa in Comitatu Namurc. et Anchelissæ seu Alfelisæ de Roseto filia, Mathildis.

Philippi de Area et Beatricis de S. Audomaro filiæ, Isabella, Mathildis.

Philippi Comitis Bolon. filia, Mathildis.

Philippi de *Creki* et N. de *Penkingni* filii, Balduinus, Hugo, Philippus, Engelrannus Camerac. Episc. filia, Margareta.

Philippi de *Prouvi* filius ex Maria de *Antoing*, Gerardus.

Philippi Sueviæ Ducis filiæ, Maria et aliæ. 549. n.

Phullendorff. Vide, Rudolfus.

Pictavis an. 1079 Concilium habet Hugo Diensis Episc. 619. e. Ibidem an. 1100, die Octava B. Martini, XIV Kal. Decembris, Concilium habent Joannes et Benedictus A. S. Legati. 624. e. 673. d. Aliud item Concilium ibidem an. 1106 celebratur. 673. e. Pictavis an. 1166 Natalis Domini festum agit Henricus II Angl. Rex. 310. b. An. 1168, Pictones in eum rebellant, datis obsidibus Regi Francorum eâ lege, ut nunquam sine ipsis Angliæ Regi concordaretur. 511. c. 312. b. Eod. anno, Patricium Sarisberiensem, militiæ Angliæ Regis præfectum trucidant. 130. e. An. 1169, in colloquio apud Montem-mirabilem Epiphaniæ die habito in gratiam Angliæ Regis recipiuntur, rogatu Regis Ludovici VII. 132. a. Ibi tum pro Pictavia clientelam Regi Ludovico profitetur Richardus Angliæ Regis filius. *ibid.* In Pictaviam an. 1176 expeditionem ante festum S. Joannis-Bapt. facit Henricus II Angliæ Rex, ad compescendum Richardi filii sui rebellium. 158. d. 194. d. Pictaviæ castella tempore belli excitata diruit an. 1175 Richardus. 163. d. In Pictaviam an. 1174 impressionem facit Vulgrinus Comes Engolismensis cum cohorte Brabantionum. 199. b. Pictaviæ Comites. *Vide,* Aquitaniæ Duces.

Pictavienses Episc. Gislebertus Porretanus, Joannes, Petrus.

Pinkengni (Vicedomini de). *Vide,* Arnulphus, Gerardus, Rainaldus.

Pisanus Archiep. Rangerus.

de *Plozac. Vide,* Gaufridus.

Podienses seu Anicienses Episc. Ademarus, Pontius.

Podiensis Comes, Hisoardus.

de Poenceio. *Vide,* Gaufridus.

de *Poerce. Vide,* Gualterus.

de *Pois. Vide,* Guillelmus.

de Pollario. *Vide,* Gualterus.

de Pompona. *Vide,* Hugo.

Poppo, electus Metensis Episc. an. 1092 vel 1093 consecratur VI Kal. Aprilis. 622. d. 642. a. n. 644. d. 686. c. An. 1104 moritur. 642. b. n.

de Ponte. *Vide,* Juellus.

de Ponte-arcûs. *Vide,* Guillelmus.

Pontiniacense Cœnobium conditur anno 1114, III Kal. Junii. 674. b. Abbates, Guarinus, Guichardus, Hugo, Petrus.

Digitized by Google

Pontius, Abbas Casæ-Dei an. 1102 fit Aniciensis Episc. 638. b.
Pontius, Abbas Clarevallensis, an. 1171 ad Episcopatum Claromontensem assumitur. 748. e. An. 1177 (non verò 1179) pacis sequester efficitur inter Alexandrum III Papam et Imp. Fredericum. 713. d. Eodem anno, arbiter controversiarum eligitur inter Regem Ludovicum et Henricum II Angliæ Regem. 171. n.
Pontius, Abbas Cluniac. anno 1119 legatione fungitur pro Calixto II ad Imperatorem. 720. a. An. 1121, a Monachis suis accusatus apud Romanum Pontificem, Abbatiâ se abdicat, et Hierosolymam profectus in Cella super Auream portam extructa diversatur. 80. e. 284. b. (ubi malè 1117.)
Pontii Comitis Tolosani filii ex Almode, Guillelmus, Raimundus.
Pontivi Comites, Guido I, II, Guillelmus, Joannes.
de *Pontroart. Vide,* Guillelmus de Bethunia.
Porcensis Comes, Rogerius.
Porricidii Vicecomes, Eudo.
de *Port. Vide,* Emma.
de Porta. *Vide,* Guillelmus.
Portuenses Episc. Bernardus, Petrus.
de Possessa. *Vide,* Guido.
de *Praat. Vide,* Gervasius.
Præmonstratense Cœnobium conditur an. 1120. 267. d. 327. d. 455. c. 463. d. 694. b. Abbates, Gualterus. Hugo.
Prænestini Episc. Cono, Julius.
de Praellis. *Vide,* Osbertus.
de Praeriis. *Vide,* Matthæus.
Pratellenses Abbates, Hugo, Michaël.
de Pratellis. *Vide,* Hamelinus.
Prati Abbas, Petrus.
Primitiarum festum Kalendis Augusti illigatum. 57. c. 58. d. 65. c.
S. Privati Abbas, Raimundus.
de *Prouvi. Vide,* Amandus, Gerardus, Philippus.
Provinciæ Ducatus a Rhodano usque ad Italiæ fines extenditur. 106. c. Provinciæ Comitatum dominiis suis adjecit Raimundus Comes Tolosanus. 7. n.
de Puisaco vel Puisato, Hebrardus, Hugo.
de *Pyon. Vide,* Joannes, Robertus.
Pyrenæi montes Franciam Hispaniamque disterminant. 102. b.
de *Pyrou. Vide,* Robertus.

Q.

Quinci. *Vide,* Saerus.
S. Quintini cives an. 1179 graviter affligit Philippus Comes Flandriæ. 423. a.

R.

Rabellus Camerarius de Tancarvilla anno 1140 moritur. 289. a. Filius, Guillelmus.
Rabodus Noviom. Episc. anno 1088 dedicationem peragit Elnonensis Ecclesiæ cum Gerardo Camerac. Episc. 453. c. Anno 1097, moritur infra Octavas Epiphaniæ. 403. b. n.
Radingenses Abbates, Guillelmus, Hugo.
Radulphus Viridis, Ecclesiæ Remensis Præpositus, electus an. 1106 ejusdem urbis Archiep. an. 1107 consecratur a Paschali Papa in Concilio Trecensi. 327. a. n. 490. c. 689. c. An. 1113, Noviomensibus et Tornacensibus de eligendo Episcopo disceptantibus, auctoritate Paschalis Papæ litem dirimit, et Lamberto a Noviomensibus ad utramque Ecclesiam electo munus consecrationis impertitur. 405. d. Anno 1116, Burchardum Camerac. Episc. consecrat. 492. c. An. 1121 vel 1122, interest Concilio Suession. 655. n. An. 1124 moritur, xi Kal. Martii. 328. c. 498. d. n. 695. d.
Radulphus, Leod. Episc. an. 1167 vel 1168 succedit Alexandro. 584. d. 605. b. 616. e. An. 1168, legatione fungitur pro Imp. Frederico ad Henricum II Angliæ Regem, ut eum in schismatis partem pertrahat. 130. e. Anno 1172, tempore Quadragesimæ Balduinum Comitem Hannon. clientelari sibi fide obnoxium facit. 573. b. An. 1180, bellum gerit cum Gerardo Comite Lossensi, et quædam ejus castella incendit Kal. Augusti. 617. a.
Radulphi III Comitis Augensis uxor, Yolens Drocensis.
Radulphi de Balgentiaco filii ex Mathilde Viromand. Joannes, Lancelinus; filia, Agnes.
Radulphus, Comes Clarimontis, an. 1174 auxilium suum spondet Henrico filio Henrici II Angliæ Regis in patrem rebellis. 318. c. An. 1175 Balduinum Comitem Hannoniensem comitatur, mense Augusto, ad hastiludium inter Suessiones et Brainam. 576. b. An. 1176, opem confert eidem Balduino adversùs Jacobum de Avesnis. 577. b. Anno 1177, in hastiludio inter *Venduel* et Feriam habito capitur a Comite Hannon. Balduino cum Simone fratre suo. 578. c. An. 1180, tempore Quadragesimæ, Balduinum Comitem Hannon. convenit cum Philippo Comite Flandriæ de matrimonio Philippi Augusti cum filia ipsius. 580. b. cujus nuptiis eodem anno interfuit. 282. d. Uxor, Adelaïs de Bretolio.
Radulphus de Cociaco, an. 1175 sororium suum Balduinum Comitem Hannon. comitatur, mense Augusto, ad hastiludium inter Suessiones et Brainam. 576. b. Anno 1176, in alio hastiludio capitur inter *Venduel* et Feriam. 578. c. Filiæ ex uxore prima Agnete Hannon. Yolens, Isabella, Ada; filii ex uxore altera, Aelide Drocensi, Ingelrannus, Thomas de Vervino, Robertus; filia, Agnes uxor Ægidii de *Beaumes*.
Radulphus, Comes Crispeiensis anno 1074 moritur. 683. n. Filius ex Adela, Simon; filia, Adelaïs.
Radulphus de Dolis, ditissimus Baronum Regis Angliæ in Berria, anno 1176 moritur, relictâ filiâ unicâ trienni. 167. b. 320. e.
Radulphus, Radulfus de Fulgeriis, an. 1156 Eudonem Porricidii Vicecomitem capit in quodam conflictu, partes adjuvans Conani Richemundiæ Comitis. 299. b. Anno 1162, concreditâ sibi terrâ Joannis Dolensis cum filia ipsius, turrim Dolensem tradit Henrico II Angliæ Regi. 307. b. Anno 1169, castrum *Comborc* amittit, quod occupaverat post obitum Joannis de Dolis. 309. a. An. 1166, rebellium excitat adversùs Henricum II Angl. Regem. Obsessus verò ab exercitu Regis se et castrum suum dedit. 187. b. An. 1173, partibus se addicit Henrici Angliæ Regis junioris in patrem rebellis. 113. d. 152. b. 191. d. Jussus verò fidem suam cum aliis Britonibus sacramento asserere, castrum Fulgeriarum a Rege priùs destructum instaurat, multis in ejus rebellium conspirantibus. 317. a. Immissos in terram suam Regis Brabantiones profligat inter S. Jacobum et Fulgerias, castrum S. Jacobi et Tiliolum incendit; sed insidiis Regis Henrici penè interceptus, fugâ se subducit. 317. b. Delinitis postea Regis custodibus qui castro *Comborc* et urbi Dolensi præsidio erant, illas munitiones occupat: verùm egressus cum sequacibus in occursum Brabantionum funditur, et amissis de suis quamplurimis, cum Hugone Cestriæ Comite in turrim Dolensem retruditur. 317. c. Ibi a Brabantionibus et Angliæ Rege obsessus, vii Kal. Septembris deditionem facit, filios suos Juellum et Guillelmum obsides tradit, ipse verò abire permissus per nemora errabundus delitescit. 115. a. b. 155. d. e. 194. b. 317. d. e.
Radulphus de Mortuo-mari an. 1066 Guillelmo Notho in Sanlacio prælio adversùs Heraldum Angliæ Regem militat. 68. n. Anno 1088, socius conjurationis Rogerii de Montegomerico in Guillelmum II Angliæ Regem, provinciam Wigorniensem cum eo vastat. 53. c. 68. e. ob egregiam Henrico Regi adversùs Robertum fratrem ejus impensam operam Normanniæ præfecturâ donatur. 69. n. Filii, Hugo, Guillelmus de *Cheilmersh*.
Radulphi Comitis de Roceio uxor, Isabella Codiciac.
Radulphi filii Ivonis de Nigella et Ramentrudis Suessionensis, progenies, Ivo Comes Suession. Radulphus Brugensis Castellanus, Theodericus Camerac. Archidiac. 579. n. 694. n.
Radulphi Brugensis Castellani et Gertrudis Leodiensis filii, Cono Comes Suession. Joannes de Nigella, Radulphus Comes item Suession. 579. n. 694. n.
Radulphus Suessionensem Comitatum adipiscitur an. 1179 post Cononem fratrem. 579. b. Anno 1180 nuptiis interest Philippi Augusti cum Elisabeth Hannon. 282. d. Filiæ ex uxore prima Alaïde Drocensi, Gertrudis, Alienora; filii ex uxore secunda N. de Grandiprato, Joannes, Radulphus, et filia una. 557. n.
Radulphi fratris Joannis II Comitis Suession. uxor prima Regina Cypri, secunda N. filia Joannis de *Hangest*, ex qua filia una processit. 558. n.
Radulphi III de Toenio filius, Rogerius II.
Radulphus IV de Toenio anno 1162 moritur, relinquens filium parvulum ex filia Roberti Comitis Legecestriæ. 307. a.
Radulphus, Comes Viromandensis, an. 1102 patri suo Hugoni Magno succedit. 283. e. Anno 1130, (non 1128) opem Regi Ludovico confert ad debellandum Thomam de Marla, quem vulneratum et comprehensum Regis in manus tradit, quia fratrem suum Henricum peremerat. 329. b. 732. d. Anno 1142, conjugem suam ecclesiastico judicio a se disjungit consanguinitatis prætextu et Petronillam sororem Reginæ Francorum, etsi genere propinquiorem,

Digitized by Google

pinquiorem, thori participem facit : quapropter ab Ivone A. S. Legato percellitur anathemate, agente Theobaldo Comite Blesensi. 331. c. 408. b. 735. c. An. 1152, moritur, relictis sub tutela Gualeranni Comitis Mellenti et Ivonis Comitis Suession. filio et filiabus suis. 294. b. 333. b. 506. e. 566. d. n. Eodem anno, tertiam uxorem duxerat Lauretam filiam Theoderici Flandriæ Comitis. 507. a. Avaritiæ fuit incomparabilis, vicinosque suos dolo aut vi spoliasse dicitur. 507. a. 678. b. Filius ex Petronilla, Radulphus ; filiæ, Elisabeth, Eleonora.

Radulphus II, qui et Hugo, Comes Viromand. an. 1152 patri suo succedit. 294. b. 507. a. Anno, ut videtur, 1167 moritur. 566. d. n. is uxorem duxerat Margaritam filiam Theoderici Flandr. Comitis, quam tamen non cognovit. 414. b.

Raimundus-Berengarii Comes Barcinon. an. 1137 in uxorem ducit Uracam filiam Ramiri Aragoniæ Regis, nec tamen regium nomen sibi assumit. 106. b. c. 302. a. 303. a. Ineunte an. 1159, fœdus amicitiæ icit cum Henrico II Angliæ Rege apud Blaviam, pactis filiæ suæ nuptiis cum Richardo Regis filio. 302. a. Eodem anno, Henrico Regi opem confert ad acquirendum Tolosæ Comitatum. 105. d. 106. d. 304. c. An. 1162 moritur. 307. b.

Raimundus *Trencavel*, Vicecomes Biterrensis ac Carcasson. anno 1159 operâ suâ adjuvat Henricum II Angliæ Regem armis Tolosanum sibi Comitatum vindicanti, infensus nimirùm Raimundo Comiti S. Ægidii ob ablatas sibi quasdam munitiones, quas ei Rex Anglicus restituit. 106. d. c. 304. d. An. 1167, a civibus Biterrensibus perimitur. 107. a-d. n. 189. d. n. Filius, Rogerius Malabrachia.

Raimundus IV, Comes S. Ægidii, an. 1080, in conjugium accepturus Mathildem filiam Rogeri Siciliæ Comitis, in Siciliam trajicit, et prosperè cum uxore revertitur. 725. c. d. A Pontio patre donatus Caturcensi Comitatu, Tolosam emit a fratre suo Guillelmo Hierosolymam profecturo. 7. n. 105. b. n. 303. b. n. Arelatensem quoque et Narbonensem Comitatus, necnon Provincialem et Lemovicensem subinde his adjecit. 7. n. In quodam duello privatus altero lumine et a Caturcensi Episcopo stimulatus ut Deo tandem effœtum corpus manciparet, Urbano II auctor fuit celebrandi Concilii Claromontensis, primusque laïcorum iter Hierosol. vovit, certus nunquam in patriam redeundi, sed Turcorum clade præteritarum iniquitatum maculas extergendi. 7. n. 69. c. An. 1096, Hierosol. iter aggreditur cum Gothis et Guasconibus. 7. b. 32. b. 70. a. 217. c. 261. a. 394. b. 459. c. 548. e. 672. d. 716. e. Libidinis notam ei perperàm inurit Guillelmus Malmesb. legalesque conjuges ejus recensentur. 7. n. Filii, Bertrannus, Alphonsus.

Raimundus V, Comes S. Ægidii seu Tolosanus, an. 1153 vel 1154 uxorem ducit Constantiam filiam Regis Ludovici VI, Eustachio filio Stephani Angliæ Regis viduatam, ex qua tres liberos suscepit. 105. n. 301. n. 303. c. An. 1159, bello impetitur ab Henrico II Angliæ Rege Tolosam nomine uxoris suæ reposcente, opem ei ferentibus Comite Barcinonensi et Vicecomite Biterrensi, quos Raimundus affecerat injuriis. 105. *et seq.* 219. d. 301. n. 303. a. 516. d. Cùm verò Rex Ludovicus ei suppetias venisset, Tolosam urbem ejus præsentiâ servat indemnem, sed Caturcensis jacturam facit. 106. e. 185. d. 302. n. 303. d. 517. a. 739. b. Circa an. 1165, divortio separatur ab uxore sua Constantia. 218. a. n. An. 1173, circa Purificationem B. Mariæ, Henricum II Angliæ Regem convenit Lemovicis, eoque sequestro pacem componit cum Alphonso Aragoniæ Rege. 149. a. Ibidem pro Tolosæ Comitatu clientelam profitetur Angl. Regi, Henrico ejus filio, et Richardo alteri filio Aquitaniæ Duci, pactis eisdem quotannis quadraginta equis, salvâ tamen fide Regis Francorum. 149. a. 190. e. 219. c. 316. a. An. 1177, scriptâ ad Cisterciense Capitulum epistolâ, mala deplorat quæ Tolosæ pariebat hæresis Manichæorum. 140. a. n. An. 1178, hæreticos Albigenses insectatur, ac Petro S. Chrysogoni Cardinali assistit eosdem de fide scrutanti. 174. b. 177. n. Filius, Raimundus VI.

Raimundi VI, Comitis Tolosani conjux, Joanna Anglica.

Raimundus II, Turoniæ Vicecomes, anno 1177 in Richardum Pictaviæ Comitem rebellat. 164. c. Anno 1178, expeditionem aggreditur cum Raimundo de Castro-novo adversùs Rogerum Vicecomitem Biterrensem qui Episcopum Albiensem in vincula conjecerat. 177. n. Eodem anno, Petro S. Chrysogoni Cardinali assistit Tolosæ hæreticos de fide scrutanti. 174. b.

Rainaldus, Reinoldus, Reginoldus, Colon. Archiep. an. 1165 legatione fungitur pro Imp. Frederico ad Henricum II Angliæ Regem, causâ petendæ filiæ ejus Mathildis in uxorem Henrico Saxoniæ Duci, et Regem in partem schismatis pertrahendi. 186. e. 216. b. cùm verò Regem Franciæ Ludovicum de eodem negotio convenisset, et repulsam passus esset, dissensionem inter eum et Angliæ Regem seminavit. 741. b. An. 1167, morti occubuit. 522. b. 584. d. 602. c.

Rainaldus, Rainoldus I, Remensis Archiep. efficitur anno 1083, non verò 1085. 685. n. 686. a. Anno 1093 vel 1094, consecrationem impertitur Gualchero Camerac. Episc. 482. a. Moritur anno 1095 vel 1096, die 21 Januarii. 260. d. 483. d. n. 623. c. 688. c.

Rainaldus II, Brientii filius, an. 1124 ordinatur Remensis Archiep. post Radulphum. 328. c. 498. d. 695. e. An. 1129, interest Concilio Catalaun. 636. a. Eodem anno, Romanum iter aggreditur, sed cognito schismate in Romana Ecclesia suborto, iter non perficit. 467. d. An. 1137 vel 1138, Idibus Januarii, mortem obit. 271. d. 330. d. n. 699. b. n.

Rainaldus I, Comes Barrensis, anno 1111 Virdunensis urbis Comitatu privatur a Richardo Episc. quia opem ipsi adversùs Metenses non contulerat. 633. b. 691. a. Cùm verò Comitatus Guillelmo Comiti Luxemburgensi traditus fuisset, armis eum sibi vindicat Rainaldus, sed infelici conamine, quippè ab eis an. 1112 vicus S. Michaëlis expugnatur et terra ejus profligatur. 633. c. 691. b. Seq. anno 1113, ipse in expugnato Barrensi castro capitur ab Henrico Imp. et mox libertate donatur. 634. c. n. 644. e. 650. c. 691. b. 719. a. An. 1114 vel 1115, pacem componit cum Guillelmo Luxemburgensi, Comitatumque urbis Virdunensis recuperat, nolentibus ipsis urbanis, quorum ut edomet pervicaciam, urbem obsidet ; sed ab eis repugnantibus vulneratus, inde saucius reportatur. 634. a. 641. b. (ubi an. 1117) 692. a. An. 1120, fœdere icto cum Henrico Virdun. Episc. Virdunum expugnat, et captos cives malè multat. 634. d. e. 641. b. 694. b. Anno 1123, Henricum de Grandiprato aggreditur Virdun. Comitatu donatum et a civibus receptum, quocum variâ fortunâ dimicat. 635. b. 695. c. An. 1124, pace cum eo compositâ, rursùs compos urbis efficitur. 635. c. 695. b. An 1127, secundam ducit uxorem N. matrem Frederici Comitis Tullensis. 697. a. An. 1129 vel 1130, in urbem Virdunensem irrumpit, dum Ursio Episc. ad Cæsarem abiisset ; et extirpato ejus pomerio, turrim ibi extruit unde quotidianas ei molestias infert. 636. c. 697. d. Anno 1131, amissâ turri Virdunicâ quam dolo occupaverat Episc. Albero, Virdunum postridie Pentecostes advolat, ejusque recuperandæ studio bellum gerit cum Episcopo per triennium, tandemque in morbum prolapsus, an. 1134 pacem componit bonis conditionibus, acceptis pro Virdunensi Comitatu feodis de Claromonte, de *Haus* et de Vienna. 637. d. e. *et seq.* 698. b. d. An. 1134, Bullonium castrum tanquam hæreditario jure ad se derivatum aufert Leodiensi Ecclesiæ fraudulentâ occupatione. 610. b. n. 698. e. Inde sæpiùs cùm litigasset coram Romano Pontifice et Imperatore, an. 1140 Fossense castrum Leodiensis Episcopi incendit, et alia rebus ejusdem infert damna. 611. a. b. An. 1141, bello impetitur ab Episcopo Alberone, tandemque virtute B. Lamberti superatus, castri Bullonii deditionem facere compellitur, XI Kal. Octobris. 272. c 331. b. 611. *et seq.* 638. e. An. 1147, Regi Ludovico in Palestinam proficiscenti se adjungit. 654. a. Filii ex priori uxore Gisela de Vaudanimonte, Hugo, Rainaldus, Theodericus Metensis Episc. ac filiæ quatuor, Agnes uxor Alberti de Chisneio, Clementia uxor Rainaldi II Comitis Claromont. N. nupta in Alemannia, N. mater Simonis de Commerceio. 712. b. n.

Rainaldus II Comes Barrensis anno 1170 moritur die S. Laurentii. 712. b. Filii ex Agnete Blesensi, Comes Henricus, Theobaldus Comes, Hugo, et Rainaldus Carnotensis Episcopus.

Rainaldus III, Comes Burgundiæ an. 1147 vel 1148, die 19 Januarii, vitâ defungitur. 662. n. 701. b. Filia ex Agatha Lotharingica, Beatrix.

Rainaldi II Comitis Claromontensis filia ex Adela Viromand. uxore

Digitized by Google

prima, Margareta; ex altera Clementia Barrensi, Radulphus, Simon.
Rainaldus, Reginaldus, filius Henrici I Angliæ Regis nothus, anno 1140 Comes Cornubiæ efficitur, ductâ in uxorem filiâ Guillelmi, filii Richardi. 26. c. n. An. 1141, sorori suæ Mathildi Imperatrici militans, egressam Wintoniâ die Exaltationis S. Crucis Divisas perducit salvam et incolumem. 78. b. Anno 1152, Henricum Normanniæ Ducem tempore Quadragesimæ convenit, ut rebus suis in Anglia prospiciat. 293. d. An. 1173, pro eodem Henrico Angliæ Rege dimicat adversùs conjuratos regni Proceres, et victoriam de Roberto Leicestriæ Comite reportat, circa festum beatæ Mariæ Magdalenæ. 137. d. 153. n. 157. c. An. 1175 moritur, mense Decembri, paulò ante Natale Domini, et sepelitur Radingis. 139. c. 163. d. 198. c. 319. b. Filiæ, N. conjux Roberti II Comitis Mellenti, N. uxor Richardi de Raduariis.
Rainaldi Comitis Domni-martini uxor, Ida Boloniensis.
Rainaldi de Juncherio filia, Lucia.
Rainaldi Comitis Nivern. uxor N. soror Mathildis Comitissæ Blesensis. 702. c.
Rainaldus de *Rosoi* anno 1177 opem confert Dominicâ primâ Quadrag. Rogero fratri suo Laudun. Episc. adversùs urbis cives, quorum plurimi trucidantur. 578. b. 682. a. Cùm verò eam injuriam ulturus sequenti æstate Laudunum accederet Rex Ludovicus, citâ satisfactione illum placat, et castrum suum ei obnoxium facit. 682. b. Filius ex Juliana de Ruminio, Rogerus. 552. a. n. 555. c.
Rainaldus, filius Friderici Comitis Tullensis, an. 1086 Theoderico Virdun. Episc. apud Sathanacum militat adversùs Godefridum Bulloniensem. 629. a. An. 1096, inter Crucesignatos clarus habetur. 70. n. 261. n. 629. a.
Raineri Longi-colli, Comitis Hannon, filii. Rainerus, Lambertus Barbatus Comes Brussellensis seu Lovaniensis.
Raineri IV Comitis Hannon. filia ex Hadwide Francica, Beatrix.
Raineri Comitis Montisferrati et Gislæ Burgundicæ filia, Joanna.
de *Rameru. Vide,* Andreas, Erardus, Hilduinus, frater Guillelmi Comitis Suessionensis.
Ramesiæ Abbas, Guillelmus.
Ramiri Aragoniæ Regis filia ex Agnete Aquitanica, Wrraca.
de Rancona. *Vide,* Gaufridus.
Ranulfus Comes Cestriæ, anno 1123 ab Henrico I Angliæ Rege in Normanniam mittitur, ut eam ab infestatione Guillelmi filii Roberti Ducis et fautorum ejus tueatur. 81. b. Vivente adhuc Henrico Rege, uxorem ducit N. filiam Roberti Comitis Glocestriæ. 27. a. Anno 1140, obsidione cingitur in castello Lincolniensi ab Stephano Rege in ipsis Natalis Domini festis usque ad Purificationem B. Mariæ. 27. a. 40. c. 66. b. 88. a. 96. a. Egressus inde socerum suum Robertum adit, juratâque Mathildi Imperatrici fide, ad fratrem et uxorem liberandos eum perducit. 27. b. 40. c. 66. b. 88. a. 96. b. Die Purificationis B. Mariæ anno 1141, commisso prælio, victoriam reportat et Regem Stephanum capit. 27. d. 41. c. 77. b. 88. b. 96. b. Eodem anno, ad partes Stephani Regis transire volens, non recipitur. 89. a. An. 1143, inimicitias exercet cum Guillelmo de Albamarla Eboraci Comite. 89. c. An. 1144, obsidetur ab Stephano Rege in urbe Lincolnia, et obsidentes propellit. 42. b. Anno 1146, Regi reconciliatus eum ad expugnandum castellum *Walingford* adjuvat; sed eodem anno inopinanter captus in Regis Curia, Lincolniæ castellum reddere compellitur, ut libertate donetur. 42. c. 91. a. An. 1149, Davidi Scotiæ Regi opitulatur, militaribus armis accingenti Henricum filium Imperatricis, profecturusque cum agminibus suis adversùs Regem Stephanum, mentitur fidem. 90. c. 124. d. An. 1150, spe recuperandarum munitionum e Normannia revocat Henricum, pollicitus suam operam et multorum consensum ad obtinendum Angliæ regnum. 91. b. Anno 1153, non verò 1155, moritur veneno infectus, relicto post se Hugone filio. 91. d. 185. a. 296. c. 738. d.
Rasso de Gaura vel *Gavre,* an. 1127 pro Guillelmo Normanno Flandriæ Comite militans, Balduinum Montensem Comitem aggreditur apud Aldenardam circa medium Aprilem. 372. d. An. 1149, Sabbato Pentecostes, interest Conventui ad speculam sancti Remigii habito, de pace componenda inter Theodericum Flandriæ Comitem et Balduinum Comitem Hannon. qui dum tumultum seditione populi exortum compescere nititur, in campo prosternitur. 502. b. 559. b. n. Filius ex *Damison* de Cirnia, Rasso; filia, Berta.
Redonensem urbem an. 1156 occupat Conanus Comes Richemundiæ, fugato vitrico suo Eudone Vicecomite Porricidii. 299. a. Redonis an. 1175 Concilium Episcoporum Britanniæ cogit Bartholomæus Turonensis Archiep. 319. d. An. 1182, Redonensem turrim expugnat Henricus II Angliæ Rex, et combustam instaurat. 326. a. Redonenses Episc. Alanus, Philippus, Stephanus I, II.
de Reduariis, *Recuers, Reduers. Vide,* Balduinus, Richardus.
Reineri de Calvomonte in Hannonia uxor, Ermentrudis; filia Ermengardis.
Reineri, Reneri I de Jacea filii ex Yda de Montibus, Girardus, Henricus, Goswinus.
Reineri II de Jacea filii, Gerardus, Reinerus.
de Reista. *Vide,* Cunegundis, filia Comitis Silvestris in Alemannia.
Reitestenses Comites, Gervasius, Guitherus, Hugo, Joannes, Manasses II, III, IV.
Remensis Archiepiscopatus dignitate præcellit omnibus Episcopatibus Franciæ. 167. a. Remis an. 1092 Concilium cogitur tempore Quadragesimæ adversùs Robertum Frisonem Flandriæ Comitem. 458. b. ibidem an. 1105 Concilium habet Manasses Archiep. 403. d. n. et an. 1115 Cono Prænestinus Episc. A. S. Legatus. 674. c. 692. d. Remis an. 1119, ad festum S. Lucæ, XIII Kal. Novembris, Concilium 300 et ampliùs Episcoporum celebrat Callixtus II Papa. 19. d. 35. e. 62. a. 74. b. 79. a. 267. b. 285. a. 327. c. 601. a. 634. d. 674. c. 720. a. 731. b. Ibi an. 1129, die sancto Paschæ, consecratio peragitur Philippi filii Regis Ludovici VI. 269. b. 420. c. 674. e. Remis etiam an. 1131 Concilium habet Innocentius II Papa post festum S. Lucæ, quo durante, in Regem ungit Ludovicum alterum filium Ludovici VI. 269. d. 286. d. 329. c. 721. a. 733. b. Eugenius quoque III Concilium ibi celebrat an. 1148, Dominicâ *Lætare Jerusalem,* seu mediâ Quadragesimâ. 97. d. *et seq.* 123. e. 274. b. 291. d. 332. c. 334. b. 501. d. 583. b. 601. e. 645. a. 658. *et seq.* 721. d. 736. c. d. Remenses cives ab Henrico Archiep. divexati, an. 1167 in gratiam recipiuntur, et pristinam libertatem recuperant. 522. a. Remis an. 1179, Kal. Novembris, consecratio peragitur Philippi Augusti, 181. a. 203. b. 282. d. 423. c. 455. d. 475. c. 479. d. 713. e. 749. d. Ibidem seq. Dominicâ Concilium habet Guillelmus Archiep. cum Coepiscopis suis. 282. d. Remenses Archiep. Gervasius, Guillelmus, Henricus I, II, Manasses I, II, Radulphus Viridis, Rainaldus I, II, Samson, Thomas de *Beaumes.*
Remense S. Remigii Cœnobium circa an. 1117, juxta consuetudines Cluniacensium informatur. 403. d. 462. c. Abbates, Burchardus, Henricus, Hugo, Odo, Petrus, Robertus.
de S. Remigio. *Vide,* Robertus.
Renardi Comitis Joviniaci filius, Guillelmus.
de *Reneke. Vide,* Gerardus, filius Gerardi Comitis de *Loz.*
de *Renenghes. Vide,* Joannes de Ypra.
de Ribodimonte. *Vide,* Anselmus, Godefridus.
Ribule. Vide, Fulco.
Richardus, ex Clero S. Stephani Metensis Albanensis Episc. an. 1102 mittitur in Burgundiam et Franciam Legatus. 628. b. Anno 1103, Concilium habet Balgentiaci, deinde Trecis, de absolutione Regis Philippi. 689. b. Anno 1105 aliud Trecis celebrat Concilium. 673. e. An. 1107, funus curat Richeri Virdun. Episc. 631. b. An. 1110, rursùs mittitur in Franciam Legatus. 690. b.
Richardus, Prior Devoriæ, an. 1173 eligitur Cantuar. Archiep. III Nonas Junii. 137. c. Eodem anno, partes Henrici II Angliæ Regis tuetur adversùs rebellantes filios et conjuratos Proceres. 153. n. An. 1174, Romam abit ad Alexandrum Papam, et licèt intercedentibus Franciæ Regis et Henrici Regis Angliæ junioris legatis, electionis suæ confirmationem obtinet IV Nonas Aprilis. 158. c. 196. d. e. An. 1176, legatione fungitur pro Henrico II Angliæ Rege ad Philippum Flandriæ Comitem. 164. c. Eodem anno, comes datur Joannæ Regis filiæ, ad nuptias cum Guillelmo Siciliæ Rege proficiscenti. 139. d. 165. a. An. 1179, Regem Ludovicum excipit Cantuariæ ad sepulcrum B. Thomæ peregrinantem, et pro larga ejus eleemosyna fraternitatem Ecclesiæ suæ ei concedit. 141. b. n.
Richardus de Bellofago, anno 1134 Abrincensi Episcopatu donatur ab

Digitized by Google

Henrico I Angliæ Rege. 286. e. An. 1143 moritur. 289. d.
Richardus II, Abrincensis Episc. anno 1143 succedit Richardo alteri. 289. d. Anno 1152, Romam profectus propter altercationem duorum electorum de Abbatia sancti Michaëlis de Monte, obit in itinere. 296. a
Richardus III, Abrincensis Episc. eligitur an. 1170, cùm esset Constantiensis Archidiaconus. 314. b. An. 1175, Henrico II Angliæ Regi fidejussor datur ab Henrico ejus filio. 198. n. Anno 1177, interest electioni Rollandi Dolensis Archiep. die festo S. Martini. 321. b. An. 1178, Rotrodo Rotomag. Archiep. assistit Beccensem Ecclesiam dedicanti. 321. c.
Richardus, filius Roberti Comitis Glocestriæ, anno 1134 Bajocensi Episcopatu donatur ab Henrico I Angliæ Rege. 286. e. Anno 1143 moritur. 289. d.
Richardus, Constantiensis Episc. an. 1151 ex Decano Bajocensi succedit Algaro. 293. b. An. 1156, hebdomadâ Pentecostes, interest Moretonii dum corpus B. Firmati e terra levatur. 298. d. An. 1178, moritur. 322. b. n. vel an. 1180. 182. d.
Richardus, Virdun. Archidiac. anno 1101 Grandis-prati Comitatum adipiscitur post obitum fratrum suorum Henrici et Balduini. 632. b. An. 1106, oblatum Remensem Archiepiscopatum refutat. 632. b. 689. d. An. 1107, electus Virdun. Episcopus baculum recipit de manu Imperatoris. 632. c. 641. n. 689. d. quamobrem eo anno percellitur anathemate a Paschali Papa in Concilio Trecensi. 632. d. Seq. Quadrag. an. 1108 Romam pergit, jussusque Episcopatu se abdicare ut absolvi mereatur, aufugit, iterùmque supponitur anathemati. 632. e. subinde inimicitias exercet cum Monachis S. Vitoni qui ab ejus se communione abstinebant, eosque loco cedere compellit. 633. a. 634. a. 641. a. An. 1111, castrum Desluardum instaurat quod Metenses diruerant. 633. b. Ipso anno, Comitatum urbis aufert Rainaldo Comiti Barrensi, quia opem sibi adversùs Metenses non tulisset, illumque Comitatum tradit Guillelmo Luxemburgensi, additis insuper castris Mosaco et Stanaco in pretium bellici stipendii. 633. b. 691. a. An. 1112, illis inter se bello decertantibus, Richardus pro Guillelmo dimicat, Rainaldo castrum S. Michaëlis aufert, et terram ejus præter loca munita vastat, ad quæ expugnanda Imperatorem accersit. 633. c. 691. b. An. 1114, Rainaldo ab Imperatore libertati reddito, videns Richardus omnia sibi contraria iter Hierosolymitanum vovet, adjunctusque comitatui Hugonis Comitis Trecensis, in itinere moritur apud Cassinum-montem, nondùm absolutione perceptâ. 633. d. 641. a. 691. d.
Richardus, cognomento Infans, Virdun. Episc. anno 1162 vel 1163 succedit Alberto. 640. c. 641. c. 704. e. n. Incerto anno, transmarinum iter arripit. 640. c. Anno 1171 moritur. 641. d
Richardus, Pictav. Archidiac. anno 1173 fit Episcopus Wintoniensis. 316. c. An. 1174, circa festum S. Joannis, in Normanniam mittitur ad Henricum II Angliæ Regem, ut eum ad providendum quantociùs turbatis Angl. rebus perducat. 195. b. An. 1176, comes datur Johannæ Henrici Angliæ Regis filiæ ad nuptias cum Guillelmo Siciliæ Rege proficiscenti. 200. a. Eodem anno, in Normanniam mittitur cum auctoritate Justitiarii, fiscalia recensurus. 166. c. 200. b. An. 1177, legatione fungitur pro Rege Henrico ad Regem Franciæ Ludovicum. 169. d. An. 1178, in Angliam revertitur XII Kal. Aprilis. 200. e. An. 1180, munus legationis obit ad Philippum Regem Franc. pro Henrico II Angliæ Rege. 204. b.
Richardus, filius Henrici I Angliæ Regis nothus, an. 1120 naufragio perit cum Guillelmo fratre suo. 18. d. 35. c. 36. n. 62. b. 74. c. 80. c. 120. d. 218. b. 393. b.
Richardus, filius Henrici II Angliæ Regis et Alienoræ, an. 1157 nascitur, mense Septembri. 185. b. 300. a. An. 1159, nuptias ejus paciscitur Rex Henricus cum Petronilla seu Urraca filia Raimundi-Berengarii Comitis Barcinonensis. 302. a. An. 1169, in colloquio apud Montem-mirabilem die Epiphaniæ habito, clientelam Regi Ludovico VII profitetur de Aquitaniæ Ducatu, et in futuram uxorem despondet Aleïdem ejus filiam. 132. a. 187. d. 312. e. 678. b. An. 1170, a patre morbo decumbente hæres asseritur Aquitaniæ Ducatûs et cæterarum matris suæ terrarum. 143. d. n. An. 1173, Raimundum V Comitem S. Ægidii pro Tolosæ Comitatu sibi obnoxium facit. 316. a. Eodem anno, partes amplectitur Henrici fratris sui in patrem rebellis, consilio matris suæ Alienoræ. 113. c. 137. a. 150. c. 191. b. 212. b. 216. c. 316. b. 680. e. in exercitu deinde Philippi Flandriæ Comitis militat. 153. a. in colloquio Gisortii habito VIII Kal. Octobris, ei Henricus pater offert mediam partem reddituum Aquitaniæ cum 4 castellis idoneis, sed eam pacis compositionem respuit Ludovicus Rex Franc. 156. d. Eodem anno, Richardus armis militaribus ab eodem Ludovico donatur. 158. b. Anno 1174, bellum in patrem instaurat in Pictavia et ejus in se arma concitat. Videns autem Franciæ Regis auxilium sibi deficere, patris ad genua procumbit, et IX Kal. Octobris in gratiam recipitur in urbe Pictaviensi. 161. a. 280. b. Inde cum patre profectus ad Montem-Laudiacum, pridie Kal. Octobris pacem cum eo componit, præ minori ætate benignè acceptus. 118. b. 161. b. n. 197. c. n. 280. d. Anno 1175, missus in Aquitaniam circa Pascha, hostilia castella patris jussu diruit. 162. a. 163. d. 319. b. Circa festum S. Joannis Bapt. exercitum ducit in Aginnensem provinciam, et Castellionem castrum Arnaldi de Bovilla expugnat. 163. d. An. 1176, vigiliâ Paschæ, Wintoniam ad patrem accedit; peractâ verò Paschali solemnitate, in Pictaviam revertitur ad debellandos insurgentes in se Proceres. 164. b. n. Statim post Pentecosten, prælia committit cum Brabancenis inter S. Megrinum et Butevillam, et eos fundit. Inde exercitum promovet adversùs Ademarum Vicecomitem Lemovicensem, cui Aessam castellum aufert. Obsessam deinde Lemovicensem urbem infra dies paucos capit. 165. b. 321. a. (ubi malè an. 1177.) Post festum S. Joannis Bapt. accedente ad eum Henrico fratre suo, Vulgrinum Vicecomitem Engolism. aggreditur, cui Novum-castrum vi armorum tollit. Recedente verò fratre suo, victoriam prosecutus, *Mulinous* eidem aufert, ac tandem Engolismensem urbem obsidet. 165. c. Erant ibi ad propugnandum Guillelmus *Taillefer* Comes Engolismensis cum Vulgrino filio suo, Ademarus Vicecomes Lemovicensis, Vicecomes Ventadorensis, et Eschivardus Vicecomes de *Chabanais*, quos ad deditionem coactos mittit in Angliam ad Henricum patrem suum, et ad se remissos eâ lege ad pacem admittit, ut sibi Comes Engolism. urbem Engolismensem, castella de Butevilla, de *Archiac*, de *Muntiniac*, de Lachesa, de Melpis reddat. 165. c. d. 200. a. Eodem anno, festum Natalis Domini exigit Burdigalæ. 167. c. Inde Akensem urbem quam Petrus Vicecomes et Centulus Bigorniæ Comes munierant, infra dies decem expugnat. 167. c. Progressus Baoniam, Ernaldo-Bertranno eam post dies decem aufert. 167. c. Perveniens ad Portas-cizare, quæ portæ Hispaniæ vocantur, castellum S. Petri eadem die expugnat; emendatisque pravis consuetudinibus apud *Sorges* et *Lespurun*, ubi mos erat peregrinos S. Jacobi spoliare, ante Purificationem B. Mariæ anno 1177 Pictaviensem ad urbem revertitur, et missis in Angliam nunciis, rem gestam patri significat. 167. c. Mense Augusto, interest colloquio inter patrem et Regem Ludovicum habito de susceptione Crucis in expeditionem Hierosolymitanam. 320. c. Mense Septembri, mittitur in Berriam ad debellandos patris sui hostes. 172. b. Subinde diem Natalis Domini cum patre solemnem agit Andegavis. 321. c. Anno 1178, exercitum ducit mense Julio ad Akensem urbem adversùs Centulum Bigorniæ Comitem, quem a civibus jam compeditum invenit. Rogante tamen Alphonso Aragoniæ Rege et pro eo fidejussorem se præbente, illum in libertatem restituit, eâ lege ut Clarus-mons et castellum de *Munbrun* in ejus potestatem cederent. 178. c. Inde Santonas reversus, et celebratâ ibi Natalis Domini festivitate, an. 1179 Pontem castellum Gaufridi de Rancona obsidet, sed non expugnat; relictis tamen ibi strategis suis, ipse hebdomadâ Paschæ castellum Rigemundæ capit et evertit, post clausum Pascha castella *Genzai*, *Martillac*, Grumvillam et Agenvillam expugnat et subvertit. 179. a. Diebus octo ante Ascensionem Domini, Kal. Maii, Tailleburgum castellum ejusdem Gaufridi obsidione vallat; feriâ tertiâ Rogationum oppidanos adversùm se egressos in villam retrudit, ac die Ascensionis Domini castellum ad deditionem cogit. 179. a. 201. e. 322. c. Eo subverso, Pontem quoque castellum solo sternit, quia dominus ipsius Gaufrido erat fœderatus. 179. a. 322. c. Post Pentecosten, redditis sibi ab Engolismensi Co-

Digitized by Google

mite urbe Engolism. et castello de *Muntiniac*, eorum mœnia evertit. 179. a. Post hæc in Angliam ad patrem profectus, sepulcrum B. Thomæ Cantuar. devotus adit. 179. a. 202. b. 322. d. Eodem anno, interfuit coronationi Philippi Augusti. 683. b. An. 1182, castellum Claravallis firmavit, quod quia pertinebat ad Comitatum Andegav. discordiæ inter patrem et fratres seminarium fuit. 326. a. Mores ejusdem adumbrantur, et cum moribus Henrici fratris sui comparantur. 210. a-e.

Richardus Comes Cestriæ, filius unicus Hugonis, tutelæ Henrici I Angliæ Regis commendatus, an. 1104 damnis afficitur a Guillelmo Comite Moritoniensi. 12. a. An. 1120, in Angliam vela faciens in navi Guillelmi Adelini, naufragio perit cum uxore sua Mathilde filia Stephani Comitis Blesensis. 18. d. 36. a. n. 62. b. 74. c. 80. c.

Richardus filius Comitis (Ranulphi, ut videtur, Cestriæ Comitis) anno 1173 Henrico II Angliæ Regi militat adversùs Regem Franc. Ludovicum in obsidione oppidi Vernoliensis. 154. a. Anno 1173 moritur Glocestriæ, relinquens filium successorem nomine Philippum ex N. sorore Roberti de Monteforti. 319. c.

Richardus de *Humet* vel *Humez*, Constabularius Henrici II Angl. Regis, anno 1164 congregatis mense Augusto Baronibus Normanniæ et Britanniæ, castrum *Comborc* capit quod Radulphus de Fulgeriis occupaverat post obitum Joannis de Dolis. 309. a. Anno 1173, Angliæ Regi militat adversùs Regem Franc. Ludovicum in obsidione oppidi Vernoliensis. 154. a. An. 1180 moritur, cùm religiosè vixisset uno anno et dimidio in Abbatia de Alneto quam ædificaverat. 325. a. Filii, Ingerrannus, Guillelmus, Emorannus, Jordanus.

Richardus de *Humet*, Ingerranni filius, an. 1180 patri succedit. 324. c.

Richardus de Luccio, an. 1154 fidejussor datur ab Stephano Angliæ Rege Henrico Normanniæ Duci, de obtinendo post se regno. 101. n. An. 1164 et seqq. militiæ præfecturam et Justitiarii munus agebat in Anglia. 129. b. 130. c. 136. c. An. 1173, egregiam Henrico Regi navat operam adversùs conjuratos regni Proceres. 115. c. 156. b. 157. b. An. 1176, castellum de Angra aufert eidem Rex Henricus. 166. c. An. 1179, nuntium remittit sæculo et Regiis negotiis, relicto successore Richardo nepote suo ex filio Gaufredo. 322. d.

Richardi de Montefalconis filii ex Agnete de Monte-beliardo, Amedæus Comes Montis-beliardi, Theodericus Bisuntinensis Archiep.

Richardus de *Recuers* vel *Reduers*, an. 1101 deficientibus ab Henrico I Angliæ Rege optimatibus, eidem adversùs Robertum Normanniæ Ducem adhæret. 10. c. Anno 1107, moritur. 72. d.

Richardus de Reduariis, Balduini filius, anno 1155 patri succedit. 289. a. Anno 1162 mortem obit, dominus insulæ Vectæ, relinquens ex filia Rainaldi Comitis Cornubiæ filium nomine Balduinum. 307. a.

S. Richarii oppidum cum Ecclesia flammis absumit anno 1131 Hugo Campus-avenæ Comes S. Pauli. 269. d. 495. b. 698. c.

Richeldis, Montensis Comitissa, an. 1071 filio suo Arnulpho Flandriæ Comiti a patruo exhæredato suppetias venit cum Hannoniensibus, et a Flandrensibus apud Cassellum capitur, dum Robertus Frisius ab Hannoniensibus teneretur. 544. d. Commutatione utrinque factâ, mox libertati redditur; sed filio suo Arnulpho in eodem certamine perempto, in Hannoniam cum altero filio Balduino revertitur. 544. d. Eodem anno, feoda sua et allodia Hannoniæ obnoxia facit Theoduino Leod. Episc. ut acceptâ pecuniâ stipendiarios conducat ad auferendam Roberto Frisoni Flandriam. 545. d. *et seq.* Anno 1081, Brocorensem S. Dionysii Ecclesiam excitat. 547. b. n. Eo vel seq. anno, Mirwaldense castrum cum adjacentiis vendit Henrico Leod. Episc. 587. d. 681. a. Româ rediens circa an. 1085 ad S. Hubertum divertit, ut insidias Arnulphi Chisniacensis declinet, ibique dies octo diversata fiscum Caviniacum eidem Ecclesiæ jam oppignoratum emendum proponit. 588 c. d. An. 1086, moritur. 258. e. 547. n.

Richemundiæ Comitatum an. 1158 fisco addicit Henricus II Angl. Rex, ob occupatum a Conano Comite Nannetensem Comitatum. 104. a. An. 1171, idem Comitatus cedit in potestatem ejusdem Henrici, gratiâ futuri connubii filii sui Gaufridi cum Constantia filia Conani IV Britanniæ Ducis. 314. c. Richemundiæ Comites, Alanus I, II, III, Conanus.

Richerius, Senon. Archiep an. 1097 moritur, 20 die post Natale Domini. 672. e.

Richerius de *Brie*, Metensis Ecclesiæ Decanus, an. 1089 Virdunensem Episcopatum adipiscitur dono Henrici Imp. cui fidem suam obligat et fratres suos obsides tradit. 622. d. 630. a. n. 641. a. 686. d. Inde Romanæ Ecclesiæ offensam cùm incurrisset, septem annis præest consecrationis expers, tandemque abjuratâ Imperatoris parte, ab Hugone Lugdun. Archiep. consecratur an. 1095, die sancto Paschæ. 622. e. 630. b. 641. a. An. 1096, Mosacum et Sathanacum emit a Duce Godefrido Hierosolymam profecturo. 631. b. Comitatum quoque urbis ab eodem receptum contradit Balduino fratri ejus, ipsoque Hierosolymam proficiscente, Theoderico Comiti Barrensi, donis et obsequiis delinitus. 631. c. 688. c. An. 1097, Henricum Imp. sibi infensum convenit, et ut obsides eximat e carcere, ejus se communione iterùm contaminat. 631. c. 632. a. Tribus itaque annis ab Episcopalibus muniis se abstinet, et circa an. 1100 Paschalem Papam per legatos sibi placabilem efficit : quo jubente, absolutionem ab Hugone Lugdun. Archiep. percipit. 632. a. An. 1107, mortalitatem explet. 632. b. 641. a. 689. c.

Richerius de Aquila, an. 1152 armis Henrici Normanniæ Ducis impetitur mense Augusto, et obsides de pace servanda dare cogitur, postquam munitio ejus Bonmolini flammis absumpta est. 295. a. Anno 1176 moritur, filium relinquens cognominem. 319. d.

Ridel. Vide, Gaufridus.

de *Rieux. Vide*, Rollandus.

Ripatorii Abbas, Alanus.

de Risnello. *V.* Hugo, Theobaldus.

de Rista. *Vide*, Conradus, filius Hugonis Comitis de Lignenvilla.

de *Riveau. Vide*, Guillelmus.

de *Rivelent. Vide*, Guillelmus.

Robertus I, Atrebatensis Episc. an. 1115 succedit Lamberto. 327. a. 453. e. 461. d. Anno 1130 vel 1131 moritur. 270. a. 329. b.

Robertus, Ariensis Præpositus, anno 1173 eligitur Atrebatensis Episc. 279. e. 422. c. 474. c. Eodem anno, ut Regem Ludovicum promereatur, Philippum Flandriæ Comitem pertrahit in partes Henrici filii Henrici II Angliæ Regis in patrem rebellis. 196. e. An. 1174, nondùm consecratus Atrebat. Episc. assumitur ad Episcopatum Camerac. favore Philippi Comitis Flandriæ, reclamantibus licèt quibusdam Clericorum. 153. b. 280. b. 422. d. 474. c. 540. c. 575. d. Eodem anno, non verò 1175, profectus in Brabantiam Autumni tempestate, dum Condato iter facit, a ministris Jacobi de Avesnis quem in obsidione urbis Rotomag. contumeliis affecerat, in pontis descensu perimitur IV vel III Nonas Octobris. 197. a. 280. c. 422. d. 474. c. 540. d. n. 575. e. 681. b. 713. a. n. 723. c. 749. b. ejus arrogantiæ specimen. 681. c.

Robertus de Blanzeio, Monachus Beccensis, an. 1159 Abbas efficitur S. Ebrulfi, primâ hebdomadâ Septuagesimæ. 301. n. 304. a. An. 1177, moritur. 320. b.

Robertus Abbas Dunensis creatur an. 1138. 271. d. 470. b. Anno 1153, successor datur B. Bernardo Clareval. Abbati. 275. c. 296. b. 470. b. An. 1158, vivere desinit. 277. a.

Robertus Grossus, ad Abbatiam Cluniac. assumitur anno 1157 tumultuariâ electione, quia cognatus erat Comitis Flandriæ. 299. d. Eod. anno exauctoratus moritur, dum Româ revertitur. 300. a.

Robertus II, Abbas Majoris-monasterii, an. 1155 succedit Garnerio. 298. b. An. 1165, vitæ finem imponit. 309. d.

Robertus III, Abbas Majoris-monasterii an. 1165 succedit alteri Roberto. 309. d. Anno 1177 vel 1178 moritur. 320. b. 322. b.

B. Robertus Abbas Molismensis efficitur an. 1075. 724. c. Anno 1098, Cisterciense Cœnobium condit. 261. d. 459. d. 673. a. Eod. anno, jussu Urbani Papæ Molismum revertitur. 673. b. Anno 1110, in cœlos abit, XV Kal. Maii. 674. a.

Robertus de Torinneio, Prior Beccensis, an. 1154 eligitur ad Abbatiam S. Michaëlis de Monte, VI Kal. Junii. 296. e. Die S. Joannis Bapt. ejus electionem ratam habet Rotomagi Henricus Dux Normanniæ. 296. e. Die S. Mariæ Magdalenæ, in Abbatem benedicitur ab Herberto Abrincensi Episcopo et Girardo Sagiensi. 297. a. An. 1161, e sacro fonte suscipit Alienoram filiam Henrici II Angliæ Regis. 306. c. An. 1162, castello Pontis-Ursonis ab eodem præficitur mense Januario, amoto inde Aquilino de Furnis. 306. c. Anno 1169, mense Maio, Redonis occurrit Gaufrido filio Henrici Angl. Regis, Britonum

Digitized by Google

fidem elicienti. 313. b. Anno 1175, in Angliam navigat, et cartam Regis, possessiones Ecclesiæ confirmantis, reportat. 319. c. An. 1177, interest electioni Rollandi Dolensis Archiep. die S. Martini. 321. c.

Robertus Bellismensis, Rogeri de Montegomerico filius, an. 1088 in Angliam mittitur a Roberto Normanniæ Duce, operam suam collaturus conjuratis regni Proceribus adversùs Guillelmum II Angliæ Regem. 68. b. An. 1099, Scrobesbiriæ Comitatum assequitur post Hugonem fratrem. 32. c. 57. b. An. 1102, circa Pascha, bello impetitur ab Henrico I Angliæ Rege, quia partes Roberti Normanniæ Ducis adjuverat, rebusque suis spoliatus indignabundus in Normanniam trajicit. 11. c. d. 33. b. 58. e. 71. d. e. 248. b. Junctis itaque manibus cum Roberto Normanniæ Duce, bellorum facem immittit in Normanniam. 11. d. 12. b. 39. b. An. 1105, missus ad Angl. Regem die Nativitatis Dominicæ interest curiæ Westmonasteriensi, indeque hostili animo in Normanniam revertitur. 39. c. Anno 1106, Roberto Normanniæ Duci militat in prælio Tenerchebraïco, eoque capto, fugâ elabitur. 12. d. 33. e. 60. a. 72. c. 252. d. An. 1112, legatione fungens pro Rege Franc. Ludovico, mense Octobri capitur ab Henrico I Angliæ Rege, ac spreto jure gentium in vincula conjicitur apud Cæsaris - burgum, indeque seq. anno in Angliam transmissus æstatis tempore, apud *Warham* perpetuo carceri addicitur. 13. a. n. 34. d. n. 60. d. 73. c. Mores ejusdem adumbrantur. 13. a. 34. n. Filius ex Agnete Pontivensi, Guillelmus-Talavacius.

Robertus Bethuniæ Advocatus anno 1158 a Philippo Flandriæ Comite captus ob multiplices nequitias, Duaci in custodiam traditur, et hebdomadâ transactâ libertati redditur, sponsâ Comiti fide de servandis patriæ juribus. 515. e. An. 1177, legatione fungitur pro eodem Philippo ad Henricum II Angliæ Regem. 167. e. An. 1179, Regem Franciæ Ludovicum comitatur ad sepulcrum B. Thomæ Cantuar. peregrinantem. 180. c.

Robertus Botuensis seu de Bova dictus, Thomæ de Marla filius, an. 1154 ingressus castra nepotum suorum tyrannidem exercet in terra. 333. d. Eodem vel seq. anno, uxoris suæ fidem suspectam habens, et ei, quia Hugonis Campi-avenæ filia erat, illudere formidans, in ejus familiares desævit : quos igni traditos virtus divina illæsos servavit. 514. a. b. n. An. 1161, e carcere Guillelmi Siciliæ Regis emittitur. 518. d. n.

Robertus de *Brus* an. 1138 pro Stephano Angliæ Rege militat in prælio *Standardi* adversùs Davidem Scotiæ Regem. 85. c. n. An. 1142 moritur. 89. c. Filius, Adam.

Roberti de S. Claro uxor, Eleonora de Brana.

Roberti, filii Radulphi Codiciac. et Godæ de *Praiaus* filius, Joannes dominus de *Pyon*.

Robertus, filius Regis Ludovici VI, perperàm secundus natu asseritur, et ob suam hebetudinem regno privatus. 469. b. n. Post an. 1144 uxorem ducit Harvisiam viduam Rotrodi Comitis Perticensis. 290. b. 295. a. Dorcassino etiam castro a fratre suo Ludovico VII donatur. 295. a. An. 1146, in Conventu Vizeliacensi Hierosol. itineri se devovet. 291. b. An. 1150, Sagiensem urbem cum Ludovico aggreditur et incendit, ad ulciscendam proditionem Joannis filii Guillelmi Talavacii, qui castellum suum de Nube Gaufrido Comiti Andegav. tradiderat. 292. d. An. 1152, post festum S. Joannis, impressionem facit in Normanniam cum Rege Ludovico fratre suo. 184. b. 293. d. An. 1159, Ludovico fratre suo in partibus Tolosanis adversùs Henricum II Angliæ Regem occupato, Franciam ab infestatione Normannorum et Theobaldi Comitis Blesensis tuetur. 304. a. An. 1173, Regi Ludovico militans in obsidione oppidi Vernolii, fidejussor datur Vernoliensibus. 153. c. 154. d. 193. a. An. 1177, in colloquio Ivriaci habito pacis sequester eligitur inter Regem Ludovicum et Henricum II Angliæ Regem. 171. n. Filia ex uxore prima, Harvisia Perticensi Comitissa, Alaïs; ex secunda uxore Agnete de Brana filii, Robertus, Philippus Bellovac. Episc. Henricus Aurelian. Episc. ac filiæ duæ, Aelis uxor Radulphi Codiciac. et N. mater Simonis de Castrovillani. 711. n.

Robertus II, Comes Drocensis, an. 1177 uxorem ducit Mathildem Nivernensem Comitissam, a qua postmodùm ob consanguinitatem fuit separatus. 166. n. 320. a. n. Filii ex secunda uxore Yolende Codiciac. Henricus Remensis Archiep. Robertus Comes de Brana, Petrus Comes Britanniæ, Joannes Comes Matisconensis, ac filiæ septem, Eleonora uxor Hugonis IV de Novo-castello, dein Roberti de S. Claro, Isabella uxor Joannis II de Roceio, N. uxor Rainaldi de Caseblo, Philippa uxor Henrici Comitis Barrensis, Agnes conjux Stephani Cabilonensis, Yolens uxor Radulphi III Comitis de Augo, N. Monialis Fontis-Evraldi. 711. b.

Roberti III Comitis Drocensis filii ex N. de Sancto-Valerico, Joannes, Robertus et Yolens.

Robertus Frisius dictus, filius Balduini Insulani Flandriæ Comitis, uxorem ducit, patre vivente, Gertrudem Hollandiæ Comitissam. 372. e. An. 1070, filiorum Balduini fratris sui et totius Flandriæ procurationem suscipit, et sacramento se astringit de servando ipsis Comitatu. 373. b. 544. b. Fratre ad patres apposito, eorum hæreditati inhiat, et conciliatis sibi Flandrensibus maritimis, pro Comite se gerit. 373. c. 544. b. Bello idcircò lacessitus ab Arnulpho Comite et Philippo Franc. Rege, an. 1071 apud Cassellum dimicat, ac primò captus et mox libertati redditus victoriam reportat, ubi cùm Arnulphus occubuisset, Flandriæ Comitatu potitur. 48. b. 373. c-e. 416. b. 417. a. n. 473. e. 544. b. d. Eodem tempore privatur ob suam perfidiam annuâ trecentarum marcarum pensitatione, quam patri ejus Guillelmus Nothus ratione clientelæ et affinitatis dare consueverat. 13. d. Ipso et seqq. annis bellum gerit cum Richelde Montensi Comitissa et Balduino ejus filio pro recuperando Flandriæ Comitatu decertantibus, frustratusque eorum conatus impressionem facit in Hannoniam. 546. e. Conserto in territorio de Broqueroia prælio, multos Hannonienses prosternit; pervagatâque Hannoniâ, munitionem apud Vorechiacum ad Scaldim fl. firmat, quam postmodùm Comes Hannoniensis delevit. 547. a. Interim de Hollandia fugatis a Godefrido Gibboso Lotharingiæ Duce privignis suis, quorum tutelam susceperat, an. 1076 necem ei per quosdam suos necessarios infert, mense Februario, et Hollandiam armorum vi privignis suis restituit. 257. n. 418. n. 545. n. 586. e. 684. d. 714. c. Eod. anno, cum Balduino fratris filio, Hannoniæ Comite, dimicat apud Donengium, et vincitur. 257. c. An. 1085, auxilia subministrat Canuto Daniæ Regi, genero suo, irruptionem in Angliam meditanti. 50. b. Eodem vel seq. anno, excitus crebris Alexii Imp. C. P. litteris ad ferendam Christianis opem, in Palestinam proficiscitur. 258. e. 418. a. 419. a. n. 457. e. 548. b. Commonitus ibi ut, ad abolendum perjurium, justis hæredibus fratris sui Flandriam resignet, Duacum eis tantùm villam redux restituit. 419. b. n. 458. a. Anno 1092, exorto in Cameracensi Ecclesia schismate, Cameracesii Proceres sibi clientelâ devincit, quibuscum prædas agit et incendia. 480. a. 535. c. Eodem anno, commonitus a Patribus Remensis Concilii, ut Ecclesiis satisfaciat, quas divexaverat, morem gerit. 458. b. Anno 1093, moritur III Idus Octobris apud *Winendale*, quam arcem extruxerat, et Casleti sepelitur in Ecclesia S. Petri. 69. b. 260. b. 411. a. n. 418. a. 453. c. 458. b. Filii ex Gertrude, Robertus, Philippus; filiæ, Adela, Gertrudis, Ogiena.

Robertus II, Junior dictus, an. 1085 vel 1086, patre in Palestinam peregrinante, Flandriæ Comitatum suscipit regendum. 258. e. 418. a. 419. a. n. 457. e. An. 1093, patri defuncto succedit. 260. b. 418. a. 419. b. 458. c. Eodem anno, primordia Tornacensis Ecclesiæ adjuvat. 393. e. Circa idem tempus, ab Urbano Papa commonetur ut ab infestatione Cameracensium temperet, et Gualchero Episc. suam opem conferat. 482. b. Gualchero in Concilio Claromontensi exauctorato, Cameracensem terram jussu Remensis Archiepisc. invadit an. 1095, et Marconium castellum extruit, sed armis Comitis Lovaniensis et Otberti Leodiensis Episcopi abigitur. 486. a. Anno 1096, Hierosolymam profectus mense Septembri, inter Crucesignatos enituit, S. Georgii filius ab Arabibus appellatus. 8. n. 32. b. 70. a. 217. c. 261. a. 335. d. 394. b. 411. b. 459. c. 549. a. 623. d. 716. e. Anno 1100, in patriam revertitur Autumni tempestate. 58. c. 71. a. 394. c. 460. b. Redux e Palestina brachium S. Georgii Martyris transmittit Aquicinctum XII Kal. Julii. 262. c. n. Circa idem tempus, con-

Digitized by Google

suetudines Cluniacensium inducit in Cœnobia S. Wedasti Atrebatensis et S. Petri Gandavensis. 403. d. Munus quoque trecentarum marcarum, Flandriæ Comitibus ab Angliæ Regibus pensitari solitum et patri subtractum, ab Henrico Rege vix impetrat, eâ lege ut cum mille sibi militibus, cùm necesse fuerit, stipendia faciat. 13. d. n. An. 1102, Cameraci fines vastat, incassum obsessâ urbe : cui vicem rependens Imperator, Autumni tempestate provinciam ejus populatur, captis quibusdam castellis, Marconio, *Paluels*, Incenio, Sclusâ et Bulcenio. 263. a. 411. b. 453. d. 460. c. 486. d. 536. c. 581. d. 604. a. 717. c. 727. e. Imperatore ob instantem hyemem recedente, Cameracum denuò aggreditur et incendit, inducias deinde cum civibus paciscitur usque ad Nativitatem B. Mariæ. 486. e. 487. a. 536. c. 728. a. Inter hæc Imperatori cum exercitu in Flandriam properanti occurrit Leodii, cui congruâ satisfactione placato, an. 1103 in generali Conventu die Apost. Petri et Pauli habito, clientelam pro Cameracesio profitetur, et Gualcheri partes amplectitur. 263. a. 453. d. 487. b. 492. e. 604. a. 717. d. 728. a. An. 1105 vel 1106, Odonem electum Cameracensem Episc. in Gualcheri locum perducit Cameracum. 488. d. Circa idem tempus, et anno, ut videtur, 1107, castrum Duacum aufert Balduino Comiti Hannon. quibusdam pactionibus matrimonii circumvento, et Imperatoris arma in se concitat. 420. a. 460. c. 547. c. Gualchero quoque querelam de eo ad Henricum V Imp. faciente, Robertus anno 1107, non verò 1108, mense Octobri, armis ejusdem impetitur, Duacum castrum obsidetur, et per unum et alterum mensem terra ejus vastatur. 263. e. 488. e. 489. a. n. 604. b. 718. e. Sequenti Natalis Domini festo, Moguntiam accedit Robertus, ibique Imperatoris gratiam promeretur, impetratâ ad tempus Cameracensi provinciâ. 263. e. 487. b. 497. d. 537. a. 718. e. An. 1111, stipendia faciens Regi Ludovico apud Meldas seu Domnummartinum, pedibus equorum conculcatus moritur, et Atrebatum reportatus sepulturâ donatur in Ecclesia S. Wedasti. 34. d. 60. d. 266. a. 335. c. n. 394. c. n. 411. b. 418. a. 420. b. 453. e. 461. e. n. 490. c. 493. a. 691. a. 693. a. 729. b. Filii ex Clementia, Balduinus, Guillelmus.

Robertus, Comes Glocestriæ, filius naturalis Henrici I Angliæ Regis, an. 1123 a patre in Normanniam mittitur, ut eam ab infestatione Guillelmi filii Roberti Ducis et fautorum ejus tueatur. 81. b. An. 1126, Robertum Normanniæ Ducem suæ fidei concreditum excipit Bristowæ. 63. b. An. 1127, sorori suæ Mathildi Eximperatrici sacramento se obligat de tradendo ipsi regno, si patrem absque mascula prole obire contingat. 21. b. Ipso an. eidem comes datur ad nuptias cum Gaufrido Comite Andegav. celebrandas in Normanniam transeunti. 63. c. An. 1135, patri Henrico morienti assistit, eumque sciscitatus de regni successore, Mathildi ab eo designatæ integram fidem deinceps servat. 22. e. Mense Decembri, colloquium habet cum Theobaldo Comite Blesensi pro Normanniæ Duce se gerente. Compertâ verò Stephani Angliæ Regis coronatione, Falesiam eidem permittit habendam, asportato priùs regio thesauro. 287. e. Anno 1136, in Angliam transit post Pascha. 23. c. Perspectis autem Stephani Regis adminiculis, eidem clientelam profitetur, quamdiu nimirùm dignitate suâ integrè potietur. 24. a. An. 1137, ipso die Paschæ, in Normanniam revertitur, ubi Stephani Regis insidiis ad necem quæsitus ab ejus curia se abstinuit; satagente nihilominùs Hugone Rotomag. Archiep. Regi reconciliatur, eoque in Angliam abeunte, ipse annum unum in Normannia moratur. 24. c. 66. b. An. 1138, circa Pascha, Gaufrido Comiti Andegav. fœdere sociatur, et præstitam Stephano Regi fidem abjurat : quare possessionibus suis in Anglia præter *Bristow* spoliatur. 25. a. 39. e. 76. b. 121. e. 288. c. Mense Octobri, opem confert Comiti Andegav. Falesiam obsidenti. 288. e. An. 1139, ante festum S. Petri ad vincula, pridie Kal. Augusti, in Angliam appellit cum Mathilde Imperatrice, eâque fidei novercæ illius Adelæ concreditâ apud *Arundel*, tutâ, ut putabat, statione, Bristowam contendit, et mox eamdem Arundello ejectam, Rege permittente, deducit Bristowam. 25. c. 26. a. 76. c. 122. a. Anno 1140, post Pentecosten, interest conventui Bathoniensi, ubi de pace cum Stephano Rege incassum actum est. 26. d. Ante Assumptionem verò B. Mariæ, exercitum ducit versùs Bathoniam, sed insidiis Angliæ Regis præventus, quod animo proposuerat perficere nequit. 77. a. An. 1141, rogatus a Ranulfo Cestriæ Comite, genero suo, ut Lincolniense castellum ab obsidione Stephani Regis eximat, die Purificationis B. Mariæ prælium committit, captumque Regem in manus Imperatricis tradit. 27. b-e. 40. c. 66. c. 77. b. 88. a-c. 96. b. 393. b. 413. b. 470. d. Post hæc cum Henrico Wintoniensi Episc. agit, ut Mathildis in Angliæ dominam recipiatur. 27. e. Ortâ subinde inter eam et Episcopum simultate, pacis componendæ gratiâ Wintoniam accedit; sed re infectâ, Oxenfordiam ad sororem redit. 28. c. Circa Assumptionem beatæ Mariæ, præsidio se castelli Wintoniensis sororemque suam tuetur : ubi prævalentibus Regis fautoribus cedendum ratus, post sororem et socios exiens solus capitur die Exaltationis S. Crucis, in manusque Reginæ traditus, custodiæ Guillelmi Yprensis in urbe Rofensi traditur. 28. e. 42. a. 66. d. 78. c. 89. a. 96. d. Ibi nec blanditiis nec minis inflexus ut a sorore desciscat, tandem die Sanctorum omnium pro Rege commutatur, nullo alio pacto interposito quàm ut quisque suas partes, ut priùs, tueatur. 29. a. 42. a. 66. d. 78. d. n. 89. b. 96. d. 413. b. An. 1142 aliquantò post festum S. Joannis in Normanniam transit, ut Gaufridum Comitem Andegav. ad auxiliandum uxori perducat in Angliam, congressusque cum eo Cadomi, cunctantem ad expugnanda Normanniæ castella adjuvat. 29. e. 30. a. 122. d. 289. c. Audiens autem Imperatricem ab Angliæ Rege obsideri apud Oxenefordiam, tempore Adventûs reditum in Angliam maturat cum Henrico ejus filio, quem a Comite vix impetravit. 30. a. b. 122. d. 289. c. Collectis verò militibus, castellum Warhamiæ aggreditur ut Regem ab obsidione retrahat, illudque post tres hebdomadas expugnat, et inde sorori suæ Oxenefordiâ egressæ jungitur apud *Walingeford*. 30. c. 122. e. 123. a. An. 1143, primâ die mensis Julii, succendit Wiltoniam, ubi præsidia sua Rex Stephanus collocarat. 123. b. An. 1146, castellum *Ferendois* extruit, quod eodem anno Rex Stephanus occupavit. 42. c. Ipso anno, Henricum filium Imperatricis ad patrem remittit. 123. d. An. 1147, non verò 1148, moritur pridie Kal. Novembris. 90. c. 123. d. 736. c. Uxor Sibylla nata Roberto Haimonis filio, ex qua filii quinque, quorum primogenitus Guillelmus, et filia una nupta Ranulpho Comiti Cestriæ. 253. c. *Vide*, Robertus, Rogerius Wigorniensis Episc.

Robertus Guiscardus veneno necatus falsò asseritur. 7. n. Filius ex conjuge prima, Boamundus; ex secunda Rogerius ac tres filiæ. 222. d.

Robertus filius Haimonis, an. 1101, deficientibus ab Henrico I Angliæ Rege Optimatibus, eidem adversùs Robertum Normanniæ Ducem adhæret. 10. e. An. 1105, in obsidio Falesiæ in temporibus conto percutitur, et amens efficitur. 12. c. An. 1107, moritur. 72. c. Is Theochesbiriæ Monasterium condidit, ob Ecclesiæ Bajocensis incendium ab Henrico Rege sui causâ liberandi perpetratum. 12. d. Filia, Sibylla.

Roberti de Hammis filius, Arnoldus.

Robertus Comes Leicestriæ, an. 1136 inimicitias exercet cum Rogerio de Toenio, quem debellat ope Theobaldi Comitis Blesensis. 288. a. An. 1150, partes Henrici filii Mathildis Imperatricis amplectitur, ut Angliæ regnum ille adipiscatur. 91. b. An. 1165, legatos Henrici Saxoniæ Ducis schismate Victoris Antipapæ contaminatos ad osculum non admittit. 186. e. An. 1168 moritur, summus Angliæ Justitiarius, relinquens filium cognominem. 208. b. 312. d. 748. b. (ubi an. 1169.)

Robertus Comes Leicestriæ, Roberti filius, an. 1153 Pacei castrum adipiscitur, quia pertinebat ad honorem Britolii, cujus ille matris nomine hæres erat. 296. a. An. 1168, patri succedit, qui etiam per uxorem suam adeptus est hæreditatem de Grentemesnilio. 312. d. An. 1173, partibus Henrici filii Henrici II Angliæ Regis in patrem rebellis addictus, castella *Monsorel*, *Grobi* et Leicestriæ munit. 113. d. 152. d. 191. d. Obsessus in urbe Leicestria a Richardo de *Lusci* Angliæ Justitiario, eâque incensâ, in Flandriam trajicit. 115. c. VIII Kal. Octobris, interest colloquio Gisortii habito inter Henricum II Angliæ Regem et Regem Franciæ Ludovicum, ubi Regem Angliæ conviciis impetit, et appositâ gladio manu, minas in-

Digitized by Google

tentat. 156. n. Missus deinde cum exercitu Flandrensium in Angliam, circa festum S. Lucæ ab Hugone *Bigod* excipitur apud *Fremingham*, quocum III Idus Octobris castellum de *Hagenet* expugnat; sed dum Leicestriam pergit, XVII Kal. Novembris capitur apud S. Edmundum a strategis Angliæ Regis cum uxore et universa supellectile, et ad Regem transmissus Falesiæ includitur in carcere. 115. c-e. 137. d. 157. a-d. 193. d. e. 219. e. 317. d. Anno 1174, libertate donatur, rogatu Ludovici VII Regis Francorum. 118. c. An. 1176, castella ejus Leicestriæ et *Grobi* solo æquat Rex Henricus, et *Monsorel* retinet. 167. a. Anno verò 1177, reliquas ei possessiones reddit Henricus ad misericordiam inflexus. 168. b.

Roberti *Marmion* conjux N. filia Gervasii Comitis Reitestensis.

Robertus Comes Mellenti, filius Rogeri de Bellomonte, Anselmo Cantuar. Archiep. adversatur in causa investiturarum. 17. c. Mellentense castellum avunculi sui Hugonis, filii Gualeranni, pecuniâ nundinatur a Rege Francorum. 15. d. An. 1101, deficientibus ab Henrico I Angliæ Rege Optimatibus, eidem adversùs Robertum Normanniæ Ducem adhæret. 10 e. Summâ sub eodem Henrico vigens auctoritate, vestiendi et comedendi morem in Anglia immutavit. 13. e. ejus arbitrio Reges Francorum et Anglorum nunc concordes uniebantur, nunc discordes præliabantur. 16. n. Is in uxorem duxerat an. 1096 Elisabeth filiam Hugonis Magni Comitis Viromand. a qua postmodùm fuit separatus. 16. n. Moritur an. 1118, v Nonas Junii. 16. n. 35. b. 61. c. Filii, Gualerannus Comes Mellenti, Robertus Comes Leicestriæ; filiæ, N. nupta Hugoni de Monteforti, N. Hugoni de Novo-castello, Elisabeth.

Robertus, filius Gualeranni Comitis Mellenti. an. 1166 patri succedit. 309. e. An. 1173, partibus se addicit Henrici filii Henrici II Angliæ Regis in patrem rebellis. 151. c. 191. d. 316. b. Uxor N. filia Rainaldi Comitis Cornubiæ. 309. e.

Robertus de Molbraio Northumbriæ Comitatu a Guillelmo Conquestore donatur. 56. n. An. 1088, cum avunculo suo Gaufrido Constantiensi Episc. conjurationem facit, ut Robertus Dux Normanniæ ad Angliæ solium evehatur, manubiasque in pago Wultensi factas *Bristow* comportat. 2. c. 53. d. 67. d. 68. d. An. 1095, in necem Guillelmi Rufi Angliæ Regis conspirat, ut filius amitæ illius Stephanus de Albamarla Rex efficiatur : verùm apud *Babbeburg* captus circa festum omnium Sanctorum, æternis vinculis irretitur. 4. e. 32. a. 56. b. n. 69. c.

Robertus de Monteforti ad Risellam, an. 1153 avunculum suum Gualerannum Comitem Mellenti capit in colloquio propè Bernaium indicto, inclusumque in castello *Orbec*, nonnisi redditâ Montisfortis turri dimittit. 296. d. Anno 1154, avunculum Montisfortis castrum oppugnantem ignominiosè fugat. 296. d. An. 1163, duello superat Henricum de Essexa. 186. d. 308. b. An. 1173, partibus se addicit Henrici filii Henrici II Angliæ Regis, in patrem rebellis. 191. d. 316. c. An. 1178 moritur, Hugonem filium successorem relinquens, natum ex sorore Radulphi de Fulgeriis. 321. e.

Roberti Comitis Moritonii, fratris uterini Guillelmi Conquestoris, filius Guillelmus; filiæ N. conjux Andreæ de Vitreio, N. Guidonis de *Laval*, Emma Guillelmi Comitis Tolosani. 303. b.

Robertus, filius Guillelmi Nothi Angliæ Regis, an. 1077 a patre recedit ob negatam sibi Normanniam, et auxilio Philippi Francorum Regis provinciam infestat. 8. b. 49. n. 725. a. An. 1079, cum patre præliatur ante Gerboredum castellum, eumque in terram prostratum et vocis sono cognitum equo restituit et abire permittit. 50. a. n. An. 1080, autumni tempestate, mittitur a patre cum exercitu contra Malcolmum Scotiæ Regem. 50. n. An. 1087, a patre privatus Angliæ regno et benedictione paternâ, Normanniæ Ducatu contentus esse jubetur. 8. b. Anno 1088, mutuatâ ab Henrico fratre suo pecuniâ pro Constantiensi pago, eam mox in stipendiarios milites absumit. 9. e. 242. d. Ab Angliæ quippè Proceribus in Regem expetitus, navalem exercitum præmittit in auxilium perfidorum, qui a regiis militibus dissipatur. 3. b. 31. a. 54. b. 68. b. An. 1089, a Guillelmo fratre suo vicissim lacessitus, Philippum Francorum Regem suppetias advocat; sed eo pecuniâ Anglici Regis infracto et recedente, solus resistendo fratri impar efficitur. 54. e. Anno 1090, Henricum fratrem suum ex Anglia reducem excipit, ejusque operâ usus adversùs Anglicum Regem, nihilominùs Rotomago cedere benè meritum compellit. 10. a. Anno 1091, circa festum Candelarum, pacem componit cum Guillelmo fratre suo, eâ lege ut Fiscannum, Aucensis Comitatus et Cæsaris-burgus Regi remaneant. Rex verò ipsi auxilium impendat ad omnia subigenda quæ pater habuerat, præsertim Cenomanniam. 3. c. 31. c. 54. e. Mense Martio, contendens in Cenomanniam, Montem S. Michaëlis ubi se frater ejus Henricus incluserat, cum altero fratre Guillelmo obsidet, et sitientis misertus operam perdit. 3. c-e. 10. b. 69. a. 243. a-d. Mense Augusto, in Angliam transit cum Rege Guillelmo, quem cum Malcolmo Scotiæ Rege pacificavit. 4. b. 31. c. 55. b. Cùm verò plus ficti amoris quàm amicitiæ in eo agnosceret, duobus diebus ante Domini Natale in Normanniam revertitur cum Edgaro Clitone. 31. c. 55. c. ipso tamen anno Edgarum iis rebus in Normannia spoliat, quibus antea cum ditaverat. 55. a. An. 1093, Guillelmum fratrem suum per nuntios perjurii accusat, ob violatum vel neglectum fœdus anni 1091. 55. c. Congressus itaque cum eodem in Normanniam appulso mediâ Quadragesimâ an. 1094, inimicior ab eo recedit. 31. d. 55. d. Vocato autem in auxilium sui Philippo Francorum Rege, Argentias castellum capit, deinde Holmense; tandemque Aucum adversùs fratrem profectus, a domino suo Francorum Rege, Anglici Regis pecuniâ corrupto, deseritur. 3. b. 31. d. 55. d. e. n. An. 1096, Hierosolymam profecturus, fratri suo Guillelmo Normanniam pignori opponit, acceptis decies mille marcis argenti seu libris 6666. 4. e. 32. b. 57. a. n. 70. b. 93. e. 244. c. 623. d. Mense verò Septembri, committit se itineri 8. a. 70. a. 217. c. 261. a. 394. b. 459. c. 549. a. 672. d. 716. e. Cùm inter Crucesignatos probè se gessisset, regnum Hierosolymitanum sibi oblatum præ socordia recusat. 8. c. 33. e. Relictâ Palestinâ, inter redeundum uxorem accipit in Apulia Sibyllam, filiam Gaufridi de Conversana, quacum in Normanniam revertitur anno 1100, mense Augusto, a Normannis gratanter exceptus, præter quàm in castellis quæ firmata erant ab Angliæ Regis militibus. 8. d. 10. e. 33. a. 58. c. 71. a. 95. a. n. 247. d. 673. d. Cùm verò frater ejus Henricus regnum interim Angliæ præripuisset, anno 1101 a conjuratis regni Proceribus expetitus exscensionem facit in Angliam ante Kal. Augusti; sed antequam ventum sit ad pugnam, paci manus dat, pactis sibi a fratre quotannis tribus millibus marcis. 8. e. 11. b. 33. b. 58. d. 71. c. 94. c. 217. d. 247. e. 248. a. b. 673. d. Post hæc in Anglia moram facit usque post festum S. Michaëlis. 33. b. 58. d. Anno 1103, in Angliam revertitur, ut Regem fautoribus suis de Anglia ejectis placabilem efficiat; verùm minis Roberti Comitis Mellenti perterritus, annuum tributum Reginæ petenti condonat. 8. e. 33. c 59. a. 72. a. 249. a-b. Reversus in Normanniam, Regi pagum Constantiensem et Damfrontum aufert : quo facto illius arma in se concitat. 249. c-e. Roberto quoque Bellismensi fœderatus, Regem plus offendit : qui, missis in Normanniam militibus, crebris eum infestationibus conterit. 12. b. 33. c. 59. b. 72. b. n. Interim totâ penè Normanniâ mutilatus, præter Rotomagum, Falesiam et Cadomum, a Burgensibus illis victum mendicare compellitur. 9. b. Ejectus autem a Cadomensibus ad Regem Henricum conversis, raptim se recipit Rotomagum, atque Regis Francorum et cognati sui Flandriæ Comitis auxilium implorat, sed nullum impetrat. 9. b. 252. d. Anno itaque 1105, circa Domini Natale, Robertum Bellismensem ad Regem mittit in Angliam, conquesturum de ejus perfidia, et anno seq. ante Quadragesimam eò ipse proficiscitur; at Rege damna resarcire detrectante, iratus in Normanniam revertitur. 33. d. 59. c. Eodem anno 1106, circa festum S. Michaëlis, Rege Tenerchebraïcum castrum Guillelmi Moritoniensis obsidente, illuc cum instructo exercitu properat Robertus, ultimam fortunam experturus : verùm victus et captus perpetuo carceri addicitur. 9. c. 12. d. 33. d. e. 59. e. 72. c. 94. d. 217. d. 252. d. 263. d. 393. a. 395. d. An. 1126, eductus e carcere rogatu Mathildis Imperatricis, servandus concreditur apud Bristowam Roberto Comiti Glocestriæ. 63. b. ibi anno 1134 vitâ defungitur. 75. d. 83. d. 286. e. mores ejusdem adumbrantur. 8-9. 93. d. Filii, Guillelmus, Richardus.

Robertus de Novo-burgo, filius Hen-

Digitized by Google

rici Comitis Warvici et Margaretæ Perticensis, an. 1141 munificum se erga Beccense Cœnobium præbet. 289. c. An. 1158, Margaretam filiam Regis Ludovici VII, sex menses natam, Henrico filio Henrici II Angliæ Regis desponsam, suscipit nutriendam. 301. a. An. 1159, moritur III Kal. Septembris, factus Monachus Becci Kalendis Augusti, cùm esset Vicedominus Normanniæ. 302. n. 304. a.

Robertus de Silleio, an. 1168 cum Hugone fratre suo rebellat adversùs Henricum II Angliæ Regem. 311. d. An. 1169, capitur a Guillelmo Malet. 312. e.

Robertus de Stutevilla, anno 1106 Roberto Normanniæ Duci militans in Tenerchebraïco prælio, capitur et in Angliam missus perpetuo carcere multatur. 60. a. 72. c. 217. d.

Robertus de Stutevilla, an. 1138 pro Stephano Angliæ Rege militat in prælio *Standardi* dicto adversùs Davidem Scotiæ Regem. 86. a. An. 1173, partes Henrici II Angliæ Regis tuetur contra rebellantes filios et conjuratos regni Proceres. 153. n. An. 1174, pro eodem Henrico dimicans apud *Alnewic*, Guillelmum Scotiæ Regem capit. 219. e.

Robertus de Vitreio moritur anno 1173, filium Andream successorem relinquens ex sorore Rollandi de Dinano. 317. e.

Robertus de *Waurin*, Flandriæ Senescallus, castra *Lilers* et Sanctum-Venantium adipiscitur gratiâ nuptiarum ipsius cum Sibylla filia Petri Flandrensis et Mathildis Comitissæ Nivernensis. 565. b.

Roceiensium Comitum genealogia. 694. b. d. *Vide*, Ebalus I, II, Hilduinus, Hugo *Cholet*, Joannes I, II, Radulphus, Wichardus.

de Rocheforda. *Vide*, Chales, Hamundus.

Rodulphus de *Zeringen*, qui priùs fuerat Moguntinus Archiep. an. 1167 vel 1168 fit Episcopus Leod. 602. c. 709. c. An. 1179, bellum gerit cum Gerardo Comite Lossensi. 602. d.

Rodulphus Abbas S. Vitoni Virdun. an. 1076 Ginoldo successor datur, ordinatus die S. Urbani seu 23 die Maii. 618. d. An. 1082, Româ revertitur et absolutionis gratiam Theoderico Virdun. Episc. reportat, quam ille spernit. 621. c. An. 1085, crescente persecutione Theoderici Episcopi, e Monasterio aufugit, et ad Divionense S. Benigni Cœnobium se recipit, ubi a Jarentone Abbate hospitio excipitur vigiliâ Annuntiationis Dominicæ. 622. a. 629. d. An. 1089, Theoderico in extremis agenti absolutionis gratiam impertitur, auctoritate sibi a Papa concessâ. 622. d. 630. a. An. 1092, mortuo Theoderico, ad suum revertitur Monasterium, revocatus a Richerio electo Episc. 622. d. 630. b. An. 1095, Richerium a partibus Imperatoris avocatum perducit Lugdunum, consecrandum ab Hugone Archiep. 630. b. An. 1099 moritur, V Kal. Aprilis. 624. a. c. 631. e. 641. a.

Rodulphus Dux Burgundionum et Suevorum anno 1077 Rex creatus opponitur a Saxonibus Henrico IV Imperatori. 257. d. 600. b. 649. b. An. 1080, inter præliandum perimitur in Saxonia. 258. a. 581. b. 621. b. 629. b. n. 644. d. 649. b.

Rodulphi *Flamenc* uxor, N. de *Creki*.

Rodulphi de *Lageri* filius, Gerardus.

Rodulphi de Mortania conjux, Joanna de Bethunia.

Rogerius, Eborac. Archiep. an. 1170, XVIII Kal. Julii, Henricum filium Henrici II Angl. Regis in Regem ungit Westmonasterii. 111. d. 134. c. 143. a. 188. e. 216. b. 313. e. 422. a. 474. a. 712. a. Eodem anno, Thomâ Cantuar. Archiep. de eo apud Romanum Pontificem ob violatum jus Cantuar. Ecclesiæ conquesto, abstinere sacris jubetur cum suffraganeis Episcopis. 112. a. 134. d. 144. d. An. 1171, coram judicibus ab Alexandro Papa delegatis purgat se de coronatione Henrici Regis filii et de nece Cantuar. Archiepiscopi, apud Albam-marlam, die S. Nicolaï. 189. e. Anno 1173, partes Henrici II Angl. Regis tuetur adversùs rebellantes filios et conjuratos Proceres. 153. n.

Rogerius de *Waurin*, an. 1174 cum Alardo contendit de Cameracensi Episcopatu, et cedere compellitur. 280. c. An. 1177 eidem succedit, et anno 1179 consecratur in Concilio Lateranensi a Guillelmo Remensi Archiep. 282. a. 541. b. n. 577. e. 584. d. 681. d. 713. b. Cameracum reversus de præpositura Novi-castri paciscitur cum Philippo Comite Flandriæ. 541. c. Cum civibus deinde Cameracensibus litigat coram Imperatore, et omnia Communiæ insignia aboleri curat. 541. d. An. 1191, peregrinationem Hierosol. aggressus morti occumbit. 542. a.

Rogerius de *Rosoi*, an. 1176 Laudunensem Episcopatum adipiscitur, industriâ et labore Balduini V Comitis Hannon. 576. e. 681. e. Consecratus a Guillelmo Remensi Archiep. v Idus Augusti. 713. b. Frustra cùm Regem Ludovicum deprecatus fuisset ut Laudunensem Communiam aboleret, anno 1177 vel 1178 armis eam dissipare aggreditur, et auxilio propinquorum et amicorum magnam civium stragem facit, Dominicâ secundâ Quadragesimæ, pridie Nonas Martii. 282. b. 578. a. 682. a. Inde cùm Regis offensam incurrisset, ad Galterum Lingonensem Episc. se recipit. 682. c. Anno 1179, ab Alexandro purgare se jubetur coram electis judicibus de cæde civium Laudunensium, quòd scilicet nullum propriâ manu interfecisset. 579. d. Cùm verò dies ei post Natale Domini assignata fuisset Meldis, primò Regem sibi per Comitem Hannon. efficit placabilem, deinde juramento trium Episcoporum absolutus, Regis in gratiam recipitur. 580. a. An. 1180, nuptias celebrat Philippi Augusti et Elisabeth Hannoniensis, Bapalmis. 282. d.

Rogerius Salisberiensis Episc. custos thesaurorum Henrici I Angl. Regis, cos an. 1135 in manus tradit Stephani Regis. 23. b. An. 1138, adesse Regis curiæ jussus, cum nepote suo Alexandro Lincoln. Episc. capitur ob exortam inter eorum satellites et homines Alani Comitis Britanniæ seditionem, atque ad reddenda castella sua compellitur. 25. c. 40. a. 66. a. 87. b.

Rogerius, Wigorn. Episc. filius Roberti Comitis Glocestriæ, an. 1171 Romam proficiscitur acturus causam Henrici II Angliæ Regis de nece Cantuar. Archiep. 146. a. An. 1172, Rotrodo Rotomag. Archiep. ministrat in coronandis Henrico juniore et Margareta conjuge. 147. a. Anno 1179, moritur Turonibus. 323. a.

Rogerius de *Bailleul*, Abbas Beccensis, an. 1149 succedit Letardo. 292. a. An. 1154, interest consecrationi Roberti Abbatis S. Michaëlis de Monte. 297. a. An. 1173, electus Cantuar. Archiep. eam dignitatem refutat. 136. c. 316. c. Anno 1179 moritur, cùm 31 annis Monasterio præfuisset. 323. b. in multis commendatur. *Ibid.*

Rogerius Dux Apuliæ an. 1092 uxorem ducit Alam Flandrensem, Rege Danorum Canuto viduatam. 335. b. 726. e. Filii, Ludovicus, Guiscardus, Guillelmus Comes.

Rogerius, Siciliæ Comes, defunctâ Eremburgâ priori uxore, alteram ducit, Adelaïdem neptem ex fratre Bonifacii Italiæ Marchionis. 726. d. Filiæ, Emma, Mathildis.

Rogerius Rex Siciliæ, an. 1149 Regem Ludovicum excipit Hierosolymâ revertentem, et arte quadam efficit ut sibi ab eo quasi jocando corona imponatur, professus se a sublimiori inter Christianos Principe coronari haud potuisse. 750. b. An. 1154 moritur, IV Kal. Martii. 296. e. 750. b. n. Filii ex Albyria, Anfusus, Henricus, Guillelmus; uxor secunda, Sibylla Burgundica, improlis; tertia, Beatrix Reitestensis, ex qua Constantia.

Rogerii de Bellomonte filii, Robertus Comes Mellenti, Henricus Warvici.

Rogerius *Bigod* anno 1088 adversùs Guillelmum II Angl. Regem conspirat, et apud *Norwich* constitutus inde rapinas exercet. 2. c. 30. e. 53. d. Anno 1101, partes Henrici I Angl. Regis tuetur adversùs Robertum Normanniæ Ducem. 10. e. An. 1107, moritur. 72. d.

Rogerius *Bigod*, anno 1177 patri suo Hugoni succedit. 320. c.

Rogerius, Vicecomes Biterrensis, Malabrancha dictus, necem ulturus patris sui Raimundi *Trencavel*, an. 1169 Biterrensium civium stragem facit, urbemque novis habitatoribus tradit. 108. a. 313. c. An. 1178, ob hæreticam pravitatem et ob injurias Albiensi Episcopo illatas, anathemate percellitur ab Henrico Clarevallensi Abbate. 176. n.

Rogerius Comes de Clara, moritur anno 1173, filium Gislebertum relinquens successorem. 316. e.

Rogeri de Condato uxor, Aelis de Montibus.

Rogeri de Jovevilla filii ex N. sorore Guidonis de Vangionis-rivo, Gaufridus Grossus, Robertus, Guido Catalaun. Episc. et Beatrix Comitissa de Grandiprato.

Rogerius de Molbraio, filius Nigelli de Albineio, an. 1138, pro Stephano Angliæ Rege militat in prælio *Standardi* dicto, adversùs Davidem Scotiæ Regem. 85. c. n. An. 1141, Regi Stephano stipendia faciens in prælio Lincolniensi capitur. 88. b. An. 1147, profectus in Palestinam, celebrem promeretur gloriam. 90. b. Anno 1173, partes amplectitur Henrici filii Henrici II Angl. Regis in patrem rebellis.

Digitized by Google

152. d. 219. e. Anno 1176, castella ejus *Treske* et *Malessart* solo æquat Rex Henricus senior. 167. a. Filii, Nigellus, Robertus.

Rogerius de Montegomerico an. 1088 cum Odone Bajocensi Episc. conjurationem facit, ut dejecto e solio Guillelmo Rufo, Robertus Dux Normanniæ in locum ejus sufficiatur. 2. b. 30. c. 53. c. 67. d. 68. d. prædas agens in pago Wigorn. a regiis militibus effugatur. 2. c. Bonis autem verbis et pollicitationibus circumventus a Rege, qui primus post Odonem factionis auctor fuit, primus defecit. 2. e. An. 1093 moritur, factus *Monachus ad succurrendum* Salopiæ. 69. a. n. Filii ex Mabilia Bellism. Hugo Comes Scrobesbiriæ, Robertus Bellism. Rogerius Pictavinus; uxor secunda, Adelissa de Pusacio.

Rogerii de Mortania filii ex N. de *Senefle*, Joannes, Robertus.

Rogerius Pictavinus, filius Rogerii de Montegomerico, excubias agens pro Guillelmo Rufo Angliæ Rege in castello Argentiarum, an. 1094 in manus Roberti Normanniæ Ducis incidit. 31. d. 55. d. An. 1102 cum fratre suo Roberto Bellism. de Anglia expellitur. 11. d.

Rogerius Comes Porcensis frater, Hescelini de Grandiprato, seculi pertæsus an. 1088, Comitatum suum vendit Godefrido postmodùm Comiti Namurc. cui filiam suam Sibyllam nuptum dederat. 589. a. 686. c.

Rogerii de *Rosoi* filius ex Aelide de Avesnis, Rogerius, filiæ, Aelis; Juliana, Clementia, et N. Abbatissa in Theoracia. 561. n.

Rogerii de *Rosoi*, Rogerii filii, uxor prima N. de *Couci*, secunda N. de *Hensberghe*, tertia N. de Montemorenciaco, ex quibus nullam prolem suscepit. 561. n.

Rogerius de Toenio, an. 1136 debellatur a Theobaldo Comite Blesensi, ac tertiâ Junii hebdomadâ Pontem S. Petri amittit. 288. a. n. Mense Septembri, Achinneium ipsi aufert Gualerannus Comes Mellenti. 288. b. n. An. 1138, Britolium expugnat Rogerius auxilio Comitis Hannoniensis, et eodem anno reconciliatur Stephano Angliæ Regi. 559. a. n. Filii ex Gertrude Hannon. Radulphus, Rogerus, Balduinus, Gaufridus. 553. b.

Rogerius Comes Warvici, anno 1153 moritur, filium Henricum relinquens ex Gundreda uterina sorore Gualeranni Comitis Mellenti. 295. d.

Rofensis Episc. Gualterus.

de *Roisin*. *Vide*, Balduinus.

Rollandus de Dinano an. 1168 partes amplectitur Eudonis Vicecomitis Porricidii adversùs Henricum II Angliæ Regem. 311. e. 312. a. An. 1173, cùm liberis careret, hæredem instituit Alanum nepotem suum. 317. e. An. 1175, procurator efficitur Britannici Ducatûs sub Duce Gaufrido. 319. b. An. 1177, Monachos S. Mevenni jussu Henrici II Angliæ Regis cogit ad reddendum corpus S. Petroci, quod furto de Abbatia Bothmeniæ ablatum illuc asportatum fuerat. 170. b.

de Rolmara. *Vide*, Guillelmus.

Romanæ Ecclesiæ Pontifices, Adrianus IV, Alexander II, III, Anastasius IV, Calixtus II, Cœlestinus II, Eugenius III, Gelasius II, Gregorius VII, Honorius II, Innocentius II, Lucius II, Paschalis II, Victor III, Urbanus II. — Antipapæ, Guido de Crema qui Paschalis III, Guibertus qui Clemens III, Joannes de Struma qui Calixtus III, Maginolfus qui Silvester IV, Mauricius Burdinus qui Gregorius VIII, Octavianus qui Victor IV, Petrus-Leonis qui Anacletus.

Romanæ Ecclesiæ Cardinales, A. S. Legati, Albericus, Albertus, Ardicio, Benedictus, Bruno, Cono, Conradus, Drogo, Gratianus, Guillelmus Papiensis, Guillelmus Remensis, Henricus Pisanus, Henricus Clarevallensis, Hugutio, Joannes, Joannes Neapolitanus, Joannes Tusculanus, Ivo, Milo, Otho, Petrus titulo S. Chrysogoni, Richardus, Robertus Pullanus, Theotimus, Vivianus.

de *Ros*. *Vide*, Heverardus.

de *Rosbes*. *Vide*, Bernardus.

Roscelini Vicecomitis Cenoman. uxor, Mathildis filia naturalis Henrici I Angliæ Regis, ex qua Richardus et Guillelmus. 311. c.

de Roseto (*Rosoi*) in Thierascia. *V.* Clarembaldus, Rainaldus, Rogerius.

de Rossilione. *Vide*, Gerardus.

Rotomagi an. 1074 Concilium habet Joannes Archiep. 724. c. An. 1106, Rotomagenses Henrico I Angliæ se dedunt post prælium Tenerchebraïcum. 253. a. An. 1123, Rotomagensem turrim a primo Richardo ædificatam muro alto et lato cingit Henricus I Angl. Rex, qui et propugnacula quæ deerant, addidit. 285. b. Rotomagi an. 1131, post Pascha excipitur Innocentius II Papa. 286. c. An. 1144, die SS. Fabiani et Sebastiani, Rotomagensem urbem victor ingreditur Gaufridus Comes Andegavensis. 290. a. 701. a. Anno 1145, Rotomagensem pontem reficit idem Gaufridus. 290. e. ibidem pontem lapideum inchoavit Mathildis Imperatrix. 311. a. An. 1159, Rotomagensis urbs conflagrat, pridie Nonas Maii. 302. n. An. 1174, Rotomagensem urbem obsidet Ludovicus Rex Franc. a die XI Kal. Augusti usque ad vigiliam Assumptionis B. Mariæ. 116. *et seq*. 138. d. e. 139. a. 159. d. *et seq*. 195. e. *et seq*. 208. b. 219. d. 256. b. 280. b. 318. c. 422. d. 574. e. 680. e. 713. a. Rotomagenses Archiep. Gaufridus, Guillelmus, Hugo Ambianensis, Joannes, Maurilius, Rotrodus.

Rotomagenses S. Audoeni Abbates, Freherius, Haimericus, Richardus, Rogerius Aquila, Samson.

Rotomagenses S. Trinitatis Abbates, Drogo, Guillelmus de Espervila.

Rotonensis Abbas, Silvester.

Rotrodus, filius Henrici Comitis Warvici, an. 1140 fit Ebroïcensis Episc. 289. a. An. 1156, hebdomadâ Pentecostes, interest Moretonii dum corpus B. Firmati e terra levatur. 298. d. An. 1163, descriptionem facit per Normanniæ Episcopatus consuetudinum quæ ad Regem et Barones pertinebant. 308. a. An. 1164 vel 1165 ad Rotomagensem Archiepiscopatum assumitur. 309. b. 708. b. Eodem anno, Henricum II Angliæ Regem convenit nomine Alexandri Papæ de pace habenda cum Thoma Cantuar. Archiep. 207. c. An. 1170, vi mandati Alexandri Papæ rursùs Henricum Angliæ Regem commonefacit de pace ineunda cum Archiepiscopo. 134. b. 189. a. An. 1171, Regem Henricum in tristitiam prolapsum pro nece Cantuar. Archiepiscopi, convenit consolationis ergo Argentomagi, cum aliis Normanniæ Episc. 145. d. Acceptis interim Alexandri Papæ mandatis, ut cum Guillelmo Senon. Archiep. Angliæ Regem cogat interdicti sententiâ pacem servare quam cum Cantuar. Archiepiscopo fecerat, Senonas contendit et ad Apostolicam Sedem appellat, ne Regi pro nece Pontificis mœsto luctum inferat acerbiorem. 145. e. Inde Romam cum sociis iter arripiens, cùm aliquantulùm processisset, præ senio et invaletudine revertitur, sociis ulteriùs progredientibus. 146. a. Eodem anno, juxta Papæ Alexandri mandata purgationem recepit Rogeri Eboracensis Archiepisc. de nece Thomæ Cantuar. apud Albammarlam, die festo S. Nicolai. 189. e. An. 1172, missus in Angliam ab Henrico II Angliæ Rege, v. Kal. Septembris Margaretam Regis Ludovici filiam cum Henrico juniore coronat Wintoniæ. 135. c. 147. b. 190. c. 315. d. Reversus in Normanniam circa Nativitatem beatæ Mariæ, v Kal. Octobris interest Concilio Abrincatensi. 147. b. An. 1173, cum aliis Normanniæ Episcopis partes tuetur Henrici Angliæ Regis adversùs rebelles filios et conjuratos Proceres. 153. n. Anno 1175, Henrico Regi fidejussor datur ab Henrico ejus filio. 198. n. An. 1176, legatione fungitur pro Guillelmo Siciliæ Rege, propinquo suo, ad Henricum Angliæ Regem, causâ petendæ filiæ ejus Joannæ in uxorem Regis. 164. c. Eidem proficiscenti comes datur. 165. a. An. 1177, munus legationis obit pro Angliæ Rege ad Ludovicum Regem Franc. 169. d. Anno 1178, XIV Kal. Aprilis, dedicationem peragit Beccensis Ecclesiæ. 321. c.

Rotrodus II, Comes Perticensis, an. 1096 Hierosolymam proficiscitur. 70. n. 261. n. An. 1120, uxore suâ orbatur Mathilde, filiâ naturali Henrici I Angliæ Regis, ex qua unam filiam suscepit. 253. c. Anno 1144, Gaufrido Comiti Andegav. militans, moritur dum Rotomagensem arcem obsidet, relictis ex Harvisia Salisb. tribus filiis, Gaufrido, Rotrodo et Stephano. 290. a. n.

Rotrodus III, Comes Perticensis, ante an. 1158 uxorem duxerat Mathildem filiam Theobaldi Magni Comitis Blesensis. 301. d. Hoc anno, cum Henrico II Angl. Rege paciscitur, ac pro castris Molinis et Bonmolino, quæ pater ejus post obitum Regis Henrici I occupaverat, Bellismensi castro sub clientelari fide donatur. 301. d. An. 1168, terram ejus vastat Rex Henricus. 312. c. An. 1174, Rotrodus Sagiensem urbem aggreditur cum Henrico Angliæ Regis filio. 194. b.

de Ruella. *Vide*, Joannes.

Ruez. Hujus gentis genealogia. 551. b. n. *Vide*, Ægidius, Arnulphus, Eustachius I, II, III, IV, V, Nicolaus, Theodericus.

de Rugeio. *Vide*, Bonus-Abbas.

Digitized by Google

de *Rume. Vide,* Joannes, Karon, Robodo.
de *Rumeilli. Vide,* Manasses, Radulphus, Uboldus.
de *Rumigni.* Hujus gentis genealogia. 552. a. n. *Vide,* Godefridus, Hugo, Nicolaus.
de Rupe in Ardenna Comes, Henricus.
de Rupe. *Vide,* Oliverius.
de Rupeforti. *Vide,* Guido Rubeus, Hugo, Werricus de *Vallecourt.*
Ruscevaux. Vide, Hubertus.

S.

Sabaudiæ Comites. *Vide,* Moriennæ.
de Sablolio. *Vide,* Robertus.
Sacri-Cæsaris seu Sincerii Comes, Stephanus.
Sagienses Episc. Frogerius, Girardus, Joannes, Robertus.
Sagiensis Abbas, Radulphus.
de Sagio. *Vide,* Richardus.
de *Saie. Vide,* Rualendus.
Salesbirienses Episc. Joscelinus, Philippus de Harulficurte, Rogerius.
Salesbiriensis Comes, Patricius.
de Salmis in Ardenna Comites, Guillelmus, Henricus, Herimannus.
Salmurienses S. Florentii Abbates, Frogerius, Manerius, Radulphus, Stephanus.
de Salverna. *Vide,* Ludovicus.
Samson, Præpositus Carnot. an. 1140 ordinatur Remensis Archiep. 272. c. 330. d. 454. b. 582. d. Eod. anno, interest Concilio Senon. et quod gestum fuerat adversùs Abailardum, Innocentio Papæ per epistolam significat. 656. a. 735. a. An. 1145, rixam habet coram Eugenio III cum Alberone Trevir. Archiep. Primatum sibi super omnem Belgicam vindicanti. 736. d. An. 1149, et infra hebdomadam Pentecostes, VII Kal. Junii, Valcellensem Ecclesiam consecrat. 274. d. n. 502. a. Sabbato Pentecostes, ad montem qui vocatur Specula S. Remigii, cum comprovincialibus Episcopis de pace tractat componenda inter Theodericum Flandriæ Comitem et Balduinum Hannon. sed eam cùm populi seditio impedisset, tristis abscedit, et postridie S. Petri Hasnoniensem Ecclesiam dedicat. 502. b. 737. c. An. 1151, XI Kal. Octobris, Godescalcum consecrat Atrebatensem Episc. 506. d. An. 1154, Acuti-montis castrum obsidet cum Rege Franc. Ludovico, sed a castrensibus in fugam versus, nonnullos ex suis amittit. 513. e. An. 1156, in Atrebatensi S. Mariæ Ecclesia crucem peregrinationis imponit Theoderico Fland. Comiti, feriâ sextâ post Ascensionem Domini. 514. b. An. 1158, bellum gerit cum Guiscardo Comite de Roceio. 739. a. An. 1159 cùm esset sacraturus Milonem Tervannensem Episc. intercedentibus Clericis Boloniensibus, Romam eum mittit haud consecratum propter appellationem ad Apostolicam sedem. 304. b. Eodem anno, vocatus a Gualtero S. Auberti Camerac. Abbate, successorem eidem providet VI Kal. Decembris. 517. c. Anno 1160, Matthæum Boloniæ Comitem a fidelium communione sejungit ob suas cum Maria Ramesiensi Abbatissa nuptias. 277. n. Eodem anno, Alam tertiam Regis Ludovici conjugem ungere detrectat in Reginam, quia sororem ejus separaverat ob consanguinitatem a Philippo Regis fratre. 186. a. Anno 1161, non verò 1160, vitâ defungitur X Kal. Octobris. 277. d. 306. d. (ubi an. 1162) 334. c. 454. d. 518. d. 584. a. 705. c.
Samurensis dominus, Gaufridus.
Sancii Aragonum Regis filii, Petrus-Sancius, Alphonsus, Ramirus.
Santonensis Episc. Henricus.
de Sarcellis. *Vide,* Fulco.
Sarebruchæ Comes, Simon.
Sathanacum, Stanacum. Ibi an. 1086 prælio contendunt Godefridus Bullonius et Theodericus Virdun. Episc. 628. d. 641. a. n. 644. d. An. 1096, Sathanacum Virdun. Ecclesiæ vendit Godefridus Bullonius. 631. d. De eodem cum Mathilde Longobardorum Comitissa paciscitur Richerus Virdun. Episc. 631. b. illud an. 1111 Guillelmo Luxemburgensi oppignerat Richardus Virdun. Episc. 633. b.
de *S. Sauveur. Vide,* Natalis.
Savignei Monasterium conditur anno 1112 a B. Vitali. 97. c. 729. c. Anno 1148, Saviniensis ordo conjungitur ordini Cisterciensi. 736. d. Savignei Abbates, Guillelmus de Tolosa, Serlo, Simon.
Saxoniæ Duces, Henricus X, Lotharius, Theodericus.
Sclusam, castellum Roberti Comitis Flandriæ, an. 1102 expugnat et incendit Henricus IV Imp. 453. d. 486. d. 536. c. 727. e. An. circiter 1137, idem castrum Guillelmo Yprensi aufert Theodericus Comes Flandriæ. 413. a. 468. e.
de *Scoufflans. Vide,* Eustachius.
Scotiæ Regum genealogia. 86. n. *Vide,* Alexander I, II, David, Guillelmus, Malcolmus III, IV.
Scrobesbiriæ seu Salopiæ castellum, Roberti Bellism. armamentarium, anno 1102 in deditionem recipit Henricus I Angliæ Rex. 11. c. Anno 1127, Salopiæ Comitatum Adelæ uxori suæ gratificatur idem Henricus. 21. a. An. 1138, Salopiæ castellum armis subigit Rex Stephanus. 39. e. Comites, Hugo, Rogerius de Montegomerico, Robertus Bellism.
de *Scurtiz. Vide,* Joannes.
Sedunorum Episc. Ermenfredus.
Segardus Tornac. S. Martini Abbas eligitur an. 1107. 404. c. An. 1111, Romam comitatur Herbertum a Tornacensibus electum Pontificem. 406. a. An. 1127 moritur, III Kal. Februarii. 407. a.
Segardus, Abbas S. Vitoni Virdun. an. 1140 succedit Laurentio. 638. d. 641. c. Obit an. 1142. 639. c. 641. c.
de Seltunio. *Vide,* Henricus.
Senescalciam Franciæ an. 1169 Rex Ludovicus concedit Henrico filio Henrici II Angliæ Regis, quasi Comiti Andegav. 312. e.
Senonis an. 1140 Concilium habetur adversùs Petrum Abailardum. 330. a. 655. a. 735. a. An. 1156, Senonensis Ecclesia eximitur a prava consuetudine quâ, decedentibus Episcopis, bona ipsorum in manu Regis detinebantur. 676. c. Anno 1163, Senonas accedit pridie Kal. Octobris Alexander III Papa, ibique usque ad Pascha an. 1165 diversatur. 127. c. 669. c. 676. d. Senonenses Archiep. Daimbertus, Henricus, Hugo, Guido, Guillelmus, Richerius.
de Serlando. *Vide,* Bencellardus.
de Serrata in Burgundia. *V.* Ebalus.
Servilis conditionis notam incurrit Miles, qui uxorem ducit matronam servilem. 339. a. 350. d.
de S. Severino. *Vide,* Guillelmus.
Sibylla, filia Fulconis Comitis Andegav. an. 1123 matrimonio jungitur Guillelmo filio Roberti Normanniæ Ducis, et anno seq. ab eodem separatur auctoritate Joannis A. S. Legati. 18. e. n. 20. e. 81. b. n. An. 1134, nubit Theoderico Flandriæ Comiti. 400. d. 454. a. 468. e. Anno 1147, Theoderico in Palestinam peregrinante, armis impetitur a Balduino Comite Hannon. quæ utero gestans pacem nequicquam flagitat, verùm partu liberata vicem eidem rependit. 501. d. 737. c. Anno 1157, in Palestinam cum viro profecta, Bethaniæ Deo in Nosocomio se devovet. 185. c. 276. d. 300. a. 304. c. 471. b. c. 514. c. 515. a. 704. b. 738. d. An. 1163, non verò 1167, ibidem vitam impendit. 278. d. 473. d. 520. a.
Siciliæ Reges, Guillelmus I, II, Henricus, Rogerius.
de S. Sidonio. *Vide,* Helias.
Siffridi, fratris Theoderici Mosellanorum Ducis, filiæ, Beatrix, Sofia.
Sigeri de *Enghien* et N. de *Sottenghien* filii, Walterus, Gerardus, Joannes Tornac. Episc. Jacobus, Arnulphus, Engelbertus; filiæ, N. nupta Rasoni de *Gavre,* N. Ægidio de *Trasegnies,* et N. Abbatissa apud *Ghilenghen.* 561. n.
Signiensis Episc. Bruno.
Siguinus Cazæ-Dei Abbatiam anno 1079 suscipit administrandam. 618. c. 620. e. An. 1095, cùm accessisset ad Concilium Claromontense, funus curat Duranni Episc. cujus discipulus fuerat. 623. b.
de Silleio. *Vide,* Hugo, Robertus.
Silvanectenses Episc. Amalricus, Henricus, Petrus.
Silvæ-majoris Abbas, S. Giraldus.
Simon, filius Hugonis Magni Comitis Viromand. anno 1121 eligitur Noviomensis Episc. et Tornacensis; sed quia infra ætatem et infra ordines erat, consecrationem a Radulpho Remensi Archiep. non promeruit, donec gratiam Romani Pontificis reportavit. 327. d. 406. d. An. 1126, primordia Abbatiæ S. Nicolai de Prato prope Tornacum adjuvat. 407. a. An. 1127, Brugas accitus a Rege Ludovico, exequias B. Caroli Flandriæ Comitis peragit VII Kal. Maii. 346. a. 375. d. 399. c. Eodem anno, a Guillelmo Flandriæ Comite duodecim altaria sibi reddi exorat, quæ dudum Tornacensi Ecclesiæ restitui debuissent. 407. b. An. 1128, circa medium Aprilem, interdicti et excommunicationis sententiâ multat omnes Flandrenses, qui relicto Comite Guillelmo, adhæsissent Theoderico Alsatio. 385. a. An. 1129, Ursicampi Cœnobium condit. 329. a. An. 1132, dedicationem peragit Tornacensis Ecclesiæ S. Martini. 407. d. An. 1133, manum apponit dedicationi Tervannensis Ecclesiæ. 270. b. An. 1141 vel 1142, sacris interdicitur ab Ivone A. S. Legato, ob celebratas nuptias fratris sui Radulphi Comitis Viromand. et Petronillæ Pictaviensis. 331. c. 408.

Digitized by Google

a. b. Circa idem tempus, Romam pergit, et electionem Tornacensis Episcopi, auctoritate Innocentii Papæ factam, irritam efficit. 408. e. *et seq.* An. 1147, Anselmum ab Eugenio Papa ordinatum Episcopum, Tornacensibus præesse patitur. 410. b. An. 1148 moritur inter Crucesignatos apud Seleuciam. 332. c.

Simon I, Abbas Alchiacensis, anno 1127 succedit Odoni. 467. b. Anno 1131, ad Abbatiam S. Bertini assumitur. 468. c. An. 1136, Abbatiâ cedere compellitur jussu Innocentii Papæ. 469. e. 470. a. An. 1148, moritur. 471. n.

Simon II, Abbas S. Bertini, anno 1176 succedit Godescalco. 422. e. 474. d.

Simon de *Brois* circa an. 1132 moritur. 698. d. Filii ex Felicitate Brenensi, Hugo de *Brois*, Simon de Belloforti.

Simon, Comes Crispeiensis, an. 1074 cùm succedere deberet patri suo Radulpho, adversarios patitur Hugonem *Bardol* dominum Brecarum et Philippum Franc. Regem, qui bona ipsius occupant. 683. n. Igitur Romam profectus consilium exposcit a Gregorio VII Papa, qui terram ipsi gubernandam contradit, dum pacem cum Rege Philippo composuerit. 684. a. Reversus Româ Philippum Regem an. 1075 aggreditur et devincit. Fit conventus Nobilium, pax reformatur, et hæreditas sua Simoni redditur. 684. b. An. 1076, uxorem ducit Juditham filiam Roberti Comitis Alverniæ, quæ ipso die Sanctimonialis effecta est, ipse verò ad S. Eugendum secedit, spreto etiam connubio unius ex filiabus Guillelmi Angliæ Regis. 684. c. An. 1082, Romæ defungitur, pridie Kal. Octobris. 685. c.

Simon de Monteforti an. 1140 succedit fratri suo Amalrico in Ebroïcensi Comitatu. 289. a. An. 1153, inimicitias exercens cum filiis Ascelini Goelli, terram eorum ferè totam populatur. 296. a. An. 1159, Henrico II Angliæ Regi tradit circa festum S. Martini castra sua in Francia sita, Rupemfortem, Montemfortem et Esparlonem, ut negotium Regi Ludovico VII facessat. 302. n. 304. d. An. 1173, captus a Philippo Flandriæ Comite in expugnato Albæmarlæ castro, pecuniâ se redimit. 192. b. 216. d. An. 1177, interest colloquio Ivriaci habito inter Regem Ludovicum et Henricum II Angliæ Regem. 172. n. An. 1181 moritur, relinquens successores Amalricum in Comitatu Ebroïc. et Simonem in Comitatu de Rocha, et aliis terris Franciæ adjacentibus. 325. a.

Simon de Sancto-Licio seu Silvanectensis, Huntindoniæ et Hamtoniæ Comitatum assequitur post obitum Henrici I Angliæ Regis. 41. n. An. 1141, Stephano Angliæ Regi militat in obsidione urbis Lincolniæ. 41. b. An. 1153, mortalitatem explet, relictis ex Isabella filia Roberti Comitis Leicestriæ, filio Simone cum filiabus Amicia et Harwisia. 41. n. 45. c. 91. d. 295. d. mores ejusdem adumbrantur. 41. a.

Simon filius Simonis Comitis Huntindoniæ, an. 1153 patri succedit. 295. d. An. 1156, cùm terra caret, in uxorem ducit Aliciam filiam Gilleberti de *Guant*, et dono Henrici II Angliæ Regis ejus honore potitur. 298. e.

Simon, Dux Mosellanorum an. 1131 stipendia facit Rainaldo Comiti Barrensi, Virdunensem tamen Ecclesiam infestare detrectat. 637. e. Filii, Matthæus, Robertus de Florenges; filia, Agatha.

Simonis de Markinio filii, Eustachius, Ivianus de Calquella.

Simon de Oisiaco, Hugonis Camerac. Castellani filius, an. 1133 Lietardum Episc. vindicat ab infestatione Gerardi de Sancto-Auberto cognomine *Maufilastre*. 496. a. 499. a. An. 1138, cum Cameracensibus bellum gerit pro castro Sancti-Auberti, quod illi obruere, ipse germanæ suæ filiis conabatur servare. 499. c-e. 539. a. An. 1139, viribus Theoderici Flandriæ Comitis fretus, XIV Kal. Februarii multam illorum stragem facit apud *Crevecuer*, et Communiam dissipat. 500. d. e. 539. b. An. 1152, cum Joanne de *Marchuin* rixatus in palatio Nicolai Camerac. Episc. iratus recedit, et ad Theodericum Flandriæ Comitem profectus se suaque ei contradit, fidem mentitus Episcopo. 510. *et seq.* Comitem deinde cum instructo exercitu perducit ad Thunnium Præsulis villam, ac die S. Bartholomæi strages et prædas agit. 512. b. c. Comite ultra Scaldim reverso, Simon ab Episcopo Nicolao vicissim impetitur, qui castrum ejus *Noeles* auxilio Cameracensis Communiæ incendit. 513. a. Revocato itaque Comite, Episcopum et suos fundit III Nonas Septembris; Cameracensem tamen castellariam amittit, quam Theoderico Præsul, compositâ pace, contradit. 513. b-e. 539. c. Anno 1157, Theoderici Comitis Flandriæ in Palestinam proficiscentis fidem abjurat, nec multò post a Philippo Comite impetitur armis. 515. a. b. Hebdomadâ primâ post Pentecosten, Comes castra ejus Inciacum vastat, Metturias incendit, et Oisiaco ignem immittit. 515. c. IV Kal. Augusti, captâ ab eodem Comite Inciaci turre, Simon timere incipit et sibi præcavere. 276. e. 515. c. Itaque an. 1158, castrum de *Sauci* a Comite adversùs Oisiacum extructum obruit, V Kal. Junii. 515. d. Mense Augusto appropinquante, ab ipso Comite apud Oisiacum obsessus, imbrium favore liberatur. 515. d. At an. 1159, denuò a Philippo divexatur, qui castrum *Haveraincurt* exercitu cingit, sed non expugnat; terram tamen ejus X Kal. Augusti profligat incendio, præsertim castra *Marchuin*, *Noeles* et *Canthen*. 516. b. Filii, Ægidius, Hugo III, Petrus Camerac. Archidiac.

de Sancto-Simone. *Vide*, Joannes filius Odonis Ferrarii.

Simoniaca lues ante Concilium Claromontense ecclesiasticos honores ferè omnes corruperat. 6. b. 618. a. E Francia in Lotharingiam propagata. 590. b.

de Solenneio. *Vide*, Gislebertus, Hasculfus.

de *Somerenghem*. *Vide*, Gualterus.

de *Soreau*. *Vide*, Radulphus Franciæ Marescallus.

Sorel. *Vide*, Thiebaldus frater Guillelmi Yprensis.

de *Sottenghien*. *V*. Gerardus, Gualterus.

de Sprea. *Vide*, Thomas.

Stabulenses S. Remacli Abbates, Ellebaldus, Wibaldus.

de Stenfordo. *Vide*, Guido.

de Stenvordia. *Vide*, Eustachius.

Stephanus, filius Rotrodi II Comitis Perticensis, an. 1166 accitus in Siciliam a cognata sua Regina Margareta, Archicancellarius regni, ac deinde Panormitanus Archiep. efficitur. 290. n. 742. a-d. Anno 1168, Siculis invidiosus factus, ab iisdem tumultuantibus abire compellitur. 743. *et seqq.*

Stephanus Arvernensis Episc. an. 1177 exauctoratur in Concilio Claromontensi, quia, relicto Claromontensi Episcopatu, Podiensem ambitione actus malè usurpaverat. 618. c. 619. d.

Stephanus, Meldensis Episc. an. 1171 fit Bituricensis Archiep. exceptus pridie Kal. Novembris. 677. c. An. 1173, veneno tollitur in Octavis Epiphaniæ, et Parisiis apud S. Victorem sepelitur. 677. d.

Stephanus, filius Theoderici Comitis Barrensis, nepos ex sorore Calixti II Papæ, electus an. 1120 Metensis Episc. Romæ ab eodem Pontifice consecratur. 642. c. 644. e. 695. b. Invisus Imperatori tribus annis extra urbem mansit, episcopalia munia obiens. 642. c. An. 1134, pacis sequester efficitur inter Alberonem Virdun. Episc. et fratrem suum Rainaldum Comitem Barrensem. 638. c. 698. d. An. 1147, Regi Ludovico in Palestinam proficiscenti se adjungit. 654. a. An. 1163 moritur, IV Kal. Januarii. 643. c. n. 645. a. Reliqua ejus gesta recensentur. 643. a-c.

Stephanus, Abbas S. Florentii Salmur. an. 1156 fit Redonensis Episc. 299. a. obit an. 1166 mense Septembri. 309. e.

Stephanus de Fulgeriis II, an. 1168 ordinatur Redonensis Episc. 311. c. An. 1169, mense Maio, fidem suam obstringit Gaufrido filio Henrici II Angliæ Regis, cum aliis Britonibus, in Ecclesia S. Petri. 313. b. Anno 1178, moritur. 321. c.

S. Stephanus, Abbas Cisterciensis, an. 1108 vel 1109 succedit Alberico. 263. e. n. 673. b. An. 1133, in cœlos abit. 675. a.

Stephanus, cognomento Burgensis, Abbas S. Michaëlis de Clusa, anno 1162 fit Abbas Cluniac. 307. a. An. 1172, interest Concilio Abrincensi. 315. e. An. 1173 moritur, III Idus Augusti. 316. e.

Stephanus, Comes Albæmarlæ, filius Odonis Campaniensis, an. 1095 in Regem Angliæ expetitur a conjuratis regni Proceribus. 32. n. An. 1096, Hierosolymam proficiscitur. 70. n. 459. c.

Stephanus, Comes Blesensis, an. 1096 Hierosolymam proficiscitur mense Septembri cum Roberto Normanniæ Duce. 8. a. 32. b. 70. a. 217. c. 261. a. 459. c. 623. d. 716. e. Anno 1098, turpiter recedit ab obsidione Antiochiæ. 717. a. An. 1101, in Palestinam revertitur cum Guillelmo Comite Pictav. 8. n. 727. e. An. 1102, perimitur apud Ramulam, XV Kal. Augusti. 283. e. Filii ex Adela Anglica, Guillelmus, Theobaldus, Stephanus, Henricus; filia, Mathildis.

Stephanus, filius Stephani Comitis

Digitized by Google

Blesensis, uxorem ducit Mathildem filiam unicam Eustachii Boloniæ Comitis, procurante Henrico I Angliæ Rege, qui Comitatum ei Moritonii jam contulerat. 28. b. 87. a. n. 95. c. 218. c. 254. c. Anno 1127, Mathildi filiæ Regis Henrici fidem suam obstringit de tradendo eidem regno, si Regem absque mascula prole obire contingat. 21. b. Eodem anno, missus in Flandriam ab Angliæ Rege, precibus et promissis adversarios exsuscitat Guillelmo filio Roberti Normanniæ Ducis, Flandriæ Comitatum adepto. 345. c. 696. d. An. 1135, statim post obitum Regis Henrici in Angliam appellit, ac spreto sacramento quod filiæ ejus fecerat, regnum præripit, coronatus XIII vel XI Kal. Januarii a Guillelmo Cantuar. Archiep. 23. a. b. 38. b. 65. d. 75. e. 84. a. 95. b. 121. c. 218. c. 254. e. 287. c. 330. a. 334. b. 393. b. 420. d. 675. a. 733. e. Regni hæres institutus dicitur ab Henrico Rege, irato filiæ suæ ob quamdam inimicitiam. 121. c. n. An. 1136, funus curat Regis avunculi sui, cujus corpus propriis humeris Radingas deportat sepeliendum Nonis Januarii. 23. c. 75. e. 121. c. 287. c. Nactus thesauros defuncti Regis, stipendiarios e Flandria et Britannia accersit, ut se contra æmulos tueatur. 23. d. Interim, missis ad fratrem suum Comitem Theobaldum, qui pro Normanniæ Duce se gerebat, nuntiis, se in Angliæ Regem coronatum significat. 287. e. Post hæc Davidi Scotiæ Regi Northymbriæ partes infestanti occurrit, habitâque in Capite jejunii collocutione de pace, Novum-castellum ab eo recipit, clientelâ tamen illum sibi haud devincit ob præstitum Mathildi Imperatrici sacramentum, sed Henricum filium ejus hominio sibi obstringit, donatum Huntindoniæ burgo. 38. d. 39. a. 84. b. Sequenti solemnitate Paschali, curiam Londoniæ splendidissimam habet, ac post Rogationes a Proceribus perduellione impetitus primò Norwicum Hugoni *Bigod* aufert, deinde castellum Bathentunæ Roberto cuidam, Execestram quoque urbem Balduini de *Reduers* obsidet et expugnat, ac tandem ablatâ eidem insulâ Vectâ, rebellem de Anglia expellit. 39. b. Eodem anno, in regni solio confirmatur ab Innocentio Papa. 84. c. n. 95. c. An. 1137, primo tempore Quadragesimæ in Normanniam trajicit, permotus inimicitiis Gaufridi Comitis Andegav. datâque ingenti pecuniæ vi, ab omnibus gratanter excipitur. 24. c. 39. c. 65. e. 76. a. 85. a. 121. d. 288. b. Nec mora, Lislebonam expugnat quam tenebat Rabellus Camerarius, dein Grandsilvam obsidet. 288. b. Interim locutus cum fratre suo Comite Theobaldo Ebroïcis, bis mille marcas argenti annuas eidem paciscitur, ad eum placandum. 288. b. Expugnatâ munitione Grandis-silvæ, cum Rege Francorum Ludovico fœdus amicitiæ icit, cui et Eustachius filius ejus clientelam pro Normannia profitetur. 39. c. 288. b. Inde exercitum ducit in terram Comitis Andegavensis; sed rixantibus inter se Flandrensibus et Normannis propter unam vini *hosam*, redire compellitur. 288. c. Gaufrido e vestigio in Normanniam reverso, inducias biennales cum eo paciscitur mense Julio, additâ pensitatione annuâ bis mille marcarum argenti. 39. c. 85. a. 288. c. Interim Robertum Comitem Glocestriæ, cujus prudentiam potissimè verebatur, insidiis frustra ad necem quæsitum, in gratiam recipere, agente Hugone Rotomag. Archiep. fingit. 24. c. 66. b. Mense Decembri, in Angliam revertitur propter intestina regni dissidia. 24. d. 39. e. 76. b. 85. a. 121. d. 288. c.
An. 1137 vel 1138, more Anglico, in ipsis Natalis Domini feriis Bedefordam obsidet, quam propugnarunt filii Roberti de Bellocampo. 39. d. n. Redditâ Bedefordâ, in Scotiam ducit exercitum tempore Quadragesimæ, partesque regni australes comburit et pessundat; verùm cognitis quas sibi præstruxerat insidiis Rex David, pedem e Scotia retrahit. 39. d. 85. a. b. Interim a Proceribus suis bello impetitus, ac præcipuè Roberto Glocestriæ Comite, Guillelmum Yprensem accersitum e Flandria suis stipendiis conducit, cujus auxilio quædam Roberti castella complanat, Bristowam tamen non expugnat. 25. a. 121. e. 122. a. Herfordiæ post hæc castellum in suam redigit potestatem, Salopesbiriam armis subigit, captosque ibi nonnullos suspendit. 39. e. Dumque his Rex immoratur, a suis de Davide Scotiæ Rege victoria reportatur apud *Alvertun* in prælio *Standardi*. 40. a. 86. a. Lætus verò pro ea victoria, Guillelmum de Albemarla Eboracensem Comitem facit, et Robertum de *Ferrers* Comitem Derbisciræ. 86. b. Eodem an. Regem Danorum a finibus Angliæ propellit. 699. c. An. 1139, castellum *Slede* capit, deinde in Scotiam profectus, V Idus Aprilis, pacem componit cum Rege Davide, cujus filio Henrico Northymbriæ Comitatum largitur. 40. a. 87. a. Eodem anno, seditionem quamdam ulturus, Rogerium Salesbiriensem Episc. et Alexandrum Lincoln. capit in Conventu apud *Oxeneford* VII Kal. Julii habito, eosque ad reddenda quæ extruxerant castella compellit. 25. c. 40. b. 66. a. 87. c. Citatus in Concilio Wintoniensi IV Kal. Septembris celebrato, et Episcopos libertati reddere jussus, parere detrectat: quæ res multorum ei conflat invidiam et proximæ ruinæ causa fuit. 25. d. 40. c. Eodem anno, Mathildem Imperatricem in Angliam appulsam obsidet apud *Arundel*, sed eam more laudabilis militiæ incolumem abire permittit Bristowam ad Robertum fratrem ejus Glocestriæ Comitem. 26. a. 40. c. 76. c. d. 87. c. An. 1140, fœdus icit cum Balduino Hannoniæ Comite et Hugone Camdavena Comite S. Pauli, ut, dejecto Theoderico, Flandriæ Comitatus cedat Guillelmo Yprensi. 454. b. 501. b. n. Eodem anno, fratris sui Henrici Winton. Episc. animum multò magis a se avertit ob recusatum Henrico de Soleio Salesb. Episcopatum et collatum eumdem Philippo de Harulfi-curte. 76. e. Mense Februario, nuptias paciscitur filii sui Eustachii cum Constantia sorore Ludovici Franc. Regis. 77. a. Circa Assumptionem B. Mariæ, missâ militari manu adversùs Robertum Comitem Glocestriæ Bathoniam cum exercitu properantem, victoriâ potitur. 77. a. Interim a legatis suis de pace tractatur apud Bathoniam cum sequacibus Imperatricis. 26. d. Eâ infectâ, et Henrico fratre suo de Galliâ mense Novembri reverso, pacis compositioni ab eo confectæ consilio Comitis Theobaldi et Regis Francorum, non assentitur. 26. e. In ipsis Natalis Domini feriis Lincolniam contendit, ut Ranulphum Comitem Cestriæ et fratrem ejus Guillelmum de Rolmara circumveniat, eosque in castello inclusos obsidet toto mense Januario. 27. a. 40. c. 66. b. 88. a. 96. a. Venientibus in auxilium obsessorum Roberto Comite Glocestriæ et Comite Ranulpho, qui e castello se subduxerat, dum occurrit, die Purificationis B. Mariæ an. 1141 commisso certamine, capitur et ad Imperatricem ductus Bristowæ in custodiam traditur. 27. c. d. 41. c. 66. c. 77. b. 88. a-c. 96. b. 393. b. 413. b. 421. a. 470. e. 699. e.
Eodem anno 1141, circa festum omnium Sanctorum, pro Roberto Comite Glocestriæ a suis item capto commutatus, educitur e carcere. 29. a. 42. a. 66. d. 78. d. n. 413. b. 421. a. 470. c. An. 1142, dum munitionem extruit apud Wiltonam ad arcendos Salisberiensium excursus qui pro Imperatrice stabant, inde a Roberto Comite Glocestriæ subitò irruente, deturbatur primâ die mensis Julii. 96. d. 123. b. Eodem anno, Mathildem Imperatricem obsidet in urbe Oxoniensi a die festo S. Michaëlis usque ad Adventum Domini, eâque fugiente, urbem occupat. 30. a. 42. a. 66. e. 96. d. 122. d. Anno 1143, pugnam impedit inter Guillelmum de Albemarla Eboraci Comitem et Alanum Richemundiæ, dumque se de inimicis suis ulcisci parat, cogente ægritudine, missum facit exercitum. 89. c. Eodem anno, Gaufridum de Magnavilla capit in curia sua apud S. Albanum, et ad reddendam Londoniensem arcem cum aliis duobus castellis adigit. 42. b. n. 96. e. An. 1144, Lincolniam obsidet, et a Ranulpho Cestriæ Comite propellitur. 42. b. An. 1145, castellum *Ferendois* ab adversa parte constructum expugnat, non sine magna sanguinis effusione. 42. c. An. 1146, congregato exercitu, castellum ædificat contra *Walinford*, et Ranulphum Cestriæ Comitem qui ad ejus partes se converterat, in curia sua captum ad reddendam cogit Lincolniam, ut libertatem mercetur. 42. c. An. 1148, Theobaldum Cantuar. Archiep. e Remensi Concilio redeuntem de Anglia expellit: quare regnum ejus pridie Idus Septembris interdicto supponitur. 124. b. An. 1149, confluentibus ad Henricum filium Imperatricis Proceribus, Eboracum accedit mense Augusto, præliaturus cum Davide Scotiæ Rege qui militaria eidem arma contulerat, et munitiunculam *Coldric* in manus civium diruendam tradit. 43. b. 90. c. 124. d. Eodem anno, Eustachium filium ipse militaribus armis accingit. 91. a. An. 1150, Wire-

Digitized by Google

cestriam urbem Waleranni Comitis Mellenti bis aggreditur, et non expugnat. 43. c. An. 1152, Eustachium filium suum in Regem ungi petit, et ab Episcopis repulsam passus domi omnes includit, deinde possessionibus spoliatos dimittit. 44. a. Eodem anno, castrum Nubiriæ expugnat, inde castellum *Wallingford* obsidione cingit. 44. b. An. 1153, mense Januario, adversùs Henricum in Angliam appulsum properat usque Malmesbiriam, quem ad pugnam frustra provocat. 44. c. 100. a. Post hæc Henrico castrum ejus de *Craumers* obsidenti terribilis occurrit; sed habito postmodùm colloquio, verba pacis præloquitur quæ filii indignatio irrita facit. 45. b. n. Interim *Gipeswig* castellum Hugonis *Bigod* expugnat, dum Henricus castellum de *Stanford* eidem aufert. 45. d. Eustachio inter hæc e medio sublato, sub finem mensis Novembris cum Henrico pacem componit, quem in filium adoptivum suscipit et hæredem, eâ lege ut, quoad ipse vixerit, in regni solio permaneat. 46. b. n. 91. c. 100. c. n. 184. c. 255. b. 296. c. An. 1154, ad Octavas Epiphaniæ, conventum Procerum cogit Oxinfordiæ, ubi hominia Duci Henrico fieri jubet. 46. b. 67. b. Tempore Quadragesimæ, Dovoriam cum eo accedit congressurus cum Theoderico Flandriæ Comite, dumque Cantuariam inde revertitur, filius ejus Guillelmus ex equo prolapsus crure læditur. 126. a. Henrico in Normanniam reverso, rursùs ad arma se accingit Stephanus quorumdam pravis persuasionibus, atque castellum *Drafe* juxta Eboracum obsidet et capit cum aliis pluribus. 46. d. Mense Octobri, denuò colloquium habet cum Theoderico apud Dovoriam, et inter colloquendum subito ilii dolore correptus, paulò post moritur VIII Kal. Novembris, et ad *Faversham* sepelitur. 46. d. 67. c. 102. b. 126. b. 184. d. 216. a. 219. c. 276. a. n. 297. b. 514. a. n. 703. c. 738. d. Ejus indoles adumbratur. 23. c. 24. a. Filii ex Mathilde Boloniensi, Eustachius, Guillelmus; filia, Maria.

Stephani Comitis Cabilonensis et Agnetis Drocensis filius, Joannes.

Stephani de *Denen* conjux, Rixa de Montibus.

Stephanus, filius Theobaldi Magni Comitis Blesensis, anno 1152, pro parte hæreditatis paternæ assequitur Sincerii seu Sacri-cæsaris honorem in pago Bituricensi. 293. c. Anno 1160, mense Octobri, partes amplectitur Ludovici Regis sororii sui adversùs Henricum II Angliæ Regem. 305. d. An. 1170, Hierosolymam pergit ad deferendam pecuniam quam Rex Ludovicus colligendam præceperat in subsidium Terræ sanctæ. 314. d. An. 1180, inimicitias exercet cum Philippo Augusto, gratiâ sororis suæ Reginæ Adelæ. 181. n. 324. a. An. 1181, terram cujusdam vicini sui occupat, quam cùm Philippo Flandriæ Comiti obnoxiam fecisset, eam Rex Philippus in manu sua posuit. 326. n.

Stephani de *Sinninghen* uxor, Adelis Broburgensis.

Stephani de Vallibus et N. Comitissæ Joviniaci filius, Gaufridus.

de S. Stephano. *Vide,* Henricus.

de *Straten*. *Vide,* Thancmarus.

de *Strepi*. *Vide,* Balduinus.

de *Striguil* Comes. *Vide,* Richardus.

de Stutevilla. *Vide,* Robertus.

Suessionibus an. 1121 vel 1122 Concilium habet adversùs Abailardum Cono Prænest. Episc. A. S. Legatus. 654. e. *et seq.* An. 1128, sacro igne depastis in pago Suessionico beata Maria opitulatur. 328. d. An. 1129, Suessionenses Bartholomæum Laudun. Episc. vincunt, captumque injuriis afficiunt. 582. b. An. 1177, Suessionensis Communia opem confert Communiæ Laudun. adversùs Rogerium Episc. 578. a. 682. a. Suessionenses Comites, Cono, Guillelmus, Joannes I, II, III, Ivo, Radulphus, Rainaldus.

Suessionenses Episc. Arnulphus, Henricus, Hugo, Joslenus, Lisiardus, Manasses, Nevelo.

Suessionense S. Medardi Cœnobium juxta consuetudines Cluniacensium informatur. 403. d. An. 1131, Suessionensis Ecclesia S. Medardi ab Innocentio II Papa dedicatur. 329. c. 698. b. S. Medardi Abbates, Arnulphus, Gaufridus.

Suessionensis S. Crispini Abbas, Odo frater Regis Ludovici VI.

Sugerius, Abbas S. Dionysii efficitur an. 1122. 731. d. An. 1129, Moniales Argentolienses famâ perditas expellit. 732. e. An. 1147, Ludovico Rege in Palestinam peregrinante, regni procurationem, aliis Principibus id onus detrectantibus, solus in se recipit. 183. c. Anno 1151, vel 1152 moritur, Idibus Januarii. 293. b. n. 333. a. n.

de *Sully*. *Vide,* Guillelmus.

Sulpitii de Ambasia filius, Hugo.

Surrei Comites, Guillelmus I, II, III, IV.

T.

TAILLEBURGUM, castellum Gaufridi de Rancona, expugnat et subvertit an. 1179 Richardus Dux Aquitaniæ. 179. a. 201. e. *et seq.* 322. c.

de *Taihals*. *Vide,* Godescalcus.

Tallebot. *Vide,* Gerardus.

de Tancarvilla. *Vide,* Guillelmus, Rabellus.

Tanchelinus hæreticus an. 1115 perimitur. 266. e. ejusdem errores. 328. a.

Tancredi de Altavilla filii, Drogo Constantiensis, Humfredus Dux Apuliæ.

Tancredi Principis Tripolitani uxor, Cæcilia Francica.

Tarentasiensis Archiep. Petrus.

de Teis. *Vide,* Guido.

Templi Militiæ Magister, Hugo de *Payens*.

Tervannensis S. Joannis Abbas, Folquinus.

Themardi Castellani Broburg. filii, Gualterus, Gillebertus.

Theobaldus, Abbas Beccensis anno 1136 succedit Bosoni. 288. a. Anno 1137, benedictionem percipit ab Hugone Rotomag. Archiep. 288. d. An. 1138, ad Cantuar. Archiepiscopatum assumitur, paulò ante Natale Domini. 66. b. 288. d. An. 1139, Romam profectus circa Pentecosten revertitur. 288. e. Anno 1141, Mathildem Imperatricem in Angliæ dominam recipit. 88. d. An. 1148, ad Remense Concilium accedit, invito Rege Stephano. In Angliam reversus et in exilium actus, Angliam interdicto supponit. 124. a. b. 291. d. Anno 1152, rogatus ut Eustachio Regis filio regalem impertiatur consecrationem, renuit et ab utroque damnis afficitur. 44. a. An. 1153, paci componendæ inter Stephanum Angliæ Regem et Henricum filium Mathildis Imperatricis allaborat. 46. a. An. 1154, eumdem Henricum in Angliæ Regem consecrat, XIV Kal. Januarii. 126. b. 185. a. 219. c. 297. d.

Theobaldus, Paris. Episc. an. 1158 vel 1159 moritur circa Octavas Epiphaniæ, et vacavit sedes aliquandiu. 300. a. 301. n.

Theobaldi Comitis Barrensis uxor prima, Loreta Lossensis, ex qua Agnes seu Thomasceta Lotharingiæ Ducissa; secunda, Isabella de Barro ad Sequanam, cujus filius Henricus Comes; tertia, Ermentrudis Namur. ex qua Isabella uxor Waleranni Longi Comitis Limburgensis. 712. n.

Theobaldi III, Comitis Campaniensis et Blesensis, filii ex Alaïde Crispeiensi, Hugo, Odo, Stephanus, Philippus Catalaun. Episc.

Theobaldus IV, Comes Blesensis, Magnus cognominatus, an. 1113 et seqq. bellum gerit cum Rege Ludovico. 14. d. 35. a. 61. a. 284. a. n. An. 1119, apud Regem Ludovicum efficit ut Normannia concedatur Guillelmo filio Henrici I Angliæ Regis. 18. a. An. 1120, interest die Natalis Domini curiæ Regis Henrici apud *Bramtune*. 36. a. An. 1125, Tricassino Comitatu donatur a patruo suo Hugone. 678. n. 695. e. An. 1126, uxorem ducit Mathildem filiam Ingelberti Marchionis Forojuliensis. 696. b. An. 1135, invitatus a Proceribus ut Normanniam recipiat post obitum Regis Henrici, Rotomagum contendit mense Decembri, ac die Sabbati Quatuor Temporum, comperto fratrem suum Stephanum fuisse in Angliæ Regem coronatum, cœpto desistit. 287. d. 699. b. Falesiam tamen a Roberto Comite Glocestriæ sibi traditam recipit. 287. e. An. 1136, Innocentio Papæ commendat fratrem suum jam coronatum. 84. n. Eodem anno, opem confert Roberto Comiti Leicestriæ ad debellandum Rogerium de Toenio, cui tertiâ Junii hebdomadâ Pontem S. Petri aufert. 288. a. An. 1137, locutus cum Stephano Rege apud Ebroïcas, de Angliæ regno paciscitur pro annua pensitatione bis mille marcarum argenti. 288. b. An. 1140, interest Concilio Senonensi. 655. a. Eodem anno, rogatus a fratre suo Henrico Winton. Episc. tractatum habet cum Rege Ludovico de pace componenda inter Stephanum Angliæ Regem et Mathildem Imperatricem. 26. c. An. 1141, partibus Innocentii Papæ in causa Bituricensis Archiep. adversùs Regem Ludovicum addictus, veterem exsuscitat inimicitiam. 331. c. 735. c. Eodem tempore, apud Romanum Pontificem efficit ut Radulphus Comes Viromand. supponatur anathemati ob repudiatam priorem uxorem, et superductam Petronillam Aquitanicam. 331. c. 408. b. 735. c. An. 1142, armis Regis Lu-

Digitized by Google

dovici divexatur, maximè in Campania, ubi Vitriacum ejus castrum flammis absumitur. 272. d. 289. d. 331. c. 421. a. An. 1144, Regis in gratiam recipitur, agente S. Bernardo Abbate. 273. b. n. 331. d. 421. a. An. 1151, militaribus armis accingit Gaufridum filium Gaufridi Comitis Andegav. 184. a. 292. c. Anno 1152 moritur, VI vel IV Idus Januarii. 91. c. 293. c. 333. a. n. 334. c. 506. e. 676. a. 703. a. 738. a. Pluribus commendatur. 91. a. 270. c. Filii, Henricus, Theobaldus, Stephanus, Guillelmus Remensis Archiep. Filiæ, Maria, Agnes, Elisabeth, Mathildis, Margareta, Ala.

Theobaldus V, filius Theobaldi Magni Comitis Blesensis, an. 1152 pro parte hæreditatis paternæ assequitur Carnotensem et Blesensem Comitatus ac Dunensem pagum. 293. c. An. 1158, mense Decembri, pacem componit cum Henrico II Angliæ Rege, cui duo castra Ambasiam et Fractam-vallem reddit. 301. c. An. 1159, Henrico II Regi militat in expeditione Tolosana : quâ durante, in Franciam remittitur ad ingerendam Francis molestiam. 302. n. 303. e. An. 1160, circa mensem Octobrem, partes Regis Ludovici sororii sui amplectitur cum fratribus Henrico et Stephano adversùs Henricum Angliæ Regem : cui ut negotium facessat, Calvum-montem castrum Hugonis de Ambasia, cujus patrem Sulpitium in carcere nequiter extinxerat, munit, ut Turonicum pagum expugnet. 186. b. 305. d. Relictis in eo custodibus, discedit metu properantis in Hugonis auxilium Regis Henrici, cujus in potestatem castrum incidit. 305. d. An. 1161, Regem Ludovicum exacuit ad inferendum Henrico Regi bellum. 306. b. An. 1164, Aelidem despondet filiam Regis Ludovici et Alienoræ, Rexque illi concedit Dapiferatum Franciæ, quem Comites Andegav. antiquitùs habuerant. 102. a. 218. d. 308. d. Anno 1169, cum Herveo de *Gien* disceptat pro Montis-mirabilis castro, quod fuerat Guillelmi *Goeth*, cujus ille filiam primogenitam duxerat : ejus tamen potentiam frustratur Herveus, vendito eo castro Regi Angliæ Henrico. 313. d. An. 1170, pacem componit cum Herveo de *Gien*, agente Angliæ Rege. 314. b. Eodem anno, colloquium habet circa Octavas Apost. Petri et Pauli cum Henrico Rege apud Feritatem-Bernardi, de pace inter eum et Regem Ludovicum facienda. 143. c. Eodem item anno, Thomam Cantuar. Archiep. perducit Montem-laudiacum, ad colloquium IV Idus Octobris cum Angliæ Rege habendum, ubi Archiepiscopus Regis in gratiam receptus est. 144. b. An. 1171, necem Thomæ Archiep. Alexandro Papæ per epistolam significat. 145. d. Ipso anno, Judæos Blesis habitantes igni tradit, ob enecatum infantem Christianum in solemnitate Paschali. 315. a. An. 1173, suum Henrico filio Henrici II Angliæ Regis spondet auxilium adversùs patrem et ab eo Ambasiæ castello et quingentis libris Andegavensibus donatur. 137. b. 151. b. 318. c. Eodem anno, Regi Ludovico militat in obsidione oppidi Vernoliensis, et ab eo Vernoliensibus fidejussor datur. 153. c. 154. d. 193. a. Anno 1174, Sagiensem urbem aggreditur cum Henrico Angliæ Regis filio. 194. b. Legatione fungitur pro Rege Ludovico ad Henricum Angliæ Regem. 160. c. d. An. 1177, in colloquio Ivriaci habito pacis sequester eligitur inter Regem Ludovicum et eumd. Henricum. 171. n. An. 1180, inimicitias exercet cum Philippo Augusto, gratiâ sororis suæ Adelæ Reginæ. 181. c. 324. a. Filius ex Aelide Francica, Ludovicus; filiæ, Margareta, Elisabeth.

Theobaldi Comitis de Risnello uxor Ermentrudis de Roceio, ex qua Hugo et Hildegardis.

Theodericus Ambian. Episc. anno 1164, Kal. Maii, assistit Nicolao Camerac. Episc. consecrationem peragenti Ecclesiæ S. Auberti. 520. b. An. 1167, moritur. 522 b.

Theodericus III, Metensis Episc. an. 1164 successor datur patruo suo Stephano. 643. d. 645. b. 704. d. n. 708. b. An. 1171, moritur, III Idus Augusti. 643. e. 644. a. 645. b. Hic Cardinalibus Octaviani Antipapæ Metensem urbem ingressis cum legatis Imperatoris, in faciem restiterat. 643. e.

Theodericus IV, filius Matthæi Ducis Lotharingiæ, an. 1173 Metensem Episcopatum adipiscitur. 644. b. 645. b. n. An. 1179, in Concilio Lateranensi exauctoratur. 644. c. 645. b.

Theodericus Virdun. Episc. an. 1078 urbis Comitatum aufert Godefrido Bulloniensi, illumque Alberto Comiti Namurc. contradit. 628. c. 685. a. Iis quoque de Bullonico castro disceptantibus, opem suam confert Comiti Namurc. 628. d. Partibus addictus Imperatoris tempore schismatis, Rodulphum Abbatem S. Vitoni an. 1082 Romam mittit, et absolutionis gratiam ab eo reportatam spernit. 621. c. 629. d. Catholicos itaque insectatus, an. 1084, igne absumit Ecclesiam S. Michaëlis ad Mosam, quòd Monachi a schismate abhorrentes se Tullensi Episcopo dedere vellent. 621. d. 629. e. n. 685. d. Rodulphum quoque S. Vitoni Abbatem cum suis Monachis aliò commigrare compellit an. 1085, circa festum Annuntiationis Dominicæ. 622. a. 629. d. 640. e. Anno 1086, Walonem S. Arnulphi Abbatem Metensibus ordinat Episcopum, exulante Herimanno. 622. b. Eodem vel seq. anno, cum Godefrido Bullonico dimicat apud Sathanacum. 628. d. 629. a. 641. a. n. An. 1088 vel 1089, moritur mense Aprili, Ecclesiæ reconciliatus per Radulphum S. Vitoni Abbatem. 622. c. (ubi IV Nonas Maii) 630. a. n. 641. a. 644. d.

Theodericus I, Andaginensis S. Huberti Abbas, an. 1069 Godefridum Gibbosum Lotharingiæ Ducem convenit de exsequendo patris ejus testamento, et repulsam patitur. 586. a. n. Agentibus apud Ducem pro eo Romano Pontifice et Episcopis, tandem anno 1074, hebdomadâ secundâ Adventûs, eidem conciliatur. 586. b. An. 1075, legatus ad Imperatorem mittitur cum pontificali baculo Leodiensi, et factæ de Henrico Virdun. Archidiacono electioni providè adstipulatur. 586. d. An. 1085, Henricum Leod. Episc. interpellat pro dejectione castri Mirwaldensis, votique compos effectus munitionem patriæ exitiosam complanat. 587. e. *et seq.* Circa idem tempus, fiscum Caviniacum emit a Richelde Montensi Comitissa. 588. c. d. An. 1086, non verò 1087, moritur VIII Kal. Septembris, completis in regimine 32 annis. 581. b. 588. e.

Theodericus II, Abbas S. Huberti, an. 1086 alteri Theoderico successor datur. 588. e. An. 1088, Porcensem S. Thieboldi Cellam Ecclesiæ suæ acquirit. 589. a. An. 1096, Ecclesiam S. Petri Bulloniensis recuperat, dono Idæ Boloniensis Comitissæ. 590. d. e.

Theodericus, Abbas Trudonensis efficitur an. 1099, Presbyter et Abbas consecratus Nonis Martii. 594. c. Vix Abbatiam ingressus Gislebertum Comitem Durachiensem adversarium experitur, quem pecuniâ placat. 594. d. Deinde ab Henrico Limburgensi, qui partes cujusdam Herimanni pseudo-Abbatis tuebatur, divexatus, Durachium ad castellum Comitis Gisleberti se recipit. 594. d. Anno 1107 moritur, VII Kal. Maii. 595. c.

Theoderici de *Alost* uxor, Laureta Hannoniensis.

Theodericus de Avesnis anno 1095 Lesciense Cœnobium condit vel potiùs instaurat. 401. a. n. Bellum gerens cum Montensi Comite, S. Waldetrudis Ecclesiam et Malbodiensem flammis absumit. 401. b. Circa an. 1107, ab uxore sua Ada, filia Hilduini de Roceio, ex qua prolem non susceperat, separatur ecclesiastico judicio. 401. c. exinde dimidio anno vix elapso, inter venandum ex insidiis perimitur ab Isaac de Berlenmonte. 401. c.

Theodericus Comes Barrensis et Moncionis, an. 1096 Virdunensis urbis Comitatum donis et obsequiis exorat a Richerio Virdun. Episc. 631. c. 688. c. An. 1101 in Imperatorem rebellat. 717. b. Filii ex Ermentrude de Montebeliardo, Theodericus Comes Montisbeliardi, Stephanus Metensis Episc. Rainaldus Comes Barrensis, Fredericus de *Ferretes*; filia N. conjux Herimanni de Salmis.

Theoderici Comitis Montis-beliardi filiæ, Agnes uxor Richardi de Montefalconis, et N. mater Ludovici de Salverna.

Theodericus de Beverna, Castellanus Dicamudæ, an. 1127 Brugas accedit V Idus Martii, vires suas collaturus obsidentibus internecidas B. Caroli Flandriæ Comitis. 342. e. 358. d. Filii ex Ada Codiciac. Theodericus, Guillelmus, ac filiæ tres.

Theoderici Ducis Clivensis filiæ ex Elisabeth Brabantica, Mathildis et N. de *Ysenburg*. 549. n.

Theoderici I Mosellanorum Ducis filii, Fridericus, Sifridus, et Adela Arelunæ Comitissa.

Theodericus II Mosellanorum Dux, Gerardi de Alsatia filius, an. 1075 paternam hæreditatem cum Gerardo fratre partitur. 724. d. (ubi malè Matthæus.) Filii ex Gertrude Flandrensi, Simon, Theodericus Comes Flandriæ.

Theodericus Alsatius an. 1127, VI Kal. Aprilis, missis ad Flandriæ Proceres Brugis in ultionem necis

Digitized by Google

B. Caroli congregatos litteris, ad Flandriæ Comitatum se jure propinquitatis eligi rogat, sed tum non exauditur. 363. c. An. 1128, accitus a Flandrensibus, Comitatum sibi armis vindicare aggreditur adversùs Guillelmum Normannum. 36. n. 64. b. 268. e. 400. b. 412. e. 416. c. 418. a. 466. d. v Idus Martii, faventibus sibi Ivano de *Alost* et Daniele de *Tenremunde*, Gandavi excipitur. 380. d. vii Kal. Aprilis Brugas accedit, ac iii Kal. Aprilis et sequentibus diebus fautorum suorum fidem sibi devincit. 382. *et seq.* v Idus Aprilis, ab Yprensibus invitatur, ut auxilium eis conferat ad expellendum Comitem Guillelmum. 383. e. Quarto Idus Aprilis, Brugis egreditur adversùs fautores Comitis Guillelmi, qui se in *Oldenburg* et Gistellæ communierant. 384. a. Postridie ab eisdem apud Harenas ad prælium lacessitur. 384. e. Nono Kal. Maii, profectus Insulas viciniam illam obtinet. 384. e. Interim Simon Noviomensis Pontifex interdicti sententiam profert in ejus sequaces. 385. a. Pridie Nonas Maii, ab Episcopis et Baronibus Atrebati jussu Regis Ludovici congregatis e Flandria discedere jussus, cùm surdas aures præberet, a Remensi Archiep. percellitur anathemate, et Insulis ubi diversabatur divinum Officium interdicitur. 386. a. n. 400. b. Non multò post, in eadem urbe obsidetur a Rege Ludovico et Comite Guillelmo, sed non expugnatur. 386. e. n. 400. c. xi Kal. Junii, progressus ad *Tiled* vel *Hakespol* cum gravi exercitu, a Guillelmo funditur, vix decem militibus cum eo remanentibus. 388. a-d. 412. d. 466. d. Quarto Nonas Julii, rursùs cum Guillelmo Comite pugnat apud *Orscamp*, fluvio interposito. 389. a-c. Quinto Idus Julii, a Godefrido Duce Lovaniensi et a Guillelmo Comite obsidetur in Alostensi castro. 390. b. 412. d. 466. d. 732. d. Guillelmo ibidem ex inflicto vulnere vi Kal. Augusti e vivis sublato, pacem componit cum Duce Lovaniensi, sibi adversantes ubique insectatur, ac iv Kal. Augusti Ypram obtinet. 390. c-e. 400. c. Sic tandem in Comitatu confirmatus, Reges Franciæ et Angliæ sibi propitios efficit. 83. b. 269. a. 285. d. 392. c. 400. d. 407. c. 412. d. 454. a. 466. e. 495. b. 732. d.

An. 1129, mense Augusto, apud Durachium pugnat pro Godefrido Lovaniensi Exduce adversùs Alexandrum Leod. Episc. et Ducem Gualerannum Limburgensem. 599. a. Interim rapinis et incendiis divexatur a Guillelmo Yprensi. 468. d. Anno 1130 (incertum) mortuâ conjuge suâ Suanechilde quæ causa rebellionis erat, Yprensem armis insectatur, captoque castro ejus Sclusâ, anno tandem 1133 (aut fortè seriùs) rebellem e Flandria exire compellit. 412. d. 413. a. 468. e. Ipso anno, mortem obeunte Clementiâ Comitissâ, tertiam Flandriæ partem quæ in dotem ei contigerat, suæ potestati addit. 412. e. 468. e. An. 1134, in uxorem ducit Sibyllam filiam Fulconis Comitis olim Andegav. Regis Hierusalem. 400. d. 412. e. 413. a. 454. a. 468. e.

